





DISPVTATIONES
MARII ALTERII
ROMANI
CANONICI, ET THEOLOGI
Vaticanæ Basilicæ S. Petri.
DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS,
Nempè De Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto.
Cum explicatione Bullæ Cœnæ Domini.
Duobus Tomis comprehensæ.
Omnia sunt vel ex Theologia, vel ex Iure Canonico, vel Ciuili desumpta, & Sanctorum Patrum testimonijs, atq; Probatorum Auctorum Sententijs, & Historijs confirmata.
Rerum omnium notabilium in fine Secundi Tomi Index locupletissimus apponitur.
TOMVS SECVNDVS.
Ioanne Baptista Robletto Imprimente
Horatij Alterij Fratris Sumptibus
Christophorus Blancus Lotharingus sculpsit Romæ
Anno Domini MDCXVI Superiorum permissu





INDEX DISPVTATIONVM, ET CAPITVM SECVNDI TOMI



DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS HOC EST DE SVSPENSIONE, ET INTERDICTO.

DE SECVNDA CENSVRARVM SPECIE, IDEST DE SVSPENSIONE.

caput

DISPVTATIO VNDECIMA.

DISPVTATIO DVODECIMA.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.



DE TERTIA CENSVRARVM SPECIE, IDEST DE INTERDICTO.



D I-

DISPVTATIO QVARTA.

De primo effectu Interdicti, nempe de Sacramentorum priuatione. 347

DISPVTATIO QVINTA.

De secundo effectu Interdicti, idest de prohibitione diuinorum officiorum. 370

DISPVTATIO SEXTA.

De tertio effectu Interdicti, idest de prohibitione Ecclesiasticæ sepulturæ. 399

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Interdicto, quo priuatur quis ab ingressu Ecclesiæ. 411

DISPVTATIO OCTAVA.

De peccato quod committitur ob violationem Interdicti, vel ob participationem cum personis interdictis, & de causis quibus aliquis excusatur ab obseruatione Interdicti. 419

DISPVTATIO NONA.

De Irregularitate, & alijs pœnis quas incurrunt violantes Interdictum. 436

DISPVTATIO DECIMA.

De causis Interdicti. 455

DISPVTATIO VNDECIMA.

De Relaxatione, seu absolutione Interdicti.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De Interdictis, quæ reperiuntur lata ab ipso Iure.

FINIS.



DE

DE SECVNDA CENSVRARVM SPECIE IDEST DE SVSPENSIONE.



TOMVS SECVNDVS.



ERAT in vſu antiquitus Cenſura, quæ ſuſpenſio dicitur, cum Clericus, ne in ordine ſibi collato miniſtraret, ab Epiſcopo vetabatur. Vſus eſt ea B. Cyprianus in ſuos Presbyteros Epiſtol. 10. qui lapſos nondum peracta pœnitentia ſuſcepiſſent, & eiuſdem meminit S. Auguſtinus ex Concil. Africano Epiſtol. 137. quam exercuiſſe in Presbyterum Caſtitatis & Temperantiæ tranſgreſſorem, conſtat Epiſtola 236. & S. Leo ſcribens ad Epiſcopos Campaniæ, Piceni, & Tuſciæ in extrema Epiſtola ita loquitur, *Hoc admonitio noſtra denunciat, quòd ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit auſas admittere, à ſuo ſe nouerit officio ſubmouendum*, ad eiuſdem Cenſuræ confirmationem adduci rectè poſſunt verba illa Apoch. cap. 2. vbi Ioannes in perſonæ Chriſti ad Epiſcopum Epheſi dicit, *Memor eſto, vnde excideris, & prima opera fac, ſia autem venio tibi, & mouebo Candelabrum tuum de ſuo loco, niſi pænitentiã egeris*. Nec deerat priſcæ ætati Moſaicæ, ſcilicet legis cultoribus huius Cenſuræ vſus, de qua non obſcurè tradit Eſdras lib. 1. cap. 2. Verſ. 62. loquens de quibuſdam filijs Sacerdotum, qui cum Summa diligentia
C requiſiuiſſent ſcripturam genealogiæ ſuæ, nec inueniſſent, à ſacerdotali functione honoribuſq; exploſi ſunt, dicente ad eos Aathorſata, nõ commedetis de Sancto Sanctorũ, donec ſurgat Sacerdos doctus & perfectus.

Fundamentum poteſtatis ad inferendam ſuſpenſionis poenam in Clericos delinquentes innititur poteſtate Clauium Eccleſiæ conceſſa à Chriſto Matth. 18. cuius virtute non ſolum Papæ & Prælatis Eccleſiæ facultas ineſt puniendi fideles vtili & medicinali excommunicationis poena, ſed etiam committitur eorum arbitrio modus priuandi delinquentes pro qua-
D litate & genere criminum bonis ſpiritualibus quoad aliquos effectus per ſuſpenſionem & Interdictum.

Cum enim Papa vt Chriſti Vicarius, & omnium fidelium Paſtor, & reliqui Prælati tanquam Eccleſiæ miniſtri, qui ligandi poteſtatem acceperunt, primum ad ſuæ Iuriſdictionis tuendam auctoritatem, deinde ad eius, qui condemnatur, vel iniquitatem corrigendam, vel obſtinationem manifeſtandam, denique ad timorem aliorum & Eccleſię ſalutem poenam infligere ſemper poſſint, & plerumque debeant, cumq; poe-
A næ criminum ſingulorum in lege Chriſti, atque in nouo Teſtamento deſignatę aut expreſſæ non ſint, neceſſario efficitur, vt ædem arbitratu Summi Pontificis, & Epiſcoporum de nouò ſtatui debeãt, nam cuius rei ſtatuendæ poteſtatem non acceperunt; Quibus dictũ eſt, *Quæcunque alligaueritis & ſolueritis &c.* Matth. 18. A morte inferenda Epiſcopi meritò abſtinẽt, eo quòd Chriſtus, cuius ſunt Miniſtri, non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Nullus autẽ poſt mortem poenitentiæ locus relinquitur, ſed aliæ poenæ adeo non impediunt fructum pœnitentiæ, vt potius eum prouehant & adiuuent, vexatio enim dat intellectum, certè ad noui Teſtamenti Mini-
B ſtros maximè omnium ſpectat cæteras pœnas, quæ ipſi delinquenti ſalutares ſunt, indicere atque inferre, ideo in capit. Ad reprimendam de off. ordi. dicitur *Ad reprimendam malitiam peruerſorum pœnæ certæ ſunt in Canonibus conſtitutæ*, quas recenſet ibi Gloſ. Ver. In Canonibus, & plenius Hoſt. in Summa in tit. De Poen. §. Quot ſint ſpecies. Hinc receptum eſt, vt in Concilijs Oecumenicis canonicæ quædam pęnæ, ſeu Cenſuræ in ea crimina, quæ frequentius committuntur, conſtituantur. Et inter cæteras illam Sancti Paſtores inflixerunt, vt Clericus, & perſona Eccleſiaſtica ob delictum aliquod commiſſum, deinceps dignitatem Eccleſiaſticam, & poteſtatem, quam in ſacra Ordinatio-
C ne accepit in Chriſtianos, niſi honori ſuo reſtitutus ſit, exercere nequeat. Hæc poena, ſeu Cenſura Eccleſiaſtica appellatur Suſpenſio; De qua abſoluta diſputatione de Excommunicatione modò pertractare aggredimur, eandemque methodum ac ordinem in explicanda hac ſecunda ſpecie Cenſuræ ſeruabimus, quem hactenus tenuimus tractantes de Excommunicatione; Nimirum vt primo loco quid ſit ſuſpenſio, & quotuplex, & quo pacto differat ab alijs cenſuris declaretur; Deinde qui ſint eius effectus; Poſtea de quatuor generibus cauſarum, & de ſubiecto: Demum
D de Abſolutione à cenſura Suſpenſionis: Tandem de peculiaribus quibuſdam ſuſpenſionibus, quæ ab ipſo Iure latæ ſunt aduerſus certa quædam crimina.

DISPVTATIO PRIMA.

QVID ET QVOTVPLEX SIT SVSPENSIO & ab aliis Censuris quomodo differat.

CAPVT I.
De Definitione Suspensionis.

VAriis, & diuersis verbis à Doctoribus hæc censura definiri, seu describi solet, omnes tamen definitiones ferè idem significare, videntur. Afferam ego illam, quæ mihi videtur & facilius, & distinctius vim, & effectus Suspẽsionis exprimere. Sed antequam eam proponam; Quid ipsum nomen suspensionis significet, explicabo: quod etiam ad intelligendam efficaciam, & naturæ huius censuræ Ecclesiasticę conferre potest.

Hoc nomen Suspensio multiplicem habet significationem, & diuersimode apud Iurisconsultos, & Canonistas vsurpatur. Aliquando idem significat, quod suspendium, vt cum dicimus aliquem suspensum fuisse, idest suspendio vitã terminasse, Ouid. lib. 1. Am. Eleg. 12. *Præbuit illa arbor misero suspendia collo.* Vnde suspẽdiosi dicuntur, qui suspendio vitam finierunt, vt Iudas Iscariotes, l. Liberorum §. Etsi talis ff. De his, qui notan. infam. Nonnunquam sumitur pro dilatione, quæ interponitur in vsu, & expeditione rei, sic dicitur suspendi sententiam per appellationem cap. Venientes De iu. iuran. & petitorium per possessorium cap. Pastoralis 1. De cau. poss. Interdum accipitur in Iure canonico latius pro priuatione ab vsu officij temporalis ad tempus; Vt cum quis suspenditur ab officio Aduocationis, Notariatus, & similium cap. Si aduersus de Hæret. Alibi pro priuatione officij, seu muneris Ecclesiastici; Vt cum Clericus ob ignorantiam, vel causa morbi absque ipsius culpa executione Ordinum priuatur, vt propter Epilepsiam, lepram, senectutem, aut debilitatem; Iuxta quam significationem, quæ latior est quidam admittunt Clericum fieri posse suspensum sine culpa propria, verum non sine causa, D.Tho. in Addit. ad 3. par. quæst. 22. art. 5. ad secundum, Syluc. Ver. Suspensio §. 4. Caiet. in Summa Ver. Suspensio, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. in fi. Item solet suspensio sumi pro Interdicto ab ingressu Ecclesiæ, & ab alijs quibusdam actibus, qui propriè conueniunt Interdicto, vt in cap. 1. De sent. excomm. lib. 6. Vnde hæc duo nomina suspensio, & Interdictum quoad aliquos actus in Iure Canonico confunduntur cap. Ex literis de off. deleg. sicut Depositio vsurpatur pro suspensione cap. 1. De Cleri. pugnan. in Duel. Tandem propriè, & strictè accipitur suspensio pro pœna spirituali propria Clericorum, & sic accepta duobus modis imponi potest, vt paulò post fusius explicabo: Primo pro delicto præterito iam commisso, itaut habeat tantum rationem, poenæ, secundo contra contumacem, & inobedientem, sicque vocatur censura, quæ relaxari debet statim, ac suspensus satisfacere est paratus, sicut dixi de Excommunicato cap. Nemo 11. q. 3. & cap. Illud, Et hæc est suspensio de qua sermo habetur, vt in cap. Quærenti de verb. signif. Vbi recensentur tres species Censurarum, idest Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum; Quare suspensio est Censura Ecclesiastica distincta ab alijs duabus, & de vtraque tractabimus. Suspensio propriè accepta, quæ est censura, ita definiri, & describi potest; Nempe Suspensio est Censura Ecclesiastica, qua Minister Ecclesiæ, vt talis est, impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquaue potestate Ecclesiastica vtatur in totum, vel in partem ad certum tempus, vel in perpetuum.

Hæc definitio suspensionis sumitur ex effectibus, quos ipsa parit, & hoc modo definiri possunt censuræ, sicut patet ex definitione Excommunicationis, quam tradidi lib 1. Disp. 2. Censuræ enim priuant hominem vsu quorundam bonorum spiritualium; Ideo earum rationes, seu essentiæ intelligi, & percipi nequeunt, nisi in ordine ad proprios ipsarum effectus. Effectus autem Suspensionis includuntur in proposita descriptione, ex quibus sumitur differentia illius ab alijs censuris, vt manifestè constabit, si singulas partes prædictæ definitionis explicabimus.

Dicitur primò, *Censura Ecclesiastica* loco generis, quod commune est ad excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, vt habetur in cap. Quærenti de verb. signif. Et hac ratione peccatum mortale non potest appellari Suspensio, vt quibusdam placet, quia propter illud impeditur Sacerdos, ne sacrum faciat, donec sacramentaliter absoluatur, sed est impropria locutio, vt notat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 152. Quia peccatum mortale non est poena, neque censura Ecclesiastica, neque est impedimentum ad sacrum conficiendum humano Iure inductum, sed intrinsecè proueniens ex tali genere culpæ. Item ratione eiusdem generis distinguitur Suspensio vniuersaliter ab Irregularitate, & omni alio impedimento, seu poena Ecclesiastica, quæ non est censura, & præsertim ab illis poenis, quæ possunt vocari suspensiones in latiori significatione, vt monuimus supra, quæ tamen non imponuntur per modum censuræ, sed habent tantum rationem poenæ; Quoties enim Suspensio infertur, solum vt delictum puniatur, non vt à contumacia recedatur, non habet rationem censuræ, sed solius poenæ. Sic autem sæpius legitur suspensio lata in Iure, vt in cap. Tum literis in fin. de testi. cap. Cum in cunctis §. vlt. de elect. Vbi suspenduntur à beneficijs ad trienniũ Clerici eligentes indignum contra formam illius cap. in Clem. 1. §. penult. de Hæret. Vbi Inquisitores, qui delinquunt in officio, suspenduntur ad triennium; In Clem. 2. de Poen. Posse verò suspensionem his duobus modis imponi, idest in poenam pro delicto præterito commissu, & tanquam censuram propter contumaciam non parendi docent Doctores locis citatis, & tradit Innoc. in c. 1. nu. 3. De Excess. Prælat. dicens sententiam suspẽsionis pronunciari posse contra delinquentẽ etiam non contumacem, & probat ex ca. Nemo 2. q. 1. & ex c. In loco 5. q. 4. In quib. locis excõicatio ponitur pro suspensione; Et aliquãdo ferri etiã suspensionẽ pro contumacia contra incorrigibilẽ; Tuncq; vocatur cẽsura medicinalis, sicut Excõmunicatio; Idẽ confirmat Innoc. in c. Ad hæc 3. n. 3. de appell. Et hãc doctrinã Innoc. alij Doctores sequuntur, quã cõmendat Abb. in c.

Repre.

Reprehensibilis nu. 3. de appell. Vbi affirmat suspensionem sæpe ferri propter delictum, secus vero dicendum esse de excommunicatione quæ ab homine nunquam infligi potest propter delictum, & idem repetit in cap. Sæpe nu. 16. eod. tit.

Hæc autem duplex ratio suspensionis inter se maximè differt, vt inquit Bernar. Diaz in pract. crim. c. 134. Primò quoniam suspensio, quæ est pœna, non cẽsura, imponitur ad certum tempus limitatum, vt in c. Tam literis de testi. c. Cum in cunctis §. fin. de elect. in Clem. 1. §. pen. de Hæret. & alibi. Et ratio est, quia pœna commensuratur culpæ, & quo maior fuerit culpa, eo suspensio futura est diuturnior, idcirco tempus suspensionis præfigendum erit pro ratione delicti. Quę B vero suspensio est cẽsura non potest habere terminum præfixum, sicut dictum est de excõmunicatione, quia censura præcipuè fertur ad reprimendam contumaciã, & vt homo recedat à culpa, non ad vindicandum delictum, ideo quamcito suspensus velit satisfacere & parere, illico relaxanda est suspensio, vt dicit Abb. in c. Reprehensibilis n. 3. de appell. Secundò suspensio, quæ est tantum pœna, non requirit præuiam monitionẽ, sicut etiam cõtingit in alijs pœnis, sed probato delicto, vel notorio existente imponi possit Reo etiam pœnitenti & correcto sine vlla monitione, vt inquit Innoc. in c. 1. nu. 3. de excess. Prælat. & Abb. in c. Reprehensibilis n. 3. de appell. & licèt Host. teste Abb. ibi n. 4. dicat requiri monitionem semper, quando sentẽtia C suspensionis fertur à Iudice, tamen oppositum probat Abb. ex c. Romana §. sed nec in specie de sent. excom. lib. 6. vbi cum antea statutum esset vniuersaliter de excommunicatione, suspensione, & interdicto, nõ posse inferri sine monitione, postea cum agitur de culpis præteritis seu præsentibus puniendis, prohibetur solum, ne excommunicatio infligatur non præmissa monitione, quasi aliter dicendum sit de suspensione & interdicto. At suspensio, quę est censura, semper requirit monitionẽ præuiam saltem illam, quæ tacitè includitur in illa cõditione, si hoc feceris, vel nisi satisfeceris. Tertio quando suspensio est pura, & ad certum tẽpus imposita, illo transacto per se cessat sine alia absolu- D tione, quia causa non operatur vltra præfixũ sibi terminum. Nec prohibitio ad certũ tempus facta eo lapso obligat, quod exemplo Relegationis cõfirmari potest, sicut enim qui relegatus est ad tempus definitum, illo transacto absque alia Iudicis licentia ad patriam liberè remeare potest, cum satisfecerit pœnæ sibi impositæ. Ita quoq; suspensus ad diẽ certum non indiget absolutione, vt post diẽ certum valeat officiũ suũ exercere legitimè, sicut ante suspensionem, & in hac conclusione conueniant omnes Glos. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. Vbi Glos. affirmat suspensum cum conditione, donec desisterit & satisfecerit, indigere absolutione, secus vero, quando quis est ad certum tempus, puta mensem, annumue suspensus in c. Sacri Ver. Per mensem de sent. excom. vt notat etiam Innoc. in cap. E Cum bonæ de Aeta. & quali. assignat rationẽ diuersitatis Innoc. quia vbi certum tempus præscribitur suspenso, nec aliud ab eo exigitur, nulla est dubitatio de eius satisfactione. Sed quando suspenditur sub conditione quousque satisfecerit, dubitari potest de satisfactione, ideo necessaria est absolutio, sed Glos. in ead. Clem. 1. Ver. Donec, credit in hoc casu sufficere declarationem Iudicis super præstita satisfactione absque alia absolutione, cum in excommunicatione necessaria semper sit absolutio etiam post satisfactionem, vt probaui in lib. 4. Disp. 1. c. 1. Sed neque ratio Innoc. vi-

A detur satisfacere ad intelligendam differentiã vtriusque modi suspensionis, neq; verum est sufficere declarationem Iudicis ad tollendam suspensionem, quæ lata fuit sub ratione censuræ, nam causa, propter quam suspensus sub conditione, donec satisfecerit, vel paruerit, non est à vinculo censuræ liber donec receperit absolutionem, non est, quia non possit constare de satisfactione, sed potius quia vinculum censuræ inductũ est à superiore per potestatem Clauium, quam habet, & idcirco ad illud relaxandum opus est eadem potestate superioris, vt probaui in dicto c. 1. Disp. 1. lib. 4. Quod cessat, vbi fertur suspensio in pœnam peccati commissi, siue fit ad certũ tempus, siue ad incertum & indeterminatum, puta ad beneplacitum Superioris, B quia tunc tantum habet rationẽ pœnæ non censurę, & ob eandem causam, vbi lata est suspensio per modum censuræ, non sufficit, vt Iudex declaret suspensum satisfecisse, vt tenebatur, sed absolui debet, & ita clarè tradit Glo. vlt. in c. Si quorundã de solut. quæ affirmat Prælatum transgressorẽ illius cap. ipso iure suspensum ab administratione, non intelligi restitutum, etiamsi satisfecerit. Sed quæ dicta sunt de absolutione necessaria ad tollendam censurã suspensionis, inferius magis discutienda erunt, cum agam de modo, quo suspẽsio tolli potest. Quarto differunt hi duo modi suspendendi, quód quando suspẽsio infligitur in pœnã alicui, potest per appellationẽ sequẽtem impediri, quia tunc non est medicina, vt dicit Innoc. in c. Ad hæc 3. nu. 2. C de appell. Abb. in c. Sæpe n. 16. eod. tit. At quando suspensio est censura, non suspenditur per appellationẽ sequentem, quod commune est tribus sententijs Censurarum, vt inquit Abb. in d. c. Sæpe n. 15. quia trahũt secum executionem. Iam igitur remanet explicata prima particula definitionis ipsius suspensionis, cum scilicet dicta sit censura Ecclesiastica. Addit Nau. in Man. c. 27. n. 151. hac voce significari etiam suspensionẽ non posse ferri, nisi ab habente ordinem & iurisdictionem Ecclesiasticam exteriorem ad quam pertinet ferre censuras arg. Glos. singularis in c. Is qui Ver. de Iure, de sent. excom. lib. 6. & c. Dudum 2. de elect. Secunda particula definitionis est, *Qua minister Ecclesiæ* D *vt talis est*. Quia persona Ecclesiastica suspenditur, nõ Laicalis, neque tantum Clericus sed Regularis, etiam fœmina vt Abbatissa suspenditur ab officio spirituali, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 153. Vers. septimo, & nu. 159. Sicque suspensio distinguitur ab alijs prohibitionibus, quibus puniuntur personæ Ecclesiasticæ exilio, carcere, priuatione beneficij, quæ tamen pœnæ non dicuntur censuræ, *impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquaue Ecclesiastica potestate vtatur*. Hæc est tertia particula, cuius gratia distinguitur suspensio ab excommunicatione & interdicto, nam excommunicatio non separat à communione Ecclesiæ Ministrum Ecclesiæ, vt Minister est, sed vt Christianus, neque solùm impedit functionum Ecclesiasticarum vsum actiuè, sed passiuè, & priuat omni com- E munione etiam externum fidelium. At suspensio impedit tantum actiuam administrationem actuum Ecclesiasticorum. Interdictum autem seiungit hominem, & priuat omnibus officijs Ecclesiasticis, sub quibus includitur sepultura Ecclesiastica, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 181. in fin. Couar. c. Alma Mater 2. par. §. 5. numero 6. Horum autem diuinorum efficitur quis particeps non vt est persona Ecclesiastica, sed quatenus Christianus, igitur omnis Christianus Interdictu subijci potest, quod non contingit in suspensione, quæ est propria Ecclesiasticorum.

Item per Interdictum tollitur participatio diuinorũ officiorum tam actiua, quàm passiua, cum suspensio tollat tantum administrationem functionum Ecclesiasticarum. Præterea Minister Ecclesiæ duobus modis impediri potest ne vtatur sua potestate neq; exerceat Ecclesiasticas functiones, primò quando ab ipso aufertur officium vel beneficium, secundo cum beneficium aut officium remanent quia titulus non aufertur, neq; potestas, sed vsus beneficij aut officij posterior modus priuationis vocatur suspensio, Prior dicitur Depositio aut Degradatio. Tandem additur vltima particula *In totum vel in partem ad certum tempus vel in perpetuum*, Quædam enim est suspensio totius officij ad tempus, vt inquit Sylue. Ver. suspensio §. 1. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 154. & seq. Quædam etiam esse potest priuatio partis officij in perpetuum, vt Sylue. & Nauar. dicunt. An sit autem suspensio, si cui prohibeatur vsus totius officij aut beneficij in perpetuum, dicam in cap. 3. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. censet non esse suspensionem, sed potius vocandam esse depositionem aut priuationem ex sententia Card. in Clem. 1. §. Cæterum nu. 6. de priuil. & Abb. in cap. At si n. 7. de iudi. Quid igitur suspensio sit sic in genere, summatim ostendimus, cuncta clariora reddentur, cum de vtraque suspensionis specie distinctè pertractabitur.

CAPVT II.

De differentia suspensionis ab alijs duabus Censuris.

IN lib. 1. Disp. 2. cap. 4. pertractaui de communionibus & differentijs quibusdam accidentalibus ex parte materiæ & effectum, quibus excommunicatio distinguitur à suspensione & Interdicto, & in Disp. 1. cap. 4. eiusdem libri disputaui de communione & differentia formali & quasi essentiali censurarum, & in cap. 3. quomodo differant ab impedimentis Ecclesiasticis, scilicet Irregularitate, Depositione, Degradatione, & Cessatione à diuinis. Quare in hoc Capite ea solum afferam, quæ propriè suspensioni conueniunt & declarant eius differentiam ab excommunicatione, attingam etiam easdem differentias in ordine ad Interdictum, quæ fusius explicabuntur in materia de Interdicto.

Primò suspensio euidenter distinguitur ab excommunicatione Minori, quoniam excommunicatio Minor priuat tantum passiua susceptione Sacramentorum; verum suspensio non consistit in priuatione passiua, sed actiua, vt dixi præcedenti Capite, neque coarctatur ad priuationem Sacramentorum, sed extenditur ad alias functiones Ecclesiasticas, & aliqua etiam dari potest suspensio, quæ non prohibeat vsum sacramentorum, vnde non videtur probandum id, quod aliqui Doctores affirmant, scilicet Abb. in cap. Si celebrat num. 4. de Cleri. excom. Mini. Ang. Ver. suspensio 2. num. 39. Sylue. eod. Ver. in princ. & §. 6. Dari suspensionem quandam minorem, quæ priuat passiua participatione Sacramentorum, nullibi enim in Iure huius suspẽsionis, quę à sola passiua Sacramentorum receptione hominem eiiciat, mentio habetur, si vero ipsamet excommunicationem minorem velint appellare suspensionem, vt videtur indicare Abb. in cap. Cum dilectus num. 20. de consuet. impropriè loquuntur, & præter communem vsum, ipsasque censuras confundunt.

A Ex hac differentia inter suspensionem & excommunicationem minorem infert Caiet. Ver. suspensio, grauiora damna & incommoda prouenire ab ipsa excommunicatione minori, quàm à suspensione, quoniam illa hominem excludit à præcipuis bonis, nempe à receptione omnium Sacramentorum, quæ sunt bona spiritualia eximia, & maximè necessaria ad humanũ salutem. Suspensio autem priuat solum executione Ordinis, aut Beneficij, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à celebratione officiorũ diuinorum, vel ab omnibus his, vel à similibus. Sed quamuis hæc sint vera, tamen si consideremus communem vsum & sensum Ec- B clesię, suspensio indicatur grauior pęna, quàm excommunicatio minor, ideo regulariter pro delictis grauioribus imponi solet, & fertur etiam per sententiam ab homine, cum excommunicatio minor incurratur ipso Iure ex sola participatione cum excommunicato excommunicatione maiori. Quare licet excommunicatio minor priuet vsu passiuo sacramentorum, quæ sunt maxima bona, quibus Ecclesia Catholica à Christo ditata est, tamen aliqua suspensio ex altera parte tollit actiuam administrationem sacramentorum, quæ non solum vtilis, sed necessaria est in Ecclesia, non existente enim Ministro, qui conficeret & administraret sacramenta, cessaret omnis receptio sacramentorum. Accedit, quòd excommu- C nicatio minor facilius tollitur regulariter loquendo, quàm suspensio, quæ sæpe reseruatur Superiori, & ab eo relaxari debet, cum excommunicatio minor nunquam reseruetur.

Secundò ob eandem causam suspensio differt ab Interdicto, nam Interdictum magis priuat vsu passiuo, quàm actiuo, impedit enim receptionem Sacramentorum, vsum Ecclesiasticæ sepulturæ, & auditionem diuinorum officiorum. At suspensus sacramenta recipere potest, interesse diuinis officiis, & frui Ecclesiastica sepultura. Quòd si Interdictum priuet Ministrum actiua administratione sacramentorum, id non oritur ex vi Interdicti formaliter, sed sequitur quasi concomitanter, nam Interdictus per se prohi- D betur, ne alicui sacræ functioni interesse possit, idcirco non solum exercendo Ecclesiasticam potestatem, sed neque cooperando aut ministrando ei, qui exercet vsum Ecclesiasticæ potestatis, potest aliquo modo collatione alicuius sacramenti inseruire, quia inseruiendo efficeret saltem tanquam cooperans, & adiuuans, vt Interdictus interesset Diuinis, quod prohibetur vi huius censuræ. Verum suspensus non priuatur hoc ministerio, quod Laico etiam permittitur, vt est ministrare Sacerdoti in sacrificio Missæ, vel alicuius sacramenti functione.

Præterea differt suspensio ab Interdicto, quòd suspensio est propria personarum Ecclesiasticarum, & infligitur in eas, vt tales sunt, nempe ratione ordinis E aut beneficij, & dignitatis, Interdictum commune est Clericis & Laicis, sicut etiam excommunicatio. Hæ duæ censuræ formaliter feruntur in fideles, quatenus baptizati sunt, sed suspensio impedit ministerium proprium alicuius potestatis Ecclesiasticæ, quæ Clericorum propria est.

Tertiò suspensio distinguitur ab excommunicatione maiori, quoniam excommunicatio maior plura prohibet, quàm suspensio, quæ continetur sub illa tanquam pœna minus vniuersalis sub magis vniuersali, quia excõmunicatio maior operatur, quidquid suspẽsio potest, & multo plura, vt probat D. Tho. in Addit. ad 3. par. q. 22. art. 3. nã excõmunicatio maior priuat

non

non solùm omni Ecclesiastica functione tam ad officium, quàm ad beneficium Ecclesiasticum spectantem, quòd commune est cum suspensione, sed multis etiam alijs bonis, & commodis tam spiritualibus, quàm temporalibus, vt probaui lib. 1. cum agerem de effectibus excommunicationis, quod suspensioni non conuenit. Quæ tamen differentia licèt vera sit, non declarat diuersitatem formalem, & specificam harum censurarum, sed potius ostendit suspensionem contineri sub excommunicatione maiori tanquam partem sub toto. Quamobrem assignari possunt aliæ differentiæ. Prima erit, quoniam illimet effectus priuationis Ecclesiasticarum functionum sub diuersa ratione formali proueniũt ab excommunicatione, & suspensione. Nam excommunicatio impedit illos actus, vt rationẽ communicationis habent, suspensio non respicit rationem communicationis; sed impedit illas functiones formaliter, quatenus sunt vsus alicuius potestatis Ecclesiasticæ quam exercet Clericus ratione officij, aut beneficij, & hæc est quasi ratio formalis obiectiua suspẽsionis, ex qua sumuntur aliæ differentiæ accidentales, & quasi materiales, nempe quòd excommunicatio maior infligi nequit, nisi pro peccato mortali, sed suspensio aliquando incurritur absque peccato mortali. Secundò excommunicatio priuat suffragij Ecclesiæ, non autem suspensio, vt innuit D.Tho. in Addit. ad 3. par. q.22. art.5. ad secundum. Tertiò suspensio est Censura propria Clericorum, vt tales sunt, sicut dictum est, excommunicatio est communis Clericis, & Laicis. Quartò suspensio non priuat communione externa fidelium, sicut impedit excommunicatio, nisi suspenso talis communicatio esset specialiter interdicta: Quo casu deberet abstinere etiam à communione; Gemin. in cap. 1. §. Et hæc num. 3. Vers. Differunt autem ista de sent. excom. lib. 6. Abb. cap. Apostolicæ nu. 3. de except. Card. Tolet. lib. 1. de instruct. Sacerd. cap. 42. Vers. Et aduerte; alias similes differentias suspensionis, & etiam conueniẽtias cum excommunicatione recẽset Gemin. loco cit. Innoc. in c. Ad hæc 3. de appell. & in cap. 1. de excess. Prælat. & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 165.

Postulabit quis, quomodo differat suspensio ab irregularitate, videtur enim idem vtriusque effectus; Cùm irregularitas priuet Ministrũ Ecclesiæ, ne possit exercere functiones Ecclesiasticas, quod facit suspensio.

Respondeo plurimum differre suspensionem ab Irregularitate, nam præterquam quòd Irregularitas non est censura, sicut est suspensio, sed est impedimentum, vt probaui in cap. 3. Disp. 1. lib. 1. adhuc irregularitas est inhabilitas, ne quis possit suscipere ordines, aut in susceptis administrare. Quare hoc impedimẽtum respicit tãtum ordines, & ordines tam susceptos, quam suscipiendos, at suspensio non tantum priuat vsu & executione ordinis, sed etiam vsu Iurisdictionis. Et quando respicit ordines, supponit illos susceptos esse, & idcirco vocatur suspensio, & non impedit ordines suscipiendos.

Hine plures differentiæ considerari possunt inter suspensionẽ & Irregularitatẽ. Prima est, quòd Irregularitas est canonica inhabilitas a solo Iure proueniẽs. Suspensio autẽ tum ab homine, tũ a Iure contrahitur. Secunda est, omnis Irregularis est suspensus, quia priuatur facultate suscipiendi ordines, vel administrandi in susceptis, non valet è contra, omnis suspensus est Irregularis, nam suspensus ab vsu Iurisdictionis, vel beneficij non est irregularis. Item suspensus ab Ordine dici potest solum Irregularis, quia non potest administrare in ordine, quem habet, non autem in eo sensu,

A vt non possit promoueri ad Ordines, quos non habet. Tertia differentia est, quia suspensio pertinet ad personas Ecclesiasticas tantum; Irregularitas comprehendit etiam laicos. Quarta differentia esse potest, quòd suspensio respicit tam homines, quàm mulieres: Nam Moniales etiam ab officio suspendi possunt; Irregularitas verò solos homines comprehendit, Abb. cap. Cum dilectus num. 21. de consuet.

CAPVT III.
Quotuplex sit suspensio.

Plures sunt, & varij modi ferendi suspensionem, quos vocare possumus species suspensionis, si in latiori significatione nomen speciei accipiamus, quas
B fusius recenset Glos. in Clem. Cupientes, Ver. Suspensi De Pœn. & summatim Innoc. in cap. Ad hæc nu. 3. De Appell. Quæ à Doctoribus, non tamen ab omnibus eodem modo, sed diuersimode reuocari solent ad quędam præcipua, & generalia capita.

Abb. in cap. Si celebrat num 4. de Cleri. Excomm. Mini. & in cap. Apostolicæ num. 3. De Except. multipliciter diuidit suspensionem, & inter alios modos dicit; Aliam esse suspensionem maiorem, aliam minorem. Minorem illam esse dicit, quæ impedit tantum receptionem Sacramentorum, quem effectum producit etiam excommunicatio Minor, quæ contrahitur ex communicatione cum Excommunicato maiori ex-
C communicatione. Maiorem verò suspensionem illam esse affirmat, quæ impedit officium, seu executionem Ordinum. Hãc suspensionis diuisionem approbare videntur Aug. Ver. Suspensio 2. nu. 39. & Sylue. eod. Ver. in princ. & in §. 6. vt monui superiori capite.

Rursus Abb. Suspensionem maiorem aliam incurri asserit propter delictum, qualis est illa, quæ habetur in cap. 1. de sent. excomm. lib. 6. & in cap. 1. De sent. & re iudi. eod. lib. Aliam propter defectum, vt si quis sit illegitimus, vel patitur defectum in corpore. Tandem aliam dari suspensionem propter infamiam, Vt si quis sit notoriè criminosus, & prohibetur, ad euitandum scandalum, promoueri, aut exercere actus Ordinum,
D quos suscepit.

Hæc diuisio patitur difficultates: Primo quia inter censuras Ecclesiasticas non datur minor, nisi in genere excommunicationis, vt dicebam superiori Capite. Secundò quia prohibere participationem passiuam tantùm Sacramentorum est effectus proprius, & peculiaris excommunicationis minoris: Igitur non pertinet ad Suspensionem, aliàs censuræ confunderentur, & non essent distinctæ. Tertiò quoniam ratio formalis suspensionis, vt in cap. 1. ostendimus, consistit in priuatione actiuæ administrationis Sacramentorum: Igitur Suspensio, vt talis est formaliter, & per se non impedit receptionem Sacramentorum. Verùm hæc diuisio su-
E spensionis in maiorem, & minorem solet ab alijs aliter explicari, quorum sententiam inferius discutiemus.

Alij diuidunt suspensionem in eam, quæ a Iure, & in illam, quæ ab homine fertur, sicut etiam excommunicatio distinguitur in eam, quæ a Iure, & in eam, quæ ab homine infligitur, Sylue. Ver. suspensio §. 1. & alij Summistæ communiter, Nau. in Man. c. 27. nu. 154.

Hæc diuisio non est propria suspensionis, sed communis omni Censuræ, neque aliquid speciale habet in ordine ad suspensionem, ideo de ea nihil noui tradendum est, sufficiunt enim, quæ diximus in materia de excommunicatione.

Rursus alij distinguunt suspẽsionum in tres species, quod alia suspendat, quoad se tantùm, secunda quoad alios solùm. Tertia quoad se & alios, quę videtur communiter approbari à Canonistis, cuius meminit Abb. in cap. Si celebrat num. 3. De Cleri. excom. Mini. Sylue. Ver. Suspensio. § 1. Angel. Suspensio 1. num. 40. Armil. §. 3. Felician. Episcopus Scalensis in Enchir. de censur. cap. 3. & de suspensione cap. 9. Hanc triplicem suspensionis diuisionem communem esse, & veram testatur Nauar. in Manna. cap. 27. num. 153. Si suspensionis vocabulum generaliter sumatur, non autem accipiendo suspensionem propriè pro altera ex tribus censuris Ecclesiasticis, illamque videtur admittere D. Tho. in 2. 2. q. 100. art. 6. ad primum, & in 4. dist. 25. quæst. 3. q. 3. in corpore. In quibus locis loquens de eo, qui simoniacè contulit ordines, vel dedit, aut recepit simoniacè beneficium, asserit talem, si crimen est occultum, esse suspensum ipso Iure quoad se, si manifestum, esse suspensum quoad se, & quantum ad alios, Idem tenet Dominicus Sot. lib. 9. de iust. & iu. quæst. 8. art. 1. ad primum.

Hæc diuisio quoque non bene apatur rei propositę, & patitur incommoda. Primò quoniã in primo membro suspensionis quoad se reponitur peccatum mortale, quod suspendit hominem quoad se, ne possit exercere functiones Ecclesiasticas in ordine ad Deum. At peccatum mortale non potest dici suspensio, quæ est censura, quia non impedit tantùm vsum actiuum sacramentorum, sicut suspensio, sed etiam passiuũ, quod est argumentum, peccatum mortale non priuare functionibus Ecclesiasticis formaliter, quatenus sũt actus potestatis Ecclesiasticæ, sed vt sunt actus rei sacræ, qui ab indigno Ministro exerceri non debent. Secundò peccatum mortale non priuat iurisdictione, nec facit actionem irritam, nec obligat alios ad vitandum peccatorem, nisi ratione scandali, aut cooperationis ad peccatum vitandum, quæ omnia suspensioni conueniunt. Tertiò ille, quem vocant suspensum quoad se, si celebret, non fit irregularis; sed suspensio, quæ est censura, inducit irregularitatem, ergo peccatum mortale non potest dici suspensio, & consequenter illud primum membrum diuisionis non subsistit.

In secundo membro collocantur quædam impedimenta, quæ fundamentum habent in præsumptione, siue ignorantia aliorum, exemplum afferunt de Presbytero peregrino, qui caret literis dimissoriis sui Ordinarij, non potest sufficienti probatione testificari esse in Sacerdotij gradu constitutum, neque vllo modo ab executione suorum ordinum prohibitum, ne celebrare possit iuxta cap. Tuæ de Cleri. peregr. Vbi interdictum est, ne Sacerdos peregrinus de cuius ordinatione non constat, celebrare permittatur publicè, sed solùm occultè, quod vetitum est etiam expressè in Conc. Trid. sess. 22. in Decret. de obseruan. & vitan. in Missa, & sess. 23. cap. 16. in fine; Vbi ad hunc modum statuitur, *Nullus præterea Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii literis ab vllo Episcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur*. Ex quibus verbis infert Maiol. lib. 4. cap. 19. n. 2. Vers. Et propterea de irregul. distinctionem illam, quæ olim afferebatur à Doctoribus de Clericis peregrinis, & incognitis. nempe posse celebrare in loco occulto, non manifesto, hodie post Concilium non esse veram, quoniam prohibitio est simplex, & absoluta absque vlla distinctione, & de modo probandi ordines Ecclesiasticos agit Couar. practi. quæst. cap. 33. nu. 3. Dicunt igitur Doctores, qui inuenerunt, vel approbant hanc trimembrem suspẽsionis diuisionem in hoc secundo loco contineri eos, qui non sunt suspẽsi quoad se, sed quoad alios, nempe qui re vera nullum habent impedimentum, quo prohibeantur ab executione suorum Ordinum, & idcirco secretò, & sine scandalo celebrare possunt. Verùm quia hoc alijs non constat, sunt suspensi respectu aliorum, ideo in loco publico celebrare nequeunt. Verùm si propriè loquamur de suspensione, hoc etiam secundum membrum diuersionis non videtur admittendum. Primò quia suspensio verò est censura, & pœna Ecclesiastica, quæ sua vi impedit vsum administrationis Ecclesiasticæ, sed Sacerdos peregrinus, vt persistam in exemplo, quod proponunt, nulla est censura irretitus, ergo neque dici potest suspensus. Et confirmatur, suspensio non incurritur absque culpa, sed Sacerdos peregrinus, vt talis, nullius culpæ reus est: quare non est dicendus suspensus. Quòd si Ecclesia vetuit, ne talis admittatur ad celebrationem, non id prohibuit, quòd velit eum esse suspensum, idest censura Ecclesiastica illaqueatum, sed solùm ad euitanda scandala, & pericula, quæ frequenter contingere possent, si huiusmodi Sacerdotis absque notitia authentica, & probatione suorum Ordinum ad celebrandum admitterentur. Secundò eo ipso, quòd asserunt aliquem dari posse suspensum, quoad alios non quoad se coguntur fateri hanc speciem suspensionis non esse veram suspensionem. Vera enim censura afficit ipsum legatum; neque fieri potest, vt aliquis sit illaqueatus in foro exteriori quoad alios, nisi etiam sit talis in foro conscientiæ quoad se, quamuis accidere possit, vt quis apud hominum opinionem reputetur talis, sicut diximus de excommunicato, non erit tamen ligatus. Quare talis suspensio non erit vera, sed putata; Ergo non videtur numeranda inter species veræ suspensionis.

Quamobrem remaneret solùm tertium membrum, quod ad censuram suspẽsionis significandam pertinet, quæ hominem ratione sui, & ratione aliorum ab vsu Ecclesiasticarum functionum prohibet.

Possent autem ad rationem veræ suspensionis accomodari huiusmodi membra, præsertim primum, & tertium iuxta Extrau. Ad euitanda si ita interpretaremur suspensionem secundum se, & non, quoad alios, dici; Vbi quis suspensus est non denunciatus, quia alij non tenentur vitare illum; Ipse autem debet se abstinere: Tunc verò vocari aliquem suspensum ratione sui, & aliorum, quando per denunciationem publicam declaratus est suspensus, tunc enim non tantùm ipse priuatus est vsu functionum Ecclesiasticarum, sed alijs interdicta est communicatio cum eo, sed si hoc modo declaramus hanc diuisionem suspensionis, duo absurda sequuntur. Primum erit, quod hæc diuisio non conueniet peculiariter censuræ suspensionis, sed erit communis excommunicationi, vt vidimus in materia de excommunicatione, & ideo ex illa non possumus colligere species proprias suspensionis, quæ ex eius ratione formali oriuntur. Secundum erit, quòd tunc diuisio erit bimembris tantum, neque reperiri poterit suspẽsio vera, quæ reddat hominem illaqueatum quoad alios tantum, non quoad se, sed erit solum putata, & imaginaria suspensio.

Quarta est diuisio suspẽsionis principalior, communior, & ab omnibus approbata, vt suspensio alia sit ab officio, alia à beneficio. Addunt aliqui, vt Nau. in Manua. cap. 27. nu. 154. Tertiam ab vtroque, scilicet officio, & beneficio. Per officium intelligitur tam officium Ordinis, quam Iurisdictionis Ecclesiasticæ. Per be-

neficium ſignificantur dignitates, Canonicatus, beneficia, ſiue curata, ſiue ſimplicia, & alia huiuſmodi. Tertium membrum à quibuſdam non admittitur, quia ſuſpenſus ab officio, & beneficio non eſt vna cenſura formaliter, ſed ſunt duæ diſtinctæ, vel potius duo modi formaliter diſtincti eiuſdem cenſuræ, qui aliquando ſimul iunguntur materialiter, cùm imponuntur eidem perſonæ, ſicut ſi lex idem crimen ſub duplici cenſura, nempe excommunicationis, & ſuſpenſionis prohiberet propter grauitatem delicti; Ita dicendum eſt de ſuſpenſione ab officio, & beneficio ſuo modo (minor enim eſt diſtinctio inter vtramque ſuſpenſionem, quia conueniunt in ratione formali ſuſpenſionis generaliter ſumptæ, quam inter excommunicationem, & ſuſpenſionem, quæ ſunt duæ cenſuræ ſpecie diſtinctæ) etiamſi collectiuè ſumantur, & ſuos effectus coniunctim operentur, nec poſſunt vnam totalem cenſuram ſpecificam conſtituere, quamuis hæc controuerſia magis ſpectet admodum loquendi, quam ad rem ipſam.

Hæc diuiſio ſuſpenſionis in eam, quæ eſt ab officio, & in eam, quæ à beneficio ſuſpendit, mihi conuenientior videtur & aptior: Primò quoniam hæc deſumitur ex ratione formali, quæ in ipſa ſuſpenſione conſiderari poteſt, & hæc attenditur in ordine ad effectus proprios ipſius, nempe ad priuationem illorum bonorum, quæ vi ſuſpenſionis impediuntur, & licet materialiter ferè eadem ſint cum illis bonis, quæ per excommunicationem, & Interdictum tolluntur; tamen differunt ratione modi, quo hæc bona tolluntur, vt dixi in primo cap. Effectus autem proprius ſuſpenſionis eſt impedire, ne Miniſter Eccleſiæ vtatur poteſtate Eccleſiaſtica, & ne functiones eccleſiaſticas exerceat, vt patet ea definitione ſuperius tradita, ergo omnes effectus ſuſpenſionis reducuntur, vel ad impedimentum officij, accipiendo officium generaliter, vel ad impedimentum beneficij, ſicque diuiſio hæc erit quaſi formalis. Aliæ diuiſiones, quę traduntur, ſunt magis extrinſecæ, & accidentales, quæ ſumuntur ex poteſtate requiſita in ſuſpendente, vel ea duratione, & tempore, quo ſuſpenſio eſt permanſura, vel ex parte eorum, qui ſuſpenduntur, vt videbimus. Secundò hæc diuiſio ſuſpenſionis deducitur ex ipſo Iure; nónunquam enim reperitur ſuſpenſio lata ab officio, interdum à beneficio, In cap. Sanè 2. de off. deleg. Vbi Epiſcopus ſuſpenditur ab officio ſacerdotali, & in cap. 2. eod. tit. lib. 6. Similiter Epiſcopo primo ingreſſus Eccleſiæ, vel Sacerdotale miniſterium interdicitur; Deinde ab officio ſuſpenditur, & ſucceſſiuè aggrauantur pœnæ, vbi obiter illud notandum eſt, vt animaduertit Gloſ. in dicto cap Sane Ver. Officium, plura complecti ſuſpenſionem ab officio ſimpliciter, quàm à miniſterio, ſeu officio Sacerdotali. Quare quando coarctatur ad officium ſacerdotale, eſt ſpecialis ſuſpenſio, tuncque ſuſpenſus ea exercere poterit, quæ ad officium ſacerdotale non ſpectant, quia officium ſimpliciter dictum latius patet, quàm officium ſacerdotale. Item in cap. Quia in omnibus in fi. De Vſur. ſermo habetur de ſuſpenſione ab officio, donec reus ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat, In Clem. 1. §. penult. De Hæret. De ſuſpenſione ab officio ad triennium, In Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in Clement. 1. de Deci. imponitur ſuſpenſio ab officijs, adminiſtrationibus, & beneficijs, donec deſtiterint, & ſatisfecerint. De ſuſpenſione à beneficio agitur in cap. Cum in cunctis §. fin. de elect. Vbi fertur ſuſpēſio à beneficijs eccleſiaſticis ad triennium, In cap. Nihil eod. tit. à perceptione proprii beneficii fertur ſuſpenſio. In Clem. 2. De Vi. & Honeſt. Cleri. Clericus, qui virgata, vel partita veſte publicè vtitur, per ſex menſes à perceptione fructuum ſuorum beneficiorum ſuſpenditur; In cap Tuarum prope fi. De Priuileg. exemplum habetur de ſuſpenſione ab officio & beneficio, ſicut etiam in Clemen. 1. de Deci. & alibi frequenter in Iure exempla ſuſpenſionis ab officio, vel à beneficio reperiuntur. Tertiò ad idem probandum facit, quòd ſuſpenſio, vt ex definitione tradita conſtat, afficit perſonas Eccleſiaſticas, vt tales ſunt, & non eſt communis Clericis, & Laicis, ſicut Excommunicatio, & Interdictum. Verùm Eccleſiaſticæ perſonæ poſſunt tantum ſuſpendi ab officio ſiue à beneficio, quatenus Eccleſiaſticæ ſunt: Ergo duæ tantum eſſe poſſunt ſuſpenſionis ſpecies, quæ ex formali ratione eius colliguntur.

Vtraque verò ſpecies ſuſpenſionis poteſt ferri totaliter, & integrè atque etiam partialiter. Vocatur integra ſuſpenſio, quæ priuat omnibus actibus, vel fructibus, quibus poteſt Eccleſiaſtica perſona per ſuſpenſionem à beneficio, vel officio priuari. Dicitur partialis, ſi impedit ab aliquibus actibus, & fructibus, & iuxta hunc ſenſum non eſſet omnino reiicienda diſtinctio illa ſuſpenſionis in Maiorem, & Minorem ſuſpenſionem tradita ab Abb. cuius ſuperius memini, ſi ita illam intelligamus, vt maiorem ſuſpenſionem appellemus illam, quæ priuat totaliter officio, aut beneficio, minorem verò, quæ impedit partem officii, aut beneficii; Quemadmodum excommunicationem maiorem vocamus, qua fidelis omnibus bonis omniue communicatione exuitur. Minorem autem, quæ reiicit ab aliquibus bonis, ſcilicet receptione Sacramentorum; Iuxta hanc declarationem vna ſuſpenſio dici poteſt Maior, altera Minor in eadem ſpecie ſuſpenſionis, ſed ſimpliciter, & abſolutè vtraque ſuſpenſio eſt maior, tum illa, quæ eſt ab officio, ſicut illa, quæ ſuſpendit à beneficio, ſicut quamuis vnum peccatum mortale ſit maius alio, quodlibet tamen per ſe, & abſolutè conſideratum graue eſt. Quamobrem illa diuiſio ſuſpenſionis in maiorem, & minorem explicari poſſet, vt per maiorem ſignificaretur totalis ſuſpenſio, per minorem partialis modo declarato. Tamen quia inter partiales ſuſpenſiones etiam quædam ſunt, quæ quamuis reſpectu totalium ſint minores, tamen ſimpliciter ſunt magnæ, & graues, vt conſtabit ea iis, quæ dicam de hac diuiſione totalis, & partialis ſuſpenſionis. Idcirco etiam iuxta hanc intelligentiam non videtur conueniens illa diuiſio in maiorem & minorem, quoniam quælibet poena in vnoquoque genere, ſi ad diuerſa comparetur, poterit dici maior, & minor: Tunc eſſet conueniens diuiſio, ſi per ſe, & abſolutè nō reſpectiuè altera eſſet maior, altera minor, ſicut illi duo termini accipiuntur in cenſura excommunicationis, in qua Excommunicatio minor per ſe habet quoſdam certos, & definitos effectus. Similiter Excommunicatio Maior habet a Iure præſcriptos effectus plures, quàm excommunicatio minor. In Cenſura autem ſuſpenſionis non poteſt aſſignari aliqua ſpecies, cuius effectus, & quaſi certa eſſentia ſit ab ipſo Iure definita, intra cuius limites ſuſpenſio minor dicatur, & omnis alia ſit maior, ſolum id conſiderari poteſt in genere ſuſpenſionum partialium at aliquæ ſiot, quæ prudenti æſtimatione leues poenæ cenſeri poſſint; Vel quia impediunt functiones infimas, aut priuant exiguis, & modicis fructibus, & prouentibus: Vel imponūtur ad breuiſſimum tempus. Hinc inferri poſſet non ineptè, licere ſuſpēſionem omnem, quę ob peccatum

earum lethale tantum imponitur, maiorem vocare, illam vero minorem, ad quam incurrendam culpa venialis sufficit. Sed in hoc sensu hæc diuisio à nemine intelligitur & præterea non desumitur ex ratione formali suspensionis, quam habet à Iure, sicut oritur diuisio in suspensionem ab officio & beneficio.

Concludendum est igitur duas esse species suspensionis magis proprias & intrinsecas, quæ colliguntur ex ordine ad effectus, quos suspensio parit, altera est ab officio, altera à beneficio, & vtraque est grauis pœna, quamuis secundum veram rei æstimationem leuior sit suspensio à beneficio, quàm ab officio, tamen iuxta communem & vulgatam hominum opinionem hæc maior censetur, quia licet spiritualia bona maiora sint, hominibus tamen difficilior esse solet priuatio temporalium, vel quia sensibus magis percipiuntur, vel quia eorum iactura minus est reparabilis, sed suspensio à beneficio priuationem temporalium bonorum affert, idcirco grauior vulgo reputatur.

Quòd si volumus suspensionem in omnes modos tam formales & intrinsecos, quàm materiales & extrinsecos generaliter diuidere, tunc quamplures recenseri poterunt suspensionis species, de quibus agit Sylue. Ver. suspensio §. 1. & alij Summistæ post Glos. quæ in particulari singulas recenset in Clem. Cupientes de pœn. Possunt tamen rectè ad tria capita reuocari. Primum erit ex parte priuationis spiritualis boni, ad quod persona Ecclesiastica potestatem habet, & cuius vsu priuatur per suspensionem. Secundum ex parte auctoritatis & potestatis illius, à quo suspensionis sententia fertur. Tertium ex parte temporis & durationis, ad quam suspensio extenditur.

Ex parte temporis diuiditur suspensio in perpetuam & temporalem. Perpetua dicitur, quæ pronunciatur in perpetuum sine vlla temporis definitione, quod duobus modis accidere potest. Primo vbi quis suspenditur simpliciter, & indefinitè nullo adiuncto verbo, quod exprimat & declaret suspensionem perpetuam. Secundo modo, si suspenditur verbis denotantibus perpetuitatem, nam vt inquit Sylue. Ver. suspensio §. 1. Paria sunt suspendere aliquem simpliciter, & suspendere in perpetuum, nam quando simpliciter aliquis suspenditur, nulla apparet ratio præfigendi vnum terminum magis quam alium, & hæc diuisio propriè cadit in suspensionem, quæ habet rationem pœnæ. Suspensio enim, quæ censura medicinalis dicitur, non habet absolutam durationem, sed conditionatam, vt monui in primo capite, scilicet donec resipiscas. Temporalis suspensio dicitur, quæ ad certum & limitatum tempus imponitur, vt ad annum, per mensem, aut simili modo.

Potest autem discrimen assignari inter illos duos modos suspensionis perpetuæ, vt illa suspensio, quæ pronunciatur simpliciter, non expresso verbo perpetuitatis in sententia, verè retineat nomen suspensionis, illa autem, quæ in perpetuum expressè profertur, potius sit vocanda depositio, vnde Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. vt dixi in capite primo asserit suspensionem in perpetuum tantummodo fieri debere, vt solum vim habeat priuandi parte aliqua officij, vel beneficij, non autem in totum, quia si integrè & totaliter priuaret, nihil differre videretur à Depositione.

Sed licet in lege vel sententia imponeretur pœna suspensionis simpliciter ab officio, vel beneficio in perpetuum, adhuc verè vocaretur suspensio, quæ materialiter conueniret cum depositione, sed ab ea dif-

A ferret formaliter, quia depositio non est pœna, sicut esset hæc suspensio, de qua loquimur, sed dicitur canonicum impedimentum, vt probaui lib. 1. Disput. 1. cap. 2. & 3. neque respicit propriè vindictam peccati, sed bonum commune, cuius gratia Ecclesia sanciuit non expedire, vt homo, qui deponitur, exerceat officium spirituale, quod nonnunquam sine ipsius culpa accidere potest, vt ostendam suo loco. Vnde Couar. etiam in Epitom. lib. 4. par. 2. cap. 6. num. 15. admittit posse dari suspensionem ad tempus, vel in perpetuum.

Secundo ex parte auctoritatis & potestatis, qua suspensio imponitur, diuidi solet, suspensio in latam à Iure, vel Canone, & latam ab Homine, vt tradūt Sylue. Ver. suspensio §. 1. & Nauar. in Manua. cap. 27. nu.
B 154. & alij omnes, quæ diuisio est communis omni censuræ, est de excommunicatione dixi in lib. 1. Disput. 2. cap. 5. Qua in re illud est animaduertendum, suspensionem, quatenus est Censura, sicut etiam aliæ duæ censuræ, siue imponatur à Canone, siue ab Homine, ad potestatem Ecclesiasticam fori exterioris & contentiosi pertinere, & ideo ad hanc suspēsionis speciem reduci non posse suspensionem illam, quæ aliquando in foro interiori Pœnitentiæ imponitur à Confessario pœnitenti in vindictam & pœnam peccati commissi, hæc enim suspensio non est Censura, neque continetur sub latitudine suspensionis, de qua modo agimus. Et ex eo patere potest, quòd si quis contra il-
C lam agat, non contrahit Irregularitatem, neque incurrit aliam pœnam, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. Maiol. lib. 3 de Irregul. cap. 19. num. 23. Vers. Decima quinta declaratio, & expressè ita notat Glos. in cap. Is qui, Ver. In iure de sent. excom. lib. 6. & idcirco non inducit Irregularitatem, vt inquit Maiol. quoniam est suspensio Dei, non hominis.

Tertio ex parte priuationis boni, quod per suspensionem tollitur, diuiditur suspensio in eam, quæ est ab officio, & in suspensionem à beneficio, vt dixi, & hæc est magis essentialis & intrinseca. Per officium intelligitur omnis potestas spiritualis ad aliquem actum exercendum, siue ordinis siue Iurisdictionis, siue sola
D sit administratio Ecclesiastica. Administratio enim ordinum officium quoddam est, & nomine officij significatur in Iure, vt patet ex locis citatis, vnde in c. Perlectis dist. 25. enumerantur officia Ecclesiastica, & primo loco recensentur sigillatim omnes Ordines vnà cum actibus eorum. Similiter potestas Iurisdictionis rectè officium nuncupatur Ecclesiasticum, vt habetur ex eod. cap. Perlectis, immo in Iure Canonico extant integri tituli de off. ordin. Delegati, Legati, Vicarij, & de similibus officijs Ecclesiasticis, quorum est Iurisdictionem exercere. Sub genere quoque officiorum Ecclesiasticorum continentur alia ministeria, vt officium Primiceri, Thesaurarij, Custodis, & similia, quæ enarrantur in eod. c. Perlectis, & eorum munera & functiones declarantur, & in extrau. vni. de
E reb. Eccles. non alienan. inter communes à Paulo II. Alienantes bona Ecclesiarum contra tenorem illius Constitutionis suspenduntur à regimine & administratione Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsident in spiritualibus & temporalibus. Nomine autem beneficij significatur Ius perpetuum percipiendi fructus Ecclesiasticos virtute alicuius tituli spiritualis, quæ omnia clarius & distinctius elucidabuntur cum suis locis de eisdem magis specificè pertractabimus.

CAPVT IV.

De qua suspensione intelligere debeamus, quando absolutè à Canone, vel ab Homine suspensus aliquis pronunciatur.

QVoniam duobus modis præcipuè potest quis suspensionis vinculo obstringi, vt superiori capite demonstratum est, meritò inquirendum est, si quis simpliciter, & absolutè suspendatur nulla adhibita clausula, qua declaretur, de qua suspensione sermo habeatur; An talis intelligatur suspensus ab officio, vel a beneficio, aut ab vtroque. Similem quæstionem disputauimus in materia de Excommunicatione; Au simpliciter excommunicatus maioris, vel minoris excommunicationis vinculo obstrictus habeatur. Exemplum huiusmodi suspensionis simpliciter latæ sine vlla nominatione officij, aut beneficij desumi potest ex cap. Sanè 2. De off. deleg. ibi: *Secundum qualitatem facti poterit, vel Interdicti, vel Suspensionis sententia à Iudice delegato compelli*; In cap. Cum bonæ De æta. & qualit. *In eos fecit sententiam suspensionis promulgari*. Item in Clem. 1. §. Quibus in fi. de Priuileg. *Suspensionis sententiam vsq; ad satisfactionem debitam eo ipso incurrant*.

Quidam existimant id, quod in hac quæstione supponitur nunquam reperiri in Iure, neque etiam dari posse in sententia hominis, vt quis suspendatur simpliciter sine vlla explicatione ab officio, vel beneficio, vel vtroque, & idcirco frustra disputari, de qua specie suspensionis huiusmodi censuræ forma sit intelligenda, cum hic modus ferendi suspensionem non sit in vsu. Ad cuius confirmationem facit argumentum in simili difficultate desumptum ab excommunicatione. Nam sicut in excommunicatione Ius declarauit de Maiori excommunicatione intelligendam esse sententiam, qua simpliciter quis excommunicatur sine expressione Maioris, vel Minoris excommunicationis, cap. penult. De sent. excom. pari modo idem explicasset de suspensione, quod cum minimè factum videmus conijci potest fuisse hoc prætermissum, quoniam sub hac forma suspensio nunquam ferri possit. Verum hæc ratio non videtur probabilis, & efficax ad hoc probandum; Immo non minus valet ad concludendum oppositum, nempe ex declaratione facta in Iure de Excommunicatione, idem statui debere de suspensione; militat enim eadem ratio, cum vtraque sit censura Ecclesiastica. Quare non opus fuit, vt Ius eandem declarationem repeteret de suspensione; sicut ergo quando quis absolutè excommunicatur, intelligitur obstrictus vinculo maioris excommunicationis: Ita suspensus simpliciter erit suspensus ab officio. Suspensio enim ab officio secundum rei veritatem grauior est, quàm suspensio à Beneficio, quia maioribus, & dignioribus bonis priuat hominem, licèt vtraque moraliter loquendo, & iuxta communem sensum in suo genere sit grauis. Ergo hæc ratio magis probat hanc partem, quàm oppositam: Nam à simili valet argumentum, vt inquit Abb. cap. Constitutus num. 5. De Appell. & cap. Inter corporalia num. 18. de transalt. Prælat.

Ad exempla autem collecta ex Iure solent auctores dictæ sententiæ respondere, in illis locis non contineri suspensionem simpliciter latam, sed determinatè ab officio, vel à beneficio, vel ab vtroque, In cap. enim Cum bonæ de æta. & qualit. non imponitur aliqua suspensio, sed refertur suspensionis sententia, quam Clemens Septimus cōtra quosdam sui præcepti transgressores promulgauerat. Quare quamuis in dicto ca.

A Cum bonæ non referatur quænam suspensio illa fuerit; non tamen inde sequitur in ipsa sententia, quæ ab homine, non à Iure lata fuit declaratum non fuisse: Immo quantum ex verbis conijci potest, suspensio illa à beneficio fuit, vt patet ex illis verbis, *In qua triennio permanentes quidam ex ipsis suspensi aliud beneficium sunt adepti*. Illud relatiuum *Aliud* iuxta planam intelligentiam indicat sub illa voce, *suspensi*, tacitè subintelligendam esse particulam, *à beneficio*, In cap. Sanè 2. De off. deleg. non infligitur Censura ipso Iure incurrenda, sed imponitur Iudici, vt eam ferat. Quare cum Ius indefinitè loquatur, non declarans, de qua specie Censuræ tractet, cum Iudici præcipit, vt suspendat, videtur eius arbitrio relinquere, vt quam suspensionem expedire iudicauerit, imponat. Solet enim nonnunquam sub alternatiua committi facultas ad suspendendum ab officio, vel à beneficio arbitrio Iudicis, vt in cap. A crapula de Vit. & Honest. Cleri. & ibi notat Glos. Ver. Vel beneficio; Vel dici potest ad dictum cap. Sanè ibi sermonem haberi de suspensione ab officio, quod intelligitur ex verbis sequētibus; Textus enim inquit, *Ita quod Iudex, secundum negocij qualitatem &c.* Vel *Sacerdotale officium interdicat*. Et eodem modo dicendum est ad Clem. 1. de Priuil. nempe illam intelligendam esse de suspensione ab officio, quia Prælati Religiosorum, de quibus est sermo, non suspēduntur à beneficio, cum beneficijs careant, ergo ab officio tantum suspendi possunt, quamuis textus simpliciter, & indefinitè loquatur; nam verborum sententia capienda est ex subiecta materia, de qua tractatur, & ita intelligit Glos. Ver. Suspensionis. Quamobrem iuxta hanc opinionem non potest sententia suspensionis pronunciari simpliciter, & indefinitè, sed quilibet suspendendus est determinatè, & præcisè ab officio, vel a beneficio. Neque etiam in Iure vnquam reperitur talis suspensio indefinitè lata.

Ego tamen putarem ad hanc difficultatem ita respondendum fore. Primo Legislatorem non debere suspensionem imponere in lege, vel Constitutione indefinitè, & simpliciter, non exprimendo, de qua suspensione intelligat, idest an ab officio, vel beneficio, quia Conditor legis curare debet, vt Constitutio sit clara, & tollatur omnis ambiguitas, & perplexitas, ca. Erit autem lex d. 4. l. Aut qui §. 1. ibi, *Aut obscurè dicere*, ff. quod vi aut clam. l. Veteribus, ff. de Pact. Similiter dicendum est, vbi quis per sententiam ab Homine suspenditur, non indeterminatè suspensionis censura est innodandus, sed specificè officio, vel beneficio priuandus, quia sententia debet esse clara, & aperta, per quam causa terminetur.

Secundò dico, si sententia suspensionis hoc modo feratur indefinitè sine expressione, de qua suspensione sit sermo, neque Iudicis intentio aliquo modo percipi possit, valida est, & intelligenda est de suspensione ab officio, & a beneficio, supponendum enim est Iudicem ab vtroque suspendere voluisse, & idem existimandum est, si ad eundem modum suspensio simpliciter in lege prolata reperitur.

Probatur hoc dictum: Primò quia talis sententia, vel lex non potest intelligi de suspensione ab officio, neque a beneficio, cum non sit minor ratio de vna, quàm de alia, ergo debet interpretari de aliqua suspēsione, quæ vtramque complectatur, nam debet pœna in sententia, vel lege imposita esse determinata, neque est inconueniens, vt vnica poena constituatur in genere ex duabus speciebus diuersarum rationum.

Secundò in dubijs tutior via est eligenda; vt habetur

tur in cap. Illud, & ibi Glos. Ver. In dubijs De Cleri. Excom. Mini. Sed vbi quis suspenditur simpliciter, dubitari potest, de qua suspensione intelligatur, ergo abstinere debet tam a beneficio, quàm ab officio, & ita de suspensione in terminis notat Glos. in cap. Latores Ver. Ab officio. in fi. de Cleri. excom. Mini. Sicut quando dubitatur; An in aliquem sententia excommunicationis sit prolata, debet ille potius se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare, vt dicitur in d. cap. Illud prope fi.

Tertiò idem probari potest ex verbis Extrau. Diuina De priuil. quibus profertur sententia suspensionis indefinitè, & non possunt interpretari vllo modo de suspensione ab officio, vel à beneficio tãtum, sicut conantur explicare Iura superius citata; In dictâ Extrauag. ita dicitur, *Tam in dantes, quàm in recipientes excommunicationis, suspensionis, & Interdicti lasas sententias promulgamus, quas volumus eos ipso facto incurrere.* Verba sunt clara, imponitur suspensio simpliciter per modum vnius Censuræ, sicut excommunicatio, & Interdictum. Neque ex antecedentibus, vel consequentibus, aut ex materia, vel personis percipi potest tacitè, de qua suspensione sit sermo, quia omnia, quæ ibi dicuntur, indifferenter tam ad suspensionem ab officio, quàm a beneficio aptari possunt, ergo de suspensione ab vtroque intelliguntur; Quod enim aliqui inquiunt Nomine suspẽsionis simpliciter sumptæ intelligi debere suspensionem ab officio, quasi illa sit præcipua species, videtur carere ratione; Nam vtraq; est species principalis tam suspensio ab officio, quàm a beneficio, & sunt inuicem distinctæ, vt vna non includatur sub alia, quod colligitur ex tex. in cap. vni. De his, quæ vi, metuſue cap. fi. lib. 6. Vbi Gregorius X. declarat absolutionem ab excommunicatione, suspensione, vel Interdicto per vim extortam nullius esse roboris, vbi nomine suspensionis simpliciter, intelligit de vtraque suspensione, non solum de illa, quæ dicitur ab officio, sicut voce excommunicationis, & Interdicti omnes species harum censurarum includere intendit, & ita notat ibi Glos. Ver. Suspensionis. Immo Extrau. illa Diuina, de Priuil. si esset explicanda de altervtra specie suspensionis potius intelligi posset de suspensione a beneficio ratione materiæ, & causæ, propter quam fertur; Nam ibi suspenduntur quidam recipientes beneficia quædam malè collata, & ea conferentes, ergo meritò censeri possunt suspendi a beneficiis, Nam vnusquisque conuenienter in eo puniri debet in quo deliquit argumento cap. Si compromissarius de elect. lib. 6. Tamen, quia saltem ille, qui contulit illa beneficia, in officio suo peccauit, verisimile est fuisse etiam suspensum à collatione beneficii, quæ est suspensio ab officio.

Quartò hoc idem confirmari potest exemplo excommunicationis; Nam si excommunicatio simpliciter prolata intelligitur de illa, quæ producit integrũ, & totalem effectum excommunicationis, & vocatur maior, vt dicebam initio capitis, nam in excommunicatione maiori includuntur quoque effectus Minoris excommunicationis; Ita quoque censendum est suspensionem indefinitè prolatam sine vlla specificatione, accipienda esse de illa, quæ operatur totũ effectum suspensionis, quem habere potest; & idem locum habet in Interdicto. Itaque si in illa Extrauag. Diuina de Priuileg. Et in cap. vni. De his quæ vi metuſue cap. fin. & in alijs locis, in quibus sermo habetur de excommunicatione, suspensione, & Interdicto; Excommunicatio, & Interdictum vniuersaliter accipiuntur, vt com-

A plectantur omnes species, quas habent. Ob eandem rationem suspensio intelligenda est generaliter pro suspensione ab officio, & beneficio, vt producat omnem effectum, quem parere potest suspensio. Difficultati ergo propositæ hoc modo satisfaciendum esse censeo.

Quæret aliquis, si Episcopus Clericum suspenderet sub hac forma: Suspendo te ab officio, vel beneficio, nunquid ab vtroque abstinere debeat.

De hac difficultate pertractaui in lib. 3. Disp. 9. cap. 3. Vbi disputaui, An sententia excommunicationis lata sub disiunctione sit valida, Glos. in cap. Latores Ver. Ab officio de Cleri. Excom. Mini. proponit hanc dubitationem; Et primò respondet huiusmodi sententiam disiunctam intelligendam esse de vtraque suspen-

B sione, quia in dubio tutior pars est eligenda: Et dictio illa, *Vel*, accipienda est, vt habeat vim coniungendi hoc in loco, vt sententia teneat, & non reddatur nulla, sicut in simili notat Glos. in cap. In calicem prope finem, de Consecr. d. 2. ibi, *Sanguine Christi pacificata sunt omnia, vel in Cælo, vel in Terra*; explicat enim vocem illam, *Vel*, pro *Et*, l. Si is qui ducenta §. fin. ff. De reb. dub. E contra propter eandem rationem incertitudinis Glos. opponit talem sententiam suspensionis sub distinctione dici posse inualidam, & nullam, & neque ab officio, neque à beneficio suspendere, arg. l. duo sunt, ff. de Testam. tut. Vbi incertitudo rei vitiat actũ, & l. Cum ex pluribus ff. de manumiss. test. Vbi incerti-

C tudo rerum, & personarum vitiat legatum. Quare Glos. hoc modo dubitat ad vtramque partem, & non soluit. Sylue. Ver. Suspensio §. 5. Vers. Aut per dictionem *Vel*, tenet ex sententia Goff. talem sententiam non valere propter incertitudinem, & eod. modo loquitur B. Antoni. 3. par. Sum. Tit. 27. cap. 4. Vers. Si suspensus est ab officio &c. Et Nauar. in Manua. cap. 27. num. 161. Vers. Quarta &c. in fi. Maiol. lib. 3. cap. 19. num. 14. Vers. Prima declaratio &c. de irregula.

Ante omnia illud hac in re obseruandum est, quod rectè monuit Bernard. Diaz in sua Pract. Crim. cap. 134. Vers. In hac insuper materia; Vt Iudices in sententia, vel præcepto suspensionis apertè declarent à

D quibus officijs, ordinibus, vel actibus, aut beneficijs intendant suspendere Clericum, quia quando constat de voluntate Iudicis, illa seruanda est; Deinde eredérem respondendum esse ad dubitationem propositam, vt dicebam in dicto cap. 3. Disp. 9. Nimirum vbi sententia suspensionis disiunctiuè pronunciatur à Iudico, quod omnino cauendum est, vt superius monebam, valere huiusmodi sententiam quoad alteram partem ex duabus, & in facultate ipsius Suspensi relinqui, vt possit eligere, an velit abstinere ab officio, vel à beneficio. Ratio huius dicti illa est, quoniam in tali casu supponendum est re vera Iudicem voluisse suspendere, itaut dicta sententia pareret effectum, & non esset

E inanis, & cum vsus sit verbis cum disiunctione, existimandum est intentionem eius fuisse committere arbitrio ipsius suspensi, vt ex vtraq; parte eligeret, quam vellet, idest abstinere se ab officio, vel à beneficio. Facit ad hoc l. Cum quidam in fine C. de verb. signif. Vbi statuitur se legatum relictum sit alicui sub hac forma disiunctiua, *Illam aut illam rem do, lego, tunc secundum veteres regulas, & antiquas definitiones vetustatis iura maneant incorrupta* &c. Vbi Glos. Vers. Incorrupta declarat Iuris antiqui dispositionem, dicens, idest, *vt hæres habeat electionem.* sic in proposita quæstione, cum fertur suspensio ab officio, vel beneficio, videtur colligi mens Iudicis fuisse velle committere arbitrio ipsius suspensi

suspensi vt eligat ex duabus partem, quam velit, sicut si Iudex aliquem ob delictum condemnat, & ad soluendum centum aureos, vel ad seruandum exilium à Ciuitate per Annum.

Hæc responsio mihi videtur probabilior, quamuis contraria, præsertim propter auctoritatem Doctorū, qui illam tuentur, sit etiam valde probabilis. Quòd si suspensio sub forma disiunctiua imponatur à lege, sicut lata reperitur in cap. A crapula in fi. de vit. & honest. Cleri. ibi, *Nisi commonitus à Superiore satisfecerit ab officio, vel beneficio suspendatur*, tunc optio tribuitur Iudici eligendi, quamcunque partem voluerit, vt inquit Glos. in dicto cap. A crapula Ver. vel beneficio, ex qua Glos. colligit ibi Abb. num. 4. iuxta sententiam Ioannis And. quòd in pœnis alternatiuis optio B datur Iudici, quando verba legis diriguntur ad Iudicem vt si dicat, puniat tali, vel tali pœna, sed si verba respiciat reum, tūc relinquitur electio arbitrio ipsius Rei, vt si vtatur hoc modo loquendi, soluat mille, exhibeat medietatem bonorum, vel simili modo. Sed dubium est, vbi oratio est impersonalis, & Constitutio loquitur simpliciter, puta: suspendatur ab officio, vel beneficio, Amputetur manum, vel soluat mille, quo casu inquit Abb. Bartholum inclinare in fauorem Rei vt detur ei optio. Oppositum sentit Abb. nempe ad Iudicem spectare ex duabus pœnis alternatiuis eligere eam, quam magis expedire iudicauerit. Atque hæc in genere dicta sint de definitione suspensionis, de eius speciebus, & de differentijs ab alijs Censuris.

CAPVT V.

An Pœna suspensionis lata ipso Iure in Transgressores legis consuetudine tolli, & abrogari queat.

QVærimus, an stante consuetudine contraria alicui Canoni, vel statuto, in quo continetur pœna suspensionis contra illius transgressores, & idem est de excommunicatione, si quis non pareat Canoni, aut statuto, remaneat vinculo suspensionis obstrictus. Duæ autem difficultates inuoluuntur sub hac quæstione. Prima est, an Canon Summi Pontificis, vel statutum Episcopi, aut alterius Prælati constituens ipso Iure pœnam suspensionis, vel excommunicationis in transgressores consuetudine contraria abrogari possit. Secunda est, an consuetudine tolli possit huiusmodi pœna suspensionis aut excommunicationis statuto vel Canone non sublato per consuetudinem, sed adhuc vim suam & auctoritatem habente.

Quoad primam dubitationem dicendum est duas fuisse Doctorum opiniones. Prima fuit aliquorum sentientium talem Canonem, vel statutum consuetudine non posse tolli, vt refert Sylue. Ver. Consuetudo §. 17. & Ang. eod. ver. no. 10. Probant, quia lex positiua præceptiua ab initio obligauit transgressores ad peccatum mortale, quare per non vsum non tollitur eius dispositio, qoia tempus non potest tollere obligationem legis. Secundo licèt consuetudo vim haberet tollendi legem, quæ præciperet transgressores certa aliqua pœna corrigi debere per Iudicem tamen aliud est in lege apponente pœnas ipsofacto, qui enim hanc legem violat, statim incidit in pœnam inflictam in cap. Audiuimus 24. q. 1. Tertiò alia videtur ratio delegata in fauorem priuatum, quæ sicut pacto & renunciatione, ita consuetudine abrogari potest, quia habet vim priuilegij, l. de quibus ff de leg. Sicut enim subditi possunt renunciare priuilegio per Constitutionem à Sede Apostolica confirmato, quod eorum fauo- A rem respicit, cap. Cum accessissent de Constitut. vbi Abb. nu. 2. Felin. nu. 5. Idem Abb. in cap. Si de terra num. 5. de priuileg. Ita huiusmodi Constitutio potest per contrariam consuetudinem abrogari. Verum longè diuersa ratio est, si Constitutio emanauerit in Dei honorem, aut fauorem publicum, tunc enim non tollitur per contrarium vsum, sed requiritur sententia & consensus Papæ, ex quo inferri possit mentem & voluntatem eius esse, vt lex illa amplius non obligat ad obseruationem. Sed supposita Papæ ignorantia nulla consuetudo videtur sufficiens & valida ad abrogandam Constitutionem Pontificiam. Quartò quidquid sit de legibus Imperatoris & quorumlibet aliorum Principum secularium, an fine consensu Imperatoris vel aliorum Principum, à quibus editæ sunt, tolli possint per contrariam consuetudinem. Certè de Pontificijs Constitutionibus asserendum esse videtur nō posse abrogari per non vsum subditorum, aut per contrariam consuetudinem, quantauis temporis continui diuturnitate corroboratam absque expressa & positiua licentia Papæ atque consensu, qoia Principum secularium leges hac conditione tacita ferri videntur, vt vim habeant, si vsu fuerint receptæ, sin minus omni validitate eareant, vt habetur enim in Instit. de iu. natu. gent. & Ciuil. §. sed & quod, populus transtulit suam potestatem in Principem, ergo Princeps non obligat sibi Populum, nisi ex tacito ipsius populi consensu, at verò Romanus Pontifex suam potestatem proximè accepit à Christo Domino, & ideo suis legibus populum Christianum adstringit absque vllo ipsius populi tacito consensu, sed sola Christi Domini auctoritate accepta. Cęteri Ecclesiarum Præsules C suis statutis plebes sibi co mmissas alligant Romani Pontificis auctoritate, ex consequenti Pontificię Constitutiones abrogari nequeunt per contrariam consuetudinem fidelium, nisi accedat expressa scientia & consensus Papæ, qui declaret velle, vt eius Constitutio non habeat vim obligandi.

Alia opinio communior, & verior est aliorum dicentium Canonem Pontificium spatio quadraginta annorum abrogari posse, statutum autem Episcopi, D sicut etiam legem Ciuilem, Decennio. Ita sentit Card. in prohem. Ciement. Ver. Vniuersitatis n. 3. Innoc. in c. 1. Abb. ibi num. 4 Felin. nu. 21. de Treg. & Pa. Sylu. & Ang. locis citatis, Glos. in c. vli. Ver. Legitimè de Consuet. & ibi Abb. num. 11. Nauar. in cons. 1. de Consuet.

Illud hoc in loco supponimus Consuetudinem posse legem abrogare, nam Superior, qui legem condidit, potest illam tollere vel verbo vel facto, quod enim quis opere foris præstat, intus mente probare censetur, verbo dicitur veterem legem abrogare, si nouam promulgat priori repugnantem, facto eum subditos transgressores suæ legis pœnis coercere potest, & nihilominus nullam infert pœnam, sed permittit eos lō- E go temporis interuallo liberè contra legem operari, tali enim permissione declarat voluntatem suam esse tollere talem legem, quare sicut verbali promulgatione legem proponit seruandam, ita ex permissione & tolerantia eorum, qui in legem delinquunt subditorum consuetudinem pro lege recipere videtur; quare consuetudo eo tantum à lege differt, quòd lex scripto proponitur, consuetudo autem vsu, ideo Isidorus lib. 5. Ethimologiarum cap. 2. & refertur c. Consuetudo d. 1. Dixit consuetudinem esse ius quoddam moribus institutum, quod pro lege accipitur, hoc supposito probatur hæc opinio.

Con-

Consuetudo legitimè præscripta habet vim tollendi legem positiuam, & clarissimè definitum est in c. fin. de consuet. his verbis, *Licèt etiam longeuæ consuetudinis non sit vilis auctoritas; non tamen est vsque adeò valitura, vt vel Iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* At consuetudo potest induci contra Constitutionem Summi Pontificis inferentem suspensionis, aut excommunicationis pœnam ipso iure, quæ sit rationabilis, vt supponitur, idest sine peccato; Et ad hoc dignoscendum tradit ibi Glos. Ver. Rationabilis tres regulas, ergo si erit legitimè præscripta, huiusmodi Canonem abrogare poterit. Præscripta autem dicitur contra Constitutionem Pôtificiam spacio quadraginta annorum, Glos. in dicto cap. fin. Ver. Legitimè, & Abb. ibi n. 11. cap. Non est, de consuet. lib. 6. Sylue. Ver. Consuetudo, §. 6. Felin. in cap. 1. num. 11. de Treg. & Pa. Nauar. de consuet. cons. 1. Contra statutum verò dicitur præscripta si spacium decem annorum côtinuum pertranseat, sicut etiam contra legem ciuilem; Longum enim tempus in Iure Ciuili est decenniû. l. vlt. C. de præscrip. long. temp. & sic sensisse Bartholum, & Cin. ait Abb. in cap. vlt. num. 11. de consuet. Sylue. Ver. Consuetudo. §. 4. Felin. in cap. 1. num. 21. de Treg. & Pac. & citat plures. Hoc autem tempus requisitum à Iure ad confirmandam consuetudinem præscriptam incipit computari ab ijs, qui sine peccato incipiunt contra legem facere; Ex quo efficitur, vt à primis, qui contra legem vsu receptam consuetudinē inducere incipiunt, præscriptionis tempus computari nequeat, quoniam illi primi contra legem facientes delinquunt, ideo ab illis non est tempus supputandum, cùm enim ad præscribendum requiratur titulus, vel quasi titulus, talis autem iustus esse non possit, nisi omni culpa, & peccato vacet, sequitur tempus præscriptionis numerādum esse ab ijs, qui successerunt illis primis, quorum exemplum ipsi secuti bona fide legem non seruant, nec debent existimare priores peccasse. Et tunc, quando tempus præscriptionis contra legem incipit computari, incipit quoque consuetudo esse rationabilis, quia est cum bona fide, & iusta causa. Toto autem tempore, quo præscribitur aduersus legem, ius est & auctoritas penes Principem compellendi populum sibi subiectum ad ipsisis legis obseruationem, tametsi populus legem non seruans minimè delinquat.

Si quæras, quo Iure Princeps valeat populum absq; peccato legem non seruantem punire, dicendum est, toto tempore, quo consuetudo contra legem inducitur, subesse tacitam conditionem inter Principem, & populum, vt qui contra legem faciant, plecti possint. Sed quando elapsum est tempus legitimę præscriptionis, Princeps non potest populum punire, si legem non seruet, quia per consuetudinem præscriptam lex est abrogata, licèt denuo eadem lex à Principe sanciri possit.

Sed dubitari potest, An consuetudo legitimè præscripta possit abrogare legem, si lex expressis verbis consuetudinem improbauit, & damnauit: quod est quærere, An per legem, quæ consuetudinem tollit, sublata censeatur præterita tantùm consuetudo, an etiam futura.

Respondeo, in hac quæstione duas reperiri opiniones. Prima est communi consensu Iurisperitorum recepta, quam sequitur Domin. Sot. lib. 1. de Iust. & Iu. quæst. 7. art. 2. putans eiusmodi lege etiam consuetudinem futuram non solùm preteritam tolli. Quod probat, quia consuetudo contra legem vim non habet nisi consensu Principis expresso, vel tacito. Sed quando lex expressim tollit, damnat, vel improbat consuetudinem contrariam, vt si dicat nihil obstante consuetudine contraria; expressus est Principis consensus, ne consuetudo vim habeat; ergo lex non solùm præteritam consuetudinem, sed futuram etiam abrogat. In hanc eandem sententiam citantur à Couar. lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. num 3. & 4. Bart. Io. And. Butr. Io. Lignan. Felin. Deci. Imol. & alij. Cùm enim lex semper loquatur. l. Ariani. C. de Hæret. huiusmodi lex semper consuetudinem damnat. Secunda opinio est aliorum asserentem posse consuetudinem induci, quamuis sit per legem semel sublata. Ita tenet Couar. loco cit. Quare non erit obligatus quis seruare eam Constitutionem, quæ consuetudine legitimè præscripta fuerit abrogata, quamuis in Côstitutione apposita esset clausula: Non obstante quacunque consuetudine, quia potest ex noua causa verisimiliter non cogitata, aut ex antiqua non cognita, cum lex ferebatur, introduci, & citat ad hoc Glosam in Clem. Statutum Ver. Consuetudine de elect. quam sequitur ibi Imol. Abb. in capit. vlt. num. 24. de consuet. & in cap. 2. num. 8. de probat. qui ad hoc probandum dicit argumentum optimum desumi ex l. Si hominem. ff. Manda. & ex notatis ibi à Bart. asserente ex noua causa posse procuratorem generalem inhibere speciali, ne procedat ad iniunctum sibi mandatum. Et ad idem facit, quod notauit Bal. in l. Omnes populi. ff. De Iust. Iu. Idem Abb. consil. 7. col. vlt. Vers. Et ego puto lib. 2. & in cap In Lateranensi num. 1. de præben. Card. in dicta Clem. Statutum num. 5. Vers. Vel secundò solue, de elect. Bald. in l. vlt. C. de Pact. Pign. Roman. Singul. 180. Ias. in l. Si mihi & tibi. §. In legatis. ff. de leg. 1. Anchar. consil. 51.

Hæc opinio videtur probabilior, quæ communiter approbatur, & potest confirmari hac ratione, qua vtitur Abb. in illo cons. 7 loco cit. Magis est attendenda ratio, & mens legis, quàm verba. l. Non dubium. C. De legi. sed inspecta intentione legis, non damnatur per legem antiquam, consuetudo denuo inducta, quia prohiberi non potuit id, quod ignorabatur, quare improbata fuit consuetudo vetus, non illa, quæ ex noua causa inducta fuit in editione legis non cogitata ex antiqua enim causa, vel noua tunc cogitata nô posset induci consuetudo contra legem expresè id prohibentem, quia potius esset dicenda antiqua consuetudo à lege reprobata prius, quàm de nouo inducta. Rursus eadem opinio confirmari potest ex cap. Si Episcopus de penit. & remiss. lib 6. Vbi dicitur, nulla consuetudine posse induci, vt quis sine sui Superioris consensu eligat sibi Confessarium, qui ipsum a peccacis absoluat, & tamen ante Conc. Trid. simplices Presbiteri sibi inuicem peccata confitebantur, à quibus absoluebantur. Tandem verba legis cum ait *Non obstante contraria consuetudine*, non habent maiorem vim, quàm ipsum Ius scriptum. Sed contra Ius scriptum potest consuetudo induci, ergo etiamsi ea verba in lege ponantur non obstante contraria côsuetudine, potest lex ipsa abrogari itaut consuetudo in posterum contra legem possit introduci. Huic etiam sententiæ adhæret Rocch. Curt. in Tract. de consuet. in paruo fol. 52. colum. quarta.

Ad hanc difficultatem ita dicendum esse putarem vnà cum Couar. loco cit. Quando lex consuetudinem damnat tanquam iniquam, & malam, vel cum Iure diuino, aut cum ratione pugnantem, aut à bonis moribus dissidentem, tunc censendum est velle improbare omnem consuetudinem, & præteritam, & futuram,

quo-

quoniam eo ipso, quod vocat consuetudinem iniquam & contra bonos mores, insinuat esse contra Ius Gentium, Naturale, vel Diuinum, & idcirco tam præteritam quàm futuram consuetudinem abrogat. Quod si lex consuetudinem tantum tollat verbis generaliter, & simpliciter propositis, puta *Non obstante quacunque consuetudine, vel quidquid in contrarium factum fuerit, inualidum sit, & nullum*, Vel si dicat specialiter *Non obstante hac, vel illa consuetudine*; In hoc casu ita consuetudo abrogatur, vt possit denuo contra legem induci. Probatur, quoniam fieri potest, vt quod certo tempore tanquam malum lege prohibetur, progressu temporis, mutatis rerum causis, & conditionibus desinat esse malum. Secundò licèt lex consuetudinem tollat simpliciter, potest contraria consuetudine antiquari, quoniam cum lex sit tantum Ius scriptum, potest vsu, & more recepto tolli; Nam licet lex reuocauerit consuetudinem, non tamen damnauit eam tanquam irrationabilem, ideo denuo induci potest, sicut si lex noua veterem legem abrogaret ex noua causa, quæ iuxta temporis qualitatem, & rerum vicissitudinem iusta legislatori appareret; Non idcirco censeretur lex antiqua tanquam mala improbata, & damnata, vt iterum non liceret, si expediens videretur ad regimen Ciuitatis illam proponere ab omnibus seruandam; Et ita satisfactum sit dubitationi propositæ.

Superest iam respondere argumentis initio propositis in confirmationem primæ opinionis. Ad primum dico magnum esse discrimen inter hæc duo, idest legem vsu non receptam non obligare, & legem semel vsu receptam consuetudine contraria abrogari. Non vsus legis appellatur Desuetudo in l. De quibus ff. de legi. & cap. 1. De Treg. & Pa. & cap. In istis. dist. 4. secundum vocatur consuetudo contraria legi. Non vsus legis est, quando promulgata lege, & elapso promulgationis tempore populus perseuerat in faciendo, quod facere ante legem solebat. Consuetudo verò contraria est, vbi recepta ab omnibus spacio legitimi temporis contraria consuetudine, & vsu abrogatur. Sed non vsus siue contraria consuetudo non extinguit vim legis ratione temporis tantum, sed ex tacito Principis consensu; Quia Princeps hac tacita conditione leges ferre videtur, vt vim habeant, si vsu fuerint receptæ, vel si non fuerint contraria consuetudine legitimè præscripta abrogatæ; Nam vt habetur in Institut. de Iure Naturali Gentium, & Ciuili §. Sed & quod, Populus transtulit suam potestatem in Principem, ergo Princeps non obligat sibi populum, nisi ex tacito ipsius Populi consensu. Vnde Grat. cap. In istis distinc. quarta, perspicuè ait, *Leges instituuntur, cum promulgantur, approbantur, cum moribus vtentium recipiuntur*. Hoc idem docent ibi Archid. Domin. Præpositus, & Turre Crem. Idem tradunt cap. primo de Treg. & Pa. Innocent. Hostiens. Ioann. Andr. Item dicitur in l. De quibus ff. de legi. *Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa non teneant, quàm quòd iudicio hominum receptæ non sunt*. Et paulò post, *Illud receptum est, quod leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum per desuetudinem abrogentur*.

Sed dicet quis, hoc, quod asserimus de tacito Principis consensu, in Desuetudine, siue in consuetudine contraria legi, locum habere posse in lege à Principe seculari, & Ciuili lata quod tamen de Pontificijs Constitutionib. dici non posse videtur, & assignant rationé differentiæ, quam explicabã quarto argumẽto,

A quoniam potestas Principis secularis deriuatur ab ipso populo, At verò Romanus Pontifex suam potestatem proximè accepit à Christo Domino, ideo suis legibus populum Christianum adstringit absque ipsius populi tacito consensu, sed sola Christi Domini auctoritate accepta. Episcopi suis statutis plebes sibi commissas obligant Romani Pontificis auctoritate.

Respondeo hanc differentiam ad rem præsentem nihil facere, quoniam Iure etiam Canonico definitum fuit Constitutiones Ecclesiasticas vim non habere, nisi fuerint vsu receptæ, vt in cap. In istis dist. 4. & c. 1. de treg. & pa. & eod. Iure statutum habetur leges ecclesiasticas tolli cõsuetudine rationabili legitimè præscripta, vt apertè dicitur in cap. fin. de consuet. & ex his satisfactum est etiam quarto argumento princi-

B pali.

Ad secundum argumentum principale respondeo per consuetudinẽ legitimè prȩscriptam abrogari posse legem ecclesiasticam, quamuis contineat pȩnã suspensionis, seu excommunicationis ipso iure, idest spacio quadraginta annorum, si fuerit constitutio Pontificia, statutũ verò Episcopi decennio, sicut probaui, ex quo fit, vt postquam consuetudo sit legitimè præscripta contrafacientes, nec Canonem, nec Statutum violent, neque ex cõsequenti vllam pœnam incurrant Qui verò antequam consuetudo fuerit præscripta, cui nõ seruant, sicut peccant, nisi aliunde excusentur, sic pȩnam suspensionis, aut excommunicationis contrahũt, quia

C est ipso Iure lata in eos, qui non obtemperant.

Remanet dissoluendum tertium argumentum, & erat, quòd nulla consuetudo videtur vim habere posse ad tollendam legem Pontificiam sine expressa Papæ scientia, & in hac difficultate maior est Doctorum dissensio. Dubitatur enim non solùm de consuetudine contraria, an valeat sine scientia Sũmi Pontificis, sed etiam de non vsu, siue desuetudine, an vt potens sit, & valida parere effectum, vt lex vsu non receptas vi sua careat, requiratur necessariò expressus Principis consensus. Et quoad vtrumque partem dubitationis est duplex opinio Doctorũ. Et primò si loquamur de desuetudine, aliqui senserunt requiri expressum Papæ cõsen-

D sum, quos refert Domin. c. In istis dist. 4. scilicet vt Papa dicat, vel innuat se legis desuetudinẽ tolerare: Alij putant sufficere tacitum Papæ consensum, & hoc est verius, ita sentit Abb. c. 1. de treg. & pa. & ibi Felin. & Domin. in dicto c. In istis dist. 4. & Balb. ab illis citatus. Hic autem tacitus Principis consensus est tantùm conditio, qua leges ponuntur; Nam hoc ipso, quòd feruntur leges, & conditione videntur promulgati, vt omnes obstringant si vsu recipiantur etiam absque vlla Principis scientia, sufficit enim hæc implicita conditio, qua leges sanciuntur, & ita sentit Domin. in dicto cap. In istis. §. leges. dist. 4. Felin. in cap. 1. num. 13. Vers. Considera secundo de treg. & pa. qui citat Cal-

E de. Imol. & Anton. Butrium, quos sequitur Nauar. consil. 1. de Constitut. quæst. 5. art. 23. Quando autem Princeps scit desuetudinem, seu non vsum legis, quia vidit legem à subditis non obseruari, neque illos punit, sed permittit, vt lex violetur sine vlla animaduersione in transgressores, tunc post duos actus, aut tres contrarios abrogatur lex, quia præsumitur tacitè Principem velle tollere legem, postquam scit illius desuetudinem, & non punit, neque opus est expectare spacium quadraginta annorum, si sit lex Canonica, vel decennium, si sit Ciuilis, sicut necesse est, cum Princeps nihil nouit de ijs, qui legem non seruant, & ita tenet Abb. in cap. 1. nu. 4. Vers. Ego sic distinguerem,

Felin. num. 21. Vers. Considera tria, & Ioan. Andr. de Treg. & Pa. Card. in Prohem. Clem. Ver. Vniuersitatis, Sylue. Ver. Lex §. 6. post med. Vers. Circa hoc Cardi. & Vers. Consuetudo §. 9.

Si autem sit sermo non de desuetudine, sed de consuetudine contra legem, an possit abrogare legem, elapso legitimo tempore, si sit inducta sine scientia Principis. Similiter sunt duo modi respondendi; Primus est Glos. in cap. vlt. Ver. Legitimè præscripta De Consuet. quæ inter alia necessaria ad firmandam consuetudinem requirit, vt inducatur sciente Principe, vel eo, qui potest ius condere. Sic etiam tenet alia Glos. in cap. Frustra Ver. Consuetudinem distinc. octaua, & Innocent in titul. De Consuetud. in princ. numero quarto. & Oldrad. cons. 237. Secundus modus dicendi contrarius est aliorum, qui sentiunt sufficere generalem Principis consensum, quo tacitè vult, vt vim habeat consuetudo, si fuerit rationabilis, & legitimè præscripta, nam in cap. fin. De Consuetud. hæc duo necessaria esse dicuntur, & nihil aliud additur. Hanc sententiam testatur esse communem Roch. Curt. in cap. fin. De Consuet. §. Glos. finalis fol. paruo 36. Vers. Quartum requisitum, & est vera. Eodem modo Abb. tradit in eod. cap. fin. numero decimotertio, contra Glos. ex sententia Ioan. Andr. consensum, seu scientiam Papa non requiri ad inducendam consuetudinem, & addit hanc sententiam esse magis communem, quam ipse magis approbat; Alias rarò, aut nunquam induceretur consuetudo, & probat tum ex eod. cap. fin. De Consuet. quod tantum postulat, vt consuetudo sit rationabilis, & præscripta, tum ex cap. primo, De Constit. lib. sexto. Vbi dicitur, quòd Papa censetur ignorare consuetudines locorum. Idem Abb. in Cons. 7. columna quarta, par. secunda. Vers. Et ego puto, & monetur ob eam rationem, quia satis habetur Papæ consensus ex his, quæ statuit in cap. fin. De Consuetud. & in cap. Cum ex officij num. 13. de Præscript. Turre Crem. in cap. In istis §. sicut quest. secunda. Vers. Secunda opinio distinction. 4. asserit Papam, quando disposuit in dicto cap. fin. de Consuet. vt Consuetudo legitimè præscripta tollat legem positiuam, tunc præstare consensum consuetudini huiusmodi, etiamsi expresè non assentiat, quia difficile esset Papam omnes consuetudines particulares scire, & illis auctoritatem præbere, & in eandem sententiam citat Archid. in eod. cap. In istis, Alexan. Cons. 6. Viso Themate num. 4. volum. 1. Corn. cons. 155. Ex quo statutum num. 4. vol. 4. Curt. Iun. Cons. 158. Præsupponitur in facto num. 12. Ant. Rub. Cons. 21. colum. fin. And. Alciat. in l. Munus ff. de verb. signif. Io. de Sancto Georg. in Tract. Feud. col. fin. Ver. Cum mero mixto Imperio, Franc. Balb. in Tract. de Præscript. in 2. par. 3. par. princ. quæstione sexta, numero vigesimosecundo. Gemin. in cap. Frustra distinct. octaua. Vbi affirmat Glos. ibi & alios oppositum sentientes reprobatos esse, & idem ibi testatur Card. Alexand. colum. 4. Ad idem confirmandum alias auctoritates adducit Couar. in Tract. De Matrim. par. secunda, cap. sexto, §. 10. numero 19. & omnes affirmant hanc esse communem opinionem.

An verò dentur aliquæ leges, & Canones, contra quos consuetudo non valeat, nisi sciente, & patiente Principe, vel Papa sit inducta, maior est difficultas. Duæ sunt opiniones Doctorum, Altera est aliquorum asserentium quatuor esse, in quibus consuetudo induci non potest, ita vt vim habeat, nisi Principi nota sit, & ab eo permissa, quam sententiam communem esse

A fatetur Roch. in Tract. de Consuet. §. Glos. fin. Vers. Limita tamen istam fol. paruo 36. Et idem testatur Couar. de Matrim. par. 2. cap. 6. §. 10. nu. 19. Primum est, quando consuetudo introducitur contra ius publicum vtilitate, & auctoritate; Tunc enim requiritur scientia Principis, Innoc. & Gemin. in cap. fi. de Censi. Felin. in ca. Cum ex officij nu. 9. de Præscript. qui alios citat. Secundum est, quando inducitur consuetudo in Sacramentalibus, quæ Iure communi constituta sunt. Quare non valet consuetudo ignorante Romano Pontifice, qua secundis nuptijs benedictio nuptialis adhibetur, vt notat Glos. in cap. Vir autem Ver. Iterari in fi. de secun. nup. Vbi Abb. inquit hoc esse speciale in sacramentalibus, sequitur Card. Alexand. in cap. Frustra

B dist. 8. Item non valet consuetudo, nisi Romano Pontifice sciente, vt puellæ corruptæ cum Religionem profitentur, sacrentur. Tertium est in consuetudine, quæ introducitur in ijs, quæ Principi Iure communi specialiter reseruantur; Tunc enim requiritur scientia Principis. Tenet Glos. in cap. penult. Ver. Non obstante de fil. Presbyte. Vbi ait facultatem absoluendi excommunicatos ob violentam manuum iniectionem in Clericum, quæ Sedi Apostolicæ tantum est reseruata, competere etiam legatis è latere ex consuetudine ex certa scientia Papæ legitimè præscripta. Vbi Abb. numero tertio. Gemin. in Summa distinctione vndecima. Bartolus in l. Publicanus §. vectigalibus ff. de publica. Felin. in capitulo Cum ex officij nu-

C mero nono. Vers. Puta in consuetudine de præscript. & dat exemplum de potestate creandi Notarios, quæ cum sit speciale priuilegium Principis, vt præscribatur, consensus & scientia eiusdem Principis requiritur expressus vel tacitus, vt ibi inquit Innoc. in fin. & reddit rationem, quoniam accedente scientia Principis consuetudo dicitur approbata à Principe, quod autem Princeps approbat, ipse facere videtur l. 1. §. omnibus Cod. de ve. Iu. enu. Idem Innoc. in Rubr. de consuet. num. 4. Vers. Item oportet quod sit. Quartum est, cum inducitur consuetudo contra legem aut Canonem expressim consuetudinem improbantem, tunc enim consuetudo non tenet, nisi Principe sciente, Fe-

D lin. in capitulo Cum ex officij nu. 9. Vers. Idem quando inducitur de præscript. & citat Domin. in capitulo fin. de Consuet. & Io. And. in Addit. ad Specul. in tit. de instrum. edit. §. Compendiosè Vers. Sed nunquid. Idem Felin. in capitulo Accedentes numero 16. de præscript. vbi plura adducit ad probandum nullam consuetudinem introduci posse contra legem, quæ consuetudinem improbat, etiamsi longissima sit, & ad id citat Glos. tertiam in capitulo 1. de Cleri. Aegrot. lib. 6. Card. Alex. in Summa dist. 11. Franc. in cap. Cum de beneficio num. 4. de præben. lib. 6. Gemin. num. 6. Vnde sumi potest argumentum ad confirmandam conclusionem vniuersalem superius propositam, quòd vbi in lege non apponitur talis clausula, tunc ad illam abrogandam sufficit consuetudo le-

E gitimè præscripta absque vlla scientia Principis, vt probaui. In his igitur quatuor casibus communiter Doctores censent non sufficere, vt consuetudo sit legitimè præscripta iuxta dispositionem, capitulo fin. de consuet. vt legem contrariam abrogare valeat, si consuetudo non sit inducta Principe sciente & tacitè consentiente, & idem inquit Felin. in dicto capit. Cum ex officij num. 9. in fine, de præscript. locum habere in certis quibusdam alijs casibus, de quibus agit Domin. in Summa distinct. 11. & in cap. Placuit dist. 32. Verum est altera opinio aliorum, quę docet

vni-

vniuersaliter nunquam requiri scientiam, & patiētiam Principis, vt consuetudo habeat vim abrogandi legem, & Canonem, sed satis esse, si rationabilis sit, & legitimo tempore præscripta. Ita tenet Rocch Curt. in Tract. de consuet. §. Glos. finalis fol. paruo trigesimosexto Vers. Quartò limita, & Couar. de Matrim. par. secunda, cap. sexto, §. decimo, num. decimonono Fundamentum huius opinionis est, quoniam in dicto capit. fin. de consuet. in vniuersum statuitur absque vlla distinctione consuetudinem legitimè præscriptam legem tollere posse, & nihil aliud requiritur, nec de Principis scientia aliquid dicitur. Et hæc sententia videtur valde probabilis. Et si percurramus in singulis quatuor casibus, non desunt Doctores, qui oppositum senserunt. Et primò quòd consuetudo absque scientia Principis possit abrogare Ius publicum auctoritate, & vtilitate tradit Cardin. Alexand. in capitu. Frustra distinct. octaua. Vbi pulchrè tuetur opinionem Abbatis, & probat ex vniuersalitate dicti capit. fin. de consuet. similiter non esse necessariam hanc scientiam Papæ in consuetudine circa sacramentalia, docet Rocch. Curt. in loco citato, quia nulla apparet ratio diuersitatis, cur magis in his, quàm in alijs talis scientia requiratur, & adhæret Couar. dicto numero decimonono.

Tertiò de his, quæ speciali priuilegio Principi reseruantur: idem videtur sentire Imol. in l. Publicanus. §. vectigalibus. ff. de publica. per tex. in capit. Super quibusdam de verb. significat. Vbi ad præscribenda huiusmodi reseruata Principi, fit mentio de tempore, cuius initij memoriæ non existat, & nihil dicitur de sententia Principis: adhæret Felin. in capit. Cum nobis numero tertio Vers. Præterea secundùm Imol. & in capit. Cum ex officij numero nono in fi. eod. tit. Tandem in quarto casu, quando lex expressè reprobat consuetudinem, non esse necessariam Principis scientiam, vt consuetudo vim habeat tollendi huiusmodi legem tradit Rocch. Curt. dicto fol. trigesimosexto, Vers. Quartò limita, ob eam rationem, quia capit. fin. de consuet. loquitur generaliter de consuetudine legitimè præscripta, neque meminit vllo modo dictæ scientiæ Principis. Ex omnibus, quæ dicta sunt, videtur firma remanere conclusio proposita pro solutione primæ partis quæstionis, de qua in præsenti capite agimus, nimirum Canonem Summi Pontificis, vel statutum Episcopi, in quo imponitur pœna suspensionis ipso Iure in transgressores, abrogari posse consuetudine contraria legitimè præscripta, & hinc sequi, consuetudine legitimè præscripta, facientes contra legem nec Canonem, nec statutum violare, neque vllam pœnam incurrere. Quòd si non seruant illam, antequam sit completa præscriptio, sicut peccant, nisi bona fide aliunde excusentur, sic pœnam suspensionis contrahere, quia est ipso Iure lata in eos, qui legi non obtemperant, Abb. in cap. 1. num. 4. de treg. & pa. Felin. num. 20.

Modò discutiamus secundam partem difficultatis huius cap. scilicet an remanente Canone, vel statuto in suo robore tolli possit pœna suspensionis in eo contenta contraria consuetudine. In qua difficultate tres reperio Doctorum sententias.

Prima est asserentium pœnam non posse contraria consuetudine abrogari, si imponitur à lege ipso facto vel ipso Iure quando lex obligat, & non est abrogata. Quando verò lex continet pœnam suspensionis non ipso Iure latam, sed ferendam per Iudicem, tunc contraria consuetudine abrogari posse. Ita sentiunt aliqui, vt refert Ioann. And. in capit. primò De Treg. & Pa. Et ducuntur ea ratione, quia poena legis ipso facto constituta contrahitur statim, atque lex violatur: Ergo vbi lex non est abrogata, sed obligat, & continet poenam suspensionis ipso facto, qui illam non seruant, eo ipso eadem poena afficiuntur. Alij distinguunt legem, Si enim lata est in bonum priuatorum poena non contrahitur, etiamsi ipso Iure, aut facto sit imposita, supposita contraria consuetudine. Quòd si condita sit in honorem, & cultum Dei, vel in publicam Reipubl. vtilitatem, tunc transgressor Canonis poenam incurret, si sit ipso Iure lata, non obstante consuetudine præscripta, secus verò, si esset à Iudice inferenda, sic Anton. in cap. primo. De Treg. & Pa. quia lex lata in commodum priuatorum sicut potest tolli pacto, & renunciatione, vt tradunt Doctores in l. De quibus, ff. de legi. sic etiam potest consuetudine abrogari. Tertia sententia aliorum dicentium absolutè, & simpliciter poenam legis consuetudine abrogari posse, quamuis, lex ipsa non sit abrogata, sed maneat firma habens vim obligandi subditos; Itaut consuetudo sit inducta directè contra poenam, non autem contra legem. Videtur sententia Glos. in capit. Cum multæ Ver. Connubio 15. quæstione octaua. Vbi Statutum erat, vt filij Presbyterorum ex sacrilegio procreati ipso facto essent serui Ecclesiæ cui eorum Pater inseruiuit. Et quia Ecclesia non consueuerat sic punire illos, ideo inquit Glos huiusmodi filij tali poena non afficiuntur, vt notat Abb. in cap. primo, numero quarto in fin. de Treg. & Pa. & ibi Innocent. Hostiens. & Ioan. And Ideni Ioann. And. in cap. Ioannes De Cleri. Coning. Et Cyn. l 2. C. Quæ sit lon. Consue. Sylue. Ver Consuetudo §. 12. Ang. eod. Ver. numero decimo. Hæc opinio videtur probabilior, & potest ratione persuaderi; Nam sicut lex consuetudine abrogatur, sic etiam poena legis auferri potest consuetudine, quia sicut posset lex recipi non recepta poena, ita p ·test postquam recepta est aboleri poena, non abrogata l g·.

Obijciet aliquis; Quando Canon præcipit, aut prohibet aliquid sub poena suspensionis, vel excommunicationis ipso facto, quod non est vllo alio Iure imperatum, aut prohibitum, hæc poena statim per transgressorem incurritur, quando Canon habet vim obligandi, & per contrariam consuetudinem abrogatus non fuit, ergo semper poena contrahitur, quamdiu lex obligat, & non seruatur, & est argumentum, quo nititur prima sententia. Vnde aliqui sentiunt aliud dicendum esse in hac difficultate de poena suspensionis, & de alijs Censuris, quæ ipso facto contrahuntur, absque vllo ministerio hominis; Aliud verò de bonorum iactura, libertatis amissione, & similibus, quæ non contrahuntur ipso facto, nisi exigantur. Quare si constitutio in transgressores infligens ipso facto poenam censurarum, non sit per consuetudinem contrariam abrogata, sed sit in viridi obseruantia, Transgressores violando Constitutionem, statim incidunt in poenam, non obstante quacunque consuetudine contraria abrogante ipsam poenam, quia eo ipso, quòd Constitutio violatur, poena contrahitur; Secus est de alijs poenis, quæ non debentur, quamuis Constitutio vigeat, nisi petantur.

Sed respondendum est generaliter verum esse de quacunque poena, etiam Censurarum, posse aliquando manente lege, & Constitutione in sua

validitate, & obligatione tolli poenam per cōtrariam consuetudinem, quoniam sicut initio potest Canon vsu recipi non recepta poena, sic potest poena per cōsuetudinem contrariam tolli, non sublata lege, quamuis Canon poenam censurarum ferret in ijs rebus, quæ Iure diuino, vel naturali prohiberentur, puta si poena excommunicationis afficeret ipso facto fures, vel sacrilegos, aut adulteros, quamuis enim consuetudo Ius diuinum abrogare non valeat, potest tamen ipso Iure manente poenam abolere, constitutio enim, quæ sub poena Censurarum furtum, sacrilegium, aut adulterium prohibet, potest permanere, vt est diuini, aut naturalis Iuris, sed consuetudine fit, ne taliter delinquētes Censuræ subijciantur, quod est humani Iuris. Quare licet peccent contra Ius naturale, & diuinum; non tamen incurrunt censuram, quæ Iure humano positiuo imponitur cum per consuetudinem sit sublata, & ex consequenti Constitutio etiam ipsa humana abrogata intelligatur. Vnde Glos. in cap. Denique Ver. Consuetudine dist. 4. inquit Consuetudinem in delictis excusare à poena huius sæculi, nō autem à poena æterna. Et idem notat Abb. in cap. Cum Venerabilis nu. 5. De Consuet. dicens delinquentem contra legem prætextu consuetudinis, quæ adhuc praua, & iniqua declarata non fuerit, non posse puniri, vt legis transgressorem. Ex his intelligere licet, quid sit dicendum de poenis, & censuris, quæ irrogantur in Extrau. Pauli Secundi Ambitiosæ De reb. Eccles. non alienan. Quæ non est vbique vsu recepta, & de qua variè scriptores loquuntur. Similiter quid sit sentiendum de alia Constitutione in cap. Periculoso De Sta. Regul. lib. 6. Vbi præcipitur, vt Sāctimoniales Clausuram seruent; quæ renouata fuit in Conc. Trident. sess. 25. cap. 5. Et à Pio Quinto in Constitutione, cuius initium est: Cura pastoralis; & à Greg. XIII. in alia, quæ incipit, Deo sacris, quæ multis in locis non seruantur, in quibus Sanctimoniales Clausuram non custodiunt, asserentes huiusmodi Constitutiones non fuisse vsu receptas, sed de hoc modò nō pertractamus; Proposui huiusmodi exēpla obiter; Concludo igitur ex dictis Consuetudinem rationabilem legitimè præscriptam vim habere tollendi Canonem, aut statutum poenam suspensionis irrogans in eos, qui non paruerint, & nonnunquam manente Statuto, & Canone in suo robore obolere posse poenam suspensionis, vel alias poenas in eo contentas.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE DIFFERENTIIS, QVIBVS DISTINGVITVR Suspensio à Depositione, & Degradatione.



POSTQVAM visum est, quid sit Suspensio, quas species habeat, & quomodo differat ab alijs Cēsuris, modò antequam vlterius in Tract. de ipsa Suspensione progrediamur, opportunū erit declarare differentias, quas habet suspensio, si comparetur cum Depositione, vel Degradatione, quæ non sunt propriè Censuræ, vt alias probaui, sed poena quædam vel potius impedimenta ab Ecclesia instituta; Hæc enim cognitio non parum conferre poterit ad maiorem notitiam habendam inchoatæ pertractationis de Suspensione.

Caput Primum, Quid sit Depositio, & Degradatio, & quotuplex.

Caput Secundum, In quibus Depositio cum Degradatione conueniat.

Caput Tertium, De Differentiis inter Depositionem, & Degradationem.

Caput Quartum, De Effectibus Depositionis, & Degradationis.

Caput Quintum, An Depositio ab officio priuet Clericum ipso Iure beneficiis, eumque inhabilem reddat ad alia acquirenda.

Caput Sextum, De Causa materiali Depositionis, & Degradationis.

Caput Septimum, De Causa formali Depositionis, & Degradationis.

Caput Octauum, De Causa finali, & Efficiente, ac etiam De Subiecto Depositionis, & Degradationis.

Caput Nonum, Vtrùm Depositus, & Degradatus dispensari possit, & in pristinum statum restitui, & ad quem pertineat huiusmodi Dispensatio, & quomodo restitutio fieri debeat.

Caput Decimum, In quibus Suspensio cum Depositione, & reali Degradatione conueniat, & quomodo ab eisdem differat.

CAPVT I.

Quid sit Depositio, & Degradatio, & quotuplex.

VT clarius, & distinctius intelligamus, quibus modis Depositio, & Degradatio differant à suspensione, opus est explicare, quid sit Depositio, & Degradatio, cum enim non paruam habeant similitudinem, & affinitatem cum ipsa Suspensione, nisi antea cognouerimus, quid vnaquæque sit, impossibile erit intelligere, in quibus conueniant, & differant à suspensione. Et in primis inquirendum est, quid nomine Depositionis, & degradationis accipiāt Doctores loquentes in hac materia de poenis Ecclesiasticis. Depositio, seu deponere est nomen æquiuocum ad plura, & diuersa significanda vsurpatum. Deponere in Iure aliquando significat rem alicui custodiendam tradere, & res tradita dicitur Depositum. Actio tradendi

voca-

vocatur depositio, & hoc modo frequenter in Iure vsurpatur l. 1. C. depositi. Item depositio, vocatur dictum testis examinati; Nam qui testimonium suum profert quodammodo veritatem de re, super qua interrogatur sibi cognitam fidei Iudicis committit. Atque in hac significatione sumitur nomen depositio in l. 3. C. Si minor se maiorem dixerit. Deponere etiam demoliri, & ad aream redigere, & solo æquare significat, l. Cum qui ædes 23. in fi. ff. de Vsucap. l. Inter stipulantem 83. §. Sacram in fi. ff. De Verb. oblig. Item deponere significat auferre alicui officium, quod gerit. Vnde depositus dicitur ab officio, qui ob crimen commissum per sententiam à Superiore priuatur officio. Et quando officium est Ecclesiasticum, dicitur poena ecclesiastica, de qua nunc agimus, quæ duobus etiam modis sumitur in Iure, nonnunquam genericè, vt comprehendat etiam poenam illam, quæ degradatio appellatur; Aliquando specificè, vt significat poenam à degradatione distinctam, quæ vocatur depositio verbalis, cum degradatio dici possit depositio realis. Depositus itaque, & degradatus eo solo differunt, quod depositio fit verbis tantum: degradatio verò actu; Nam cum Ecclesia declarat aliquem a Clero exclusum esse, tunc dicitur depositus, quia non habetur amplius in numero Clericorum. Antiquitus enim Ecclesia vniuersum Clerum in Catalogo descriptum habebat, à quo delebatur, qui depositus erat, vt constat ex Can. 1. Conc. Agathen. & tradit Vgo, & Archid. in cap. Contumaces dist. 50. & clarè constat ex Sancto Augustino Epistola 137. & habetur cap. Nemo 2. q. 1. At dicitur degradatus, quãdo ab eo actuali retrogradatione Ordines, quos suscepit contrarijs quibusdam ritibus, & ceremonijs externis seruatis visibiliter quoad executionem auferuntur, cap. degradatio de Poen. lib. 6. & tradit Concilium Trident. sess. 13. cap. 4. de reform. Differunt etiam depositio, & degradatio, quoniam depositio significat tantum honoris, & dignitatis priuationem; At degradatio in foro Ecclesiæ idem valet, quod in foro seculari separatio animæ à corpore Io. And. & Doct. in cap. Vt Inquisitionis de Haret. lib. 6. refert Felin. in cap. Io nonnullis Vers. In Glos. fin. de Iudæ. Hanc degradationem S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium Regradationem appellat, vt inquit Bernard. Diaz in Pract. Crim. cap. 143. prope fi. Idem lib. 2. contra Iouinianum. Hæc de significatione nominis, nunc de definitione depositionis loquamur.

Potest depositio hoc modo definiri, est perpetua remotio ab Altaris ministerio, vt notat Abb. in cap. At si Clerici num. 7. de Iudi. Dec. ibi col. 4. Vers. Quintò nota; Et depositus simpliciter intelligitur depositus perpetuò, licet non exprimatur, vt per Glos. fin. in cap. 1. dist. 50. Et regulariter pro nullo crimine potest deponi Clericus, nisi de Iure illud exprimatur, vt notat Domin. in §. de his dist. 50. & in cap. 1. dist. 35. non reperitur autem in Iure imposita poena degradationis, nisi in grauibus, vt refert Dec. in dicto cap. At si Clerici de Iudi. Item pro delicto enormi potest fieri depositio, vt dicit Abb. in cap. fin. de Celebr. Miss. & citat textum in cap. Tuæ de Poen. & Anton. in ca. Cum dilectus col. 6. Vers. Caue, quia illud de Purga. Cano. qui ex verbis Innoc. ibi colligit conclusionem, quam dicit veram esse, quòd vbicunq. pro aliquo delicto est imponenda Iure Ciuili poena mortis, tunc Iure Canonico loco huius poenę subrogatur poena depositionis, quod refert, & sequitur Felin. in cap. Qualiter 2. §. Ad corrigendos nu. 11. de accusat. Dec. in dicto cap. At si Clerici col. 20. Vers. de secundò de Iudi. duas conclusiones in hac materia colligit ex Abb. ibi. Prima est, quòd poena depositionis non imponitur, nisi pro graui crimine; Secunda est, quòd declarare, quæ sint crimina grauia, relinquitur arbitrio Iudicis: Notat Abb. in ca. Latores de Cleri. excom. Mini. Ad depositionem Presbyteri non semper requiri dolum, sed supinam ignorantiam æquiparari dolo ex tex. quem dicit esse notabilem in ca. fin. de Celebr. Missa. Quòd si depositus ab officio celebret, priuatur participatione corporis, & sanguinis Domini, & permanet in hac excommunicatione vsq; ad extremam diem vitæ, itaut viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat, vt habetur in cap. Accedens 50. dist. & ibi notat Præpos. Per depositionem autem Clericus non efficitur de foro seculari, sed gaudet priuilegio ecclesiastici fori sicut alij Clerici. An autem Clericus depositus restitui possit per Episcopum, tractat Gondis. Villa in Tract. de legato par. 1. q. 14. num. 63. Tom. 2. Tract. diuer. fol. 292. Dictum est, quid sit depositio, superest, vt inuestigemus, quid sit degradatio.

Degradationis nomen in Iure Canonico frequenter reperitur, in Iure Ciuili non est vsitatum, neque etiam à latinis Auctoribus vsurpatum, & fuit inuentum ad significandam pęnam quandam Clericorum, qua priuatur ab Ecclesia Clerici suis ordinibus, quantum per Ecclesiam fieri potest. Et quia ordines sunt veluti quidam gradus, per quos personæ Ecclesiasticæ ascendentes paulatim ad summum gradum dignitatis Sacerdotalis, & Episcopalis perueniunt, ideo eorum priuatio, & quasi de ordinatio Degradatio appellata fuit. Verum hæc priuatio, & verbalis & realis esse potest, vt dicebam, & vtraque appellatur aliquando Degradatio, vt patet ex capitulo secundo de poen. libro sexto, & in capitulo Tuæ eod. tit. extra. & ibi notat Abb. & in cap. 1. ne Cleri. vel nomen. Sed iuxtum vsum & morem loquendi Degradatio vocatur ipsa actualis depositio Clerici, & nomen Depositionis accomodatum est ad significandam ipsam verbalem depositionem, quæ ad degradationem realem ordinatur.

Solet autem degradatio actualis hoc modo describi, nempe est priuatio executionis legitimæ officiorũ & beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto absque spe restitutionis cum solennitate & amissione priuilegij Clericalis, vt inquit Sylue. Ver. Degradatio in princ. Quare Degradatio comparatur depositioni, sicut executio sententiæ ipsi sententiæ, nam per depositionem profertur sententia, per quam Clericus priuatur vsu officiorum, per degradationem executioni mandatum, quoad aliquas actiones & effectus, qui per ipsam sententiam absque ministerio hominis perfici non possunt, ideo degradatio supponit, & includit omnia, quæ spectant ad depositionem, & addit nonnulla, vnde habet aliqua communia cum depositione. & alia habet propria, in quibus ab illa differt, de quibus postea dicam.

Interim inuestigemus, quot sint species seu modi depositionis.

Depositio potest diuidi in duas species seu modos, idest, quod alia sit ab officio, alia à beneficio, sicut dictum est de suspensione, est enim par ratio vtriusque, quod videtur affirmare Abbas in cap. Insinuatam num. 2. de Simon. vbi notat Simoniacum in beneficio nõ deponi ab ordine, quando non conuincitur per viam accusationis, sed priuari beneficio per simoniam acquisito, ergo datur depositio à beneficio, quæ

non comprehendit dispositionem ab officio in cap. Querelam De iu. iur. Vbi Papa mandat cuidam Episcopo, vt deponat Clericum à beneficio, quia cessauerat per biennium soluere Canonem, quem Iureiurandum pro dicta Ecclesia soluere promiserat, vbi Abb. num. 1. inquit posse aliquem ob periurium deponi ab ordine, & beneficio, ergo supponit dari vtramque depositionem distinctam, & citat cap. Cum non ab homine De Iudi. Vbi habetur Clericum ob periurium, aut homicidium, vel aliud simile delictum deponendum esse. De Depositione verò ab officio habentur etiam exempla in Iure, vt in cap. Si Episcopus dist. 50. *Si Episcopus Presbyter, &c. capitale crimen commiserit &c. ab officii honore depositus in Monasterium retrudatur, & ibi quamdiù vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Idem reperitur in cap. Si quis Clericus dist. 51. *Si quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut conuictus fuerit, depositus ab officio communione concessa in Monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.* In cap. 1. De homic. lib. 6. vtriusque Depositionis, scilicet ab officio, & beneficio exemplum habetur; Vbi fertur sententia depositionis ab officio, & beneficio ipso facto contra facientes, vel mandantes interfici aliquem per assassinos. De vtraque etiam suspensione interpretari potest, quod notat Felin. in cap. Ex parte num. 5. De Accusat. Deposito prouidendum esse, ne egeat, & ad hoc probandum plures Iuris auctoritates affert, quod verum esse ait in Depositione verbali, non in actuali, quoniam Ecclesia nullam curam gerit Clerici actualiter degradati. Qua in re non erit discrimen inter Depositionem, & Suspensionem, nam idem locum habet in suspensione, vt probaui, quando suspensio fertur in poenam delicti commissi simpliciter, secus quādo imponitur ob contumaciam, & habet relationem in futurum, vt etiam tradit Glos. vlt. in cap. Studeat 50. dist. Ex his igitur colligere possumus duas esse species immediatas, & principales Depositionis, Altera est à beneficio, altera ab officio.

Depositio à beneficio est, quæ priuat Clericum depositum, beneficio, quæ priuatio consistit non tantum in amissione fructuum, sed in priuatione Dominij. Nam Clericus per depositionem non solum impeditur, ne licitè possit percipere fructus beneficij, sicut contingit in suspensione, sed ne retinere valeat beneficium, & amittat titulum legitimum, quem habebat, quod confirmari potest ex ipso nomine Depositionis, quæ ex propria significatione indicat carentiam rei. Vnde Abb. in cap. Insinuatam num. 2. De simon. hanc Depositionem appellat priuationem beneficij, & in cap. Inquisitionis num. 7. de accusat vocat Depositionem, seu priuationem beneficii. Id quoque comprobari potest ex eo, quoniam depositio est poena perpetua, & ideo non solum inducit carentiam fructuum, sed beneficii, & ex hac parte differt ab omni suspensione, quæ fertur ad tempus certum, & etiam ab illa, quæ imponitur indefinitè ad tempus incertum, vt cum Iudex suspendit ad beneplacitum suum; Hæc enim potest dici temporalis ratione virtualis conditionis, quā includit, licet sit perpetua negatiuè, sub ista conditione, quia non est coarctata ad certum tempus. Tandem a suspensione, quæ positiuè in perpetuum fertur, non potest alia ratione differre, nisi quoniam illa priuat solum fructibus beneficii, & vsu beneficii, non titulo, & iure beneficii, sicut depositio. Quare, nisi verum esset depositionem afferre non solum priuationem fructuum, sed amissionem beneficii, non facilè excogitari posset alia differentia inter suspensionem

A perpetuam, & depositionem à beneficio; Ergo depositio per se, & ex propria ratione inducit priuationem beneficii, non suspensio, quamuis sit imperpetuum lata. Vnde obtenta dispensatione a suspensione poterit suspensus retinere beneficium, quod antea habebat, sed depositus etiam impetrata dispensatione, beneficium, quod penitus amisit, non recuperat, sed per nouam concessionem ad illud est admittendus. An verò depositio dispensabilis sit, inferius discutietur.

Et ex his intelligere licèt, quòd depositio à beneficio propriè non est idem, quod priuatio beneficii, quamuis Abb. vt dixi, sub nomine priuationis beneficii aliquando intelligat depositionem; sed non rectè, nisi sub latiori significatione. Quare si Iudex per sen- B tentiam priuet Clericum ob crimen commissum beneficio, non intelligitur illum deposuisse; Et ratio differentiæ est, quoniam priuatus beneficio non redditur inhabilis, vt non possit illud iterum recipere ab illo, qui potestatem habeat illud conferendi, sed depositus est incapax ad recipiendum beneficium, quia depositio ex sui genere est poena perpetua, quæ simul tota fit. & hæc perpetuitas maior est in depositione, quàm in suspensione perpetua propter hanc inhabilitatem, quam infert, & idcirco priuatio beneficii minor est poena, quàm depositio respectu eiusdem beneficii, nisi Iudex in sententia, vnà cum priuatione beneficii adderet inhabilitatem ad alia consequenda, tūc enim æquiualeret depositioni a beneficio. Quam- C obrem si depositio feratur simpliciter à beneficio, depositus erit perpetuò priuatus omni beneficio, & nullum beneficium imposterum consequi poterit; Si verò sit ab vno tantum beneficio, redditur perpetuò inhabilis respectu eiusdem beneficii, non tamen quoad alia beneficia, sicut suo modo dictum est de suspensione.

Si loquamur de depositione ab officio, illa est, quę affert priuationem potestatis exercendi tam actus ordinis, quàm Iurisdictionis, & quoad Iurisdictionem depositus non tantum priuatur vsu, vt non possit legitimè sine peccato & pœna actus Iurisdictionis administrare, sed etiam ipsomet munere & potestate Iurisdictionis, qua in re differt a suspensione, sed quoad D ordinem est alia ratio, nam Depositus non priuatur potestate ordinis, sed vsu tantum ordinis legitimo, sicut accidit in suspensione, quia hæc potestas per Characterem indelebiter imprimitur in ordinatione, vt per Ecclesiam auferri nequeat, vt dicā inferius. Hinc fit, vt quamuis Depositus grauiter peccet exercendo actus ordinis, sicut etiam peccat suspēsus, tamen actus tenent, & sunt validi, si non requirunt iurisdictionem, vt est absolutio sacramentalis, ideo Sacerdos depositus verè consecrat, Episcopus depositus verè ordinat & confirmat, quia ex diuina institutione tales actus habent valorem & efficaciam, si nullus interueniat defectus circa materiam, formam, vel intentionem debitam.

E Cōstat igitur duplicem esse speciem Depositionis, alteram ab officio, alteram à beneficio, illa, quæ est ab officio, includit priuationem ab omni ordine & Iurisdictione Ecclesiastica, quæ vero est à beneficio, comprehendit priuationem omnium beneficiorum, quæ obtinebat Depositus. Quare vtraq; Depositio potest dici totalis.

Rursus dari potest Depositio partialis, cum Episcopus priuat aliquem deponendo ab vnico ordine, vel à certis aliquibus ordinibus, vel à Iurisdictione quadam peculiari, aut ab vno beneficio determinato, nō

Or-

Ordines Minores Depositionis pœnam aliquando recipiunt, vt colligitur ex cap. 2. de pœn. lib. 6. vbi traditur forma seruanda, cum Episcopus Clericum verbaliter deponit ab ordinibus Minoribus, ibi, *Quanquã proprij Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in Degradatione eorum, qui minores duntaxat ordines receperant*, ergo potest quis à Minoribus Ordinibus deponi, & ita sentit Abb. in cap. Cum non ab homine n. 3 de Iudi. Specul. in tit. de Dispens. § Iuxta num. 33. Vers. quid si Diaconus, facit ad hoc capit. Episcopus Presbeter 11. q. 3. & cap. vlt. 24. dist. Idem tenet Simon Maiol. lib 3. de Irregular. cap. 22. nu. 4.

Qua in re animaduertendum est Depositionem factam à certo ordine comprehendere omnes Superiores, non autem Ordines inferiores illo, à quo quis deponitur l. qui indignus ff de Senator. Anton. in cap. Vel non est de Tempor. ordin. Tabien. in Ver. ordo 3. ante fi. Simon Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 22. n 8. Ideo si Episcopus deponitur ab Episcopatu aut Pontificalibus, ordine Presbyterali, & alijs inferioribus fungi poterit, & est eadem ratio de suspensione, vt probabo suo loco.

Similiter si Episcopus deponat Clericum ab aliquo officio, aut iurisdictione, vel à certo quodam beneficio, vocari poterit Depositio ex parte, vel potius assumetur hoc nomen Depositio pro suspensione, quoniam, qui hoc modo depositus esset, adhuc remanere posset cum alijs Clericis in Clero cum facultate administrandi illos ordines, à quibus non esset depositus. Et eod. modo dicendum esset de actibus Iurisdictionis & beneficijs non comprehensis sub sentẽtia depositionis, quod tamen videtur repugnare & nomini, & rationi propriæ depositionis, ideo in primitiua Ecclesia, vt dixi, Clericus depositus expungebatur ex Albo, in quo vniuersus Clerus describebatur, vt omnibus innotesceret illum exauctoratum fuisse omni honore, dignitate, & gradu, ad quem antea ab Ecclesia promotus fuisset.

Præterea diuidi etiam potest depositio, quod alia vocatur verbalis, alia dicitur actualis seu realis, quæ communiter appellatur degradatio, vt probaui initio capitis, & quid vtraque significet, declaraui. Item verbalis depositio subdistingui potest, quòd alia sit, quæ per se & absolutè fertur & nõ ordinatur ad alium finem, alia verò, quæ dirigitur ad actualem degradationem. Huius distinctionis meminit Iulius Clarus in pract. crim. quæst. 74. nu. 4. & Bernar. Diaz in sua pract. crim. Canon. cap. 3. num. 6. Et hi duo modi deponendi conueniunt, nam neutra verbalis depositio priuat Clericum priuilegio clericali vsque ad realem degradationem, vt probabo inferius, & eodem modo omnes alij effectus pariter ab vtraque oriuntur. Potest tantum inter has duas verbales depositiones assignari illa differentia, quòd absolutè depositus sine noua sententia non potest actualiter degradari. Verùm quando Clericus deponitur verbaliter in ordine ad degradationem, statim absque alia declaratione degradari potest.

CAPVT II.

In quibus Depositio cum Degradatione conueniat.

PRimò conuenit Degradatio cum Depositione, quòd vtraque est Ecclesiastica pœna priuans Ecclesiasticis functionibus, & ideo est propria Clericorum, tam enim Depositio, quàm Degradatio pri-
A mò, & per se respiciũt Ordines Ecclesiasticos, quorum vsum impediunt: Deinde Ecclesiastica beneficia, & officia, ac ministeria alia Ecclesiastica, vt patet ex cap. 2. de pœn. lib. 6.

Secundò neutra priuat Clericali caractere. Depositus enim, & Degradatus Sacerdos si celebret, vel alios actus solius ordinis exercere de facto tentet, verè Sacramentum conficit, & alios actus validos facit, nisi aliud ad eorum essentiam requisitum desit, vt docent Theologi in 4. dist. 25. Sylue. Ver. Degradatio. § 9. & ego pluribus probaui lib. 1. Disp. 8. cap. 4.

Tertiò neutra tollit illas obligationes, & onera, quę
B ab Ecclesia post receptionem ordinum, præsertim sacrorum imposita sunt Clericis, & annexa sunt cum ipso Charactere, vt est obligatio seruandi castitatem, inhabilitas ad contrahendum matrimonium, obligatio recitandi horas canonicas, & officium diuinum, & similia, si quæ alia sunt, vt inquit Sylue. Ver. Degradatio. § vlt. Couar. qui alios refert lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. num. 8. Et ratio est, quia hæc obligatio comitatur ipsum Ordinem, etiamsi nullum beneficium Clericus habeat, vel nullos ex beneficio redditus percipiat. Ordo autem manet in Deposito pariter, & in Degradato. Eodem modo dicendum est de obligatione seruandi castitatem, & inhabilitate ad matrimonium, vt notat Abb. in cap 1. num. 6. Qui Cleri. vel
C Vouen. ex cap. Dictum 81. dist. Accedit, quod depositio, & degradatio sunt pœnæ graues, quæ ab Ecclesia fuerunt institutæ non ad tollenda onera, sed ad imponenda grauamina, & ad auferendas dignitates, & honores: ideo nec Depositus, nec Degradatus eximuntur ab illis obligationibus, quibus Clerici communiter tenentur.

Quartò sicut Depositio, ita Degradatio pœnæ perpetuæ sunt, & ideo censentur in Ecclesia grauissimæ pœnæ; Nam qui semel est Depositus, aut Degradatus, perpetuò talis manet, Glos. in cap. 1 Ver. Si lapsis distin. 50. quem textum Glos. interpretatur de Depositio: Ita desumitur ex B. Gregorio lib 4. Epistolarum Epistola 17. siue cap. 61. Vbi sic habetur *Si lapsis ad*
D *suum Ordinem reuertendi licentia concedatur vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum pro reuersionis spe praue actionis desideria quisquis concipere non formidat*, & post. *Istud igitur præ omnibus studete, vt lapsos in sacrum Ordinem nullius nobis supplicatio aliquo modo reuocare suadeat*, quam Glos. citat, & probat Dec. in c. At si Clerici in not. 5. de iudi. & hoc est regulare, vt Depositus, aut Degradatus ad Clerum redire, & restitui non soleat cap. Qui semel, cap. Presbyterum, & c. Peruenit dicta dist. 50. & tradit Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 22. num. 4. Vers. Vnde hæc censura, quod probatur etiam Iure Ciuili ex l. Quicunque. C. de Episc. & Cleri. Vbi præcipitur, ne Episcopus expulsus ab Episcopatu propter delictum, vnquam ad Episcopatum
E reuocetur. Quæ tamen lex Ciuilis non obligat, nisi Ecclesia velit illam seruare.

Quintò tam in Depositione, quàm in Degradatione dispẽsare potest Summus Pontifex, à quo potest tolli inhabilitas per has pœnas inducta cum sit Iuris positiui. Difficilius autem dispensatur super Degradatione, quàm super Depositione, tum propter maiorem infamiam, tum propter plures effectus ipsius, vt ex dicendis clarius apparebit.

Sextò nec Depositio, nec Degradatio imponitur à Iure, ipso facto incurrenda, sed semper per hominis sententiam, & pro eisdem criminibus, profertur enim primo sententia, quæ est depositio verbalis: Deinde

actualis

actualis Degradatio, veluti executio sententiæ.

Septimò neutra ferenda est ob crimina communia, sed ob grauiora, & extraordinaria. Possunt ergo in primis imponi in casibus Iure expressis, & non in alijs, nisi pro magis sceleribus, cap. Tuæ de pœn. Notat Domin. in §. de his dist. 50. & in cap. 1. dist. 35. Dec. in c. At si Clerici col. penult. de Iudi. Deinde propter scelera enormia, & maiora, vt superius dixi, & tradidi regulas ad cognoscendum huiusmodi crimina depositione digna, legendus est Bernard. Diaz in sua Pract. Crim. cap. 138. Sylue. verò Ver. degradatio §. 6. magis in specie ex sententia Abb. distinguit ad hunc modum, vel delicta sunt leuia, vbi scilicet dolus non interuenit: quo casu Clericis deponi non debet, sed potest suspendi ad tempus, aut puniri alia pœna Iudicis arbitrio, cap. Cum delecti de accusat. Aut sunt grauia, in quibus exigitur dolus, & tendunt in magnum præiudicium alterius, vel Reipub. & in his potest imponi pœna depositionis, vt in furto, periurio, & similibus, in cap. Cum non ab homine de Iudi. Aut sunt grauiora, vt publica crimina, & pœna mortis non infertur, tunc vltra depositionem Clericus delinquens detrudi poterit in Monasterium, vt in cap. Tuæ de pœn. Vel sunt grauissima crimina: Vbi pœna mortis infertur, quo casu Clericus, & deponi, & damnari ad carcerem perpetuum poterit, vt in cap. penult. de Hæret. & in cap. Nouimus de verb. signif. Vnde Innoc. in c. Qualiter 2. de accusat. inquit deputare aliquem perpetuò post depositionem carceri, æquiparari pœnæ mortis. Et dari posset crimen adeo atrox, & perniciosum, vt expediret propter bonum commune tradere statim post depositionem actualem Clericum Curiæ seculari, vt dicitur in cap. Nouimus de verb. signif. Hæc Sylue. Sed tutius, & probabilius est, vt dicamus, si loquamur de verbali depositione Clericum posse deponi in casibus Iure expressis, vel in delictis grauibus, & enormibus; quæ vero talia iudicanda sint, Iudicis arbitrio relinquendum esse habita ratione ad omnes circunstantias annexas. Quòd si agamus de depositione, seu degradatione articuli, asserendum est Clericum nūquam esse degradandum actu, quantumuis sit graue, & perniciosum crimen, nisi id iure cautum sit expressè: ita notat Bernard. Diaz in sua Pract. Crim. cap. 143. Tales autem casus sunt illi, in quibus post depositionem Clericus traditur Curiæ seculari, c. 2. de pœn. in 6. & c. Nouimus de verb. signif. & præcipuè tres casus enumerantur à Glos. in cap. Ad abolendam Ver. Relinquatur de Hæret. in quibus statim post depositionem Clericus traditur Curiæ seculari: Nempe in crimine hæresis, vt in eod. cap. Ad abolendam, maximè post relapsum. Secundò in falsificatione literarum Apostolicarum capit. Ad falsariorum de Crim. falsi. Tertiò, quando ob calumniam, & contumeliam illaram Episcopo proprio Clericus deponitur cap. Si quis Sacerdotum 11. q. 1. Alij addunt etiam, quando ob crimen aliquod atrox, & scandalosum Clericus deponitur, & manet incorrigibilis. Sed de hac materia videndus est Bernard. Diaz in Pract. Crim. cap. 106. & 130. & seq. & in cap. 143. Vbi plures citat Doctores, à quibus hoc argumentum copiosè tractatur.

Octauò conueniunt etiam depositio, & degradatio, quòd vtraq. reddit Clericum infamem, vt notat Abb. in cap. Cum te num. 10. de sent. & re iudi. Sicut enim miles secularis militiæ, ob crimen, militiæ cingulo degradatus, redditur infamis. Ita multò magis idem affirmandum est de Clerico, qui miles est Cælestis, & Ecclesiasticæ militiæ, & ad id Abb. citat l. 2. §. Ignominiæ. ff. de his qui notan. infam. Idem quoque probari potest ex cap. Omnes verò 6. q. 1. Vbi hæc habentur: *Omnes verò infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant, & omnes qui culpis exigentibus ad Sacerdotium non possunt prouehi*, Ergo qui deponitur, & degradatur per sententiam pronunciatur reus, & facinorosus ob graue, & publicum crimen, & ipsamet pęna depositionis, & degradationis infamiam affert, sicut dicitur de Milite seculari, qui infamis declaratur, cùm primum ei insignia militaria detrahuntur, vt ex l. 2. §. Ignominiæ. ff. de his qui notan. infam. Et licèt omnis depositio infamiam afferat, magis tamen actualis, quam verbalis.

CAPVT III.

De Differentiis inter Depositionem, & Degradationem.

EX dictis constat, quid sit depositio, & degradatio, & in quibus vtraque conueniat, modò de differentijs vtriusque agendum est. Prima itaque differentia, & præcipua inter depositionem, & degradationem consistit in varijs, & diuersis solemnitatibus, quæ ad vtramque requiruntur.

Quod vt clarius intelligatur, animaduertendum est duobus modis posse considerari depositionem, quam Doctores vocant verbalem. Primo modo, quādo Clericus ob crimen simpliciter & absolutè deponitur, neque illa depositio ordinatur ad actualem degradationem, sed in ipsa persistitur. Secundo modo, si deponitur per sententiam, vt postea degradetur, ita vt depositio sit via & medium ad actualem degradationem. Prima depositio, quæ absolutè profertur tanquam pœna criminis commissi, & non ordinatur ad degradationem, non requirit aliquam specialem solennitatem. In alia verò depositione adhibenda est certa & peculiaris solennitas, quæ differt, & est diuersa ab ea solennitate & ceremonia, quæ requiritur in actuali degradatione. Huius duplicis depositionis meminerunt Doctores, quos citant Iulius Clarus in sua pract. crim. quæst. 74. & Bernard. Diaz in sua etiā pract. Canon. c. 3. & ratio huius distinctionis inter has duas depositiones, quòd illa quæ absolutè fertur, non requirit illas solennitates, quę à Iure postulātur in illa, quę ordinatur ad actualem degradationem, oritur primò quoniam in Iure nulla præscribitur forma seruanda in depositione absoluta, in capitulo enim 2. de pœn. lib. 6. vbi Bonifacius Octauus tradit solennitates, quæ debent adhiberi in degradatione seu depositione verbali, loquitur de ea, quæ ordinatur ad actualem degradationem, vt tradit Abb. in c. Non potest num. 10. prope fi. de sent. & re Iud. vbi inquit requiri certum numerum Episcoporum in pronuncianda sententia depositionis, quando Episcopus tendit ad depositionem actualem Clerici, secus verò si contentus sit verbali dspositione. Secundo idem etiam patet, quoniam in depositione absoluta, quæ non ordinatur ad finem actualis degradationis, cessat ratio illa peculiaris, propter quam in alia depositione verbali introducta est illa sulenniras, quia sic depositus statim degradandus est, quod non habet locum in depositione absoluta. Tandem cum simplex & absoluta depositio interdum feratur ab ipso Iure incurrenda ipso facto, absque vllo hominis ministerio, non est necesse, vt antea præmittantur solennitates, sed per simplicem sententiam ferri potest & hinc colligitur aliud di-

scri-

scrimen inter vtramque depositionem verbalem; nam illa, quæ ad actualem degradationem ordinatur, nunquā imponitur ipso Iure, neque incurritur ipso facto, quia requirit solemnitates, vt diai, de qnibus solemnitatibus postea tractabo, quæ adhiberi nequeunt, nisi mediante hominis ministerio. Simplea antem depositio imponitur ipso Iure, vt in cap. 1. de homic. lib. 6. & in cap. 2. dist. 50. Quare si Clericus committat in legem continentem pœnam depositionis ipso Iure, non poterit realiter degradari, donec per sententiam à Iudice sit verbaliter depositus seruata solemnitate de qua in cap. 2. de pœn. lib. 6. His prænotatis de hac duplici depositione verbali iā clarius innotescet, quo pacto differat depositio verbalis à reali degradatione.

Primò igitur differunt depositio, & degradatio in solemnitatibus, vt dicebam, nam degradatio Clerici fit adhibitis quibusdam solemnitatibus à Iure præscriptis, depositio verò verbalis, vel nullam postulat solemnitatem, vt qnando absolutè profertur, & non dirigitur ad actualem degradationem, quòd si ordinatur ad degradationem requirit quidem solemnitates præscriptas à Iure, sed illæ diuersæ sunt à solemnitatibus actualis degradationis. In hac differentia conueniunt omnes Doctores, Abb. in cap. Qualiter 2. num. 30. de accusat. & in cap. Nun potest num. 10. prope fi. de sent. & re iudi. & ibi Felin num. 21. in fi. Gemin. in cap. 2. num. 6. de pœn. lib. 6. Sylue. Ver. Degradatio. § 1. & similiter Ang. eod. Ver. Bernard. Diaz in Pract. Crimin. cap. 3. num. 6. & desumitur hæc differentia ex eod. c. 2. de pœn. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus primùm recenset solemnitatem adhibēdam in degradatione, seu depositione verbali, quæ ordinatur ad actualem degradationem, nempe vt Episcopus proprius assistente sibi certo numero Episcoporum proferat sententiam depositionis in Clericum, deinde agit de degradatione reali, & præscribit formam, & ceremoniam seruandam in degradatione Clerici, ibi, *Clericus igitur degradandus vestibus sacris indutus &c.*

Secunda differentia est, quòd Clericus per sententiam depositionis priuatur officio, & beneficio, per degradationem nulla additur priuatio, quia priuatio potestatis tam Ordinis, quàm Iurisdictionis, & beneficij facta est per ipsam depositionem verbalem, sed tantùm per degradationem illamet priuatio potestatis publicè denunciatur, & quibusdam caternis ceremonijs adhibitis repræsentatur, & promulgatur ad maiorem ignominiam Clerici, qui degradatur, & terrorem aliorum. Id etiam institutum fuit ab Ecclesia, vt hac actuali degradatione Clericus disponatur ad pœnam mortis, vel aliam, quæ sequitur degradationem.

Tertia differentia est, quòd degradatio actualis priuat Clericum priuilegio Clericali, non autem depositio verbalis. De hac differentia multa dixi in lib. 2. Disp. 1. cap. 6. Qnare absque ratione Glos. in cap. Dictum Ver. Seculariter dist. 81. & in cap. 2. Ver. Ceciderit 54. dist. oppositum videtur probare; Neque rectè Sylue. Ver. degradatio. §. 1. vltra medium enarrana verba, quibus vti debeat Episcopus in degradatione verbali sic habet, *Auctoritate Dei Omnipotentis, Patris, & & Filij, & Spiritus Sancti & nostra te degradamus priuantes omni Ordine, beneficio, & priuilegio clericali.* Hæc enim postrema particula non pertinet ad sententiam depositionis verbalis, sed ad degradationem actualem vt patet ex cap. 2. de pœn. lib. 6. Vbi proponitur forma verborum seruanda ab Episcopo in degradatione actuali, & in fine fit mentio de priuatione priuilegij

A Clericalia, quare hic erit effectus proprina degradationis, qui non conuenit depositioni. Vnde fit, vt percutiens Clericum degradatum non innodetur Censura excommunicationis, cap. Si quis suadente 17. q. 4. Secus verò esset, si percuteret Clericum depositum tantùm verbaliter, vt inquit Glos. in dicto cap. 2. Ver. priuilegio Clericali de pœn. lib. 6. & est communis sententia Doct. Gemin. ibi nu. 4. Anchar. num. 9. Philip. Franc. §. poterit nu. 3. Sylue. Ver. degradatio. §. 8. qui sibi ipsi contrarius, asserit per depositionem verbalem non amitti priuilegium Clericale, sed addit vnum limitando hoc dictum ex sententia Abb. in cap. Ad abolendam de Hæret. nempe hanc conclusionem coarctandam esse, vt non habeat locum, si post verbalem depo- B sitionem sequitur incorrigibilitas, nam eo casu putat Clericum etiam ante actualem degradationem remanere priuatum Clericali priuilegio, & probat ex cap. Cum non ab homine de Iudi.

Verùm hæc limitatio Syluestri non nititur solido fundamento, nam ex verbis cap. Cum non ab homine de Iudi. expreśsè colligitur contrarium, ibi enim statutum est, vt Clericus ob crimen deponatur: Deinde si incorrigibilis persistat, excommunicetur, etsi adhuc non resipiscat, tandem Curiæ seculari tradatur; ergo Clericus non amittit priuilegium statim propter incorrigibilitatem, quia est antea excommunicandus, & adhuc retinet priuilegium, vt probaui in cit. cap. 6. C Disp. 1. lib. 2. Confirmatur, quoniam priuilegium Clericale non amittitur, nisi postquam à Iudice Ecclesiastico illud auferatur, sed id fit tantùm in actuali degradatione, vt apparet ex verbis, quibus componitur forma actualis degradationis in dicto cap. 2. de pœn. lib. 6. Ergo quantumuis Clericus post verbalem depositionem sit incorrigibilis, nisi à Iudice Ecclesiastico per actualem degradationem priuetur priuilegio Clericali, semper illud retinebit. Confirmatur secundò, nam incorrigibilitas non consistit in vnico actu contumaciæ, sed habet latitudinem. Quare pendet ex arbitrio Iudicis definire, quando Clericus ob incorrigibilitatem dignus sit priuari priuilegio Clericali: Igitur donec per sententiam Iudicis Ecclesiasticis sit de- D claratus talis, semper gaudebit priuilegio, quantumuis sit incorrigibilis; ergo erit excommunicatus, qui illum percusserit, neque enim relinquendum est iudicio secularium, an aliquis Clericus sit dicēdum incorrigibilis, sed hoc debet pronunciari à Iudice Ecclesiastico. Immo non sufficit, vt Clericus per sententiam declaretur ab Ecclesiastico Iudice incorrigibilis, vt sit priuatus priuilegio Canonis ad effugiendam excommunicationem, si offendatur, quoniam nullibi in Iure legitur imposita hæc pœna priuationis priuilegij ipso facto post declarationem incorrigibilitatis, sed requiritur sententia, per quam declaretur priuatus hoc priuilegio. Neque Abb. in cap. Ad abolendam de Hæret. quem citat Sylue. oppositum dicit, ibi enim Abb. E num. 10. solùm affirmat Clericum depositum verbaliter retinere priuilegium Clericale respectu fori, & Canonis, nisi post depositionem sequatur incorrigibilitas, tunc enim fatetur omne priuilegium amittere, & absque alia traditione comprimi posse per Iudicem secularem. Verùm non negat esse necessariam sententiam Iudicis Ecclesiastici, qua declaretur Clericus propter hoc crimen incorrigibilitatis dignus priuari priuilegio Clericali, & tradi Curiæ seculari. Et licèt hoc videatur asserere in cap. Cum non ab homine nu. 39. de Iudi. non simpliciter tamen ita affirmat, sed suppositis conditionibus illius tex. Cum non ab homine,

mine, idest quando post depositionem secuta est excōmunicatio, & anathematis promulgatio, & adhuc Clericus non resipiscit, accedendo ad Superiorem offerendo se paratum velle parere & pœnitentiam agere, tunc enim incorrigibilitatem dicit esse notoriam, neq; opus esse alia declaratione; quare Abb. nō simpliciter affirmat Clericū incorrigibilē posse comprimi per Iudicē secularē ante sententiā Ecclesiasticis Iudicis. Sed vbi factum sit ita notoriū, vt nulla sit necessaria declaratio. Et codē modo loquitur Io. de Anania in cap. Ad abolendam de hæret. & Archid. in c. 2. de pœn. lib. 6. & Henric. Boic. in cap. Cum non ab homine n. 8. de Iudi. qui affert rationem ad id probandum, & est, nam si Clericus non depositus post trinam monitionē nolit parere, & persistat in contumacia, amittit priuilegium Clericale, multo magis illud amittet Clericus depositus incorrigibilis, etiam non actualiter degradatus, si factum sit notorium. Verum quidquid sit de hac sententia, simpliciter affirmandum est Iudicem Laicum nō posse exercere iurisdictionem in Clericum, etiam data eius contumacia & incorrigibilitate, antequam per Ecclesiasticum sit lata sententia declaratoria super qualitate incorrigibilitatis, & Felin. in dicto cap. Cum non ab homine num. 10. de Iudi. dicit hanc esse communem opinionem. Quare etiam, quando Clericus actualiter degradatur, requiritur declaratio, quòd sit exutus clericali priuilegio, non tamen est necessaria alia traditio præter istā declarationem, vt asserunt Gemin. in cap. 2. §. Poterit num. 4. Franc. num. 3. de pœn. per hanc enim declarationem abijcit à se dominium, & potestatem ipsius Clerici, & ideo potest puniri à Iudice Laico absque alia traditione, & hāc opinionem probabiliorem esse pluribus probaui lib. secundo Disputat. prima. capitulo 6. & animaduertendum est hanc sententiam declaratoriam ferri posse à Iudice Ecclesiastico absq; citatione, ne Clericus fugam arripiat, vt notat Abb. in dicto capit. Cum non ab homine num. 30. de Iudi. Cessante vero periculo fugæ, vbi Iudex vult declarare aliquem incidisse in pœnam, debet eum vocare, Bernard. Diaz in praxi Crim. cap. 142. n. 3.

Ex his patet, quod dixi de priuilegio Canonis, si quis suadente, idem asserendum est de priuilegio fori, nimirum Clericum ante degradationem actualem, etiamsi depositus sit verbaliter, retinere priuilegium fori, nec posse Iudicem secularem contra talem Clericum procedere, nec apprehendere aut iudicare, Abb. in cap. Tuæ discretionis num. 2. de pœn. in c. Ioannes nu. 4. de Cleri. coniug. & in cap. Ad abolendam nu. 10. post med. de Hæret. & hoc adeo est verum, vt Clericus depositus, antequam sit actualiter degradatus, completa ceremonia & verbis, quæ ab Episcopo & iuxta morem & consuetudinem Ecclesiæ proferri solent, semper gaudeat priuilegio fori, & sit sub potestate Iudicis Ecclesiastici.

Ea dictis oritur quarta differentia inter depositionem verbalem & actualem degradationem, nam Clericus verbaliter depositus non traditur Curiæ seculari, sed postquam actualiter est degradatus, & traditur Curiæ seculari per declarationem præsente Iudice seculari, cum declarat Episcopus illum Clericum pertinere ad illam Curiam, debet autem pro eo intercedere, vt mitius cum eo se gerat iuxta cap. Nouimus in fi. de verb. signif. verba textus sunt; *Pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum circa eum sententia moderetur*. Vbi Abb. num. 8. notat istam intercessionem nō esse tantum vocalē, vt putauit Host. sed veram & efficacem, vt dicitur in tex. Ecclesia enim tradit Clericum potestati seculari, non ad eum finem, vt morte puniatur, sed quia ob crimen graue ab eo commissum iudicat non esse dignum, vt sub protectione, Ecclesiæ amplius contineatur, & gaudeat priuilegio fori, vtq; eius exemplo alij retrahantur ab excessibus. At verò post degradationem actualem, cum degradatus remaneat priuatus priuilegio clericali, statim efficitur fori secularis, quia non debet relinqui nullius fori & sui Iuris, & quia per priuilegium clericale exemptus fuit à foro seculari, ideò sublato priuilegio, illico reuertitur ad antiquum forum, atque ita Iudex secularis potest in eum iurisdictionem suam exercere.

Quinta differentia, degradatio verbalis potest fieri contra absentem contumacem, actualis verò requirit præsentiam, ita dicit Gemin. in c. 2. nu. 3. de pœn. lib. 6. & primum de depositione verbali probatur euidenter in cap. Veritatis de Dolo. & Contum. Vbi Innocentius Tertius perpetuæ depositionis sententiam tulit in Episcopum absentem, priuans eum ab omni Pontificali & Sacerdotali officio sine spe restitutionis, vt ibi notant Doctores, & 3. q. 9. in Summa, quòd actualis verò degradatio requirat præsentiam Clerici, probatur ex cap. 2. de pœn. lib. 6. Vbi præscribitur forma solennitatis, quæ in huiusmodi degradatione seruari debet erga personam illius, qui degradatur, & sicut ordinatio fieri non potest non præsente eo, qui promouendus est, ita neque degradatio, in qua per Episcopum vestes sacræ & quæcunque alia insignia in ordinatione collata à Clerico præsente auferuntur & addit Gemin. in dicto cap 2. num. 3. de pœn. lib. 6. non posse fieri actum degradationis contra Clericum absentem præsente procuratore, est enim regula firmata à Doctoribus in cap. Veniens de accusat. Quòd vbi pœna non potest imponi absenti, non potest per procuratorem procedi, legendus est Calder. cons. 1. de accusat.

Sexta differentia nomine depositionis seu degradationis simpliciter intelligitur in Iure verbalis, non actualis, nisi exprimatur, vt notat Abb. in capit. At si Clerici num. 38. de Iudi. Felin. in cap. Qualiter 2. §. vlt. in fin. de accusat. Nam si vbi in Canone præcipitur, vt Clericus degradetur, intelligeretur de actuali degradatione, statim efficeretur fori secularis, Bern. Diaz in Praxi crim. cap. 143. num. 4. Quare vbi in aliquo Canone legitur, Clericum esse degradandum, & detrudendum in Monasterium, interpretari debet de degradatione verbali, non actuali.

Septima differentia est, quòd depositum verbaliter Episcopus restituere potest, actualiter verò degradatum solus Papa, ita notat Glos. in cap. Ideo 1. Ver. At restitutionibus 2. q. 6. Abb. in cap. At si Clerici §. de Adulterijs num. 14. de Iudi. refert varias opiniones, primò recenset sententiam Glosæ citatæ in dicto cap. Ideo, secundo opinionem alterius Glosæ in c. Si quis Presbyter Ver. Spem 7. q. 1. nam cum in tex. ibi dicatur de Clerico, qui in contumacia & inobedientia contra Episcopum suum perseuerauerat, *omni modo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere* Hinc Glosa infert, *ergo restitui non potest Clericus depositus ab Episcopo, et hoc verum, cū pro crimine deponitur, secus si pro contumacia.* Tertio Abb. refert Gl. in c. Episcopus Ver. Synodo 11. q. 3. quæ tenet Episcopum posse restituere depositum, si iniustè depositus fuerit, puta per falsos testes, secus vero, nō posse. Item Glos. in c. Clerici Ver. Moniti de Cleri. excom. mini.

pro-

proponit hanc quæstionem, An Episcopus restituere valeat depositum. Et primò respondet, quòd si Episcopus cum alijs Episcopis deposuit Clericum tãtùm à Sacerdotio, poterit eum recipere in inferioribus Ordinibus, & sic de alijs Ordinibus, si verò depositus sit ab omnibus Ordinibus, solus Papa ipsum restituit. Deinde concludit posse Episcopum restituere Clericum iniustè depositum, quòd si iustè depositus fuerit, restitutionem spectaret ad Papam. Tandem Abb. post enumeratos diuersos hos modos respondendi ad hanc difficultatem concludit ex sententia Specul. in tit. de leg. §. Hunc ostendendum Ver. Nono, quam sequitur tanquam probabiliorem, & ait, quòd si petatur restitutio de Iure, vt quia appareat de falsitate testium, vel quid simile pro degradato actualiter, & hunc taliter degradatum restituere potest Episcopus, aut petitur restitutio ex gratia, & hanc facere non potest Episcopus, quia soli Papæ reseruatur. Et hoc dictum Specul. latius, & distinctius prosequitur Abbas, quod plenius discutiam inferius suo loco; Interim dico hanc opinionem Abb. esse probabiliorem, licèt Sylue. Ver. Degradatio. §. vlt. oppositum sentiat. Et hæc sufficiant de differentijs inter depositionem, & degradationem.

CAPVT IV.

De Effectibus Depositionis, & Degradationis.

HActenus visum est, quid sit depositio, quidue degradatio, & quomodo inuicem differant, & à suspensione, & in quibus conueniant. Hunc explicare oportet effectus, qui ab vtraque proueniunt: quod ex dictis facilius intelligi poterit. Primus effectus depositionis, vel degradationis est efficere irregularem ipsum Clericum depositum, aut degradatum, vt neque promoueri possit ad alios Ordines, neque exercere, quos antea susceperat, nam etsi Character Ordinis suscepti maneat in ipso deposito, seu degradato, qui animæ imprimitur, & est indelebilis; nihilominus deperditur omnis facultas exercendi legitimè actum, virtute eiusdem Characteris, si enim de facto tenet efficere actum, ad cuius rationem intrinsecam requiratur Iurisdictio, erit nullus, & irritus defectu potestatis Iurisdictionis, quæ per depositionem omnino tollitur. Si verò exerceat actum à sola potestate Ordinis prouenientem tenetquidem, & est validus, quia Character, vt dixi, iam impressus per nullam depositionem, aut degradationem tollitur, & ideo Sacerdos depositus consecrando, verè perficit Sacramentum, vt docet S. Tho. 3. par. q. 82. art. 8. Attamen ipse noua irregularitate illaqueatur, itaut neque post peractam pœnitentiam condignam dispensationem obtinere valeat, vt habetur in cap. Accedens dist. 50. Vbi de quodam Presbytero ob crimen à Sacerdotij Ordine deposito, qui postea ad Altaris ministerium accedere præsumpserat, & omnipotenti Dei Hostiam immolare ausus fuerat, ita statuitur à Gregorio lib. quarto Epistolarum Epistola 5. seu cap. 49. ad Venantium Lunensem Episcopum, *Quod si ita factum fraternitas vestra reppererit, eum sacri Corporis, & Sanguinis Dominici participatione priuatum, in pœnitentiam redigat, itaut vsque ad obitus sui diem in eadem excommunicatione permaneat &c.* Sed etsi Missam non valeat celebrare, & Eucharistiã conficiat sine Missa, efficitur etiam, denuo irregularis, vt notat B. Antoni. in Tract. de Censur. cap. 87. Vers. Secundò nota.

Sed contra obijci potest. Primo quoniam non videtur veram per degradationem non auferri Characterem Ordinis, quia sicut Episcopus ordinando Sacerdotem potestatem consecrandi ei tribuit, ita videtur illam tollere degradando, qui enim aliquid dat, illud auferre potest. Respondet S. Tho. in illa quæst. 82. art. 8. ad 2. par. 3. quòd Episcopus non dat potestatem Sacerdotalis Ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut Minister Dei, cuius effectus per hominem auferri non potest, & ideo Episcopus non potest hanc potestatem auferre.

Secundò obijcitur, Sacerdos per degradationem, aut amittit potestatem consecrandi, aut solam executionem, non solam executionem, nam ita non plus auferret à Sacerdote degradatio, quàm excommunicatio, quia excommunicatus quoque executione caret, quare dicendum est ipsum amittere potestatem consecrandi, & ita degradatus videtur non posse conficere. Respondet S. Thom. vbi supra tam excommunicato, quàm degradato Sacerdoti auferri executionem potestatis Sacerdotalis, sed diuersimode excommunicatio, quia est pœna medicinalis priuat excommunicatum hac potestate ad tempus, quousque se corrigat & resipiscat. Degradatio autem imperpetuum in pœnam sceleris commissi.

Secundus effectus depositionis, & degradationis est priuare ipsum depositum Ecclesiasticis functionibus: Nam non dicetur quis deponi, cùm prohibetur à receptione Sacramentorum, vel priuatis actionibus, aut bonis communibus omnibus fidelibus, Hæc enim priuatio potius ad excõmunicationem, aut interdictum pertinet. Sed depositio priuat munere publico, & Ecclesiastico, quia est pœna Ecclesiastica, & propria Clericorum, sicut est suspensio, & id colligitur ex cap. Qui semel dist. 50. & cap. 2. de pœn. lib. 6. Et licèt deponi quis dicatur etiam à munere Laicali, quando ob crimen commissum priuatur officio, quod gerit; tamen si propriè sumatur, depositio est pœna Ecclesiastica, priuans Clericum munere, officio, vel dignitate Ecclesiastica, vt dixi in primo capite, & hac ratione extenditur ad Religiosos conuersos, quamuis Clerici non sint, quatenus sunt personæ Ecclesiasticæ: quod etiam suspensioni cõuenit; Nam Religiosus Superior, sicut etiam Abbatissa, & suspendi, & deponi potest ab officio.

Tertius effectus depositionis, seu degradationis est, quòd eo ipso efficiunt depositum, seu degradatũ Clericum irregularẽ, quia non potest promoueri ad alios Ordines, nec ministrare in susceptis, quia licèt retineat Characterem indelebilem; tamẽ amittit omnem facultatem exercendi illum, itaut si de facto præsumat ministrare, nouam irregularitatis labem contrahat.

Quartus effectus communis depositioni, & degradationi, & præcipuè conuenit degradationi, est reddere Clericum depositum, & degradatum infamem, vt notatur tam in Milite Cœlestis Militiæ, quàm secularis in l. 2. §. Ignominiæ. ff. de his, qui notan. infam. & notat ibi Glos. in Ver. Efficit, & tenet Abb. in cap. Cum te num. 10. de sent. & re iudi. Idque probari potest primò, quoniam in cap. Omnes verò 6. q. 1. Adrianus Papa inquit. *Omnes, qui culpis exigentibus ad Sacerdotium prouehi non possunt, infames sunt.* Sed depositus, & degradatus sunt tales, qui ob eorum scelera, & culpas ad Sacerdotium promoueri prohibentur, igitur notati sunt infamia. Secundò contrahitur infamia Iure ciuili, quoties aliquis grauis criminis reus per sententiam declaratur, & aliquando ex ipso genere pœnæ,

næ, de condemnatione ob crimen habetur in l. Decuriones Cod. ex quibus can. infam. irroga. his verbis. *Verùm si iniuriam te fecisse Proconsul clarissimus pronunciauit ignominia notatus es*, & in l. 1. ff. de his qui notan. infam. recensentur casus, in quibus quis infamatur ipso facto, atque etiam casus, in quibus per sententiam infamis iudicatur, & cap. Infames §. Porrò 3. q. 7. Ipsum etiã genus pœnæ infamiam affert ex l. 2. §. Ignominiæ ff. eod. ibi, *Sed etsi eum exauthorauerit, idest insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licèt non addidisset ignominiæ causa se eum exauthorasse*. Si ex dictis causis redditur quis infamis Iure ciuili, multo magis dicendus erit infamis Iure Pontificio; nam si per exauthorationem temporalis Militiæ reddebatur infamis miles, multo magis per degradationem Ecclesiasticam, ex illa enim per quandam analogiam desumpta est degradatio Ecclesiastica, vt inquit Summus Pontifex in cap. 2. de pœn. lib. 6. & omnes, qui Iure Ciuili declarantur infames, multò fortiori ratione tales habendi sunt in foro Ecclesiastico, vt dicitur in cap. Omnes 6. q. 1. *Omnes vero infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant*. Quare omnis depositio infamiam inducit, sed maiorem degradatio actualis.

Quæret quis, de qua infamia intelligẽdum sit, cum dicimus depositum & degradatum infamem esse, an de infamia Iuris, vel Canonica, aut facti.

Respondeo esse intelligẽdum de infamia Iuris. Ratio est, quoniam infamia Canonica dicitur illa, quæ contrahitur ex quolibet peccato mortali, & tollitur per Pœnitentiam, vt habetur in c. Omnes, & ibi Glos. Ver. leges 6. q. 1. Sed infamia, quæ est notatus Clericus depositus, est perpetua, sicut ipsa depositio pœna perpetua est, infamia facti, quæ oritur ex communi & publica hominum locutione, vt tradit Abb. in capit. Cum te num. 9. de sent. & re Iud. in c. Testimonium numero 6. de testi. in cap. ex diligenti numero sexto, de Simo. non potest aboleri per aliquem, nam cum consistat in facto, oportet, quòd contrario facto tollatur iuxta §. Hinc colligitur 2. quæst. 3. neque enim Princeps efficere potest, vt facta infecta reddantur, sed solùm Principi conuenit decernere, si videat iniuste & iniquè aliquem à malenolis ex odio infamatum esse, vt talis infamia nihil ei obesse debeat, & nullum habeat effectum, vt in cap. Cum in iuuentute de præsump. cap. Minator 2. q. 5. sed Papa restituere potest Clericum depositum seu solenniter degradatum, vt notat Abb. in capit. Cum te nu. 10. de sent. & re Iudi. de qua difficultate postea agam, igitur hæc infamia, quæ oritur ex depositione seu degradatione non est infamia facti. Superest ergo, vt dicamus esse infamiam Iuris, nempe, quæ irrogatur per sententiam, vel ipso facto duntaxat in casibus, quibus Iure cauetur, vt inquit Abb. in cap. Testimonium num 6. Vers. Prima, scilicet Iuris de testi. tex. & Glos. in §. Porrò 3. q. 7. l. Athletas §. Calumniator cum §. seq. ff. de his qui notan. infam. & regulariter, vt inquit Abb. quicunque infames sunt Iure ciuili, sunt etiam tales secundũ Canones. Idem tenet Innoc. in cap. Qualiter. 2. num. 6. de accusat.

Quæret secundo quis, an depositus & degradatus ipso facto maneat infamiæ nota maculatus, etiamsi in sententia non fuerit de infamia condemnatus ab Episcopo, neque infamis declaratus.

Respondeo eo ipso Clericum post depositionem & degradationem haberi infamem, tum quia verba illa, quæ habentur in c. Omnes 6. quæst. 1. sententiam latam, non ferendam significare videntur, *Omnes, qui culpis exigentibus ad Sacerdotium proueht non possunt, infames sunt*, Tum etiam nam & si regulariter, vt inquit Abb. in cap. Ex diligenti nu. 6. de simon. nemo ob crimina etiam publica efficiatur infamis, nisi secuta sententia, sufficit tamen sententia, qua Clericus ob crimen deponitur, & degradatur, illico enim consequitur, vt sit infamis.

Quæret tertiò aliquis, postquam Clericus degradatus famæ restitui potest, à quo fieri debeat ista restitutio, an à Papa solo, vel etiam ab Episcopo, à quo degradatus fuit.

B Glos. in cap. Ex diligenti Ver. Infamia de Simon. dicit per Principem hominem diffamatum restitui famæ debere, & loquitur de simoniaco, qui non admittitur ad beneficium Ecclesiasticum, nisi cum eo à Principe dispensetur, & idem ibi notat Abb. num. 7. Felin. num. 3. in fin. fusius & distinctius Abb. & Felin. discutiunt totam hanc difficultatem in c. Cum te, de sent. & re Iudi. Vbi disputant sigillatim de Papa, Collegio Cardinalium, Imperatore, & de alijs, an possint aliquem famæ restituere, & quod spectat ad Clericum degradatum concludunt Abb. num. 10. & Felin. num. 11. talem famæ restitui non posse, nisi à Papa, & id cõfirmatur testimonio S. Thom. 2. 2. q. 68. art. vlt. ad tertium, vbi docet Papam posse infamiam Iuris obolere, & respondet ad quædam verba Gelasij Papæ relata in §. Hinc colligitur 2. quæst. 3. *Quanquam animas per pœnitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere non possumus*, intelligenda esse de infamia facti, vel quia eam aliquando tollere non expediat, quamuis pœna remittatur. Hoc idem probatur ex c. Euphemiam 2. q. 3. vbi Papa de quibusdam, qui depositi fuerant, quia Episcopum suum accusauerant, sic ait, *Eisdem sacris priuatos ordinibus esse, atque ita, sicut sunt depositi, volumus permanere*. Quare Summus Pontifex poterat illos restituere, si ob commune bonum & ipsorũ salutem expedire existimasset. Nec plura hoc in loco de restitutione Depositi ad pristinum honorem & famam, reliqua, quæ spectant ad eandem Clerici depositi restitutionem differam ad vltimum caput huius Disputationis.

Quintus effectus depositionis olim erat, vt Clericus depositus verbaliter in arctum Monasterium detruderetur, idque institutum fuerat à Sanctis Patribus, vt hac ratione non minus Clericorum scelera depositionis pœna ad aliorum terrorem iustissimè vindicarent, quã vt ipsos depositos ad agendũ pœnitentiam in emendationem præteritæ vitæ prouocarent, sic enim post depositionem Clericum in Monasterio inclusum exemplo Monachorum, & vitæ austeritas ad amplectendam sponte pro suis excessibus pœnitentiam suadebat, & charitas ad agnitionem culpæ atque spẽ veniæ commonebat, & ita definitum videtur in c. Sacerdos dist. 81. *Sacerdos, aut quiuis alius in ordine Ecclesiastico prouectus, si in eo scelere inuenitur, quo abijciendus comprobatur depositus, prouidentia Episcopi bene pronisso loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat*. Et in cap. seq. Dictum est. *Vnde statuimus, vt gradu amisso agenda pœnitentiæ gratia in Monasterium aut in Canoniam regularem mittantur*. Sed hic mos hoc tempore non est in vsu, vt tradit Iulius Clarus in practic. crimin. §. fin. q. 70. Vers. sunt etiam, & Bernard. Diaz in pract. crim. quæst. 139. num. 1. Quod fortasse contigisse credendum est, quoniam non est admodum facile detrudere aliquem in Monasterium, vnde Alexander Tertius in cap. Sicut dignum in §. Clericos

eos de homic. huius inclusionis in Monasterium diffi- A
cultatem considerans præcipit quidem, vt Clerici depositi ob homicidium in Monasterium detrudantur addita conditione, *Si fieri potest*, dubitans de executione, non ob penuriam Monasteriorum, sed ob voluntatem eorum, qui recepturi erant huiusmodi depositos.

Immo dici posset non semper, & indistinctè antiquitus omnes depositos in Monasterium inclusos fuisse, sed tantùm Clericos illos, quorum crimina adeo grauia erant, vt sola depositio ad ea vindicanda non iudicaretur sufficiens, vt tradit Præpos. in capit. Si Euangelica distinct. quinquagesimaquinta, & colligit ex verbis textus, vbi Gelasius Papa ita inquit, *Et quamuis huiusmodi excessus grauiori esset pœna plectendus, bene tamen Fraternitas tua fecit vt officio eum Presbyterij remoueret. Hoc tamen solitudinis tuæ sit, vt locum ei pœnitentiæ constituas, & in aliquo eum Monasterio retrudas, laica tantummodo sibi communione concessa*. B
Idque confirmari etiam potest ex ijs, quæ dicuntur à Glosa in capit. Dictum Ver. Seculariter in fi. distinc. octuagesima prima. Vbi inquit hanc pœnam relictam esse arbitrio Iudicis iuxta delicti qualitatem: Nam depositus aliquando in Monasterium ad tempus detrudendus est, aliquando iubetur peregrinari per Orbem: Nonnunquam traditur Curiæ seculari.

Si quæratur quis à quo subministrari alimenta debeant ei, qui in Monasterium ad agendam pœnitentiam includitur: In capit. de Lapsis 16. quæst. sexta, C
huic difficultati satisfactum est: Vbi Gregorius mandat, vt Lapsi Sacerdotes in Monasteria pauperrima tradantur, & eorum bona dictis Monasterijs applicentur, vt Monachi ex illorum bonis subsidium percipiant, qui onus personarum assumunt.

Quod si Clerici depositi pauperes sint, quærenda sunt, vt inquit Archid. in eodem capit. De Lapsis, quem ibi sequitur Turre Crem. Monasteria periguia, & diuitijs, ac redditibus affluentia, & in eis dicti Clerici depositi sunt collocandi, aut alendi sunt ab Episcopo.

Sextus effectus proprius actualis Degradationis, D
qui non conuenit Depositioni est priuare Clericum priuilegio Clericali, tam Canonis, si quis suadente, quàm fori.

De hac amissione vtriusque priuilegij Clericalis tractaui in capit. tertio. Vbi ostendi hanc esse vnam differentiam inter alias inter depositionem, & actualem degradationem. Hinc patet Clericum depositum secundum regulam ecclesiasticam viuere debere, & manere sub tutela, & patrocinio Ecclesiæ, vt probat Glos. in capit. Dictum Ver. Seculariter distin. octuagesima prima.

Septimus effectus degradationis actualis non conueniens depositioni verbali est, quod degradatus E
actualiter statim efficitur fori secularis, quia cùm per actualem degradationem priuilegio Clericali priuatus remaneat, statim reuertitur ad forum secularem, ad quem antea pertinebat, nisi per priuilegium Clericale ab eo exemptus fuisset. Atque iuxta communem consuetudinem, quæ hoc tempore seruatur in Ecclesia degradatus statim traditur Brachio seculari, à quo mortis pœna afficitur.

Octauus effectus depositionis, & degradationis est priuare Clericum beneficijs, quæ possidet, ipsumque inhabilem reddere ad alia consequenda. De quo effectu, quoniam occurrunt aliquæ dubitationes discutiendæ, idcirco commodius erit de eo separatim pertractare in sequenti Capite.

CAPVT V.

An Depositio ab officio priuet Clericum ipso Iure beneficiis, eumque inhabilem reddat ad alia acquirenda.

QVoniam non infimum tenet locum inter alios effectus depositionis priuare Clericum beneficiis, & reddere eundem incapacem ad noua beneficia comparanda: Ideo necesse est explicare, quomodo intelligendum sit, & an id verum sit vniuersaliter de omni depositione.

Quòd hic effectus oriatur ab omni depositione, siue absolutè pronuncietur, vt cùm suspenditur Clericus simpliciter, siue etiam suspendatur ab officio, siue ab Ordine, hac ratione comprobari potest, Beneficium datur propter officium, ergo qui perpetuò per depositionem priuatus est officio, ex necessaria consequentia priuatus erit beneficio, quia ablato fundamento reliqua corruunt. Vnde Glos. prima, quæst. tertia in princip. Ver. Annexa, ex annexis sumit argumentum, idem iuris esse in vno cohærentium, quod in altero, & subiungit, *Vnde qui priuatur officio, & beneficio*, & citat iura, & inter alia cap. Eos octuagesima prima distinct. Vbi ita habetur, de Clericis, qui vt torniecentur diuinum officium amittunt, *Sicut se iniustissimè ab officio alienos faciunt, ita à beneficio Ecclesiarum priuatos esse adiudicamus*. Idem confirmatur, quoniam si suspensio perpetua ab officio habet vim priuandi suspensum etiam beneficiis, vt tradit Imol. in capit. Cum dilectus de consuet. ex sententia Calder. & Abb. in cap. Cum bonæ numero sexto, Vers. Vltimò se corrigit, de æta. & qualit. referens Host. inquit suspensionem ab officio non extendi ad beneficium, nisi lata sit ex impedimento perpetuo, ergo multo fortiori ratione affirmandum videtur depositionem, quæ ex propria ratione est pœna perpetua habere vim priuandi beneficiis.

Huic dubitationi respondendum est primò per depositionem ab officio, vel Ordine latam ab homine, remanere Clericum verbaliter depositum beneficiis, quæ antea possidebat priuatum, etiamsi in sententia depositionis nulla de beneficiis mentio facta fuerit.

Probatur primò, quoniam depositio est perpetua pœna, vt in capit. primo distinct. quinquagesima, & capit. At si Clerici de Iudi. Ideo Abb. in cap. Veritatis numero decimo tertio de dolo, & contum. ex verbis illius tex. *Tulimus sententiam perpetuæ Depositionis in ipsum, & eum tam à Pontificali dignitate, quàm ab omni officio Sacerdotali priuatum sine spe restitutionis aliqua duximus condemnandum*, Inquit particulam illam *Sine spe restitutionis* positam esse ad terrorem, & non esse necessariam, quia omnis depositio est perpetua, si depositio est perpetua, ergo ille, qui perpetuò priuatus est officio ecclesiastico, dignus est, vt beneficio priuetur, quod per hominis sententiam contingit.

Secundò irregularis, postquam per sententiam Iudicis est declaratus talis, amittit beneficia si ab alio impetrentur, vel fuerit Clericus condemnatus, antequam ab irregularitate fuerit absolutus; ergo de depositio idem est asserendum: Nam eadem est ratio vtriusque quoad hanc partem, quia irregularitas ex sui

sui ratione est perpetuum impedimentum ad officium exequendum, sicut depositio quomodo enim potest retinere beneficium, qui perpetuò factus est inhabilis ad officium. Vnde in capit. Ex literis de excess. Prælat, Episcopus, qui propter cooperationem aliquam ad homicidium irregularitatem contraxerat monetur Episcopatui cedere, & si recuset, præcipitur illo priuari, & in capit. Fraternitate de Cleri. excommunic. Mini. dicitur de his, qui excommunicati celebrauerant, & ex consequenti effecti erant irregulares, priuandos esse ecclesiasticis beneficijs. Quare si hic effectus conuenit irregularitati, multò magis tribuendus est depositioni: Nam si vim huius vocis *Depositio* attendamus, propriè videtur includere priuationem totalem, quare depositio lata per hominis sententiam priuat beneficijs possessis per ipsum depositum, & multò magis fit inhabilis ad alia obtinenda, cum id etiam suspensio operetur durante suspensione, vt probabo in Disp 3. cap. 4. Quare Sylue. Ver. Degradatio in princ. dicit degradationem, idest depositionem verbalem denotare priuationem executionis legitimæ officiorum, & beneficiorum simpliciter, & ex toto.

Sed contra dicta obijci potest ex capit. secundo de Pœn. lib. sexto. Vbi explicatur forma seruanda, quando quis actualiter degradatur, & inter alia hæc verba recensentur, *Deponimus, Degradamus, Spoliamus, & Exuimus te omni Ordine, beneficio, & priuilegio clericali*. Ex quibus verbis colligi potest hunc effectum priuandi beneficio esse proprium Degradationis actualis, ergo per verbalem Depositionem ab homine latam non potest quis beneficio priuari; nam in eod. cap. secundo de Pœn. primùm agitur de Depositione verbali, & nihil dicitur de priuatione beneficiorum.

Confirmatur, quia ob eandem rationem asserunt Doctores priuationem priuilegij clericalis non esse effectum Depositionis verbalis, quoniam in dicto cap. 2. de priuatione huius priuilegij, mentio fit, quando traditur forma Degradationis actualis, non autem quando agitur de Depositione verbali.

Respondeo non posse concludenter probari ex dicto cap. 2. de Pœn. lib. 6. Priuationem beneficiorum non esse effectum Depositionis verbalis, quoniam in eo capit. Non explicantur effectu dictæ Depositionis, nec verborum forma traditur, per quam fieri debeat; sed solùmodo assignatur forma Degradationis actualis. Neque valet consequentia in forma Degradationis, inter alios effectus enumeratur priuatio beneficiorum, ergo hic effectus non conuenit Depositione verbali. In hoc enim non distinguitur Depositio à Degradatione: Degradatio enim, vt dixi, est quædam executio verbalis Depositionis, eodem modo ex eod. tex. non liceret probare priuationem priuilegij clericalis non sequi ex Depositione verbali, sed tantum actuali Degradatione, sicut reuera est, nisi ex alijs Iuribus constaret, vt probatum est supra, huiusmodi priuilegium per solam Depositionem verbalem non ammitti.

Secundò dico Depositionem ab officio simpliciter à Iure latam non inferre ipso facto amissionem beneficiorum, quæ per Depositum possidentur.

Hæc conclusio probari potest, quoniam nullibi in Iure hoc cauetur, neque ex propria significatione verborum Depositio ab officio includit priuationem beneficij: Aliud enim est officium, aliud est beneficium, sicut ob hanc rationem idem affirmatur de Suspensione ab officio, vt dicam in dicto cap. quarto Disput. tertia, Præsertim, quia pœnæ non sunt extendendæ vltra proprietatem verborum. Neque aliquid facit, quòd beneficium detur propter officium, quia, vel officium illud debitum potest per alium suppleri, vel impedimentum Depositionis auferri.

Ratio verò differentiæ, propter quam depositio per sententiam hominis inducat priuationem beneficiorum, non autem, quæ à Iure fertur, illa assignari potest, quia lex regulariter non ita seuerè hominem pœna afficit, vt per se ipsam cogat hominem in se ipsum statim exequi pœnam, præsertim vbi pœna, hominis actionem exigit, sicut est spoliare aliquem beneficijs, sed id iustè per Iudicem fieri debet, quando delictum hanc pœnam exigit, sicut asserendum est de crimine, quod depositione dignum est.

Eodem modo dicendum est de irregularitate, nimirum eum, qui post legitimam collationem beneficij irregularitatem contrahit, non priuari ipso Iure beneficio ex vi ipsius irregularitatis. Et hæc videtur sententia communis Doctorum. Innoc. in cap. Cum nostris ante fi. de Concess. Præben. Abb. in cap. Tanta num. 2. de Excess. Prælat. & in cap. Nisi cum pridem num. 4. de Renunc. Felin. qui plures refert, in cap. Inquisitionis num. 3. & seq. de Accusat. Nauar. in Manua. capit. vigesimoseptimo numero ducentesimo quinquagesimo primo.

Quod verum est regulariter, nisi in Iure aliter in quibusdam casibus expressum fuerit, vt delictum ob eius grauitatem vtraque pœna plectendum sit, priuationis officij, & beneficij, sicut de irregularitate statutum est in peccato Hæresis in cap. Cùm secundùm leges de Hæret. lib. 6. In crimine simoniæ cap. Si quis Episcopus 1. quæst. prima. In assassinio, idest homicidio qualificato cap. primo de homic. lib. 6. Similiter in homicidio Clerici alicuius Ecclesiæ commisso à Patrono, vel alia simili persona cap. In quibusdam de Pœn. & in similibus, & de priuatione beneficiorum, atque de alijs effectibus depositionis satis sint hæc, pertranseamus ad explicationem causarum.

CAPVT VI.

De Causa materiali Depositionis, & Degradationis.

Disputandum est de causis depositionis, & degradationis. Et primo loco tractabimus de causa materiali, & formali: Deinde de efficiente, & finali. Quod spectat ad causam materialem, à qua initium sumam: Idem est quærere, quæ sit causa materialis depositionis, ac si quæreremus, quæ sint crimina depositione digna. Duplex enim potest considerari materia depositionis: Altera remota, idest subiectum, circa quod versatur depositio, & est Clericus, seu persona ecclesiastica; Alia proxima, & est crimen dignum vindicari tali pœna depositionis, & de hac materia modò loquimur.

Doctores inuestigantes materiam depositionis, idest quæ sint crimina depositione digna, varijs modis respondere solent, Domin. in §. de his distin. 50. & in cap. primo dist. 35. inquit regulariter pro nullo crimine Clericum deponi posse, nisi illud in Iure exprimatur, quod ait in grauibus tantum fieri, vt refert Dec. in cap. At si Clerici de Iudi. Abb. in cap. fin. n. 1. Vers. Nota quatuor delicta de celebr. Missa. recenset

quatuor

quatuor scelerum genera, quæ à sacris Canonibus depositionis pœna digna iudicantur. Primum est, si quis celebret in pane fermentato; Secundùm si celebret in Calice ligneo; Tertium si sine aqua; Quartum si sine lumine quis quærat, an ad incurrendam depositionem requirantur hec quatuor delicta simul, vel singula per se sufficiant, Doctores non exprimunt, Abb. putat id diiudicandum esse ex qualitate loci, & ex contemptu Sacerdotis delinquentis, an ex consuetudine solitus sit peccare, & ex alijs conditionibus. Concludit tandem pro crimine enormi posse Clericum deponi ex cap. Tuæ de pœn. vbi quæritur, *Qualiter Clerici in latrociniis, & alijs magnis sceleribus deprehensi puniri debeant*, & respondet Innocentius Tertius, *Quòd à suis ordinibus degradati detrudi debeant in arctis Monasterijs ad pœnitentiam peragendam*. Sub nomine magnorum scelerum plura delicta comprehendere videtur, vnde Abb. ibi n. 3. colligit non esse mentē Papæ, vt pro quolibet peccato mortali infetatur pœna depositionis, nisi crimen sit magnum. Imm recenset neque beneficio priuari debere Clericum, nisi ob graue crimen, vt dicit tex. in cap. Inuentum 16. q. 7. Deinde Abb. quærens, quæ sint grauia delicta distinguit tripliciter genera delictorum. quòd alia dicantur leuia, in quibus non intercedit dolus, vt quando aliquid fit ex negligentia, vel inconsideratione, vel etiam si dolus contingat, sed circa rem modicam l. leuia ff. de accusa. & cap. Cum dilecti de accusa. Delicta grauia sunt, que cum dolo committuntur, & ordinantur in graue præiudicium alterius, vel Reipub. & pęna magna imponitur, vt furtum periuriū, & similia, vt in c. Cum non ab homine de Iudi. Grauissima sunt, in quibus pęna mortis imponitur. Clericus ob leue crimen non debet deponi, nec priuari beneficio, sed poterit ad tempus suspendi, vel aliter corripi arbitrio Iudicis, si grauia, deponi potest, si grauiora vltra depositionem detrudi in Monasterium, vt in c. Tuæ de pœn. Si grauissima, quorum gratia Iure Ciuili pœna mortis plectendus esset, deponi potest, & damnari ad perpetuum carcerem, vt in c. penult. de hæret. in cap. Nouit de verb. signif. & in cap. 1. de hæret. lib. 6. Verum autem Clericus ita depositus & damnatus ad perpetuum carcerem sit priuatus facultate condendi Testamentum, & bona sua transeant ad successores ab intestato, sicut dicitur de bonis eorum, qui ad mortem sunt damnati in Authen. Bona damnatorum. C. de bonis damnat tractant Doctores & Abb. in dicto cap. Tuæ n. 6. de pœn. & tuētur partem negatiuam, nimirum ita depositum non amittere ius condendi testamentum, idem Abb. in cap. At si Clerici num. 34. de Iudi. tractans eandem dubitationem, idest quę delicta sint depositione digna pro solutione refert tres Glosas singulares & præcipuas, ex quibus colliguntur diuersæ & contrarię regulæ iuxta varias opiniones Doctorum, Glos. prima habetur cap. 1. dist. 81. secunda legitur 15. quæst. 8. in Summa in fi. quæ recensent duas sententias, quarum prima tenet, omne crimen esse depositione dignum, nisi in Iure excipiatur, secunda verò è contra inquit nullum crimen esse depositione vindicandum, nisi in Iure id exprimatur, & hanc secundam magis probat Abb. nisi accedat incorrigibilitas, & tenet non sufficere primam contumaciam. Idem tenet Imol. in l. scimus circa princ. Cod. de Iure delibe. per Textum in §. Cum igitur. In Authen. de non eligen. secundo nuben. Tertia extat Glosa, quæ videtur magis coarctare solutionem huius difficultatis in cap. fin. Ver. supplicauit 1. quæst. 5. affirmans non esse quempiam deponendum, nisi pro maximo crimine, & hæc Glosa magis videtur cohærere cum verbis cap. Tuæ de pęn. Vbi ob magna scelera Summus Pontifex statuit ad pœnam depositionis deueniendum esse, & similiter in c. Inuentū 16. quæstione septima, singulariter asseritur non esse aliquem beneficio priuandum, nisi pro graui crimine. Hoc idem confirmat Glos. fin. in c. 1. de capell. Monach. lib. 6. Glos. in cap. Sicut 2. Ver. Incauta in fi. de Iu. iur. Textus in cap. Ex tenore, & ibi Glos. Ver. Vtatur de Temp. ordin. quæ ad depositionem exigit, vt crimen sit graue, seu enorme, & manifestum, cap. Ad Apostolicæ de re Iudi. libro 6. Vbi refertur depositio Friderici Imperatoris facta ab Innoc. Quarto in Concilio Ludgunen. ob grauissima crimina per eum commissa, & Glos. ibi in Ver. Grauissima notat *Bene dixit grauissima, quia maxima causa subesse debuit Imperatoris Depositioni, nec est similis depositioni Clericorum, qui pro quolibet magno, peccato deponi possunt*.

Ex his omnibus illam generalem conclusionem inferre possumus, in qua omnes Doctores conuenire videntur, nimirum Clericum non debere à Superiore per sententiam depositionis pœna mulctari, nisi crimen sit graue. Quæ autem grauia delicta iudicari debeant, Superioris & Iudicis arbitrio relinquitur, vt inquit Abb. in capitulo Tuæ de pœn. Glos. in capitulo Cum illorum in Ver. Mutilatione membri de sentent. excommun. Specul. in titul. de lega. §. Tractemus, Felin. in capitulo, At si Clerici, numero trigesimo, de Iudi. Bernard. Diaz in sua Practic. crim. capitulo 138. numero tertio. Iudex autem, vt in hac deliberatione facienda minus errare valeat, iudicium suum exemplo Sacrorum Canonum dirigere debet, vt ex ijs criminibus, quæ in Iure pœnā depositionis vindicata conspicit, similia delicta pari pœna corrigi posse censeat, vt inquit Abb. in capitulo At si Clerici numero trigesimoquarto, de Iudi. & addit Abb. Hac in re non esse solum attendendos Canones antiquos, à quibus frequenter depositionis pœna imponebatur contra quodcunque delictum, quia, vt habetur in cap. Fraternitatis dist. 34. *Defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita sed corpora ipsa hominum defecerunt*, rigorem antiquorum Canonum sustinere non valet, ideo Gofred. in Sum. in Tit. de cohab. Cleri. & mulie. tenet, quòd licèt omne peccatum & crimen mortale ex rigore Iuris postulet depositionem, cap. Si Episcopus dist. 50. & c. Si Diaconus dist. 81. secus tamen est, si attendatur Iuris æquitas & misericordia, nisi habeat aliquam qualitatem & circunstantiam aggrauantem, quas refert Abb. in dicto cap. At si Clerici n. 34. prope fin. de Iudi. ex sententia Gofred. & Antoni. Prima est, si Clericus sit incorrigibilis, stante enim hac qualitate ob quodcunque delictum potest deponi c. Cum non ab homine de Iudi. & non sufficit prima contumacia, vt inquit Glos. in cap. 1. Ver. & damnatione dist. 81. Secunda conditio est, si delictum habeat annexam irregularitatem, vt in cap. Nisi cum pridem §. Propter conscientiam de renuncia. Tertia si delictum sit notorium & cum scandalo, cap. Non debet 30. q. 1. Quarta si longo tempore frequenter & continuò repertum, Glos. 1. in cap. Presbyter distinct. 81. & in cap. 1. de Cleri. percuss. Quinta si coniunctam habeat infamiam Iuris, puta si Clericus per sententiam declaratus sit infamis, tunc enim potest priuari beneficijs, & deponi, secus est de infamia facti. Quo casu Iudex debet progredi ad inuestigandum delictum per Inquisitionem, quòd si

A crimen probari nequit, & infamia adhuc vrgeat, tunc purgatio est indicenda. Verum si infamia inducat scandalum, vel crimen sit graue & enorme, tunc pendente processu statim suspendi poterit, vt notat Abb. in dicto cap. At si Clerici num. 31. de Iudi. & in similibus casibus eodem modo sentiendum erit.

Quare cum prædicta scelera cum his qualitatibus dici possint grauia & enormia, quæ digna sunt depositione, redditur conclusio proposita firma & valida, vt Iudex non debeat inferre depositionem, nisi crimē sit enorme & maximum. Ad diudicandum autem, quę delicta sint huiusmodi, præter dicta legendus est tex. cum Glosa in l. 1. C. de requi. Reis. & Glos. in l. Ad ea. ff. de Regu.

B Ex dictis intelligi potest, an Clericus propter fornicationem depone debeat, de qua quæstione plura disputantur à Doctoribus in cap. Sicut de cohab. Cleri. & Mulie. & in dicto cap. At si Clerici de iud. & Abb. ibi nu. 35. refert varias opiniones, & tandem num. 36. concludit, quòd cum Iura circa delictum fornicationis & Concubinatus vario modo disponāt, modo durius in illud animaduertendo, modo mitius, aliquando medio modo, idcirco relictum esse arbitrio Superioris, vt consideratis circunstantijs, scandalo, & consuetudine loci quandoque inferat pœnam depositionis, nonnunquam suspensionis, interdum priuationis à beneficijs, & aliquando prius moneat Clericum, vt dimittat Concubinam, aliquando sine monitione progrediatur ad priuationem, si constet de delicto, cum enim diuersimode Iura loquantur, conceditur facultas C Iudici, vt eligat poenam, quam censet magis commensurari delicto habita ratione personarum, loci, temporis, & aliarum conditionum iuxta notata per Glosam in cap. Fraternitatis Ver. Professura 34. dist. & in cap. A crapula Ver. Vel beneficio de vi. & honest. Cleri. & Glos. in Summa Ver. Qui verò 21. q. 5. & notat Host. in cap. 2. de Cleri. non resid. eandem quæstionem tractans. Quoties enim variæ pęnæ statuuntur, datur optio Superiori eligendi, quam iudicauerit magis expedire. Semper tamen, cum agitur de crimine incontinentiæ, declinare debet in mitiorem D partem, vt inquit Abb. in dicto cap. At si Clerici num. 36. de Iudi. Minus enim malum est, à Deo redargui ob nimiam misericordiam, quàm ob seueritatem cap. Alligant, & ibi Glos. Ver. Melius est 26. quæst. 7. & hæc satis erunt de causa materiali depositionis.

Quòd si tractemus de causa materiali actualis degradationis, idest, quæ sint crimina, quæ puniri debeant actuali degradatione, quorum causa Clericus seculari Curiæ relinquitur, Glos. in c. Ad abolendam Ver. Relinquatur de Hæret. tres casus recenset, in quibus Clericus post depositionem traditur Curiæ seculari. Primus est in crimine Hæresis. Idem tenet Glos. vlt. in cap. Cum non ab homine de Iudi. Hodie tamen id intelligitur, quando quis est relapsus in Hæresim, vt in c. Super eo, & in cap. Accusatus de hæret. lib. 6. E & ita dicunt Abb. in cap. At si Clerici num. 37. & Felin. num. 32. de Iudi. Secundus casus ex mente illius Glosæ est in crimine falsi, cap. Ad falsariorum de crimin. fal. cap. Nouimus de verbor. signif. Vbi Glos. in Ver. Tradatur, & hoc dictum locum habet, si Clericus falsarius sit incorrigibilis, aliàs non erit tradendus Curiæ seculari, sed tantum degradandus à suis ordinibus, capit. Ad audientiam de crim. fal. nisi sit falsarius literarum Papæ, est enim speciale in falsario literarum Papæ in odium tanti criminis, vt post degradationem statim tradatur Curiæ seculari, non expectata incorrigibilitate, vt notat Glos. in dicto cap. Ad audientiam Ver. Degradatos de crimin. fal. & in dicto cap. Ad falsariorum Ver. Tradantur, & Glos. in cap. Cum non ab homine in Ver. Postmodum de Iudi. falsarius enim literarum Papæ est ipso Iure excommunicatus, depositus omni priuilegio Clericali, & statim traditur Curiæ seculari. Tertius casus est propter calumniam & contumeliam, quam Clericus in suū Episcopum inferat, vel si insidias parauerit, aut contra eum machinatus fuerit, cap. Si quis Sacerdotum 11. quæst. 1. Glos. in cap. fin. Ver. Coniurationem de testi. cogen. Quod etiam de incorrigibili intelligendum esse sentit Glos. in cap. Cum non ab homine Ver. Postmodum de Iudi. & idem censet Glosa in cap. Si qui sunt Ver. Vituperatores 2. q. 7. & Glos. in cap. Nouimus Ver. Tradatur de verb. signif. Et hanc opinionem tanquam mitiorem amplectendam esse dicit Abb. in dicto cap At si Clerici nu. 37. Vers. & ista opinio tanquam mitior de Iudi. & à Doctoribus communiter approbari, nam si propter homicidium non traditur Clericus Curiæ seculari, vt in cap. Cum non ab homine de Iudi. multo minus propter simplex conuitium, vel contumeliam contra Episcopum esset seculari Iudici relinquendus.

Exceptis tribus his casibus, putat Glos. cit. in c. Ad abolendam Ver. Relinquatur de hæret. Clericum degradatum non debere tradi Curiæ seculari, si spes de eo haberi possit, vt corrigatur. Sed aliqui solent etiam excipere sortilegium ex cap. Admoneant 26. q. 7. vbi in fine de eo, qui huius vitij labe inquinatus fuerit hæc habentur, *Et si quis hac exercuerit Clericus degradatur, Laicus anathematizetur.* Quod tamen dictum minimè placet Abb. in dicto cap. At si Clerici n. 37. Vers. Extra illos de Iudi. quia tex. in illo capit. Admoneant cum simpliciter vtatur verbo *Degradetur*, de degradatione verbali intelligi debet, sicut in cap. Tuæ de pęn. dicitur Clericum esse degradandum pro magnis sceleribus, & in Monasteriū detrudendū, vbi similiter accipitur degradatio pro verbali depositione. ideo additur, vt in Monasteriū detrudatur, post actualē n. degradationem Clericus traditur Curiæ seculari, & statim pertinet ad forum secularē c. 2. de pęn. libro 6. Alij solent etiā excipere schisma, vt referunt Io. And. in c. Cum non ab homine de Iudi. sed debet intelligi de incorrigibili, & hoc modo non est specialis casus, sed generalis, vt inquit Abb. in cap. At si Clerici nu. 38. de Iudi. duos alios casus addit Felin. in eod. cap. At si Clerici num. 32.

Sed Abb. ibi num. 39. tandem videtur concludere in hac quæstione vna cum Petro Anchar. Clericū ob grauissimum crimē esse actualiter degradandū & tradendum Curiæ seculari, & interpretatur c. Cum nō ab homine, vbi pro homicidio imponitur tantum pęna depositionis verbalis, & non degradationis actualis, intelligendum esse de homicidio simplici non qualificato, quod reducitur ad aliam speciem grauiorē, puta parricidium, assassinium, homicidiū Sacerdotis, proditionem cum dispoliatione bonorum, vel si simplex homicidium repetitum fuit. In his sceleribus enormibus, & grauissimis, & in similibus tenet non esse locum dicto cap. Cum non ab homine, vt sufficiat sola depositio. Ad hoc probandum multa affert, sed præcipuum illud videtur fundamentum, nam plura sunt genera delictorum, quæ nefandissima sunt & grauissima, quibus in sacris Canonibus nulla certa pęna definita reperitur, quæq; Iure Ciuili acerrimè puniuntur, vt contra eos, qui templa Dei fregerunt, igne cre-

cremarunt, dispoliarunt Sacerdotes, interfecerunt Parentes, vel Patriam prodiderunt, & his similia, vt l. Capitalium de Poen. l. 3. §. legis Corneliæ ad leg. Corne. De sica. & l.Poena Parricidij Ad leg. Pompejam de partici. Ergo videtur absurdum asserere Sacerdotem talia committentem iusta,& condigna pœna corrigi, si carceri mancipetur, vel in Monasterium detradatur,cum contingere possit,vt laicus in eodem crimine socius comburatur,aut damnetur ad bestias, vel iactetur in profundum maris, siue per frusta diuidatur, esset enim ab omni ratione, & æquitate alienũ, vt in coercendis Clericis, & laicis eiusdem criminis reiatam insignis intercederet inæqualitas; Itaque Abb. vult huiusmodi Clericos degradandos fore, & Curiæ seculari tradendos.

Aret.in cap. Cum non ab homine de Iudi. vt refert Felin.in cap At si Clerici num.32.eod.tit.non videtur omniuo probare sententiam Abb. ob eam rationem, quoniam tex. in dicto cap. Cum non ab homine duo videtur copulatiuè requirere ad hoc, vt Clericus possit actu degradari, & Curiæ seculari tradi. Primum, quòd Clericus sit incorrigibilis; Secundum,quòd Ecclesia nullam aliam condignam habeat poenam ad commensurationem delicti, vt corrigat Clericum, ergo vnum non sufficit, scilicet criminis enormitas.

Hæc sunt, quæ communiter in hac difficultate à Doctoribus traduntur; Ego huic quæstioni duabus propositionibus explicabo, quid probabilius responderi posse censeam.

Primum dico cauendum esse opinionem Francisci Duareni lib. 1. cap. 3. De Sacris Ecclesiæ Ministerijs, qui nimis audacter affirmare ausus fuit morem istũ Ecclesiæ tradendi Clericos exauthoratos,& degradatos Curiæ seculari Veteribus minimè notum fuisse, quasi recens inuentum esse existimet. Hæc opinio falsa est, & meritò reijcienda; Quia non est credendum in Dei Ecclesia nouum esse,de quo multi sunt antiqui Canones,in cap.Si quis tumidus, cap.Felix 15.q.7.ex Concil.Carthag.primo,cap.11.& ex Carthag.2. cap. 10. & præterea extant Concilium Toletanum quartum cap.18. Concilium Tribunense cap.10. & cap.2. de translat. Prælat. cap. Degradatio de Poen. lib. 6. quibus in locis fit mentio Degradationis huiusmodi, cum statuatur numerus Episcoporum, qui tunc temporis requirebatur in exauthorando Episcopo, Presbytero, & Diacono.

Secundò dico pro nullo crimine quantumcunque graui esse imponendam Clerico poenam Degradationis, nisi reperiatur Iure expressum, vt voluit Anani. in cap. 1. de Cleri.pugnan. in duel. quasi in fi. post Anton. quem ibi refert, & Glos.in Summa Ver. de vltima in fi.15.q.7.

Item non potest inferri huiusmodi poena, nisi præcesserit accusatio,vt in cap.Dilectus filius de simo.secundum Hostien.in Summa in tit.de accusat.in §.qui sit effectua accusationis, Vers.Ergo sine accusatore, & tenet Bernard. Diaz in sua Pract. Cano. crim. cap.143. num.3. Superest, vt expedita declaratione causæ materialis tam depositionis verbalis,quàm actualis degradationis, pertranseam ad declarationem aliarum causarum.

A

CAPVT VII.

De Causa formali, Depositionis, & Degradationis.

FOrma seruanda in depositione, seu degradatione verbali traditur à Bonifacio Octauo in cap. Degradatio de pœn. lib. 6. Vbi dicit verbalem degradationem, seu depositionem ab Ordinibus, vel gradibus ecclesiasticis fieri debere à proprio Episcopo sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris Ordini-B bus cõstitutorum certo Episcoporum numero à sacris Canonibus definito, vbi Glos. Ver. Canonibus, declarat hunc numerum, dicens,in causa Presbyteri requiri sex Episcopos,in causa Diaconi,vel Subdiaconi tres præterquam in casu hæresis iuxta definitionem Gregorij. Noni in cap. 1.de Hæret. lib. 6. Vbi ob difficultatem, & incommodum congregandi tot Episcopos, concedit, vt si Sacerdos, vel alius Clericus in sacris constitutus pro hæresi est Curiæ seculari tradendus, vel perpetuò carceri mãcipandus, à solo proprio Episcopo degradari possit, conuocatis Abbatibus, alijsque Prælatis, & Religiosis personis, ac literatis suæ Dioecesis: & talis proprij Episcopi sententia sufficiens erit ad deponendum Clericum iuxta decretum ipsius C Bonifacij Octaui in dicto cap. 2. de pœn. lib. 6. In regradatione verò eorum, qui duntaxat minores Ordines receperunt numerus Episcoporum nõ videtur necessariò requisitus.

Neque alia solemnitas colligitur ex corpore Iuris adhibenda in depositione, seu degradatione verbali, præterquam certus numerus Episcoporum. Quare nulla est necessaria præscripta forma verborum, neq; vlla alia conditio, aut qualitas.

Animaduertendum tamen est hanc specialem solemnitatem de certo numero Episcoporum in depositione verbali requiri ab ipso Iure in depositione illa, quæ præcedit actualem degradationem, & ad ipsam ordinatur, sed non videtur necessariò in depositione D absoluta, quia hoc in Iure nullibi præcipitur. Vnde in cap. Degradatio de pœn. lib. 6. Vbi præscribitur hæc forma, agitur de depositione, seu degradatione, quæ præmittitur ante actualem. Similiter in cap. 1. de Haret. eod. lib. è contra verò, vbi Ius præcipit aliquem degradari ob aliquod crimen, non facta mentione de traditione Curiæ seculari, vel de carcere perpetuò, nihil dicit de hoc numero Episcoporum, vt in cap. Si quis Sacerdos 30. quæst. prima. Vbi de Sacerdote, qui cum filia sua spirituali fornicatus fuerit, simpliciter, simpliciter, vt deponatur ab omni officio, & peregrinando duodecim annis pœnitentiam agat, in cap. Sacerdos de pœn. dist.6. Sacerdos, qui peccati pœnitentia promulgare præsumit, absolutè man-E datur deponi,& omnibus diebus vitę suæ peregrinando pergere. Similiter in cap. Dictum, capit. Si quis Presbyter dist. 81. cap. Omnis in fi. de pœnit. & remiss. & alibi sæpissimè: Ita sentit Gemi. in dicto cap. Degradatio num. sexto in fi. Vers. Sed est sciendum de pœn. lib. 6. dicens ex generali consuetudine Episcopos audire causas criminales suorum Clericorum, etiamsi de homicidio, adulterio, vel alijs grauibus, & enormibus delictis sint accusati, & imponere pœnam depositionis non adiuncto numero Episcoporum definito, si illum ad actualem degradationem ordinare non intendunt. Et ad id confirmandum plura ex Iure Canonico testimonia citat,

idem Gemin. & ad id facit cap. fin. de celebrat. Missa. Vbi Episcopus sine numero Episcoporum Sacerdotis causam cognoscit, & eum ab officio, & beneficio verbaliter deponit. Idem ferè ijsdem verbis dicunt Anchar. & Franc. in eod. cap. Degradatio num. 3. in fi. de poen. lib. 6. & Franc. in eandem sententiam citat Speculat. in tit. de Accusa. §. Quarto loco, Io. And. & Domin. quam tenet etiam Abb. in cap. At si Clerici §. de Adulterijs num. 17 prope fi. de Iudi. & sequuntur Recentiores, Iulius Clar. in Pract. crim. quæst. 74. & citat Foller. in simili Pract. Cano. Idem ait Bernard. Diaz in sua Pract. Crim. cap. 3. num 6. qui affirmant Episcopos per se, vel per officiales suos audire posse, & cognoscere causas criminales suorum Clericorum, & verbaliter deponere. Quare hæc solennitas ex dispositione Agathen. & Carthaginen. Concilij, vt in causa criminali, in qua proceditur ad Depositionem, Presbyter à sex, Diaconus verò à tribus Episcopis condemnetur, vt habetur in cap. Si quis tumidus, cum duobus seqq. 15. q. 7. requirebitur solum in Depositione verbali respectiua ad actualem degradationem, præterquam in crimine Hæresis iuxta decretum cap. 1. de Hæret. lib. 6. non in absoluta.

Et huius diuersitatis inter depositionem absolutã, & respectiuam ad degradationem, ratio assignari potest; Primo quia post actualem degradationem statim Clericus remanet exutus omni priuilegio Clericali, & traditur Curiæ seculari, à qua regulariter vltimi supplicij poena corripitur, meritò prouisum fuit, vt numero Episcoporum accersito maiori maturitate Depositionis causa cognosceretur, cessat hæc ratio, vbi Iudex Ecclesiasticus sola depositione verbali in Clericum delinquentem animaduertere intendit, non enim tunc priuatur priuilegijs clericalibus, sed adhuc retinetur sub foro Ecclesiastico; Accedit, quòd depositio verbalis sæpe reperitur in Iure lata ipso facto ob aliquod crimen incurrenda, ergo non est mirum, si à solo Iudice per sententiam ferri possit, vbi ad degradationem non ordinatur.

Exponamus modò distinctius hanc solennitatem de numero Episcoporum requisitam in depositione verbali respectiua ex decreto capit. Degradatio de poen. lib. 6.

Primò requiritur in hac depositione verbali, vt fiat à proprio Episcopo.

Quærunt Doctores; An Episcopus electus, & confirmatus, non consecratus valeat deponere.

Glosa in cap. Transmissam Ver. de talibus de elect. enumerans ea, quæ Episcopus efficere potest, inquit Electum, & non confirmatum posse exercere actus Iurisdictionis, nempe iudicare, excommunicare, corrigere, iuramenta recipere à vassallis, confirmare, inuestire, beneficia conferre, & similia. Post Consecrationem autem ait exercere posse actus Ordinis, nimirum Clericos ordinare, Chrisma conficere, deponere Clericos, benedicere Virgines, Ecclesias, & Altaria consecrare, & similia; Ergo Glos. putat Episcopum electum, & confirmatum, non consecratum minimè deponere posse. Idem in cap. irrefragabili §. Excessus de off. Ordin. Abb. in eod. cap. Transmissam num. 4. super hac quæstione quinque diuersas sententias recenset. Ex omnibus autem tanquam probabiliorem approbat opinionem Glosæ, vt vniuersaliter Episcopus non consecratus Clericum deponere non possit, fundamentum ipsius est, quia sicut caret potestate conferendi ordinem ante consecrationem; Ita quoque non potest Clericum deponere ab Ordine;

A quia maior potestas requiritur in auferendo Ordinem, quàm in conferendo, nam in cap. fin. 15. q. 7. dicitur Episcopum solum tradere Ordines posse, & tamen solus nequit illos auferre, quod etiam clarius habetur in cap. inter corporalia de Transla. Episc. his verbis: *Vnde iuxta Canonicas sanctiones Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest, Episcopi quoque à Metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt, qui tamen non possunt, nisi per Romanum Pontificem condemnari.* Et ibi affertur ratio huius rei, quia spiritualia facilius construuntur, quàm destruuntur. Contra verò corporalia. Confirmatur etiam opinio Glosæ, quia Papa statuit, vt depositio fiat à proprio Episcopo, sed electus, & confirmatus ante consecrationem

B non appellatur Episcopus, sed vocatur electus, vt in cap. Tua de his, quæ fi. à Prælat. Et hæc opinio Glosæ videtur communior, nam illi etiam, qui fauent Episcopo electo, & confirmato, vt Host. licèt asserant licere Episcopo electo, & confirmato cognoscere de causa criminali Clerici, & iudicare illum esse deponendum, negant tamen degradare posse: & ita tenent Gemin. in dicto cap. 2. num. 5. & Anchar. numero 3. de Poen. lib. 6.

Verum ex his, quæ dicuntur ab Host. & confirmantur à Gemin. & Anchar. colligere possumus hanc sententiam Glosæ communiter approbatam intelligendam esse de actuali degradatione, nempe quòd Episcopus electus, & confirmatus ante consecrationem non possit actualiter Clericum degradare, quia huiusmodi degradatio videtur quidam actus ordinis

C dependens ab ipsa consecratione; sed non habet locum in depositione verbali, etiamsi ordinetur ad actualẽ degradationem, quia verbalis depositio etiam respectiua nihil aliud est, quàm sententia quædam, & ita est actus solius Iurisdictionis, non Ordinis. Quare Episcopus electus, & confirmatus etiam ante consecrationem poterit verbaliter deponere, quia iam habet iurisdictionem, & depositio est actus Iurisdictionis.

Neque tantum à proprio Episcopo fieri potest de-

D positio verbalis, sed etiam ab alieno accepta licentia à proprio, quia hæc Iurisdictio, sicut & aliæ, delegari potest. Immo non solum hæc iurisdictio deponendi verbaliter Clericum committi potest alteri Episcopo, sed etiam simplici Clerico, vt Vicario Episcopi, quia cum ad hunc actum per se & simpliciter non exigatur consecratio Episcopalis, minus quoque necessaria erit, si exerceatur per delegatum, sicut statutum fuit in Concilio Trident. Sess. 13. cap. quarto, De Reform.

Secundò requiritur in depositione verbali, si deponendus est Clericus in sacris constitutus præsentia aliorum Episcoporum iuxta definitionem sacrorum Canonum. de hoc numero Episcoporum agitur in tex. & Glos. in cap. Si autem, & in cap. Felix cum seq. 15. q. 7. & in cap. 2. de Poen. lib. 6. nempe vt causa

E Episcopi à duodecim Episcopis cognoscatur, causa Presbyteri à sex Episcopis; Diaconi verò causa à tribus, & eadem est ratio de causis Subdiaconorum, ca. Miramur De seru. non ordinan. & notat Glos. in cap. secundo, Ver. Canonibus De Poen. libro sexto, & in cap. Si autem Ver. Solus 15. quæstion. septima. Glos. in cap. primo. Ver. Canonibus De Hæret lib. 6. Innoc. in cap. Graue De Præben. Abb. in cap. Non potest nu. 4. de sent. & re iudi.

Quare Episcopi causa, vt inquit Abb. in dicto cap. Non potest num. 5. si agatur criminaliter, & crimen

postu.

postulet depositionem ab Ordine, & dignitate Episcopali, examinãda est ab omnibus Episcopis totius Prouinciæ vnà cũ Metropolitano, velut minimum à duodecim Episcopis vltra Metropolitanum, vt notat Glo. in Summa Ver. Quod autem 3. q. 8. Archid. in capit. Scitote 6. q. 3. Innoc. in cap. Graue de præben. Idque Iure antiquo seruabatur, vt in cap. Si quis Episcopus criminaliter 6. q. 4. Sed Iure recentiori dicti Episcopi cognoscere possunt causam Episcopi vsque ad sententiam tantummodo; Sententia autem, & definitio reseruatur Papæ, vt in cap. Accusatus, cap. Quamuis, cap. Multum stupeo 3. q. 6. Notat Innoc. in cap. Quòd sicut de elect. & Archid. in cap. Si quis Episcopus criminaliter 6. q. 4.

B Postulabit quis, vtrũ sit eadem ratio de absolutione Episcopi, sicut de eiusdem condemnatione, & depositione; Nimirum vt sicut in depositione Episcopi causa cognoscenda est à duodecim Episcopis, & Metropolitano, & definienda à Papa: Ita quoque si Episcopus de tali crimine accusatus absolui debeat à dictis duodecim Episcopis, absolui nequeat, sed absolutionis sententia à solo Papa sit pronuncianda.

Glos. in cap. Præceptis Ver. Causatio dist. 12. tenet non esse parem rationem hac in re condemnationis, & absolutionis, concedunt enim Episcopum à duodecim Episcopis absolui posse, de condemnatione negant, vt dictum est: hanc Glosam videtur ibi sequi Archid.

C Oppositum affirmat Glos. in capit. Accusatus Ver. Non tamen definire 3. q. 6. vbi reprobat contrariam opinionem, idque confirmari potest clarissimè testimonio Iulij Papæ Epistola prima ad Episcopos Orientales, & habetur cap. Dudum 3. q. 6. Vbi omnes causæ maiores in Ecclesia reseruantur Romano Pontifici, qui vice Petri Apostoli omnibus dominatur, verba textus sunt: *Ad eam quasi ad Matrem, atque apicem omnes maiores Ecclesiæ causæ, & iudicia Episcoporum recurrunt, & iuxta eius sententiam terminum sumunt. Nec extra Romanum quidquã ex his debere decerni Pontificem.* Et hoc dictum probat Abb. in cap. Non potest nu. 5. de sent. & re iudi. dicens decisionem causarum Episcopalium indistinctè ad Sedem Apostolicam pertinere, ideo reprobat dictum Glosæ in cap. Biduum Ver. Annotauerit 2. q. 6. quæ tenet Metrapolitanum de causa criminali Episcopi cognoscere posse, & iudicare illum esse deponendum, & aliam Glos. similem in cap. Frater noster Ver. Si mediocris 16. q. 1. quas sequitur Archid. in capit. Accusatus 3. q. 6. Hoc inquam minimè verum esse censet Abb. quoniam non tantum actualis depositio Episcopi pertinet ad Summum Pontificem, sed etiam ipsius causæ decisio, vt patet ex Iuribus citatis: Nec valet ratio Glosæ in cap. Dudum Ver. Annotauerit 2. q. 6. de Præside Prouinciæ, qui iudicat aliquem deportandum non potest autem deportare quasi eodem modo sit sentiendum de Metrapolitano in causa Episcopi. Nam, vt inquit Abb. non est simile de Præside Prouinciæ, & de Metrapolitano, quia Præses iurisdictionem babet, & potestatem deportandi, si insulam habeat, & locum, in quem intendat deportare delinquentem, vt in l. Relegatorum. ff. de interdi. & releg. Ideo non pronunciat aliquem ob crimen deportandum esse, & expectat, vt Princeps ei assignet insulam. At in Metrapolitano deest Iurisdictio, & potestas non solum ad deponendum, sed ad pronunciandum Episcopum dignum esse depositione. Et hæc opinio videtur probabilior, & sequenda.

Quando verò non agitur contra Episcopum ad depositionem ab ordine, & dignitate Pontificali, quia crimen non est adeò graue, vt dignum sit huiusmodi pœna, sed tantùm ad depositionem ab Episcopatu, tùc inquit Abb. in eod. cap. Non potest num. 7. de senten. & re iudi. in cognitione huiusmodi causæ, quando Episcopus est consecratus, idem numerus Episcoporum exigitur, & tandem decisio causæ reseruatur Papæ, quod ex citatis Iuribus comprobari potest. Item ex cap. Inter corporalia de transl. Episc. Vbi Innocentius Tertius vniuersaliter ita loquitur, *Episcopi quoque à Metrapolitanis suis munus consecrationis accipiunt, qui tamen non possunt, nisi per Romanum Pontificem condemnari.* Ideo Innocentius in cap. Quòd sicut num. 4. in fi. de elect. dicit, quòd licèt Concilium Prouinciale cognoscere possit, an Episcopus remouẽdus sit ab Episcopatu, id tamen definire nequit arg. cap. Ex tuæ de Cleri. non resid. Vbi Papa mãdat Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, vt Clericos non residentes in suis Ecclesijs post trinæ citationis edictum, si in contumacia perdurauerunt à spiritualium administratione remoueat. Vbi Glos. Ver. Remoueat, notat ex illo mandato speciali Papæ potuisse Legatum priuare Episcopos suis Ecclesijs, quod ex generali mandato legationis ei non liceret, quamuis possit priuare inferiores Prælatos. Et ob eandem rationem tradit Archid. in cap. Biduum 2. q. 6. Metrapolitanum non posse Episcopum in Monasterium detrudere. Immo nec totum Concilium Prouinciale, quia inde sequeretur remotio ab Episcopatu, quæ soli Papæ est reseruata. Quando verò est alia pœna mitior contra Episcopum componenda, præter depositionem ab Ordine, vel Episcopatu, Concilium Prouinciale, & etiam Metrapolitanus potest cognoscere, & etiam definire causam Episcopi, cap. Sacri de sent. excom. cap. Quia cognouimus 10. q. 3. & probat Abb. in cap. Non potest num. 8. de sent. & re iudi.

Quod si Episcopus, cuius causa cognoscenda esset, adhuc consecratus non fuisset, sed esset tantum electus & confirmatus, sufficeret numerus sex Episcoporum, vt inquit Abb. in cap. Non potest num. 9. de sent. & re iudi. iuxta cap. Illud eum Glos. dist. 23.

D Verum verò præscriptus numerus Episcoporum requiratur eum causa digna depositione ab Ordine, vel ab Episcopatu contra Episcopum cognoscitur à Iudice specialiter per Papam delegato, nõ caret omni dubitatione. Nam Glos. in Summa Ver. Quod autem in fi. 3. q. 8. tenet eundem numerum Episcoporum requiri, quando Episcopus iudicatur à delegato Papæ ex speciali commissione. Oppositum tamen putat ibi Archid. & in cap. Illud. 23. dist. Innoc. in cap. Graue num. 6. de præben. credit hunc numerum Episcoporum non requiri ex necessitate in delegatione, sed ex congruentia ob excellentiam dignitatis Episcopalis, & hanc opinionem videtur sequi Abb. in cap. Non potest num. 9 de sent. & re iudi. ob eam rationem, quia delegatus refert personam Papæ l. 1. ff. de off. eius, & cap. Sanè de off. deleg. Sed solus Papa potest cognoscere; An Episcopus sit deponendus cap. Per principalem 9. q. 3. ergo eadem facultate vti poterit eius legatus. E

Quamobrem ad depositionem Episcopi iuxta præscriptam formam progrediendum est, non tantum, si agatur criminaliter, sed etiam ciuiliter ad depositionem ab Episcopatu, vt notauit Innoc. in c. Quod sicut num. 9 de elect. & in cap. Graue nu. 5. de præben. Abb. in cap. Non potest n. 8. in fi. de sent. & re Iudi.

Quòd si tractetur de causa Episcopi ad aliam pœnam

oam mitiorem citra depositionem ab ordine vel Episcopatu, tunc Metrapolitanus solus potest causam Episcopi cognoscere, vt in cap. Sacro de sent. excom. cap. Quia cognouimus 10. q. 3. Quare Metrapolitanua excommunicare poterit Episcopum suffraganeũ, Glos. in cap. Accusatus Ver. non tamen 3. q. 9. & probatur in cap. Romana de off. ordin. lib. 6. Vbi in §. vltimo permittitur officiali seu Vicario Archiepiscopi, vt eo absente possit in suffraganeos Interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias proferre. hoc idem maiori ratione poterunt, si ciuiliter contra suffraganeos agatur, quia Archiepiscopus est ordinarius suffraganeorum, vt in c. Pastoralia de off. ordi.

Quæret aliquis, an idem numerus Episcoporum sit necessarius in depositione Cardinalis. Respondeo causas Cardinalium à solo Papa cognosci posse, quia nullus iudicare potest Clericos Romanæ Ecclesiæ, nisi solos Papa, vt inquit Glos. in cap. Nullam 2. q. 6. Quod si in eod. cap. Vbi tractatur de Episcopis Cardinalibus, dicitur Episcopos damnari non posse, nisi post legitimam cognitionem causæ à duodecim Episcopis factam. Respondet Glos. hoc dictum intelligendum esse, vbi Papa committit alijs causam suorum Clericorum.

Quis autem numerus testium sit necessarius ad deponendum Episcopum, traditur in cap. Præsul 2. q. 4. *Præsul non damnabitur nisi cum septuaginta duobus testibus*. Loquitur autem de Episcopo Cardinali, vt notat Glos. quam singularem esse dicit Ludouicus Romanua in Singularibua suis singul. 206. cuius initium est: Ad idem dicit statutum &cæt. & in capit sequen. ead. cau. & quæst. *Nullam damnationem Episcoporum vnquam esse censemus, nisi aut ante legitimum numerum Episcoporum, qui fit per duodecim Episcopos, aut certè probata sententia per septuaginta duos testes idoneos &c.* Reddit rationem ibi Glos. cur Papa in depositione Cardinalis requirat hos testes, & primò inquit hoc statutum fuisse propter priuilegium Clericorum Romanæ Ecclesiæ, deinde propter malitiam Hæreticorum. Hæc de forma seruanda in degradatione Episcopi.

In depositione aliorũ Clericorum in d. c. Degradatio de pœn. lib. 6. præscribitur similiter solennitas seruãda, scilicet, si sint in sacris cõstituti, quales sunt Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, vt in causa, in qua Sacerdos sit deponendus ab ordine præter proprium Episcopum cõuocentur sex Episcopi, in causa Diaconi tres Episcopi, & totidem in causa Subdiaconi, vt notat ibi Glos. Ver. Canonibus & in cap. 1. cap. Si quis tumidus, &c. Si autem 15 q. 7. & tenet Archid. in cap. Scitote 6. quæst. 3. & in capit. Si quis Episcopus ead. c. 10. q. 4. Gemin. in cap. Degradatio n. 8. Vers. In eadem Glos. de Pœn. lib. 6. & ibi Franc. n. 2. in fi. & Abb. in cap. Non potest num. 10. de sent. & re Iudi.

Sed hic numerua Episcoporum non est necessarios, si tales Clerici in Sacris constituti non sunt deponendi ab ordine, sed à beneficio, vel est imponenda alia pœna, vt notat Glos. in Summa Ver. Absque 15. q. 7. & ad idem probandum affert alia iura, & tradit Innoc. in cap Graue n. 5. Vers. Idem secus, de Præben. & Abb. in c. Non potest nu. 10. in princ. de sent. & re Iudi. Addit hoc idem valere, si cognoscatur causa Abbatis vel alterius Prælati Inferioris, vt probatur in cap. Si quis Abbas iuncta Glosa Ver. Arceator 18. q. 2. & cap. Episcopo cum Glosa 16. q. 6.

Hinc sequitur, quòd quamuis Episcopus solus ordinem conferre possit, solus tamen illum auferre ne-

A quit, vt in c. 1. 15. q. 7. Vbi Glosa Ver. solus, plures affert huius diuersitatis rationes.

Quòd si Clerici minoribus ordinibus tantum sint initiati, ad eorum depositionem sufficit proprius Episcopua alijs non conuocatis, vt statuitur in dicto cap. Degradatio de pœn. lib. 6. capit. Si autem, cum Glos. Ver. Solus 15. q. 7.

Sed animaduertendum est, dum Iura statuunt causas Inferiorum Clericorum quoad depositionem ab ordinibus minoribus examinari posse à solo Episcopo; non idcirco excludere velle alios Clericos & Capitulum suæ Diœcesis, sed alios Episcopos, vt notat Glos. in dicto cap. Si autem Ver. solus 15. q. 7. & in c. Episcopus nullus ead. cau. & quæst. Vbi nulla declaratur sententia ab Episcopo lata absque præsentia B suorum Clericorum, vel saltem maioris partis, vt notat Glos. Vel, vt tradit Abb. in c. Non potest n. 11. de sent. & re Iudi. ex mente Archid. nisi ex consensu Capituli aliqui Canonici duo, vel tres assistant, qui totum Capitulum referant, quamuis Abb. in dicto cap. Non potest num. 12. de sent. & re Iudi. asserit Episcopos ex consuetudine præscripta hoc tempore audire causas sine præsentia Capituli, & hanc consuetudinem tenere, quia valet consuetudo, vt Episcopus subditorum suorum excessus corrigere possit, sui Capituli consilio non requisito, idque statutum legitur in cap. Non est de Consuet. lib. 6 Qua consuetudo vim habet etiam quoad depositionem à Maioribus Ordinibus, vt in- C quit Abb. quia tex. in dicto cap. Non est, vniuersaliter loquitur, & Glos. in cap. 2. Ver. Præsentia de pœn. lib. 6. & idem tenet Archid. in cap. Episcopus nullus 15. quæst. 7.

Ex dictis constat de forma & solennitate ab ipso Iure requisita in depositione Episcopi & Clericorum cuiuscunque Ordinis, quæ consistit in numero Episcoporum, vel Canonicorum, quorum assistentia exigitur in examinanda & cognoscenda causa ipsius deponendi, & hac assistentia, vt dictum est supra, necessaria est in examinatione causæ, vbi Episcopus progredi intendit ad degradationem actualem. non autem, si velit tantum verbaliter deponere. Et ad hunc mo- D dum ex generali consuetudine seruatur, vt inquit Abb in cap Non potest num. 10. vltra med. de sent. & re Iudi. & ad id facit cap. At si Clerici, & cap. Cum non ab homine de Iudi. in quibus locis de solo Episcopo mentio habetur.

Sed nonnullæ oriuntur dubitationes, quæ solutione indigent, & primò dubitari potest, postquam ad deponendum Episcopum, aut Clericum inferiorem in sacris constitutum certus numerus Episcoporum ab ipso Iure requiritur, vnde sint conuocandi tales Episcopi, & à quo eligendi. Dubitandi ratio sumitur, quoniam Iura hac in re diuersimode loqui videntur. E In cap. Scitote 6. q. 3. dicitur Concilium prouinciale Episcoporum cogendum esse. Similiter in c. Si quis Episcopus criminaliter ead. cau. q. 4. Sed in cap. Si autẽ 15. q. 7. indicari videtur hanc facultatem eligendi Episcopos spectare ad propriũ Episcopũ, ibi, *A diuecto sibi ex vicinis locis proprius Episcopus legitimo numero Collegarum, &c.* Contra cap. Iudices 11. q. 1. hanc electionem tribuit Accusato, *Iudices autem alii esse non debent, quàm quos ipse, qui impetitur, eligerit*.

Innoc. in cap. Graue num. 4. de præben. inquit posse Metropolitanum & Accusatum Episcopos eligere de cõsensu alterius partis, vbi Accusatus aliquos Episcopos suspectos haberet, vel ex eadem Prouincia, vel ex viciniori, facit ad hoc, quod notat Glos. in cap. 1.

Ver.

Ver. Vtraque pars de foro compet. & l. obseruandum. ff. de iudi.

Abb. in cap. Non potest num. 13. de sent. & re iudi. videtur idem affirmare, nimirum ad Metropolitanum spectare, quando Episcopus accusatus aliquos ex Episcopis electis suspectos reputat, alios in eorum locum sufficere de consensu accusati, vel ab initio causæ ad euitandam recusationem Episcopum proprium posse reo consentiente eligere, & ita interpretanda sunt c. Si autem 15. q. 7. & cap. Iudices 11. q. 1.

Secundò dubitatur, An ad numerum Episcoporum ab ipso Iure requisitum in depositione Episcopi, vel Clerici in sacris existentis computari possit proprius Episcopus, vel potius prescriptus numerus Episcoporum sit necessarius præter proprium Episcopum.

Gemin. in cap. Degradatio num. 5. Vers. Sed an vbi requiritur de pœn. lib. 6. tenet numerum Episcoporum à Iure definitum necessariù esse vltra proprium Episcopum, & probat ex verbis textus, *A proprio Episcopo sibi assistente in degradatione Clericorũ in sacris constitutorum Ordinibus certò Episcoporum numero definito à Canonibus*. Sed si definitus numerus Episcoporum debet assistere proprio Episcopo, ergo proprius Episcopus non annumeratur, cum illis: vnde Glos. bene ibi dixit Ver. Canonibus, *Adiungit enim sibi Episcopus in causa Presbyteri sex Episcopos &c.* Si sex Episcopi sunt adiungendi proprio Episcopo, ergo non includitur in numero senario. Et eodem modo dicendum est de duodecim Episcopis in causa Episcopi. Idem tenet Anchar. in eod. cap. num. 3. Vers. Secundò dubitatur, Franc. num. 2. Vers. In Glosa secunda.

Tertiò dubitatur, An Episcopi, & Clerici requisiti in depositione verè sint Iudices vnà cum proprio Episcopo in depositione, & cognitione causæ, vel tantùm debeant dici Assistẽtes, sicut indicare videtur verbum illud *Assistente*, quo vtitur Summus Pontifex in dicto cap. Degradatio. Oppositum tamen probari potest ex cap. Duodecim 5. q. 4. *Duodecim Iudices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit eligat*, qui, vt inquit Glos. crimen Episcopi examinabũt, ergo sunt Iudices.

Innoc. in cap. Graue nu. 3. de præben. inquit, quòd siue dicti Episcopi sint Iudices, siue sint Assessores, non valet id, quod decernitur ipsis non vocatis. Gemin. in cap. Degradatio num. 5. de pœn. lib. 6. & Archid. in Summa 3. q. 8. tenent esse Iudices, & pronunciare in causa, non Assessores tantùm. Idque probant ex c. 1. in fi. 15. q. 7. Vbi de Presbyteris accusatis ita statuitur; *Qui profectò nec ab vno damnari, nec ab vno iudicante poterunt honoris sui priuilegijs exui, sed præsentati Synodali iudicio, quòd Canon de illis præceperit, definiri*. Ergo omnes Episcopi residentes in Concilio iudicant. Eadem prorsus verba repetũtur cap. Episcopus Sacerdotibus ead. cau. & quæst. in c. Non potest. de sent. & re iudi. idem definitum habetur: *Non potest quempiam à Sacerdotali gradu, nisi iustis ex causis cõcors Sacerdotum sententia submouere*. Quare omnes proferunt sententiam. Quòd si tantùm Assessores essent, non pronunciarent, quia officium Assessoris est Iudici consulere, non pronunciare in causa. l. fin. C. de off. Assess. Neque obstat, si in cap. Degradatio de pœn. lib. 6. vsurpetur verbum, *Assistere*, nam interpretari debet de assistentia modo, & forma ab ipso Iure requisita. Cùm ergo colligamus ex Iure Episcopos interesse debere tanquam Iudices, de huiusmodi assistentia intelligere debemus. Huic opinioni videtur adhærere Host. & Io. And. in capit. Graue de præben.

Quidam alij existimant solum Metropolitanum, vel proprium Episcopum gerere officium Iudicis, Episcopos verò requisitos, vel Clericos assistere tanquam Assessores. Et hanc sententiam videtur sequi Anchar. in cap. Degradatio num. 3. Vers. Tertiò dubitatur de pœn. lib. 6. & probari potest ex eod. tex. cùm de præsentia aliorum Episcoporum mentionem tantùm faciat, & ius proferendi sententiam proprio Episcopo tribuat, ibi, *Quanquam proprij Episcopi sententia, siue aliorum Episcoporum præsentia sufficiat &c.* Et confirmari potest, quoniam Clerici, seu Canonici, qui assistere debent Episcopo, quando agitur causa Clerici, non iudicant, quia in cap. Episcopus nullus 15. q. 7. dicitur. *Episcopus nullus causam audiat absque præsentia suorum Clericorum*, ergo potestas audiendi causam tribuitur tantùm proprio Episcopo: ergo idem dicendum erit de præsentia Episcoporum requisita.

Glos. in Summa Ver. Quod autem 3. q. 7. refert breuissimè has duas sententias, & nihil concludit.

Abb. in cap. Non potest num. 18. & 20 de sent. & re iudi. Felin. num. 21. & 23. respondent ad hanc quæstionem, & primò de Episcopis, qui vnà cum Metropolitano, seu proprio Episcopo vocari debent, tenent, quòd si ab Episcopo cogatur Concilium, tunc totum Concilium erit Iudex, non singulares personæ capit. Scitote 6. q. 3. & cap. Si quis Episcopus criminaliter ead. cau. quæst. 4. In quibus locis actus pronunciandi sententiam refertur ad omnes Episcopos Concilij, & idem legitur in alijs locis. Si autem Episcopus cognoscit causam Sacerdotis, vel alterius Clerici in sacris accersito numero Episcoporum à Iure requisito, tunc ipse debet causam audire alijs Episcopis assistentibus, vt in cap. Si autem 15. q. 7. & de ipsorum consilio, & assensu ipse nomine suo sententiam depositionis ferre. Secundò dicit Abb. de Capitulo, quando Episcopus tractat causam depositionis contra Clericum in Minoribus constitutum, Episcopum solùm gerere officium Iudicis, Canonici autem assistentes non iudicare, sed consilium tantùm præbere. Idque probari potest ex cap. Non est de consuet. lib. 6. Vbi patet Episcopum Iure solùm teneri in corrigendis suorum subditorum excessibus, consilium sui Capituli requirere, ergo in sententia proferenda nulla potestas concessa est Capitulo. Et hoc videtur rationi consentaneum, Prælatus enim sine consilio Capituli instituere, vel destituere, aut negocia Ecclesiæ tractare non debet, vt dicitur in cap. Nouit, & cap. Quanto de ijs, quæ fi. à Prælat. sed licèt Episcopus consilium Canonicorum requirere debeat, & debito tempore, quid sint responsuri expectare, votum tamen illorum non cogitur sequi, vt in cap. Cùm in veteri de elect. Vbi Papa præcipit quibusdam electoribus, vt in electione facienda consilium quorundam inquirant, & in cap. Cùm olim de Arbi. idem decernitur. Quare si solùm Canones præcipiunt consilium Capituli requiri, igitur Canonici non adhibentur tanquam Iudices, vel tanquam Ordinarij in cognoscendis, & iudicandis causis, sed hæc potestas erit penes Episcopum solùm, & meritò, quoniam Iura in actu iudicandi de solis Episcopis loquuntur, nulla facta mentione Capituli, vt in cap. de Persona 11. quæst. prima. Vbi de Episcopo dicitur, *Ille verò causam inter eos diiudicet*. In cap. Si quis contra Clericum, capit. Postulasti, cap. Cùm contingat de fo. compet. & capit. Cùm ex iniuncto in fi. de Hæret. Idem asserit Felin. in eodem capit. Non potest num. vigesimotertio de sent. & re iudi. & ad id confirmandum adducit decis. Rotæ 73. de rescript. in Antiq. Tertiò dicit Abb. quòd licèt Capitulum, & Canonici

non

non sint Iudices in cognitione causarum,& depositione Clericorum, sed solus Episcopus, & potius sint Assessores,& Consultores Episcopi, tamen cum Ius præcipiat, vt Episcopus teneatur adhibere consilium Canonicorum, & Capituli in huiusmodi cognitione, Depositione, sententia aliter lata per Episcopum erit nulla. quia à Iure arctatur ad petendum consilium, cap. Nouit in fi. De his, quæ fi. à Prælat. *Nos enim tales institutiones, & destitutiones carere decernimus robore firmitatis*, quæ scilicet factæ erant à solo Episcopo sine consilio Canonicorum. In c. Episcopus nullus 15. q. 7. *Episcopus nullas causam audiat absque præsentia suorum Clericorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum sententia confirmetur.*

Quartò dubitatur, an in depositione, & condemnatione Episcopi requiratur, vt Episcopi, qui vocantur, conueniant in eandem sententiam, & similiter in causis Clericorum, qui sunt in sacris constituti. Et idem quęritur de Canonicis, qui conuocantur ab Episcopo, quando causas Clericorum Inferiorum ordinum cognoscit.

Quantum spectat ad depositionem Episcopi, quoniam Iure antiquo poterat Episcopus deponi à Concilio prouinciali, vel ab illis duodecim Episcopis cum Metropolitano, vt dictum est oriri poterat dubitatio si illi Episcopi fuissent dissentientes, Glos. in cap. Si quis Episcopus criminaliter 6. q. 4. tenet ad condemnandum Episcopum requiri consensum vnanimem omnium Episcoporum, & notat hoc esse speciale in Episcopo, vt ab omnibus debeat absolui, vel condemnari, & id desumit ex tex. ibi, *Ab omnibus prolata est*, idest sententia, cap. Non potest de sent. & re iudi. *Non potest quenquam à Sacerdotali gradu, nisi iustis ex causis concors Sacerdotum sententia submouere*. Vbi Glos. in Ver. Sacerdotum, in fi. inquit hoc esse speciale in causa Episcopi, vt non teneat sententia, nisi consenserint Iudices, quibus causa per Papam committitur, nec stetur Iudicio maioris partis Episcoporum. Hoc tempore cessat hæc difficultas, quia, vt inquit Abb. in cap. Non potest num. 14. de sent. & re Iudi. cautum est ab ipso Iure, vt omnes causæ Episcoporum reseruentur Sedi Apostolicæ, illæque à solo Romano Pontifice decidantur. & ita tenet Archid. in dicto cap. Si quis Episcopus criminaliter 6 q. 4. & ita decretum fuit à Iulio Papa in cap. Dudum 3. q. 6. Vbi docet, præter sententiam Romani Pontificis Episcopum damnari non debere, in cap. Irritam ead. cau. & quæst. Hinc notat Felin. in eod. cap. Non potest num. 7. omnia Iura, in quibus legitur aliquando Episcopos fuisse damnatos ab Inferioribus à Papa loqui, aut de Iure antiquo, aut ex commissione Papæ; Quare neque legatum è latere Episcopum deponere posse.

Sed Glos. in cap. Non potest Ver. Sacerdotum de sent. & re iudi. interpretatur, vt dixi, tex. in dicto cap. Si quis Episcopus criminaliter 6. q. 4. de consona sententia Episcoporum in condemnando Episcopo habere locum etiam hoc tempore in Episcopis pluribus à Papa delegatis in causa contra Episcopum, quo casu ait opus esse, vt omnes in eandem sententiam conueniant in Episcopo condemando. quod inquit peculiare esse in causa Episcopi Hanc tamen Glosæ interpretationem non probat Abb. in eod. cap. Non potest nu. 14. ob eam rationem, quia illud cap. Si quis Episcopus, loquitur de Episcopis Prouinciæ, penes quos inest hæc facultas cognoscendi causas Iure ordinario, non ex delegatione: quod probat, quoniam illis dissentientibus recurritur ad Episcopos Prouinciæ vicinioris,

A vt ibi dicitur, si delegatis ageret, recurrendum esset ad Papam delegantem, vt in cap. fi. de sent. & re iudi. Sed neq; in delegatis à Papa requiritur id, quod censet Glos. vt in deponendo Episcopo debeant omnes concordi, & vnanimi consensu iudicare, & condemnatio à maiori parte confirmata non teneat, quoniam vt inquit Abb. nullo iure oppositum cauetur, immo approbari potius, standum est enim plurium iudicio, & vbi dissentientes fuerint pari numero, approbatio à Papa petenda est, vt in cap. fin. de sent. & re iudi. Vbi statutum est illam sententiam valere, si delegati in pronunciando fuerint discordes, quam delegans confirmandam esse iudicauerit. Idem decerni-
B tur l. duo ex tribus, & l. duo Iudices ff. de Iudi. & vbi nihil peculiare decernitur, à communibus regulis non est recedendum.

Et est animaduertendum, vt Felin. in eod. cap. Non potest num. 7. tradit in hac difficultate, hoc esse speciale in Episcopo, vt sicut non potest condemnari, & deponi ab alio, quàm a Papa, ita quoque in crimine, de quo accusatus fuerit, absolui non possit, regulariter enim secus accidit, qui enim prohibetur condemnare, & punire, non idcirco prohibetur, ne absoluere valeat. Hæc de depositione Episcopi.

Quòd si loquamur de depositione Clerici sacro ordine insigniti, nempe de Presbytero, Diacono, & Sub-
C diacono, Glos. in cap. non potest Ver. Sacerdotum de sent. & re iudi. putat non esse necessarium, vt omnes consentiant, sed sufficere maiorem partem Episcoporum. & ita intelligit verba illius tex. cum inquit, *Concors Sacerdotum sententia*: Dicitur enim concordi sententia decerni, quod à maiori parte statuitur, argum. l. Quod maior ff. Ad Municip. & cap. primo, cum Glos. distinct. 65.

Hoc dictum Glos. impugnat ibi Abb. num. 16. asserens non posse vocari concorditer factum etiam à Collegio, quod statuitur vno discrepante, etiam si fiat a maiori parte Ad hoc citat tex. in cap. In causis de elect. Vbi factum a maiori parte Capituli, & factum concorditer ponuntur tanquam diuersa, & Glos. in
D cap. Cupientes post med. Ver. Concordem de elect. lib. 6. quæ negat omnino appellari posse concordem electionem, quæ fit a maiori parte Capituli, etiam vno tantum discrepante, cum hoc sit contra propriam significationem vocis. Idem repetit Glos. in Clem. Ne Romani §. eo tamen Ver. Concorditer de elect. De hoc Alexan. consil. 124. vol. 2. Idem tenet Card. in dicta Clem. Ne Romani Ver. eo ipso de elect. Archid. in ca. dilectionis dist. 76. Latè Felin. in cap. Non potest nu. 16. & seq. de sent. & re iudi. qui testatur communem esse opinionem.

Quam communem sententiam inquit Felin. num. 18. veram esse absque vlla difficultate, saltem in duobus casibus. Primus est, vbi ad validitatem actus re-
E quiritur, vt ab omnibus, & singulis efficiatur. & ita sentit Glos. in cap. Vbi periculum §. hoc sacro vltra med. vers. singulis de elect lib. 6. Secundus casus, quando res tangit singulos, vt singulos l. Sabinus ff. commu. diuid. Maior tamen est dubitatio quando verbum *Concorditer* refertur ad Collegium, vel Vniuersitatem; Vnde Bald. & Card. quos refert Felin. vtuntur distinctione ad dissoluendam hanc difficultatem, & ad conciliandam dicta Doctorum, quæ videntur inuicem pugnare; Nimirum constitutionem disponẽtem, aliquid concordi sententia omnium fieri debere, si referatur ad singulares personas, non fuisse seruatam, si id gestum fuerit a maiori parte, & ex consequenti actum

gestum

gestum non tenere, secus si verba Constitutionis dirigantur ad Collegium, tunc enim factum a maiori parte Collegij dicitur consentiente gestum. Similiter approbatus à maiori parte Doctorum est concorditer approbatus; Sed tandem concludit etiam quando tractatur de Collegio, non esse recedendum ab opinione Abbatis quæ est communis, vt factum concorditer, vel vnaniniter, minimè dici possit, quòd ab omnibus non est approbatum, etiamsi vnus solus discrepauerit, & respondet ad ea, quæ contra obijci possunt.

A

Ex his desumi potest, quid sit respondendum ad propositam dubitationem de Depositione Clerici in sacris constituti; Nam, vt inquit Abb. si totum Concilium prouinciale Episcoporum fuit coactum, vt cognoscant causam super crimine depositione digno, sufficit, vt in pronuncianda sententia Depositionis maior pars Episcoporum consentiat, dummodo in Depositione Presbyteri sex Episcopi sint concordes; In Depositione verò Diaconi, aut Subdiaconi tres conueniant. Quòd si huiusmodi causæ cognitio non fiat coram Concilio, sed a proprio Episcopo assistentibus alijs sex Episcopis Prouinciæ in deponendo Sacerdote, vel tribus Episcopis, si deponendus sit Diaconus, aut Subdiaconus, tunc temporis omnes debent in eandem sententiam conuenire nemine discrepante.

B

Quod confirmari potest arg. Doctorum, qui requiruntur in promotione ad Doctoratum: Debet enim Promouendus approbari idoneus à Collegio Doctorum l. Magistros. C. De Profes. & Me. lib. 10. & tamen, vt minimum requiritur numerus septem Doctorum, vt probant Glos. & Bart. in dicta l. Magistros. Quare sicut olim Iure antiquo, vt dixi, in causa Episcopi duodecim Episcoporum omnium consensus requirebatur, ita in Inferioribus Clericis maioribus deponendis coram Episcoporum omnium sententia postulatur, sed in minori numero nempe si sit Sacerdos sex Episcopi, si Diaconus, aut Subdiaconus tres Episcopi desiderantur. Quod est intelligendum, vbi Clericus in sacris constitutus deponitur verbaliter in ordine ad actualem Degradationem; Alias enim proprius Episcopus potestatem habet ad deponendum absque alia Episcoporum assistentia, sicut ex generali consuetudine communiter obseruatur, vt superius probatum est.

C

D

Felin. in dicto cap. Non potest num. 10. De sent. & re iudi. recenset duos casus, in quibus Clericus non Episcopus non deponitur ab Episcopis, sed à solo Papa. Primus est de eo, qui renunciauit Episcopatui, & id permittitur ob memoriam pristinę dignitatis, Glo. fin. in cap. Si qui Episcopi 92. dist. arg. l. fin. ff. De Decur. Vbi qui desiit esse Decurio, non torquetur ob dignitatem præteriti officij. Secundus casus de Clerico ordinato à Papa, qui ab Inferiore non deponitur, Glos. & Doct. in cap. filium 1. q. 1. Innoc. in cap. Cum in distribuendis De temp. ordin. & in cap. Per tuas De Maio. & obed.

Quærunt Doctores, an Episcopi, qui vocantur, vt assistant Depositioni, teneantur proprijs sumptibus iter peragere, & sibi necessaria quærere eo tempore, quo moram trahunt, dum causa discutitur, vel expensæ sint illis subministrandæ, & à quo.

Respondent omnes Episcopos, qui vocantur, ex proprijs sumptibus necessaria sibi parare debere; Ita sentiunt Archid. in cap. Si autem 15. q. 7. Abb. in cap. Non potest num. 19 Felin. num. 22. De sent. & re iudi. quoniam, cum sint Ordinarij, nihil possunt exigere, nisi quod ab ipso Iure eis concessum fuerit, vt inquit Abb. & Felin. addit redditus Ecclesiæ assignari Episcopo, & cuicunque Beneficiario ad suscipienda onera, ad quæ ratione officij tenentur, si sufficiunt, seu minus, poterit exigere necessaria ad victum suum, & suæ familiæ ab eo, cuius causa cognoscenda est.

Sed quid agendum erit, quando numerus Episcoporum a Iure præscriptus conuocari non potest, quo pacto tunc puniendus erit Clericus delinquens.

Respondet Archid. cap. 2. dist. 83. in eo casu Episcopum posse perpetuò Clericum suspendere ab officio, & beneficio, quæ parit eosdem effectus, sicut Depositio: Vel, vt inquit Gemin. in cap. Degradatio num. 7. in fi. De Poen. lib. 6. Poterit ex consuetudine generali cum suo Capitulo deponere verbaliter, vt diximus supra iuxta cap. fi. De Celebr. Missa.

Si verò tractetur de Depositione Clerici in minoribus Ordinibus, quæ fit a proprio Episcopo, sine assistentia aliorum Episcoporum, vt habetur in cap. Degradatio, non tamen sine consilio Capituli, & Canonicorum, vt notat Glos. in eod cap. Degradatio Ver. Præsentia, & superius probatum est. An in hoc casu necesse sit, vt Canonici conueniant in eandem sententiam. & respondendum est si de hac Depositione loquimur, certum esse, & indubitatum ex ijs, quæ dixi non opus esse, vt totum Capitulum in vnam sententiam conueniat: Immo neque requiri consensum maioris partis Canonicorum, sed valida erit sententia Depositionis lata ab Episcopo omnibus Canonicis dissentientibus. Fundamentum huius dicti est, quia Capitulum non habet ordinariam iurisdictionem, quæ soli Episcopo conuenit in corrigendis Subditorum delictis, sed Episcopus tenetur solum requirere consilium Capituli, c. 3. De Consuet. lib. 6. non autem sequi, ca. Cum in veteri De elect. ca. Cum olim De arbitr. Quare licèt cogatur Episcopus petere consilium Capituli, & eo irrequisito sententia Episcopi sit irrita, ca. Nouit. & ca. Quanto De his, quæ fi. à Prælat. ca. penult. 15. q. 7. & ca. 1. De excess. Prælat. Nisi aliud seruetur ex consuetudine, vt Glos. & Doct. testantur, in ca. Degradatio De Poen. lib. 6. Tamen eo requisito satisfactum est præcepto. & sententia Episcopi tenet, & est valida, quamuis ab Episcopo totum Capitulum dissentiat.

Quæret quis; An Episcopus consuetudine legitima præscripta acquirere possit ius deponendi Clericum absque consilio sui Capituli.

Respondeo posse præscribere hoc ius deponendi Clericos minores non petito consilio Capituli. Probatur primò, quoniam Episcopi vi consuetudinis præscripserunt potestatem cognoscendi causas suorum Clericorũ in Sacro Ordine existentium etiam de grauib. delictis, & criminibus iudicantes eos depositione dignos, non assistente numero Episcoporum ab ipso Iure requisito, vt probatum est supra; ergo multò magis præscribere poterunt facultatem deponendi Clericos in minoribus Ordinibus constitutos absque consilio Capituli. Secundò confirmatur ex ca. 3. De Consuet. lib. 6. Vbi statuitur valere consuetudinem, vt Episcopus in corrigendis Subditorum excessibus sui Capituli consilium requirere minimè teneatur. Et licèt Io. Mon. vt refert ibi Gemin. nume. 4. circa med. interpretetur illum textum. In non arduis quasi consuetudo non possit tribuere hoc ius in arduis, qualia sunt crimina depositione digna; Nihilominus oppositum est probabilius, vt intelligatur vniuersaliter, vt dicit Gemin. ex sent. Ioann. And. in cap. Degradatio

E

Ver.

Ver. Præsentia de Pœn. lib. *6.* Hæc tamen Depositio non sufficeret ad actualem degradationem, vt tenet Franc. in dicto cap. Degradatio num. 4.

Quintò dubitatur, an hæc omnia, quæ huc vsque de numero Episcoporum recensuimus ab ipso Iure requisita in ferenda sententia verbalis Depositionis contra Episcopum, & Clericum in sacris constitutum, sint hoc tempore necessariò seruanda ex præcepto.

Respondeo: In criminibus in quibus procedendum est ad actualem degradationem numerum illum Episcoporum fuisse necessarium ante Concilium Trident. sed hoc tempore non opus esse conuocare Episcopos, quia quoad Hæreticos, qui actualiter sunt degradandi, & Curiæ seculari tradendi, extat decretum Gregorij Noni in cap. 1. de Hæret. lib 6. Qui peculiariter statuit propter crimen hæresis Clericum in quibuscunque sacris Ordinibus constitutum solum eius Episcopum deponere posse verbaliter; *Conuocatis Abbatibus, alijsque Prælatis, & Religiosis personis, ac literatis suæ Diœcesis, de quibus expedire videbitur*. Quoad alios verò generaliter definitum est in Concilio Tridentino Sess. 13. cap.4. De reforma. Episcoporum per se, vel illius Vicarium contra Clericum in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum ad verbalem depositionem ab ipsis Ordinibus, & gradibus ecclesiasticis in casibus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero à Canonibus definita requiritur, procedere posse, adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus vsum Mitræ, & baculi ex priuilegio Apostolico habentibus, si in Ciuitate, aut Diœcesi reperiri, & commodè interesse possint; Alioquin alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, qui ætate graues, ac Iuris scientia commendabiles existant. Ita definitum fuit à Concilio Triden. & huic determinationi standum est.

Hoc Concilij Tridentini decretum de solennitate adhibenda in depositione verbali, quæ ad actualem degradationem ordinatur, censeo locum habere solum, si deponendus sit Presbyter, vel Diaconus, aut Subdiaconus, non autem in depositione Episcopi. Quod probari potest primò, quoniam non militat eadem ratio in Episcopo propter dignitatem Ordinis Episcopalis. Vnde non videbatur decens, vt loco Episcoporum subrogarentur Inferiores Prælati ad condemnandum Episcopum: Deinde quoniam depositio Episcopi rarò contingit, quare nulla necessitas vrgebat, vt numerus Episcoporum computaretur in Prælatos inferiores. Tertiò quia depositio Episcopi specialiter Romano Pontifici reseruatur. Tādem id colligi videtur ex verbis eiusdem Concilij, quia expressè loquitur solum de Clericis in sacris Ordinibus constitutis, & facit mentionem de Presbyteris, vt significet velle eos comprehendere. Quare, si voluisset Episcopos includere, vtique expressisset.

Postulabit aliquis: An hi Prælati, quorum præsentia necessaria est ex dispositione Concilij Tridentini in depositione Clerici in sacris Ordinibus constituti assistere debeant, vt Iudices vnà cum proprio Episcopo, vel potius vt Consultores, vel ob solennitatem ad tradendam auctoritatem in ipso actu, quo sententia verbalis depositionis pronunciatur.

Respondeo dictos Prælatos assistere debere cum proprio Episcopo in cognitione & examine causæ, & in pronuncianda sententia depositionis tanquam Iudices ferendo suffragium eo modo, quo ante Concilium Tridentinum requirebantur Episcopi eandem Iurisdictionem exercentes, vt probatum est superius,

A & ratio est, quia Ius nouum non corrigit vetus, nisi in expressis, quia eadem lex & statutum potest tolli quoad vnam partem, valido permanente in alijs partibus l. derogatur ff. de verb signific. sicut Iurisdictio Episcopi potest tolli quoad quadam specialia, non autem quoad alia, cap. Auditis de præscript. At Concilium innouauit, & variauit dignitatem & conditionem personarum, non modum assistendi, vel actum, quem exercere debent, neque numerum personarum, immutauit enim solum Episcopos in Abbates, reliqua permisit remanere in suo robore nulla facta innouatione, & fortè ob hanc causam Concilium Trident. vbi
B copia tot Abbatum in Diœcesi haberi non potest, & vocandæ sunt aliæ personæ ecclesiastica dignitate insignitæ, postulat, *vt Iuris scientia commendabiles existant*, quia debent officium Iudicis exercere & iudicare. Hæc igitur est forma, & solennitas præscripta à Concilio Tridentino, quæ seruanda est vniuersaliter in depositione verbali Clericorum in sacris constitutorum, qui postea actu sunt degradandi, & Curiæ seculari tradendi, præterquam in casu Hæresis, in quo si deponendus est Clericus, adhibenda est forma præscripta in c.1.de Hæret.lib.*6.*

Absoluta disputatione de forma, de solennitate ab ipso Iure requisita in depositione verbali, explicanda superest solennitas, quæ in actuali degradatione ad-
C hibenda est, quæ definita fuit in cap. Degradatio de pœn. lib. *6.* & habetur etiam in Pontificali Romano. Hæc autem fieri debet eo modo, quo exauctorizatio eius, qui militiæ deseruit armatæ, vt statuit Bonifacius Octauus in dicto cap. Degradatio, cui militaria detrahuntur insignia, sicque à militia reiectus consortio, & priuilegio militari priuatur. Similiter quando Clericus est degradandus, vestibus sacris induitur in manibus habens librum, vas, aut aliud instrumentum ordini ipsius proprium, deinde ad Episcopi conspectum adducitur tuncque Episcopus sigillatim vestes, & quæcunque alia Clerico in ordinatione tradita publicè aufert, ab illo vestimento, quod vltimo loco datum fuerat incipiens, & progreditur vsque ad
D primam vestem, quæ conceditur in collatione Tonsuræ. Tādem tondetur Caput, ne Clericatus vestigium remaneat; & dum ita exuitur vestibus, Episcopus vtitur verbis aliquibus oppositis illis, quæ in collatione Ordinum proferuntur. Et tandem in remotione vltimi vestimenti ita pronunciat: *Auctoritate Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac nostra tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, & spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio Clericali.* Hæc est forma solennitatum, quæ in actuali degradatione requiruntur, ex instituto & consuetudine Ecclesiæ.

Hæc omnia executioni tradenda sunt per ipsummet Episcopum post cōsecrationem, vel per alienum
E Episcopum ex licentia proprij.

Quod debeant fieri ab Episcopo, probatur ex cap. Degradatio in 2.par.de pœn. lib.6. Vbi in enarratione harum solennitatum sæpius mentio fit de Episcopo, qui eas est executioni tradisurus, & confirmatur ex Cōcilio Tridentino, quod postulat degradationem actualem fieri debere per ipsum Episcopum, cum verbalem depositionem per Episcopum aut eius Vicarium generalem fieri posse permittat.

Quod committi possit alteri Episcopo, affirmat Host. quem refert Abb. in cap. Transmissam de elect. & adest ratio, nam vnus Episcopus alteri Episcopo committere potest, vt suos subditos ad ordines pro-

moueat

mouerat, ergo delegare poterit, vt ordines auferat.

Tandem, quòd necesse sit Episcopum consecratum esse, qui actu degradare velit, neque fieri possit solennis degradatio per electum & confirmatum ante cõsecrationem, est communis opinio Doctorum in cap. Degradatio de pœn. lib. 6. Gemin. n. 5. Anchar. nu. 3. Franc. nu. 2. in fi. & Glos. in cap. Transmissam Ver. de Talibus de elect. recenset ea, quæ fieri possunt ab electo post confirmationẽ, & sunt illa quæ requirunt potestatem Iurisdictionis, nec non ea, quæ requirunt cõsecrationem, & inter alia enumerat depositionẽ Clericorũ, ergo degradatio actualis, de hac enim intelligit, Glos. nõ potest fieri nisi ab Episcopo consecrato, & ita sentit Abb. in eod. c. Transmissam nu. 4 de elect.

Secundò postulabit quis, an in actuali degradatione præter proprium Episcopum requiratur, sicut in verbali depositione, assistentia aliorum Episcoporũ, vel Abbatum, aut aliarum personarum iuxta decretum Concilij Tridẽtini, vt visum est supra, ad vtramque enim partem auctoritates ex Iure adduci possunt, pro parte affirmatiua, quòd numerus Episcoporum sit necessarius, facere videtur cap. 1. de hæret. lib. 6. vbi Gregorius Nonus propter difficultatem conuocandi numerum Episcoporum statuit, vt in crimine hæresis solus Episcopus conuocatis Abbatibus degradare valeat, ergo Abbates subrogantur in locũ Episcoporum, & hoc specialiter definitum fuit in crimine hæresis, ergo generaliter extra hunc casum requiritur præsentia Episcoporum in actuali degradatione. Item in cap. Episcopus 11. q. 3. Clericus iniustè eiectus denuo recipit ornamenta de manibus Episcoporum, ergo videtur supponere in degradatione subtracta fuisse ab Episcopis, vnde insinuatur necessitas præsentiæ Episcoporum. Contra pro parte negatiua est tex in cap. Degradatio de pœn. lib. 6. vbi in prima parte tractatur de verbali depositione, & fit mentio de numero Episcoporũ. In secunda verò parte, in qua agitur de actuali degradatione, non repetitur præsentia Episcoporum, sed tantum sermo habetur de Episcopo, igitur non videtur requiri præsentia Episcoporum in actuali degradatione, in cap. Clericus 3. quæst. 4. quod loquitur de degradatione Clerici, & traditione Curiæ seculari, nihil habetur de numero Episcoporum, similiter in cap. Si quis Sacerdotum 11. q. 1. & alibi, igitur ad actualem degradationem exequendam præsentia Episcoporum non desideratur, sicut in verbali depositione.

Huic dubitationi respondendum est præsentiam Episcoporum non esse necessariam ex dispositione Sacrorum Canonum in actuali degradatione Clerici Curiæ seculari tradendi, sed illam faciendam esse à proprio Episcopo, vel ab alieno cum licentia proprij, ita sentiunt omnes Gemin. in cap. Degradatio n. 6. circa med. Vers. Procedat ergo de Pœn. lib 6. Anch. & Franc. ibi nu. 3. & citant in eandem sententiam Archid. Io. And. & Speculat. & ratio huius dicti est, quoniam actualis degradatio est executio sententiæ depositionis verbalis, solennitates autem requisitæ in proferenda sententia, non sunt necessariæ in eius executione, & Iura citata ad probandum oppositum, vt c. 1. de hęret. lib. 6. & cap. Episcopus 11. q. 3. & similia, quæ adduci possunt, intelligẽda sunt de degradatione seu depositione verbali, vt patet ex verbis, si diligenter attendantur. Et quamuis aliquando Iura loquantur de degradatione, tamen verbum degradatio in genere comprehendit etiam depositionem, vt inquit Gemin. & alij in cap. Degradatio nu. 1. de pœn. lib. 6.

A Quæritur, an degradatio actualis fieri debeat in Ecclesia, & vtrũ Episcopus in executione huius actus inducere se debeat indumenta Pontificalia, & vtrumque requiri, ex verbis dicti capit. Degradatio, confirmari possit, vbi de Clerico degradando ante præsentiã Episcopi collato hæc habentur: *Cui Episcopus publicè singula siue sint vestes &c. quæ illi iuxta morem ordinandorum Clericorum in sua ordinatione ab Episcopo fuerunt tradita, singulariter auferat*, si publicè & retento more, qui in ordinatione adhibetur, igitur videtur insinuari degradationem fieri debere in Ecclesia cum Pontificalibus, sicut in ordinatione, accedit tex. in

B cap. Episcopus 11. q. 3. Vbi de Clerico iniustè degradato ita habetur: *Non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altari de manibus Episcoporum*, Quare indicare videtur degradatum fuisse ante Altare.

Huic dubitationi respondendum est. Primò de vestibus Pontificalibus, consentiunt omnes nullibi in Iure præceptum haberi, vt Episcopus in degradatione teneatur accipere vestes Pontificales, licèt vsus oppositum retineat, Gemin. in cap. Degradatio §. Actualis nu. 7. de pœn. lib. 6. Anchar. ibi nu. 8. Franc. §. Actualis n. 3. Quantum ad locum censent Doctores citati vnà cum Archid. & Io. And. decens esse propter honestatem, vt degradatio fiat in Ecclesia, id tamen minimè

C pertinere ad substantiam actus degradationis. Ratio autem conuenientiæ desumitur ex eo, quia in Ecclesia audiuntur causæ spirituales, cap. Præceptum 2. q. 1. cap. Qua fronte de appella. ibi, *iam enim non in Ecclesia, sicut est canonicum, & honestum*, Vbi Glos. Ver. Canonicum, notat spiritualia in Ecclesia exerceri debere.

Quærit etiam Gemin. in cap. Degradatio n. 9. cum in textu dicatur post remotionem vltimę vestis ab ipso degradando, quæ fuit prima in collatione Tonsurę, radendum seu tondendum esse caput, quid intelligatur nomine Rasuræ, seu Tonsuræ.

Respondet per Rasuram, & Tonsuram significari abscissionem capillorum, vt non appareat signum

D Clericatus. Quare degradandus est radendus in capite plenè, vt tollatur vestigium Tonsuræ, sicut Monachi Apostatę facere solent, vt inquit Glos. ad tollendum omne signum Monachatus. Quare non est necessaria illa Rasura, quam aliqui existimant, vt refert Gemin. nempe vt pars capitis vel manuum, quæ in ordinatione iniuncta fuit vitro, vel nouacula radatur, quæ rasura sicut in tex. non præcipitur, ita neque prohibetur. Neque plura dicam de forma & solennitate actualis degradationis.

Ex his omnibus, quæ de forma & solennitate in depositione, & degradatione adhibenda hucusque explicata sunt aliquæ conclusiones certæ colligi possunt, quas Franc. etiam proponit in cap. Degradatio

E numero quarto, de pœn. libro sexto, eas afferam, vt quasi in summam tota hæc materia redigatur. Prima conclusio sit Episcopum solùm cum suo Capitulo Clericum à beneficio deponere posse, capitulo Sicut de cohab. Cleri. & Mulie. Glos. in Sum. 15. quæst. 7. Specul. in tit. de Accusa. §. Quarto loco, Innoc. in capit. Graue de præben. Secunda conclusio, Episcopus solus cum Capitulo deponere potest Clericum ab ordinibus minoribus, vt in d. c. Degradatio statuitur, & notat Glos. ibi Ver. Præsentia. Tertia cõclusio, in depositione à sacris ordinibus, quę ordinatur ad actualẽ degradationem, vt Clericus Curiæ seculari tradatur, requiritur numerus Episcoporũ, idest sex

Episcopi in Sacerdote deponendo, tres verò in Diacono, & Subdiacono tam in cognitione, & examine causæ, quàm in prolatione sententiæ. Ita loquitur rex. in dicto c. Degradatio, & tradūt Innoc. & Host. in c. Graue de Prœb. & Specul. in tit. de Accusat. §. quarto loco. Quòd si Episcopi haberi nō poterunt, subrogandi sunt totidem Abbates, & si illi non reperiuntur, saltem aliæ personæ Ecclesiasticæ, iuxta dispositionem Conc. Trid. sess. 13. c. 4. de Reforma. Quarta conclusio, in depositione Clerici à sacris Ordinibus ob crimen hęresis sufficit proprius Episcopus conuocatis Abbatibus, alijsque Prælatis, & Religiosis personis; & hoc est peculiare in crimine hæresis ex decreto cap. 1. de Hæret. lib. 6. Quinta conclusio, solus Episcopus cum Capitulo potest deponere Clericum à sacris Ordinibus, si vlterius non est progrediendum ad actualem degradationem, & id ex generali consuetudine communiter seruatur, vt probatum est, & afferunt omnes in dicto cap. Degradatio. Sexta Conclusio, solus Episcopus potest Clericum ab Ordinibus sacris actualiter degradare adhibitis solemniratibus pręscriptis in dicto cap. Degradatio de Pœn. lisi. 6.

CAPVT VIII.

De Causa finali, & efficiente, ac etiam de subiecto Depositionis, & Degradationis.

Finis, cuius gratia pœna depositionis, seu degradationis infligi debet à superiore, est grauitas, & excessus criminis, seu sceleris per Clericum commissi, vt aliqua ratione pœna culpæ sit commensurata; Vnde in cap. Tuæ de Pœn. cùm ab Alex. Tertio quæsitum fuisset, qua pœna Clericus in magno scelere deprehensus plectendus esset. Respondit degradandum esse, & in arctum Monasterium detrudendum, ideo inquit Abb. in cap. Quærenti nu. 5. de verb. signif. Depositionem, & degradationem esse pœnas valde seueras, ad vendicandum delictum inuentas cum censuræ de quibus in dicto cap. Quærenti sint fauorabiles, & tanquam medicinæ ad animarum salutem institutæ. Et hanc ob causam regulariter ex communi more, & consuetudine Ecclesiæ contumaces compesci consueuerunt censuris, & rarò ad depositionem nisi omnibus alijs remedijs tentatis vltimo loco recurritur: & hic ordo præscribitur in capit. Cum non ab homine de Iudi. à Prælato Ecclesiastico seruandus in puniendo Clerico; Vt cùm in profundum malorum venerit, ne possit esse perditio plurimorum degradatus Curiæ seculari tradatur.

Olim tamen antiqui Canones hanc depositionis pœnam facilius peccantibus Clericis irrogabant. Vnde in cap. Fraternitatis dist. 24. dicitur: *Quia defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram*, sed supremus ille rigor sacrorum Canonum decursu temporum remissus fuit. Vnde Gofred. in Summa de Cohab. Cleri. & Mulie. ex æquo inquit, & bono Clericus ab officio non deijcitur perpetuò, nisi ob crimen graue, meritò comparatur degradatio ex sententia Ioan. Andr. in cap. Vt inquisitionis de Hæret. lib. sexto, & refert Felin. in cap In nonnullis in fi. de Iudæ. pœnæ mortis, & separationis animæ à corpore, quæ in seculari foro inter alias pœnas supremum locum tenet. Eiusdem pœnæ grauitas inde etiam desumi posse videtur, quòd qui semel depositus fuit, perpetuò depositus manet, Glos. in cap. Si lapsis distinct. quinquagesima, quam citat, & probat Dec. in capit. At si Clerici, notab. 5. de Iudi.

Neque vnquam ad Clerum restitui solet, cap. Qui semel, & cap. Presbyterum distinct. quinquagesima. Pœnæ igitur depositionis, & degradationis ad eum finem sunt ab Ecclesia institutæ, vt Prælati earum rigore, tentatis antea alijs poenis, & censuris, in Clericos facinorosos animaduertere possent, eorumque nomina ex aliorum Clericorum numero delere, vt hoc remedio, & ipsi poenitentiam agentes toto tempore vitæ præterita peccata deflerent, & alij, ne in similia prolaberentur, eorum exemplo pręcauerent. Et hæc breuissimè de fine dicta sufficiant, ad efficientem transeamus.

Quæ sit causa efficiens, seu quis possit deponere, & degradare Clericum, facilè intelligi potest ex his, quæ dixi superiori capite de forma, & solemnitate adhibenda in depositione, & degradatione Clerici; nam si loquamur de depositione Episcopi, hæc reseruatur Papæ. Solus enim Papa potest Episcopum deponere, vel alius ex speciali delegatione Papæ, vt dictum est capite præcedenti. In causis autem Clericorum, vel tractatur de depositione à beneficio, vel ab Ordinibus. Si agitur de depositione à beneficio, hæc fieri potest a proprio Episcopo, si verò ab Ordinibus, vel à maioribus, & sacris, aut à minoribus, si à minoribus depositio fit etiam à proprio Episcopo. Quòd si deponendus est Clericus à sacris, & maioribus, vel simpliciter, vel in ordine ad degradationem actualem, si primo modo, potest deponi ab Episcopo, vel alio Superiore habente Iurisdictionem quasi Episcopalem, si secundo modo, vel ob crimen hæresis, vel ob alia delicta. Ad deponendum Clericum ob crimen hæresis, sufficit Episcopus conuocatis Abbatibus, vt in capit. primo de Hæret. lib. sexto, quòd si deponendus sit ob alia scelera, Iure antiquo, si deponendus erat Presbyter requirebantur sex Episcopi præter proprium Episcopum, si Diaconus, aut Subdiaconus; sufficiebant tres; Nouissimè verò ex decreto Concilij Tridentini satis est proprius Episcopus, vel eius Vicarius, conuocatis totidem Abbatibus, quot Episcopi olim requirebantur, vel personis in dignitate Ecclesiastica constitutis. Et si degradandus est actualiter Clericus, vt tradatur Curiæ seculari, Episcopus per se ipsum huius actus solemniratem, & ceremoniam exercere debet. Quæ omnia latius probata sunt superiori capite, & sic constat, quæ sit causa efficiens depositionis verbalis. Degradationis autem actualis efficiens est etiam Episcopus proprius. Decet enim, vt ab eo, per quem Ordines sunt collati, Ordinum insignia auferantur, & ita habetur in dicto cap. Degradatio de Pœn. lib. 6.

Modò explicemus subiectum depositionis, & degradationis, idest qui deponi, & degradari possint, & simpliciter respondendum est deponi posse tantùm, si de propria depositione loquamur, illum, qui dignitate aliqua, vel Ordine insignitus est. Vnde depositio esse potest ab officio, vel ab Ordine, aut à Iurisdictione, vt ex his, quæ superius disputata sunt, apparet.

Realiter autem degradatur vnusquisque ab Ordinibus, & priuilegio Clericali, quia degradatio est perpetua priuatio Clericalis muneris, & priuilegij, quæ ab Ordine perueniunt.

Qua in re animaduertendum est primo absentem deponi posse verbaliter, non autem realiter, vt sentit

Gemin.

Gemin. in cap. Degradatio n.3. de pœn.lib.6. Franc. num.1. Abb. in cap. Veritatis num. 6. & num. 31. de dolo & contum. Et primum nempe Absentem deponi posse clarissimè habetur in dicto cap. Veritatis de Do. & Contum. Vbi Romanus Pontifex pronunciat sententiam perpetuæ depositionis à pontificalibus, & ab omni officio Sacerdotali in Episcopum absentem.

Contra obijci potest, nemo condemnandus est, nisi eo vocato, vt possit suas excusationes afferre & se defendere.

Respondet Abb. in dicto cap. Veritatis nu.31. quòd vbi per inquisitionem agitur de imponenda pœna, quam potest Iudex exequi in reum licèt absentem, tunc potest assistere pro reo Procurator, qui eius causam defendat, quo casu non dicitur condemnari aliquis indefensus, facit l. exigendi. Cod. de procur. cap. Super his de accusat. capit. Tuæ de procurat. Huius generis est pœna depositionis, quæ optime executioni tradi potest, licèt reus sit absens, Glos. in Sum. 3. quæst. 9.

Quòd autem absens non possit actualiter degradari, probari potest ex verbis cap. Degradatio de pœn. lib. 6. Vbi de degradando dicitur, *Ad Episcopi præsentiam adducatur*. Igitur absens degradari non poterit etiam procuratore præsente, & confirmari potest ex regula, quam in cap. Veniens de accusat. colligunt Doctores, quòd vbi pœna absenti infligi non potest, non est per Procuratorem in causa procedendum.

Secundo sciendum est neminem esse deponendum per inquisitionem, non præcedente legitima accusatione, licèt alijs modis puniri possit. Idque clarissimè ostenditur ex cap. Dilectus filius 2. de Simon. vbi mandat Summus Pontifex, vt si per accusationem constiterit Monachum fuisse simoniacè receptum, tam receptus, quàm recipiens canonicæ seueritatis vltionem experiantur, & Glos ibi Ver. Seueritatis, depositionem intelligit. Si verò per inquisitionem, receptus in arctius Monasteriũ detrudatur, recipienti autem condigna pœna imponatur. Ita tenet Host. in Sum. in titul. de accusat. §. Quis sit effectus accusationis ad finem Vers. Ergo sine accusatore, sequitur Bernard. Diaz in pract. Crimin. cap. 143. numero secundo.

Contra obijci potest ex text. in cap. Inquisitionis de accusat. Vbi statuitur, quando per inquisitionem factam ab ijs, quibus commissa est facienda inquisitio, tale crimen probatum est, quod impedit executionem ordinis aut beneficij retentionem, aut post peractam pœnitentiam, puta si Reus homicidium commiserit, vel adeptus sit ordinem, vel beneficium simoniacè, in istis casibus esse ita procedendum, sicut in Iudicio accusationis, ergo poterit deponi Clericus de his criminibus conuictus per solam inquisitionem, licèt nullus adsit accusator, & oppositum firmatum fuit. Vnde Glos. in cap. Dilectus filius 2. Ver. Amotos de simon. postquam dixit conuictos de crimine simoniæ per modum inquisitionis non esse deponendos, subdit contrarium fuisse statutum in cap. Inquisitionis de Accusat. & quoad Regulares standum esse illi Constitutioni c. Quoniam Simoniaca de Simon.

Glos. in dicto cap. Inquisitionis Ver. In accusationis de accusat. vt concilier hos textus, qui inuicem pugnare videntur, inquit, cum in dicto cap. Inquisitionis, dicitur, vbi contra quempiam per inquisitionem probatum fuerit tale crimen, quod ordinis executionem, aut retentionem beneficij etiam post peractam pœnitentiam impediat, esse ita procedendum contra

A delinquentem, sicut in accusationis Iudicio hoc esse intelligendum, quantum ad id solum, vt priuetur officio & beneficio, non quantum ad depositionem, quia depositio non est effectus Inquisitionis, sed effectus est priuatio administrationis, vel beneficij, & dictio illa, *sicut* non denotat omnimodam similitudinem, quod locum habet, si loquamur de secularibus nam quantum ad regulares seruandum est, quod dicitur in eodem capit. Inquisitionis. Et hæc est prima responsio Glosæ. Secundò respondet posse etiam dici non esse inconueniens, si crimen est enorme, vt per inquisitionem deponatur Clericus secularis, vt verba dicti cap. Inquisitionis indicare videntur, facit cap. Veritatis de dolo & contum. Vbi deponitur Episcopus in modum Inquisitionis, contra quem proba-
B tum fuit homicidium in modum denunciationis. Has Glos. responsiones latius examinat Abb. in eod. capit. Inquisitionis nu. 6. & seq.

Quare ad obiectionem respõdendum est Regulam superius propositam veram esse generaliter, nempe neminem deponi posse, si in causa proceditur in modum Inquisitionis, sed necessariam esse accusationem, quæ tamen regula patitur exceptionem, vbi crimen in modum Inquisitionis probatum impediat etiam post peractam pœnitentiam ordinis executionem, vel beneficij retentionem. In quibus casibus delinquens puniri potest, sicut in accusationis Iudicio. Et ratio regulæ desumitur ex eod. c. Inquisitionis, nam vt ibi
C inquit Abb. nu. 1. mitius punitur conuictus de crimine per viam Inquisitionis, quàm conuictus per viam accusationis, finis enim accusationis, si crimen est graue, est depositio ab officio & beneficio; Sed finis Inquisitionis non est depositio, sed mitior pœna. Quod absque controuersia verum est de Iure Canonico, sed ex Iure Ciuili Abb. asserit se non reperire hanc differentiam, quantum ad modum procedendi in impositione pœnarum, sed æqualis pœna infligitur debita delicto, siue probatum sit via Inquisitionis siue accusationis.

Rursus dicta Regula patitur duas alias limitationes, quas proponit Innoc. & commendat tanquam singulares Abb. in cap. Qualiter 2. num. 20. de Accusat.
D Prima est, si crimen constet per propriam confessionem tunc enim quamuis causæ cognitio initium & progressum acceperit via Inquisitionis, poterit imponi pœna depositionis, & quæcunque alia ordinaria, quantumuis grauis, tex. in cap. vlt. de Celebr. Missa. id optimè probat, vbi per viam Inquisitionis proceditur, & quia per confessionem probatum erat crimen, licèt non impediret ordinis executionem, imponitur depositio ab ordine.

Obijcit Abb. quoniam videtur absurdum non mitius agere cum Confesso, quàm cum conuicto, cũ Iura oppositum dicent, c. Non dicatis 12. q. 1. Respondet primò posse imponi pœnã ordinariam, vbi per cõfessionem constat de crimine, si confessio facta fuit ex
E timore probationis, sicut est casus illius c. fin. de Celebr. Missa. Secus si delinquens confiteatur delictũ spõte, secundo ait imponi pœnam ordinariam, vbi extat confessio criminis, quia contra confessionem, nihil opponi potest, sed contra probationem, qua præsumitur aliquis conuictus, multa obijci possunt.

Secunda limitatio Innoc. est, si delictum sit notorium, quamuis non sit probatum per confessionem, tunc enim non attenditur modus procedendi, si sit per Inquisitionem, aut accusationem, Tex. notab. in capit. Cum non ab homine de Iudi. Vbi depre-

hensus in furto punitur tanquam conuictus per accusationem.

Tertiò sciendum est Clericum in minoribus Ordinibus constitutum posse deponi, vt superiori Capite probatum est, & habetur in cap. Degradatio de Pœn. lib. sexto, ibi, *Quamuis proprii Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat Ordines receperunt*: Idque ibi affirmant Gemin. numero secundo, Anchar. numero primo, Franc. numero quarto, quod confirmari etiam potest ex Glos. in cap. Episcopus in fi. Ver. Reliqui 11. quæst. tertia, cap. Si quis Episcopus cum Glos. Ver. Suspensus 26. quæst. quinta, & capit. vlt. 24. distinct. facit cap. secundo de Cleri. excom. Mini. & sicut Clericus in minoribus est capax irregularitatis, ita quoque Depositionis, vt testantur Doctores citati, & est communis sententia, Abb. in cap. Cum non ab homine num. 3. De Iudi. Bernard. Diaz in Pract. Crim. 143. num. 3. Simon Maiol. de Irregular. lib. 3. cap. 22. num. 4.

Vtrum verò Clericus in minoribus constitutus, vel simplex tonsuratus realiter degradari possit, magis dubitari posse videtur, quia in capit. Clericus secundo de vit. & honest. Cleri. qui minoribus Ordinibus tantum initiatus est, appellatur sine gradu; ergo degradari non potest. Quod nihil aliud significat, quàm è gradu eijci. Verùm etiam si loquamur de reali Degradatione, sentiendum est cum communi opinione Clericum à minoribus Ordinibus degradari posse.

Quod pluribus sacrorum Canonum auctoritatibus confirmari clarissimè potest. Primò ex capit. Degradatio de Pœn. lib. sexto, vbi in enarratione solemnitatum, quæ requiruntur in Degradatione actuali, cùm à Degradando ad præscriptum modum, auferuntur vestes sacræ, & alia, ita habetur, *Et descendendo gradatim Degradationem continuet vsque ad primam vestem, quæ datur in collatione Tonsuræ, tuncque radatur caput illius, seu tondeatur, ne Tonsuræ, seu Clericatus vestigium remaneat in eodem*. Ex quibus verbis colligunt ibi omnes Doctores locum esse Degradationi actuali etiam in Clerico minorum Ordinum, & primæ Tonsuræ, Gemin. in §. Actualis numero nono, & citat Io. And. Anchar. Idem sentit num. quinto, Franc. in eod. §. Actualis numero quarto. Secundò probatur ex cap. Si quis Episcopus 27. quæst. prima. Vbi statuitur Clericum in quocunque Ordine constitutum ratione delicti degradari posse, & ex cap. Cum non ab homine de Iudi. Vbi definitum fuit Clericum in quocunque Ordine constitutum de homicidio, periurio &c. conuictum degradandum esse. Et huic sententiæ adhæret Abb. in dicto cap. Cum non ab homine num. 3. & clarius in cap. Clericus 2. num. 2. de vi. & honest. Cleri. Vbi respondet ad id, quid ibi in tex. dicitur, Clericum in minoribus Ordinibus esse sine gradu, nempe vt intelligamus esse sine gradu sacro, vt Glos. etiam notauit, licèt in latiori significatione Ordines etiam minores appellari possint sacri, vt inquit Glos. in Sum. dist. 32. Eidem sententiæ subscribunt Bernard. Diaz in Pract. Crim. cap. 143. num. 3. Arnald. Alberti. in Repet. capit. Quoniam de Hæret. lib. 6. in explic. tex. numero 25. Vers. Nota quintò, & ad hoc citat Pontificalem librum fol. 165. Couar. in cap. Quoniam num. 4. de Testam. Maiol. lib. 3. cap. 22. nu. 4. de Irregul. Addit tamen Couar. hanc actualem Degradationem minimè vsu receptam esse in his, qui minoribus Ordinibus tantùm sunt initiati.

Quartò notandum est, quando in aliquo Canone legitur Clericum esse degradandum, & detrudendum in Monasterium, aut in Carcerem, hoc esse intelligendum de Degradatione verbali, quia si fieret actualis, statim excluderetur à Iudice ecclesiastico, & esset sub potestate Iudicis secularis. Quam interpretationem Felin. in capit. qualiter secundo in fi. de accusat. fatetur esse elegantem.

Quare cum in cap. Tuæ de Pœn. dicitur de Clericis, quòd ob latrocinia, vel alia maiora scelera degradari debent, & detrudi in arcta Monasteria ad agendam pœnitentiam, non est intelligendum de Degradatione actuali, sed de Depositione verbali, vt tradit ibi Abb. numero primo. Nam si Clericus actualiter est degradatus, priuatus est omni priuilegio Clericali, & ideo non remanet sub iurisdictione ecclesiastica, sed illico est relictus potestati seculari iuxtà capit. Degradatio de Pœn. libro sexto. Vtrum verò Clericus semel depositus, & carceri perpetuò damnatus, vel in Monasterium intrusus possit Ordini suo restitui, dicam sequenti Capite.

CAPVT IX.

Vtrùm Depositus, & Degradatus dispensari possit, & in pristinum statum restitui, & ad quem pertineat huiusmodi Dispensatio, & quomodo restitutio fieri debeat.

POena Depositionis in Ecclesia pœna grauissima existimatur; Nam qui semel Depositus est, perpetuò manet Depositus, vt notat Glos. in cap. Si lapsis Ver. Non statuta distinct. quinquagesima. Vbi in tex. hæc habentur: *Illud igitur præ omnibus studete, vt lapsos in sacrum Ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo reuocare suadeat, ne huiusmodi non statuta, sed temporaliter delata credatur vindicta*, quare Depositus regulariter ad Clerum redire nequit, & restitui non solet. Quod videtur clarissimè colligi posse ex capit. Qui semel dist. 50. vbi ita definitum legimus. *Qui semel post suam Ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps iam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci*. Idem habetur in seq. cap. Presbyterum, & cap. Peruenit ead. dist. 50. quod & Iure Ciuili probatum fuit. l. quicunque. C. de Episc. & Cleri. quòd si Clericus depositus redierit ad beneficia, à quibus fuit depositus, perpetuò includitur in Monasterio, etiamsi sit Episcopus, vt in dicta lege, quæ tamen non adstringit, nisi Ecclesia illam approbet, & sequatur.

Sed cum dicunt Iura Depositum dispensari non posse, intelligenda sunt ex lege ordinaria, & regulariter; Nam clarum est à Summo Pontifice dispensari posse, cum Depositio sit pœna Iure humano inuenta ad vindicanda grauia scelera Clericorum, sed rarius, & difficilius dispensatur super Depositione, quàm super suspensione perpetua; Et idcirco Depositio moraliter loquendo potest dici magis perpetua, quàm suspensio perpetua, quia facilius dispensatur suspensio, quàm Depositio.

Vnde, & in veteri Testamento legitur Exod. 32. Aaron ad administrationem Sacerdotij restitutus, c. Si post ordinationem. §. è contra dist. 50. Vbi præter exempla veteris Testamenti referuntur alia exempla noui Testamenti, ex quibus intelligere possumus, expediens iudicari aliquando, vt ob publicum bonum restituantur Depositi, sic enim dicitur in dicto §. è contra in fi. *Petrus negauit Christum, & tamen postea Princeps Apostolorum factus est, Paulus Ste-*

phanum

phanum lapidauit, & tamen à Deo in Apostolum electus est multi quoque ab haresi ad vnitatem Catholicæ fidei reuertentes in suis ordinibus sunt recepti, alij vero ad Episcopalem etiam gradum sunt promoti, vt pote Augustinus, & alii complures, & alios plures enumerat Gratian. in capitulo Ioannes, qui post depositionem Ecclesijs & etiam Episcopatibus restituti sunt. Hoc enim affirmat de Ioanne Chrysostomo, de Marcello Episcopo Galatiæ, de Cyrillo Episcopo Hierosolymitano, de Lucio Episcopo Adrianopol. & de alijs ibi relatis, immo Athanasius censuit illos Episcopos, qui verè cõuerterentur ab Arianis ad fidem Catholicam restitui posse assentientibus Macedoniæ, & Achaiæ Episcopis vniuersis, cui subscribit Basilius in Epistola 75. ad Neocæsarienses.

Ex his constat depositionem per se esse pœnam perpetuam, & depositum regulariter non esse restituendum, vt dicitur in cap. Peruenit dist. 50. Interdum autem ex vrgente causa posse cum deposito dispensari, vt ad gradum suum restituatur.

Verum & clarius & distinctius explicetur hæc dubitatio de dispensatione & restitutione Clerici depositi, agamus antea de depositione à beneficio, deinde de depositione ab officio aut ordine.

Si Clericus sic simpliciter à beneficijs depositus, nõ est capax dispensationis, quia est pœna ex se perpetua, quæ simul tota fit, & licèt postea restituatur ad beneficium, vel aliud consequatur, non dicitur propriè dispensatus, sed est noua collatio & concessio beneficij. Vnde depositio à beneficijs longè differt à pœna priuationis beneficiorum, si imponatur sub hac forma verborum, nempe priuationis, quia pœna priuationis non includit inhabilitatem ad eadem iterum recipienda, quam infert per se depositio, quare respectu eiusdem beneficij minor est pœna priuationis, quàm depositionis.

Contra obijci potest, quia restitutio est prioris status reparatio & restitutus in pristinum ius recidit, vt inquit Glos. in capit. Quamuis Ver. Cum talis de rescript. lib. 6. Vnde si Clericus depositus restituitur ad beneficium, non accipit illud de nouo, sed recuperat, quod amiserat. Restitutio enim hoc operari debet, vt nec prosit, nec obsit, quod euenit l. Primas t. responso ff. ex qui. cau. ma. & l. quod si minor §. restitutio ff. de minor.

Respondet Glos. ibi per ea, quæ habentur in cap. Ex transmissa de renunc. & ex c. Ex Insinuatione de Simon. & inquit quod in cap. Ex transmissa Clericus renunciauerat beneficio, deinde ad illud redire intendebat, & Papa mandat Episcopo, vt nõ cogat Abbatem ad recipiendũ illum Clericum tanquam vnum de Ecclesia, sed Abbatem roget, vt admittat de nouo in socium & fratrem, reddit ibi rationẽ Glos. quia actio semel extincta non reuiuiscit, quæ multò magis militat in Clerico deposito à beneficio. Item ad idem probandum Glos. adducit cap. Ex Insinuatione de Simon. Vbi quidam Canonicatui renunciauerat, & denuo ad illũ admissus fuerat, & Papa declarat tunc non posse vigore primæ receptionis sibi aliquid vendicare, vbi Glos. in Ver. Primæ. Facit c. Quæris ante med. Vers. Potest enim & in hoc, ibi, *vt obligatio, quæ soluta est, iterum contrahatur*, cum Glos. Ver. Contrahitur de consecr. dist. 4. Hoc idem confirmat Abb. in dicto cap. Ex transmissa in fin. de Renunc. Et quæ contra obijciuntur, soluit Glos. in dicto cap. Quamuis Ver. Cum talis de rescript lib. 6. dicens non posse dici propriè restitutionem, cum quis de nouo ad pristinum beneficium restituitur, sed esse nouam concessionem.

Ex quibus inquit Glos. potest sumi ratio dubitandi de præcipua quæstione inter Doctores, vtrum Episcopus, inuito Patrono possit restituere Presbyterum ab ipso depositũ ad beneficium Iurispatronatus, si enim hæc restitutio est noua concessio, exigendus erit consensus Patroni, à quo iterum præsentetur.

Tradit Glos. ad hanc quæstionem varias responsiones. Primò inquit ex sententia Gofred. non posse restitui irrequisito Patrono per l. si vt proponis 2. C. de nupt. Vbi dicitur, in matrimonio restaurando per filiam post diuortium requiri consensum Patris, sicut ab initio necessarius fuit in ipsa celebratione matrimonij; Sed contra hanc responsionem Glosa opponit nonnulla. Secunda responsio est Hostien. qui tenet opinionem Gofredi esse veram, cum depositus restituitur ab Inferiore, secus si à Principe, capitulo Post translationem cum Glos. Ver. nequeat de Renunc. Tertia responsio est, quòd depositus si appellauit infra decem dies, restitui possit inuito Patrono, alias minimè. Quarta responsio, si Episcopus in restitutione Clerici depositi præuenit Patronum, antequam alium præsentaret ad beneficium, tunc valida erit restitutio etiam inuito Patrono, secus autem si ante restitutionem Episcopi Patronus alium Clericum præsentauit, quod approbat Host. in dicto capit. Ex transmissa de renunciat. & cap. Innotuit de elect. facit ad hoc Glos. vlt. in capitulo Cum accessissent de Constit. Gemin. in dicto capitulo Quamuis numero 6. de rescript. lib. 6. explicans ibi Glos. Ver. Cum talis, latius hanc dubitationem prosequitur, & quibusdam propositis distinctionibus nititur dictas opiniones diuersas conciliare, & inquit, vel restitutio fit per Papam, & Patronus est Ecclesiasticus, & talis restitutio valida est, etiam inuito Patrono argum. cap. Dilectus de off. deleg. & capit. Cum dilectus de Iu. patron. Quod intelligitur, si res sit integra, vel Patronus est Laicus, tunc si fit mentio de Iure Patronatus, valet restitutio argum. dicti cap. Quamuis, in fine de Rescript. Aut non fit mentio de Patronatu, & non est valida restitutio, quia per depositionem Clerici acquisitum est Ius Patrono Laico. In dubio enim non est credendum Papam velle illi præiudicare, nisi hoc exprimat, nam si exprimeret, præiudicare posset, vt notauit Io. And. in cap. 2. de præben. libro sexto, in Glos. Si verò fit restitutio per Inferiorem à Papa, aut est Legatus è latere, & restitutio facta per Legatum præiudicat Patrono, si sit Ecclesiasticus, secus si Patronus est Laicus, quia non potest illi præiudicare, quia Legatus non potest sine consensu Patroni Laici disponere de eius beneficio, vt notat Glos. in dicto capit. Cum Dilectus, Ver. Quempiam præsentare, in fin. de Iu. Patro. Si autem non est Legatus, qui restitutionem facit, sed alius ordinarius Inferior, quo casu distinguendum est, vel depositus adhuc retinet ius, puta quia appellauit à sententia, & restitutio erit valida facta inuito Patrono, vt tenet Glos. in dicto capitulo Quamuis, Ver. Cum talis in fi. de rescript. lib. 6. Aut penitus erat iure suo priuatus, & restitutio sine consensu Patroni irrita erit iuxta capit. Decernimus 16. quæst. 7.

Secundo animaduertendum est, per restitutionem Clerici depositi ad ordinẽ non intelligi ipsum restitutum esse ad beneficia, à quibus per sententiã priuatus erat, sicut deportatus. qui ex Principis indulgentia restituitur ad dignitatem, non propterea intelligitur restitutus ad bona l. 2. ff. de sen. pas. & rest

nisi plenè fuerit restitutus, vt l. t. C. eod. tit. Ita tenent Gemin. in cap Quamuis num. 6. in fi. & Franc. nu. 8. de rescript. lib. 6. qui in eandem sententiam citat Archid. Io. And. Domin. & Specul. Et facit ad idem Glos. in cap. t. Ver. Beneficium de fil. Presbyt. lib. 6. Eodem modo restitutus ad beneficia non censetur restitutus ad Prælaturas, & dignitates, vt tenent Doctores citati, & Abb. in cap. Literas nu. 6. de fil. Presbyt. & Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 22. num. 6. Similiter simpliciter restitutus non intelligitur restitutus ad Ordines, vel beneficia, sed solùm vt possit cum alijs in Clero communicare. Et restitutus, seu dispensatus super depositione verbali non censetur restitutus, seu dispensatus super degradatione, Burga. de dispen. par. 2. q. 10. de interpret. dispens. num. 27. Et tandem dispensatio concessa in vno casu non extenditur ad alium, quia in facultate dispensandi non licèt argumentari ab vno casu ad alium, etiam si militaret simili, aut maior ratio, quia dispensare est à Iure communi deuiare, vt dicit Federi. De Senis cons. 14. Io. And. in Reg. Quæ à Iure de reg. iur. lib. 6. in mercuria. & Abb. in capit. At si Clerici. §. de adulterijs num. 8. de Iudi. qui ponit exceptionem vnam ad hoc dictum, nempe quando aliquid per dispensationem permittitur, & in dispensatione exprimitur causa, propter quam fit illa permissio: Tunc talis dispensatio extenditur ad ea omnia, in quibus reperitur eadem causa, quoniam in hoc casu propriè non fit extensio, quia illa omnia dicuntur potius includi sub illa dispensatione ex tacita voluntate permittentis arg eorum, quæ notantur per Glos. in c. 1. Ver. Italiæ de Tempo. Ordinan. lib. 6. facit Glos. in c. Quia in tantum Ver. Plures de Præben. Quæ asserit, quòd vbi quis dispensatus est super pluralitate beneficiorum dicitur dispensatus, vt debeat vocari ad Capitulum pro negocijs, & electionibus illarum Ecclesiarum, quas retinet: Nam cùm sit dispensatus in Ecclesia, erit etiam dispensatus in accessorijs, Glos. in c. Si quis in Clero Ver. Solemnibus 7. q. 1. Abb. in cap. At si Clerici. §. de Adulterijs num. 22. de Iudi.

Verùm habet aliquam difficultatem id, quod dictum est dispensationem non extendi ad ea, in quibus adest maior ratio dispensandi: Huic enim dicto videtur repugnare textus singul. in cap. Per venerabilem, post initium, qui filij sint legit. Vbi dispensatio extenditur ad minora, quàm erant ea, quæ fuerant concessa, ergo multa magis ad maiora. Nam ibi Summus Pontifex ex eo, quod Sedes Apostolica consueuit aliquos, legitimare in spiritualibus, argumentatur multò magis ex necessaria consequentia posse legitimare ad actus temporales. Respondet Abb. in capit. At si Clerici. §. de Adulterijs num. 22. de Iudi. cum distinctione; nam aliquando dispensatio non est odiosa, sed gratiosa, & in hac fit extensio; talis est dispensatio, quæ habetur in dicto cap. Per venerabilem, sicut in priuilegio concesso contra ius, vt in cap. Ex parte 3. de Deci. Vbi declaratur priuilegium concessum ecclesiasticæ personæ de decimis non soluendis noualia cõprehendere, & reddit rationem Papa. *Quia vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur*, sicut è contra, vt ibi notat Glos. in Ver. Conceditur. Cui interdicitur, minus censetur quoque maius esse interdictum: Vbi Abb. num. 2. infert. Dispensationem factam illegitimo, vt possit promoueri ad Sacerdotium, eidem suffragari quoad Ordines inferiores, sine quibus Sacerdotium obtineri non potest. Immo inquit, quòd si alicui conceditur priuilegium, vt possit promoueri ad maiorem dignitatem, vi eiusdem priuilegijs mino-

A rem etiam dignitatem consequi posse. In his igitur casibus, quia dispensatio est fauorabilis, potest fieri extensio à maiori ad minus. Quædam verò est dispensatio valde odiosa, & in ea nulla fit extensio. Textus optimus in cap. Tua 1. §. Nec occasione de Deci. Vbi licentia concessa laicn exigendi decimas etiam ratione feudi, non extenditur ad decimas Noualium. Et redditur ratio in tex. *Cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda*. Et Glos. ibi Ver. Extendenda licentia inquit. Hoc dicit, quia laici sine peccato decimas possidere non possunt: Et ideo hæc licentia non est extendenda, quia odia sunt restringenda, fauores ampliandi: Vnde sequitur, vt tradit Abb. in cap. Ex parte 3. num. 4. de Decimis, quòd eadem

B licentia respectu diuersorum, diuersimode interpretari potest, latius scilicet, & pressius, facit Glos. in Clem. vni. in Ver. Sacerdotium de off. Vica. Hæc satis sint de restitutione ad beneficia. Quæ omnia clariora etiam reddentur ex ijs, quæ statim dicam.

Si tractemus de restitutione Clerici ad officia, vel Ordines, à quibus depositus erat, illud ante omnia est animaduertendum, quòd depositio verbalis respectiua, & actualis degradatio moraliter loquendo non possunt auferri per dispensationem, quia regulariter post talem depositionem, & degradationem mors sequitur. Potest tamen simpliciter Papa huiusmodi pœnas per dispensationem auferre, & taliter depositum seu degradatum restituere in pristinum statum,

C remittendo pœnam mortis, & aliquando posset contingere casus, vt ex aliqua vrgenti causa propter bonum publicum, & vtilitatem communem super tali depositione, & degradatione dispensare liceret.

Secundò notandum est simplicem depositionem posse ex graui causa per dispensationem auferri, & Clericum sic depositum in pristinum gradum restitui, vt initio capitis probaui, & restitutionis huiusmodi exempla indicaui.

Sed tota difficultas consistit, vt intelligatur, quæ auctoritas, & potestas requiratur in tollenda tali depositione. In qua quæstione quædam sunt certa, quæ ab incertis, & ambiguis sunt distinguenda.

Primò indubitatum esse debet restitutionem ad ma-

D iores dignitates, à quibus depositio per Summum Pontificem lata fuit, ad eundem pertinere, eamque fieri debere eadem solemnitate adhibita, qua prima collatio dignitatis facta fuit, vt traditur in capit. Episcopus 11. q. 3. Posset tamen Romanus Pontifex in prædicta forma restitutionis dispensare, si vellet, cùm non sit de substantia, regulariter tamen debet seruari, puta si depositus esset Episcopis, vel Cardinalis, restitutio in Consistorio esset facienda, vt contigit sub Leone Decimo teste Burga. qui huic ceremoniæ interfecit, vt inquit de Dispensa. par. 6. tit. de Schisma. in fi. quem refert Maiol. lib. 3. De irregula. cap. 22. nu. 5. Vers. In maioribus. Cùm enim Iulius Secundus ex

E causa schismatis deposuisset Bernardum Cardinalem Sanctæ Crucis, & Federicum Cardinalem S. Theodori à dignitate Cardinalitia, Leo Decimus volens illos restituere, mandauit, vt vestibus Clericalibus communibus omnibus Clericis induti, & tonsura more simplicium. Sacerdotum insigniti Consistorium ingrederentur, vbi purpureas vestes cum alijs insignibus dignitatis Cardinalitiæ consuetis ceremonijs adhibitis receperunt.

Secundo certum est ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. de reform. nullam restitutionem ad ordines, gradus, & dignitates siue honores factam per

quem-

quemcunque Prælatum suffragari ei, qui à suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus à proprio Prælato, nisi licentia eiusdem & consensus accesserit.

Dubium est & controuersum, an Episcopus possit dispensare super Depositione verbali seu solenni degradatione Clerici ab ipsomet depositi. Qua in re varij sunt modi respondendi, quos proponit Abb. in c. At si Clerici §. de Adulterijs num. 14. de Iudi. sed Specul. in tit. de Legato §. Nunc ostendendum est num. 6. clarius & latius huic difficultati respondet, cuius sententiam probat Abb. loco citato.

Primo dicit Episcopum non posse dispensare super solenni degradatione, neque posse hoc modo degradatum ad pristinum honorem restituire, idque ad solum Romanum Pontificem pertinere, si dispensatio & restitutio ex gratia speciali petatur. Et intelligit Specul. solenniter degradatum illum, qui depositus est seruata forma cap. 2. de pœn. lib. 6.

Probat hoc dictum ex cap. Ideo 2. quæst. 6. vbi hæc habentur, *Ideo huic Sanctæ Sedi præfata priuilegia specialiter sunt concessa tam de congregandis Concilijs, & iudicijs, ac restitutionibus Episcoporum, quàm etiam de summis Ecclesiarum negotiis, vt ab ea omnes oppressi auxilium, & iniustè damnati restitutionem sumant, & talia ab improbis ne præsumantur absque vltione, neque exerceantur absque damnatione*, & Glos. ibi Ver. Ac restitutionibus, inquit inde sumi argumentum, quòd solus Papa potest restituere Clericum depositum, & respõdet ad cap. Episcopus 11. q. 3. & ad cap. Clericus maledicus 46 dist. in quibus locis videtur restitutio Clerieus depositi permissa Episcopo, dicens in illis tractari de depositione verbali, sed dispensationem super actuali degradatione reseruatam esse Summi Põtifici.

Ad idem confirmandum plura alia iura congerit Specul. loco cit. Probat etiam exemplo ex Iure Ciuili desumpto, nam neque Præses Prouinciæ poterat eum, quem damnauerat, restituere, l. 1. in fine ff. de quæstionibus. Hoc idem sentit Abb. in cap. Ex transmissa num. 11. de Renunc.

Secundò dicit, quando petitur restitutio non ex gratia, sed Iure communi, dicitur peti restitutio de Iure, quando depositio fuit nulla, vt inquit Glos. in c. Episcopus 11. q. 3. Nimirum quia degradatus conqueritur de sententia contra eum lata per falsos testes, vel falsa Instrumenta, vel contra ipsum absentem ex causa probabili, vel sine citatione, vel non esse conuictum, tunc Episcopum posse dispensare & restituere sic depositum. Probat hoc ex dicto cap. Episcopus presbyter 11. q. 3. Vbi dicitur de Episcopo Presbytero aut Diacono iniustè deiecto, vt si restituendi sunt, gradus amissos de manibus Episcoporum recipiant. Item ad idem facit capit. Clericus maledicus dist. 46. cum Glos. Ver. Reuocetur, Glos. in cap. Clericis Ver. Moniti de Cleri. excom. mini. idem tenet. Confirmat Abb. in cap. Ex tuæ in fin. de Cleri. non residen. & Dec. in cap. At si Clerici §. de adulterijs num. 17. de iudi. Quæ doctrina est probabilior, quamuis Sylue. Ver. Degradatio §. 10. sequens alios Doctores simpliciter affirmet solum Papam degradatum restituere posse.

Non obstat tex. in l. 1. in fi. ff. de quæst. quam Glos. in cap. Episcopus 11. q. 3. contra obijcit, quia, vt inquit Dec. ibi sententia erat valida, & transierat in rem iudicatam, sed quando sententia est nulla, non videtur restitutio necessaria.

Hinc sequitur non posse Episcopum restituere, quãdo Clericus iustè depositus fuit, sed hoc reseruatum esse Summo Pontifici, vt notat Glosa in capit. Clerici Ver. Moniti in fin. & in cap. seq. Glos. vlt. de Cleri. excom. mini.

Tertiò dicit, quod si Clericus non est solenniter degradatus, sed solo verbo depositus, quod intelligo, si simpliciter tantum est depositus, non respectiuè in ordine ad actualem degradationem seruata solennitate cap. 2. de pœn. lib. 6. in hoc casu per Episcopum restitui posse arg. cap. At si Clerici de Iudi. vbi permittitur indistinctè Episcopo, vt possit dispensare in adulterio & minoribus criminibus cum Clerico, maximè cum in eod. tex. addatur non esse tradendum Clericum depositum illico Curiæ seculari.

Ad hanc igitur quæstionem breuiter quasi in summam omnia quæ diximus colligentes ita respondeamus conciliando diuersas Doctorum opiniones, aut Clericus depositus est verbaliter simpliciter, & in hoc casu dispensare potest Episcopus, scilicet in casibus, in quibus à Iure ei expressè conceditur facultas dispensandi, vt in adulterio & minoribus criminibus, sicut dicitur in cap. At si Clerici §. de Adulterijs de Iudi. In maioribus vero non poterit restituere, cum in eis dispensare non valeat. Si verò depositio seu degradatio fuit actualis, seu in ordine ad actualem, aut depositus adducit causam legitimam, puta fuisse condemnatum per falsos testes &c. & petit restitutionem de Iure, & Episcopus potest restituere, vel nulla adducitur causa legitima, cur debeat restitui, sed petit restitutionem ex mera gratia, quo casu non competit facultas Episcopo ad restituendum depositum, quia degradatus actualiter est exutus omni priuilegio clericali, & relictus Iudicio Curiæ secularis, vt in capit. Degradatio de pœn. lib. 6.

Sed contra dicta instat Abb. in dicto cap. At si Clerici §. de Adulterijs num. 15. de Iudi. nam Clericus depositus ex causa adulterij, vel ob aliquod publicum crimen efficitur infamis cap. Infames 6. q. 1. l. 1. & 2. ff. de his qui notan. infam. Sed Episcopus non potest aliquem famæ restituere ex communi opinione, vt notant Doctores in cap. Cum te de re Iudi. quia hoc reseruatur Principi, respondet Abb. Episcopum non posse restituere aliquem famæ directè, posse tamen indirectè, & ex quadam consequentia, facit ad hoc optimè text. in l. 1. §. de qua ff. de postulat. Vbi Inferior restituendo in integrum aduersus sententiam suam in casu, in quo potest, ex consequenti restituit ad famam, si talis erat sententia, quæ irrogauit infamiã, licèt principaliter non potuisset restituere famæ. Sententiam Abb. confirmat Decius in dicto c. At si Clerici §. de Adulterijs num. 19. de Iudi. & probat hac ratione, quoniam cui conceditur antecedens, videtur concessum consequens, sine quo antecedens subsistere nequit, vt per Glos. in cap. Si quis cum Clero 7. q. 1. & in cap. Quia in tantum de præben.

Verùm hic quæri potest; An huiusmodi restitutio Depositi in casibus à Iure permissis fieri possit à solo Episcopo sine consensu Capituli sui; Difficultatem faciunt verba cap. At si Clerici §. de Adulterijs De Iudi. ibi, *Potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare*, Clausula enim illa, *cum Clericis*, potest duplicem habere sensum. Primus erit, vt denotet causam efficientem, scilicet vt Episcopus solus sine consensu Capituli dispensare non valeat; Secundus sensus est, vt denotet subiectum ipsius dispensationis, nempe Episcopum posse dispensare super adulterio, & alijs minoribus criminibus cum Clericis. Io. And. vt refert Abb. in dicto cap. At si Clerici §. De Adulterijs nu. 16.

De

De Iudi. tenet facultatem dispensandi competere Episcopo, non requisito consensu Capituli. quod confirmari potest ex Glos. in cap. Cum ex eo Ver. Episcopi De elect. lib. 6. Vbi ex eo tex. probat facultatem dispensandi spectare ad Episcopum sine Capitulo, quia Pontifex solius Episcopi meminit, sicut etiam habetur in multis alijs locis Iuris Canonici, quæ à Glos. referuntur. Oppositum sentit Abb. in dicto num. 16. dicens Episcopum debere requirere consensum Capituli in dispensatione, si causa est ardua; Nam in casibus maioribus hæc potestas deuoluitur ad Capitulum, vt notatur in Clem. vni. De rer. permut. & in cap. vni. de Maior. & obed. Et Capitulum cognoscit de causis magnis, vt in cap. Ad abolendam de Hæret. Quam opinionem tuentur Host. & Innoc. quos refert Abb. pro qua plures auctoritates ex Iure Canonico citat Glos. in dicto cap. Cum ex eo Ver. Episcopi de elect. lib. 6. Eandem sequitur Dec. cum alijs pluribus, quos ipse refert in cap. At si Clerici §. De Adulterijs nume. 20. De Iudi. Non obstat, quod Iura loquantur expressè tantum de Episcopis, meritò enim id fit, quoniam Episcopus est auctor dispensationis, vt inquiunt Abb. & Deci. & actus tribuitur facienti, non consentienti, l. Aliud est vendere ff. De Verb. signif. Non tamen idcirco intendunt excludere Capitulum.

Quamuis autem hæc opinio de consensu Capituli requirendo ab Episcopo in Dispensatione concedenda sit communior, & magis Iuri consentanea, tamen id intelligitur vt de Iure solus Episcopus dispensare non possit, ex consuetudine verò præscripta hanc potestatem sibi acquisiuit, vt notat Glos. in cap. Cum ex eo Ver. Episcopi in fin. De Elect. lib. 6. tradit Roma. consil. 325. incipit; Quoad primam in fi. & confirmat Dec. in cap. At si Clerici §. De Adulterijs numero 20. De Iudi.

Secundò quæri potest, An Capitulum Sede Vacante possit vti potestate dispensandi, quæ Episcopo competebat etiam cum Clerico deposito. Abb. in dicto ca. At si Clerici §. De Adulterijs nu. 17. De Iudi. & in cap. Cum olim in 8. quæst. De Maior. & Obed. affirmat ex sententia Federici de Senis Capitulum posse dispensare Sede Vacante, & Dec. in eod. cap. At si Clerici nu. 21. eandem opinionem sequitur; Facit Glos. in cap. Ecclesia Ver. Senatum 16. q. 1. Fundamentum huius conclusionis est, quia potestas dispensandi est Iurisdictionis, ideo Capitulum potest illam exercere.

Contra opponitur Capitulum non potest cognoscere causam depositionis Clericorum, quia spectat ad Episcopum; Immo neque solus Episcopus hanc potestatem exercere potest, sed tenetur conuocare certum numerum Episcoporum, vt superius probatum est, & habetur in cap. 2. De Poen. lib. 6. Et ratio, quare Clericum deponere pertineat ad Episcopum, est, quia est actus Ordinis; Vnde vt inquit Glos. in cap. Transmissam De elect. Electus & confirmatus in Episcopum ante consecrationem non potest cognoscere de causa Depositionis, quia caret Ordine: Igitur multò minus Capitulum, cum non possit poenam depositionis imponere, potestatem habebit ad dispensandum in ea.

Respondendum est, quòd licèt Capitulum non possit cognoscere de causa depositionis, neque Clericum deponere, tamen poterit super depositione dispensare, quia est actus meræ Iurisdictionis. At deponere est actus Ordinis, ideirco non conuenit Capitulo. Simile est in cap. Suffraganeis De elect. & quod notat Glos. penult. in cap. 1. De Transiat. Prælat. Vnde Capitulum committere potest cognitionem, & decisionem causæ

A alijs, quia exercet Iurisdictionem, quam habet, & propter eandem rationem, vt asserunt Abb. & Dec. Episcopus electus, & confirmatus non consecratus poterit dispensare in causa depositionis, quia potest exercere ea, quæ sunt Iurisdictionis, cap. Transmissam cum Glos. de elect.

Superest, vt de modo seruando in restitutione facienda aliquid dicam, & ita concludam hoc Caput, Specul. in Tit. De Accusat. §. Secundo loco videndum est num. 9. & 10. inquit, si contingat, vt restituatur solenniter Degradatus, antequam secularis Iudex in illum animaduertat, quia constet de iniustitia, vel nul-
B litate sententiæ depositionis, tunc vel restitutio fit à Papa, vel ab Episcopo: si à Papa poterit solo verbo restituere vt in cap. Fratres 9. q. 3. Et idem poterit alius ex peculiari Papæ auctoritate. Si verò restitutio fit ab Episcopo, tunc debent adhiberi solennitates descriptæ in cap. Episcopus 11. q. 3. nempe vt depositus, seu degradatus recipiat gradus amissos coram Altare de manibus Episcoporum; Vt si Episcopus depositus restituatur, recipiat orarium, seu stolam, baculum, anulum, sandalia, mitram, & alia insignia Pontificalia. Si Presbyter orarium, & planetum siue Casulam. Si Diaconus Orarium, & Albam, siue Dalmaticam. Si Subdiaconus patenam, & Calicem; sic & reliqui gradus in restitutione recuperent ea, quæ in ordina-
C tione receperant.

Quærit Specul. Vtrum tot Episcopi sint necessarij in restitutione, quot ex dispositione Iuris communis requiruntur in depositione. Pro parte affirmatiua facit, quia par Ius est ligandi, & soluendi, cap. Verbum de Pœnit. dist. 1. Respondet idem Specul. quòd quando sententia depositionis est valida, tunc restitutio pertinet ad Summum Pontificem, & non est necessaria assistentia Episcoporum. Quòd si sententia non tenet, Episcopus solus poterit hoc iudicare, & restituere, vt notatur in dicto cap. Episcopus 11. q. 3. Sed si Clericus non fuit solenniter depositus, siue sententia teneat, siue sit inualida, Episcopus solus poterit eum restituere.

D Absoluta disputatione de depositione, cuius cognitio necessaria erat, vt completam redderemus; incoeptam tractationem de Suspensione, cum depositio sit quædam veluti perpetua suspensio; Modo non erit difficile intelligere qua ratione suspensio conueniat cum illa, & in quibus differat, quod in sequenti capite præstandum est.

CAPVT X.

In quibus Suspensio cum Depositione, & reali Degradatione conueniat, & quomodo ab eisdem differat.

E NOnnunquam in Iure hæc vox, Suspensio, accipitur pro Depositione, vt in cap. Si quis Episcopus 26. q. 5. & ibi notat Glos. Ver. Suspensus, in cap. Si quis Episcopus 83. dist. Suspenditur Episcopus suorum Clericorum fornicationi consentiens, & Glos. ibi Ver. Suspendatur, inquit, *idest Deponatur*. E contra etiam depositio sumitur pro suspensione. Vnde in cap. 3. De Cleri. Escom. Mini. aliqua depositio appellatur perpetua, ergo supponitur dari quoque aliquam depositionem non perpetuam. Hæc autem est Suspensio. Et nonnulli explicantes rubricam eiusdem tituli, *De Clerico excommunicato, vel deposito ministrante*, Depositum vocant omnem illũ, qui suspensus est. Quare suspensio,

& de-

& depositio primò videntur in ipsomet nomine conuenire, quia reciprocè nonnunquam Suspensio vsurpatur ad significandam Depositionem; Aliquando è contra Depositio pro suspensione. Et ratio huius conuenientiæ in vocabulo illa reddi potest, quoniam cum ambæ hæ pœnæ, scilicet tam depositio, quàm Suspensio priuent vsu Ordinum, vtraque dici potest depositio. Et cum neque depositio neque suspensio auferant ipsos Ordines, vtraque vocari potest suspensio.

Ex hac prima communicatione in nomine sequitur proximè alia, quòd tam depositio; & idem de Degradatione, quàm suspensio sunt pœnæ Ecclesiasticæ, & vtrique ea propriè aptantur, quæ ad rationem pœnæ spectant, nimirum quod imponantur propter culpam, & iuxta illius rationem, & qualitatem commensurentur, & ab eo solum infligātur, qui Iurisdictionem habet in eos, aduersus quos huiusmodi pœnis animaduertere intendit Prælatus, & alia similia.

Tertio conueniunt, quia sicut depositio, seu degradatio impedit executionem functionum Ecclesiasticarum, ita quoque Suspensio, vt dixi superius de Suspensione, & quantum ad depositionem patet ex definitione tradita, & probari potest etiam ex eo, quòd communiter non dicitur quis deponi, cum priuatur receptione Sacramentorum, vel suffragijs, & bonis communibus Ecclesiæ, aut commercijs humanæ societatis, vel alijs actibus ciuilibus, quæ omnibus fidelibus communia sunt, quorumque priuatio ab excommunicatione, aut Interdicto oritur; sed tunc intelligitur quis deponi, cum dignitate Ecclesiastica, vel officio priuatur.

Quartò conueniunt, quòd sicut suspensio est pœna propria Clericorum, vt probaui, ita quoque Depositio, & Degradatio, & desumitur ex cap. 2. distin. 50. & ex cap. Degradatio de Poen. lib. 6. & sequitur ex eodem fundamento, quoniam Depositionis effectus est impedire executionem munerum, & dignitatum Ecclesiasticarum, quæ sunt propriæ Clericorum; Licet enim, vt initio Disputationis dicebam, si latius accipiatur, Depositio significet aliquando priuationem muneris temporalis: Vnde Iudex secularis dicitur à suo officio depositus: Tamen, si propriè sumatur, depositio, vt est pœna Ecclesiastica, refertur solum ad officia Ecclesiastica, & beneficia, & ideo vocatur pœna propria Clericorū, & ita inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. Dec. in cap. At si Clerici num. 5. De Iudi. Bernard. Diaz in Pract. Crim. cap. 138. & 143. Et hæc pœna extenditur etiam ad Religiosos, quamuis Clerici non sint, quales sunt Conuersi, quatenus Religiosæ personæ sunt. Et hoc modo deponitur Abbatissa Monialium ab officio, sicut suspendi potest ab eodem.

Quintò quemadmodum suspensionis duæ sunt primariæ species, nempe ab officio vna, a beneficio altera, eodem modo depositio principaliter diuiditur in eam, quæ est ab officio, & in aliam à beneficio, Abb. in cap. In sinuatum num. 2. De simon. & in cap. Querelam num. 1. De iureiur. Vbi inquit propter periurium posse aliquem deponi ab Ordine, & beneficio; Ergo supponit vtramque speciem depositionis reperiri. Et in cap. Si Episcopus dist. 50. specialiter fit mentio de depositione ab officio. Similiter in cap. Si quis Clericus dist. 81. & de vtraque testimonium habemus in c. 1. De Homicid. lib. 6. his verbis, *Depositionis à dignitate, honore, Ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipso facto.* Vbi licèt exprimantur tres illæ voces, *dignitate, honore, Ordine*, deinde addatur dictio, *Officio*; Tamen vnica totalis depositio intelligitur ab omni officio, sed ad maiorem terrorem plura illa vocabula accipiuntur, vt ostendatur grauitas pœnæ, & de vtraque depositione intelligendum est, quod notat Felin. in ca. Ex parte num. 4. de accusat. Depositum à beneficio ex illius redditibus esse alēdum, quod locum habet etiam in suspensione, quæ lata est in pœnam delicti commissi, non in contumaciam non parentis, vt probabo in Disput... Cap...

Sextò conueniunt, quoniam depositio ab ordine non aufert Ordinem, nec tollit Characterem impressum in anima, qui indelebilis est, vt est communis sententia Theologorum in 4. sent. dist. 25. & D. Tho. in 3. par. quæst. 63. sed solum impedit executionem Ordinum, ne possit illos exercere. hoc idem facit suspensio. Hinc sequitur, vt sicut validi sunt actus Ordinis, quos exercet suspensus, licèt ipse grauiter peccet, nisi requirant Iurisdictionem, vt est absolutio Sacramentalis, ita affirmandum est de actibus Ordinis, quos efficit depositus. Quare Sacerdos depositus verè consecrat, vngit infirmum, Episcopus depositus validè ordinat, confirmat, si vtatur legitima intentione, & adhibeat debitam materiam, & formam. Et eadem militat ratio in degradato, quia neque depositus, neque degradatus amittunt potestatem Ordinis, à qua ex diuina Institutione valorem, & efficaciam accipiunt huiusmodi actus, quam Ecclesia auferre non potest.

Septimò conueniunt, quoniam neque suspensio, neque depositio priuant per se priuilegio Clericali, nisi specialiter hoc adiungatur ab Ecclesia in pœnam delicti à Clerico commissi, Abb. in cap. At si Clerici §. de adulterijs num. 2. de Iudi. Vbi inquit Clericum depositum tradendum esse Curiæ seculari, quando eius delictum non est sufficienter punitum per solam depositionem, ergo regulariter secus accidit; Et ideo per depositionem solam non priuatur priuilegio. Vnde in cap. Cum non ab homine de Iudi. describitur ordo seruandus in infligenda pœna contra Clericum delinquentem, & criminosum, vt primò deponatur, deinde, si in contumacia persistat, anathematizetur. Tādem contumacia crescente tradatur Curiæ seculari. Ergo per solam depositionem non est exutus priuilegio. Idem habetur in cap. 2. de Poen. lib. 6. & ibi omnes Doct.

Octauò etiam conueniunt, quòd vterque tam suspensus, quam depositus tenetur ad onera, quæ ab ipsis Ordinibus oriuntur, quale est onus recitandi officium diuinum, si Clericus sit in sacris: Et ratio id optimè persuadere videtur, nam qui honore gaudet, onera annexa sustinere debet. Si Clericus depositus non amittit priuilegia, quæ Clericis conueniunt, neque ab oneribus debitis eximi debet, Sylue. Ver. Degradatio §. 10. Couar. qui alios citat lib. 3. Variar. Resol. ca. 13. nu. 8. §. Duodecimo, Vers. Et idem omnino est dicendum. Et addit hoc esse verum etiam si quis fuerit solenniter, & actu degradatus. & ratio est, quia obligatio ad horas Canonicas comitatur Ordinem Sacrum, etiamsi Ordinatus nullum beneficium, aut Ecclesiasticos redditus habeat coniunctos, & Ordo ita manet in deposito, sicut in suspenso. Et quamuis Depositus, si priuatus sit beneficio, non teneatur ratione beneficij officium Diuinum dicere; Tamen, vt inquit Couar. ratione Ordinis sacri manet addictus obligationi horas Canonicas priuatim recitandi. Nec excusatur quòd redditus Ecclesiasticos non recipiat, cum id eius culpa contigerit, & per Ecclesiam non steterit, quin redditus eidem dentur. Addit Syluc. non posse reci-

tando

taudo officium proferre Versum. *Dominus vobiscum*, neque alias solemnitates adhibere, quæ dignitatem demonstrant, sicut neque debet Depositus Ecclesiæ inseruire. vt probaui de excommunicato.

Nona conuenientia esse potest, quòd sicut suspensio non liberat Clericum in sacris ab obligatiune seruandi continentiam, & ab inhabilitate ad matrimonium contrahendum, ita neque Depositio, vt tradit Abb. in capit. primo numero sexto. Qui Cleri. vel vouen. ob eam rationem, nam quantumuis quis sit Depositus, tenetur elericaliter viuere. Ad idem facit cap. Dictum est distinct. 81. vbi Glos. idem probat Ver. Secularitér.

Decimò conueniunt, quia licèt regulariter suspensio sit ad tempus, Depositio sit perpetua, nam vt inquit Abb. in cap. At si Clerici numero septimo de Iudi. Depositio est perpetua remotio ab Altaris ministerio, suspensio est ad tempus. Glos. in Clement. Cupientes Ver. Suspensi de Pœn. Tamen datur suspensio perpetua, quia positiuè potest Clericus in perpetuum suspendi, vt dicit Nauar. in Manua. c. 27. nu. 151. quam tamen dicit esse potius depositionem, Abb. in eapit. Veritatis numero decimo tertio de dolo, & contum.

Quare etiam aliqua suspensio, nempe perpetua conueniet hac ratione cum depositione, quia neutra tollit Ordinem, & vtraque priuat vsu totali Ordinis. Ideo Sylue. Ver. Degradatio. §. primo, inquit interdum vnam pro altera accipi. Hæc sunt præcipua, in quibus suspensio conuenire videtur cum depositione.

Differunt autem varijs, & pluribus modis, & quoniam, vt dixi, depositio potest esse ab officio, & beneficio, sicut & suspensio. Prius loquamur de depositione ab offieio, postea disputabimus de depositione à beneficio.

Primò ergo depositio, si sit ab officio, quoad Iurisdictionem tantùm, priuat non solùm vsu Iurisdictionis, sed etiam ipso offieio, & munere Iurisdictionis, sed suspensio impedit tantummodo executionem, & vsum Iurisdictionis, vt ex ipsa nominis significatione apparet.

Scenndò differunt, quoniam iuxta propriam, & magis vsitatam rationem huius pœnæ significat priuationem perpetuam, & irremissibilem: Suspensio denotat priuationem ad tempus definitum.

Tertiò differunt, quia licèt suspensio non feratur ad certum tempus, sed simpliciter, & absolutè, tamen est locus restitutioni, cùm depositio impendatur in perpetuum sine spe restitutionis. Idque colligitur ex eap. Veritatis de dolo, & contum. Vbi primò ponitur absoluta suspensio, deinde fertur depositio perpetua sine spe restitutionis.

Quartò quamuis suspensio in perpetuum feratur positiuè ab vsu Ordinis, adhuc potest assignari differentia inter ipsam, & depositionem. Nam suspensio perpetua est dispensabilis Iure ordinario, & tunc propriè vocatur suspensio, quando verò imponitur sine spe restitutionis, verè est depositio.

Et licèt Pontifex de plenitudine potestatis possit illam remittere; tamen regulariter, & quasi lege ordinaria dicitur irremissibilis, & ita exprimitur in multis capit. vndecimo quæst. tertia, & in dicto capit. Veritatis de dolo, & contum. Quamuis nonnunquam de suspensione perpetua etiam dicatur imponi sine spe dispensationis, vt patet ex Bulla Syxti Quinti contra malè promotos.

A Quintò depositio differt à suspensione, quòd aliquando deponitur Clericus respectiuè in Ordine ad actualem degradationem, sed suspensus suspensione etiam absolutè perpetua non ordinatur ad realem degradationem.

Consistit autem hæc differentia in hoc, quòd suspensus, sicut depositus absolutè non possunt sine noua sententia degradari. At depositus in Ordine ad degradationem potest illico absque noua sententia actualiter degradari.

Sextò depositio, & suspensio, si vtraque sit à beneficio, in hoc potissimùm differunt, quòd suspensio non priuat beneficio, sed fructibus illius, depositio B priuat ipso beneficio. Quare siue sit suspensio ad tempus certum, siue absoluta, siue perpetua positiuè, solùm vim habet impediendi fructus, & vsum beneficij; At depositio tollit titulum beneficij, quamuis suspensus perpetuò à beneficio, videatur eo ipso priuandus beneficio. Neque enim videtur rationi consentaneum, vt qui perpetuò priuatus est, ne possit fructus percipere, beneficium retineat. Nam vel habet beneficium sine vlla obligatione ad officium debitum Ecclesiæ, & hoc est contra rationem beneficij, aut si tenetur aliqua obligatione, illam explere non potest in perpetuum, quod est absurdum. Sed ex vi suspensionis non amittitur vnquam benefi- C cium ipso Iure, licèt sit perpetua suspensio, ideo, obtenta absolutione à suspensione, beneficium retineri potest, sed per depositionem tollitur ipso facto, &, vt possit retineri, necessaria est noua collatio.

Septimò degradatio actualis differt a suspensione in ijs omnibus, quibus depositio ab eadem suspensione distinguitur, sed specialiter degradatio actualis priuat priuilegio Clerieali, vt patet ex cap. secundo de Pœn. lib. sexto, non autem suspensio, vt dictum est superius.

Octauò depositio, & degradatio differunt à suspensione ratione causæ efficientis, quia causa efficiens illarum Iure ordinario est Episcopus, idest solus Episcopus potest deponere, & degradare, vt ostendi D in cap. octauo. Verùm suspensionem ferre potest omnis Prælatus habens Iurisdictionem fori exterioris, qui potestate fungitur ad excommunicandum, vt probabo in disp.... cap....

Nonò differunt etiam, quoniam in facienda depositione, & degradatione quædam solemnitates adhibendæ sunt ex dispositione sacrorum Canonum, quæ non sunt necessariæ in imponenda suspensione; nempe in depositione requiritur præsentia Episcoporum in quodam certo numero: In degradatione reali Clericus degradandus induitur vestibus sacris, quibus gradatim Ordine seruato ab Episcopo spoliatur seruata forma descripta in cap 2. de Pœn. lib. 6. quæ omnia fusius explicaui supra cap. 7.

E Decimò suspensus semper pertinet ad forum Ecclesiasticum, cuiuscunque generis suspensione sit obstrictus. Et similiter depositus verbaliter etiam in Ordine ad actualem degradationem, ita quidem, vt non possit Iudex secularis talem personam apprehendere, aut iudicare. At verò degradatus actualiter statim efficitur fori secularis veluti necessaria consecutione, quia non est relinquendus liber ab omni foro, cùm iam amiserit omne priuilegium Clericale, & ideo Ecclesia nunquam consueuit Clericum delinquentem tradere Curię seculari ante actualem degradationem, nisi vrgente aliqua necessitate, & interueniente Summi Pontificis auctoritate.

Po-

Postremò suspensio non reddit hominem infamem, A sicut depositio, & degradatio, vt tradit Abb. in cap. Cum te num. 10. de re iudi. Et ratio est, quoniam, vt habetur in cap. Omnis verò 6. q. 1. infames sunt, qui propter delictum commissum ad Sacerdotium prouehi non possunt: Ergo multo magis habendi sunt infames, qui culpis exigentibus à Sacerdotio deiecti sunt. Deinde Iure Canonico omnes illi reputantur infames, quos leges Ciuiles declarant esse infames. Sed reputantur infames Iure Ciuili quicunque de grauissimo crimine sunt per sententiam damnati tales sunt depositi, & degradati, quos non nisi ob maxima scelera Ecclesia ab officio, & Ordine deijcit. Redeamus modò ad ipsam suspensionem, & de singulis eius effectibus pertractare aggrediamur.

DISPVTATIO TERTIA.

DE EFFECTIBVS SVSPENSIONIS IN GENERE.



CVM duæ sint species Suspensionis, B vt vidimus, Altera ab officio, Altera à beneficio: De singulis effectibus vtrius suspensionis agendum erit. Sed antea in sequenti Disputatione opus erit tractare de effectibus communibus Suspensionis in genere sumptæ, vt est Censura, & poena Ecclesiastica.

Caput Primum, De Effectibus communibus Suspensionis.

Caput Secundum, An effectus Suspensionis impediri, vel interrumpi possint per appellationem, vel alio modo.

CAPVT I.

De Effectibus communibus Suspensionis.

VNius est effectus communis Suspensionis, vt ex definitione Suspensionis superius data colligi potest, nimirum priuare personam Ecclesiasticam, vt talis est, ne vt Minister Ecclesiæ functiones Ecclesiasticas exercere valeat. Idque probatur ea ratione, quoniam suspensus nunquam violare dicitur censuram, neque ob huiusmodi violationem puniri potest, nisi quoties, vt Minister functiones Ecclesiasticas exercet, & diuina administrat, cap. 1. & cap. penult. De Cleri. Excom. Mini. Ergo effectus communis suspensionis erit priuare Ministrum Ecclesiæ, ne possit agere plures, vel pauciores actus spectantes ad functiones Ecclesiasticas. Quare solus hic effectus conuenit omnibus speciebus suspensionis.

Ex hoc principio sequitur primò suspensum Sacramenta suscipere posse, diuinis interesse, dum celebrantur, eius corpus post mortem Ecclesiasticæ sepulturæ tradi: Et idem de alijs, quæ in receptione consistunt, & ratio est, quia si per Censuram Ecclesiasticam suspenditur quis à functionibus, quatenus est Minister Ecclesiæ, & sic tantum actiuè, igitur non suspenditur ab earundem susceptione. Quare conceditur suspenso suscipere Sacramenta, diuinis interesse: Hæc enim non conueniunt personis Ecclesiasticis, vt Ministri Ecclesiæ sunt, sed quatenus sunt fideles per Baptismum corpori Ecclesiæ coniuncti. Quamobrem ab actiua participatione Sacramentorum, non à passiua priuat Suspensio, Qua in re differt ab excommunicatione: Maior enim Excommunicatio reijcit hominem ab vtraque, minor verò à passiua, non ab actiua.

Excipitur tamen ab hac regula primò, Vbi quis ob causam, cui culpa lethalis annexa sit, suspendatur: reus enim culpæ mortalis sacramenta suscipere nequit, ca. fin. De cohab. Cleri. & mulie. cap. fin. de Cleri. excom. mini. hæc tamen prohibitio, nec recipiantur in hoc casu C sacramenta, non prouenit ab ipsa suspensione, sed à peccato, nam suspēsio est censura, & poena: Peccatum autem est culpa. Similiter si quis ob contumaciam suspensus sit, quandiu in ea obduratè perseuerat, debet à Sacramentis abstinere, non quidem suspensionis vi, sed propter peccatum contumaciæ, quousque poeniteat.

Excipitur secundò Sacramentum Ordinis, quod suspensus suscipere non potest: nam per Sacramentum Ordinis constituitur quis Minister Ecclesiæ, & recipit potestatem ad exercendum functiones Ecclesiasticas, D cap. 1. dist. 25. At suspensus has functiones exercere prohibetur, vt dictum est, igitur nec Ordinem suscipere debet, prohibito enim consequente, & antecedēs prohibitum esse censetur arg. l. Oratio ff. De sponsa. & prohibito vsu alicuius rei, omne id prohibetur, per quod ad illud necessariò peruenitur, vt notat Abb. in cap. fin. num. 3. de Cleri. excom. Mini. Et hoc argumento vtitur ibi Summus Pontifex, vt probet per excommunicationem minorem reddi hominem inhabilem ad consequenda beneficia Ecclesiastica: Nam beneficium confertur, vt prouisus in Sacramentis Ecclesiæ se exerceat, ergo sublata facultate recipiendi Sa- E cramenta, quod prouenit ab excommunicatione minori, intelligitur sublata facultas consequendi beneficia.

Excipitur tertiò Sacramentum Eucharistiæ, vt est coniunctum cum Sacrificio Missæ, Sacerdos enim suspensus non potest Eucharistiam assumere conficiendo sacrificium Missæ, quoniam sacrificium Missæ peragit, vt Minister Ecclesiæ, cap. Relatum De Consecr. dist. 2. Conc. Trid. sess. 13. cap. 8. sed vt talis prohibetur virtute

A virtute suspensionis a functionibus Ecclesiasticis, ergo hac ratione non potest Sacramentum Eucharistiæ suscipere. His casibus exceptis suspensus omnia Sacramenta suscipere potest quacunque suspensione alligatus sit, sed multò magis si suspensus sit à beneficio tãtum, cum enim talis ab officio non sit suspensus, liberè absque vllo impedimento poterit, quæcunque ad officium pertinent, vt Minister Ecclesiæ gerere.

Ex eodem principio sequitur secundò, Per suspensionem minimè impediri Ministrum Ecclesię, quominus valeat ante absolutionem validè omnes actiones ciuiles, & profanas exercere, quia si tantum excluditur ab actiua administratione functionum Ecclesiasticarum, ergo liberum est suspenso præter Ecclesiasticas, B & spirituales actiones, omnes alias sicut ante suspensionem administrare, Itaqoe & Iudicis officium gerere potest, & tanquam actor in Iudicio conuenire, vt affirmat Innoc. in cap. Venerabili De sent. Excom. quem ibi sequitur Abb. in fi. & Felin. Nicol. de Mil. in Repert. Ver. Excommunicatus, licèt repellatur ab agendo. Idem Abb. in cap. Intelleximus num. 14. De Iudi. Vbi in tex. declaratur Excommunicatus reiectus à limine Iudicij, & Abb. quærit, an idem sit dicendum de suspenso, & Interdicto, & respondet ex communi sententia Doctorum illis non esse denegatam facultatem agendi, quia non excluduntur ab hominum communione sicut Excommunicatus. & idem tradit Felin. nume. 21. Excipit tamen Felinus, nisi suspensus C agere vellet pro beneficio, à quo est suspensus: Hoc enim prohibetur, vt habetur in cap. Apostolicæ De except. & ibi Glos. Ver. Contingeret retardari, notat suspeosos per sententiam hominis ab officio, & beneficio non posse agere pro Ecclesia, eum ab ipsius beneficio priuati sint, & præcipuè si agant pro re spirituali, vt pro electione; nam cum non possint eligere, vel eligi, nõ possunt prosequi causam electionis. Quòd si in cap. fin. De Cleri. excom. Mini. dicitur suspensos, eligere posse, & consequenter agere pro sua electione, sicque exercere ea, quæ sunt Iurisdictionis: Respondet eadem Glos. dictum cap. fin. intelligendum esse de suspensione Canonis; Nam Canon mitius agit, quam Minister Iuris. Idem affirmat Abb. ibi num. 6. De Su- D spenso ab officio, & beneficio, secus verò de suspenso à beneficio tantum iuxta Glosam valde singularem in cap. Cum Vintoniensis Ver. Admiserant in fin. De elect. Quare sola excommunicatio Maior impedit, ne Excommunicatus agere possit, cap. Decernimus de sent. excom. lib. 6. cap. A nobis de except. Neque hunc effectum a Sacris Canonibus Censuræ Suspensionis communicatum esse legimus. Ob eandem rationem suspensus non redditur inhabilis ad ferendum testimonium. Vnde testimonium suspẽsi est validum. Quare in cap. Decernimus de sent. excom. lib. 6. excommunicati, non suspensi repelluntur ab agendo, patrocinando, & testificando, & ratione idem probatur, quoniam causa, propter quam vetitum est, ne excommu- E nicatus ferat testimonium, illa est, vt probat Glos. in dicto cap. Decernimus Ver. Et testificando, quia separatus est à communione Ecclesiæ, tali autem excluso a communione Ecclesiæ omne beneficium ex legibus proueniens interdicitur, Hæc autem causa cessat in suspenso; Igitur prohibitio, ne possit testificari non extenditur ad ipsum suspensum. Præterea denegatur Excommunicato facultas testificandi propter periculum communicationis, quam alij inducentes excommunicatum ad testimonium ferendum, cogerentur cum ipso habere, & prohibitũ est communionem

A habere cum Excommunicato, sicut neque ipse potest fidelibus communicare. Hæc autem communio & societas non est interdicta cum suspenso; Igitur nulla apparet ratio, quæ persuadere videatur, quominus validum censeri debeat testimonium a suspenso depositum. Et propter eandem rationem idem asserendum erit de cæteris actibus ciuilibus, qui exerceri possunt à suspenso, quamuis sint interdicti excommunicato; ideo suspensus potest condere testamentum, instituere hęredem, contractus inire, & tandem Christi fidelibus communione vti. Hæc enim nullibi prohibentur suspenso, ergo permissa esse existimantur, vt sentit Innoc. in cap. Venerabili de sent. excom. Abb. in cap. Intelleximus num. 14. de Iudi. Vbi Felin. nu. 21. Quam- B obrem vnicus tantum est effectus communis suspensionis, nimirum suspendere potestatem, quam habet minister Ecclesiæ ne durante tali Censura, antequam per absolutionem relaxetur, valeat vt talis minister functiones Ecclesiasticas exercere.

CAPVT II.

An effectus Suspensionis impediri, vel interrumpi possint per appellationem, vel alio modo.

CVm vis, & efficacia appellationis sit suspendere effectum sententiæ latæ per Iudicem, & causam ad Superiorem deuoluere, cap. Si a Iudice, & ibi Ge- C min. & alij de appell. cap. Non solum eodem tit. & lib. Abb. in cap. Ad reprimendam num. 9. de off. ordi. meritò inuestigandum est, an hos effectus operetur appellatio in ordine ad sententiam suspensionis, & vtrum excepta appellatione dari possit aliud remedium ad impediendam, vel suspendendam vim Suspensionis.

Quòd attinet ad appellationem potest illa, vel præcedere suspensionem, vel subsequi. Si interponatur appellatio, antequam pronuncietur sententia Suspensionis, tunc suspensio sequẽs non operatur statim suos effectus, sed retardatur eius executio per appellationem, sicut accidit in ordine ad sententiam Excommunicationis, vt probaui in Disput. 5. cap. 1. lib. 3. & ex- D pressè colligitur ex cap. Ad hæc quoniam de appella. cap. Cum contingat de off. de leg. cap. Per tuas de sent. excom. cap. Solet eod. tit. lib. 6. Et licet agatur in his locis de Excommunicatione; tamen hac in re eadem est ratio de omnibus censuris, vt notat Glos. in dicto cap. Licèt Ver. Excommunicationis, cum ait, *Licèt de excommunicatione exprimat, idem puto de sententia suspensionis, & Interdicti, cum eadem sit ratio*; Et tradit Abb. in cap. Ad hæc quoniam num. 1. de appella. concludens hanc conclusionem locum habere in omnibus censuris, nempe Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto. Et hæc ratio oritur ex ipsa formali, & intrinseca appellationis essentia, cuius vis est ita Iudicis potestatem impedire, à quo appellatur, vt in illa E causa non valeat vlterius progredi, & si procedat omnia acta irrita, & inualida iudicentur. Quando igitur appellatio interponitur, antequam pronuncietur sententia suspensionis, regulariter impeditur sententiæ pronunciatio, quia suspenditur Iudicis iurisdictio, & si velit sententiam ferre, redditur inualida defectu iurisdictionis.

Patitur tamen hæc regula aliquas exceptiones, & limitationes. Prima est, si proferatur sententia a Iudice, cui competat auctoritas, vel a Iure, vel à Principe, vt possit in causa procedere, *Omni, & quacunque appel-*

appellatione remota, vel cum negatione Audientiæ Tales clausulæ afficiunt, vt Iudex non obstante appellatione possit ferre sententiam Suspensionis, quæ valida erit ipso Iure, & suspensus illam seruare debebit, licèt per Superiorem irritari possit. Reperitur hæc clausula non raró in Concilio Trident. vt in sess. 23. De reform. cap. 18. ad fi. Sess. 24. De reforma. cap 10. & sess. 25. cap. 13. & in alijs locis. Sed non est omittendum, hanc clausulam non posse apponi, nisi à solo Principe, quam nullus inferior Principe addere potest, vt tradit Felin. in cap. Significarunt numero 20. De except. quod probari potest ex his, quæ notantur à Glosa in cap. fin. Ver. Figura De Hæret. lib. 6. Vbi quærens, an Inferior a Papa etiam legatus in casu aliàs non permisso à Iure possit cognoscere aliquam causam, vel illam alteri committere cum clausula, *De plano summariè, sine strepitu, & figura Iudicij*, Et respondet non posse ob eam rationem, quia Inferior etiam Legatus Papæ Iuris solennitates tollere nequit; Vnde contra Inferiores præcepta Iuris non seruantes inuenta sunt remedia appellationum 2. quæst. 6. per totam. Solus autem Princeps potest ius alterius auferre. præsumitur tamen id facere ex iusta causa, Bald. in titul. De Allodijs in vsibus feudorum, & Garzias in l. Gallus §. & quid si tantum ff. De liber. & posth.

Secunda limitatio est, quando interponitur appellatio, quæ friuola penitus, & improbabilis iudicatur; Talis enim, etiamsi præcedat suspensionem, non impedit effectum Suspensionis. Vnde inquit Sylue. Vers. Suspensio §. 3. Si ille, qui appellauit interposita huiusmodi appellatione celebret post Suspensionem, non euitat irregularitatem, si Iudex appellationis non pronunciauerit iam non tenere, secus si appellatio legitima declaretur; Ideo in cap. Cum appellationibus De Appell. libro sexto, habetur appellationibus friuolis non esse deferendum, Vbi Glos. Ver. Referendum, reddit rationem, quoniam appellatio inuenta non fuit, vt esset iniquitatis defensio, sed innocentiæ præsidium. Quamobrem inanis appellatio, & sine causa non suppendit Iurisdictionem Iudicis, propterea sententia post talem appellationem pronunciata valida est, & operatur effectum suum, & ita tenet Abb. in cap. Pastoralis §. Verùm numero decimo quarto, De Appella. agens de sententia Excommunicationis. Friuola autem appellatio dicetur illa, vt inquit Gemin in cap. Cum appellationibus nu. 5. de Appell. lib. 6. quæ interponitur ea causa non legitima nec vera.

Si verò loquamur de appellatione interposita post Suspensionem, certa est conclusio communi Doctorum consensu firmata appellationem huiusmodi non suspendere effectus suspensionis, sicut diximus de Excommunicatione in lib. 3. Disput. 5. Cap. . . & habetur expressè in cap. Is cui in fin. de sent. excommunic. lib. 6. his verbis, *Sane sicut excommunicatio sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus per appellationem sequentem minimè suspenduntur*. Idem quoque habetur in cap. Ad hæc quoniam de appellat. licèt enim ibi agatur de Excommunicatione, & Interdicto, tamen Doctores idem affirmant de Suspensione, quia militat eadem ratio in omnibus censuris, & est, vt inquit ibi Abb. numero quinto, quia in sententijs Censurarum primus actus non est separatus à secundo, & declarat hoc dictum, quoniam essentia censuræ, quæ dicitur primus actus non distingnitur ab effectu, qui vocatur actus secundus, & ideo per appellationem sequentem non potest suspendi effectus ipsius suspensionis; Ita sentit Beatus Antoninus 3. par. titu. vigesimoseptimo, capit. quarto post medium, vers. Item nota, Sylue. Ver. Suspensio §. tertio.

Quæ conclusio de Suspensione ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ à nemine reuocatur in controuersiam, quoniam ita definitum habetur in dicto capit. Is cui De sentent. excommunic. lib. sexto, vt dictum est, sed nonnihil difficultatis habet, si sermo sit de suspensione à beneficio, nam Glos. in eodem cap. Is cui, Ver. Sequentem, refert duas opiniones, Alteram Host. Alteram Innocent. quæ videntur contrariæ. Hostiens. distinguit Suspensionem à beneficio, quæ duobus modis imponi potest, nam aliquando suspenditur quis à beneficio simpliciter, & hæc non impeditur per appellationem, quia beneficium est res spiritualis. Interdum suspenditur quis a perceptione fructuum beneficij, quæ per appellationem sequentem suspenditur, quia fructus sunt res temporales, & ita sentit Sylue. Ver. Suspensio, §. 3. Et eadem ratio est ex sententia Hostien. vt refert Glos. si Iudex diceret; Suspendo te a Præbenda, secus si diceret: Suspendo te à Canonia, quia illa spiritualis est.

Innoc. autem in cap. Ad hæc quoniam De Appella. duas videtur referre sententias in hac difficultate. Primò dicit per appellationem sequentem suspédi effectum Suspensionis à beneficio: Vnde hoc modo suspensus non tenetur abstinere a beneficio post appellationem, sicut si Suspensus esset à temporalibus. Et hanc opinionem Io. And. in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. tribuit Innoc. & illam sequitur Abb. in cap. Ad hæc quoniam nu. 1. De Appella. & approbat Glos. in dicto cap. Is cui Ver. Sequentem de sent. excom. lib. 6. & probat hac ratione, quonism in eod. ca. Is cui, tantum habetur per appellationem sequentem non impediri effectum Suspensionis ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, si idem voluisset statuere de suspensione a beneficio, vtique expressisset; Vnde concludit hanc conclusionem locum habere solum in his, quæ merè spiritualia sunt, quibus anima obstringitur. Alia est sententia relata ab Innocentio opposita præcedenti, nimirum de omni suspensione verũ esse affirmare, quòd per sequentem appellationem non suspenditur, & probat ea cap. Ad hæc quoniam De Appella. Vbi generaliter absque vlla differentia statuitur de omni Interdicto, non posse impediri per appellationem subsequentem; Ergo vniuersaliter idem affirmandum est de quacunque suspensione; Vt enim superius dictum est, æquiparantur hac in re omnes Censuræ.

Ad hanc difficultatem putarem probabiliter ita respondendum esse, nempe vt dicamus primò suspensionem latam expressis verbis à perceptione fructuũ, vel à præbenda per subsequentem appellationem suspendi, ita vt interim, donec causa pendet licitum sit suspenso absque vlla culpa, & pœna fructus beneficij exigere. Quod persuaderi potest primò, quia fructus beneficij sunt res temporales, ergo sentẽtia lata super his fructibus per appellationem suspenditur, sicut sententiæ latę de alijs rebus temporalibus arg. l. Non tãtum ff. De Appella. Secundò quia in dicto ca. Is cui de sent. excomm. lib. 6. id restringitur ad suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesię. Et quando ob similitudinem rationis hæc regula extendenda esset ad alias suspensiones, talis extensio faciẽda esset ad suspẽsiones similes, & eiusdem generis, idest de rebus verè spiritualibus, sed fructus beneficij sunt merè tẽporales, quare non comprehenduntur sub illa exceptione.

Secundò dicemus si loquamur de suspensione a beneficio simpliciter, probabilius esse affirmare per appellationem subsequentem eius effectus impediri: & ita tenet Io. Andr. & videtur innuere Sylue. Ver. Suspensio §. 3. in fi. Et hanc sententiam tenet Abb. in cap. Ad hæc quoniam de appell. & probari potest primò, quia quod suspensionis sententia per sequentem appellationem non suspendatur, peculiare est in suspensione, quæ est de re omnino spirituali animam respiciente, vt inquit Glos. in cap. Is cui, Ver. Sequentem in fi. de sent. excom. lib. 6. Vnde in eod. tex. id exprimitur de suspensione ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, sed beneficium non est quid merè spirituale, sed annexum spirituali antecedenter, quia confertur habenti Ordinem, vt inquit Sylue. Ver. Simonia, §. 2. ergo ad hanc suspensionem non est extendenda hæc exceptio, sed suspensio a beneficio comprehenditur sub regula generali, vt per appellationem sequentem suspendatur, sicut omnes aliæ sententiæ, quæ sunt de temporalibus rebus per talem appellationem ab executione retardantur. Secundò quia suspensio a beneficio non priuat suspensum titulo beneficij, sed solum impedit perceptionem fructuum, vt ostendam in Disp... Cap... Fructus autem sunt res temporales, igitur sententia suspensionis a beneficio tanquam de re temporali verè impedire potest per appellationem sequentem.

Propter eandem rationem suspẽsio ab ingressu domus, vineæ, & possessionis suspenditur per appellationem, & idem de similibus, vt notat Glos. in eod. cap. Is cui Ver. Sequentem de sent. excommunic. lib. 6. & tradit Abb. in cap. Ad hæc quoniam num. 1. de appella. & Sylue. Ver. Suspensio, §. 3. arg. l. non tantum, ff. de appella.

Verùm contra obijci potest. Quia non solum per appellationem sequentem videtur posse impediri effectum suspensionis, quæ lata est de re temporali, sed etiam, si sit de re merè spirituali, & probari potest hoc argumento, sententia Depositionis suspẽditur per appellationem sequentem, vt notat Glos. in c. Sepè contingit Ver. Rata manet in fi. de appell. & tamẽ est de re spirituali. Ergo multo magis per eandem appellationem impediri debet sententia suspensionis, quia depositio vt inquit Abb. in eod. cap. Sepè contingit, continet suspensionem, quia depositio est perpetua amotio ab Altaris ministerio, suspensio verò temporalis, vt in cap. At si Clerici de iudi.

Respondet Abb. in eod. cap. Sæpè contingit nu. 5. de appella. Speciale esse in tribus sententijs Censurarum, vt non suspendantur per appellationem sequentem, vt in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. quia sunt medicinalis institutę principaliter ad correctionem inobedientium, vt in cap. 1. eod. tit. & lib. & ne ratione friuolæ appellationis correctio retardaretur, peculiariter inductum fuit, vt per appellationem sequentem non suspendantur, sed depositio non est censura, vt colligitur ex cap. Quærenti de verb. signif. sed est maxima pœna cap. Tuæ de Pœn. ideo suspenditur per appellationem, sicut cæteræ sententiæ.

Dices, ex hac responsione sequitur sententiam suspentionis posse etiam retardari per appellationem sequentem, quoniam suspensio etiam infligi potest in pœnam, vt superius definitum est, & tradit Innoc. in cap. primo de excess. Prælat. & in cap. Ad hæc quoniam de appella.

Respondendum est id non esse inficiandum, vt asserit Abb. in dicto cap. Sæpè contingit nu. 6. de appella, quoniam tunc suspensio non est medicina, & ideo cessat ratio illa peculiaris, sicut simili ratione, licèt Iura A disponant, vt suspensio ab officio non fiat absque monitione præcedente, vt in capit. primo de sentent. excommunicat. lib. 6. & in cap. Reprehensibilis de appella. Et tamen vbi fertur in pœnam, monitio non est necessaria. Et in hanc sententiam citat Innocent. in dicto cap. primo de excess. Prælat. & in cap. ad hæc quoniam de appella.

Remanet igitur firma conclusio de suspensione, quæ est a re merè spirituali, & quæ respicit animam: Talis enim suspensio per subsequentem appellationem non impeditur.

Sed oritur quæstio, Vtrum hæc regula semper, & in omni casu locum habeat, & difficultas proponitur a Doctoribus in his terminis, puta si Episcopus ferat B sententiam suspensionis, deinde ex aliqua iusta causa ad tempus illam suspendat, & interim durante termino suspensus appellet: An hæc appellatio habeat vim ita suspendendi ipsam sententiam, vt elapso etiam termino suspensionis non afficiat suspensum, sed eius executio per appellationem impedita remaneat.

In hac quæstione plura afferuntur a Doctoribus, & ad duas sententias reuocari possunt, quæ referuntur a Glos. in cap. Ad hæc quoniam Ver. Interdictum de appella. Et licèt loquatur de Interdicto; eadem tamen ratio est de suspensione.

Prima sententia est appellationem interpositam durante termino suspentionis non prodesse ipsi suC spenso elapso termino: Vnde Episcopus potest suspendere suum Interdictum, nec prodest appellare medio tempore, quia talis appellatio non suspendit sententiam, Glos. tribuit hanc opinionem Lauren. Vinc. & Tancte. Idem tenet Innocent. in capit. Cum inter num. secundo de Consuet. & Calde. quos citat Abb. in capit. Ad hæc quoniam numero quarto in fi. & in cap. Dilectis numero vigesimo secundo de appella. & affert rationem, nam cum sententia lata antequam suspendatur ad tempus, per Episcopum non tollatur, sed eadem remaneat elapso termino, & non sit noua sententia, vtique per appellationem interpositam medio tempore non impeditur postea eius executio, quia appellatio præcedens suspendit censuram, non subsD quens. Vt confirmatur, quia cum Episcopus suspendit censuram a se latam, solum intendit executionem eius ad aliquod tempus retardare, ne producat suos effectus, quos illa ex sui natura produceit, non vult autem ipsam sententiam quantum ad substantiam irritare, ergo appellatio sequens non suspendit illam, alias suspendendo Episcopus sibi præiudicaret, quod absurdum est asserere.

Secunda sentẽtia est opposita, nimirùm appellationem interpositam durante termino suspensionis validam esse ad suspendendam sententiam suspensionis ob eam rationem, quia Episcopus nunquam potest suspendere suam censuram, nisi illam penitus collat. Quare si appelletur, & iusta sit appellatio, censura reE manebit suspensa. Refert hanc opinionem Glos. in cap. Ad hæc quoniam Ver. Interdictum, & in cap. Dilectis Ver. Suspendendum de appell. & tribuit illam Guilem. Naso, & Abb. in dicto c. Ad hæc quoniã n. 5. Pro eadem citat Io. de Ligna. Io. And. & Card. & refert fundamentum, quo motus fuit Io. de Ligna. quia in sententijs censurarum primus actus non potest separari a secundo, idest substantia sententiæ, quæ est primus actus, seiungi nequit ab effectus eiusdem sententiæ, qui est secundus actus, quia Censuræ trahunt secum executionem, idcirco Episcopus non potest

tollere

tollere effectum sententiæ remanente substantia. Quare si suspendit sententiam, illam prorsus extinguit; Vnde si postea suspensus appellet, talis appellatio habet vim, ne Superior possit iterum ferre censuram, nisi antea cognoscatur de appellatione, facit cap. Dilectis Vers. Quia verò de Appella.

Ex his duabus opinionibus Abb. in capit. Ad hæc quoniam nume. quinto, de Appella. primò dicit hanc posteriorem esse communem, & in praxi seruandam, nempe per appellationem interpositam pendente Suspensione sententiæ, concessa ab Episcopo, impediri censuram, vt non possit operari effectus suos, præsertim post factum, sed antequam fiat, primam opinionem esse consulendam, quam Abb. putat ex rigore Iuris veriorem esse ob eam rationem, quia maior est potestas appellationis ad suspendendam sententiam, quàm auctoritas Iudicis post pronunciatã sententiã. Et patet, quoniam si quis damnatus sit de furto, Iudex non potest impedire, quin sequatur infamia, l. Non potest ff. de furtis; Et tamen appellatio suspendit regulariter quamlibet sententiam, etiamsi secum trahat executionem, l. Furti ff. De his qui notan. infa. Sed appellatio non potest suspendere effectum censuræ, ergo multò minus ipse Iudex, hoc enim non pendet ex eius potestate, sed ex Iuris dispositione; Nec, inquit Abb. valet argumentum Io. And. Iudex, qui censuram infligit, potest illam penitùs tollere per absolutionem, ergo multò magis poterit illam suspendere, quod est minus, quoniam tollendo in totum, agit secundum naturam actus, cui non repugnat ius, sed suspendere eius effectum, & velle, vt censura non afferat secum suam executionem est contra naturam ipsius actus, & contra Iuris dispositionem. Nam Iure definitum est, vt censura secum trahat executionem, & non possit executio ab ea separari etiam per appellationem, vt habetur in capit. Pastoralis De Appellation.

Secundò dicit Abb. quòd licèt hæc opinio videatur valde probabilis, tamen contrariam, quam tuetur Ioann. Andr. non carere sua probabilitate, quam satis confirmare ait ex capit. Dilectis De Appellation.

Ex dictis colligitur sententiam Interdicti in locum pronunciatam, per ipsum Iudicem suspendi posse, & pendente suspensione posse appellari ad finem retinendi sententiam suspensam. Confirmatur, sicut appellatio suspendit censuram suspensionis latæ sub conditione, si ante conditionis euentum fuerit appellatum, vt habetur in capit. Præterea 2. De Appellat. ob eam rationem, quia pendente conditione effectus sententiæ manet suspensus. Ita quoque dicendum est, si sententia censuræ simpliciter pronuncietur, & deinde suspendatur à Iudice ad tempus eius effectus, & interim interponatur appellatio, remanere suspensam etiam elapso termino dilationis. Quòd autem possit suspendi sententia censuræ per Iudicem ex eo probatur, quoniam obstringit, & durat ad beneplacitum, & voluntatem proferentis, ideo potest suspendere eius effectum, secus esset, si sententia non penderet ex voluntate Iudicis, vnde non potest Iudex impedire, ne ex sententia condemnationis furti non oriatur infamia, l. Non potest, ff. De furtis.

Hæc opinio mihi videtur magis rationi, & æquitati consentanea, pro qua facit Federi. de Senis Consi. 208. & Rota in Nouiss. Decis. 434. De sent. excomm. Et fundamentum pro hac sententia illud est, quoniam

A Idcirco appellatio subsequens non suspendit sententiam Censuræ, quia censura est coniuncta cum suo effectu: Vnde si pronuncietur sententia sub conditione, quia tunc non habet coniunctum effectum, appellatio interim admissa habet vim illam suspendendi: Ergo similiter si sententia suspensa fuerit Iudicis auctoritate, appellatio poterit illam suspendere ob eandem causam, quia durante termino suspensionis sententia non habet coniunctum effectum.

Secundò dubitari potest de suspensione à Pontificalibus, an suspendatur per sequentem appellationem, & solutio huius dubitationis pendet ex declaratione illius vocis *Pontificalia* quæ duo significare possumus, vt dixi in Disp... Cap... Si enim nomine Pontifica-
B lium intelligamus actus proprios Episcopi post consecrationem, vt conficere Chrisma, consecrare Ecclesias, & Calices, & alios similes, vtique in hoc sensu suspensio à Pontificalibus per sequentem appellationem non suspenditur, quia talis suspensio est de re spirituali, quæ animam respicit. Quòd si per Pontificalia intelligamus apparatum illum externum, & ceremonias, ac solennitates accidentales, sine quibus iuxta morem, & consuetudinem Ecclesiæ actus proprijs Episcoporum exerceri minimè solet, quo casu, quia huiusmodi apparatus est aliquid temporale, ideo suspensio ab his Pontificalibus per sequentem appellationẽ suspenditur. Ita tenet Innoc. in c. 1. nu. 2. de sent. excom. lib. 6. & Abb. in cap. Ad hæc quoniam nume. primo de
C appella.

Tertiò dubitatur, An præter appellationem possit Censura suspensionis auctoritate Iudicis, qui illam protulit, suspendi ad aliquod tempus, vt illo pendente non operetur effectus suos, neque irregularitas interim contrahatur ex eius violatione.

Absque vlla controuersia omnes Doctores affirmãt si sermo sit de Summo Pontifice, quamcunque censuram suspendi posse à Romano Pontifice, vt absque vllo irregularitatis, aut alterius pœnæ metu liceat censura obstrictis sacramenta sumere, aut ministrare, aliasque functiones Ecclesiasticas exercere. Et ratio est, vt inquit Abb. in cap. Si verò de senten. excommu. quia effectus censurarum sunt Iuris positiui, & ex con-
D sequenti a Summo Pontifice, qui auctor est Iuris positiui argum. cap. Proposuit de Concess. Præben. tolli, moderari, aut suspendi posse.

Secundò, si tractemus in specie de excommunicatione, communi consensu sentiunt Doctores illam non posse ab alio inferiori Iudice suspendi, vt notat Dec. in c. Ad hæc quoniam Ver. Declaramus ad fi. de sent. excum. lib. 6. dicens excommunicationem non posse suspendi, nisi in totum relaxetur, & ideo in eam locum habere absolutionem ad cautelam, quæ non est necessaria in Interdicto, quod suspendi potest.

Tertiò tota dissentio apud Doctores esse de suspensione, & Interdicto, an a Iudice ex aliqua causa suspendi possint, vt eorum effectus impediantur, & a Docto-
E ribus hæc quæstio pertractatur in specie de Interdicto, & a nobis etiam discutietur, cum agemus de Censura Interdicti. Interim tamen propter similitudinem, quam Interdictum cum suspensione tenet, nonnulla breuiter ad eius declarationem peculiariter de suspensione hoc in loco afferemus. Dicimus igitur Censuram suspensionis posse per Iudicem suspendi, & id probari potest primò, quoniam Iudex potest simpliciter illam penitus tollere; ergo multò magis poterit ad tempus suspendere. Secundò contingere potest, vt Iudex iustis de causis moueatur

A ad suspendendam censuram suspensionis, & tamen non possit illam iuste penitus relaxare. Neque aliquid vetat, quin id fieri possit; Censura enim Ecclesiastica alligat ad nutum & voluntatem, illam proferentis, ca. Veniens 2. De Testi. cap. Significasti de eo qui du. in matri. Facit cap. Dilectis §. Quia verò de appellat.

Si quis contra obijciat, Hoc videri contra naturam ipsius censuræ, de cuius essentia est, vt secum trahat executionem, ita vt per sequentem appellationem suspendi non possit, ergo implicat asserere Manente censura suspendi posse eius executionem.

Respondeo non esse de intrinseca ratione censuræ, vt secum trahat executionem, vel vt per sequentem appellationem non suspendatur, sed ex Iuris dispositione prouenire. Si enim Iura non prohibuissent, appellatio suspenderet omnem censuram. Quare cum Ius permiserit, vt Censura Iudicis auctoritate suspendi possit, & interdixerit, ne per appellationem id fieri liceat, ideo meritò primum affirmamus, secundum negamus. Idque optima ratione ab Ecclesia institutum esse dicimus, vt fideles magis censuras ac Iudices Ecclesiasticos æstimarent, & formidarent. Iam verò de Effectibus proprijs vtriusque Suspensionis, scilicet ab officio, & à beneficio sigillatim disputemus, initium sumentes à suspensione ab officio.



DISPVTATIO QVARTA.

DE EFFECTIBVS SVSPENSIONIS AB OFFICIO.



IN hac Disputatione de singulis effectibus Suspensionis ab Officio pertractandum erit, simulque de varijs modis, quibus suspensio ab officio ferri potest, atque de illorum differentia, ac diuersitate. Item quàm latè pateat suspensio ab officio iuxta singulos modos, & formas, quibus illa proferri consueuit.

Caput Primum, De Effectu communi Suspensionis ab officio.
Caput Secundum, Cuius potestatis vsu priuet Suspensio ab officio simpliciter lata.
Caput Tertium, An Suspensio ab officio priuet suspensum beneficio.
Caput Quartum, De Effectibus Suspensionis ab officio Lata non simpliciter, sed ex parte.
Caput Quintum, Verum suspensus ab officio in vno loco sit suspensus in omnibus locis.
Caput Sextum, Quamdiu suspensio ab officio duret.

CAPVT I.

De Effectu communi Suspensionis ab officio.

QVid intelligatur nomine officij, quantum spectat ad rem, de qua agimus, ex his, quæ in Capit. 3. primæ Disputationis dixi, satis constare potest, nempe suspendi ab officio idem esse quod suspendi ab exercitio ordinis, & officij clericalis, & effectus communis Suspensionis ab officio est propriè priuatio vsus, seu administrationis officij Ecclesiastici, quo Minister Ecclesiæ fungitur, quod colligitur ex cap. 1. De Iudi. lib. 6. ibi, *Ab executione officij per annum nouerit se suspensum &c.* cap. 2. in fi. de solut. *Si quis autem contra præmissa de cætero venire præsumpserit, ab administratione spiritualium, & temporalium nouerit se suspensum.*

B Extrauag. Ambitiosè prope med. De reb. Eccles. non alien. *Lapsis mensibus eisdem, à regimine, & administratione sua Ecclesiæ, & Monasterij, cui præsidet, in spiritualibus, & temporalibus sit eo ipso suspensus.* Et potest ratione comprobari; Hæc enim suspensio non priuat hominem officio, a quo suspendit, neque tollit potestatem, quæ est fundamentum officij, ergo sequitur per Suspensionem impediri solum vsum, & executionem officij. Antecedens probari potest primò ex vi nominis ipsius Suspensionis; Suspensio enim non significat destructionem, seu ablationem officij, sed potius denotat impedimentum appositum, ne talis potestas possit actum proprium exercere. Secundò à simili ex
C Suspensione à beneficio, quæ non priuat beneficio, sed tollit vsum eius, vt suo loco dicetur, ergo idē suo modo dicendum est de suspensione ab officio. Tertiò si suspensio priuaret hominem officio, non differret à Depositione, quod est falsum, & patet ex communi sensu Doctorum. Cum igitur sit diuersa species à Depositione sequitur per suspensionem non auferri officium, sed suspendi eius executionem. Quartò idem probari potest inductione, si percurramus modos varios, à quibus solent Ministri Ecclesiæ ab officio suspendi. Suspensio enim ab officio, quatenus ad Ordinem spectat, non priuat ipso Ordine, sed tantum vsu eius, neque enim tollit Characterem, hoc enim certum est,
D neque perpetuò excludit ab administratione Ordinis eo modo, quo per Ecclesiam deponi potest. Quatenus verò suspensio impedit officium iurisdictionis, si talis iurisdictio coniuncta sit alicui dignitati, non aufertur dignitas per suspensionem, vt quādo suspenditur Episcopus, non priuatur Episcopatu, & sic de alijs. Si verò non sit iurisdictio ordinaria, quæ ipso Iure oriatur ex dignitate, sed tradita sit ex delegatione, seu commissione, vt in legato, vel Delegato Papæ, in Vicario Episcopi, vel in Sacerdote, qui solum ex priuilegio, seu commissione habet iurisdictionem in foro pœnitentiæ: Res videtur aliquam dubitationem habere.

Et

Et ratio difficultatis est; Nam omnes prædicti cum ab officio suspenduntur, iurisdictione sibi cócessa priuantur, ergo videntur priuari officio, cum nullum habeant officium, nisi ratione iurisdictionis collatæ. Neque videtur satisfacere, si quis dicat, Dictos per suspésioné priuari officio, quia impeditur vsus iurisdictionis, non autem quia tollatur iurisdictio. Nam hæc duo scilicet iurisdictio, & vsus non possunt distingui in eo, qui habet iurisdictionem delegatam, ita vt possit priuari vsu remanente iurisdictione, quia non priuatur vsu quoad debitum, Alias si de facto sic suspensus exerceret actum iurisdictionis, factum teneret, licèt peccaret, quod falsum est, ergo priuatur vsu quoad ipsum ius, idest priuatur iure, & potestate vtendi iurisdictione, ergo priuatur iurisdictione, & consequéter officio, quod in sola iurisdictione consistit. Sed adhuc in hoc casu, vbi quis suspensus est ab officio, qui iurisdictionem tantum delegatam habet, non priuatur per suspensionem officio, sed vsu eius, nam quamuis nullum aliud officium habeat, qu.m ipsam iurisdictioné delegatam, tamen iurisdictio hæc potest dupliciter considerari, scilicet in habitu, & in actu. Per suspensionem tollitur iurisdictio in actu non in habitu, at officiú consistit in iurisdictione in habitu, non tantum vt est in actu, & idcirco suspensio non priuat hominem tali officio, sed vsu eius. Idque magis declaratur, si ita dicamus, tale officium consistere in deputatione personæ ad tale ministerium à Superiore facta, & hæc deputatio integra manet, etiamsi Delegatus suspendatur, quia per suspensionem impeditur tantum, ne valeat actum sibi conuenientem exercere, ideo dicitur remanere in habitu, quasi in radice, & tolli quantum ad actum, & vsum. Et idcirco non opus est, vt post absolutionem à suspensione obtentam iterum officium, seu iurisdictio concedatur. Nam frequenter ille absoluere potest, qui iurisdictionem delegare nequit; ergo suspensio vi sua ab officio minimè priuat, sicut etiam in officijs secularibus suspensus ab officio non intelligitur officio priuatus. Triplex autem constitui potest genus officiorum Ecclesiasticorum, ad quæ omnia officia reuocari possunt. Primum genus officiorum est, quæ ordinem spectant; Alterum eorum, quæ iurisdictionem gerunt: Tertium aliorum officiorum, quibus nuda, & simplex administratio conuenit, vt est officium Custodis, & Sacristæ, vt ex Rub. de off. Custo. & Sacri. Vnde Abb. in cap. Cum dilectus num. 20. Vers. Nam considero de consuet. inquit verbum, Officium, Latè patere, neque solum dici de officio Ordinis, sed etiam de officio iurisdictionis.

CAPVT II.

Cuius potestatis vsu priuet suspensio ab officio simpliciter lata.

PRimus, & per se effectus suspensionis ab officio est personam Ecclesiasticam priuare vsu potestatis Ecclesiasticæ, vt diximus, sed quoniá non eodem modo priuari potest homo tam à Iure, quàm ab homine hac potestate, sed pluribus, & varijs modis, hinc etiam colliguntur varij effectus suspensionis, quatenus ad plura, vel panciora extenditur dicta priuatio, & cósequenter ad maiores, vel minores pœnas, quas incurrunt trásgressores. hoc verò cognosci debet ex verbis, quibus Ius, vel Iudex vtitur in suspensione pronunciáda. Quare, vt sciamus, quos effectus producere possit sospensio ab officio, opus erit discutere de modis fe- A rendi huiusmodi suspensionem, & ratio, propter quam varii modi ferendi suspensionem habeant vim producendi varios effectus, illa est, quoniam suspensus ab vno actu non est suspensus ab aliis, Sylue. Ver. Suspensio §. 5. in fi. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 160. Nisi actus sint connexi cum primo, qua in re differt ab excommunicatione, cuius omnes effectus sont iure communi connexi nec possunt nisi à Papa separari, vt inquit Sylue Ver. Absolutio 3. §. 7. Couar. 1. par. in cap. Alma Mater §. 2. n. 2. Ideo attendenda sunt verba Iuris, aut Iudicis, vt suspensio restringatur ex proprietate verburum ad effectum expressum; In hoc capite tractabimus de suspensione ab officio simpliciter lata.

Et statuendum est Suspensionem ab officio simpli- B citer, & absolutè prolatam priuare suspensum omni vsu Ordinis, & iurisdictionis, & officij Ecclesiastici, quantum ipsa persona Ecclesiastica capax reperitur. Addimus vltimam particulam, quia cum Suspensio sit priuatio, non habet locum, nisi in subiecto capaci; Vnde nemo potest suspendi ab eo actu, cuius potestatem non habet, sicut ergo laicus, qui capax non est officii Ecclesiastici, suspendi nequit, ideo hac Censura est propria Clericorum; Ita si Clericus ordinem habens, carens iurisdictione suspendatur simpliciter ab officio, priuabitur vsu ordinis tantum, non iurisdictionis, cum illam non habeat. Et è contra si fungitur iurisdictione, & ordine careat. Quare si plures Clerici ob idem delictum patratum suspendantur simpliciter C ab officio, quorum aliqui Ordine sint insigniti, & iurisdictione fungantur; Alii verò omni careant iurisdictione Priores erunt tam ab Ordine, quàm à iurisdictione suspensi; Posteriores verò ab vsu Ordinis tantum, quamuis eiusdem criminis sint Rei. quo casu munus erit Iudicis aliis pœnis compensare delictum quantum ad eos, qui iurisdictione carent.

Hæc conclusio communis est Theologorum, & Canonistarum, vt colligitur ex B. Thom. in Addit. ad 3. par. quæst. 21. art. 3. Innoc. in cap Cum dilectus nu. 4. de consuet. & clarius ibi Abb. nu. 20. in fin. Vers. Et facio istam considerationem, dicens suspensom ab officio censeri priuatum iurisdictione spirituali, facultate eligendi, & conferendi, ac similibus, quæ super Or- D dine fundantur. Idem confirmat in c. Si celebrat nu. 7. De Cleri excom. Mini. vbi impugnat Glos. quæ super Ver. Iurisdictionem, tenet suspensum ab officio non censeri suspensum à Iurisdictione, quasi iurisdictio sit quid separatum ab officio, & inquit iurisdictionem connexionem habere cum officio post Ordinem susceptum, nam iurisdictio competit ratione officii; Ideo suspensus ab officio intelligitur suspensus ab omni iurisdictione; Idem repetit in cap. Quia diuersitatem nu. 12. De Concess. præben. Gemin. in cap. vni. §. Cum verò nu. 3. Ne Sede Vacan. lib. 6. & in cap. Quia pontificali num. 8. Vers. An suspensus ab officio & cap. de off. deleg. eod. lib. Philip. Franc. in eod. cap. vni. §. Cum verò num. 1. Ne Sede Vacan. lib. 6. Hoc idem E sentit Sylue. Ver. Sospensio §. 5. circa medium. Vers. Si verò sit ab officio &c. & asserit communem esse opinionem Felin. in cap. Apostolicæ numero decimosexto, De except. Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerdotum, cap. quadragesimotertio, Vers. Tertia Regula &c. Maiol. libro tertio, numero decimoquinto, De irregula. qui affirmat vniuersaliter suspensum ab officio non posse iurisdictionem exercere, nec eligere, neque beneficia conferre auctoritate Officii, nec Pontificalia exercere, neque aliud quicquam, quod fundetur super officio.

Probatur antem dicta conclusio hac ratione, quoniam suspensus ab officio ex vi verborum non coarctatur ad aliquam officij ecclesiastici partem; ergo comprehendit totum id, quod sub nomine officij continetur. Hæc enim vox, officium, vt inquit Abb. in cap. Cum dilectus num. 20. de consuet. multa amplectitur ex vi suæ significationis: est enim quoddam torum integrale constans tanquam ex partibus ex varijs potestatibus ad plures actus, & functiones ecclesiasticas, vel accipitur vt totum vniuersale comprehendēs tanquam species sub se varia officia Ordinis, & Iurisdictionis. Quare qui absolutè prohibet vsum totius potestatis genericè, consequenter videtur prohibere executionem ipsarum partium, sicut sublato genere tolluntur species. At qui suspenditur ab officio absolutè, priuatur ab executione totius officij in genere sumpti, ergo prohibetur ab actibus omnium specierum.

Idem quoque euidenter colligitur ex testimonijs ab ipso Iure desumptis: Nam cap. primo de sentent. & re iudi. lib. sexto. Vbi suspenditur Iudex *Ab executione officij*, qui contra iustitiam, & contra conscientiam aliquid in Iudicio fecerit, & consequenter ibi, vt patet ex facti serie principaliter agitur de suspensione ab vsu Iurisdictionis, & tamen sub illis verbis includitur suspensio ab vsu Ordinum, quod apertè indicant verba, quæ subduntur, *Quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se diuinis irregularitatis laqueo se inuoluet secundùm canonicas sanctiones*, Si igitur huiusmodi suspensus ab executione officij incurrit irregularitatem, ergo erat suspensus ab Ordine; Tunc enim solum ob suspensionem incurritur irregularitas, quando suspensus ab Ordine celebrat diuina. Quod declarant etiam verba illa, *Ingesserit se diuinis*: At diuina administrare pertinet ad potestatem Ordinis, igitur suspensio ab officio vtrumque comprehendit, scilicèt priuationem Ordinis, & Iurisdictionis.

Quæret aliquis postquam suspensio ab officio simpliciter lata totalis est suspensio, & suspendit ab omni vsu officij generaliter: An priuet etiam ab illis actibus qui consistunt, vel in receptione aliqua, vel in actione officij non tam Clericalis, quàm Christiani vt est ingressus Ecclesiæ receptio Eucharistiæ a qua aliquando humo suspendi solet cap. vlt. 51. dist. capit. Si quis autem cap. Placuit, & cap. vlt. 18. dist. & cap. 1. de his quæ fi à maio. par. Cap.

Respondeo per suspensionem ab officio simpliciter latam oon prohiberi aliquem ex dictis actibus neque aliud spirituale opus cuiuscunque generis quod alicuius ecclesiastici ministerij officium non sit. Cuius dicti illa est solida ratio quoniam suspensio est censura propria Clericorum vt dixi: Ideo per suspensionem ab officio non priuatur quis participatione sacramentorum, quia recipere sacramenta non est officium ecclesiasticum: Et ita sentit Abb. in cap. vlt. numero 4. de Cleri. excommu. mini. Antoni. 3. par. Sum. tit. 27. capit. 4. Vers. Item suspensus à participatione sacramentorum Sylue. Ver. Suspensio 9. primo, & alij similiter ob eandem rationem huiusmodi suspensio ab officio non priuat ingressu Ecclesiæ: Nam talis effectus inde nullo modo colligi potest qui proprius est Interdicti, vt patet ex initio cap. Is cui de sentent. excom. lib. 6. *Is cui est Ecclesiæ Interdictus ingressus* explicabo suo loco. Immo neque excommunicatio maior parit hunc effectum, vt probaui in materia de excommunicatione.

Nec refert quod in fine dicti capit. Is cui dicatur *Sanè sicut excommunicatio sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio &c.* Quasi inde probetur suspensionem ab officio priuare ingressu Ecclesiæ. Quia potens ex illa particula disiunctiua, vel colligitur suspensionem ab officio non impedire ingressum Ecclesiæ, & aliquando nomen suspensionis ponitur in latiori significatione censuram Interdicti sicut econtra interdum suspensio vocatur Interdictum.

De Sacramento Ordinis tantum dubitari potest, an per suspensionem ab officio sit priuatus quis potestate recipiendi Ordines, quia sacramentum Ordinis traditur ad functiones ecclesiasticas exercendas. Quare qui ab officio suspensus erit non poterit Ordines suscipere ex regula, quæ deducitur ex cap. vlt. de Cleri. excom mini. quam colligit ibi Abb. numero tertio. Quod prohibita executione alicuius actus intelligitur interdictum omne id quo ad illum actum peruenire potest.

Respondeo hanc rationem probare solum per suspensionem ab officio prohiberi receptionem Sacramenti ordinis non quatenus est Sacramentum, sed vt per illud confertur potestas ad ecclesiasticas functiones, idest ne suspensus qui Ordinem suscipit valeat actum illius ordinis exercere sicut etiam suspenso ab officio oon est concessa communio clericalis non vt est receptio Sacramenti, seu vt pars quædam est celebrationis Missæ. Præterea nemo propriè suspenditur nisi ab actu ordinis quem eam habet, ideo nunquam suspensio per se ordinis receptionem impedit, sed ex consequenti tantum. Nam suspensus ab inferiori ordine est suspensus quoque ab vsu superiorum, vt ostendam in seq. capit. Si illos habet quod si illis careat ne illos recipere possit, & ita quoque sentiendum est de suspenso ab officio.

Contra hanc communem opinionem, quæ tenet suspensum ab officio visa priuatim omni vsu ordinis, & iurisdictionis sentit Glos. in cap. Audiuimus Ver. Excommunicatus 24. quæst. prima. Vbi quærit, an suspensus excōmunicare possit, & respondet distinguendo de suspensione ab officio, vel à iurisdictione: Nam vbi quis suspensus est ab officio tantum, non potest, quæ officii sui sunt, exercere, puta celebrare, & similia, sed oon est priuatus vsu iurisdictionis, quare poterit conferre beneficia excommunicare, & alios actus iurisdictionis exercere. E contra si suspenditur à Iurisdictione non prohibetur ea gerere, quæ sunt officii, non iurisdictionis.

Verum hęc Glos. communiter recipitur à Doctoribus, quos citaui. Immo Glos. in cap. Cum dilectus Ver. A suspensis prope fi. de consuet. oppositum tenet. Ad hoc facit textus in dicto cap. Cum dilectus; Vbi Papa declarat nullam electionem factam à suspensis ab officio, sed electio est actus iurisdictionis, non ordinis. Facit ad idem cap. Si celebrat de Cleri. excom. mini. Vbi redditur ratio, quare excommunicatus excommunicatione maiori potest eligere, & agere ea, quæ sunt iurisdictionis, non autem eligi, & est, quoniam huiusmodi excommunicatus priuatus est tantum passiua participatione Sacramentorum; ergo suspensus, qui prohibetur ab actiua administratione, neque poterit eligere, oeque exercere, quæ sunt iurisdictionis, valet enim argumentum à contrario sensu, atque ita videtur ibi concludere Glos. Ver. Nec eligere prohibetur.

Alij contra eandem sententiam communem opponunt alio modo, existimant enim per suspensionem ab officio absolutè non debere intelligi aliquem esse

suspen-

suspensum à toto officio Ecclesiastico, sed ab aliqua parte eius, neque tamen semper ab eadem parte determinatè, sed diuersimode iuxta materiam subiectam legis, si fertur a Canone, pro ratione delicti, & causæ, propter quam imponitur, si ab homine per sententiam profertur, pro diuersitate materiæ, & causæ, vt poena sit commensurata culpæ, probant hoc dictum exemplis desumptis a Iure, vt in cap. 2. De solut. prohibetur, ne quis audeat Ecclesiam suam ære alieno grauare, & subditur, *Si quis contra præsumpserit, ab administratione temporali, & spirituali nouerit se suspensum.* quę videntur significare Summum Pontificem voluisse priuare suspensum administratione illius Ecclesiæ, quam grauauit, quoniam ob talem causam lata fuit suspēsio. Simile exemplum habetur in Extrauag. Ambitiosè de reb. Eccles. non alienan. inter communes, eum dicitur, *A regimine, & administratione sua Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsidet in temporalibus, & spiritualibus sit eo ipso suspensus.*

Sed hæc interpretatio non videtur rationi consentanea, nec subsistere potest, quæ satis refellitur ex dicto cap. 1. De sent. & re iudi. lib. 6. Vbi fertur suspensio ab executione officij in eos, qui iurisdictione Ecclesiastica in Iudicijs fori exterioris, & contentiosi abutuntur. Quare iuxta prædictam expositionem esset limitanda iuxta eandem causam, vt scilicet intelligenda esset de suspensione ab vsu officij iudicandi causas in foro contentioso tantum. Verum apertè constat ibi ferri suspensionem etiam ab Ordine, vt superius notaui, quia incurritur irregularitas ex eius violatione, si celebrentur diuina; Igitur talis expositio minimè Iuri consentanea videtur. Nec ratio adducta in oppositum est efficax, nam licèt delictum sit limitatum ad quoddam genus iuxta materiam subiectam; potest tamen vendicari pœna generali, quæ plures materias amplectatur, sicut potest quis excommunicari maiori excommunicatione, cuius vi pluribus bonis priuatur, licèt fortasse vnius tantum delicti culpa teneatur, cuius causa fuerit excommunicatus: Idem dici debet de suspensione. Quare quamuis propter culpam commissam in vsu alicuius officij particularis suspensio imponatur ab officio absolutè, non sequitur debere determinari ad vsum illius officij, sed per talem suspensionem sequi priuationem ab omni vsu officij Ecclesiastici.

Illud quoque non est prętermittendum hoc in loco, quod licèt suspensio ab officio simpliciter non priuet suspensum officio, quod obtinuit, vt supra dixi, sed tantum impediat vsum, & executionem eius; tamen prohibet, ne durante suspensione ad aliud simile officium assumi possit, arg. cap. 1. De Cleri. excomm. mini. Vbi hic effectus tribuitur excommunicationi, & ex communi sententia Doctorum eadem est ratio de Suspensione, vt ostendam inferius. Et hæc sufficiant ad hoc Caput.

CAPVT III.

An Suspensio ab officio priuet Suspensum beneficio.

QVæstio est apud Doctores, An Suspensio ab officio priuet suspensum beneficijs, quæ antea possidebat. qua in re diuersimode loquuntur, Glosa enim in cap. Quia sæpe Ver. Beneficijs quibuscunque de elect. lib. 6. quærens causam, quare in cap. Cupientes §. Cæterum, & cap. Si Compromissarius §. penult. & A vlt. eod. tit. & lib. Suspensus priuatur solum beneficijs illius Ecclesiæ, ad quam eligebatur Prælatus, in cuius electione culpabilis fuit. In dicto verò cap. Quia sæpe, suspenditur ab omnibus beneficijs, quæ habet extra illam etiam Ecclesiam: Et respondet rationem huius discriminis esse, quoniam in cap. Quia sæpe imponitur suspensio ab officio, secus in alijs Iuribus citatis, in quibus fertur suspensio à beneficijs, non ab officio. At quando quis suspenditur ab officio, consequenter ab omnibus beneficijs suspensus esse dicitur, & Glos. in cap. Latores Ver. Ab officio De Cleri. excomm. Mini. Idem confirmat ob eam rationem, quia beneficium datur propter officium: Et quando vnum datur propter alterum, vtrobique tantum vnum censetur, cap. Eos 81. dist.

B Rursus Glos. in Clem. Cupientes Ver. Suspensi prope finem De Pœn. refert alios modos respondendi ad hanc difficultatem, Host. enim in Summa de verb. signif. §. vlt. Vers. In fine not. & seq. tenet suspensum a beneficio simpliciter, vel addita dictione taxatiua, *solum*, siue a Iure, siue ab homine non censeri suspensum ab officio: Ratio est odium pœnarum, cap. In pœnis de reg. iur. Tum etiam quia officium non est accessorium ad beneficium, sicut est è contra.

Quòd si quis suspensus sit ab officio etiam non addita dictione taxatiua, *solum*, sed simpliciter, & talis suspensio feratur a Iure, ex sententia Host. talis non erit suspensus à beneficio; Et ratio huius dicti illa est, C quoniam si suspensio ab officio includeret necessario suspensionem a beneficio, non opus esset vnquam in sententia suspensionis addere vtrumque, satis enim esset suspendere ab officio, & intelligeretur de Suspensione ab vtroque, & tamen oppositum videmus seruari in Iure: Pluribus enim in locis reperitur in sententia suspensionis expressa priuatio officij, & beneficij, vt in cap. Tum literis in fi. de testi. cap. 1. De secund. nupt. cap. Tuarum de priuileg. & in alijs locis. Quare suspensio ab officio non comprehendit priuationem a beneficio. Hoc idem affirmat Glos. in cap. 1. Ver. Officij de sent. & re iudi. lib. 6. cui adhæret Archid. ibi, quia statutum pœnale restringendum est, ca. Statutum de elect. lib. 6. Vnde quando Papa vult ab D vtroque suspendere, id exprimit. Facit ad hoc cap. Ad audientiam de deci. secus verò dicunt isti Doctores afferendum esse in suspensione lata ab homine per sententiam, quoniam suspensus hoc modo ab officio censetur suspensus à beneficio, Facit cap. Cum bonæ de æta. & qualit. Vbi Papa ad quęstionem ei propositam, An suspensus, qui post suspensionem beneficium Ecclesiasticum adeptus erat licitè illud retinere posset, respondet negatiuè his verbis, *Respondemus, quòd non licet eis illa, quæ habuerunt beneficia, vel quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere* &c. Vbi Glos. notat Suspensus ab homine beneficia Ecclesiastica adipisci nō posse, & si per triennium stent in suspensione pertinaciter, debere suis beneficijs spoliari. Hanc differen-E tiam inter suspensionem Iuris, & hominis probant ea ratione, quia mitius agitur cum lege, quàm cum Ministro legis, l. Celsus ff. de arbitr. Nec debet Iudex esse clementior lege, In Authent. de Iudic. §. Oportet Collat. 6.

Alij tuentur contrariam sententiam ab ea, quam enumeraui, vt refert Glos. in dicto cap. 1. Ver. officij de sent. & re Iudi. libro 6. & in dicta Clement. Cupientes Ver. Suspensi de pœn. & in capit. Præter Ver. Ab Ecclesia dist. 23. & est Io. And. qui dicit suspensum ab officio à Iure simpliciter esse suspensum etiam à beneficio,

ficio, minime vero, si sit suspensus ab homine, nisi in sententia id exprimatur, vel nisi sit in mora petendi absolutionem, tunc enim mora illi noceret, cap. vlt. & ibi Glos. Ver. Currit de elect. cap. vni. §. Cum vero, cum Glos. Ver. In mora, ne Sede Vacan. lib. 6.

Abb. in cap. A crapula de vi. & honest. Cleri. distinguit suspensionem ab officio, quòd alia incurritur ob crimen, alia ob infamia tantum, vel ob factum, de quo dubitetur, an sit peccatum mortale, & in primo casu incurritur etiam suspensio à beneficio, non autem in secundo, facit ad hoc cap. Presbyter, & ibi Glo. Ver. suspendatur, 2. q.5. c. Si quis Presbyter de purga. Canoni.

Petrus de Anchar. super Clement. Cupientes de Pœn. vt refert Sylue. in Ver. suspensio §.5. vltra med. Vers. si iterum suspensio &c. vtitur alia distinctione, nêpe suspensus ab officio simpliciter à Iure vel est suspensus ob crimen, aut propter infamiam, aut propter contumaciam, si propter crimen, erit quoque suspensus à beneficio, vt in cap. Si quis Sacerdotium, & cap. Eos etiam 81. dist. ex quibus locis colligi videtur censeri suspensum à beneficio illum, qui suspensus est ab officio, quod affirmat etiam ibi Glos. Secus verò est, quando quis suspenditur ob infamiam vel contumaciam, vt in cap. Presbyter si à Plebe 2.q.5. & ibi Glos. Ver. suspendatur. Vbi verò suspensio ab officio imponitur per sententiam hominis, iterum distinguit, vel lata est suspensio ob crimen graue, vel ob leue. Si primo modo, erit quoque suspensus à beneficio, si secundo modo, minimè, sicut etiam ob infamiam aut contumaciam. Hanc eandem distinctionem videtur Abb. approbare in cap. Apostolis num. 9. de except. & Glos. in cap. Presbyter 2.q.5. Adhæret Couar. in Epito. Quarti Decretal. 2. par. c.6. in princ. nu. 13. & 14. vbi in eandem sententiam citat alios. Rursus Abb. in cap. Pastoralis §. Verum num. 16. de appella. eandem distinctionem refert de suspensione ob contumaciam & ob delictum, dicens suspenso ob contumaciam non esse prouidendum de fructibus beneficij, quia ipse sibi consulere potest resipiscendo, ergo supponit, quamdiu non resipiscit, non facere fructus suos, suspenso autem ob delictum prouideri debere, ne indigeat, quoniam non pendet ex eius voluntate, vt à suspensione absoluatur, & citat Glos. pro hac sententia ad hunc modum illam explicando in cap. Cum vintoniensis de elect.

His varijs modis huic propositæ difficultati à diuersis satisfactum esse reperimus, ad quam respondendum esse censerem his propositionibus.

Prima conclusio sit, certum esse ex vi suspensionis non priuari ipso Iure suspensum beneficijs, quæ possidebat, dico ex vi suspensionis, quoniam contingere potest, vt maneat beneficijs priuatus ratione delicti, cuius causa suspensione punitur, vt si propter homicidium suspenditur ab officio, potest quoque beneficio priuari, vt in cap. Ex tuarum, & ibi Glos. Ver. suspendisses de purga. Canoni. Similiter si quis ob contumaciam suspenditur, & in eadem contumacia insordescit negligens in petenda absolutione, beneficio priuatur, & statuitur in cap. Cum bonæ de Aeta. & qualit. vbi suspensus ab officio ob contumaciam per triénium in ea, declaratur priuatus beneficijs, quæ antea habebat, & inhabilis, ne interim alia acquirere possit, igitur id non contingit ratione suspensionis, sed ob crimen, vel propter contumaciam, cuius causa suspensio inflicta fuit. Eodem modo vbi suspensio esset perpetua & ob graue delictum posset sic suspensus priuari ipso beneficij titulo, vt notat Glos. in cap. Presbyter si à Plebe Ver. suspendatur 2. q.4.

Quòd autem suspensio ab officio non inferat necessariò priuationem beneficij, probari potest, primò quia per suspensionem ab officio non priuatur quis ipso officio quantum ad titulum, ergo multò minus priuatur beneficio, cuius nulla fit mentio in sententia suspensionis. Antecedens probatur, quoniam cum primum absolutus est à suspensione, potest absque alia dispensatione vel collatione officij exercere omnia, quæ ad officium spectant. Deinde si per suspensionem priuaretur suspensus beneficio, iam non diceretur suspensio, sed depositio, cum tamen istæ duę species longè differant inter se, vt alias dixi. Tandem nullus est in Iure locus, in quo hic effectus suspensioni ab officio tribuatur.

Secunda conclusio, suspensio ab officio simpliciter lata siue à Iure, siue ab homine per se non includit suspensionem à beneficio, & consequenter non priuat sic suspensum à fructibus beneficij, quod antea possidebat.

Hæc conclusio intelligenda est de fructibus, sumendo fructus secundum propriam significationem, qui accipiũtur ex solo legitimo titulo beneficij, alia enim ratio est de distributionibus quotidianis, quæ dantur tantum præsentibus, cap. Licet de præben. Quare si suspensus non poterit assistere diuinis officijs, minimè quoque lucrari poterit distributiones.

Et est conclusio communis Doctorum, quæ colligitur ex Abb. in c Cum bonæ n.6. in fi. Vers. Vltimo se corrigit de Aeta. & Qualit. Vbi post multa hanc amplectitur opinionem, & in cap. Sicut in fin. de cohab. Cleri. & Mulie. in cap. Apostolicæ n.8. ad fi. de except. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 160. asserente suspensum ab officio simpliciter non esse suspensum à beneficio quoad ea, quæ dantur non interessenti diuinis officijs, dummodo suspensio non sit tam diuturna, vt tacitè, vel expresè habeat vim priuationis, vt probatur in Clement. Cupientes de pæn. Idem Nauar. lib. 5. cons. tit. de Homi. cons. 41. Idem putat Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. num. 10. affirmans suspensum capere non posse fructus sui beneficij a die moræ petendæ absolutionis, idest post annum. Sed si aliud non habeat, vnde viuat, posse modicam sustentationem ex fructibus sui beneficij percipere, igitur ipsa suspensio non priuat fructibus beneficij vi sua, sed id oritur ex contumacia & mora in petenda absolutione. Hanc eandem opinionem sequitur Card. Tolet. lib. 1. cap. 43. Vers. Quinta, suspensus ab officio, de Instruct. Sacerd. censet enim per suspensionem ab officio non priuari quem fructubus beneficij exceptis illis fructibus, qui assignantur ob vsum officij, à quo suspẽsus est, vt sunt distributiones quotidianæ, & similia, & intelligit hoc habere locum etiam in suspensione propter delictum in casibus illis, in quibus suspensio fit ad tempus. Nã si suspensio esset perpetua & pro delicto, censeretur suspensus à beneficio, secundum Vital. in Clement. Cupientes num. 43. de pœn. Talis enim suspensio est similis priuationi, ideo sicut priuatur officio, esset quoque priuatus beneficio propter similitudinem & cohærentiam, quam habent. Idem dicit Bernard. Diaz in Pract. Crim. cap. 134. nu. 1. & seq.

Hæc conclusio probari potest, primo ex c. Inter de Purga. Cano. quod sic habet, *Licèt Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum vsque ad purgationem canonicam doceat suspendendos, quia tamen eum etiam à beneficio propter immanitatem criminis suspendisti nolumus*

impro-

improbare. Ex quibus verbis constat suspensionem ab officio non includere suspensionem à beneficio, nisi exprimatur.

Secundò verba sunt propriè accipienda, præsertim cum agitur de pœnis, sed officij nomen non comprehendit beneficium, ergo suspensio ab officio non est extendenda ad suspensionem à beneficio, cap. Odia, & cap. In pœnis de reg. iur. lib. 6.

Tertiò quando lex in suspensionis pœna voluit includere priuationem à beneficio, expressis verbis id declarat, vt patet ex cap. Decernimus dist. 28. cap. 2. de fideiusso. cap. Præter dist. 32. cap. Si quis Sacerdotem, & cap. Eos. dist. 81. cap. Tam literis de testib. cap. 1. de secund. nupt. cap. Tuarum de priuileg. cap. A crapula de vit. & honest. Cleri. & in alijs locis, quoties ergo imponitur suspensio ab officio nulla facta mentione de beneficio, signum est voluntatem legislatoris fuisse prohibere solum vsum officij absque priuatione beneficij. Et idem similiter dici potest, quando à Iudice per sententiam infertur suspensio ab officio, quæ non extenditur ad beneficium, quando enim ab vtroque suspendere intendit, solet declarare verbis vtrumque exprimendo; ergo quando ab officio simpliciter suspendit, signum est, nihil aliud imponere voluisse.

Quare suspensio ab officio non includit suspensionem à beneficio, licèt oppositum sentiat Glos. in cap. Quia sæpe Ver. Beneficijs quibuscunque de elect. lib. sexto, & capit. fin. Ver. Datur de Rescript. eodem lib.

Sed contra obijcere posset quis, Beneficium non datur, nisi propter officium, capit. vlt. de Rescript. lib. 6. ergo eo ipso, quòd quis suspenditur ab officio, quasi in causa consequenter intelligitur suspensus à beneficio, quia accessorium sequitur principale, Beneficium autem est accessorium respectu officij, cap. Si quis obiecerit 1. q. 3.

Confirmatur sicut excommunicatio priuat fructibus beneficiorum ob eam rationem, quia excommunicatus omni vsu ecclesiastici officij priuatus est: Ita quoque eadem ratione id asserendum erit de suspensione: Vbi enim vnum datur propter alterum, ibi tantum est vnum, vt in his terminis sequitur. Glos. in cap. Latores Ver. Ab officio de Cleri. excommunic. Mini.

Respondeo non esse sufficientem rationem ad probandum suspensionem ab officio includere virtualiter suspensionem à beneficio, quòd beneficium detur propter officium: Nam quamuis finis institutionis beneficij sit officium, tamen non semper necessarium est, vt is, qui habet beneficium per se exerceat aliquod ecclesiasticum officium, vt validè, & licitè percipiat fructus beneficij, sed potest per Vicarium Ministerium suum implere, & licèt lucratur fructus beneficij, argum. capit. Cum ex eo de elect. lib. sexto. Ergo similiter Clericus suspensus ab officio non idcirco fructus beneficij amittit, cum Vicarium ministrantem destinare possit soluta mercede ex fructibus beneficii.

Confirmatur, quia non est datum beneficium Clerico, vt solum ministret in spiritualibus, à quo ministerio remouetur suspensus ab officio, ergo cum duo onera habeat, si ab vno suspenditur, non trahitur suspensio ad aliud, arg. l. Si maritus. C. de Donat. inter vi. & vxor. ergo licèt quis suspendatur ab vsu officii, non propterea statim priuatur fructibus beneficii, maximè quia semper tenetur saltem priuatim recitare officium, quæ præcipua pars est oneris, quod

A imponitur accipienti beneficium. Quare ratio adducta locum habet solùm in illis fructibus, qui ita sunt annexi personali Ministerio, vt absque illo non dentur, vt sunt quotidianæ distributiones Ecclesiarum, arg. cap. licèt de Præben.

Immo etiamsi loquamur de illis fructibus, qui non acquiruntur sine personali Ministerio. Ratio proposita solum probat suspensum ab officio carere debere solito emolumento, quod ob personale Ministerium percipere potest, quando talis suspensus non exhibet illud Ministerium.

Verùm ex ea non concluditur huiusmodi suspensum ab officio, si Ministerium illud præstet, quod tenetur exhibere, vt si horis canonicis interfit, quamuis peccet non lucrari illos fructus, & distributiones, B est enim opinio non improbabilis Canonicum excommunicatum, & suspensum assistentem horis peccare quidem, & puniri posse, sed non obstante peccato lucrari distributiones: Ita docet Nauar. lib. secundo de Restitutione cap. secundo in noua editione par. secunda difficult. quinta numero 243. & Henriquez lib. decimotertio de Excommu. cap. tertio numero tertio, quos refert Tho. Sanchez primo Tom. de Matrimo. lib. tertio Disputat. trigesima prima numero duodecimo prope fi. & confirmat ratione, quia quamuis peccauerit in tali administratione, ratione cuius peccati, possit in foro exteriori fructibus priuari, grauiorique pœna plecti. Tamen certum est illud Mini-C sterium fuisse tam vtile Ecclesiæ, ac si exhibitum fuisset a Ministro non suspenso; ergo percipere debet Ministerii stipendium: Possessor enim malæ fidei mercedem laboris in vtilitatem rei impensi recipere debet: Non ergo suspensus ab officio est suspensus a beneficio.

Ex his apparet minimè probari posse distinctiones superius relatas, quas inuestigarunt Doctores, qui alias opiniones tueri conantur. Et prima nihil referre videtur, quòd suspensio ab officio sit lata a Iure, vel ab homine, vt magis hoc modo, vel illo comprehendere possit priuationem a beneficio, si iisdem verbis a Iure, & ab homine lata est: Ex quibus verbis eadem voluntas Iuris, & hominis significetur, nam D idem iudicium de vtraque suspensione ferri debet quantum spectat ad hanc partem absque vllo discrimine.

Eodem modo non interest, quòd suspensio imponatur propter crimen graue, vel leue, aut propter aliam causam, quia vis suspensionis tota oritur ex voluntate suspendentis, quæ voluntas colligitur ex forma sententiæ, quam indicant verba in propria significatione accepta. Crimen verò, cuius causa quis suspenditur, habet rationem materiæ, seu causæ impulsiuæ, sicut si quis committat homicidium dignum morte, & Iudex in sententia homicidam condemnet ad membri mutilationem, satisfactum erit sententiæ, si membrum sibi amputari sustinuerit: E Nam licèt pœna impendenda sit iuxta grauitatem culpæ, de facto tamen non semper ita imponitur a Iudice; Grauitas ergo delicti valet, vt cognoscamus, an sententia sit iusta, sitque commensurata delicto, non autem, vt intelligamus, an hæc vel illa pœna imposita fuerit, quod ex ipsis verbis accipiendum est.

Similiter nihil facit ad hanc rem distinctio inter suspensionem ob contumaciam, & suspensionem ob delictum, nam neutra suspendit à beneficio, si sententia suspensionis feratur ab officio simpliciter propter rationes adductas, quia ex verbis desumenda est tota

ratio

ratio sententiæ, & cum mentio fiat de officio, non potest extendi ad beneficium, sunt enim res diversæ, neque ex Iure aliquid in oppositum afferri potest.

Tertia conclusio in hac quæstione erit, suspensio ab officio continet suspensionem à beneficio, vbi agitur de acquirendo beneficio, nam suspensus ab officio impeditur, ne possit beneficium acquirere, si ratione illius beneficij Ecclesiastici, officij munus exercere teneretur. Quod probari potest ex cap. fin. de Cleri. excom. Mini. vbi Papa loquens de excommunicato minori excommunicatione sic ait, *Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda pro eo quòd ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est priuatus.* Ratio igitur propter quam minori excommunicatione obstrictus eligi non potest, Summus Pontifex illam assignat, nempe quia priuatus est, ne possit recipere Sacramenta, ad quorum susceptionem eligitur. Ob eandem rationem dicendum erit suspensum ab officio non posse consequi beneficium, quod conceditur propter officium in eo exercendum, prohibito enim illo, cuius gratia aliud conceditur, aliud quoque prohiberi censendum est. Nam prohibita executione alicuius actus, prohibetur omne id, quo ad illum actum peruenitur, l. oratio ff. de sponsa. Abb. in dicto cap. fin. num. 3. de Cleri. excom. Mini. Quare argumentum ac probandum suspensionem ab officio impedire consecutionem noui beneficii, non sumitur ex similitudine, quam habet cum excommunicatione minori, vt sicut à Iure hic effectus tribuitur excommunicationi minori, ita tribuendus sit suspensioni, quia argumentum à simili in materia pœnali non est efficax, maximè quoniam vt superius diximus, effectus suspensionis sunt colligendi ex verbis, quibus profertur suspensio, quę non efficiunt plus, quàm significant, sed suspensio ab officio non significat impedimentum, ne consequi possit nouum beneficium, ergo non parit hunc effectum. Sed verum fundamentum ad hoc afferendum est principium, & regula illa generalis relata, quam Abb. & alij Doct. deducunt ex illo cap. fin. de Cleri. excom. Mini. Quare licèt in suspensione ab officio non expressè prohibeatur receptio noui beneficij, tamen hęc prohibitio virtualiter continetur in ipsa suspensione ab officio modo prædicto. De priuatione autem fructuum beneficij iam obtenti non militat hæc ratio.

Animaduertendum tamen est ex illo cap. fi. de Cleri. excom. Mini. non colligi collationem beneficii, seu electionem suspensi esse ipso iure nullam & irritam, sed irritandam, neque suspensum esse inhabilem, sed prohibitum, vt inquit Abb. in cap. Vel non est compos nu. 4. de Temp. ordin.

Sed contra posset quis obiicere, dictum cap. Vel nõ est compos, vbi Summus Pontifex mandat prouideri suspenso puero, qui ad Diaconatum ante legitimam ætatem promotus fuerat, de beneficio Ecclesiastico ab eo, qui illum ordinauerat, quasi supponat sine sua dispensatione id fieri non potuisse.

Responderi potest primo, ex illo loco probari posse tantum illud esse prohibitum, scilicet vt detur beneficium suspenso, non autem personam esse inhabilem. Secundo nullum ibi reperitur verbum, quod ostendat dispensationem fuisse concessam à Papa ad illum effectum, sed colligitur solum præceptum Summi Pontificis mandantis ex debito suæ curæ pastoralis, sicut decens esse videbatur, vt prouideretur de beneficio illi, qui ex inconsideratione Episcopi promotus erat ante legitimam ætatem, & fuit ita sancitum in illo casu speciali, quia illa suspensio non erat culpabilis ex parte personæ, quæ ordinata fuerat, sed erat veluti irregularitas temporalis sine culpa contracta, ideo rationi conueniens erat & consonum fauore ordinis suscepti sine culpa, vt promotus prouideretur de beneficio, ne mendicare cogeretur.

CAPVT IV.

De effectibus suspensionis ab officio latæ non simpliciter, sed ex parte.

HActenus disputatum est de suspensione ab officio simpliciter, verum frequenter imponitur suspensio ab officio sub aliqua verborum limitatione, quæ indicant non totum officium, sed partem eius quoad vsum impediri. Quod quando fit, vt intelligamus vim suspensionis, & cognoscamus, quos effectus illa producere debeat, diligenter sunt obseruãda verba legis vel sententiæ ab homine pronunciatæ. Vnde iuxta significationem verborum, statuendum est regulariter ab ea tantum parte Ecclesiastici officij suspensionem impositam fuisse, quæ ex vi ipsorum verborum per se colligitur, & consequẽter ab omni actu & functione, quæ illam intrinsecè supponit, non autem ab Inferiori, neque à qualibet alia omnino diuersa & separata. Ita sentit Innoc. in cap. Cum dilectus num. 4. Vers. Quid si esset suspensus de Consuet. Abb. in cap. Apostolicæ num. 5. Deci. num. 2. de except. Caiet. in Sum. Ver. suspensio, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 170.

Fundamentum huius conclusionis est, quia effectus legis vel sententiæ non excedit voluntatem legislatoris, vel Iudicis, quatenus per verba exprimitur, sed verba talis suspensionis non significant, nisi definitam partem Ecclesiasticæ functionis, ergo ab illa tantum suspendunt; Deinde si illa limitatio verborum nihil operaretur, nec determinaret suspensionem ad certos aliquos particulares effectus frustra illa adderetur, nec certa aliqua ratio assignari posset ad dignoscendos effectus suspensionis, qui ex verbis tantum colligi possunt; ideo suspensio non extenditur ad eos effectus, qui ex verbis non colliguntur, nisi sint essentialiter subordinati, quia in his, quæ sunt per se subordinata sublato priori tolluntur reliqua, quæ in priori virtute continentur, quamuis in verbis suspensionis expressa non reperiantur, sicut fusius inferius explicabo. id tamen non habet locum in his, quæ disparata sunt & distincta, nam si quis suspensus fuerit ab actu officij minus perfecti, non idcirco censebitur suspensus ab officio perfectiori, si non habeat cum officio, à quo est suspensus, necessariam connexionem.

Ex hoc principio & regula generali sequitur primò suspensum ab administratione Ecclesiæ in temporalibus & spiritualibus, sicut habetur in cap. 2. de solut. & in extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. non priuari vsu totius officij, sed partis, nam ex significatione horum verborum constat non suspendi aliquem à celebratione Missæ, quę non vocatur administratio, neque ab alijs functionibus ordinis, sed suspendi ab his, quæ iurisdictionem, aut quasi iurisdictionem seu ius administrandi requirunt.

Secundò suspensus ab ingressu Ecclesiæ prohibetur tantum ab executione Ordinis intra Ecclesiam, vt in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. non priuatur ijs, quæ ad solam iurisdictionem spectant, quare poterit eligere, conferre beneficia, iudicare, excommunicare, ab-

soluere

soluere priuatim ab excõmunicatione,& similes actus gerere, qui ad iurisdictionem spectant, quia viumiurisdictionis retinet cap. Sacris de sent. excom. vt inquit Naoar. in Manua. cap. 27. num. 161. & ab actibus Ordinis prohibetur solum intra Ecclesiam, at extra Ecclesiam, vt in priuata domo, in tentorio super Altare portatili poterit celebrare, Abb. in cap. Cum dilectus no. 20. Vers. Aut est alicubi interdictus, de Consuet. Sylue. Ver. suspensio §. 5. prope finem Vers. Si verò suspensio sit ab ingressu &c. & Ver. Interdictũ 6. §. 5. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 170. cum alijs, quos citat Glos. in dicto cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. & ibi Gemin. cum alijs Doctoribus, Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 1. num. 3. similiter poterit celebrare diuina in Hospitali aut in Oratorio, si modo auctoritate Episcopi non sit dedicatum, vt in eo diuina celebrentur, vt declarat Nauar. & si propriè Clericus est ab ingressu Ecclesiæ suspensus, nunquam intelligitur priuatus, quo minus in Ecclesia diuina audire valeat, atque etiam in ea sepeliri, si contigerit illum ante absolutionem à suspensione ex hac vita decedere, quamuis secus sit dicendum de eo, cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, qui diuina in Ecclesia audire nequit, si tamen decedit cum signis pœnitentiæ censetur ab eo interdicto absolutus, vt sepeliri possit. Differt enim suspensio ab Interdicto, quoniam propriè suspenditur persona Ecclesiastica, & pro culpa propria, vt dictum est in prima Disputatione quæ non sunt necessaria in Interdicto. Quamobrem suspensus ab ingressu Ecclesiæ prioatus est tantum potestate exercendi ea, quæ sunt Ordinis in Ecclesia, & si in ea celebret diuina quasi ex officio, sicut ante suspensionem, efficitur Irregularis, vt asserunt Doctores citati, & ego probabo fusius suo loco, ideo recipere Sacramenta in Ecclesia poterit, quia talis receptio non est actus Ordinis, nec pertinet ad officium diuinum, atque etiam poterit orare, & recitare horas canonicas eo tempore, quo in ea non celebrantur diuina officia, vt notat Sylue. Ver. suspensio. §. 5. prope fin. Vers. Si verò suspensio sit ab ingressu &c. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 170. Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 1. num. 3. Quin etiam & tempore celebrationis diuinorum officiorum permissum erit huiusmodi suspenso per Ecclesiam transire. Sed quando alicui interdicitur Ecclesia simpliciter, interdicta intelliguntur Ecclesiastica Sacramenta, vt inquit Sylu. Ver. suspensio §. 5. prope fi. Vers. Tamen cui interdicitur &c. & talis non potest in Ecclesia orare, sed ante fores Basilicæ, vt habetur in cap. Latorem 33. q. 2.

Tertio suspensus ab officijs diuinis, non potest illa celebrare, neque cum alijs interesse seu audire quasi auctoritatem præstando, vt inquit Sylue. Ver. suspensio §. 5. prope finem Vers. Si verò suspensio sit à diuinis &c. ex sent. Host. Gofred. & Raym. & Nauar. idem sentit in Manua. cap. 27. num. 244. Si autem interest, vel audit diuina officia, vt simplex Laicus, non tanquam Minister Ecclesiasticus, ex officio non dicitur violare censuram, neque talis suspensus prohibetur canere litanias in Ecclesia, aut Responsoria Defunctorum, neque Epistolam absque vestibus sacris, neque exercere actum ordinis minoris, quia hæc conueniunt etiam Laico, vt asserit Nauar. loco citato, neque ex his actibus incurritur Irregularitas, vt ostendam postea fusius, atque, si hic suspensus obiecit, potest sepeliri in loco Sacro. Qua in re plurimum differt ab Interdicto personali, Sylue. Interdictum 6. §. 2.

Quartò suspensus ab Ordine non intelligitur su-

A spensus à Iurisdictione, quoniam ordo differt omnino à Iurisdictione, ergo priuatio vnius non infert priuationem alterius; A separatis enim & distinctis non fit illatio, l. Papinianus ff. de Minor. Vnde Episcopus electus, & confirmatus ea, quæ sunt iurisdictionis administrare potest, vt iudicare, excommunicare, corrigere, & similia, minimè verò exercere valet ante consecrationem, quæ sunt Ordinis, vt ordinare Clericos, conficere Chrisma, benedicere Virgines, & alia huius generis, vt dicitur in cap. Transmissam, & ibi Glos. Ver. de Talibus de elect. cap. Aqua cum Glos. de Consecr. Eccles. & Alta. Quare cum quælibet suspensio magis, vel minus latè sit interpretanda iuxta dispositionem & voluntatem Canonis seu hominis, à
B quo illa imponitur; Hæc autem mens & dispositio sit accipienda ex verbis in propria significatione, vtique suspensio ab ordine non erit priuatio à Iurisdictione, quia ordo non est Iurisdictio, & ita sentit Nauarrus in Manua. cap. 27. num. 160. Quamobrem Parochus ab ordine suspensus poterit non adhibitis solemnibus precibus excommunicatum ab excommunicatione absoluere, quia talis absolutio est actus iurisdictionis, secus autem est de absolutione Sacramẽtali à peccatis; Hæc enim absolutio non solum est actus iurisdictionis fori interioris, sed præsertim est actus ordinis, ideo Sacerdos suspensus ab ordine absoluere non potest à peccatis.

Oppositum tamen videtur affirmare Abb. in cap.
C Cum Dilectus nu. 20. ad fi. Vers. Aut simpliciter quis est suspensus de Consuet. Dicit enim suspensum ab ordine simpliciter censeri suspensum ex quadam consequentia ab omnibus, quæ super ordine fundantur, vt à iurisdictione spirituali, & similibus, & Sylu. Ver. Suspensio §. 5. prope med. Vers. Vnde dico, idem videtur asserere secundum communiorem opinionem. Verum ratio, qua nititur Abb. non est solida, neq; enim verum est omnem iurisdictionem Ecclesiasticam fundatam esse super ordine, si accipiatur pro Sacramento ordinis, tum quia non omnes, qui ordinem susceperunt, etiamsi in sacro Presbyteratus ordine sint cõstituti, habent potestatem iurisdictionis, siue in foro interiori ad absoluendum à peccatis sacramẽtaliter,
D siue in foro exteriori ad excommunicandum, iudicandum, & alios actus iurisdictionis exercendum, tum etiam quia si potestas iurisdictionis in exteriori foro esset annexa cum ordine tanquam quid necessariò consequens, ex illo sequeretur Summum Pontificem non posse illam Laico delegare; quod tamen absurdum esse omnes fatentur, vt de potestate excommunicandi dixi in lib. 3. Disp. 7. cap. 6. Quare id, quod asserit Abb. de connexione iurisdictionis cum ordine non subsistit, si vniuersaliter intelligat de quacunque iurisdictione.

Confirmatur, nam licèt Ecclesia statuisset, quod tamen minimè fecit, vt nemo posset iurisdictionem spiritualem exercere, nisi ordine aliquo sacramentali
E esset insignitus, adhuc non sequeretur suspensum ab ordine esse suspensum à iurisdictione fori contentiosi, nam etiam hoc supposito, Actus talis iurisdictionis non esset actus ordinis, neque ordo esset fundamentum per se necessarium ex natura rei, seu ex institutione diuina, sed esset conditio necessaria ex decreto Ecclesiæ, quæ conditio non deesset illi, qui esset ab ordine suspensus, quia suspensio non tollit ordinem, sed vsum eius impedit. Quòd si Ecclesia statuisset, vt nemo posset iurisdictionem spiritualem exercere, nisi qui haberet ordinem, & vsum eius non impeditum

tunc

tunc rectè inferri posset suspẽsum ab ordine esse etiam à spirituali iurisdictione suspensum. Sed quia hoc Ec- suspensionem in alia virtute non contineri. clesia non statuit: ideo rectè negari potest vnam

Verum dicet aliquis, saltem si loquamur de Iurisdictione in foro Pœnitentiæ absoluendi à peccatis sacramentaliter, verum erit asserere illam impediri per suspensionem ab ordine.

Respondeo per talem suspensionem impediri vtiq; illum actum specialiter ratione connexionis vtriusq; potestatis in ipsomet actu requisitæ, quæ connexio in alijs actibus non inuenitur.

Sed quæret aliquis, an huiusmodi impedimentum sit tale, vt si Sacerdos hoc modo suspensus tentet absoluere à peccatis, absolutio reddatur irrita, vel potius valida, licèt peccet Sacerdos impendens absolutionem.

Respondeo vnum esse certum, Sacerdotem ab ordine suspensum non posse licitè & sine peccato per seipsum à peccatis sacramentaliter absoluere; Ratio est, quia est priuatus executione ordinis, neque potest vti iurisdictione ad absoluendum necessaria, quin vtatur ordine, absolutio enim sacramentalis est actus per se ab vtraque potestate ordinis, & iurisdictionis dependens; Quare ex hoc capite Sacerdos peccat.

Committeret etiam peccatum pœnitens, per se loquendo, & seclusis excusationibus, si Sacerdotem ad hunc actum induceret, dixi non posse Sacerdotem suspensum per se ipsum absoluere, quia nõ prohibetur, quamuis suspensionis censura sit irretitus, si sit Parochus, hanc iurisdictionem alteri Sacerdoti approbato committere, vt confessiones suarum ouium audiat, illa enim delegatio non est actus ordinis, nam & Clericus non Sacerdos potest habere hanc iurisdictionem, & delegare illã, ergo multò magis Sacerdos suspẽsus.

Si verò loquamur de validitate absolutionis impensę à Sacerdote hoc modo suspenso, probabilius mihi videtur dicendum hanc absolutionem validam esse, quantum est ex parte eius, si in Pœnitente non inueniat obicem contrarium substantiæ sacramenti, sicut valeret consecratio, & administratio cuiuscunque alterius sacramenti, nam in tali Sacerdote suspenso non deest potestas ordinis nec iurisdictionis, & suspensio prohibet solum per se vsum potestatis ordinis, & hac ratione impedit quoque vsum iurisdictionis, sed hæc prohibitio non est contra substantiam sacramenti, nec valet ad irritandum actum.

Et idem asserendum esset de Interdicto personali Sacerdotis absoluentis, quia non videtur per se tollere iurisdictionem, nam si Sacerdos interdictus sit Ordinarius, potest suam iurisdictionem delegare, & alios actus iurisdictionis validè efficere.

Ex dictis colligi potest suspensum ab ordine non esse suspensum à iure eligendi, quia eligere ad iurisdictionem spectat, licèt enim non sit omnino propria iurisdictio; est tamen administratio quædam, quæ non competit ratione ordinis, sed beneficij, vel dignitatis, aut ex alia simili causa, ideo Moniales etiam possunt habere ius eligendi, cap. Indemnitatibus de elect. lib. 6. & tamen ordinis capaces minimè sunt; & hoc modo interpretari potest dictum Glos. in cap. Presbyterum Ver. Habere distin. 28. cum inquit suspensum ab officio non esse suspensum à iure eligendi, intelligendum est enim de officio ordinis, vt colligi potest ex materia subiecta, & ex antecedentibus & consequentibus, nam si esset suspensio ab officio simpliciter, illa priuaret quoque vsu eligendi, vt patet ex Glos. in cap. Cum dilectus de Consuet. & cap. Cum inter de elect. & tradit Dec. in c. Apostolicæ n. 6. de except. Quinto suspẽsus ab ordine absolutè intelligitur vniuersaliter ab omni vsu ordinum tam maiorum quàm minorum priuatus, vt inquit Sylue. Ver. suspensio §. 5. Vers. Si verò sit ab ordine &c. Ad hunc modum reperitur prolata suspensio in cap. penult. de Simo. & in extrauag. fin. eod. tit. & in alijs locis in Iure, & ratio est, quoniã cum proferatur sententia suspensionis ab ordine indefinitè, & non sit coarctata ad aliquem ordinem certum, de omnibus ordinibus est intelligenda quia non apparet maior ratio de vno, quàm de altero; verba enim vniuersaliter prolata, vniuersaliter sunt accipienda, l. de precio ff. de Publici. l. 1. §. Quòd autem, & ibi Glos. ff. de Alea. & in his terminis idem affirmat Glos. in cap. Eos, Ver. ordinum de Temper. ordin. lib. 6. si lex vel Iudex voluisset ab aliquo ordine tantum, & non ab omnibus suspendere, id expressisset, secus verò est dicendum, si suspensio sit à sacris ordinibus, quia iuxta communem vsum loquendi nomine Sacrorum ordinum soli maiores intelliguntur ex Cõcilio Trid. sess. 23. cap. 11. de reform. & ex cap. 1. cum alijs de Temp. ordin.

Sed tota difficultas est, vbi quis suspensus est à sacris & maioribus ordinibus, an censeri debeat à minoribus, vel è contra, si suspendatur à minoribus, intelligatur suspensus à maioribus. Qua in re videntur communiter sentire Doctores per suspensionem ab aliquo Superiori & maiori ordine non priuari suspensum vsu & executione aliorum ordinum, nimirum, si quis suspensus sit à Presbyteratu, quem per saltum suscepit, non censetur suspensus ab Inferioribus ordinibus, quòd si è contrario suspensus sit à minori ordine, nunquam à fundamento censetur à superioribus suspensus, ita sentiunt Doctores, Sylue. Ver. suspensio §. 5. Vers. Si verò sit ab ordine Subdiaconi &c. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 163. Vers. Quinto infertur &c. & alij.

Et hæc conclusio quoad primam partem, nempe suspensum à maioribus & sacris ordinibus non censeri suspensum à minoribus ordinibus, & ex consequenti actus ordinum minorum exercere posse, probari potest, primo, quoniam cum talis suspensio sit à sacris ordinibus, non extenditur ad ordines non sacros, quia suspensio non egreditur suos terminos, est enim pœna, quæ non est dilatanda vltra propriam significationem verborum arg. l. Interpretatione ff. de pœn. cap. Odia de reg. Iur. lib. 6. Verum nomine sacrorum & maiorum ordinum communi vsu loquendi non significantur ordines minores, vt in pluribus locis Iuris canonici habetur, vt in cap. Dilectus filius de Temp. ordin. in cap. 1. de ordi. ab Epi. qui renunc. Episcop. & ita loquitur Conc. Trid. sess. 23. cap 11. in fine de Reform & Theologi omnes in Disp. De sacramento ordinis, igitur hoc modo suspensus, ab vsu minorum ordinum non est priuatus. Secundò si suspensus à maioribus ordinibus ab vsu, & executione minorum ordinum intelligeretur suspensus, frustra adderetur dictio illa, *A maioribus* quod absurdum est asserere, *cùm verba aliquid operari debeant*, vt habetur in c. Si Papa de priuil. lib. 6. & à verbis desumitur mens & intentio loquentis, cap. Ad audientiam de Deci. & à proprietate verborum nunquam esse recedendum affirmauit Glosa in cap Propterea Ver. Proprietas de verb. signif. nisi quando apertè constat loquentem aliter voluisse, quàm sermone expressisse videatur, tunc enim potius est attendenda rei veritas, quàm

verbo-

verborum proprietas, quia non sermone res, sed rei est sermo aptandus, cap. Intelligentia de verb. signif. cap. Romanæ aures 22. q. 5. Cùm ergo regulariter attendenda sit proprietas verborum, suspensus à maioribus ordinibus exercere poterit actus aliorum ordinum, qui non sunt maiores, à quibus non censetur suspensus.

Tertiò cui denegatur facultas circa maiora, non intelligitur sublata potestas circa minora, quia argumentum à maiori ad minus negatiuè non valet. Hic non potest maius, ergo neque minus, sed bene tenet affirmatiuè, valet efficere id, quod maius est, ergo multò magis poterit minus, sicut qui prohibetur assumere ordines maiores, non idcirco impeditur, ne assumat minores. Ita quoque dicendum est suspensum à maioribus ordinibus, exercere posse minores. Quamobrem si quis suspensus sit ab ordine Presbyteratus, non poterit functiones proprias huius ordinis administrare, idest neque sacramenta conficere, aut conferre aliis solenniter, & tanquam ex officio. Actio enim conficiendi, & administranti sacramenta solenniter ex officio requirit potestatem ordinis, quæ soli Sacerdoti conuenit. Vnde quamuis propter necessitatem Baptismi quilibet homo, siue vir, siue fœmina possit illum ministrare, tamen Minister huius Sacramenti, cui ex officio competit baptizare, est Sacerdos, vt statuit Conc. Florentinum in Decreto Eugenii; Ideo qui ab ordine Sacerdotali suspensus est neque etiam Sacramentum Baptismi ex officio administrare poterit. Similiter non poterit aquam, panem, & fructus benedicere, nec sponsis benedictionem impendere, cap. primo, & tertio de secund. nupt. Hoc enim pertinet ad officium Sacerdotis, vt tradit Concil. Trident. sess. 23. cap. primo de reform. neque animam existentis in articulo mortis iuxta sacrum ritum, & cæremoniam Ecclesiæ Deo commendare, aut Ecclesiastico more mortuos sepulturæ tradere, vel alias similes functiones administrare, quæ propriæ sunt Sacerdotum, vt dixit Abb. in cap. Significauit in fi. de corpo. vitia. & Sylue. Ver. Aqua in fi. Vnde in cap. Perlectis, Vers. Ad Presbyterum dist. 25. dicitur: *Ad Presbyterum pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Dominici in Altari conficere, orationes dicere, & benedicere dona Dei.* Ab his excluditur Presbyter suspensus ab ordine Sacerdotali; Alia omnia, quæ exerceri possunt ab iis, qui constituti sunt in inferioribus ordinibus, non denegantur Sacerdoti ab ordine Presbyteratus suspenso, cum enim ab aliis functionibus non sit suspensus, illas obire poterit sine peccato, atque sine periculo irregularitatis, vt dixit Nauar. in Manua. cap. 27. numero 163. Vers. Quintò infertur.

Ob eandem rationem Episcopus suspensus à collatione ordinum maiorum poterit conferre minores, sed non è conuerso, vt tradit Host. in capit. Dilectus filius de temp. ordin. & Abb. ex sent. Ioan. Andr. in cap. Vel non est compos. numero quinto eodem tit. Sylue. Ver. Suspensio, § 5. Vers. Et similiter si sit à collatione ordinum &c. Facit ad hoc, l. relegatorum, §. fin. Vers. Potest alicui, & vnus honor interdici, & ibi Bart. ff. de Interdict. & Legat. Glos. in l. Cui pacto Vêr. Maioribus, ff. de seru. exportan. Nam qui indignus est inferiori honore, multò magis indignus erit superiori, l. qui indignus, ff. de Senat. & in materia cẽsurarum id videtur colligi in cap. Cum illorum de sent. excom. ibi, *Cum maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora.*

Eodem modo suspensus à Pontificalibus priuatus est tantùm, ne possit exercere, quæ dependent ab ordine pontificali, non ab aliis, quæ sunt distincta ab ordine pontificali, ex cap. Transmissam de elect. Sylue. Suspensio, §. 5. sub initio Vers. Sciendum est, quòd si fiat suspensio &c. Abb. in cap. Cum dilectus nu. 20. Vers. Aut suspenditur Episcopus de consuet. Item suspensus Ab Altaris officio, reliqua Sacerdotis munera exercere poterit, vt baptizare, absolutionem à peccatis impendere, & alia similia, quæ solis Sacerdotibus conueniunt præter sacrificium Missæ arg. tex. in cap. Significauit, & ibi Glos. Ver. Officium de corpo. vitia. & Abb. num. 1.

Quòd verò è contra suspensus ab inferioribus ordinibus intelligatur suspensus a Superioribus, vt si à minoribus ordinibus quis suspensus sit, multò magis suspensus erit, ne officium Subdiaconi, Diaconi, aut Sacerdotis exercere valeat: & est communis sententia Doctorum, tenet Host. in cap. Dilectus de temp. ordin. Abb. in cap. Vel non est compos num. 5. eod. tit. Glos. in cap. Eos Ver. Ordinum, de temp. ordin. lib. 6. Sylue. Ver. Suspensis, §. 5. Vers. Si verò sit ab ordine Subdiaconi, Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 43. Vers. Suspensus verò à minori &c. Ita quoque Episcopus simpliciter suspensus à collatione minorum ordinum, multò magis prohibitus videtur, ne conferre valeat maiores, sed non è contra, quia suspensus à maiorum collatione non prohibetur cõferre minores. Ratio huius dicti est, quoniã cui denegatur id, quod minus est, vtique non videtur concessum quod maius est in eodem genere, c. Cui licèt de reg. iur. lib. 6. Vnde Vlpianus in l. relegatorum, §. fin. ff. de Interdi. Ita loquitur, *Alicui, & vnus honor interdici sic tamen vt si cui honore vno interdictum sit non tantùm, eum honorem petere possit, verùm nec eos quoque qui eo honore maiores sunt. Est enim per quam ridiculum eum, qui minoribus pœnæ causa prohibitus sit ad maiores aspirare*, Videretur enim rationi naturali repugnare, vt qui caret facultate exercendi actus inferiores fungeretur potestate erga maiores, l. Cui pacto, ff. de seru. exportan. Nam si tanquam indignus expellitur ab inferioribus, magis censendus est indignus, vt excludatur à Superioribus arg. l. qui indignus, ff. de Senat.

Hinc fit suspensum ab ordine Sacerdotali suspẽsum quoq; esse ab ordine Episcopali ob eandem rationem, quia Episcopatus est nobilior Sacerdotio, vel potius ob eam rationem, quia isti duo ordines sunt per se subordinati, & in subordinatis ablato eo, quod est quasi principium, & fundamentum alterius reliquum etiam tolli necesse est.

Dicet aliquis hæc subordinatio considerari solùm potest inter ipsas potestates, vel Characteres horum ordinum, quia Episcopatus necessariò supponit Characterem Sacerdotalem. Qui enim non est Sacerdos neque licitè, neque validè cõsecrari potest Episcopus; Hæc tamen subordinatio, non reperitur necessariò inter actus horum ordinum, quamuis enim Episcopus non exerceat actum consecrationis Corporis Christi, potest Sacramentum Chrismatis administrare, benedictionem Episcopalem tradere. Primam Tonsuram, & minores ordines conferre; ergo Episcopus suspensus à munere Sacerdotali videtur prohiberi solùm ex vi suspẽsionis ab illis actibus Episcopalibus, quos iuxta Ecclesiæ ritum extra Missæ sacrificium cõferre nequit; in aliis enim non videtur posse considerari illa subordinatio, ratione cuius dicunt Doctores sublato vno, & alterum sublatum esse intelligi debere.

Ob hanc rationem nonnulli censent suspensionem inferioris ordinis inferre suspensionem superioris in iis actibus, in quibus cōnexionem habent, non in aliis, vt si quis suspenditur à Diaconatu, consequenter intelligitur suspensus à Sacerdotio quantum ad Altaris ministerium, quia Missa non dicitur sine Euangelio, non idcirco tamen suspensus est ab alijs actibus Sacerdotalibus, qui vsum subdiaconatus non exigunt, Quæ responsio non nihil probabilitatis præ se ferre videtur, tamen communis opinio probabilior, tutior, & verior est, quod per suspensionem inferioris ordinis intelligatur virtualiter prohiberi vsus superioris ordinis simpliciter, quoad omnes actus, licèt enim subordinatio inter Sacerdotium, & Episcopatum non sit quantum ad omnes, sed solùm quoad principia & Characteres, tamen Ecclesia suspendendo aliquem ab inferiori ordine existimat illum inhabilem simpliciter, ne possit administrare actus superioris ordinis. Vnde eodem modo suspensus ab ordine inferiori, prohibetur superiorem recipere, quia Character inferioris ordinis est veluti dispositio ad recipiendum superiorem.

Dices, hinc aliquando sequi posse pœnam excedere delictum, nam si crimen sit dignum tantum priuatione vsus ordinum minorum, virtute dictæ Regulæ Clericus erit quoque suspensus à maioribus ordinibus.

Respondeo huic incommodo facilè prouideri posse, nam Iudex prudenter habita ratione ad grauitatem delicti poterit non ab inferiori ordine, sed à superiori suspendere, quòd si adhuc excessus esset in pœna, posset non simpliciter à toto ordine, sed ab vno actu ordinis suspendere vel ad breue tempus, vel alia via curare vt pœna delicto commensurata maneat.

Hæc tamen Regula locum habet, quoties non constat legem aut Iudicem voluisse à minoribus tantum ordinibus suspendere, sed simpliciter fertur suspensio à minoribus. Si enim apparet de voluntate suspendentis, quòd à minoribus tantum suspendere voluerit, tunc, licèt non possit exercere actus minorum ordinum, non erit tamen prohibitus à maioribus, Censura enim Ecclesiastica magis, vel minus extenditur iuxta voluntatem disponentis, cap. Cum voluntate de sent. excom. Ad hunc modum conferens primam Tonsuram illiterato à collatione Tonsuræ per annum suspensus est, vt habetur in cap. fin. de Tempo. ordin. lib. 6. & tamen non prohibetur conferre, ordines superiores, vt ibi notat Glos. Ver. Duntaxat, idque ob eam rationem, vt inquit Glos. quoniam de voluntate Summi Pontificis euidenter apparet illis verbis: *Qui verò contrafecerit, vt in eo, in quo peccauerit puniatur, per vnum annum à collatione Clericalis Tonsuræ duntaxat nouerit se suspensum*. Quare cum peccasset Episcopus in collatione primæ Tonsuræ, Papa voluit illum suspendere, ne per annum ad primam Tonsuram posset aliquem promouere, sed alios ordines dare poterat, præsertim addita dictione illa exclusiua *duntaxat*.

Sed contra obijci potest, sicut suspēsus à maioribus non habetur suspensus à minoribus, sed potest exequi actus minorum ordinum, vt probatum est, ita etiam suspensus à minoribus poterit exercere actus maiorū ordinum. Videtur enim eadem ratio militare in vtroque casu, nam Censura magis, & minus inficit iuxta voluntatem ferentis, quare sicut quando Superior suspendit à maioribus non imponit vinculum & impedimentum ergo actus minorum ordinum, eodem modo dicendum erit, si Prælatus suspendit à minoribus or-
A dinibus, nullum esse illatum impedimentum, quominus suspensus vti possit maioribus ordinibus, secus fateri cogeremur aliquem à lege vel Iudice suspendi ab eo actu, cuius nulla sit mentio in lege, vel in sententia, & de quo nihil fuit excogitatum, quod est absurdum.

Respondeo, quòd quamuis in sententia suspensionis lata à minoribus ordinibus nihil dicatur de maioribus, tamen includitur suspensio à maioribus, & idem dicendum est, si suspensio feratur à lege, & hic effectus non oritur ex vi peculiari sententiæ aut legis continentis suspensionem, sed auctoritate Iuris communis adiuncta ratione naturali, quoniam non videtur rationi, & æquitati congruere, vt qui iudicatus est indi-
B gnus ad ministrandum in minoribus, dignè & decenter administrare valeat in maioribus, vnde rectè inquit Glos. in cap. Eos Ver. ordinum de Temp. ordin. lib. 6. Iure minimè frui posse maioribus, qui minoribus caret l. Cui pacto ff. de seru. exportan. & cap. 1. de ordi. ab Episcop. Et vbi lex, vel Iudex intendit coarctare suspensionem ad minores ordines tantum, solet exprimere, sicut fit in cap. Vel non est compos de Temp. ordi. & notat etiam Glos. in capit. fin. Ver. Duntaxat eod. tit. lib. 6. Simon. Maiol. de Irregul. lib. 3. cap. 19. num. 3.

Propter eandem rationem suspensus ab vno ordine nō potest ad maiores ascendere ex sententia Abb. in cap. fin. nu. 2. de Aposta. quia videretur per saltum
C promotus. Hoc idem repetit Abb. in cap De Simoniace nu. 6. de Simo. Card. Alex. in cap. Quod studet col. 2. Vers. & dicit 1. quæst. 1. Henri. Boich. in capit. Post translationem de re Iudi. Vnde sequitur, vt inquit Ange. Suspensio 3. §. 3. vt suspensus à collatione ordinum simpliciter nullum possit conferre.

Sextò suspensus ab administratione Ecclesiæ tam in temporalibus, quàm in spiritualibus non dicitur suspensus ab ordine, ad hunc modum fertur suspensio in cap. Si quorundam de solut. contra Prælatum obligantem Ecclesiam suam pro alienis debitis, vbi Abb. num. 8 tenet hoc modo suspensum celebrando non incurrere Irregularitatem, quia non est suspensus ab officio, idest ab ordine, idem ait Sylu. suspensio §. 5. To-
D let. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap 43. in fi.

Septimò suspensus à iurisdictione simpliciter priuatus est vsu totius Iurisdictionis spiritualis, quam habet absolutè, quia propositio indefinita ob suam indeterminationem æquipollet vniuersali & omnia cōprehendit, actus verò pertinentes ad hanc iurisdictionem spiritualem enumerantur à Glos. in c. Transmissam Ver. de talibus de elect. de quibus superius dixi, vt iudicare, excommunicare, corrigere, iuramēta recipere à vassallis, confirmare, inuestire, beneficia conferre, & similes, vnde per hanc suspensionem non prohibentur actus ordinis, qui iurisdictionem non requirunt, sicut enim iurisdictio non supponit necessariò ordinem, ita ordo non semper requirit iurisdi-
E ctionem ad suos actus efficiendos. Hoc autem verum est simpliciter in illis actibus ordinis, qui nullam requirunt iurisdictionem, vt sacrum Missæ mysterium celebrare, sed requiruntur alij actus ordinis, qui iurisdictionem postulant, vel vt validè fiant, vel saltem vt licitè administrentur, & ab his prohibetur quis per suspensionem ex quadam consecutione seruata proportione, vbi enim iurisdictio necessaria est ad validitatē, & substantiam actus, vt in absolutione sacramentali à peccatis actus erit nullus, si fiat cum tali suspensione, vt dixi superius, quia deest potestas necessaria

ad va-

ad valorem eius. sed si iurisdictio requiratur tantum, vt actus licitè & legitimè fiat, tunc si suspensus modo prædicto tentet illum exercere, actus erit validus, sed contra iustitiam factus, ideo culpæ reus erit, quia ita suspensus administrauit, vnde peccatum committeret Parochus vel Episcopus suspensus à iurisdictiune, si ille Sacramenta suis subditis, vt eorum Pastor præberet, & hic ordines conferret, quia ad hos actus non solum Sacri Canones exigunt potestatem ordinis, sed iurisdictionis, sicut peccaret Episcopus concedendo alteri Episcopo licentiam ad ordinandum in suo Episcopatu, vel subdito, vt possit ordinari ab alio Episcopo, & etiam Parochus, si alteri Parocho licentiam tribueret, vt absolueret sacramentaliter suum subditum, quoniam isti actus ad Iurisdictionem pertinent.

Potest etiam quis suspendi à iurisdictione non absolutè & simpliciter, sed à certa & determinata parte iurisdictionis, nimirum à collatione beneficiorum cap. Grauis de Præben. cap. vni. ne Sede vacan. lib. 6. Clem. 1. §. Si quis de Sta Mona. vel à confirmatione Episcopi, cap. 2. de Transf. Epise cap Prouide de elect. lib. 6. & alijs modis, de quibus tractat Glos in Clem. Cupientes Ver. Suspensi de Pœn. & in his atque similibus casibus interpretanda est suspensio ex verbis, vt eos actus complectatur solū, qui significantur ex verbis propriè acceptis, & ad alios non extendatur, nisi actus, à quo quis suspenditur, habeat necessariam connexionem cum alio actu, ita vt sine illo fieri nequeat, nam tunc etiam alius actus in tali suspensione comprehenditur, sicut dictum est in suspensione de ordine. Quare suspensus à parte aliqua iurisdictionis grauiter peccat illum exercendo, quia materia ex suo genere grauis est, ergo trāsgressio est peccatum mortale. Alios verò actus, qui non continentur sub tali suspensione imposita exercere nullum est peccatum, cum non sint prohibiti.

Animaduertendum est hoc in loco, quòd si Episcopus suspensus maneat ob eam causam, quia subdito alieno sine proprij Ordinarij licentia ordines contulerit iuxta cap. Eos, de Tempo. ordin. lib. 6. tunc Clericis Episcopi suspensi permittitur, vt absq; eiusdem Ordinarij suspensi licentia ab alijs vicinis Episcopis ordines suscipere valeant.

Quæ tamen facultas intelligitur concessa solùm existentibus his conditionibus, primò si proprius Episcopus suspensus sit ob eam causam, quòd ordinauerit Clericos alienæ Diœcesis, sicut est in alijs casibus, vt notat in eod. tex. Glos. Ver. Taliter, & id æquitati videtur conuenire, sicut enim ipse Episcopus ordinauit, alienos subditos non habita licentia à suis Ordinarijs. ita quoque decet, vt sui subditi sine eius licentia ab alijs Episcopis ordines suscipere possint. Et hic est casus specialis, in quo ob delictum Episcopi iurisdictio deuoluitur ad vicinos Episcopos ex expressa concessione Sacrorum Canonum, vt definitum est in dicto cap. Eos, idque sancitum fuit fauore ordinum suscipiendorum, vt inquit Glos. in cap. 1. Ver. Culpis de supplen. neglig. Prælat. lib. 6. scilicet ne immineat periculum, si ordinatio Clericorum differatur, nam regulariter iurisdictio Episcopi excommunicati, aut suspensi non deuoluitur ad Archiepiscopum, aut Episcopos vicinos, vt dicitur in dicto cap 1. de supplen. neglig. Prælat. lib. 6. Vnde Episcopo excommunicato Metropolitanus, aut Capitulum non possunt conferre beneficia ad solum Episcopum spectantia capit. Quia diuersitatem de concess. Præben. Excipiuntur tamen quidam casus enumerati in c. Pastoralis de off.

A ordin. in quibus Metrapolitanus potest exercere suam iurisdictionem in subditos suffraganeorum. Secundò requiritur, vt subditis liceat adire sine facultate Ordinarij Episcopos vicinos pro ordinibus suscipiendis, vt delictum Episcopi sit manifestum, vt notat Glos. vel per euidentiam facti, quia nulla tergiuersatione celari possit, vt in cap. vlt. de cohab. Cleri. & Mulie. Vel quia est iuris notorium, quia scilicet de eo sit cōdemnatus, vel sit tale per propriam confessionem, Glos. in cap. Vestra Ver. Nutorium eod. tit. cap. Cum olim de verb. signif. Quare in dubio à proprio Prælato non est recedendum, vt inquit Glos. in cap. Eos Ver. Manifesta de Temp. ordin. lib. 6. præsertim hoc tempore post extrauag. Ad euitanda, cum obligatio euitandi
B obstrictos censuris oriatur post denunciationem, non antea, de qua re pertractaui in lib. 1. Disput. 9. cap. 3. Tertiò hæc facultas adeundi Episcopos vicinos ob enarratum delictum proprij Episcopi conceditur Clericis, vt patet ex verbis tex. ergo Laicus, qui nullum haberet ordinem, non gauderet hoc beneficio. Et ita sentiunt Gemin. Anchar. & alij Doctores in dicto cap. Eos de Tempo. ordin. lib 6. & reddunt illam rationem diuersitatis, quia non videtur talis necessitas occurrere posse in Laico, vt debeat promoueri ad ordines, sicut in Clerico, vt teneatur ascendere ad Superiores ordines, idcirco hoc beneficium à iure permittitur his, non illis. Quartò hæc licentia concessa Clericis subditis Episcopi suspensi recipiendi ordines ab Epi-
C scopo vicino intelligitur, dummodo tamen alias ordinatio canonicè fiat, eo seruentur, quæ ab ipso iure requiruntur, nempe, vt inquit Glos. vlt in dicto cap. Eos debitum examen præcedat, & scrutinium, & fiat debitis temporibus, non furtiuè, aut per saltum, nec plures ordines recipiuntur eadem die vel duabus, continuato ieiunio, sed de hac difficultate latius suo loco pertractabimus.

CAPVT V.

Vtrum suspensus ab officio in vno loco sit suspensus in omnibus locis.

D ORitur difficultas, quoniam Episcopus suspendens suum subditum limitatam habet iurisdictionem, ergo non potest extra illam operari, cap. 2. de Const. lib. 6. Vbi sancitum est statutum Episcopi extra suam Diœcesim non ligare, & qui non paret extra Territorium ius dicenti non patitur pœnam, vt dicitur in eod. cap. 2. in fin. cap. Nouit de off. leg 1. l. vlt. ff. de Iurisd. omn. Iudi. ergo suspensio ab officio extra Diœcesim & Territorium illius, qui eam vel per legem, vel per sententiam tulit nullum debet effectum producere, & ita videtur sensisse Bald. in cap. Pastoralis num. 22. de Appell.

Respondendum est ad hanc quæstionem suspensionem ab officio simpliciter latam sine vlla loci deter-
E minatione producere effectum vniuersaliter in omnem locum, & vbique seruandum esse. Neque hac in re differt suspensio ab excommunicatione, sicut enim excommunicatio maior lata in vno loco ad omnem locum extenditur sine vlla distinctione, vt probaui libro 3. Disp. 8. cap. 5. ita quoque suspensus in vno loco simpliciter, vbique erit suspensus. Cum enim dicimus suspensum esse in vno loco, intelligimus esse suspensum ab Episcopo vnius loci, & Ciuitatis, suspensio tamen non respicit solum illum locum, sed omnem locum.

Hanc sententiam tenet Glos. in cap Pastoralis, §. Verum, Ver. Superahuntur de Appella. vbi Abb. no. 20. & Dec. num. 9.

Idem sentit Glos. in capit. Si quis Presbyter Ver. Alius Episcopus 7. q. 1. & in cap. 21 1. q. 3. Vbi statutum est excommunicatū ab vno Episcopo non debere ab alijs recipi, Glos. Ver. Ab alijs, affirmat similiter suspensum ab vno Episcopo pariter suspensum esse quoad omnes, Glos. in capit. Cupientes vltra med. Vers. Cæterum Ver. In ipsa Ecclesia de Elect. lib. 6. Vbi notat suspensum à beneficio in vna Ecclesia, non ideo suspensum esse in alia, secus verò in excommunicato, & suspenso ab officio.

Probatur hæc conclusio, Episcopus potest suspendere subditum suom simpliciter, ne alicubi celebret, vel confessiones audiat, ergo si absolutè suspendat ab officio, & nullam apponat limitationem, vbique suspendere videtur, quia verba simpliciter prolata hoc significant, & nulla est ratio, quæ persuadere possit potius ad hunc locum, quàm ad alium coarctandam esse huiusmodi suspensionem. Nā potest esse delictum tale, vt dignum sit huiusmodi suspensione vniuersali. Quare conuenit, vt Episcopus, & Prælatus valeat, si ita expedire iudicauerit ad rectum Ecclesiæ regimen suspendere suos subditos pro omni loco, & ita suspendit, cum imponit suspensionem ab officio simpliciter.

Secundò suspensus ab officio simpliciter dicitur etiam ab ordine suspensus, vt probaui superiori capite, ergo quocunque proficiscitur, huius censuræ vinculo obstrictus remanebit, quoniam hæc pęna personam afficit: Igitur in quemcunque locum se conferat, poena eum sequetur; nam quando poena afficit personam, porrigit effectum suom extra Territorium in omnem locum, vt notat Abb. in capit. Postulasti num. 11. de Fo. Compet. & Bart. in l. Cunctos populos num. 50. C. de Sum. Trin.

Tertiò excōmunicatus in vno loco, vbique excommunicatus censendus est, excommunicatio enim animam inficit, & idcirco sequitur excommunicatum quocunque ierit, cap. Citò turpem 1. q. 1. Similiter interdictus in vno loco, vbiq; interdictus habendus est; Vnde nusquam diuina audire, neque Ecclesiastica recipere sacramenta interdicto permittitur, cap. Si sententia, Vers. Cum verò de sent. excom. lib. 6. quia, vt inquit Abb. in dicto cap. Postulasti num. 11. huiusmodi pęnæ afficiunt personam, & sequuntur personam, sicut lepra leprosum; ergo idem asserendum est de suspensione, quæ propriè est censura afficiens animam, sicut excommunicatio, & interdictum cap. Quærenti de Verb. Signif. & hæc est ratio communis omnibus poenis afficientibus personam, l. ex ea, ff. de Postula. Idem sentit Innoc. in cap. Qualiter, & quando prope fi. 2. de Accusa. Feder. cons. 23. facit cap. Testimonium de Testib.

Obijcies ex cap. 2. de Consuet. lib. 6. sicut dicebam initio capitis; Nam cum Episcopus limitatam iorisdictionem habeat, vt certum est, non poterit extra Territorium suam iurisdictionem exercere, quia nullus definitam, & determinatam potestatem habens potest illam exercere extra suum Territorium, vt dicitur in dicto cap. 2. de Constit. lib. 6. & l. fin. de Iurisdi. omn. Iudi.

Respondeo directè neminem vigore statuti, aut legis communis posse potestate, & iurisdictione sua vti extra suum Territoriom, sicut definitum est locis citatis; Cum extra Territorium ius dicenti non pare-

A tur impunè: Tamen per præcepta particularia, quæ respiciuut personas immediatè, potest Superior præcipere, & iudicare directè extra Territorium, exercendo scilicet actom iudicij in Territorio suo, sed mediatè extendendo iurisdictionem in suum subditū, quamuis discesserit è Territorio, nempe si imponat pęnam, quæ afficiat personam, in quemcunque locum proficiscatur, vel si præcipiat aliquid, qood teneatur implere etiam extra Territorium, vbicunque commoretur. Ita accidit in suspensione; Est enim poena inhęrens personæ. Quare ad quemcunque locum sospēsus processerit, illam secum defert, sicut dictum est de excommunicatione, & habetur de depositione in cap. Si quis Presbyter 7. q. 1.

Sed hic oritur difficultas, An conclusio firmata locum habeat in omni suspensione, quæ est ab officio;
B Aliqui enim potant intelligendam esse de suspensione ab officio quoad actus ordinum Ecclesiasticorū spectantiom ad sacramentum ordinis, non autem de suspensione ab alijs officijs, vel ministerijs Ecclesiasticis quæ vsum ordinom non reqoirunt, vt est officiū Sacristę, custodis, officium Iudicis in foro exteriori, munos eligendi, & similia; In his enim licèt Episcopus suspendat subditum ab officio simpliciter, non potest tamen prohibere, qoominos in alio Episcopatu possit illa officia subire, & administrare, quoniam respiciunt commodum, & vtilitatem loci, & Cioitatis, vbi exercentur, ideo quilibet Episcopus potest illa prohibere in-
C tra suam Diœcesim, non alibi.

In hac difficultate illud in primis monendom esse censeo hanc sententiam eorum, qui ita sentiunt, non complecti Sommum Pontificem Pastorē vniuersalem omnium Ecclesiarum, qui vbique locorum suspēdere potest. Quamobrem quæcunque suspensio ab officio à Summo Pontifice lata fuerit, vel in corpore Iuris Canonici, vel in alijs Extrauag. & Constitutionibus suis absolutè, & sine limitatione loci, siue sit ab ijs actibus, qui ab ordine dependent, siue ab alijs enarratis ministerijs, & officijs, parit effectum suum in omni loco, & vbique seruanda est. Et ratio est qooniam Papa non habet certum, & limitatum Territorium, sed eius iurisdictio extenditur in vniuersam Ecclesiam.

D Secundò animaduertendum est, si sequamur hanc sententiam, adhuc concedere debere, quòd suspensus ab officio simpliciter, licèt proximè, & immediatè in vno tantum loco suspendatur tamen prohibetur generaliter in omni loco, ne nouum officium Ecclesiasticum recipere possit durante suspensione, vt dixi in fi. cap. secundi; ideo ex hac parte suspensus ab officio simpliciter vbique erit suspensus.

Dico secundò, si loquamur de Episcopo, licèt hæc sententia, quæ vtitur hac distinctione officiorum sit probabilis, nimirum vt sospensio ab actibus ordinis vnioersaliter extendatur ad omne Territoriom, secus verò de officiis, quæ ab ordine non dependent, oppo-
E situm tamen videtur probabilius, nempe suspensionem ab officio producere effectus soos in omnem locum etiam extra Territorium Episcopi suspendentis non solum quoad officia, quorum actus dependent ab ordine, sed quantum ad illa officia, & ministeria Ecclesiastica, quæ vsum ordinum non postulant.

Idque probari potest ex eo, quoniam vis suspensionis & eios effectus non proueniunt ex peculiari potestate & auctoritate Episcopi, sed sunt instituti ab Ecclesia. Quare imposita suspensione ab Episcopo, illico illa parit effectus suos ex institutione Ecclesiæ sine

vlla

vlla actione Episcopi, sicut dictum est de excommunicatione, & eadem ratio est de suspensione, est enim vera censura, & eiusdem rationis cum excommunicatione. Quare quamuis suspensio imponatur ab Episcopo virtute iurisdictionis & potestatis particularis, quam exercet in sua Diœcesi, tamen extenditur in omnem locum, vbi eius subditi moram faciunt, & id prouenit ex vi institutionis suspensionis, quæ emanat ab vniuersali potestate Ecclesiæ. Eodem modo excommunicatio fertur à particulari Episcopo, & tamen afficit subditum in omni loco.

Confirmatur arg. à simili ex l. ex ea causa ff. de postulando vbi dicitur posse prohibitum à Prætore Prouinciæ, ne postulet extra illam Prouinciam postulare, nisi ex tali causa prohibitus sit, quæ infamiam irroget, & idcirco Ius postulandi pro omnibus locis auferat, sicut infamia ius tollit postulandi, in omni loco ita censura Ecclesiastica à particulari Episcopo inflicta vim habet inficiendi in omni loco suum subditum & vbique effectus suos operatur.

Dico tertio, vbi in ipsa forma suspensionis à Iure, vel ab Homine latæ determinatur locus, in quo quis suspenditur, tunc talis suspensio vim habet solùm pro illo loco, neque impedit suspensum alibi ab vsu officij, vt in extrauag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienan. vbi fertur suspensio à regimine & administratione talis Ecclesiæ vel Monasterij, quæ suspensio vi sua non impediret, quo minus Episcopus vel Abbas suspēsus aliam Ecclesiam, vel Monasterium administrare posset, sicut etiam accidit, vbi quis ab homine per sententiam suspenditur ab officio concionandi in tali Ciuitate vel Prouincia, non enim tunc prohibetur, ne in alio loco concionari possit, quia talis pæna non excedit voluntatem legislatoris, vel Iudicis, l. non omnis ff. si certum peta. & voluntas verbis significatur, & idem dicendum est in similibus casibus.

Vnde ex hac parte discrimen quoque agnoscitur inter excommunicationem maiorem & suspēsionem, nam excommunicatio semper fertur vniuersaliter in omnem locum, nec vnquam limitari consueuit ad certum locum, sed effectus producit vbique, at suspensio iuxta morem, & consuetudinem Ecclesiæ non solùm totaliter imponi solet, sed etiam per partes, ideo potest coarctari ad certum locum, non ad omnia loca.

CAPVT VI.

Quamdiu suspensio ab officio duret.

VT huic quæstioni respōdeamus, præmittendum est, quantum spectat ad temporis durationem ratione suspensionis, posse suspensionem à Iure vel ab homine ferri tribus modis. Primò ad certum tempus, nempe ad annum vel mensem, vel simili modo; Secundò sub conditione, donec satisfaciat, vel restituat, aut à contumacia recedat, vel donec aliter disposuerit ille, qui imponit censuram. Tertiò simpliciter & absolutè absque vlla temporis limitatione, & iuxta hanc triplicem formam infligendi suspensionem diuersimode statuendum est de duratione suspensionis.

Itaq; si suspensio imponatur, sicut frequenter accidit, ad certum tempus, dicendum est tunc elapso tempore præscripto per se cessare suspensionem. Et ratio est, quia pœna non excedit voluntatem imponentis, ergo cùm ferens suspensionem præscripserit tempus, quo currente voluit illam effectum producere, tempore præfixo præterito desinit suspensio. Huius generis suspensionis exempla plura in Iure reperiuntur, vt in cap. 1. de Clerico venatore, vbi Episcopus habens canes, aut accipitres ad venandū tribus mensibus à communione suspenditur, Presbyter duobus mensibus, Diaconus ab omni officio, in cap. Præterea de Cleri. percusso. si iubet aliquem crudeliter fustigari, duobus mensibus à Missarum administratione suspenditur, in cap. Nullus 55. dist. Qui aliquem ordinat non seruata Canonum forma, annuæ suspensioni subijcitur. Similis suspensio per annum à communione fertur in cap. Relatum de Consecr. distinct. 2. Quandoque imponitur suspensio à celebratione Missarum per duos annos in cap. Præsentium de Cleri. percusso. & alibi sæpius sub alia determinatione temporis exempla referuntur à Glos. in Clem. Cupientes Ver. Suspensi de Pœn.

Controuersia tamen est inter Doctores, An quando fertur suspensio ad tempus certum, tempore præterito desinat suspensio ipso facto, vel sit necessaria absolutio Iudicis, vel alterius habentis potestatem, & licèt hæc quæstio spectet ad disputationem de absolutione. Tamen quantum spectat ad rem de qua agimus, breuiter dici potest, ad tollendam huiusmodi suspensionem non esse necessariam absolutionem, sed transacto tempore præscripto ipso facto cessare, vt dixit Glos. in cap. sacro. Ver. Per mensem de senten. excom. Glo. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. quæ ponit discrimen inter suspēsionem latam ad tempus indefinitum, & incertum, & inter illam, quæ fertur ad certum tēpus de qua modo agimus, & inquit suspensos ad incertum tempus indigere absolutione, secus verò esse de suspensis ad certum tempus puta mēsem, vel Annum. & idem docet Innoc. in cap. Cum bonæ de Aeta. & Quali. & ibi Abb. num. 5. ponens differentiam quoad hoc inter excōmunicationem ad certum tempus latam, quæ nunquam tollitur nisi tradita absolutione ab habente auctoritatem, & inter suspensionem simili modo impositam, quæ non requirit absolutionem, sed cessat ipso facto elapso tempore, habet enim tantum rationem pœnæ, quæ non excedit limites lege præscriptos.

Secundò si suspensio feratur non ad certum, & determinatum tempus, neq; simpliciter, & absolutè, sed sub conditione; Tunc aut conditio imposita respicit voluntatem ipsius suspensi, aut voluntatem suspendentis. Si primo modo, puta si Iudex suspendat aliquem ab officio, donec satisfaciat, restituat, vel à contumacia recedat, & in similibus casibus, in quibus suspensio fertur per modum censuræ pro contumacia, & cum aliquo ordine ad futurum actum, & tunc dicendum est suspensionem tamdiu durare, quousque impleatur conditio imposita, & conditione expleta statim suspensionem esse tollendam. Ratio est, quia talis suspensio imponitur tanquam medicina, vt contumax compellatur ad obediendum, & satisfaciendum, & idcirco statim, ac subditus recedit à contumacia, & intendit parere, non est iam dignus, vt alligatus maneat vinculo censuræ, & hac intentione lata fuit à Legislatore, vel Iudice. An verò, vt tollatur hæc suspensio, sit necessario absolutio, dicam suo loco.

Hæc autem conditio non semper apponitur expressè, sed nonnunquam tacitè subintelligitur, quando scilicet ex forma suspensionis constat non ferri tantum pro delicto commisso, sed vt recedatur à contumacia per modum censuræ, tunc enim semper includitur illa conditio, si satisfecerit, si paruerit, si recesserit à contumacia, quamuis non exprimatur,

est enim hæc conditio intrinseca & essentialis cuiuscunque censuræ Ecclesiasticæ, qualibet enim non est tantum pœna sed medicina; Ita sentit Innoc. in cap. 1. num. 3. de excess. Prælat Abb. in cap. Reprehensibilis num. 4. de Appella. Sylue. suspensio §. 4.

Quòd si conditio apposita in suspensione relationē habeat ad ipsum suspendentem, vt si Prælatus dixerit suspendo te, donec aliud disposuero, vel ad beneplacitum meum, vel simili modo, vt habetur in cap. Literas de Tempo. ordin. in fi. his verbis, *Tám diu volumus manere suspensos, donec de illis aliter disponamus.* Similiter in c. Dilectus in fi. eod. tit, *Ipsum tam diu ab ordinandi suspendimus potestate, donec nostram meruerit gratiam obtinere.* In cap. Nihil prope med. de elect. *A perceptione proprij beneficij suspendatur, quousque si æquū fuerit, indulgentiam valeat promereri.* Eodem modo in cap. Tam literis in fi. de testib. vbi ita habetur, *Ab officio & beneficio denunccietis esse suspensos, donec mereantur nostram indulgentiam obtinere.* In his casibus & similibus dicendum est durare suspensionem, quamdiu conditio non impletur, idest Iudex aliter non disposuerit. & reuocauerit suspensionem, illa autem reuocata, desinit suspensio. Et hoc modo intendebat Iudex, vt indicabant verba, quibus suspensionem intulit.

Hinc sequitur suspensionem hoc modo impositam non ferri per modum censuræ ad contumaciam coercendam, quamuis enim tunc reus à contumacia recedat & pareat, suspensus remanebit, nisi Superior sententiam reuocauerit, immo Superior non tenebitur cognita resipiscentia Rei vigore Iuris communis & Iustitiæ suspensionem tollere, talis enim reuocatio reseruata est arbitrio Superioris, vt possit illam differre, etiam si a contumacia subditus recesserit, si ita expedire iudicauerit ad bonum commune, & aliorum vtilitatem & exemplum. Quare dicendum est suspensionem hoc modo impositam potius habere rationem pœnæ pro peccato commisso, & idcirco non indigere alia absolutione, nisi vt Iudex declaret voluntatem ipsius intendentis reuocare huiusmodi pœnam.

Sed hic quæri potest, quid affirmandum sit, si Prælatus, qui suspensionem tulit, præmoriatur, antequam reuocet suspensionem inflictam, vel aliud declaret circa illam,

Pro solutione huius dubitationis scire oportet sub duplici forma apponi posse hanc conditionem in suspensione, Primo vt Iudex dicat, suspendo te, quousq; hanc sententiam non reuocauero; secundo vt dicat, suspendo te ad voluntatem vel beneplacitum meum. Et hæc duplex forma suspensionis plurimum inter se differt, nam prima requirit actum positiuum Iudicis, vt tollatur suspensio lata, secunda non postulat actum contrarium, sed tantum cessationem prioris voluntatis, nempe vt Iudex non perseueret in eodem proposito, quod habuit ad suspendendum.

Ex hac differentia colligere possumus, quid sit respondendum ad difficultatem propositam. Dico igitur duo, & primò si imponatur suspensio sub priori illa forma, nempe suspendo te, donec suspensionem reuocauero, tunc suspensio non cessat propter mortem suspendentis sed necessarium est ad tollendam illam, vt per Superiorem aut successorem reuocetur.

Probatur, primò nam conditio imposita in huiusmodi suspensione requirit reuocationem, quæ reuocatio non fuit facta, quia voluntas contraria non intercessit ante mortem, ergo non cessat, sed durat suspensio post mortem.

Secundò sicut concessio precario facta censetur du-

A rare donec per Dominum reuocetur concessio, l. 1. in princ. ff. de Precar. & tamen per mortem concedentis non inducitur reuocatio, l. Quæsitum §. 1. & l. Cum precario §. 1. ff. de Precar. cap. fi. de Precar. Ita etiam pari ratione, immo fortiori suspensio expressè inflicta sub hac conditione, *Donec illam reuocauero* non desinit per mortem suspendentis, nisi antea præcesserit contraria voluntas reuocatoria,

Tertiò quamuis per mortem extinguatur voluntas l. 4. in fi. ff. locati, & beneplacitum hominis, capit. Si gratiosè de rescript. lib. 6. tamen non inducitur reuocatio, quia aliud est reuocare, quod requirit contrariam voluntatem priori, aliud est voluntatem priorem seu beneplacitum cessare, vnde si aliquis delegauerit causam, donec illam reuocauerit, eo mortuo nō **B** intelligitur reuocata, tex. est notabilis in cap. Si Delegatus, de off. Deleg. lib. 6. Vbi expressè statuitur commissionem causæ factam Delegato sub forma prædicta, nequaquam morte committentis expirare, re integra non existente, ergo suspensio lata sub conditione, donec Iudex illam reuocauerit non cessat per obitum Iudicis, quia per mortem non inducitur reuocatio, nisi aliter expressè reuocetur, tex. in l. 4. in princ. ff de Manu vendicta,

Quarto verba legis aut sententię sunt accipienda secundum propriam significationem, quam habere possunt; Sed in proposito nostro illa verba, donec reuocauero, ex propria significatione postulant nouam **C** voluntatem contrariam priori, & illius reuocatoriā, vt tradit ex sententia Bart. Iason in l. Centesimis §. ita stipulatus num. 14. Vers. Tertiò multum me mouet ff. de verbo. oblig. Vbi latè disputat hanc quæstionem; ergo non sufficit, vt prima voluntas cesset per mortem. Quare remanebit suspensio etiam post mortem suspendentis.

Vt igitur suspensio sub hac forma inflicta auferatur post mortem suspendentis, necesse erit, vt successor in officio illam reuocet, quia eandem iurisdictionem habet, & moraliter quoad officium non differt à Prædecessore, vel etiam Superior, qui potest, quidquid Inferior, & aliquid amplius, Felin. in cap. 1. num. 7. de Iudi.

D Dico secundò pro solutione eiusdem difficultatis propositæ, si suspensio imponatur sub posteriori illa forma, scilicet suspendo te ad beneplacitum meum, tunc desinit suspensio per mortem suspendentis, quia, vt tollatur hęc suspensio, non requiritur actus contrarius priori voluntati, sed sola cessatio voluntatis.

Probatur hæc conclusio, primo quia verba huiusmodi suspensionis hunc sensum habere videntur, nempe vt eatenus duret suspensio, quatenus durat voluntas suspendentis, ergo cessante voluntate cessat suspēsio, sed voluntas cessat per mortem l. 4. in fi. ff. loca. ergo per mortem desinit suspensio.

Secundò quando suspensio fertur ad voluntatem seu beneplacitum suspendentis dicitur temporalis, **E** quia, mortuo suspendente, cessat beneplacitum, vt dicitur in cap. Si gratiosè de Rescript. lib. 6. Bart. in l. Centesimis §. fin. Vers. Tu ergo dicas ff. de verb. oblig. voluntas enim morte terminatur, Felin. in cap, Ex literis num. 28. de Constit.

Sed animaduertendum est posse suspensionem imponi ad beneplacitum suspendentis duobus modis, vno modo, vt suspendens vtatur verbis suę personæ, suspendo te ad beneplacitum meum, secundo modo, vt accipiat verba Dignitatis, & officij quo fungitur, suspendo te ad beneplacitum Sedis Apostolicæ,

Epi-

Episcopi, Collegij, vel Capituli, aut simili modo. Hæc distinctio habetur in cap. Si gratiosè de Rescript. lib. 6. De qua latè ibi Doctores pertractant. Quando dicimus suspensionem latam ad beneplacitum suspendentis cessare per mortem ipsius, intelligimus hoc verum esse, si suspensio feratur priori modo, idest vt conditio respiciat personam suspendentis, vt si dicatur vsque ad beneplacitum meum, vel nostræ voluntatis; Nam vt dicebam, extincta persona nulla remanet voluntas eius, & consequenter cessat omne beneplacitum, quod solum requirebatur in prædicta conditione suspensionis, vt colligitur ex l. 4. ff. loca. Ita sentiunt Franc. in dicto cap. Si gratiosè nume. 9. Gemin. num. 4. de Rescript. lib. 6. Felin. in capit. Ex literis num. 28. de Constit. Bart. in l. Centesimis, §. fin. B Vers. Tu ergo dicas. ff. de Verbo. Oblig.

Quæret quis, an eadem sit ratio de morte ciuili suspendentis, puta si suspendens excommunicationis, aut suspensionis vinculo ubstringeretur, vel aliter impediretur ab vsu officij, quamuis retineret officium, an tunc desineret suspensio; Ratio dubitandi esse potest, quoniam verbum mortis indefinitè prolatum videtur comprehendere non solum mortem naturalem, sed etiam ciuilem ex sententia Ioann. Imol. in l. Gallus in §. Et quid si tantum, ff. de lib. & Posth.

Respondet Bart. in l. Centesimis citata de Verb. Oblig. cui adhæret Philip. Franc. in cap. Si gratiosè num. 12. de Rescript. lib. 6. per mortem ciuilem non cessare voluntatem, seu beneplacitum, quia mors ciuilis non æquiparatur naturali, nisi in casibus iure expressis, vt per Glosam in cap. Susceptio de Rescript. lib. 6. Et Glos. in cap. 1. de Off. Vica. eod. lib. adde Glos. in cap. Placuit 16. q. 1.

Quæret iterum quis, An beneplacitum, & voluntas cesset, & ea consequenti tollatur suspensio, si sit finitum officium suspendentis, in ijs casibus, in quibus desinit per mortem naturalem suspendentis.

Respondet Philip. Franc. in cap. Gratiosè nu. 11. de Rescript. lib. 6. & citat Bald. in eod. tex. Bart. in l. Centesimis in fi. ff. de Verb. Oblig. & Feder. de Senis in cons. 251. initium est, Reuerende, Beneplacitum, & voluntatem expirare finito officio, & idcirco cessare suspensionem, quæ imposita fuit ad beneplacitum, secus verò esset, si suspensio lata esset simpliciter, & non ad beneplacitum suspendentis arg. cap. Si super gratia de Offic. & potes. Iudi. Deleg. lib. 6. & in cap. fin. Extra de Off. Lega.

Quòd si suspensio inflicta fuerit non ad beneplacitum Iudicis suspendentis, sed ad beneplacitum Episcopi, vel Sedis Apostolicæ, aut Romani Pontificis, & ita accipiatur nomen dignitatis, non personæ: In hoc casu non desinit suspensio per obitū ipsius suspendentis, vt desumitur ex eod. cap. Si gratiosè de Rescript. lib. 6. Ratio est, quia per mortem suspendentis non moritur officium, & dignitas, & ideo non cessat beneplacitum, quare necesse est, vt tollatur suspensio per successorem, quia Sedes, aut dignitas non desinit cum persona, sed eadem permanet continua successione in omnibus personis sibi ipsis succedentibus. Vnde quando in cōditione apposita fit mentio dignitatis, aut officij, res tota refertur ad officium, & ab eo pendet, non à sola persona, sicut quando commissio causæ fit dignitati, non Episcopo nomine proprio personæ, etiamsi persona, quæ dignitate fungitur decesserit, non idcirco commissio expirat, sed transit ad successorem, nam pro eadem persona accipitur cum præmortua, quia dignitas non moritur, secus si no-

A men proprium fuerit expressum, nam tunc delegatio fit personæ, & successor cognoscere nequit, vt habetur in cap. Quoniam Abbas, & ibi Glos. in Ver. Substitutum de Off. Deleg. Abb. ibi latè num. 7. eodem modo in terminis nostræ quæstionis dicendum est de suspendente ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, vel Episcopi, vel de infligente aliam pœnam simili modo. Ita sentit Felin. in cap. Ex literis num. 28. & seq. de Constit. Gemin. in cap. Si gratiosè num. 11. de Rescript. Franc. ibi num. 7. An autem idem sit apponere in Rescripto ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, & ad beneplacitum Papæ, seu Romani Pontificis, & vtrum hæc posterior forma rescripti referatur ad dignitatem, sicut prior, vel potius ad personam. Controuertunt Doctores in dicto cap. Si gratiosè, vbi Glos. prima affirmat Rescriptum cōcessum ad beneplacitum Papæ extingui mortuo Papa, sed non est huius loci hanc quæstionem discutere, sufficiunt ea, quæ dixi ad rem, de qua agitur.

Quæret quis, quid dicendum si Constitutio, vel sententia suspenderet hoc modo ad beneplacitum nostrum, & Sedis Apostolicæ, An talis conditio respiciat dignitatem, vel personam, si vtrumque exprimatur.

Respondet Franc. in dicto cap. Si gratiosè nu. 14. de Rescript. ex sententia Io. And. & Host. conditionem respicere dignitatem, & ideo transire ad successorem. Quòd si verba proferantur alternatiuè, idest ad beneplacitum nostrum, vel Sedis Apostolicæ conC ditio tunc respicit personam, non dignitatem, & idcirco non transit in successorem.

Superest, vt de tertio mēbro principali distinctionis initio Capitis propositæ disseram; nempe quando suspensio fertur simpliciter, & absolutè absque temporis determinatione, vt si Iudex dixerit, suspendo te ab officio, nihil aliud addens, an tunc suspensio dicenda sit perpetua, aut temporalis, vel an cesset morte suspendentis, seu semper durare censeatur, donec tollatur ab habente iurisdictionem.

Qua in re difficultatem faciunt ea, quæ ad vtramque partem afferuntur à Glos. in cap. Ex literis Ver. In perpetuum de Cōstit. Nam quod aliud sit aliquem simpliciter suspendere, aliud in perpetuum, probari D potest, primò ex eodem cap. Ex literis, ibi, *Quæ tamen constitutum non fuit, vt in perpetuum huiusmodi priuatio perduraret, cum tam Iuris Canonici, quàm nostri moris existat, vt is, qui propter contumaciam communione priuatur cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat*, Ergo aliud est simpliciter excludere, & aliud in perpetuum excludere ex cap. Non oportet 2. in Glos. fin. 33. q. 4. Sicut à simili aliud est concedere Ecclesiam cum omni iure suo, aliud simpliciter concedere, vel contrahere societatem simpliciter, vel societatem omnium bonorum, capit. Pastoralis cum Glos. Ver. Temporaliter de Donat. Et aliud est dicere à munere, aliud ab omni munere, capit. Sunt nonnulli 1. q. 1. E contra quòd pœna simpliciter lata E perpetua censenda sit, persuaderi potest ex cap. 1, in fi. dist. 50. *Ne huiusmodi non stat ita, sed temporaliter delata credatur esse vindicta*. Vbi Glos. in Ver. Non statuta, cum enim tempus non est definitum, de quolibet tempore accipitur, capit. Eos 1. q. 1. l. si rem. Vers. quolibet tempore, ff. de Euictio. & tempus simpliciter positum ad futura tempora trahitur, & simpliciter intelligitur cap. Quia circa de Priuileg.

Glos. in dicto cap. Ex literis Ver. In perpetuum in fi. de Constit. Ad hanc dubitationem breuissimè respondet, & responsio in hoc consistit, quòd vbi pœna in-

imponitur propter crimen, intelligitur perpetua, secus si propter contumaciam, quæ deiumitur ex Innoc. in eod. cap. Ex literis; Vbi ait, quòd vbi pœna suspensionis pro delicto fertur, intelligitur perpetua, licet in sententia nihil dicatur de perpetuitate. At si pro contumacia pœna non censetur perpetua, sed quousque reus satisfaciat, pareat &c. & sic erit temporalis.

Clarius autem, & distinctius ita responderi potest; Si in suspensione nullum determinatur tempus, sed vocatur temporalis suspensio, Vt si Iudex dicat, Suspendo te ad tempus, & intelligitur durare ad decem annos, vt est textus notabilis in l. sine præfinito ff. De Pœn. Sic enim ibi habetur: *Sine præfinito tempore in metalium dato imperitia dantis, decennii tempora præfinita videntur.* Sed si pœna suspensionis inflicta fuerit simpliciter, tunc vel est imposita propter crimen, aut ob contumaciam. Primo modo si apposita fuit sine causæ cognitione, & sic intelligitur temporalis, & durat durante officio Iudicis, quia interlocutoria non censetur sufficiens, vt tam grauis pœna debeat infligi tam facile, tunc ergo tacita censetur inesse conditio à Iudice subintellecta, *Usque ad beneplacitum meum*, & ad summum durabit quamdiu Iudex in officio permanserit, nisi antea illam relaxauerit arg. l. fin. ff. de Pœn. Vbi si Iudex interdixit alicui artis suæ vsum, intelligitur interdixisse, quamdiu ipse officium Iudicis exercuerit. Idem notat Innoc. in cap. Quod translationem ff. De off. lega. Si verò imponitur suspensio ob crimen cum causæ cognitione, tunc si delictum dignum erit perpetua suspensione, & perpetua censenda est, sed in dubio iudicanda est temporalis arg. l. Hæc causa ff. De suspect. tu. In alio verò casu principali, quando suspensio fertur propter contumaciam sine temporis determinatione, sed simpliciter, & absolutè, semper durat etiam post mortem suspendentis, quousque tollatur ab habente potestatem. Itaque videtur deiumi ex cap. Ex literis De Constit. cum inquit: *Cum tam Iuris Canonici, quàm nostri moris existat, vt is, qui propter contumaciam communione priuatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat.* Confirmat Glos. Ver. In perpetuum in fi. Et ad hunc modum sentit Innoc. in cap. Cum bonæ de ætat. & qualit. in cap. Ad hæc 2. De appella. Abb. in cap. Ex literis num. 10. De Constit. Felin. ibidem num 34.

Quambrem talis suspensio simpliciter lata non habet terminum, & durat, quousque relaxetur à Iudice. Non habere terminum dico, quoniam terminus nullus colligitur ex verbis legis, aut sententiæ, cum sint absolute prolata, neque etiam ex causa, quia suppono causam dignam esse perpetua suspensione, ergo nihil est, quod talem suspensionem terminare possit. Et licèt Doctores loquantur de Suspensione lata per sententiam hominis, eadem tamen ratio est de illa, quæ imponitur à Iudice, quamuis rarò ita imponatur à lege.

Dicet aliquis, Quamuis lex, vel Iudex nullum assignet tempus; tamen sufficit, vt vtatur verbo suspensionis, nam Suspensio excludit perpetuitatem, aliàs enim non esset suspensio, sed esset Depositio, quæ perpetuitatem includit, Vnde Glos. in cap. Si quis Ver. Suspendatur 83. dist. Vbi imponitur simpliciter pœna suspensionis ab officio, loquit, Suspendatur, *idest, deponatur*, quia depositio est pœna perpetua, non autem suspensio.

Respondeo suspensionem absolutè latam dici perpetuam negatiuè, quia non circumscribitur aliquo certo temporis spacio, & includit virtute conditionem, donec per Superioris indulgentiam tollatur. Quare non excludit spem dispensationis, si Superior ita expedire iudicauerit; At depositio est perpetua positiuè, idcirco differt à suspensione.

Hoc in loco dubitari potest; An quando suspensio imponitur ab officio ob contumaciam, quia Clericus non vult parere, aut satisfacere, aut alio simili modo, nullo præfixo tempore, sed simpliciter, vt diximus, cum primum postea recedit à contumacia præstita obedientia, fit liber à suspensione, ita vt celebrare possit absque alia relaxatione suspensionis. Sed hanc quæstionem differam tractandam inferius, cum agam de Absolutione à Suspensione.

DISPVTATIO QVINTA.

DE SVSPENSIONE A BENEFICIO, ET EIVS EFFECTIBVS.



ICTVM est de Suspensione ab officio, quæ est prima species Suspensionis; modò tractandum restat de altera specie iuxta diuisionem Suspensionis, quam explicaui in prima Disputatione, & est Suspensio à beneficio, quæ potest ferri duobus modis, sicut dictum est de Suspensione ab officio, idest ab omni beneficio Ecclesiastico simpliciter, vel ab aliquo beneficio, aut parte beneficii, & de vtroque modo disserendū est, simul etiam de effectibus prouenientibus ab vtraque Suspensione.

Caput

Caput Quartum, De Effectibus Suspensionis partialis à beneficio.

Caput Quintum, An Suspensus à Beneficio simpliciter censendus sit priuatus fructibus beneficiorum in omni loco.

Caput Sextum, Quamdiu Suspensio à beneficio duret.

CAPVT I.

Quod intelligi debeat nomine Beneficii, quando Clericus suspenditur simpliciter à beneficio.

A

BEneficium Ecclesiasticum, quòd pertinet ad rem nostram, est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis prouenientes, Clerico ob diui- B num officium competens. Primò dicitur Ius percipiẽdi, quoniam tria considerari possunt in beneficio. Primò fructus siue prouentus, & redditus, qui percipiuntur; Secundò ius percipiendi dictos fructus; Tertiò officium diuinum, vel ministerium Ecclesiasticum, propter quod fructus percipiuntur. Ex his tribus beneficium non est fructus, siue prouentus, qui percipiuntur, nec est ipsum ministerium Ecclesiasticum. Restat, vt sit ius percipiendi fructus, qui fructus redduntur tanquam merces Ecclesiasticæ functionis, & laboris, & idcirco beneficium dicitur ius percipiendi fructus, quia prouentus annuus datur Clerico tanquam operæ, & laboris merces; Ergo penes Clericum est ius exigendi, & percipiendi stipendium ministerij sibi debi- C tum. Secundò dicitur ius perpetuum, quoniam beneficium non ad tempus certum, sed ad totam Clerici vitam conferri debet. Item beneficium obitu beneficiarij non extinguitur, & desinit, sed interim donec alteri conferatur, dicitur vacare possessore, & ideo iterum confertur in alterum; At Ecclesiastica pensio morte pensionarij finitur & cessat, non vacat. Vnde in cap. Sanctorum dist. 70. dicitur. *Et in qua Ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuò perseueret.* Idem colligitur ex cap. vni. De Capell. Monach. lib. 6. & Glos. in ca. Per exemptionem Ver. Curam habet De Priuileg. eod. lib. Tertiò dicitur ius percipiendi fructus. Nomine fructuum intelliguntur annui redditus, seu prouentus, quos percipit Clericus ex Ecclesiæ bonis, nimirũ D Agris, Prædijs, Primitijs, Decimis, oblationibus, & alijs rebus, ca. Quia Sacerdotes, c. Sanctorum, c. Hanc consuetudinem 10. q. 1. & ca. Conquerente de restit. spoliat. Quartò ex bonis Deo dicatis prouenientes, quia agri, prædia, domus, primitiæ, & decimæ, aliaque huiusmodi, ex quibus Clericus redditus colligit, sunt bona Deo dicata, & Ecclesiæ, nec in Clericorum dominium transeunt, sed Clericus eorum administrationem habet: Cuius obitu ad Ecclesiam redeunt. Nec potest Clericus arbitratu suo ea alienare. Quintò additur, Clerico, quo verbo explicatur quisnam sit beneficij Ecclesiastici capax, non est enim quilibet, sed Clericus, in quem tantummodo beneficium cadit, vt E saltem primam tonsuram habeat. Postremò dicitur ob diuinum officium competens: vt exprimatur labor, & opera, cuius stipendium, & merces est prouentus. Quo fit, vt si quis ex bonis Ecclesię prouentus, & redditus annuos colligat, non aliam ob causam, nisi tanquam alicuius temporalis profanique ministerij mercedem, nequaquam sit beneficiarius, nec dicatur beneficium habere. Nomine itaque beneficii id intelligitur, cui prędicta descriptio conuenire potest, quantum spectat ad hanc materiam suspensionis.

Ex multis autem beneficium Ecclesiasticũ dignosci A potest ex Abb. cons. 47. vol. 2. & Anchar. in ca. Beneficium de reg. iur. lib. 6. Primò ex eo, qui confert, Nempe si dari, & conferri consueuerit auctoritate Episcopi, vel alterius Ecclesiastici Pręlati. Quare in ca. Messanę de elect. dicitur: *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis electio præsumatur, quæ si fortè præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela*, & ca. Per laicos 16. q. 7. *Per laicos nullo modo quilibet Clericus, vel Presbyter obtineat Ecclesiam.* Secundò ex persona illius, cui confertur, si dari non soleat, nisi Clerico, nam ex cap. Literis de transact. cap. in Ecclesia de Instit. & cap. Cum adeò de rescript. Beneficia non nisi in Clericos conferuntur. Tertiò ex onere, iure, & B facultate, quam habet is, cui datur beneficium, quoniam omne beneficium Ecclesiasticum propter officium datur, c. Quia per ambitiosam de rescript. lib. 6. Quarto quando non ad tempus, sed in perpetuum datur, idest ad vitam eius, cui conceditur. Nam beneficium Ecclesiasticum in perpetuum confertur, ca. Sanctorum 70. dist. vbi ita dicitur: *In qua Ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuò perseueret*

Cum plura autẽ sint genera beneficiorum, a quocumque potest quis suspendi. De diuisione beneficiorum agit Io. Selua in Tract. De Benef. par. 1. q. 2. Rebuff. in Praxi benef. in cap. Quotuplex sit beneficium. Et pręsertim potest quis suspendi à beneficio, siue sit simplex, siue cum administratione, Glos. in cap. Prę- C senti de off. ordi. lib. 6. Simplex est id, quod non est aliqua iuris qualitate affectum: Vnde non habet populum, nec Clerum, nec administrationem. Non simplex vero, quod habet aliquam iuris specialem qualitatẽ, idest administrationem, Clerum, seu populum. Porrò qualitates beneficiorum sunt, Dignitas, gubernatio Parochiæ, Cura animarum, iurisdictio in Clericos, administratio rerum Ecclesiasticarum, gradus honorificus in Choro, siue Collegio Clericorum.

Sed quæret aliquis, Primò, An patrimonium, ratione cuius aliquis est sacros Ordines electus, sit beneficium Ecclesiasticum, & ex consequenti, an si talis suspendatur à beneficio, intelligatur suspensus ab huiusmodi patrimonio.

D Goffred. in Summa in tit. De Præben. num. 14. videtur asserere tale patrimonium posse vocari beneficiũ; Inquit enim eum, qui nomine, & iure patrimonij est ordinatus, non posse petere beneficium, quasi iam habeat vnum beneficium ad vitam sustentandam sufficiens. Verum probabilius est cum Abb. in cap. Tuis num. 6. De Præb. asserere non esse beneficium, quia nec obitu Clerici vacat, nec auctoritate Episcopi in beneficium transiuit, quia ad hæredes transfertur: Vnde ex tali patrimonio Clericus decimam annuam iure soluere debet, vt notat Glos. & Abb. in dicto cap. Tuis de præben. Res enim cum suo onere, & seruitute permanet, idcirco suspensus à beneficio non intelligitur suspensus ab huiusmodi patrimonio.

E Secundò quæret quis; An pensio Ecclesiastica sit verè, & propriè beneficium, ita quidem vt suspensus à beneficio, intelligatur suspensus etiam à pensione, quam habet.

Sciendum est nomine pensionis Ecclesiasticæ Ius Canonicum, vel stylum Romanæ Curiæ, intelligere certam partem fructuum, quæ ex beneficio Ecclesiastico datur alicui ad vitam eius commodè sustentandam, Anchar. Imol. Card. in Clement. 1. §. Eadem De supplen. neglig. Prælat. Abb. & Felin. in cap. Ad audientiam 2. de rescript.

Hoc

Hoc præmisso, quod spectat ad quæstionem propositam, varijs modis respondent Doctores; Quidam negant pensionem esse beneficium ob eam rationem, quia Pensionarius non habet ius, sed tantum certos quotannis ex beneficio fructus, sed alijs hæc ratio non satisfacit, quia pensio Ecclesiastica non solum est annuus fructus, qui percipitur, sed etiam est ius per se separatum a beneficio percipiendi, & exigendi fructus; & ideo ad idem probandum vtuntur alia ratione, negant enim annuam pensionem esse beneficium, quoniam non solum Clerico, sed etiam laico confertur. Sed hæc quoque ratio non concludit, quoniam quædam pensiones dari solent Clericis duntaxat, & has dicunt aliqui habere rationem beneficij, quòd non nisi Romani Pontificis auctoritate concedantur, nec alijs, quàm Clericis, nec ob aliud, nisi quia Clerici sunt, nec possint conferri intercedente pacto, conuentione, vel conditione vlla, ita sentit And. Barbat. in ca. Ad audientiam 2. de rescript.

Communis tamen sentẽtia Doctorum est annuam pensionem Ecclesiasticum beneficiũ non esse, sic Abb. & Felin. in eod. capit. Ad audientiam, Io. Selua De benef. par. 1. q. 3. num. 10. Et probat pluribus Gomez de Regul. Cancell. Reg. de infirmis q. 16. & Mando. in ead. reg. q. 11. Idque colligitur ex ca. Quamuis de præben. lib. 6. ibi, *Ei non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis tantum volumus prouidere.* Accedit, quòd beneficium vacare dicitur obitu Beneficiarii, quia est perpetuum, & in eo alius Clericus succedit, sed pensio mortuo pensionario non vacat, sed velut vsus fructus obitu fructuarii extinguitur, nec in ea alius Clericus succedit. Præterea annua pensio non datur ob ministerium sacrum, quo pensionarius inseruiat Ecclesiæ, nec vt laboris, & operæ stipendium & merces, sed vt alimentum, & subsidium vitæ. Ita sentiunt Archid. Io. And. Gemin. Franc. Anchar. in dicto cap. Quamuis 1. de Præben. lib. 6. Et quamuis multa, quæ de beneficiis iura constituunt in pensionibus locum habeant, non tamen ideo pensio dici debet beneficium, quia ea in pensionibus locum habent, quoniam Summus Pontifex expressim voluit, vt ad pensiones traherentur. Hanc sententiam puto veriorem, cui ego adhæreo, quam sequitur Hierony. Gigas in tract. De Pension. q. 28. & pluribus probat, & ad obiectiones contrarias respondet; Et præcipuum fundamentum est, quia beneficium datur in titulum, & dicit ius spirituale, non autem pensio, quæ cõsistit in quadam temporalitate. Quare pensio, propriè loquendo, non est beneficium, sed si accipiatur beneficium in latiori significatione, vt significat beneuolam actionem, ex qua gaudium percipit, qui illud consequitur, non est absurdum pensionem vocare beneficium, vt notat Abb. in dicto cap. Ad audientiam 2. in 2. Notan. de rescript.

Iuxta hanc communem opinionem coħærenter dicendum erit ad difficultatem propositam suspensum simpliciter à beneficio non esse suspensum à pensione, quia appellatione beneficii non comprehenditur pensio, vt tenet etiam Felin. in eod. cap. Ad audientiam, præsertim in odiosis, & pœnalibus, vt in materia, de qua agimus, secus fortasse in materia fauorabili, in qua fieret extensio ex lata significatione vocabuli, vt notat Hier. Gig. in ead. q. 28. num. 18. Tunc enim nomine beneficii intelligeretur, pensio est enim latè beneficium, sumendo beneficium pro beneuola actione, quæ gaudium tribuit capienti.

CAPVT II.

De Effectibus Suspensionis à Beneficio simpliciter.

Cum suspensio a beneficio possit dupliciter ferri, nempe simpliciter, & absolutè, vel secundum quid & ex parte, sicut de suspensione ab officio dictum est; In hoc Capite pertractabimus de prima specie Suspensionis a beneficio, idest de illa, quæ simpliciter fertur.

Itaque effectus suspensionis a beneficio simpliciter latæ est impedire beneficiarium possessorem beneficii, ne vti possit iure sibi competente ex titulo beneficii percipiendi fructus Ecclesiasticos, in quo ratio beneficii consistit.

Hæc conclusio probatur primò ex communi sententia Doctorum, Abb. in cap. Cum bonæ num. 6. vers. Dicit etiam Glos. de æta. & quali. Vbi interpretatur verba Glos. cum ait suspensionem priuare potestate percipiendi beneficia, & Abb. inquit, *Idest redditus Beneficiorum*, & loquitur de suspensione a beneficio, vt ibidem declarat Vers. Vbi dic prædicta &c. Anchar. in cap. Cupientes §. Cæterum num. 1. Gemin. nume. 3. de Elect. lib. 6. Sylue. Ver. Suspensio §. 5. vers. Si verò sit a beneficio, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 160. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 42. Vers. Quarta suspensus &c. & in cap. 45. vers. Quintus effectus, Vnde Glos. in cap. Cum Vintoniensis Ver. Admiserant in fi. de elect. tenet suspensionem a beneficio extendi solum ad fructus beneficiorum, Idem sentit Abb. ibi num. 10. Vers. Tertiò nota.

Secundò probatur, quoniam cum Ius Canonicum tractat de suspensione, beneficium distinguit ab officio; Ideo, vt vidimus diuersa est suspensio ab officio a suspensione a beneficio. Sed si suspensio a beneficio impediret vsum officii, tunc hæc suspensio haberet vtrũque effectum, ideo hæ duæ species non essent distinctę. Oppositum autem probatum est in prima Disputatione.

Tertiò officium, & beneficium sunt inter se distincta, non solum si generaliter sumantur, sed etiam vt coniunguntur in Præbenda Ecclesiastica, in qua vltra fructus, & prouentus considerari potest ministerium aliquod spirituale, & officium, propter quod datur Præbenda, vt patet ex cap. fin. de rescript. lib. 6. Ergo ex his duobus, quæ in beneficio connectuntur, Beneficium propriè non est, nisi ius percipiẽdi fructus, quod ex officio nascitur, seu confertur propter officium. Vnde Conc. Trident. sess. 21. cap. 3. De reform. inquit beneficia esse instituta ad diuinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda, sicque distinguit beneficia ab Ecclesiasticis muneribus, quæ nomine officii significantur; Igitur cum quis suspenditur à beneficio, impeditur, ne vti possit iure, quod habet percipiendi fructus, vt probaui etiam lib. 2. Disp. 6. Cap. 9.

Quarto suspensus a beneficio, si pertinax sit non parendo superiori, solet priuari beneficio, vt habetur in cap. Cupientes, Vers. Cæterum si eligentes &c. De elect. lib. 6. Vbi suspensus ad triennium ab omnibus beneficiis, si durante dicto tempore, ad ea se ingesserit, declaratur illis priuatus ipso iure, & in cap. Sicut de Cohab. Cleri. & Mulie. vbi contra Innoc. id notat Abb. num. 4. Si ergo per suspensionem a beneficio non priuatur quis beneficio, igitur dicendum est remanere tantum priuatum fructibus.

Ex his sequitur primo suspensionem a beneficio, siue

siue addita dictione taxatiua *Tantùm*, siue simpliciter & absolutè non includere suspensionem ab officio, neque impedire actus ratione officii competêtes. Quod expresè docuit Glos. in cap. Cùm Vintoniensis Ver. Administrane prope fi. de Elect. dicens suspensionem ab officio non repellere suspensum ab electione, nec à diuinis officiis, sed omnia negocia tam spiritualia, quàm temporalia posse exercere, vbi Abb. num. 10. idem probat, & Glos. in cap. Cupientes, §. Cæterùm Ver. Beneficiis eod. tit lib 6. Vbi Anchar. numero 1. Vers. Item nota in Ver. omnibus &c. Franc. num. 4. Et confirmari potest ratione, quoniam sicut suspensio ab officio, quia expresè determinatur ad officium non extenditur ad beneficium, ita quoque è contra suspensio à beneficio non impedit vsum officii, quia censura non operatur effectus, quos verba legis aut sententiæ non comprehendant, vt dixi superios.

Sed obijciet quis ex definitione suspensionis, quam tradidi in cap. 1. Disp. 1. quæ est censura impediens, ne Minister Ecclesiæ exerceat functiones Ecclesiasticas, sed si suspensio à beneficio priuat solùm iure percipiendi fructus, ergo non erit censura, quia non impedit Ecclesiasticam functionem; Nam percipere fructus beneficij non est functio Ecclesiastica, sed stipendium illius. Sed iam firmatum est suspensionem à beneficio Ecclesiastico esse censuram: Igitur necesse est effectum huius suspensionis esse non tantùm impedire beneficiarium, ne possit percipere fructus beneficij, sed etiam ne valeat exercere functiones spirituales sibi competentes ratione officii.

Respondeo nomine functionum Ecclesiasticarum in definitione suspensionis latè intelligi vsum cuiuscunque iuris Ecclesiastici, sicque uspensio à beneficio renera impedit vsum iuris percipiendi fructus ex beneficio, quod potestas Ecclesiastica, & spiritualis dici potest.

Secundò sequitur ex dictis suspensionem à beneficio non collere, neque impedire obligationem officii annexam beneficio. Quare suspensus à beneficio in Ecclesia, in qua beneficium habet, non solùm diuina officia facere poterit, & alia, quæ ad officium Ecclesiasticum pertinent, sed etiam ex obligatione tenetur, eò magis, si beneficium curam animarum habeat annexam. Idque ob eam rationem: Nam obligatio obeundi functiones illas Ecclesiasticas coniuncta est cum ipso beneficio intrinsecè, & ratione illius obligationis, seu muneris beneficium reddit Ministro Ecclesiastico sufficientem sustentationem, & stipendium.

Quòd si sospensus non percipiat tales fructus, ex eius delicto, & culpa prouenit, & in pœnam priuatur fructibus, & ideo non remanet solutus, ac liber ab onere, & obligatione, secus enim ex crimine reportaret commodum contra l. Relegatorum in fi. ff. de Interdi. & Relig. Vbi expresè ita dicitur, *Neque enim immunitatem pœna tribuere debet*. Confirmatur, quoniam ex hac immunitate oritur damnum, & incommodum illorum, qui dotarunt Ecclesias, vt functiones illæ spirituales celebrarentur, quibus absque vlla culpa fraudarentur. Confirmatur secundo suspensio est censura Ecclesiastica, At censuræ imponunt onus, non auferunt, sunt enim pœnæ omnium grauissimæ, leuis autem pœna esset, si tollendo emolumentum temporale, remitteret etiam onus.

Ita sentit Glos. in capit. Cum Vuintoniensis Ver. Admiserant in fi. de Elect. Abb. ibi num. 10. & in cap. Apostolicæ num. 8. de Excepe. Glos. in capit. Latores Ver. Ab officio de Cleri. excom. Mini. & in cap. Cu-
A pientes in fi. Vers. Cæterum si eligentes &c. Ver. Beneficiis de Elect. lib. 6. & ibi Anchar. nu. 1. Vers. Item nota in Ver. omnibus &c. Gemin. nu. 3. Franc. nu. 4. Innoc. in c. Nisi cum pridem in princ. de Renunciat. Specul. in Tit. de Dispensat. §. Iuxta Vers. Item nota quòd suspensus, Sylue. Suspensio, §. 5. Vers. Si verò sit à beneficio &c. Maiol. lib. 3. de Irregular. c. 19. n. 14. Vers. è contra suspensus à beneficio, vbi inquit talem suspensionem extendi ad sola emolumenta beneficii, quæ merè temporalia sunt: Tandem est communis sententię Doctorum, omnes enim affirmant tanquam certum, & clarum suspensum à beneficio non censeri suspensum ab officio, sed magis ambiguum putant; An è contra suspensus ab officio sit suspensus à beneficio, cùm beneficium videatur dependens, & conse-
B quens ex officio, sed de hac quæstione pertractaui in Disp. secunda.

Quamobrem suspensus à beneficio, vt inquit Glos. in cap. Cum Vnintoniensis Ver. Admiserant in fi. de Elect. Non impeditur, ne eligere possit, quoniam talis suspensio non repellit ab electione, nec à diuinis officijs, & tandem sic suspensus omnia negocia tam spiritualia, quàm temporalia pro beneficio exercere potest. Abb. in cap. Apostolicæ num. 8. de Except. Oldrad. cons. 286. & probatur in cap. Cum in cunctis, §. fin. iuncto cap. Cum Vuintoniensis de Elect. quia ius eligendi est annexum ordini, seu officio, à quo non est suspensus. Eligi tamen non potest in illa Ecclesia, vbi
C est suspensus, vt notat Abb. in dicto cap. Apostolicæ, & facit cap. Per inquisitionem de Elect. & Glos. in cap. Cupientes, §. Cæterum Ver. Beneficiis de Elect. lib. sexto.

Sed contra obiici potest. Primò beneficium datur propter officium cap. fin. de Rescript. lib. 6. cap. Cum secundùm Apostolum de Praben. Extra, ergo nemo videtur ad officium obligatus, nisi qui beneficii emolumenta lucratur. Quare qui per suspensionem fructibus beneficii priuatur, durante priuatione non erit ad officium obstrictus, quod exemplo comprobari potest, si beneficium Ecclesiasticum exigatur cum onere celebrandi sacrum quotidie, assignato decenti, ac honesto emolumento pro hac obligatione, & tempo-
D ris decursu, bona illa, ex quibus tales redditus colligebantur, pereant, vel reddantur ineptæ ad fructum, vtique cessabit obligatio celebrandi Missas, eadem videtur ratio, si quis priuetur fructibus per suspensionem; Cùm enim beneficii commodum non percipiat, nec officii incommodum sentire debet, cap. Qdi sentit de Reg. Iur. lib. 6.

Respondeo, quòd licèt detur beneficium propter officium, tamen ab culpam beneficiarius potest priuari fructibus beneficii remanête obligatione seruandi onera beneficio annexa, quemadmodum enim Clericus postquam lucratus est fructus beneficii expletis functionibus, quas debebat, potest à Prælato in pœnam criminis commissi illis priuari: Ita potest puni-
E ri, ne illos percipere valeat, antequam ius habeat ad illos. Nec est absurdum vbi quis sua culpa se indignum reddidit commodo, vt sentiat incommodum, etiamsi priuatus sit commodo. Hanc enim exceptionem ponit ad dictam Regulam Glos. in fi. in l. Secundùm naturam de Reg. Iur. Neque exemplum, quod affertur, est simile, quando res spectantes ad beneficium fiunt steriles, & sine fructu, nulla enim in hoc casu intercedit culpa Beneficiarii, si ita res infructuosæ reddantur temporis iniuria, vt supponitur, secus eadem ratio esset, sicut in casu suspensionis.

At

At dices, si responsio hæc vera est, sequitur suspensionem à beneficio grauiorem, & duriorem esse pœnam, quàm suspensionem ab officio, & beneficio simul, quia per priorem aufertur commodum remanente onere, per posteriorem sublato commodo tollitur onus. A

Respondeo obligationem officium Ecclesiasticum, & spirituale exercendi non solum esse onus, sed simul etiam honorem, & dignitatem; Si enim consideretur labor, & opera, dici potest onus, tamen si attendatur potestas celebrandi, & exercendi tale ministerium, est dignitas. Per suspensionem autem ab officio non obligatio tantum, sed potestas etiam impeditur; Vnde ex hoc capite valde augetur illa pœna.

Accedit per suspensionem ab officio non eximi omninò quempiam ab obligatione, qua tenetur ratione beneficij, nam remanet obligatus ad horas Canonicas persoluendas, nec non tenetur procurare, vt munus suum, quod explere non potest suspensionis censura impeditus, per alium suppleatur, maximè si beneficium sit curatum, & tali substituto stipendium ca fructibus beneficij persoluatur. B

Et licèt hæc diligentia subrogandi Ministrum Ecclesiæ, qui gerat vices suspensi, nō pertineat ad ipsum suspensum, vbi suspensio lata est per sententiam, quia Episcopus, qui suspendit, solet consulere indigentijs Ecclesiæ. In suspensionibus verò à Iure latis, vt plurimum hæc sollicitudo, & cura inest ipsi Beneficiario suspenso, ad quam tenetur ratione beneficij, quod retinet, quia ob eius culpam Ecclesia detrimentum aliquod pati non debet. C

Postulabis; An Beneficiarius suspensus à beneficio satisfaciat suæ obligationi, si alium substituat, qui in Ecclesia sua munus pro ipso persoluat cum decenti stipendio, vel potius teneatur per se ipsum subire munus debitum ratione beneficij.

Respondet Glosa in cap. Cupientes Vers. Cæterum si eligentes Ver. Beneficijs de elect. lib. 6. huiusmodi suspensus debere per se ipsos inseruire Ecclesię, nisi aliud videatur Episcopo, & Superiori magis expediens, & decens, maximè si beneficium curam habeat animarum annexam, nisi iusto excusetur impedimēto; Nam cum ipse per se ipsum inseruire debeat, non est, cur cōmodum ex delicto reportet; & Ecclesia suo proprio Pastore, & ministro priuetur. Quòd si munus suum exercere recuset, compellendus est à Superiore etiam sub pœna priuationis beneficij argum. cap. Inter quatuor De Cleric. non residen. & cap. Peruenit 2. de Appellat. D

Secundò obijci potest; An præter fructus temporales beneficij, quibus priuatur suspensus, sint aliæ actiones, vel iura, a quibus prohibeatur virtute suspensionis.

Respondeo præter fructus virtute suspensionis denegari suspenso ea omnia, quæ diriguntur, & ordinantur ad fructus percipiendos, vt locare bona spectantia ad beneficia, vendere fructus collectos ex possessionibus, Tandem tota temporalis administratio, vt patet ex cap. 1. §. vlt. de elect. lib. 6. ibi, *Ad quæ*, idest beneficia, *si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit eis ipso iure perpetuò sit priuatus &c.* Et probari potest ex regula, quæ colligitur ex cap. Si celebrat de Cleri. Excom. Mini. quòd cui aliquid prohibetur, videntur etiam omnia illa interdici, quæ ordinantur per se ad id, quod prohibitum fuit, sicut dicitur in dicto tex. De Excommunicato minori excommunicatione, cuius electio est irritanda, quia eligitur ad susceptionem Sa- E

cramentorum, quorum susceptio a Sacris Canonibus ei est interdicta; Similiter ergo suspensus à perceptione fructuum, priuatus etiam erit ab administratione temporali, quæ ad fructuum perceptionem ordinatur. Ita sentiunt Innoc. & Abb. in cap. Ex tuæ num. 7. De Cleri. non resid. Idem Abb. in ca. Pastoralis §. Verum num. 18. de Appell. in cap. Cum bonæ num. 6. de æta. & quali. cap. Apostolicæ nu. 4. & 5. De except. Vbi Glos. Ver. Contingeret retardari, Felin. in cap. Intelleximus num. 21. de Iudi.

Dicet aliquis; Suspensus a beneficiis potest agere omnia negocia tam spiritualia, quàm temporalia, sicut probatum est superius ex Glos. in ca. Cum Vuintoniensis Ver. Admiserant in fin. De elect. quomodo igitur verum est non posse agere pro Ecclesia.

Respondet Abb. in cap. Apostolicæ nume. 8. de except. Suspensum a beneficio posse agere omnia tam spiritualia, quàm temporalia præter negocia spectantia ad beneficium, a quo quis est suspensus, & cum hac limitatione intelligendam esse Glos. in dicto ca. Cum Vuintoniensis aliàs directè aduersaretur alteri Glos. in cit. cap. Apostolicæ; Neque enim suspensus agere potest pro beneficio, si ab illo est suspensus. Vnde Innoc. in dicto cap. Apostolicæ in princ. notat illos suspensos, de quibus in eo tex. agitur, quia per suspensionē amoti erant a beneficiis, non potuisse durante suspensione communibus negociis Ecclesiæ interesse, & id dicit esse notatu dignum, & Abb. in ca. Pastoralis §. Verum num. 18. de Appell. inquit Suspensum a beneficio non debere se ingerere eius administrationi, ca. 1. de elect. lib. 6. Nec posse contrahere nomine beneficii, vt notat idem Abb. in cap. Cum Vuintoniensis nu. 10. vers. Circa quod dubito de elect. arg. cap. Veritatis de dolo, & contum.

Et ratio quamobrem suspensus a Beneficio possit agere alia omnia negocia, est, quia Suspenso, sicut & Interdicto non est prohibita hominum communio, sicut interdicta est Excommunicato, vt notat Felin. in dicto ca. Intelleximus nu. 21. de Iudi. Abb. in ca. Apostolicæ nu. 5. de excepe.

Sed quoad beneficium, a quo quis est suspensus, interdicitur omnis administratio temporalis, vt si suspensus de facto illam audeat vsurpare, inualidi sint contractus, & omnia, quæ sic gesta sunt in præiudiciū Ecclesiæ. Vnde si quis debet aliquid Ecclesiæ, & debitum Beneficiario suspenso a beneficio persoluerit, non eximitur ab obligatione, sed creditum repeti poterit nomine Ecclesiæ, quia solutio facta est ei, qui potestate carebat administrandi bona Ecclesiæ, si suspensio nota, & manifesta erat; Et post Extrauag. Ad euitanda, necesse est, vt sit nominatim suspensus, & denunciatus, aliàs non esset necessariò vitandus, &, quę cum ipso agerentur, non essent inualida, quamuis suspensus agendo illa non careret culpa.

Addit Anchar. in ca. Cupientes §. Cęterum num. 1. Vers. Item nota in Ver. Ad quę &c. de elect. libro 6. Quòd si suspensus a beneficio se immiscet eius administrationi, perpetuò est priuatus, & sic suspensio temporalis efficitur perpetua propter culpam. Nec poterit Episcopus illud beneficium conferre sic priuato, vt notat Glos. in eod. ca. Cupientes §. Cęterum Ver. Perpetuò.

Petet aliquis, An Episcopus ab Episcopatu suspensus valeat beneficia conferre. Ratio dubitandi est, quoniam conferre beneficia inter fructus Episcopatus enumerantur a Glos. in capit. Cum olim Ver. Capitulo in fin. Da Maio. & Obedien. E contra verò

videtur

videtur actus officij, & iurisdictionis, vt inquit Glos. in cap. Transmissam Ver. De talibus de elect.

Aliqui respondent suspensionem non priuare facultate conferendi beneficia, quia collatio beneficiorum non reponitur inter fructus precio æstimabiles, quibus priuatur suspensus virtute supensionis. Sed hæc responsio non placet, quia cum suspensio feratur simpliciter, à beneficio intelligenda est de omnibus fructibus, & nulla ratio est, vt coarctetur ad fructus precio æstimabiles, potiusquàm ad alios, dummodo sub genere fructuum contineantur. Deinde sicut suspensus non potest permutare fructus beneficij, & tamen permutatio non est precio æstimabilis, ita quoque dicendum est, neq; conferre posse beneficium, etiam si collatio non sit æstimabilis, videtur enim eadem ratio.

Quare potius videtur respondendum Conferre beneficia non propriè pertinere ad fructus Episcopatus, sed ad officium Episcopi; est enim quidam actus muneris Episcopalis, sicut conferre Sacramenta est actus officij Parochialis, sed quia aliqua ratione ille actus est vtilis Episcopo, & commodum illi affert; idcirco vulgò dicitur pertinere ad fructus Episcopatus.

Rursus petere posset aliquis; An præter fructus beneficij, & eiusdem beneficij administrationem temporalem priuetur suspensus simpliciter à beneficio, facultate eligendi. Pro parte affirmatiua citatur cap. Cum dilectus de Consuet. Vbi Papa ita statuit: *Quia nobis constitit Electionem ipsam à suspensis, & de suspēso etiam celebratam eam iustitia cassauimus exigente*. Vbi Glos. Ver. A suspensis, probat suspensum nec eligere, nec eligi posse, & ad hoc affert plures Iuris auctoritates, Idem tenet Glos. in cap. Cum bonæ Ver. Suspensi de æta. & quali.

Respondeo suspensum à beneficio non priuari potestate eligendi, & ideo etiam durante suspensione eligere posse, quia eligere non est actus per se, & formaliter beneficij, sed est actus officii spiritualis, cui annexum est illud beneficium; Vnde sicut per suspensionem à beneficio non impeditur suspensus ab officio quoad alios actus; Ita neque quoad actum eligendi, quod probatur ex cap. Cum in cunctis §. vlt. de elect. Vbi Clerici eligentes indignum contra formam ibi præscriptam, eligendi potestate priuantur, & à beneficiis Ecclesiasticis triennio suspenduntur; Vnde desumitur argumentum ad probandum sub sententia suspensionis à beneficio non includi priuationem eligendi, & hoc eodem argumento vtitur Glos. ad idem probandum in cap. Cupientes §. Cæterum Ver. Beneficii De elect. lib. 6. Abb. in cap. Cum Vuintoniensis nume. 10. de elect. lib. 6. & in cap. Cum dilectus nume. 20. Vers. Quandoque quis suspenditur à beneficio &c. De consuet. Et Glosæ, quæ citatæ sunt in contrariam partem in cap. Cum dilectus de consuet. & in cap. Cum bonæ de æta. & qualit. non loquuntur in specie de suspensione à beneficio, sed simpliciter de suspensis; Quare intelligi possunt de suspensis ab officio.

Sed obiicere posset quis, non concludere argumentum factum ad probandum, suspenso à beneficio non esse prohibitum durante suspensione eligere, quoniam ex cap. Quisquis de elect. ex Concil. Lateranen. sub Innocentio Tertio sic habetur: *Qui verò electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officijs, & beneficijs penitus suspendantur eligendi tunc potestate priuati*. Ex quibus verbis sequeretur, si argumentum illud probaret; In suspensione ab officio non includi suspensionem

A potestatis eligendi, quod est falsum.

Ad hanc auctoritatem ita respondendum videtur, nimirum ibi duas suspensiones imponi, Alteram ab officio, & beneficio, quæ non est sententia lata, nec ipso facto incurritur, sed est imponenda a Iudice; vt patet ex illo verbo, *Suspendantur*, Alteram ab eligendo saltem pro illa vice, quæ est sententia lata, & incurritur ipso facto, & idcirco dicitur; *Eligendi tunc potestate priuati*, scilicet, *sunt*, & non vtitur verbo futuri temporis, *Priuentur*. Quamobrem opus fuit, vt Summus Pontifex distinctis verbis vtramque suspensionem exprimeret, quoniam non eodem modo vtraque ferebatur; At in cap. Cum in cunctis de elect. similiter ex Conc. Lateranensi sub Alexandro Tertio vtraque Su-
B spensio ipso facto imponitur, & tamen suspensio a beneficio distinctis verbis replicatur ab illa suspensione, quæ continet priuationem potestatis eligendi; Ideo valet argumentum, quo vtebar ad probandum suspensionem a beneficio non includere priuationem potestatis eligendi.

Tertiò dubitari potest, cui applicari debeant fructus beneficii, a quo quis suspensus declaratus fuerit.

Respondendum est præmissa distinctione fructuum Ecclesiasticorum, qui in duplici sunt genere; Si enim loquimur de distributionibus quotidianis, quæ ex residentia, & seruitio personali acquiruntur, dicendum est huiusmodi distributiones, quas lucratus fuisset su-
C spensus, accrescere aliis deseruientibus eiusdem Collegii, Glos. in Clem. 2. Ver. Pars dimidia De æta. & qualit. Glos. in Clem. 2. Ver. Suspensus de vi. & honest. Cleri. & Doctores communiter. Si verò tractatur de aliis fructibus, cuiuscunque generis sint, tunc ex huiusmodi fructibus ante omnia debet detrahi portio quædam sufficiens pro substituto, qui in Ecclesia inseruiat, & subeat omnes functiones debitas, quas teneretur explere ipse suspensus, vt nullum detrimentum patiatur Ecclesia, neque diminutionem aliquam sustineat in celebratione cultus diuini, & id curare munus est ipsius suspensi; Et quod residuum est in vsum, & vtilitatem eiusdem Ecclesiæ est conuertendum, & ita sentiunt Abb. in cap. penult. nu. 5. de Cleri.
D non resid. Felin. in cap. Apostolicæ numero 13. De except. Dec. in cap. Pastoralis §. Verum numero 9. De Appella. Glos. in Clem. 2. Ver. Suspensus de vi. & honesta Cleric. Card. in Clement. 2. numero sexto, Vers. Decimò quæro de vi. & honest. Cleric. cum aliis pluribus, quos citaui Lib. 2. Disputat. 6. Capit. 8. & 9. Vbi copiosè egi de hac amissione fructuum ratione excommunicationis. Et eadem ratio est de Suspensione, & Interdicto, vt ibi probaui ex communi sententia Doctorum.

CAPVT III.

E

Quibus beneficijs priuatus sit suspensus à beneficio simpliciter.

HActenus statutum est intrinsecam rationem suspensionis a beneficio consistere in priuatione iuris percipiendi fructus temporales beneficii; Verum quia contingit sæpe, vt quis pluribus sit ditatus beneficiis, meritò quæri potest, si absolutè suspendatur a beneficio, an ab vno solum beneficio, aut ab omnibus, vel pluribus, & a quibus suspensus censeri debeat.

Quamobrem controuersia hæc locum habere po-

test, vbi quis plura possidet beneficia, si enim vnum tantum habeat, clarum est ab eo suspensum intelligi debere, si à beneficio suspendatur.

Huic difficultati respõdent communiter Doctores suspensionem à beneficio simpliciter, inferre priuationem fructuum omnium beneficiorum, quæ à suspenso possidentur, nisi causa, propter quam suspenditur, sit specialis determinans suspensionem ad certum aliquod & determinatum beneficium.

Prior pars conclusionis probari potest; primo argumento à simili, suspensio ab officio simpliciter lata intelligitur de omni officio, vt superiori disputatione probaui, eodem modo suspensio lata ab omni ordine ad omnes ordines extenditur, similiter si sit a iurisdictione, de omni iurisdictione est intelligenda ergo pariter suspensio à beneficio simpliciter de omni beneficio est accipienda.

Confirmatur, terminus indefinitus æquipollet vniuersali, si eadem militat ratio sub omnibus, quæ sub indefinita oratione comprehenduntur, vt inquit Bar. in l. si pluribus num. 6. ff. de leg. 2. ergo suspensio à beneficio absolutè, & indefinitè æquiualet suspensioni, quæ terminis, & verbis vniuersalibus concepta fuerit, veluti si Superior diceret; suspendo te ab omni beneficio.

Confirmatur secundo, in suspensione simpliciter prolata à beneficio nulla assignari ratio potest, quãobrem suspensus, fructibus vnius beneficij, magis quã aliorum carere debeat, si plura teneat beneficia, igitur ab omnibus erit æquè suspensus, nam cùm dicitur aliquis suspensus à beneficio, perinde est, ac si diceret, non posse fructus beneficij percipere, ergo illa negatio distribuit terminum beneficij, ac si dictum esset, nullius beneficij fructus recipiat.

Sed contra objicitur, beneficium est nomen singulare, dictio autem singularis propriè vnum tantum, non plura complectitur, maximè si assumatur in tractatione de pœnis sicut modò agimus. Confirmatur, quoniam in iure reperimus aliquando latam suspensionem à beneficio, interdum à beneficijs, vt in Clemen. 2. de Vi. & Honest. Cleri. ibi, *A perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet, sit eo ipso suspensus*, sed sermo pluraliter conceptus plura comprehendit, quàm si sit singularis, ergo quamuis admitteremus suspensionem à beneficijs indefinitè prolatam comprehendere priuationem fructuum omnium beneficiorum, quæ possiderentur à beneficiarijs, vt tenet Glos. in dicta Clement. 2. Ver. Beneficiorum de Vi. & honest. Cleri. Tamen diuersa ratio esse videtur, si singulariter à beneficio, quis suspendatur, nam hæc suspensio ad vnum tantum beneficium restringi debet.

Respondeo Beneficium, nomen esse singulare, si consideretur vocabulum, quod iuxta regulas Grammaticę pluraliter concipi potest, sed accipiendo rem, quæ nomine beneficij significatur, non est quid singulare, sed indefinitum, quod dici potest de quolibet beneficio, neque magis de vno, quàm de altero, sicut hæc vox *Homo* de quocunque singulari homine prædicatur. Ad confirmationem dicendum est, quoties in Iure reperitur suspensio à beneficio simpliciter, semper ex alijs verbis adiunctis manifestè dignosci posse, de quo beneficio sit sermo, vnde nunquam remanet res ambigua. Et idem seruandum est in sententijs, quæ feruntur à Iudice. Sed supponentes ferri suspensionem à Iure, vel ab Homine simpliciter à beneficio, quæ neque ex verbis, neque ex an-

A tecedentibus, aut consequentibus recipiat determinationem, talis suspensio intelligenda est, vniuersaliter ab omni beneficio, quod possidetur à suspenso, quia dictio indefinita habet vim vniuersalis, vt dixi.

Dices id verum esse in fauorabilibus, non in pœnis, quæ restringendæ sunt argum. l. 2. ff. de lib. & post. Reg. In pœnis de Reg. Iur. libro 6. Accedit, quod in Ambiguis minimum est accipiendum, l. In ambiguo ff. de reb. dub. & l. Duo sunt Titij ff. de Testam. Tutela, & Reg. In obscuris de Reg. Iur. lib. 6. Vbi habetur, in obscuris minimum esse sequendum, ergo suspensio à beneficio iuxta hanc regulam intelligenda erit de vnico beneficio, & de minimo, si plura B retineat suspensus.

Respondeo hanc rationem, si quid concludit, solum locum habere, quando propositio verè habet sensum indefinitum, vel ambiguum. Verùm in proposita difficultate, cum suspensio fertur à beneficio, locutio non potest dici simpliciter indefinita, sed est potius vniuersalis, quia, vt dixi, includit implicitè negationem cuiuscunque beneficij, cum non sit maior ratio de vno, quàm de altero, & ideo non est ad vnum beneficium limitanda, & ita sentiunt Doctores, Felin. in cap. Cupientes §. Cæterum numero 3. de elect. lib. 6. dicens suspensionem a beneficio afferre priuationem fructuum omnium beneficiorum, tam simplicium, quàm habentium curam, & dignitatem, Abb. C in cap. Pastoralis §. Verùm numero 21. de Appella. Card. in Clem. 2. num. 5. Vers. Sextò quæro de Vi. & Honest. Cleri. Hæc dicta sint de prima parte conclusionis.

Posterior pars conclusionis, nempe suspensionem à beneficio indefinitè prolatam aliquando limitari ad certum aliquod beneficium, & non esse vniuersaliter accipiendam de fructibus omnium beneficiorum, sed vnius tantum, patet ex cap. Cum in cunctis in fin. de elect. lib. 6. ibi, *Clerici tunc &c. ab Ecclesiasticis beneficiis triennio nouerint se suspensos*, vbi Abb. num. 1. inquit hanc pœnam intelligendam esse quoad beneficia, quæ quis habet in Ecclesia, in qua indignum eligit, & ad alia beneficia non extendi ob eam ratio- D nem, quia illa suspensio fertur in pœnam illius electionis, qua iniuria illata erat particulari Ecclesiæ, ideo non extendi ad alia beneficia, & in cap. Si Compromissarius in fin. Vers. Restringitur etiam, de elect. lib. 6. Bonifacius Octauus hoc modo interpretatur pœnam illam suspensionis contra eligentes indignum latam à Concilio Lateranen. in dicto cap. Cum in cunctis, verba sunt: *Restringitur etiam dicta pœna solùm ad ea beneficia, quæ sic peccans in illa obtinet Ecclesia, quam taliter eligendo, specialiter noscitur offendisse*. Idem desumitur ex capit. Cupientes eod. titul. & lib. cap. Hoc consultissimo De Reb. Eccles. non alienan. lib. 6. & cap. Si Canonici De Off. Ordi. eodem lib.

E Hoc itaque clarissimum est, & ab omnibus Doctoribus admittitur; sed tota difficultas consistit, vt intelligamus, quando suspensio a beneficio sit extendenda ad omnia beneficia, quæ retinet suspensus, vel potius sit coarctanda ad vnum, & quæ sit causa huius limitationis.

Aliqui censent hanc differentiam metiendam esse ex grauitate culpæ, ita quidem vt si illa iudicetur digna suspensione omnium beneficiorum, tunc suspensio a beneficio, vel beneficijs indefinitè prolata sit intelligenda generaliter ab omnibus beneficijs,

si verò

si verò non sit adeò grauis, eo casu limitetur ad vnum beneficium. Hæc regula patitur difficultatem, ex ea enim sequeretur, quod si beneficium esset vnicum tantum, sed pingue, & æquiualens multis tenuioribus, supposita eadem grauitate delicti non esset suspēsio ferenda à toto beneficio, sed à parte eius. Item si quis hoc modo suspenderetur, & obtineret plura beneficia, & culpa non mereretur suspensionem ab omnibus beneficijs excederet autem suspensionem ab vno tantum, huiusmodi suspensio intelligenda, esset à duobus beneficijs, e.g. iuxta mensuram delicti, sicque ijsdem verbis sine vllo discrimine modo significaretur, quis suspensus a pluribus beneficijs, modò à duobus, modò tantum ab vno, quod videtur absurdum, nam eadem verba eodem modo prolata eundem afferunt sensum.

Alij dicunt, vt cognoscamus, an suspensio sit ab vno, vel à pluribus, vel ab omnibus beneficijs, inspiciendam esse causam suspensionis, vbi enim causa suspensionis per se indifferens est ad omnem Ecclesiam, & beneficium, tunc suspensio indifferens est, quia non habet, vnde determinetur. Si verò causa suspensionis est limitata ad certam & particularem Ecclesiam, tunc intelligenda est suspensio à beneficio, quod quis habet in illa Ecclesia si vnicum est, & ab omnibus, si plura habeat; hanc regulam tradit Glos. in Clement. 2. Ver. Beneficiorum de vi. & honest. Cleri. & Abb. in cap. Pastoralis §. Verum num. 21. de Appell. & deducitur ex cap. Si Compromissarius de elect. lib. 6. & in alijs locis Iuris Canonici citatis, ex quibus omnibus constare videtur generalis regula seruanda, vt quoties causa, propter quam fertur suspensio, est coarctata ad vnam Ecclesiam, tunc suspensio lata simpliciter intelligenda sit tantum de beneficijs illius Ecclesiæ, non de alijs, quamuis non legatur expressè talis limitatio, sicut habetur in Iuribus citatis, cum pœnam coarctare æquum sit, præsertim cum à Summo Pontifice tradatur tanquam regula generalis, sicut ex dictis locis colligunt omnes Doctores.

Hinc sequitur, si Episcopus aut Canonicus suspendatur sub speciali nomine sui beneficij, puta si dicatur suspendo talem Canonicum à Canonicatu, vel à Prioratu, intelligenda est suspensio de eo beneficio, sub cuius appellatione fuit condemnatus, non de alijs, si alia retineret. Quod si sub hac forma suspenderetur à beneficijs in plurali, tunc suspensio esset interpretanda vniuersaliter ab omnibus beneficijs, nisi fieret coarctatio ad beneficia alicuius Ecclesiæ iuxta dispositionem dicti cap. Si Compromissarius de elect. lib. 6. Et eodem modo ponderandæ sunt aliæ circunstantiæ, ex quibus iudicari possit, an suspensio comprehendat priuationem vnius beneficij, vel plurium. Atque vbi nullæ reperiuntur conditiones, quæ coarctare possint suspensionem, si indefinitè proferatur, ad omnia beneficia, quæ possidentur à suspenso, est extendenda, vt probatum est.

Sequitur nomine beneficij in suspensione, quæ fertur indefinitè à beneficio, siue à Iure siue ab Homine, significari omne genus beneficij Ecclesiastici, sicut monui etiam superius in primo cap. siue sit simplex, siue curatum, siue dignitas, omnia enim comprehēduntur sub nomine beneficij in genere. Secus autem est de pēsione, vt dixi in eodem cap. Quare suspensus à beneficio simpliciter non erit priuatus iure percipiendi pensiones. Excommunicatus tamen illas non consequitur quia est exclusus ab omni communicatione rerum spiritualium, & est grauior censura, quàm suspensio.

De Episcopatu quæri potest, an in suspensione sub nomine beneficij generaliter comprehēdatur Episcopatus, nam in cap. Felicis de pœn. lib. 6. irrogans pœnam priuationis à quocunque beneficio addit: *Etiamsi Pontificalem adeptus fuerit dignitatem*, & Glos. ibi Ver. Pontificalem, notat dignitatem Episcopalem non includi sub nomine beneficij, nisi exprimatur, & in cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. statuitur non comprehendi Episcopos vllius constitutionis occasione, nisi de ipsis expressa mentio habeatur.

Respondendum est in suspensione à beneficio absolutè includi Episcopatum, quia accipitur beneficium in latiori significatione, vt comprehendit omnia beneficia Ecclesiastica ab Episcopatu vsque ad infima beneficia, & est eadem ratio de suspensione & excommunicatione ex communi sententia Doctorum, & ita obtinuit vsus, vniuersaliter autem loquendo non semper id verum est, Glos. in c. 2. Ver. Dignitatum de præben. lib. 6. secus est de personis, nam sub Constitutione, vel præcepto generali sub pœna suspensionis non continentur Episcopi, nisi nominentur. Licèt sub simili præcepto lato sub pœna excommunicationis includantur, cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Quare si Episcopus suspendatur simpliciter à beneficio, erit etiam suspensus ab Episcopatu. Et quamuis c. Quia periculosum videatur loqui solum de suspensione generali ab officio, quod sub tali non comprehendantur Episcopi, si nominati non fuerint ob illa verba, *Quia periculosum est Episcopis, & eorum Superioribus propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit &c.* Sed pontificale officium non suspenditur per suspensionem à beneficio, tamen in cap. Si Compromissarius de elect. lib. 6. apertè declaratur Decretum capit. Quia periculosum, quod sub suspensione generali non comprehenduntur Episcopi, habere locum etiam in suspensione à beneficijs, vt notat ibi Ver. De iure, & ratio, quæ affertur à Glos. est, quoniam spiritualia sine temporalibus, quando sunt connexa, diu persistere nequeunt, & indecens valde esset, si Episcopus mendicare cogeretur, vel potius probabilius est, si dicamus hoc priuilegium Episcopis concessum fuisse ob dignitatem Episcopalem.

Verum hoc in loco meritò quæri potest, postquam nomine beneficij, cum agitur de suspensione, beneficia cuiusque generis comprehenduntur sine vlla limitatione, an similiter contineantur omnes fructus beneficiorum indistinctè, itaut si quis absolutè fuerit suspensus à beneficio remaneat priuatus omnibus fructibus suorum beneficiorum, quæ possidet sine vlla diminutione, cuiuscunque generis sit fructus, & quouis nomine nuncupentur.

Dicendum est, virtute huius suspensionis comprehendi priuationem omnium fructuum temporalium prouenientium ratione beneficij, à quo quis est suspensus, cuiuscunque conditionis, qualitatis, & nominis sint, continentur enim pecuniæ, fruges terræ, & animalia, quocunque modo tradantur, scilicet titulo decimarum, oblationum, Primitiarum, vel tanquam pensiones, quæ exiguntur ex locatione fundorum, & possessionum. Hæc omnia, & similia competunt titulo beneficij ipsi Clerico, ideo comprehenduntur sub genere fructuum Ecclesiasticorum, vt omnes Doctores docent in tit. De Decimis, & de Parochijs, & tradit Card. in Clem. 2. nu. 6. de Vi. & Honest. Cleri.

De distributionibus quotidianis dubitari potest, an sub nomine fructuum comprehendantur, nam fructus beneficij acquiruntur, quamuis Beneficiarius

personaliter non inseruiat, minimè autem distributiones, & sic videntur distingui à fructibus vt in cap. vni. de Cleri. non resid. lib. 6. & in cap. vlt. Vers. In illis de Concess. Præben. eod. lib. tradit Couar. lib. 3. Variarum Resolut. cap. 13. num 1. & seq. Et ad id probandum affert hanc rationem, quoniam cum in impetratione beneficij exprimendus sit verus eiusdem valor, Glos. & Doct. in Clement. 1. de præben. Reg. Cancell. 21. 40. & 42. tamen huic regulæ satisfactum erit, si valor exprimatur secundum æstimationem redditaum, qui ex eodem beneficio percipiuntur absque quotidianis distributionibus, ergo sub nomine fructuum non includuntur distributiones quotidianæ.

Verû quidquid sit de hac difficultate quoad alios effectus, cum agimus de suspensione, appellatione fructuum comprehenduntur distributiones quotidianæ, & in hoc consentiunt omnes, ita notat Glos. in Clem. 2. Ver. Suspensus de Cleri. non resid. & ibi Card num. 6. Vers. Decimò quæro, & ratio est, quoniam etiam distributiones dantur, propter beneficium, nam quamuis requiratur seruitium, & residentia, vt illæ acquirantur, tamen necessarius est quoque titulus beneficij, vnde si alius præstaret illud idem seruitium sine titulo beneficij, nihil lucraretur, ergo, quando quis vniuersaliter suspenditur à beneficio, amittit etiam distributiones.

Potest quoque dubitari de quibusdam distributionibus, quæ non assignantur ob ministerium ordinarium debitum Ecclesiæ ex titulo talis beneficij, sed potius acquiruntur propter opera quædam personalia iniuncta Clericis alicuius Ecclesiæ ex pia voluntate fidelium, vt sunt Anniuersaria, eleemosynæ pro Missis & similia; hæc enim non videntur propriè reduci posse ad fructus beneficij debitos Clericis Ecclesiæ ex titulo beneficij, sed acquiruntur ratione operæ personalis ex mera liberalitate fidelium, ideo non videntur amitti ex vi suspensionis.

Respondendum est cum distinctione, nam huiusmodi extraordinariæ distributiones possunt esse in duplici differentia, quædam enim sunt per se moraliter coniunctæ beneficio, vel consuetudine, vel Superiorum auctoritate, & tales possunt computari inter fructus beneficij, nam ex illius titulo promanare videntur, quamuis enim non sint distributiones quotidianæ, eis tamen æquiparantur, vt inquit Nauar. lib. 3. Consiliorum, tit. de Cleri. non resid. cons. 13. num. 2. Aliæ verò sunt nullo modo annexæ beneficio, quæ sunt incertæ, & non semper, sed aliquando à fidelibus ex eorum arbitrio offeruntur, vt eleemosynæ, quæ dantur pro decantanda Missa, vel officio Defunctorum celebrando, vel similia, & hæc propriè non continentur sub genere fructuum Ecclesiasticorum, quia non proueniunt ratione beneficij, sed traduntur personæ occasione beneficij, quatenus scilicet habet ius celebrandi in hac, vel in illa Ecclesia. Ita sentiunt Nau. loco cit. Oldrad. cons. 116. Boer. in suis decis. quæst. 19. num. 4. Si loquamur de distributionibus huius secundi Ordinis, puto illas non includi sub absoluta suspensione à beneficio, priores verò censeo comprehendi debere.

CAPVT IV.

De effectibus suspensionis partialis à beneficio.

Sicut suspensio ab officio potest ferri dupliciter, nempe simpliciter, & ex parte, ita quoque suspensio à

A beneficio, quare cum dictum sit de suspensione à beneficio simpliciter, tractemus modò de suspensione partiali, quæ duobus modis partialis dici potest. Primò ratione personæ suspensæ, vt si quis plura habens beneficia, ab vno, vel à quibusdam suspendatur, non ab omnibus, vel à beneficijs, quæ habet in vno loco, vel Ecclesia, non ab alijs, quæ alibi possidet, vt in capit. Cupientes, & in cap. Si Compromissarius de elect. lib. 6. Aut si plura beneficia in vna Ecclesia habeat, & non ab omnibus suspendatur, & quocunque modo ex his feratur suspensio, vera est censura; Secundo modo potest esse suspensio ex parte ratione beneficij, vt quando quis suspenditur à parte fructuum, non ab omnibus, & hoc modo ferri potest suspensio, vt annotauit Glos. in Clement. Cupientes Ver. Suspensi circa med.
B de Pœn. & exempla habemus in Clement. Vt, ij qui, prope finem de Aeta. & Qualit. ibi. *Ipsisque distributionum, quæ dantur his, qui certis locis intersunt, pars dimidia subtrahatur.* De hac suspensione secundi generis aliqui dubitant, an habeat veram rationem censuræ, & vtrum absolutè vocari possit suspensio, vel secundum quid, quoniam secundum nullam rationem competit huic suspensioni ratio totalis suspensionis; Aliæ enim suspensiones prioris modi licèt ratione personæ sint partialis, tamen in ordine ab Ecclesiam seu locum possunt dici totales, quòd si respectu loci partiales sint, tamen in ordine ad beneficium erant totales; Sed hæc, de qua loquimur, ex omni ratione
C est partialis, quare non videtur esse simpliciter suspensio, sed secundum quid. Nihilominus non est dubitandum suspensionem, hoc secundo modo impositam esse pœnam, & grauem, si pro delicto infligatur, & vbi pro contumacia imponitur, esse verè, & propriè censuram.

Neque enim est de ratione censuræ, vt sit priuatio totalis nisi respectu sui obiecti, sicut excommunicatio minor dicitur totalis priuatio vsus passiui Sacramentorum, quod est obiectum eius proximum & adæquatum, licèt non tollat omnem vsum, neque communionem, & tamen est vera censura, sic illa suspensio penitus priuat tali parte fructuum, puta dimidia, vel tertia, vel alia, & idcirco continetur sub genere censu-
D rarum.

Hinc intelligere possumus, quos effectus pariat hæc suspensio partialis, nam cum hæc pluribus modis variari possit, vnaquæque illum producit effectum, quem verba propriè sumpta significabunt, & non alium, quia effectus commensuratur causæ, propter quam lata fuit suspensio, causa verò ex verbis desumitur.

Itaq; si verba declarent quempiam suspensum esse simpliciter ab omnibus beneficijs, priuatus erit fructibus omnium beneficiorum, si ab vnico beneficio fructibus vnius carebit, & similiter si alio modo loquantur verba.

E Non est autem prætereundum hoc in loco, quòd cum dictum sit superiori capite suspensionem simpliciter latam ab omnibus beneficijs non tantum priuare fructibus beneficiorum, quæ possidentur, sed etiam impedire acquisitionem noui beneficij, id non habere locum, si in suspensione addatur clausula, *Quod obtinet*, vel similis, vt in Clement. 2. de Vi. & Honest. Cleri. Quare talis suspensio non est dicenda totalis, sed partialis, quia respicit tantum beneficia præsentia. Totalis autem debet ad futura referri. Vnde hoc modo suspensus non prohibetur nouum beneficium acquirere. Et similiter si nul-

lum

lum beneficium possidet, quando suspenditur, suspensio eum non afficit, cum sit limitata ad beneficia, quæ tunc possidentur, quando lex violatur, ideo in eadem Clement. 2. de vi. & honest. Cleri. ponitur alia pœna pro Clericis non habentibus beneficium, vt per sex menses inhabiles maneant ad illud impetrandum.

Verum hic discutienda est difficultas communis à Doctoribus eacogitata, vtrum suspenso a beneficijs subministranda sit aliqua portio ex fructibus beneficiorum sufficiens ad illum alendum & sustentandum, vel penitus carere debeat omnibus fructibus beneficiorum tam præsentium, quàm futurorum.

Hanc quæstionem pertractaui de excommunicatione lib. 2. Disput. 6. cap. 8. & 9. & in Capite 9. multa dixi spectantia ad suspensionem, nam quoad hunc effectum nulla apparet differentia inter excommunicationem, & suspensionem, quando suspensio fertur propter contumaciam. Quare modò breuiter nonnulla solùm afferam in specie de suspensione, quæ, vt sæpe dictum est, potest imponi dupliciter, idest ob contumaciam, & in pœnam delicti commissi. Si feratur primo modo ob contumaciam, tunc suspensus debet amittere omnes fructus beneficiorum sine vlla diminutione, neque portio aliqua est illi assignanda pro sustentatione & alimentis, quamuis indigeat, atque hæc conclusio videtur admitti ab omnibus Doctoribus, quos statim referam.

Fundamentum pro hac sententia illud est validum, quoniam hoc modo suspensus voluntariè sua culpa patitur hoc incommodum, & inopiæ necessitate vrgetur, à qua, si vellet recedere à contumacia, & parere Superiori petendo absolutionem, statim se eximere & liberare posset argum. Clement. 2. de Aeta. & qualit. cum Glos. in Ver. Pars dimidia, vbi suspenditur à dimidia parte distributionum, qui non suscepit Ordinem sacrum annexum beneficio, quòd obtinuerat intra annum, sicut tenebatur, & Glos. addit id habere locum, quamuis reliqua pars dimidia, non sufficiat ad eius sustentationem, & rationem assignat, quia debet sibi imputare, cum in potestate ipsius fuerat suscipere Ordinem, sicque pœnam prædictam euitare.

Eodem modo imputandum est suspenso ob contumaciam, si in ea persistens recuset parere Superiori, & consequenter à fructibus beneficij priuatus maneat, atque inopia laboret. Neque est inconueniens, si talis Clericus cogatur mendicare, quia sua culpa ad id compellitur, supposita praua eius voluntate non obediendi Superiori, & hoc minus est malum, quam, vt ex sua iniquitate commodum consequatur in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, & ita tenet Abb. in cap. Pastoralis §. Verum, numero decimosexto, in fin. de Appella. Nam sæpe homines securi de cibo iustitiam negligunt, capit. Non omnis 5. quæst. 5.

Hoc tamen dictum est intelligendum, dummodo suspensus ob contumaciam non laboret extrema necessitate, tunc enim ei subueniẽdum esset, in hoc enim casu tenemur excommunicato opem ferre, vt probaui in lib. 2. Disp. 6. cap. 9. ergo multò magis suspenso, qui non tam graui vinculo est alligatus, sicut excommunicatus.

At vbi suspensio imponitur in pœnam delicti commissi, tunc, quia non est in potestate suspensi eximere se ab illa pœna, quantumuis resipiscat, ob honestatem Ordinis Clericalis ex fructibus beneficij subueniendum erit decenter ipsi suspenso. Quod ab

A omnibus communiter asseritur.

Ita sentit Glos. in cap. Cum Vuintoniensis Ver. Admiserant in fin. de elect. quæ affirmat huiusmodi suspensos debere inseruire Ecclesiæ, quia in pœnam inducta est hæc suspensio, eisque modicam sustentationem esse assignandam, ne ex toto egeant, Glos. vlt. in fin. in capitulo Pastoralis §. Verùm de Appell. Item Glos. in capitulo Studeat Ver. & sui distinct. 50. inquit, quòd licèt Clericus sit suspensus ab Homine, vel à Canone, debet ei relinqui, vnde se, & suos possit sustentare, & ad hoc probandum plura affert, quod repetitum fuit à Glos. in cap. 1. Ver. Necessitatem 21. quæst. 1. Idem sentiunt cum Glosa Doctores, Abb. in capitulo, Cum Vuintoniensis, numero decimo, Vers. **B** vltimò nota de elect. & in capitulo Pastoralis §. Verùm numero decimosexto, in fi. de Appella. Dec. numero septimo, idem Abb. in cap. Cùm esses numero 28. de Testam. Felin. in cap. Apostolicæ, numero 12. Vers. Debetur suspenso modica sustentatio, &c. de except. Gemin. in c. Cupientes §. Cæterum n. 7. Vers. In eadẽ, Glos. ibi, officiaret Ecclesiam, &c. de elect. lib. 6. asserit suspenso assignandam esse modicam sustentationem, residuum verò, quod superest ex fructibus conuertendum esse in vtilitatem Ecclesiæ, idem ibi notat Anchar. num. 1. Vers. Item nota in Ver. omnibus &c. Philip. Franc. num. 4. Card. in Clement 2. num. 20. de Aeta. & Qualit. & in Clement. 2. numero 6. Vers. Duodecimo quæro &c. de Vi. & Honest. Cle- **C** ri. Bald. in cap. Cum Vuintoniensis nu. 2. de elect. Fundamentum huius sententiæ est, ne Clericus contra honestatem & decentiam Ordinis Clericalis & dignitatis Ecclesiasticæ mendicare compellatur contra decretum Coucilij Trident. sess. 21. de reform. cap. 2. Ad idem cap. Diaconi dist. 93.

Hæc autem subuentio non est taxanda ab ipso suspenso suo arbitrio, & voluntate propria, sed auctoritate Superioris statuenda, quoties per sententiam ab homine imponitur talis suspensio. Quòd si suspensio ipso iure tantum contracta sit, & sit occulta, vel alia rationabilis causa interueniat, arbitrio prudentis viri suspensus poterit ex fructibus sui beneficij alimenta sibi sufficienter ministrare.

D Postulabit quis, an detur casus, in quo competat suspenso à beneficio ius recuperandi fructus beneficiorum deperditos, quos propter sententiam suspensionis suos non fecit.

Hanc difficultatem pertractaui latius de excommunicato lib. 2. Disput. 6. cap. 9. & quæ ibi dixi de excommunicato accomodari possunt respectu suspensi, nam eadem vtriusque est ratio. Solutio in hoc consistit, vt cognoscamus, an sententia suspensionis fuerit iusta, & valida, vel iniusta. Si enim fuit iusta, res caret controuersia, quoniam tunc nulla datur repetitio, neque fructus ablati recuperantur. Posset tamen Prælatus gratis, si ita expediens iudicaret ex ali- **E** qua causa legitima ex dispensatione illos restituere, sed suspensus caret omni iure ad illos repetendos, siue suspensio lata sit ob crimen commissum siue propter contumaciam, quantumuis enim suspensus pareat, & absoluatur, fructus, quorum iacturam fecit tempore contumaciæ non recuperat, nam si restituerentur fructus, Clerici frequenter negligerent Superiorum præcepta, neque admodum curarent, si à beneficijs suspenderentur, cum securi essent, posse repetere fructus, cùm primùm à contumacia recederent. Verum si sententia Superioris in aliquem pronunciata fuit iniusta; tunc post receptam absolutionẽ

& probata iniustitia sententiæ, habet ius repetendi fructus, quos amisit tempore suspensionis, si non fuit negligens, & morosus in petenda absolutione, vt notat Abb. in cap. Cum bonæ nu.6. Vers. Eo autem absoluto de Acta.& quali. Felin. in cap. Apostolicæ num. 13. Vers. suspensus autem, vel excommunicatus de excep. Quare si quis fuerit iniustè suspensus, & ideo priuatus fructibus sui beneficij, quia testes falsam facti seriem deposuerit, vel ex alio capite probata, sententiæ iniustitia semper ius retinet pro recuperatione fructuum, vel coram eodem Iudice aut illius Superiore, aut si veritas rei detegi & probari nequit, vel propter defectum probationis, siue quia ius inferatur, vel alia via impediatur, tunc poterit occultè suspensus illos retinere, si occasio se obtulerit id faciendi absque scandalo & aliorum iniuria, quamuis in terminis, in quibus loquimur, difficile sit hoc executioni tradere, cum fructus ablati statim pauperibus erogentur, vel in pios vsus Ecclesiæ conuertantur. Quod non solum intelligendum est de his fructibus, qui verè & propriè sub hoc nomine significantur, sed ad quotidianas quoque distributiones extenditur, vt inquit Felin. in dicto cap. Apostolicæ num. 13. de except. dummodo ante suspensionem solitus fuerit inseruire Ecclesiæ, & frequentare Chorum, secus si absens erat tempore suspensionis ab Ecclesia, quo casu alijs accrescunt.

A quibus verò repetendæ sint huiusmodi distributiones, postquam eas alij inseruientes lucrati fuerint iure accrescendi, aliqua est dissensio inter Doctores, quam longius pertractaui agens de excommunicatione lib. 2. Disp. 6 cap. 9. Vbi opinionem illorum probaui, qui censent ius competere excommunicato agendi pro illarum recuperatione aduersus eos, inter quos distributæ fuerint, minimè verò teneri Iudicem illas restituere excommunicato. Et hoc idem puto dicendum esse de suspenso, in hoc enim nulla est differentia inter excommunicationem, & suspensionem, & hæc satis sint de effectibus suspensionis partialis à beneficio.

CAPVT V.

An suspensus à Beneficio simpliciter censendus sit priuatus fructibus beneficiorum in omni loco.

EXplicata quæstione de numero beneficiorum, quæ continetur sub suspensione prolata à beneficio absolutè, deque effectibus suspensionis partialis à beneficio, modò discutiendum est de genere fructuum, quibus ob eandem Suspensionem a beneficio priuatur Suspensus, idest an virtute Suspensionis careat iure exigendi fructus suorum beneficiorum, etiam si existant extra Territorium, & iurisdictionem Suspendentis.

Et ad vtramque partem adest ratio dubitandi. Pro affirmatiua enim facit conclusio firmata tertio capite, si enim Suspensio à beneficio simpliciter lata intelligitur de omnibus beneficiis, quę retinentur à suspenso, quamuis plura sint, nisi appareat aliqua causa, per quam magis ad vnum, quàm ad aliud limitetur, ergo suspensus priuatus erit iure etiam percipiendi fructua illorum beneficiorum, quæ extra Diœcesim possidet virtute huius Suspensionis, alias non esset ab omni beneficio. Confirmatur arg. à simili de Suspensione ab officio, quæ impedit vsum officij in omni loco, etiã extra Territorium.

Contra pro parte negatiua, quòd huiusmodi sententia non extendatur ad beneficia extra Territoriũ,

A sed solum ad illa beneficia, quæ sunt in Diœcesi facit, quoniam nemo sententiam ferre potest, quæ operetur effectum extra locum, potestati Iudicis non subiectum defectu iurisdictionis.

In hac difficultate aliqui distinguunt de Suspensione lata à Papa, & de ea, quæ pronunciatur ab Episcopo, vel ab alio Inferiore Prælato; Suspensionem enim à beneficio simpliciter latam a Papa dicunt complecti omnia beneficia, in quocunque Territorio existant, quia potestas Papæ est vniuersalis totum orbem Christianum attingens; Illam verò Suspensionem, quæ ab Episcopo fertur, putant locum habere in omnibus locis suæ Diœcesi suppositis, non egredi tamen limites sui Territorij, quia eius iurisdictio non progreditur vlterius.

B Sed hæc distinctio non videtur admittenda, quoniam Suspensio a beneficio lata a Papa non semper intelligitur ab omni beneficio, quod possidetur a Suspenso, sed interdum non egreditur beneficia vnius Diœcesis, vel vnius Ecclesiæ, si crimen maiori pœna non sit dignum, & è côtra Episcopus potest subditum suum suspendere ab omnibus beneficijs etiam extra Diœcesim, si tam grauis pœna commensurata sit delicto commisso, Ratio est, quoniam hæc sententia non excedit iurisdictionem Episcopi, quia pronunciatur in personam potestati Episcopi subiectam. Est enim subditus Episcopi, qui priuatur iure exigendi fructus ex beneficio, & in eum habet omnimodam iurisdictionẽ; C quare rectè potest impedire, ne vtatur hoc iure, quãuis beneficia sint extra Territorium, hoc enim ius est inhærens personæ, vt notat Abb. in cap. Postulasti nu. 7. prope fi. de fo. compet. ideo non dicitur Iudex ponere falcem in messem alienam. Idem dicimus de alijs iuribus incorporalibus, vt notat Glos. in l. 3. §. ea verò ff. pro soc. Cum igitur possit Iudex abdicare à suo subdito ius totum illi inhærens, poterit etiam illum suspendere ab omni beneficio, etiam si existat extra Territorium suspendentis.

Ad hanc quæstionem iuxta probabiliorem Doctorum opinionem dicerem duo. Primum est, suspensionem à beneficio ferri posse non tantum à Papa, sed etiam ab Episcopo, cuiusui impediatur suspensus non D solum iure percipiendi fructus beneficiorum intra Diœcesim, sed etiam extra Territorium.

Hanc conclusionem optimè probat ratio adducta, & confirmari quoque potest alijs modis. Primò Episcopus potestatem habet deponendi Clericum sibi subiectum, & priuandi eum omnibus beneficijs etiam illis, quæ in aliena Diœcesi possidet, vt colligitur ex dicto cap. Postulasti de fo. compet. Vbi Summus Pontifex statuit Episcopum posse ferre sententiam priuationis à beneficijs extra Diœcesim in Clericum ratione delicti commissi in suo Territorio, quamuis executio sententiæ, idest priuatio beneficij sit facienda per Episcopum, in cuius Diœcesi situm est beneficium, quia executio respicit locum, in quo res est, & ita di-E cit Abb. ibi num. 7. Ita quoque fortiori ratione poterit Episcopus suspendere suum subditum ab omnibus beneficijs vniuersaliter etiam extra diœcesim, quamuis executio, & actualis priuatio fructuum sit facienda per Episcopum loci, vbi situm est beneficium. Qua in re aliqua erit differentia inter sententiam suspensionis latam à Papa, & illam, quæ fertur ab Episcopo, nam Papa potest executioni tradere sententiam suam in omni loco, quia eius iurisdictio extenditur in omnem partem, secus est de Episcopo, vt dixi. Modò verò non agimus de executione sententiæ,

sed

sed de ipsamet sententia suspensionis, quæ quoad hanc partem eundem effectum operatur, siue à Papa, siue ab Episcopo pronuncietur. Immo differentia illa quoad executionem, locum habet solùm in executione fori exterioris: Nam in foro conscientiæ censura affert secum executionem, & priuat fructibus ipso iure beneficiorum, vbicunque sint.

Secundò probatur eadem conclusio argumento simili, sicut enim suspensio ab officio priuat vsu officij in omni loco, vt dixi Disp. præcedenti cap. 6. Nam Episcopus potest suspendere suum subditum, vel à toto officio, vel à parte eius in Territorio, & extra Diœcesim, ergo ob eandem rationem non videtur id denegari posse de suspensione à beneficio. Et licèt Glos. in cap. Cupientes Ver. In ipsa Ecclesia de elect. lib. 6. videatur hac in parte assignate aliquã distinctionem inter suspensionem ab officio, & à beneficio, quòd suspensus ab officio in vno loco sit in omni loco suspensus, sicut excommunicatus, cap. Quisquis 4. q. 5. cap. Si quis Presbyter 7. q. 1. Suspensus verò à beneficio in vna Ecclesia non ideo sit suspensus in alia. Id tamen locum habet solùm, vbi adest causa, quæ limitet suspensionem ad vnam Ecclesiam, quæ non habet locum in aliis, vt dixi in præcedenti cap. Possit tantùm afferri aliqua differentia inter suspẽsionem ab officio, & à beneficio, quòd potest quis suspendi ab officio aliquo in vno loco, & tunc non erit suspensus in alijs locis, vt si suspendatur ab officio concionandi in Vrbe, non idcirco erit suspensus, ne possit alibi concionari, quia actio concionandi potest in diuersis locis exerceri, & priuatio vnius nõ infert priuationem alterius; At suspensus à beneficio in vno loco respectu illius beneficij est priuatus vbique; Nam fructus percipiuntur in vno loco, quibus semel priuatus, semper & vbique erit priuatus.

Et hæc conclusio firmata non solùm locum habet in suspensione à beneficio lata ab homine, sed etiam à Iure, sicut enim Summus Pontifex, & Iure communi, & per sententiam particularem potest proferre sententiam suspensionis, quæ locum habeat in omni loco: Ita quoque Episcopus non solùm per sententiam specialem, sed per generale mandatum, vel statutum potest similem suspensionem proferre, quia talis iurisdictio non est ei limitata per Sedem Apostolicam; Et talis modus ferendi suspensionem non excedit iurisdictionem ipsius Episcopi, vt probatum est.

Secundò dico, si Episcopus simpliciter suspendat quempiam, & non declaret, de quibus beneficijs intelligere velit, talem sententiam interpretandam esse de beneficiis existentibus in suo Territorio, nisi appareat alio modo eius voluntatem fuisse comprehendere etiam beneficia extra Territorium.

Hanc sententiam tenet Abb. in cap. Pastoralis, §. Verùm num. 21. de Appell. Vbi dicit suspensionem latam ab Episcopo intendente subditum suum suspendere ab omni beneficio, effectum producere etiam extra Territorium ipsius, licèt executio fieri debeat per Iudicem Territorii, cap. Postulasti de fo. compet. Si verò simpliciter intẽdebat suspendere à beneficiis, tunc interpretanda est suspensio, vt comprehendat beneficia, quæ sunt in Territorio tantum, quia nemo extra Territorium ius dicere potest, cap. 2. in fi. de Constit. lib. 6. Quòd si Episcopus per statutum, vel præceptum generale ferat suspensionem, similiter distinguendum est de causa suspensionis, quæ si specialis sit respiciens certam Ecclesiam, producit effectum ad beneficia, quæ sunt in illa Ecclesia, si autem generalis

A fuerit causa, tunc suspensio extenditur ad omnia beneficia. Idem Abb. in cap. Postulasti num. 11. Vers. Et credo posse &c. de fo. compet. & citat ad hoc cap. Si Compromissarius, §. penult. & final. de elect. lib. 6 Sed in eo tex. agitur de suspensione, quæ habet limitatam causam ad vnam Ecclesiam, & ideo Summus Pontifex declarat suspensionem non habere locum circa beneficia extra illam Ecclesiam. Sed modo loquimur, quando suspensio fertur simpliciter, neque habet causam limitatam, à qua coarctari possit, quare non militat eadem ratio in vtroque casu, nisi dicamus fortasse Abb. voluisse sumere argumentum à simili: Nimirum sicut in illo c. si Compromissarius declarat Summus Pontifex suspensionem simpliciter la-
B tam propter causam specialem limitari ad certum beneficium, ita quoque sententiam prolatã à particulari Episcopo, nisi de contraria mente suspendentis appareat, interpretandam esse de beneficiis positis in Diœcesi eiusdem Episcopi, & non debere extendi ad beneficia extra Territorium; Vt sicut prior causa coarctat ad particularem Ecclesiam, ita hæc posterior debeat limitare ad particularem Episcopatum. Quę ratio non habet locum in Summo Pontifice, quia eius iurisdictio est vniuersalis, & ideirco eius sententia non potest limitari ex hoc capite, nisi recipiat limitationem, vel ex verbis aut ex causa.

Hæc conclusio, quamuis ex Iure apertè non colligatur, est tamen Satis probabilis, præsertim quia de-
C cet, vt odia & pœnæ restringantur, & eo magis vbi extaret talis consuetudo interpretandi hoc modo huiusmodi sententias suspensionis, quia consuetudo est optima legum interpres, sed vt tollantur difficultates & dubitationes, debent Episcopi & Iudices in pronuncianda sententia suspensionis plenè & dilucidè declarare voluntatem suam & explicare, à quibus beneficiis suspendere intendant.

Sed hic quæri potest, An ille, qui suspensus est à beneficio simpliciter, possit eligi, vel acquirere beneficium extra Diœcesim & Territorium, vel eadem sit ratio de nouis beneficiis acquirendis, sicut dictum est de fructibus beneficiorum, quæ antea possidebantur.

D Quantum spectat ad noua beneficia, an illa conferri possint suspenso, durante Suspensione, Doctores distinguunt inter Suspensionem à Iure, vel ab Homine. Si lata sit à Iure pro crimine, vel offensa non concernente certum beneficium, vel particularem Ecclesiam, tunc Suspensus non potest acquirere nouũ beneficium, quia talis Suspensio est vniuersalis, & indistinctè respicit omnem locum, quia ius vbique obligat. Aut crimen est speciale respectu particularis beneficij, vel Ecclesiæ, & tunc in illa Ecclesia non potest obtinere aliud beneficium. In aliis verò Ecclesiis non prohibetur, vt pluribus probat Henric. Buic. in cap. Cum dilectus nu. 13. De Consuet. Quãdo verò suspensio fertur ab Homine, vel generaliter quis su-
E spenditur ab omnibus beneficiis sub iurisdictione suspendentis, & ita suspensus non potest adipisci beneficium intra Dioecesim durante suspensione. Quod si vniuersaliter à beneficiis sine vlla explicatione feratur, suspensio, tunc neque in Territorio, neque extra suspensus consequi poterit beneficium, vt notat Henri. Buic. in dicto cap. Cum dilectus numero decimo tertio de Consuet. maximè si non vigeat contraria consuetudo interpretandi huiusmodi sententiam coarctatam ad beneficia Dioecesis, sicut dixi de fructibus beneficiorum.

CAPVT VI.

Quamdiù suspensio à beneficio duret.

VNica conclusione huic quæstioni respondendum est ex communi sententia Doctorum, suspensionem à beneficio simpliciter latam sine vlla temporis limitatione semper durare, & priuare hominem fructibus beneficiorum, quæ possidet, quando suspenditur, donec per Superiorem talis censura relaxetur.

Hæc conclusio nititur illo fundamento, quod verba indefinitè prolata vim habent vniuersalem, ergo si absolutè fertur suspensio absque vlla determinatione temporis, apparet voluntatem suspendentis fuisse, vt semper duret, donec tollatur per habentem potestatem.

Qua in re animaduertendum est, vt dicebam in precedenti Disputatione Cap. 7. Vbi pertractabam de duratione suspensionis ab officio; Quoad hoc enim eadem est ratio vtriusque suspensionis, suspensionem à beneficio ferri posse pro delicto commisso in pœnam & pro contumacia. Quando imponitur suspensio pro contumacia, tunc durat, quamdiu suspensus persistit in contumacia, sed statim ac recessit à contumacia, parendo, vel satisfaciendo, aut alio modo Superioris mandatum exequendo, desinit, & cessat suspensio, quia cessante causa cessare debet effectus. An verò tūc cesset ipso iure, vel sit relaxanda a Superiore per absolutionem, tractandum erit in Disputatione de Absolutione Non repugnat autem, etiam durante contumacia, vt possit Superior si velit relaxare suspensionem, sicut etiam diximus de excommunicatione, quia tota vis censurarum pendet ex voluntate Superiorum, quibus inest potestas ferendi illas. Si verò imponatur suspensio pro delicto commisso, & sic habeat rationem pœnæ, tunc aut fertur simpliciter, aut ad certum tempus; Si posteriori modò, sicut sæpe in iure reperitur suspensio lata ad tempus limitatum, vt in cap. 1. in fi. De elect. lib. 6. fertur suspensio a beneficio ad tres annos. Similis habetur in ca. Cupientes §. Cæterum eod. tit. & lib. Eadem legitur in cap. Si Compromissarius prope fi. eod. tit. & lib. & alibi. Et hoc modo suspensio priuat fructibus beneficij a die pronunciatæ sententiæ vsque ad finem temporis præfixi, & tempore elapso cessat absque alia absolutione, sicut in simili diximus de suspensione ab officio in Disputat. præcedenti cap. 7. Et ratio est, quia hęc suspensio lata pro delicto commisso habet rationem pœnę, nō censurę, ideo non indiget absolutione; Et cum in sententia, vel in lege limitatum fuerit tempus, nō opus est reuocatione, quia ipsa assignatio termini fuit quędam virtualis reuocatio declarans tacitè mentem suspendentis fuisse, vt talis suspensio non extenderetur vltra terminum. Quòd si loquamur de Suspensione a beneficio lata simpliciter sine vlla temporis determinatione, sicuti habetur in cap. 2. prope fi. de translat. Episc. in cap. Vel non est compos De temp. ordin. licèt in hoc capite non agatur de suspensione a beneficio, sed a collatione Ordinum, & in aliis locis, & huiusmodi suspensio, quia est perpetua, & non est simpliciter depositio, non enim priuat beneficio, ideo dicitur continere virtute, vel formaliter cōditionem, vt intelligatur durare, quamdiu à Superiore non fuerit sublata.

Et est animaduertendum suspensionem à beneficio statim operari effectum suum, quod est commune omnibus censuris, quæ secum afferunt executionem, cap. Pastoralis §. Verum de Appella. & in specie de Suspen- A sione hoc dicit Glos. in cap. Prouida Ver. Annum continuum de elect. lib. 6. & colligitur ex cap. Cupientes §. Cæterum eod. tit & lib. Quare suspensio statim priuat suspensum fructibus beneficij, quod possidebat tempore suspensionis; Qui enim beneficio caret, non est propriè capax huius suspensionis: Quòd si antea quasi mutuo recepisset fructus, qui debebantur postea eo tempore, quo iam censura suspensionis est innodatus, sunt restituendi, quia illa mutuatio non impedit effectum censuræ, sicut è contra, si Clericus, quando suspenditur, non exegisset fructus debitos pro tempore præterito, quos legitimè fecisset suos, non priuatur illis per suspensionem, sed tales fructus exigere potest, quia iam illorum dominium seruiendo Ecclesiæ acquisierat, B vnde suspensio non retrotrahitur ad præterita, sed respicit tantum futura, vt tradit Nauar. cons. 29. num. 5. de tempor. ordinat.

Sed hic oritur quæstio; Vtrū suspensio lata simpliciter à beneficio, sicut priuat fructibus beneficiorum, quæ possidentur ipsa durante, ita quoque impediat, ne suspensus possit acquirere nouum beneficium.

Respondeo; Si suspensio sit simpliciter à beneficio lata, idest ab omni beneficio iuxta ea, quæ superius firmauimus, licèt per se, & directè impediat exactionem fructuum illorum beneficiorum, quæ tunc temporis possidentur à suspenso, tamen secundariò & ex cōsequenti prohibet acquisitionem noui beneficij, ob eā rationem, quæ desumitur ex cap. vlt. De Cleri. excom. C Mini. quoniam ille, cui simpliciter est interdictus aliquis vsus, vel actus ex consequēti prohibetur id, quod est principium illius actus, vel quod ad illum ordinatur, vt dicitur in dicto cap. fin. De Cleri. excom. Mini. Quare si suspensio impedit, ne quis faciat suos fructus Ecclesiasticos, prohibet quoque, ne consequatur beneficium, quod confertur, vt illius vi possit quis exigere fructus; Vnde beneficium ordinatur ad fructus, & est causa illorum, & ita sentit Glos. vlt. in fi. in cap. Per inquisitionem de elect. id colligens ex eod. tex. Vbi quidam ob prauam Episcopi electionem suspensus mandatur priuari beneficio, quod postea consecutus fuerat. Et quoad hoc nullum est discrimen inter suspensum ab officio, & à beneficio. Sicut enim ille eligi non D potest, ita neque iste, vt inquit Glos. in dicto cap. Per inquisitionem de elect.

Ob eandem rationem idem asserendum est, si quis suspensus sit à beneficijs non simpliciter, sed in determinato loco vel Ecclesia, vt in cap. Si Compromissarius de elect. lib. 6. Quia in dicta Ecclesia, aut loco nouum beneficium acquirere non poterit, sed in alio loco poterit, vt notat Glos. in cap. Pastoralis §. Verum Ver. Subtrahuntur de appell.

Sed rursus dubitari potest; An suspensus simpliciter ab omni beneficio ita sit prohibitus consequi nouum beneficium, vt per suspensionem redditus sit incapax, & inhabilis ad illud obtinendum, ita vt collatio sit ipso iure nulla, an verò sit irritanda à Superiore.

E Respondeo collationem beneficij factam suspenso durante suspensione, non esse ipso iure irritam, sed irritandam fore à Superiore. Idque probari potest ex eo, quod Doctores ob eam causam dicunt suspensionem à beneficio impedire consecutionem futuri beneficij; Quòd prohibito aliquo actu intelligitur ex consequenti prohibita causa illius actus, vt dicebam paulò ante ex ca. fin. de Cleri. excom. mini. Sed in illo textu. vbi statuitur hoc principium tanquam regula, non asseritur, quòd electio sit irrita ipso facto, sed irritanda; Ergo idem dicendum est in hoc casu suspensionis, &

in cap. Per inquisitionem de elect. præcipitur, vt quidam suspensus, qui in Præpositum electus fuerat, ab officio Præpositure amoueatur, ergo non declaratur irrita electio, sed irritanda.

Tertiò obijci potest; Nam ex dictis sequi videtur, quòd si Clericus, qui nullum possidet beneficium, committat crimen, contra quod lata est ab ipso iure suspēsio à beneficio simpliciter, erit priuatus facultate recipiendi beneficium, & sic eligi non poterit, quamuis non priuetur fructibus beneficij, quia nullum beneficium retinet, hoc tamen videtur absurdum, quia nemo suspēditur ab illo, quod non habet; Et Glos. in Extrauag. Iniunctæ Ver. Suspensi de elect. idem inquit.

A

Ad hanc obiectionem duobus modis responderi potest, primo negando sequelam, nempe suspensionem à beneficio parere hunc effectum in eo, qui caret beneficio, nimirum vt non possit eligi ad futurum beneficium durante suspēsione, hoc inquam negari potest, & ratio negationis illa adduci potest, quia impedire acquisitionem noui beneficii non est principalis effectus suspensionis à beneficio, neque per se intentus ab ipso suspendente, sed est effectus secundarius, & quasi consequens, & accessorius; Et quia cessante principali cesset id, quod est accessorium; Ideo etiam in materia suspensionis cessante effectu principali, nempe priuatione fructuum ex carentia beneficii, debet etiam secundarius cessare, idest impedimentum ad futurum beneficium. Neque id mirum videri debet, quia hæc suspensio per se, & directè fertur in Beneficiarios Ecclesiæ, qui eius fructibus vtuntur, & ideo conuenienter huiusmodi fructibus priuantur, si in Ecclesiam crimen committunt.

B

C

Secundò responderi potest concedendo consequentiam, nimirum posse suspendi aliquem à beneficio hoc modo, vt non valeat obtinere beneficium, quamuis, quando suspenditur, nullum habeat beneficium; Nullum enim sequitur absurdum, si dicamus posse aliquē suspendi, ne valeat consequi beneficium, quod alias obtinere potuisset; Nam suspensio non necessariò supponit rem, quam aufert, sed satis est, si supponat potentiam proximam rei, quæ obtineri possit. Quare per suspensionem potest quis priuari facultate consequendi beneficium, cuius fructus percipere nequit.

D

Ideo si lex lata sit continens suspensionem à beneficio in eos, qui tale crimen commiserint, quicunque Clericus legem violauerit, pœnam suspensionis incurrit, siue sit beneficiarius, siue beneficio careat, & operabitur in vnoquoq; effectum, quem poterit, ille quis habet beneficium erit priuatus eius fructibus, & non poterit nouum beneficium acquirere, si nullum habeat beneficium, impedietur tantummodo a consecutione futuri beneficii. Idque confirmari potest, quia si talis Clericus post commissum delictū, & post pronunciatam sententiam suspensionis in eum obtineat beneficium, vtique erit suspensus, ne possit percipere fructus illius, quia sententia incepit operari effectum suum ab eo die, quo consequitur beneficium, & idem dicendum esset si suspensio lata esset in lege, ergo suspensio extenditur ad illum, qui tempore commissi delicti carebat beneficio. Quamobrem quando dicunt Doctores suspensionem directè priuare fructibus, & indirectè, ac secundariò impedire acquisitionem beneficii, hoc dictum intelligendum est respectu eiusdem beneficii, quod habet; Quòd si beneficio careat, satis est, si reddat personam inhabilem ad percipiendum fructus, si beneficium consequatur durante suspensione, & eadem ratio est de suspensione ab officio, nam qui simpliciter ab officio suspensus est, licèt actu non habeat officium, cuius vsus interdicatur, tamen probibetur, ne eo tempore Ecclesiasticum officium acquirere possit. Similiter qui suspēditur ab Ordine, quamuis nullum habeat ordinem, sed sit Clericus primæ Tonsuræ, prohibetur, ne Ordines suscipere valeat, quamuis impediri nequeat ab executione præexistentis Ordinis, eum nullum habeat.

Et hæc videtur probabilis opinio, & rationi consentanea; Non desunt tamen aliqui, qui putant Clericum committentem contra legem, pœnam suspensionis à beneficio continentem si beneficium non habeat arbitraria pœna per Iudicem plectendum esse, sicut dicit de Monacho, Anchar. in cap. Quia sepe nu. 3. Vers. Quid in Monacho &c. De Elect. lib. 6. & citat Archid. & alios; Quæ sententia etiam mihi probatur, quamuis Gemin. in eod. cap. Quia sæpe num. 11. teneat talem Monachum ex vi huiusmodi suspensionis priuatum esse voce in Conuentu, non esse vocandum ad communes tractatus, neque esse alendum cum aliis in communi, sed in Ergastulo, hæc autem non confirmat aliqua auctoritate, vel ratione, & mihi videntur voluntariè dicta, & nullo fundamento niti posse.



DISPVTATIO SEXTA.

DE PECCATO ET POENA VIOLANTIVM SVSPENSIONEM.



OSTQVAM de Suspensione ab officio, & à beneficio, & quid vtraque sit, explicatum est, quosque effectus pariant, nunc videndum est, cuius culpę Rei sint violantes suspensionis censuram, & quas pœnas incurrant. Simulque disputabimus, quibus actibus incurratur Irregularitas à Suspensis.

Caput Primum, Quod peccatum sit violare Suspensionem ab officio, & vtrum gesta per Suspensum ab officio sint valida.

Caput Secundum, Quam pœnam incurrat suspensus ab officio, si suspensionem non seruet.

Caput Tertium, Explicatur magis specificè, & distinctè, quibus actibus suspensus ab officio, si illud exerceat, vt prius, incurrat irregularitatem, & quando secus accidat, simulque in fine agitur de participatione cum suspenso.

Caput Quartum, De Peccato & pœna transgredientium Suspensionem à beneficio.

CAPVT I.

Quod peccatum sit violare Suspensionem ab officio, & vtrum gesta per Suspensum ab officio sint valida.

ANte omnia illud negari non potest, peccatum committere, & graue, si suspensus simpliciter ab officio aliquid exerceat ad officium Ecclesiasticum spectans. Similiter certum esse debet peccatum committi ab eo, qui non est suspensus simpliciter ab officio, sed ex parte, magis aut minus graue pro ratione rei prohibitæ, & præcepti Superioris, quod transgreditur. Quare si quis sit suspensus à totali iurisdictione, vel ab aliquo actu iurisdictionis, si controueniat, vtique peccat. Similiter si suspendatur a toto Ordine, vel ab vno tantum, siue ab actu alicuius Ordinis, & suspensionem repectiuè violet, reus est culpæ.

Hoc autem dictum probari potest; Primò quoniã id Iure prohibetur, & prohibitio est de re graui, ergo ex suo genere est peccatum mortale; secundò idcirco communicare cum excommunicato in diuinis est peccatum mortale, quia violatur præceptum Ecclesiasticum in materia graui. Sed vsus officij Ecclesiastici est similiter ex suo genere materia grauis, ergo si suspensus exercet actum officii sui, transgreditur præceptum Ecclesiæ, ideo est reus peccati mortalis, & confirmari potest ex cap. Sacris De iis, qui metusue cau. fi. Vbi communicare cum excommunicato, peccatum mortale vocatur. Tertiò Excommunicatus minori excommunicatione celebrans peccat, vt dicitur in cap. vlt. De Cleri. Excom. Mini. Ergo fortiori ratione non erit immunis à peccato, qui post suspensionem temerè pręsumit exercere actum officij, à quo suspensus est. Quartò idem confirmari potest ex graui pœna, quæ ab ipso Iure contra tales suspensionis transgressores imponitur, de qua dicam paulò post suo loco. Ad hoc idem facit cap. 2. De Maior. & Obed.

Illud autem non est prætermittendum, quod etiam monui in materia de Excommunicatione; Non esse interdictum suspenso recitare horas canonicas priuatim, hæc enim recitatio non est actus officij, sed est onus & obligatio, quæ non tollitur per pœnam, sic enim suspensus consequeretur beneficiũ ex sua culpa. Tenetur igitur suspensus priuatim recitare horas canonicas, sicut excommunicatus; est enim vtriusque eadem ratio, dummodo illas non celebret tanquam ex officio, vt notat Glos. vlt. in cap. Presbyterum dist. 28. Syluc. Ver. Irregularitas §. 15. Vers. Quartum si Sacerdos, Abb. in ca. 2. nu. 7. de Cleri. excom. Mini. asserit non solum posse dicere officium diuinum priuatim, sed obligationi teneri. Idem tenet Dec. in c. Apostolicæ de except.

Quoad ea verò, quæ à suspenso geruntur, an sint valida, nec non opus est distinctione; Vel enim quæritur de actibus Ordinis, vel de actibus Iurisdictionis. Si loquamur de actibus Ordinis, qui ad eorũ valorẽ, & subsistentiã non indigẽt iurisdictione, certè illi erũt validi, quãuis à suspenso administrẽtur: Quia Ecclesia nõ potest impedire valorẽ horum actuũ, si debita materia, & forma à Ministro habente potestatem Ordinis vera intentione applicentur. Et quidem si à suspenso Ministro Sacramenta conficiantur, & conferantur seruato Ecclesiastico ritu, certum est valida esse & rata, si nullus alius intercedat defectus, nisi censura ipsius Ministri, & per se loquendo conferre suscipienti totum effectum proprium, nisi positus fuerit obex ex parte ipsius recipientis excepta absolutione sacramentali, quæ non solius Ordinis est actus, sed requirit etiam iurisdictionem, qua cum careat suspensus ab officio simpliciter, ideo si tentet absoluere, absolutio est irrita iuxta ea, quæ dixi in materia excommunicationis, lib. 5. Disp. 8. cap. 7. Nam absolutio impensa à Sacerdote Excommunicato, denunciato, & non tolerato est irrita, & eadem ratio est de suspenso simili modo. Ratio autem, propter quam Sacramenta non irritantur, neque eorum effectus impeditur ex suspensione Ministri, est, quia applicata debita materia, & forma cum debita intentione circa subiectum, capax, efficitur validum Sacramentum, & sortitur effectum suum; Neque

ob

ob Ministri iniquitatem, aut Ecclesiæ prohibitionem impediri potest. Nam Sacramentum ex institutione Christi, vt docet Concilium Trident. Materia, forma, & ministro perficitur. Quamobrem hæc assertio est certa iuxta principia fidei, quæ traduntur in materia de Sacramentis, solùm Sacramentum pœnitentiæ ab huiusmodi suspenso collatum extra casum extremæ necessitatis ipsius Pœnitentis erit inualidum defectu iurisdictionis, sicut si collatum esset à Sacerdote maiori excommunicatione innodato, & publicè denunciato, sicut probatum est in lib. 1. Disp. 8. Cap. 7. & est communis sententia, vt docet Couar. in ca. Alma Mater 1. par. §. 6. num. 7. & Nauar. in Manua. cap. 9. nu. 8. & Medi. in Tract. De Confess. quæst. De absolutione tributa à Clerico excommunicato denunciato; Et quæst. De absolutione tradita ab Excommunicato manifesto Clerici percussore. Et ratio est, quia Minister Sacramenti Pœnitentiæ si non habet iurisdictionem, non conficit Sacramentum, vt constat ex c. Omnis vtriusque de Pœnit. & Remiss. & ex decreto Conc. Florentini, & ex Trident. sess. 14. cap. 7. Sed excommunicatus denunciatus, vel suspensus ab officio simpliciter priuatus est omni iurisdictione, vt colligitur ex ca. Ad probandum de sent. & re iudi. Idcirco solum Sacramentum Pœnitentiæ si administretur à Sacerdote suspenso denunciato erit inualidum, reliqua omnia Sacramenta, si cætera omnia essentialiter requisita ad eorum perfectionem intercedant, valida erunt. Eadem ratio est de alijs benedictionibus, seu consecrationibus, & generaliter de omnibus Sacramentalibus ab Ecclesia institutis, quæ si facta fuerint à suspẽso, tenent, ex quorum genere est solennis benedictio, quæ in Templo dari solet Coniugatis: Item ceremoniæ, & solennitates, quæ seruari solent in ritu baptizandi, Consecratio Ecclesiæ, Altaris, Benedictio Virginum, & similes. Et ratio est, quia hæc omnia iurisdictionem non requirunt, sed solum Sacerdotalem, vel Episcopalem Ordinem, & validè exercentur à Ministro talem ordinem habente, & in reliquis debitum ordinem seruante, etiamsi sit suspensus, aut excommunicatus, Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 6. Ang. eod. Ver. & numero. Tabien. num. 8. Nam Excommunicatio nihil aufert, quod sit de necessitate huiusmodi actionum, & multò minus suspensio, etiamsi illas prohibeat; Quia non sunt actiones, quæ pendeant à iurisdictione, neque ex bonitate operantis.

Sed posset quis contra argumentari ex differentia, quæ intercedit inter hęc sacramentalia, & sacramenta, quòd Sacramenta sunt ex institutione Christi, qui pręscripsit ritum certum, & determinatum Ministrũ, qui non potest ab Ecclesia mutari, vel ita impediri, vt Sacramentum factum non teneat, si omnia necessaria concurrunt. At Sacramentalia sunt ex institutione Ecclesię, quare potest ipsa statuere; Vt si exerceantur a Ministro Excommunicato, aut suspenso, nullius sint valoris, ita vt ad substantiam illarum actionum sit necessarius Minister cum hac conditione. Respondeo Ecclesiam potuisse vtique ita statuere, si voluisset, tamen nullibi constare id fecisse. Neque in Iure Canonico est aliquis textus, vnde colligatur, huiusmodi actus irritos fore: Quamuis non sit negandum peccatum committi, & graue à Sacerdote, aut Episcopo excommunicato, vel suspenso, qui tales actus administrare non erubesceret; Esset enim communicatio in quodam Sacro, & solenni ministerio publico. Hęc igitur vera sunt de actibus Ordinis.

Quòd si tractetur de actibus iurisdictionis, sub qua comprehenditur potestas eligendi, & similes, siue propriè, & in rigore iurisdictionem postulẽt, siue aliquod æquiualens Ius ab hominibus concessum, quod auferri possit: Actus tales iurisdictionem postulantes, per se loquendo, inualidi sunt, quia suspensus priuatus est actuali iurisdictione, vt superius probatum est. Dixi autem per se loquendo, nam si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia communiter toleratus in publico officio, seu ministerio, acta per eum valent, quia Ecclesia supplet defectum propter commune bonum. Neque prætereundum est Extrauagantem Ad euitanda, locum habere non solum in Excommunicatione, sed etiam in Suspensione, vt patet ex verbis illius, cum generaliter dicis: *Ratione alicuius sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ*. Immo cum in specie addit, *Aut suspensionis, aut prohibitionis à Iure, aut ab homine generaliter promulgatæ*. Quamobrem si suspensus non est publicè, & specialiter denunciatus licèt quoad se ad euitandum peccatum à iure prohibeatur in officio suo ministrare, tamen in ordine ad alios non est priuatus iurisdictione, sicut dictum est de Excommunicato. Et confirmatur, nam fideles subditi possunt à Suspenso, si non sit specialiter denunciatus postulare actus spectãtes ad Iurisdictionem, vt absolutionem sacramentalem, vel absolutionem ab excommunicatione, aut similes, ergo suspensus poterit illos exercere, secus priuilegium illud concessum in Extrauag. Ad euitanda, Fidelibus, vt non teneantur cauere ab innodatis aliqua censura Ecclesiastica, nisi contineantur sub illo duplici genere ibi expresso, nullius esset momenti, & vtilitatis. Quare fatendum est suspensum ante denunciationem retinere iurisdictionem necessariam ad valorem actus; Et hinc sequitur consequẽter suspensum, antequam publicè denuncietur, posse licitè & sine peccato huiusmodi actus iurisdictionis exercere, quando tenetur ex officio illos administrare, & non se ingerit spontè, & voluntariè, sed requisitus ab habente ius petendi, vt si subditus quærat à suo Parocho; In hoc enim casu consulitur fauori, & commodo recipientis, non administrantis.

CAPVT II.

Quam pœnam incurrat suspensus ab officio, si suspensionem non seruet.

Diximus de peccato violantium suspensionem; de Pœna tractandum est, quam incurrunt ob hanc causam; Et simpliciter respondendum est huic quæstioni, solam Irregularitatẽ incurri à suspenso, si actus ordinis exerceat ante absolutionem, Quam irregularitatem non contrahit suspensus ab officio, si exerceat actus prouenientes à sola potestate iurisdictionis, neq; alia est poena ipso iure imposita specialiter contra tales violatores exercendo actus iurisdictionis, sed arbitrio Iudicis puniri debent.

Et primò irregularitatem incurri à suspenso ab officio, si exerceat actum Ordinis, probatur ex cap. 1. de sent. & re iudi. lib 6. Vbi Iudex contra iustitiam aliquid in Iudicio faciens in grauamen partis per gratiam, vel per sordes, per annum ab executione officij suspenditur, & additur; *Sciturus quòd si suspensione durante damnabiliter se ingesserit diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet secundum canonicas sanctiones, à qua non nisi per Summum Pontificem poterit liberari*. In cap. 1. de sent. excom. eod. lib. Qui in pronuncianda sententia excommunicationis, suspensionis, & Interdicti non

seruat

seruat formam, quæ ibi definitur, per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs suspenditur, in fine verò ita habetur. *Caueant autem Ecclesiarum Prælati, & Iudices vniuersi, ne prædictam pœnam suspensionis incurrant, quoniam si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient iuxta canonicas sanctiones, super qua non nisi per Summum Pontificem poterit dispensari.* Idem colligitur ex cap. Si quis Episcopus damnatus, & cap. Si quis Episcopus in Concilio 11.q.3.& Glos. in dicto cap. Si quis Episcopus damnatus Ver. In alia, notat Episcopum non posse dispensare cum eo, qui post excommunicationem celebrat. Hoc idem habetur de suspensione ab ingressu Ecclesiæ generaliter lata in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cùm sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi diuinis in ea se ingerat in suo agens officio, sicut prius.*

Hęc autem irregularitas contrahitur à suspenso ab officio, si durante suspensione ante absolutionem exerceat actus ordinis, quamuis non sit nominatim denunciatus suspensus, quia Extrauag. Ad euitanda nullum priuilegium tribuit ipsis suspensis, vel excommunicatis, aut interdictis quoad ipsos, vt non teneantur seruare iura antiqua, sicut antea, sed voluit alijs fauere, quibus occasio se offert communicandi cum obstrictis aliqua censura, ne ab illis cauere compellantur, nisi vbi denunciatio præcesserat.

Rursus irregularitas contrahitur à suspenso ab officio per celebrationem, siue suspensio sit à Iure, siue ab homine, licèt enim aliqui teneant suspensum à Canone, non effici irregularem, tamen oppositum est verum vt tenent Host. Innoc. quos refert, & sequitur Abb. in cap. Sicut nom.4. Vers. Secunda differentia de cohab. Cleri. & Mulie. Nam vt rectè declarat Innoc. in cap. Si celebrat de Cleri. excom. Mini. suspensus à Canone efficitur irregularis celebrando, quando suspensio habuit originem à Canone, secus vbi Canon tantùm approbat suspensionem factam à Deo. Quomodo possumus dicere omnē peccatorem esse suspensum à Deo primùm, & à Canone deinde per approbationem. Hæc autem suspensio non dicitur propriè censura ecclesiastica, de qua modò loquimur, & ideo non inducit irregularitatem. Verùm suspensio, quæ à Canone immediatè prouenit, ita inducit irregularitatem, sicut se lata sit ab homine, est enim vtriusque eadem ratio, cùm vtraque eiusdem speciei sit censura. Causa enim efficiens, per se loquendo, non variat speciem.

Item hæc irregularitas non tātùm prouenit ex violatione suspensionis ab officio, quæ est propriè censura, idest quæ fertur ob contumaciam, sed etiam ex illa, quæ est simpliciter pœna, & imponitur ob crimen commissum. Et de suspensione ob contumaciam, quæ est propriè censura id probari potest ex cap. Is cui de senten. excom. lib.6. Vbi statuitur regula generalis, nempe Innodatum quacunque censura ecclesiastica incurrere irregularitatē ex celebratione diuinorum.

De suspensione autem, quæ infertur in pęnam peccati ad definitum tempus, licèt non sit censura, idem colligi potest ex cap. 1. de sent. & re iudi. lib.6. & ex cap. 1. de sent. excom. eod. lib. In quibus locis fertur huiusmodi suspensio in pęnam criminis, & tamē apertè definitur, irregularitatem contrahi, si suspensus celebrare præsumpserit; Ratione hoc idem quoque persuaderi potest, quoniam non minus sacro ministerio

A tanquam indecens repugnare videtur, vt suspensus hoc secundo modo in pœnam delicti se diuinis ingerat, sicut si ob contumaciam suspensionis censura obstrictus esset, ergo irregularitas erit pariter vtriusque suspensionis effectus. Euitare potest suspensus irregularitatem tantùm, vbi adest causa sufficiens, quæ valeat illum excusare à culpa ministrando, nimirum vt fugiat grauem infamiam, vel scandalum, vel similia, quia hæc irregularitas incurritur in pœnam, & ideo cessat cessante culpa.

Quamobrem videtur communis conclusio, & certa omnium Doctorum firmata consensu omnem suspensionem ab officio siue à Canone, siue ab Homine parere irregularitatem, si ipsa permanente suspensus diuinis se immisceat. Ita sentit Anchar. in cap. 1. §.
B fin.nu.5. De Sent. Excom. lib.6. Philip. Franc. num.6. Innoc. cap. 1. nu. 2. Vers. In suspensione De Cleri. Peregri. Abb. in cap. Sicut n. 4. De Cohab. Cleri. & Mulier. & alij omnes.

Ex dictis sequitur non esse probandam sententiam Innoc. in cap. vlt. nu. 3. De Cleri. Excom. Mini. cùm inquit non posse vocari sententiam suspensionis a Canone propriè, sed Dei, si lex dicat: Quicunque hoc fecerit, sit suspensus, quousq; satisfaciat aut pœniteat; Ideo si quis post commissum tale crimen ministret in officio, non effici irregularem, etiam ante satisfactionem, vel pœnitentiam peractam. Qua in re Innoc. in eod. cap. videtur sibi ipsi aduersari, cùm in eodem
C loco dicat incurri irregularitatem, quando quis suspenditur hoc modo ad tempus incertum, donec satisfecerit, ab homine per sententiam Iudicis, si se immisceat diuinis. Vnde Philip. Franc. in cap. 1. §. fin. nu. 5. De Sent. & Re Iudi. lib. 6. conatur hæc dicta conciliare, vt primum procedat, quando quis extraiudicialiter suspenditur, dummodo non sit suspensus pro tali causa, quæ a Iure communi induceret irregularitatem; Secundum verò dictum De Suspensione lata ab homine per sententiam iudicialiter. Verùm, vt dixi, opinio Innocentij non est probabilis; Quia sententia lata sub his verbis: Suspendo te, quousque satisfeceris, est verè, & propriè censura. Neque potest suspensio Ecclesiastica expressioribus, & clariori-
D bus verbis pronunciari, quam sub prædicta forma. Deinde quando lex hoc modo prohibet aliquem actū sub pœna suspensionis, non solùm explicat intrinsecum effectum peccati, quod interdicitur, sed addit pœnam, vt patet ex verbis, quibus vtitur, quæ inutilia, & superflua essent, si nihil aliud efficerent, quàm id, quod ipsum peccatum per se inducit, præsertim cum talis suspensio, quæ in lege habetur, impediat omnem actum, quem solum peccatum impedire non posset: Nam interdum suspensio ab officio ecclesiastico fertur, ita vt nullus actus spectans ad officium permissus sit suspenso, & tamen peccatum, cuius causa contracta est suspensio non posset prohibere per se
E omnem actum, cuiuscunque ordinis inferioris, neque etiam iurisdictionis. Præterea aliquando talis suspensio non solum est ab officio, sed etiam a beneficio, vt patet in cap. Quia sæpe de elect. lib. 6. vbi rapientes vacante Sede bona Ecclesiæ, donec plenè restituant, ab officio, & quibuscunq; beneficijs suspenduntur, &c. Præsenti de off. ordi. eod. lib. Similis habetur suspensio, & tamen certum est suspensionem à beneficio pœnam esse, quam ipsum peccatum per se non inducit, nisi ab Ecclesia imponatur; Ergo idem, vt affirmandum de suspensione simpliciter ab officio, si à Canone pronuncietur sub eodem tenore, & eiusdem verbis. Quare

re negari non potest huiusmodi suspensionem hoc modo latam, esse veram censuram, & consequenter fatendum est incurri irregularitatem, si ad hunc modum suspensus tentet solenniter in diuinis ex officio ministrare, vt tenet Glos. in cap.2. Ver. Suspensos de censi. lib. 6. quam vocat singularem Franc. in cap.1. §.fin. num.5. in fi. de sent. & Re Iudi. lib. 6.

Dices suspensus sub hac forma, donec pœnituerit, vel satisfecerit, non erit irregularis, si violet, quoniam hæc suspensio habet conditionem annexam, quæ videtur referri in Deum, & potest statim pœnitere, & ita tenet Sylue. Ver. Irregularitas, §.27. Specul. in tit. de Dispensat. §.Iuxta vers. Item quando dicitur, & vers. In suspensis autem distinguitur.

Respondeo hoc in casu cõtrahere irregularitatem suspensum, quamuis satisfecerit, vel pœnituerit, si se diuinis immisceat ante Iudicis declarationem, quæ necessaria est ad euitandam irregularitatem, vt inquit Tabien. Ver. Irregularitas 4. in princ. & num. 4. Et licèt Sylue. Vbi supra hoc verú esse affirmet, quando additur illa conditio, *Donec satisfecerit*, secus verò, si posita fuerit illa conditio, *Donec pœniteat*, quia talis suspensio est à Deo, sed ego censeo parem esse vtriusque conditionis rationem, & ita sentit Gemin. in cap.1. num. 10. vers. Alia autem opinio ex mente Io. And. siue Iudex dicat suspendo Franciscum donec pœniteat, vel donec satisfaciat, cùm vtraque supponatur inflicta eodem modo à Canone, vel à Iudice per sententiam in foro exteriori, ideo ad vtramque tollendam requiritur factum hominis.

Sed objiciet quis cap. vlt. de Cohab. Cleri. & Mulie. Vbi Clericus concubinarius vocatur suspensus, & tamen dicitur non esse vitandum in diuinis officijs, quamdiu ab Ecclesia toleretur; ergo talis Sacerdos concubinarius celebrando non incurrit irregularitatem; Igitur suspensus ab officio, si se immisceat diuinis, non semper irregularitatem contrahit.

Respondetur in dicto cap. fin. non ferri suspensionem sub illa forma de qua modò tractamus, scilicet donec quis satisfecerit, vel pœnituerit, aut simili modo, neque sub verbis æquiualentibus, idcirco non militat eadem ratio, sed solùm Concubinarius suspenditur ob peccatum quoad se, non quoad alios, vbi suspensio latè sumitur pro impedimẽto, & obligatione, qua tenetur talis Sacerdos in cõscientia à celebratione abstinere, quamdiu in eo statu manet. Vnde clarum est nõ incurrere irregularitatem celebrando, etiamsi peccet, sed alia ratio est, vbi in Canone reperiuntur verba ad significandam, & imponendam verã censuram suspensionis, qualia sunt ea, de quibus disputamus. Quamobrem rectè consideranda sunt verba Canonis, & vbi talia sunt, quæ significent suspensionẽ ferri ipso facto ab ipsa lege, dicendum est in eo casu irregularitatem incurri per suspẽsum, si post violationem legis diuinis se immisceat, & habet locum id, quod tenet Glos. in c.2. Ver. Suspensos de Censi. lib.6. quòd si lex non ita loquatur, vt appareat verè ferre suspensionem, sed potius illam approbsre quasi à peccato prouenientem, & à Deo latam, tũc irregularitas non contrahitur, si à tali suspenso diuina celebrentur, quoniam irregulariras est impedimentum ab Ecclesia inductum, & habet locum solum in casibus Iure expressis cap. Is qui de sent. excom. lib.6.

Totã hanc difficultatem videtur positis quibusdam distinctionibus plenè declarare Gemin. in c.1. §. vlt. num. 10. vers. Ideo puto aliter dicendum &c. de sent. & Re Iudi. lib.6. Ad hunc modum, aut suspensio re-

A fertur tantùm ad obiecta, vt si interdicatur alijs, ne audiant Missam alterius; Quo casu, si talis Sacerdos celebrat, non efficitur irregularis, vt de Clerico peregrino sentit Innoc. in cap.1. num.2. de Cleri. peregr. quem dicit non esse suspensum neque à Iure, neque ab homine, & sine peccato posse celebrare, si locum habeat, vbi liceat ei celebrare, sed alij prohibiti sunt audire illius officia. Vnde quoad hanc prohibitionem Episcopus dispensare potest. Aut suspensio ad obiecta non dirigitur, sed ad ipsummet tunc vel respicit solam personam suspensi, quam vocant minorem suspensionem, & hoc casu ex celebratione non incurritur irregularitas, vt habetur in cap fin. de Cleri. excom. Ministr. De eo, qui vinculo minoris excommunicationis est innodatus, qui suspensus est quoad se tantum, & si
B celebrat, peccat, non tamen irregularitatem contrahit, vel est suspensio nõ solùm in ordine ad suspensum, sed ad alios, & vocatur maior suspẽsio, quia prohibet administrationem diuinorum non solùm quoad suspensum, sed quoad alios, & tunc subdistinguendum est; Potest enim ferri talis suspensio duobus modis. Primo modo simpliciter, aut ad certum tempus, vt ad tres menses, ad annum &c. & tunc celebrando cõtrahitur irregularitas, vt dicitur in cap.1. de sent. & Re Iudi. lib.6. Vbi Iudex, qui per sordes aliquid in Iudicio contra iustitiam fecerit, ab officio per annum suspenditur, de quo subiungitur statim, *Sciturus, quòd si suspensione durante damnabiliter se ingesserit diuinis, ir-*
C *regularitatis laqueo se inuoluet &c.* Secundo modo ad tempus incertum, vt est dubitatio præsens, vt si Iudex suspendat aliquem, donec satisfecerit, aut pœnitentiam egerit, & in hoc casu opus est alia distinctione iuxta sententiam Io. And. in cap. fin. de Cleri. excom. Mini. nimirum attendenda est intẽtio Iudicis suspendentis, si enim voluit solùm extraiudicialiter suspendere, puta si dicat, vide, ne celebres, donec agas pœnitentiam, vel satisfacias, non enim tunc addit nouum vinculum præter illud, quod ipsum peccatum affert; sed potiùs declarat, & reuocat in memoriam præceptum diuinum. Si autem Iudex hoc faciat iudicialiter iuris ordine seruato, vt si Clericus erat diffamatus de crimine, & vocat eum, & post discussionẽ cau-
D sæ procedit iudicialiter proferendo sententiã suspensionis ab officio, donec satisfecerit, aut pœnituerit, tunc intentio est Iudicis ferre veram censuram suspensionis, non solùm approbare pœnam, quam secum affert peccatum Iure diuino, ideo si ante absolutionem tunc celebret, irregularitatem incurri. Et eadem est ratio, quando suspensio sub eadem forma in Canone habetur, sed hodie dici potest paris esse firmitatis, si impedimentum irregulariratis nascatur ex præcepto Superioris iudicialiter siue extraiudicialiter arg. decreti Concilij Tridentini sess.14. cap.1. de Refor. Vbi Concilium Tridentinum declarat eum, cui assensus ad sacros Ordines à suo Prælato ex quacunque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet,
E etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, vel à suis gradibus, & dignitatibus fuerit suspensus, non posse contra ipsius Prælati voluntatem, quacunque obtenta licẽtia, aut promoueri, aut ad priores ordines, gradus, seu dignitates reassumi, & ita notauit Maiol. li.3. de Irregula. c.19. n.23. vers. Decima sexta declaratio.

Ex his constat, quę pœna imposita sit à Iure contra violantes suspensionem, ab officio, nempe irregularitas, quæ incurritur, si ante absolutionem suspensus exerceat actus ordinis, neque alia pœna reperitur à Iure lata contra tales transgressores. Quibus autem

actionibus in specie, & qualiter ex administratione in officio sequatur nota irregularitatis, declarandum erit latius, & distinctius in sequenti Capite.

Quòd si suspensus vtatur officio exercendo actus solius iurisdictionis, qui non includunt vsum Ordinis, non incurrit irregularitatem neque aliam pœnam à Iure impositam, vt dicebam initio Capitis, & erat secunda pars conclusionis; Ratio est, quoniam irregularitas non incurritur in casibus non expressis à Iure, & est principium in materia de Irregularitate, quod habetur in ca. Is qui, de sent. excom. lib. 6. & ab omnibus Doctoribus est approbatum.

Cur autem Sacri Canones imposuerint pœnam irregularitatis violantibus suspensionem ob executionem actuum ad solam potestatem Ordinis spectantiũ, non autem si administrent actus solius iurisdictionis, potest conueniens ratio huius diuersitatis assignari; Vel quia actus solius iurisdictionis non sunt adeò sacri, sicut actus Ordinis: Et ideo noluisse ius tam grauem pœnam pro illis imponere; Vel potius quia irregularitas est impedimentum, quod per se, & ex sui genere non impedit actus iurisdictionis, sed Ordinis, ideo fertur tanquam pœna correspondens suspenso ab officio, qui malè vtitur Ordinibus, non autem si malè vtatur potestate iurisdictionis.

Maiol lib. 3. cap decimonono, numero 2. Vers. Secunda extensio, & numero octano, vers. Decima quarta extensio De Irregular. inquit ex sententia Specul. in titu. De Dispensat. §. Iuxta Vers. Quartò non solum suspensum ab officio, vel ab Ordine fieri irregularem, si violet suspensionem circa Ordines, sed etiam contrahere irregularitatem, si beneficium conferre præsumat. Reddit rationem, quia agit aliquid ratione officii, quod Ordini annexum est; Nam vnà cum Ordine suspenduntur omnia, quæ ab illo pendent, quare exerceri non possunt sine irregularitate, & ad hoc citat Glos. in ca. Tanta Ver. Irritas & inanes, circa med. de excess. Prælat. & aliam Glos. in cap. Cum dilectus Ver. A suspensis prope fi. De consuet.

Nihilominus oppositum est verius ob eam rationem, quam attuli, quia irregularitas contrahitur tantum in ijs actibus, qui sunt ab ipso iure expressi, sed nullibi legitur per Collationem beneficiorum, quæ est actus solius iurisdictionis, factam à suspenso locum esse irregularitati; Neque Glosæ citatæ id affirmant; Illa enim, quæ habetur in dicto cap. Tanta de excess. Prælat. nihil penitus tractat de collatione beneficiorum, sed solum agit de Celebrante tempore Interdicti. Altera verò Glosa in capit. Cum dilectus de Consuet. asserit quidem suspensum carere potestate conferendi beneficia: Non infert tamen, quòd conferendo beneficium incurrat irregularitatem. Quare quidquid sit de Antecedenti, non sequitur necessariò illa consequentia; Quia non omnis violatio suspensionis inducit irregularitatem, sed illa tantum, quæ versatur in vso Ordinum. Nam Sacri Canones de actibus Ordinum tantum agunt.

Neque tamen idcirco negamus, si suspensus exerceat actus solius iurisdictionis, quamuis notam irregularitatis non incurrat ex dispositione Iuris, graue tamen delictum committere in iniuriam censuræ, & Ecclesiasticæ potestatis, & consequenter puniendum esse à Iudice pro ratione culpæ.

Quæret quis, Vtrum si suspensus ab officio per sententiam appellet ab huiusmodi suspensione, & interim celebret, incurrat Irregularitatem.

Respondeo; Et primò dico, si appellatio interponatur, A antequam pronuncietur sententia suspensionis, tunc habet vim impediendi suspensionem, sicut Excõmunicationem, & Interdictum: Si præcedat appellatio, vt dixi in lib. 3. Disp. 5. cap. 1. & habetur in cap. Ad hæc quoniam de appella. vbi de excommunicatione dicitur: *Noueris igitur, quòd sicut post appellationem excommunicari non possunt*, & ibidẽ æquiparatur Excommunicatio Interdicto, & Abb. nu. 1. dicit eandem esse rationem in omnibus censuris. Idem notat Glos. singularis in cap. Is cui Ver. Sequentem de sent. excom. lib. 6. Et ex consequenti tunc non incurritur Irregularitas ex celebratione diuinorum, quia suspensio non subsistit: Quod est intelligendum, si iusta adsit causa appellationis, secus si appellatio interponatur ex leui, & friB uola causa, & non probabili, nam si post hanc appellationem appellans celebret, & Iudex appellationis pronunciet appellationem non tenere, irregularis efficitur, vt inquit Sylue. Ver. Suspensio numero tertio, ex sententia Ber. & Hostiens. in capit. Pastoralis De Appella.

Dico secundò, si appellatio sequatur sententiam suspensionis, cum talis appellatio non impediat effectũ suspensionis, ideo si appellans interim celebret, efficitur Irregularis. Et ratio est, quoniam omnes tres censuræ Ecclesiasticæ statim trahunt secum executionem sine vlla temporis mora, vt inquit Abb. in dicto cap. Ad hæc quoniam. Idque definitum fuit expressè in dicto cap. Is cui in fin. de sent. excomm. lib. 6. his verbis, C *Tunc sicut Excommunicatio sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus per appellationem sequentem minimè suspenduntur*; Vbi idem firmant Anchar. in fi. Gem. in. §. Sanè num. 3. Franc. nu. 1.

Et hoc verum est, vt dicti Doctores asserunt, si suspensio feratur simpliciter, & absolutè, secus si in diem, & sub conditione, tunc enim appellatio interiecta etiam post decem dies suspendit effectum suspensionis.

Tertiò dico, si appellatio interposita fuerit post sententiam suspensionis à potestate rerum temporalium, vt ab ingressu domus, vineæ, & similium, sicut in Interdicto Aquæ, ignis, & huiusmodi, in his casibus suD spenditur effectus harum sententiarum, quæ propriè non dicuntur suspensiones. Meritò in dicto cap. Is cui sermo habetur de suspensione ab ingressu Ecclesię, & diuinorum, vt notat ibi Glos. Ver. Sequentem, & tradit Sylue. Ver. Suspensio §. 3.

Quærit Glos. ibidem, quid dicendum de suspensione à beneficio. Glos. in dicto cap. Is cui Ver. Sequentem, refert Innoc. asserentem appellationem nullius suspensionis Ecclesiasticæ effectum suspẽdere, At Host. distinctione vtitur. Vel suspensio fertur à beneficio, & cum beneficium spirituale sit, appellatio non potest impedire effectum; Aut suspensio imponitur à perceptione fructuum beneficiorum, qui cum sint temporales, ideo appellatio potest suspendere effectum eius. & eadem ratio erit, si suspensio sit à Præbenda, secus auE tem, si suspensio sit à Canonia, quę spiritualis videtur, Glos. ibi concludit suspensionem à beneficio impediri per appellationem sequentem, cum in eod. cap. Is cui exprimatur suspensio ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ. Si idem esset in suspensione à beneficio, Summus Pontifex non tacuisset. Quare conclusio illa, quòd effectus suspensionis non impeditur per appellationem sequentem, locum habet solum in his, quæ merè spiritualia sunt, quorum vi anima obstringitur, vt inquit ibi Glos. & idem tradit Sylue. Ver. Suspensio §. 3.

Hæc, quæ hactenus dixi de suspẽsione ab officio totali,

tali, & simpliciter, intelligenda sunt etiam suo modo de suspensione ab officio ex parte. Quamobrem si suspensio sit a iurisdictione tantum, nulla irregularitas contrahitur, sed propter eius transgressionem puniri debet suspensus arbitrio Iudicis. Si verò suspensio sit ab Ordine in genere, siue ab vno Ordine, vel a peculiari actu Ordinis, si talis actus ex officio exerceatur à suspenso incurritur irregularitas.

Quod probari potest, Primo Iura, quæ de Irregularitate loquuntur, non tantum loquuntur de suspensione totali ab officio, vel ab Ordine, sed etiam de partiali, vt patet ex locis sæpe citatis. Secundò quia suspensus ab officio simpliciter irregularitatem incurrit, si vnicum actum Ordinis exerceat iuxta cap. 1. de sent. & re iudi. lib. 6. & cap. 1. de sent. excomm. eod. lib. Sufficit ergo ad incurrendam irregularitatem violatio suspensionis totalis in aliqua parte, ergo si præcisè suspensio lata sit ab illa parte Ordinis, si illa violetur, contrahitur irregularitas.

Præter irregularitatem nulla alia pœna reperitur in Iure imposita contra violatores suspensionis partialis, sicut de totali dictum est.

Quòd si in cap. 2. dist. 55. præcipitur, vt qui suspensus est ab Altari, si Missas celebrauerit, *Ecclesiæ communione priuetur, & ab omnium fratrum communione nouerit se alienum*, quasi videatur pro tali crimine violationis imponere excommunicationem, præsertim ex vi verborum, quæ sequuntur in eodem Canone; *Quia dignum est, vt seueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ sentiat, &c.* Primum responderi potest illam pœnam non esse vsu receptam in vniuersa Ecclesia; Est enim ille Canon Concilij Arelatensis Prouincialis; Deinde verba illa, *Communione Ecclesiæ priuetur*, significant pœnam ferendam, non latam, Quòd si addatur *ab omni fratrum charitate nouerit se alienum*, quæ indicāt pœnam latā; Dici potest fuisse apposita ad exagerādam grauitatem delicti, non ad imponendam nouam pœnam, licèt Gloss. contra sentiat admittens excommunicationem, & si celebrauerit post excommunicationem, fore deponendum. Sed hoc est incertum, & probabilius est affirmare illam pœnam non esse in vsu.

Demum vt finem imponam huic capiti, illud quoque sciendum est; Hanc irregularitatem, quam dixi, ab ipso Iure impositam esse ob violationem suspensionis ab officio, non cessare sublata suspensione, sed semper remanere, quousque tollatur per dispensationem. Quare licèt suspensio inflicta ad certum tempus, elapso tempore præscripto, desinat, vt probaui in Disput. 2, cap. 7. & tradit Specul. in titu. De dispensat. §. Iuxta num. 21. Vers. In suspensis autem, remanet tamen impedimentum irregularitatis; Vnde etiamsi Episcopus possit auferre suspensionem, quam intulit, nō tamen potest tollere irregularitatem contractam ex administratione in diuinis durante dicta suspensione Episcopali, vt notat Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 19. num. 2. Talis enim irregularitas à solo Papa per dispensationem tollitur, si oriatur ex delicto manifesto; Verùm si esset occultum, semper Episcopus potest dispensare hoc tempore post Concilium Tridentinum, duobus casibus exceptis, idest homicidio voluntario, & vbi delicta occulta iam in Iudicio deducta essent, vt statutum est a Concilio Trident. sess. 24. cap. 6. De reform.

A

CAPVT III.

Explicatur magis specificè, & distinctè, quibus actibus suspensus ab officio, si illud exerceat, vt prius, incurrat irregularitatem, & quando secus accidat, simulque in fine agitur de participatione cum suspenso.

SVperiori capite proposita generali conclusione de pœna violantium suspensionem ab officio dixi solam irregularitatem ex dispositione Sacrorum Canonum contrahi ipso facto, si suspensus præsumat actū Ordinis exercere, sicut prius, simulque declaraui in genere non sequi hoc impedimentum Irregularitatis, nisi vbi suspensus audeat exercere actus spectantes ad potestatem Ordinis, secus autem si gerat actum solius iurisdictionis. B Modò specialium pertractandum est de eisdem actibus ordinis, vt sciamus, quales sufficiunt ad inducendam irregularitatem, & contra quibus actibus illa non inferatur.

Primo loco statuendum est, quòd licèt ex antiquis Canonibus solum statutum esset irregularitatem prouenire ex celebratione post excommunicationem maiorem, vt notat Glos. in cap. 1. Ver. Irregularitatem de sent. excom. lib. 6. tamen extenditur ad suspensionem, vt Glos. ibi, quam approbant omnes Doctores: Et ratio est, quoniam quantum ad celebrationem nulla est differentia inter excommunicationem, & suspensionem, & sicut ad incurrendam irregularitatem C requiritur in Excommunicato, vt celebret ex contemptu Clauium, & probant hoc Domin. in cap. 1. §. Caueant nu. 5. in fi. de sent. excom. lib. 6. Anchar. nu. 2. circa med. Vers. Et sicut in Excōmunicato &c. Franc. nu. 4. ex iuribus citatis in dicta Glos. Ver. Irregularitatem, in eod. cap. 1. de sent. excomm. lib. 6. Adducit enim cap. Si quis Episcopus damnatus 11. q. 3. Vbi ponitur verbum *Interfuerint*, & cap. si quis Episcopus in concilio ead. cau. & quæst. quod vtitur Ver. *Præsumpserint*, & in ca. Si quis De Cleri. excom. mini. Vbi agitur de Clerico ab officio suspenso, ita dicitur; *Et ipse per contemptum, & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, &c.* Vnde si quis probabiliter ignorans suam suspensionem immisceret se di- D uinis, excusaretur. Quòd si esset ignorantia culpabilis & crassa non excusaret, sed redderet eum habilem ad dispensationem obtinendam, vt habetur in cap. Apostolicæ de Cleri. excomm. ministr. & cum talibus, qui claues non contempserunt, consuetudo est, vt legatus de latere possit dispensare, vt dicit Gemin. in dicto ca. 1. §. Caueant num. 5. Vers. In fine Glosæ &c. de sent. excomm. lib. 6. De quo disputant Doctores super Glos. in cap. Clerici Ver. Moniti de Cleri. excom. mini.

Secundò animaduertendum est suspensionem, quæ inducit irregularitatem illā esse, quæ infligitur ob crimen, alioqui si ob solos corporis defectus, Vt in legitimo bigamo sine crimine, qui iam vt tales irregulares sunt, & ideirco ab ipso iure suspensi, per executionē or- E dinū non incurritur alia irregularitas, Specu. in tit. de dispensat. §. Iuxta Vers. In suspensis à Canone prope fi. Tabien. Ver. Irregularitas 4. in princ. Idque in Curia Romana obseruari probat Specul. vbi supra; Nam Papa, vt inquit Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 45. Vers. Hic tamen animaduertendum est &c. cum talibus simpliciter dispensat super defectu, non autem super irregularitate contracta ob celebrationem, vel ordinationem ante impetratā dispensationē, nec de illa irregularitate fit vlla mētio. Huius vsus illa ratio est, Nā qui ex defectu corporis celebrare nō potest, nō est

vere suspensus, sed irregularis, suscipiendo autem ordines non contrahit ipso facto aliquam Iuris suspensionem, ideo neque celebrando incidit in nouam irregularitatem præter eam, quæ erat ex corporis vitio seu defectu. Abb. idem scribit in capit. Si celebrat num. 4. Vers. De suspensione verò maiori &c. de Cleri.excom.mini. Dicens suspensum ob defectum, vt illegitimus, vel habens defectum & maculam in corpore impedientem promotionem, celebrando non effici irregularem, quia ab ipso Iure non interdicitur officij executio ita suspenso, sicut neque infami sub pœna irregularitatis, c. 1. de Cleri.Peregr. Idē asserendum est de his, quorū crimina sunt notoria, qui etiā post pœnitentiam prohibentur celebrare propter scandalum & infamiam, vt c.fin. de Cohab.Cleri.& Mulie. Si tamen celebrauerint ante absolutionem, non contrahūt nouam Irregularitatem, quia Ius exprimit, vt notoriè criminosus non debeat celebrare ob infamiā, vel scandalum populi, ergo quia directè non est suspensus à Iure, celebrando non incurrit irregularitatem, sed prohibetur tantum ad euitandum scandalum, nisi à Superiore esset illi interdictum officium, quia tunc celebrando efficeretur irregularis, vt inqnit Abb.in eod. c.Si celebrat nu.4.de Cleri. excom.Mini. Idem sentit Io. And.post Innoc. in dicto cap. Si celebrat de Cleri. excom. Mini. & cap.fin.de cohab.Cleri.& Mulie. Archid. in cap. Apostolicæ dist.56. Sylue. Ver.Irregularitas §. 14. quæst. 27. Vers. Si autem tertio modo est suspensus &c. Ang. Ver. suspensio 3. ad fi. quibus adhæret Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. nu. 13. Vers. Octauæ declaratio, & ita dicit intelligendam esse decis. Rotæ 362. in Antiq. quæ tenet suspensum à Canone celebrando non fieri irregularem.

Tertiò sciendum est suspensionem ab officio in spiritualibus irregularitatem inducere, nam suspensus à temporalibus, si in eis administret, non contrahit irregularitatem, Glos.in c. 1.de sent.excom.lib.6.& notatur in cap. fin. de excess. Prælat. Quandoque enim Reges suspenduntur à sua potestate, Barones similiter, Aduocati, & alij Laici à suis officijs, c.Quicunque de sent.excom.lib.6. Nauar.in Manna.c.27.num.153. Vers.Secundo dico; Notarij quoque ab vsu exercendi officium possunt ad tempus, vel perpetuò suspendi ab Episcopo, vt habetur à Sacro Conc. Tridentino statutum sess. 22. c. 10. Neq; talis interdictio Episcopi eorum appellatione suspenditur, licèt Regali, aut Imperiali auctoritate sint creati. Isti omnes sic suspensi, si administrent, non fiunt irregulares, Specul.in tit.de Dispensat.§.Iuxta num.31.& seq. Ratio est, quoniam non suspenduntur ab officio spirituali annexo Ordini sacro. Eodem modo dicendum est, si suspendatur Iudex secularia à suo officio, quare si suspendatur Vicarius Episcopi à sola potestate exercendæ iurisdictionis temporalis ex violatione huius suspensionis, non incurrit irregularitatem. Similiter idem est asserendum, si quis suspensus fuerit ab eligendo, præsentando, nominando, vel prouidēdo, aut etiam conferendo beneficia, nam si contrauenirit, non efficitur irregularis, quoniam sunt actus Iurisdictionis non ordinis, irregularitas verò per administrationem in actibus ordinis tantum incurritur, vt dixi capite superiori, quare non est probanda opinio Specul.in tit. de Dispens. §.Iuxta nu.16. Vers.Quartò si talis præsumit &c. quem sequitur Maiol.lib.3.de Irregular.cap.19.nu.19. qui tenent hanc conclusionem locum non habere, quando quis suspenditur ab Ordine, à quo isti actus dependent, vel etiam si administraret hos actus temporales, à quibus est suspensus in contemptum Clauium, in quibus casibus cēsent locum esse irregularitati. Quod non nititur solido fundamento, hoc enim colligi non potest ex aliquo Iure, vt dicebam Capite præcedenti, & Irregularitas tantum incurritur in casibus in Iure expressis. Neque tamen suspensus, si huiusmodi actus in contemptum Clauium administrare præsumpserit, immunis erit à pœna, nam vt habetur in cap. Si quis Presbyter de Cler.excom.Mini. Clericus, qui per contemptum aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, excommunicari debet, immo etiam deponi, vt dicitur in cap. Clerici, cap. Latores, & cap. Illud eod. tit. Ob eandem rationem idem est affirmandum de quocunq; alio officio publico seu priuato, puta si quis sit suspensus à facultate legitimandi, doctorandi, aut simili, vt notat Specul. in Tit. de Dispensat. §. Iuxta num. 31. quia hæc non competunt ratione ordinis, Nau.in Man.c.27.n 153. Vers.Septimo loco. Sed ex huiusmodi violatione suspensi grauiter peccant, & sunt condigna pœna plectendi, vt ibi tradit Specul.

Quartò notandum est Regulam illam, quòd Administrans in suspensione fiat irregularis, habet locum, cum quis suspenditur ab homine per sententiam, vel à Canone, si contineat latam sententiam, verùm si sit suspensio ferenda, qui delinquit in Canonem & administrat, non efficietur irregularis. Quòd si huic suspendendo addatur præceptum Superioris, ne administrare valeat, & postea audeat se immiscere diuinis, contrahit irregularitatem, à solo Papa dispensandus, quia tale præceptum factum ei, qui suspendendus erat efficit illum suspensum, & colligitur ex Concilio Trident.sess. 14 cap. 1. de Reform. tradit Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. num. 23. Vers. Decima septima declaratio.

Quintò sciendum est suspensionem inflictam à Cōfessario in foro Pœnitentiæ non inducere irregularitatem, licèt in eo casu Pœnitens abstinere teneatur, Glos. in cap. Si quem Ver. Non tantum minori de sent. excom. Anchar.in cap. 1.n.5 eod.tit.lib.6.& reddit rationē, quia hoc non reperitur Iure cautum. Nā prohibitio fori interioris non extenditur ad forum contentiosum, ad quē pertinent censuræ, Maiol.lib.3. de Irreg. c. 19.n.23. Vers.Decima quarta declaratio.

Sextò notandum est, quòd licet quicunque in mortali peccato constitutus sit à Deo suspensus, tamen celebrans in eo peccato non fit irregularis, Specul.in Tit. de Dispensat.§.Iuxta n. 18. Vers. In alijs autem casibus, Archid.in c. Quia sæpe de elect.lib.6. Nau.in Manu. c.27. n.152. Vers. Quartò dico, vbi dicit, quod licèt omne peccatum mortale, & excōmunicatio minor suspendant à perceptione Sacramētorum, in hoc sensu, quoniam si illa recipiantur, committitur peccatum mortale, tamen non incurritur irregularitas, quia non violatur suspensio, vt est vna species censurarū, sed quatenus est prohibitio oriens ex natura peccatorum, Maiol.lib.3. de Irregul.c.19.n.24. Couar.in Clem. Si furiosus de Homic. §. 1.nu.2. Ab hac tamen regula excipienda sunt quædam delictorum genera, quæ etiam post peractam pœnitentiā, ordinum executionem impediunt, vt notat Anchar.in c 1.n.5.de sen. excom.lib.6.Philip.Franc.n.6.vt Homicidium, Simonia, hæresis, Sodomia, & alia, quæ recēsentur ab Host. in cap. Nisi §.Propter conscientiam de Renuncia. & Specul. in titul. de Dispensat. §. Iuxta num. 16. & sequen. Vers. sunt quoque irregulares. Sed hoc tempore omnia eiusmodi crimina habent annexam excommunicationē, & idcirco nota irregularitatis afficiunt

eos,

eos, qui post talia crimina commissa celebrant, & sic cessat omnis dubitatio.

Sed tota controuersia est de publico peccatore, an manifestus peccator sub ea ratione, qua peccatum eius publicum est, & notorium, etiamsi non sit ex genere illorum peccatorum, quæ etiam post peractam pœnitentiam ex dispositione Iuris ordinum executionem impediunt, suspensus sit quoad se, & alios, vt si celebret, incurrat irregularitatem. Pars affirmatiua probari posse videtur. Primo ex cap. fin. de Tempor. Ordin. arg. sumpto à contrario sensu, vbi respondens Papa ad quæstionem, quæ ei proposita fuerat, inquit, occultum criminosum, præter homicidam post pœnitentiam in susceptis ordinibus ministrare posse, & ad superiores ascendere. Ante pœnitentiam verò monendum esse, vt etiam in susceptis non ministret, sed non esse compellendum, quia crimen est occultũ, ergo contra si delictum erit publicum, tanquam suspensus cogendus erit, vt abstineat ab administratione. Quare si voluerit se diuinis immiscere, efficietur irregularis. Ad idem facit tex. in cap. Si qui sunt 81. dist. Vbi Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus in fornicationis crimine manens suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, & interdicitur alijs, ne illorum officium audiant, & in cap. Præter dist. 32. Alex. Secundus præcipit, vt nullus Sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus Concubinam habens cantet Missam, aut Euangelium, vel Epistolam, Idem confirmatur in cap. Vestra de Cohab. Cleri. & Mulier. & in alijs locis.

Ad hanc difficultatem explicandam multa congerunt Doctores, & pluribus vtuntur regulis, & distinctionibus, præsertim Abb. in c. vlt. n. 5. de Tempor. Ordin. & in c. Sicut nu. 3. de Cohab. Cleri. & Mulie. Latiùs in c. Vestra n. 4. & seq. & in c. fi. nu. 2. & seq. eo. tit. Anchar. Gemi. & Frãc. in c. 1. §. Sciturus de sent. & Re iudi. lib. 6. & in c. 1. §. Caueant de sent. excom. eod. lib.

Ad hanc quæstionem respondendum esse censerem nullũ in Iure locum extare, ex quo colligi possit in genere publicum peccatorem, quocunq; genere peccati notatum, quamuis graue publicum, & consequenter scandalosum sit, incurrere censuram suspensionis, & ideo, si se diuinis immisceat, irregularem fieri; Si enim publicum peccatum haberet vim ad inducendam suspensionem, vtique illam inferre deberet, aut vi sua absque alia Ecclesiæ constitutione, aut ex Iure Ecclesiastico. Primum dici nequit, quoniam nulla censura incurritur ex crimine quantumuis grauissimo iure diuino aut naturali, vt de excõmunicatione probaui lib. 1. Disp. 3. Cap. 2. Sed censuræ, Ecclesiastico Iure tantùm sunt institutæ. Neque etiam secundum dici potest, quia nullũ inuenitur tale Ius positiuum. Quare quamuis Sacerdos existens in peccato mortali, etiam occulto non valeat licitè celebrare, & ideo aliqui vocent illum suspensum quoad se, tamen impropriè ita appellatur ac largo modo, quatenus omne impedimentum prohibens administrationem rerum diuinarum communi voce dici potest suspensio, sed non ita dicitur, quia propriè, & verè sit censura Ecclesiastica; Idque duplici argumento manifestè constat. Primum est, quòd licet celebret, non manet irregularis. Secundum, quod si agat pœnitentiam sui peccati; non indiget absolutione à censura, vt licitè celebrare possit. Et quod dicitur de occulto peccatore, idem asserendum est de Clerico publico peccatore; Ex vi enim peccati publici, & manifesti impeditur tantum, nè licitè ministrare possit ratione culpæ & scandali, quod maximè locũ habet in Presbytero ratione dignissimi

A ministerij, quod Sacerdotis solius officio cõmittitur, nẽpe consecrandi Corpus Christi verũ, & absoluendi à peccatis, & deinde suo ordine extenditur quoque ad Diaconum, & Subdiaconum, & in eis persistit, neque progreditur, per se loquendo ad functiones Ordinum minorum, vt expressè desumitur ex cap. Si qui sunt 81. dist. & ex c. Præter dist. 32. Sed tale impedimentum etiam peccati publici non est vera censura suspensionis, nam Sacerdos sic celebrans non fit irregularis, & si agat pœnitentiam, non indiget alia absolutione à censura. Requiritur solùm, vt illa pœnitentia, quæ peragitur, sit æquè publica & manifesta, sicut fuit peccatum, vt possit esse nota, & sic cesset scãdalum ex peccato datum. Huius sententiæ est Sylue. Ver. Irregularitas quæst. 27. ante med. Vers. Si autem

B Clericus est suspensus &c. Vbi vniuersaliter tenet ratione peccati mortalis non esse quempiam propriè suspensum, sed largè tantum, & quo ad se, & ideo ministrando irregularem minimè fieri. Eandem tenet, & probat Couar. in Clemen. Si furiosus par. 1. §. 1. nu. 5. licèt dicat nonnullos ab hac generali regula excipere, publicum Concubinarium, quem dicunt esse ipso iure suspensum quoad se & quoad alios, & quamuis hoc pluribus placuisse dicat, tamen ipse non adhæret huic sentẽtiæ, sed putat esse valde duram. Consulit tamen, vt petatur absolutio seu dispensatio à Romano Pontifice ad tollendam omnem dubitationem. Similiter licèt affirmet Couar. receptum esse communi

C sententia Sodomitam nefandi criminis reum adhuc occultum ipso iure suspensum esse ab Ordinis Ecclesiastici executione etiam peracta pœnitentia, & ideo interim celebrando irregularem esse, tamen concludit ex Iuris rigore hanc communem sententiam defendi non posse, cum nullus sit Iuris Pontificij locus, qui hanc irregularitatem induxerit, sed ob tanti criminis grauitatem tuendam esse eam opinionem, quam tot viri ab ipso relati defendunt Et eodem modo dubitat de Simoniæ crimine. Quare exclusis paucis criminibus, de quibus controuersia est apud Doctores, in omnibus alijs receptissima, & indubitata est sentententia publicum peccatorem, quocunque genere peccati notatum non posse verè, & propriè dici suspen-

D sum ab ipso Iure, & consequenter minimè irregularem, fieri, si res sacras pertractet. Et Nauar. qui in plerisque locis affirmare videtur Clericum ex peccato publico, & notorio contrahere inhabilitatem quandam, ne possit licitè ante dispensationem in susceptis Ordinibus ministrare, vel ad Superiores ascendere. Primum non loquitur generaliter de omnibus peccatis publicis, & notorijs, sed de quibusdam tantum grauioribus, vt est videre in Relect. in cap. Si quando de Rescript. excep. 17. num. 7. Vers. secundum peccatum, & in Manua. cap. 25. numero 73. Deinde quia illa inhabilitas, de qua loquitur Nauar. non est suspensio, sed irregularitas, vt ipse declarauit in eodem capit. Si quando except. 27. nu. 8. in Manua.

E cap. 27. numero 154 194. 248. & 249. An hoc autem dictum sit verum, non est huius loci disputare.

Ad tex. in cap. fi. de Temp. ordinat. quod objiciebatur cõtra dicta, vbi dicitur Sacerdotem propter adulterium, periurium aut falsum testimonium etiam peracta pœnitentia impediri non debere, ne in susceptis ordinibus administret, vel ad Superiores non ascendat, ergo si delicta erant notoria, non erit admittendus, ergo peccatum ea ratione, qua publicum est & manifestum, impedimentum affert administrationi functionum sacrarum.

Respundeo in eo loco Summum Pontificem declarare voluisse differentiam inter plublicum, & occultũ peccatorem quoad administrationem officij Ecclesiastici, & inquit Sacerdotem occultum peccatorem, idest in Iudicio non conuictum, neq; alio modo notorium, & manifestum (quod quomodo accipiendum sit, declarat Abb. in cap. Vestra num. 4. de Cohabi. Cleri. & Mulie. & Nauar. in Manua. cap. 25. num. 73.) si agat pænitentiam, non esse prohibendum ab administratione officij sui, ante peractam autem pœnitentiam non esse cogendam, vt desistat à suo munere, sed monendum tantum, & sub interminatione diuini iudicij obtestandum, vt non ministret. De publico peccatore nihil decernit. Vnde ex verbis tex. potest colligi solum argumẽtum à contrario sensu. quòd si manifestus sit peccator, potest suspendi à ministerio sacro. Verum ex eo loco probari non potest publicum peccatorem esse ipso Iure suspensum, sicut Conc. Trident. sess. 22. in decreto de obseruandia in celebratione Missæ monet Episcopos, vt non permittant publicè, & notoriè criminosos aut sacro Altari ministrare, aut sacris interesse. Vbi propter tale decretum non suspenduntur huiusmodi peccatores publici, sed præscribitur Prælatis, quid ex officio seruare debeant circa Clericos tali indignitate laborantes.

Septimò animaduertendum est suspensionem Iuris, vel Decreti generalis, aut mandati inducere irregularitatem, si Clerici inferiores administrent actus Ordinis, sed Episcopi, & Superiores, vt Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinalis non includantur in dictis suspensionibus generalibus, nisi expressa mentio de ipsis Episcopis facta fuerit, cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Illis verò nominatis dictæ etiam Superiores dignitates comprehensæ intelliguntur, & contraueniendo omnes fiunt irregulares, quia, vt inquit Glos. in eod. cap. Quia periculosum Ver. De Episcopis, non reperitur Superior ordo in Ecclesia Ordine Episcopali. Vnde Summus Pontifex appellat se Episcopum, quare cum primum exprimuntur Episcopi, significantur etiam Superiores.

His ad hunc modum declaratis facilius intelligi poterit, quibus actibus suspensus ab officio irregularitatem incurrat. Et primò suspensus simpliciter ab ordinibus, in quocunque violet suspensionem, erit irregularis, Ang. Ver. suspensio 3. Sylue. Ver. Suspensio §. 5. Vers. Et similiter si fit a collatione &c. quod non solùm est verum, si exercentur actus Ordinis maioris & sacri, sed etiam habet locum, quando suspensus efficie actum peculiarem Ordinis minoris solenniter iuxta sententiam Innoc. in cap. fin. de excess. Prælat. quam dicie esse communem Nauar. in Manua. c. 27. num 163. & idem tenet Specul. in Tit. de Dispens. §. Iuxta num. 35. Vers. Quid si Presbyter &c. Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 19. num. 3. Vers. Septima extensio Io. And. post Host. in cap. 2. de Cleri. excomm. Mini. Sylue. qui alios citat, Ver. Irregularitas §. 15. quæst. 13. Vers. Fallit tamen hoc, & Abb. in cap. 2. nu. 4. De Cleri. excom. Mini. dicit hanc opinionem esse communem. Hoc tamen dictum de ordinibus minoribus, quòd ex eorum administratione incurritur irregularitas, est intelligendum iuxta sententiam Speculat. in dicto tit. De Dispensat. §. Iuxta numero 33. Vers. Quid si Diaconus in fi. habere locum, nisi actus Ordinum minorum exerceantur à suspenso in Ecclesia, vbi vigeret consuetudo, vt quisque sine vlla distinctione Ordinis legeret Epistolam, vel deferret cereos, tunc enim irregularitas non contraheretur.

A Immo suspensus non simpliciter ab ordinibus, sed specificè ab aliquo Ordine, erit irregularis, non solum si exerceat actus illius Ordinis, à quo peculiariter est suspensus, verùm etiam si administret in alijs Ordinibus Superioribus, & maioribus. Non erit autem irregularis, si exerceat actus Inferiorum Ordinum, vt si quis suspendatur à Diaconatu, & exerceat officium Subdiaconi cantando Epistolam, aut Ordinum minorum non contrahit irregularitatem, quam tamen incurreret exercendo officium Diaconi aut Sacerdotis, Sylue. Ver. Suspensio §. 5. Vers. Si verò fit ab Ordine Subdiaconi &c Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. num. 3. Vers. Quinta extensio. Quare Episcopus à Pontificalibus suspensus non prohibetur celebrare

B Missam priuatam sicut Sacerdos, suspẽsus ab Ordine Sacerdotali, si administret in ordine inferiori, non peccat, neque est irregularis, Nauar. in Manua. cap. 27. n. 163. Vers. Quinto infertur.

Rursus hoc dictum extenditur, etiam si quis non sit suspensus ab Ordine, sed ab aliquo officio competente ei ratione Ordinis, nam si non abstineat, efficitur irregularis, vt si Sacerdos suspendatur, ne possit benedicere aquam, ceras, fructus, vestes, & suspensionem violet, irregularitatem contrahit, Specul. in tit. de dispensat. §. Iuxta num. 31. Vers. Quid de Benedicente &c. Vbi agit de beneditione aquæ, quæ fit cum solennitate, cap. Aquam de Consecr. dist. 3. Secus est de benedictione Mensæ, vt ibi Specul. notat, quia non est actio

C Ordini peculiariter annexa, cùm deceat, vt omnes tã Laici, quàm Clerici cibum sumpturi exemplo Christi benedictionem præmittant, Io. And. in cap. 1. §. Caueant de sent. excom. lib. 6. Innoc. & Host. in cap. Tanta de excess. Prælat. Idem erit, si quis suspendatur à benedictione Nuptiarum, argum. cap. 1. & vltimi, de secundis Nup. Vel à purificatione Mulierum post partum, Armil. Ver. Interdictum num. 64. Vel si suspendatur, ne possit absoluere ab excommunicatione, nã si cum psalmo, orationibus, & cum stola, & alijs solennitatibus, de quibus in cap. Debent 11. q. 3. præsumat absoluere, erit irregularis, Innoc. Io. And. in cap. fin. de excess. Prælat. Specul. in tit. De Dispens. §. Iuxta nu. 32. Vers. Quid de absolutione &c. Similiter si Epi-

D scopus suspensus à benedictione pontificali solenniter tentet benedicere in Missa conuentuali prounciando illa verba: sit nomen Domini benedictum &c. efficietur irregularis, Tex. & Glos. in cap. Ministrare 26. quæst. 6. & in cap. Ecce dist. 95. Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. numero 5. Et idem asserendum est in omni alia solenni benedictione, Armil. Ver. Interdictum nu. 64.

Item ob eandem causam Episcopus non suspensus à diuinis ministerijs, sed solum à Pontificalibus, si violet suspensionem, fit irregularis, Ang. Ver. Suspensio 3. Vers. Aduerte, Gemin. in cap. 1. §. Si quis autem numero quinto, de sent. excom. lib. 6. & id verum est

E siue affirmemus Episcopatum esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, & imprimere nouum Characterem, vt tenent multi ex Canonistis, & est probabile, siue dicamus nõ esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, vt est communis opinio Theologorum, quia ordines sunt instituti ad cõficiendum Corpus Christi, quę potestas soli Sacerdoti conuenit, & per consecrationẽ Episcopalem superadditã efficitur Sacerdos magnus, vt possit alijs Sacerdotiũ conferre, ideo Sacerdos non differt specie ab Episcopo, sed sicut magis, & minus perfectum. Vtrouis modo igitur sentiamus Episcopus suspensus à Põtificalibus, si ordinet, vel alios actus

pro-

proprios Episcoporum exerceat, irregularitatem contrahit, quia quamuis non sit ordo distinctus à Presbyteratu, tamen negari non potest habere officium omnino distinctũ ab officio Sacerdotis, vt probatur cap. Episcopus, & seq. dist. 23. & cap. quanto de consuet. capit. aqua de consecr. Eccles. nam confert ordines, administrat Sacramẽtum Confirmationis, consecrat Ecclesias, Altaria, quæ non cõueniunt Sacerdoti simplici, & competunt Episcopo ratione consecrationis Episcopalis, & hoc sufficit ad incurrendam irregularitatem, quia potestas exercendi huiusmodi actiones competentes Episcopo peculiariter quoad sacramentalia, dependet à potestate Characteris ordinis, non autem à dignitate Episcopali, quia Episcopus depositus, & degradatus si ordinat Ecclesiæ forma seruata, imprimit Characterem, vt dicitur in cap 1. de schisma. oppositum sentit Sylue. Ver. Suspensio, §. 5. vers. Cum autem suspensio: Tum quia Episcopatus non est ordo, & irregularitas non incurritur, nisi in actibus ordinis, Pontificalia verò non sunt de substantia celebrationis: Tum etiam, quia non debet quis iudicari irregularis, nisi in casibus Iure expressis. Eidem sententiæ adhærere videtur Couar. in Clement. Si furiosus par. 1. de homic. §. 1. num. 1. vers. secundum colligitur. Hæ duæ sententiæ videntur posse inuicem conciliari, & ad concordiam reuocari, vt dicamus vtramque veram esse, si rectè intelligantur; Illi enim, qui dicunt suspensum à Pontificalibus contrahere irregularitatem nomine pontificalium, intelligũt actus qui soli Episcopo post consecrationem conueniunt, vt Chrisma conficere, Calices consecrare, & similis, etsi loquamur de his pontificalibus, vtique ex violatione suspensionis incurritur irregularitas, quoniam hi actus videntur in Iure expressi sub illa regula, quod suspensus ab illis officiis, quæ sine Ordine exerceri nequeunt, si contraueniat, fit irregulares, Maiol. lib. 3. De Irregular. cap. 19. nu. 6. Vers. Decima extensio. & Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 163. Vers. Ex quo infertur primò. Alij verò Auctores, qui oppositum tuentur, per pontificalia significant apparatum illũ externum, & solennitatem ac ceremonias illas, quæ sunt accidentales, & non pertinent ad substantiam celebrationis, & ex consequenti, si suspensus celebret cum omni solennitate, licet peccet, non erit Irregularis, quia primò & per se non est suspensus ab actibus spiritualibus, sed à solennitate quadam temporali, & in hoc sensu interpretandi sunt auctores secundæ sententiæ in qua fuit etiam Innoc. in cap. 1. num. 3. De Sent. Excom. lib. 6. & Abb. in cap. Cum dilectus num. 20. De Consuet. & in cap. Ad hæc quoniam nu. 1. De Appella.

Secundò dicimus Suspensum à solo ingressu Ecclesiæ, si audeat in ea celebrare diuina officia, fieri irregularem; Ita sentit Gemin. in cap. Is cui De Sent. Excom. lib. 6. Anchar. ibi nu. 1. Franc. nu. 1. Io. And. in Addit. Margin. ad Speculat. in tit. De Dispensat. §. Iuxta n. 36. Vers. Concedemus, & citat Federic. Cons. 120. licet oppositum ibi teneat ipse Speculat. ob eam rationem, quia potest quoque celebrari extra Ecclesiam, cap. Concedemus de consecr. dist. 1. & suspensus ab ingressu Ecclesiæ non fit irregularis celebrando extra Ecclesiam, sed tantùm in Ecclesia, quoniam, vt inquit Gemin. in cap. Is cui in fi. de sent. excom. lib. 6. hæc pœna limitatur, si suspensus celebret in Ecclesia. Idem sentit Angel. Ver. Suspensio 3. vers. quid si interdictus &c. Sylue. Ver. Suspensio, §. 5. vers. Si verò suspensio sit ab ingressu Ecclesiæ, Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 19. num. 4. vers. Septima extensio, & alij plures eidem sententiæ adhærent, quę videtur definita in eod. cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. Sic enim ibi habetur: *Is, cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cùm sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi diuinis in ea se ingerat, in suo agẽs officio, sicut prius.* Quare suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si in ea celebret diuina quasi vtens officio suo, sicut prius, est irregularis.

Quid dicendum, si suspensus ab ingressu Ecclesiæ celebret in Oratorio, an incurrat irregularitatem; Dicit Anchar. ex sententia Calde. in cap. Is cui nu. 1. de sent. excom. lib. 6. quòd si propriè, & verè sit Oratorium priuatum sine Campana distinctum ab Ecclesia, cap. vlt. de consecr. Eccles. cap. Patentibus de priuil. talem suspensum non contrahere irregularitatem, quia nõ celebrat in Ecclesia: & huiusmodi Oratorium non est Ecclesia, nisi sit per Episcopum designatum in perpetuum pro celebratione, secus si celebraret in Ecclesia non consecrata, quia etiamsi consecrata non sit, verè dicitur Ecclesia, & propriè appellatur Basilica cap. 1. de Relig Domi. Satis est enim Iure ordinario, & commune, vt locus sit benedictus, & auctoritate Papæ, aut Episcopi fundatus, & deputatus ad Sacramenta ministranda, vt gaudeat priuilegijs, quibus Ecclesia consecrata, vt notant Glos. & Doct. in cap. vlt. de consecr. Eccles. & eiusdem opinionis est Anchar. In dicto capit. Is cui, num. 1. vers. quid si talis celebret de sent. excom. lib. 6. & Franc. ibidem in fi. Sed de hac suspensione ab ingressu Ecclesiæ nonnulla addenda sunt ad clariorem explicationem.

Primò quæri potest, An ex qualibet administratione officij diuini in Ecclesia ita suspensus efficiatur irregularis.

Respondeo ad incurrendã irregularitatem requiri, vt suspensus celebret actus ordinis maioris, aut minoris solenniter, idest ex officio, sicut ante suspensionem celebrare solebat, vt dicitur in dicto cap. Is cui, & tradit Gemin. in cap. 1. §. Caueant num. 1. de sent. excommu. lib. 6. & latius in cap. 1. §. Sciturus num. 6. de sent. & Re Iudi. eod. lib. & citat Innoc. Host. & alios Anchar. idem tenet in cap. 1. num. 3. de senten. excom. lib. 6. Sylue. Ver. Suspensio, §. 5. vers. Si verò suspensio sit ab ingressu Ecclesiæ, & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 163. Vbi affirmat tunc incurri irregularitatem à suspenso, quando ab eo exercetur actus deputatus alicui ordini, ad quem actum exercendum specialis potestas traditur in ordinatione, vt in Presbyteratu traditur potestas consecrandi, baptizandi solenniter dicendi orationes in Choro; In Diaconatu potestas canendi solenniter Euangelium, in Subdiaconatu canendi solenniter Epistolam; In Accolitatu ferendi cereos &c. Quare si exerceat alium actum etiam Ecclesiasticum, & ad officium diuinum pertinentem, non ab aliquo ordine dependentem specialiter quique à Laicis exerceri aliquando solent, non contrahit irregularitatem.

Secundò quæritur, si suspensus non celebret in Ecclesia, sed tantum diuinis intersit, an irregularis fiat.

Respondet Gemin. in cap. 1. §. Caueant num. 5. de sent. Excom. lib. 6. ex sententia Innoc. Host. & Archid. talem suspensum non incurrere irregularitatem, si ex deuotione quadam audiat diuina, secus si hoc faciat in contemptum, præcipiens Sacerdoti, vt celebret, & celebrationi auctoritatem præbeat, & ita audit au-

ao-

ctoritatiuè, tunc enim efficitur irregularis, Nauar.in Manua. cap.27. num.244.in fi. Sylue. Ver.Irregularitas §.15. Abb.io cap.Illud num.8. De Cleri.excomm. Mini. & id expressè notat Glos. singularis in Clem. 2. Ver.Celebrari De Priuil.Idem Abb.in cap.fin.num.6. de excess. Prælat.

Tertiò quæritur; An sospensus ab ingressu Ecclesiæ possit illam aliquando ingredi, & in ea commorari.

Respondet Gemin. in cap.Is cui onm.31. Vers.Aut est sibi interdictus &c.de sent.excomm.lib.6.hoc modo suspeosum non incurrere irregularitatem, si ingrediatur Ecclesiam tempore, quo diuina officia celebrantur ad hunc finem, vt orationes ad Deum fundat, vel etiam vt pertranseat sine oratione, licèt peccet, si id faciat cap. Præsenti 5. q. 2 Vbi prohibetur Ecclesiæ ingressus, & ne in ea audiantur diuina officia; Neque potest secundum Innoc.in cap.Sacro nu.2. de sent.excommun.sine peccato intrare Ecclesiam ad orandum tempore,quo solent diuina officia celebrari cap.Cleros in fi.dist.21. & cap.Qui Sanctus de pœnit. dist.1. Si verò tali tempore Ecclesiam ingrediatur,nõ vt oret,sed per transitum,vel vt inueniat amicum,vel ad alium finem similem cioilem,non peccat,vt inquit Innoc. Verùm Calder quem citat & sequitur Gemin. in dicto cap.Is cui num.3.in fi. de sent.excomm.lib.6. tenet suspensum posse in Ecclesia commorare sine peccato, & in ea orare, quando officia ecclesiastica non celebrantur. Si dicas post mortem huiusmodi suspenso denegatur Ecclesiastica sepultura, vt habetur in dicto cap.Is cui de sent.excomm.lib.6.ergo neque in vita permittere est ingressus in eam. Respondet idem Gemin. non priuari sepultura Ecclesiastica suspensum ratione suspensionis, sed ratione impœnitentiæ, si decesserit ex hac vita sine pœnitentia, vt dicitur in eod. textu; Nam impęniteus carere debet Ecclesiastica sepultura,vt notatur cap. Ex parte de sepult. Idem sentit Anchar.in eod.cap.Is cui num.1.in fi.idest non esse prohibitum suspenso quando diuina officia non persoluũtur in Ecclesia, in ea orare priuatim, sed Franc. num.3. putat non esse permissum suspensu ab ingressu Ecclesiæ sine graui peccato ex quacunque causa, siue ad orandum siue ad alium finem sacrum Ecclesiam ingredi,etiam quando diuina officia non celebrantur; Nunquam tamen irregularitatem incurrere, nisi celebret sicut prius. Sed de hac difficultate agam cum pertractabo de Interdicto Disp.7.cap 2.

Quartò quærit Gemin.§.sanè num.7. Anchar.nu.1. Franc.in fi.in eod.cap. Is cui De sent.Excomm. lib.6. An Diaconus, vel Subdiaconns suspensus ab ingressu Ecclesiæ incurrat irregularitatem, si administret in officio suo cantando Euangelium, vel Epistolam extra ambitum Ecclesiæ Sacerdoti celebranti sulenniter Missam in Ecclesia.

Respondent ex sententia Calderini talem Diaconum, vel Subdiaconum hoc modn ministrantem contrahere irregularitatem,quia Euangelium,& Epistola referuntur ad vnum,& idem officium Missæ,& sunt partes eiusdem Missæ. Vnde suspensus a diuinis intra Ecclesiam non videtur admittendus ad illa, quæ necessariam connexionem habent cum diuinis, quæ in Ecclesia celebrantur, quia idem iudicium est de contiguis, & connexis, quod fit de suis principalibus. Et addit Petrus Anchar. in hoc casu incurrere etiam irregolaritatem, qui scienter admittit Diaconum, aut Subdiaconum ad hoc munus,quia videtur participare cum Suspenso in ipso crimine, cap.Concubinæ cap. Nuper de sent. excomm. Sed hoc dictum non placet Gemin.neque Philip.Franc.vbi supra qoibus ego adhæreo,quia irregularitas contrahitur tantum in casibus Iure expressis, cap.Is, qui de sent excomm lib.6. Pœna enim non extenditur vltra casus expressos, vt inquit Glos.in Clem.1. Ver.Eos qui de consang.& affinit. Et Regula illa,quod participãs alligatur eadem censura, quando communicat in crimine damnato, non habet locum in primo actu, cuius causa principalis,censura innodatur, cap.Contingit 2.de sent.excomm. Quare cum ita suspensus ex hac celebratione incurrat irregularitatem,participans cum illo in hoc primo actu non debet eadem seotentia innodari.

Sed rursus Anchar.& Franc. quærunt, quid dicendum,si è conuerso Diaconus,vel Subdiaconus suspensus ab ingressu Ecclesiæ Euangelium, aut Epistolam cantet in Ecclesia in ea Missa, quam Sacerdos celebrat extra Ecclesiam; An talis Diaconus,vel Subdiaconus efficiatur irregularis.

Respondent vtique irregularitatem contrahere, quia talis Diaconus, aut Subdiaconus verè exercet actum sui ordinis in Ecclesia,sicut prius, ergo est irregularis, quamuis interpretatiuè videatur id fecisse extra Ecclesiam, cum Missa extra Ecclesiam celebraretur; Presbyter autem,qui cantauit Missam non efficitur irregularis, sicut in casu superiori, licèt non excusetur à culpa ob talem participationem.

Tandem quamuis suspensus per sententiam ab ingressu Ecclesię appellet à sentẽtia, si tamen violet suspensionem,contrahit irregularitatem. Et idem est de suspensione ab officio, vt habetur in dictu cap. Is cui, & ibi Doctores de sent. excommunic. lib.6. quia sententiæ censurarum secum trahunt executionem. Et hæc satis de suspensione ab ingressu Ecclesiæ. Transeamus ad alias.

Tertiò dicimus Sacerdotem suspensum à solis solemnibus officijs fieri irregularem,si in Choro solenniter dixerit Capitulum,aut Orationem,vel Lectiones, vel exercuerit Officium Cantoris,intonãdo Psalmos, ita dicunt Gemin. in cap.1. §. Caueant num.5. Vers. Sed si ibi cantat cum aliis &c. de sent.excom.lib.6. & ibi Franc. nu.3. Vers.Immo voluit, Innoc. & Anchar. num.5.in fi. Specul. in rit.de dispensat. §.Iuxta nu.28. Nauar.in Manua.cap.27.nu.244. Vers.Dixi tanquam ordinatus &c. Plenè Sylue. Ver. Irregularitas, §.5. quæst.13. Vers.Vnde secundum Pastor.&c. Maiol.lib. tertio de irregular. cap.19. num.6. Vers.Vndecima extensio.

Immo quamuis extra Ecclesiam, & Chorum tanquam ex officio solenniter, sicut ante suspensionem recitet officium diuinum,& horas canonicas tãquam Minister, & Cappellanus suis populis, vt in exercitu vel naui,ex aliquorum sentẽtia erit irregularis, vt refert Riccard.in 4. dist.18. artic.7. quæst.5. in corpore prope fin. Sylue. Ver. Irregularitas quæst. 13. Vers. Quartum si Sacerdns,& vniuersaliter quoties suspensus se immiscet officiis diuinis,ea recitando solenniter tanquam ex officio, quę vel Iure, vel consuetudine, non nisi ab habentibus Ordinem maiorem,aut minorem eo modo sulenni recitari sulent, incurrit irregularitatem.

Idque videtur definitum in Iure in cap.Si quis Episcopus in Concilio 11.q.3. *Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit,siue Presbyter,aut Diaconus à suo Episcopo, & post excommunicationem præsumpserit facere oblationem, vel vespertinum, vel matutinum sacrificiũ, quasi in suo officio agere,sicut prius,non liceat ei nec in alio Concilio spem reconciliationis habere*. Clarius in cap. 1,

De

de sent. & Re Iudi. lib. 6. *Quòd si suspensione durante damnabiliter se ingesserit diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet.* Vbi Glos. Ver. Diuinis, addit, idest officijs, & in cap. 1. de sent. excom. eod. lib. *Quoniam si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi sicut priùs, irregularitatem non effugient.*

Atque ex his duobus posterioribus locis tollitur omnino dubitatio illa, quam mouet Glos. in dicto cap. 1. §. Caueant, Ver. Irregularitatem de senten. excom. lib. 6. quæ putat antiquos Canones pœnam irregularitatis imposuisse aduersus excommunicatum celebrantem, non contra suspensum, cum tamen sit eadem ratio vtriusque quoad celebrationem diuinorum, vt ibi tradit Gemin. num. 5. in fi. Franc. nu. 4. quia ita prohibentur suspensi immiscere se diuinis, sicut excommunicati.

Huic autem irregularitati locus non est, si suspensus recitet aliquas horas canonicas, & responsoria pro defunctis, aut Psalmos in Choro cãtet cum alijs, quæ de Iure non sint deputata certo ordini, & ex consuetudine vniuersali ad illorum executionem etiam non ordinati, & merè Laici admittantur, vt inquit Sylue. Ver. Irregularitas quæst. 13. vers. de Cantore autem &c. & est sententia communis Doctorum, Innoc. in cap. Tanta num. 3. de Excess. Prælat. Gemin. in cap. 1. §. Caueant num 5. vers. Sed si ibi cantat, de senten. excom. lib 6. Franc. num. 3. in fi. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 163. vers. Secundo infertur, & num. 244. vers. Dixi aliquid alicui certo ordini &c. Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 19. num. 7. Addit Innoc. Regulam generalem in dicto cap. Tanta num. 3. in fi. de Excess. Prælat. Quòd si consuetudo est in aliqua Ecclesia, vt sine distinctione ordinis quilibet legat Epistolam, vel portet cereos, vel aliquid aliud agat, qui illud officium faceret, non esset irregularis.

Ob eandẽ rationem suspensus benedicat Mensam, vel in ea legat, non erit irregularis, quia hæc non sunt deputata certo ordini, vel officio ordinis, sed Laici quoque easdem actiones præstare solent, Gemin. in cap. 1. §. Caueant num. 4. de sent. excom. lib. 6. Franc. num. 3. vers. Aliquando suspensus &c. Specul. in tit. de Dispensat. §. Iuxta num. 31. vers. quid de benedicente &c. Neque etiam esset irregularis, si orationem diceret pro Nauigantibus, vel iter facientibus, Anchar. num. 3. Franc. num. 3. Eodem modo si inducat mulierem post partum in Ecclesiam: Nam ipsa per se sine ministerio Sacerdotis introire posset, Anchar. nu. 4. Franc. num. 3. ex cap. 1. de Purificat. post partum. Secus verò si Sacerdos suspensus benediceret nuptias, vt in cap. 1. & 2. de secund. nupt. vel si benediceret aquam, quod ad Sacerdotes pertinere videtur, cap. Aquam de consecr. dist. 3. ibi, *Quod omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus*, Vel si Episcopus populum solenniter benediceret cum versiculo: Sit nomen Domini benedictum &c. Clement. 2. de Priuileg. cap. Ecce dist. 95. In his casibus putant Doctores irregularitatem incurri. Speculat. in Tit. De Dispensat. §. Iuxta nu. 31. Vers. Quid de benedicente, Franc. in cap. 1. §. Caueant nu. 3. Vers. Vnde si benedicatur aqua, Anchar. nu. 3. in fi. Gemin. nu. 4.

Quartò dicimus Suspensum immediate à solo officio prædicandi, vt in Clem. Cupientes De Pœn. celebrando non peccare, neque fieri irregularem; Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 163. Vers. Octauo infertur, quia talis suspensio non comprehendit prohibitionem à celebratione, sed tantùm ab officio prędicandi, & cum sit pœna, non est extendenda ad casus diuersos. Præ-

A dicando verò certum est grauiter peccare, & ex suo genere esse peccatum mortale, vt dixi in prim. Capite, quia violat suspensionem in actu, à quo directè prohibetur contra pręceptum Ecclesiæ, quod est commune omnibus, qui suspensionem violare præsumunt; Innocentius enim Tertius in cap. Cum ex iniuncto De Hæret. prohibet omnibus laicis ne prædicare audeãt ita dicens *Non* debet sibi quisque indifferenter prædicationis officium vsurpare; Nam secundum Apostolum quomodo prædicabunt nisi mittantur, & veritas ipsa præcepit Apostolis, Rogate Dominum Messis, vt mittat operarios in messem suam, vbi Glos. inquit eum qui non est missus neque est Sacerdos prędicare non debere, eadem verba repetuntur in cap. seq. B excommunicamus, §. quia verò nonnulli eodem tit.

Sed discrepant Doctores, an prædicando vltra peccatum cõtrahatur irregularitas, & vtraque pars suos habeat fautores. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 103. vers. octauò infertur, censet suspensum hoc modo prędicando verbum Dei effici irregularem, fundamentum Nauar. est, quoniam ipse existimat actum prædicandi saltem lege humana ordini Diaconatus annexum, & deputatum esse, vt tradit in Manua. cap. 25. num. 141. Nam quamuis, inquit, institutione diuina sit soli Sacerdotio peculiaris, vt insinuat Leo Papa in cap. Adijcimus 16. q. 1. ibi, *Hoc specialiter statuentes, vt præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare &c.* Lege tamen humana, vel consuetudine videC tur ascriptus Diaconatui. Hinc rectè inferri potest ex violatione huiusmodi actus locum esse irregularitati, quæ iuxta principia tradita contrahitur, quando violatur suspensio in actibus peculiaribus ordinum ecclesiasticorum.

Opposita tamen sententia est communis, nempe suspensum ab officio prædicandi non fieri prædicando irregularem, vtuntur ratione contraria ad id probandum, & aiunt actum prædicandi solenniter etiam cum benedictione petita, & superpellicco competere posse Laico ex dispensatione Episcopi, sicut, & disputare de fide, quod tamen sub excommunicatione ferenda prohibetur Laicis, cap. Quacunque, §. prohibemus de Hæret. lib. 6. S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 7. Nauar. D in Manua. cap. 11. num. 26. Quare actus prædicandi lege humana, aut consuetudine per accidens deputatus fuit ordini Diaconi; Ideo si Laicus prædicet solenniter absque licentia peccat, sed nõ fit irregularis.

Huius opinionis est Ang. in Summa suspensio 3. vers. octauo Sylue. Ver. Suspensio, §. 5. prope med. vers. Si verò sit ab officio prædicationis &c. & citat Calder. Armill. Ver. Suspensio num. 15. & Ver. Prædicare num. 2. in fi. & Ver. Correptio num. 10. Medina, C. de Pœnit. q. 6. ad fi. Cordub. lib. 1. quæst. 50. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerdot. cap. 45. vers. Quintò suspensus &c. Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. nu. 21. vers. Decima tertia declaratio. Hæc sententia mihi videtur probabilior, cùm in pœnis non sit facienE da extensio, nisi vrgent ratio ad id faciendum, quæ non apparet in hac re, de qua agimus.

Respondeo igitur dubitationi suspensum ab officio prædicationis, licèt peccet prædicando grauiter, & ob hanc causam sit ipso facto excommunicatus, Clement. Cupientes, §. quibus circa fin. de Poen. & ibi Anchar. num. 10. minimè tamen irregularitatem incurrere.

Neque necesse est hanc conclusionem limitare, vt facit Maiol. vbi supra, vt non habeat locum, quando officium prædicandi dependet ab aliquo ordine, vel digni-

dignitate ecclesiastica, puta Archidiaconatui, Prioratu, vel Archipresbyteratu aut Plebanatu, quia hæc annexio est per accidens, vt Prioratui, aut Canonicatui solet annecti officium Cantus, aut fieri licentiatum in Theologia ordini sacro, similiter non est necessaria limitatio, quam addit Toletus, nisi suspensus solenniter, ac ex suo officio prædicaret: Nam si prædicare non est actus ordinis, vt credo, si solenniter fiat à suspenso, oritur maior culpa: Illa tamen solennitas non reddit irregularem ipsum exercentem, sicut ob eandem rationem illi, qui censent Episcupatum non esse ordinem, tenent Episcopum suspensum solùm à Pontificalibus, etiam si solenniter celebret, non incurrere irregularitatem.

Quare fundamentum propositæ conclusionis est, quòd prædicare per se non est actus ordinis Diaconatus. Si hoc igitur probauerimus, confirmata vtique erit cõclusio. Et quidem initio Ecclesiæ doctus etiam Laicus concionabatur, vt ait Concilium Cartag. quartum cap. 94. & Origenes Laicus prædicabat Cęsareæ permissione Episcopi, vt narrat Eusebius lib. 6. Histor. cap. 2. & Nicephorus lib. 5. cap. 14. & Caiet. in Summa Ver. Prædicator in princ. & Opusc. Tom. 3. de vsu spiritualium enumerans peccata peculiaria Prædicatorum primum peccatum affirmat ab illis committi, si sine auctoritate Superioris concionentur, & generaliter loquitur sine vlla distinctione ordinum, & Syluc. Ver. Diaconus, §. 4. in fi. ex sententia Palud. inquit ad Diaconum pertinere prædicare, non quia ex ordine habeat auctoritatem, sed habilitatem, quia ei soli, non inferiori debet hoc munus committi, ideo nec Diaconus, nec simplex Sacerdos, si non sit Curatus, prædicare potest cap. Adijcimus 16. quest. 1. cap. Cum ex iniuncto de Hæret. nisi ex commissione Episcupi. Hoc tamen officium Diaconis committi solebat; Vnde Stephanus, antequam constitueretur Diaconus, non legitur prædicasse, & Philippus similiter vnus ex primis Diaconis prædicationi operam dabat Acto. cap. 8. Huc igitur modo officium prædicandi tribuitur Diacono, quia hoc munus non debet demandari ijs, qui ad ordinem Diaconatus non sunt promoti, non autem quia prædicare sit actus peculiaris illius ordinis; Vnde S. Thom. in 4. sent. dist. 5. quæst. 2. ar. 1. quæstiuncula 2. in respon. ad 2. inquit prædicationem Euangelij pertinere ad Diaconos ex officio proprio, idest Euangelium recitare in Ecclesia, quod est linguis loqui, & ad Presbyterum ait spectare interpretari, & exhortari, quod est quasi prophetare. Quare si prædicare non est actus ordinis, suspensus ab hoc officio, si contraueniat, quamuis grauissimæ culpæ sit reus; non efficitur tamen irregularis.

Quinto dicimus suspensum ab administratione tam temporalium, quàm spiritualium, administrando, quidem grauiter peccare, quia transgreditur pręceptum Superioris, non incurrere tamẽ irregularitatem, etiam si spiritualia administret, & absque probabili fundamento Maiolus oppositum asserit lib. 3. de Irregular. cap. 19 num. 20. vers. Duodecima declaratio. Et ratio est, quoniam, vt sæpe dictum est, & tradit in solutione propositæ dubitationis Toler. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 45. vers. Sexta suspensio; Generaliter obseruandum est, nunquam suspensum exercendo actum, à quo est suspensus, effici irregularem, nisi quando ab ordine est aliquo modo suspensus, & exercet actum ordinis, à quo est suspensus, vel actum ordinis Superioris. Sed talis suspensus ab

A administratione spiritualium, & temporalium non est suspensus ab ordine; Igitur si violet suspensionem administrando, aut celebrando, non erit irregularis; ita tenent Io. And. & Abb. in cap. Si quorundam nu. 8. de solut. Angel. Ver. Suspensio 3. vers. aliquando.

Sextò dicimus suspensum à Sacramentorum susceptione, si illa recipiat, non fieri irregularem, neque suspensum à Sacramentorum collatione, si ea conferat Sacramenta, quæ Laici etiam administrare possunt, & id faciat sine solennitate, & exercitio sui ordinis, sed tanquam Laicus in casu necessitatis. Idque probatur eadem ratione, quam modò attuli, quia irregularitas oritur, quando exercentur actus ordinis, sed suscipere Sacramenta non est actus peculiaris ali-
B cuius ordinis, cùm etiam Laicis conueniat, igitur ex tali receptione non prouenit irregularitas, Syluc. Suspensio, §. 5. non longè ab initio vers. Si verò suspensio sit, Abb. in cap. Si celebrat nu. 4. de Cleri. excom. Mini. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 163. vers. Tertiò infertur, Couar. in Clement. si furiosus de homic. par. prima §. 1. vers. Quartò ex præscripta regula & ex Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. nu. 16. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 45 vers. Primo suspensus, & est communis sententia. Eodem modo quantum ad collationem Sacramentorum si suspensus illa contulerit ea forma, & ritu, quibus Laicus ea conferre potuisset, non efficitur irregularis, nempe si baptizaret aliquem in casu necessitatis seruato ritu, & ceremonia, quà
C Laici solent, & possunt baptizare, quia hoc modo baptizare non est actus peculiaris alicuius ordinis, vt Doctores citati concludunt. Secus verò dicendum est, si Clericus suspensus à collatione Sacramentorum solenniter eo modo, quo Presbyteri solent, baptizare audeat. Henric. in cap. vlt. ad fi. de Cleri. excom. Mini. Nicol. Plou. in Sum. Reg. 48. de Irregular. Host. in cap. 1. de sent. excom.

Hinc intelligitur, cur Summus Pontifex in dicto cap. vlt. de Cleri. excom. Mini. affirmet excommunic. cum minori excommunicatione celebrando irregularitatis notam minimè incurrere; Huius enim decisionis ratio illa est, quoniam excommunicatio minor suspendit solùm à passiua receptione Sacramen-
D torum, quæ non pertinet ad aliquem ordinem ecclesiasticum, vt dictum est; Ideo Presbyter minori excommunicatione affectus, vel à Canone ob participationem cum excommunicato maiori excommunicatione, vel per sententiam ab homine, licèt hic modus non sit in vsu hoc tempore, vt dixi in lib. primo Disput. quarta cap. quarto, & tradit Abb. in eodem cap. vlt. numero quarto de Cleri. excom. Mini. dum suspensus est à perceptione Sacramentorum, suspensus quoque erit à celebratione Missarum, cùm celebrare nequeat absque receptione Sacramentorum; Ideo licèt grauiter peccet celebrando, non fit tamen irregularis ob eandem rationem; Contrahi autem
E grauissimam culpam, quoties violatur suspensio, etiamsi irregularitas non incurratur, verissimum est in quacunque suspensione, vt inquit Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 19 num 25. vers. Vigesima declaratio, quæ culpa est impedimentum, ne quis promoueri ad ordines, aut promotus in illis exercere valeat, sicut reliqua omnia peccata mortalia, vt probat idem Maiol. lib. 5. cap. 2 de Irregular. & de Irregularitate, quæ ex ipsa suspensione ob crimen imposita oritur, hæc satis erunt.

Modò disputandum esset, an ex participatione cum suspenso ab officio committatur peccatum, &

incurratur aliqua cẽsura, de qua quæstione, quoniam pertractaui latiùs in lib. 1. Disp. 9 cap. 3. hoc loco quędam solum addam, quæ ad maiorem huius difficultatis declarationem conferre possunt.

Et primo loco animaduertendum est suspensionem per se non priuare communione aliorum, sicut facit excommunicatio, in hoc enim hæ duæ censuræ formaliter differunt, & in alijs multis, vt probaui in Disp. 1. cap. 2. Neque ex aliquo Iuris testimonio probari potest hunc effectum conuenire suspensioni. Quamobrem omnes actiones humanę siue ciuiles & forenses, siue ad vitam & commercia hominum necessariæ, exerceri possunt à suspenso absque vlla culpa, vt dixi in Disput. 2. cap. 1. & Innoc. & Abb. in cap. Intelleximus nu. 14. de Iudi. Dicunt suspenso, & Interdicto non prohiberi, ne possint in Iudicio agere, sicut interdictum est excommunicato, & reddit rationem Abb. quia non sunt reiecti ab hominum communione, sicut excommunicatus. Facit ad hoc cap. A nobis de except. Vbi Reo excipiente de excommunicatione maiori contra actorem non potest actor respondere opponendo excommunicationem minorem contra Reum ob participationem habitam cum ipsomet; & redditur ratio, quia excommunicatus excõmunicatione maiori tantum priuatus est communione fidelium, quare suspensioni non competit hic effectus. Idem repetit Abb. in cap. Venerabili de sent. excom.

Immo quamuis quis communicet in crimine cum suspenso, non incurrit eandem suspensionem aut aliam censuram, quoniam nullo Iure id cauetur.

Secundò dicendum videtur peccare mortaliter eũ, qui inducit suspensum ab officio ad celebrationem officij diuini, aut ab eo Sacramenta recipit, quando suspensus erat ab administratione Sacramentorum, si nominatim denunciatus erat, si tamen inducens suspensum denunciatum non incurrit censuram vllam suspensionis minoris, vt ostendebam in cap. 2. primæ Disput. Nauar. in Manuali capit. 27. numero 163. in fi.

Tertiò dicendum est, ob communionem cum suspenso denunciato nominatim iuxta dispositionem extrauag. Ad euitanda, de qua tractaui lib. 1. Disp. 6. cap. 1. in ea re, à qua est suspensus, non solùm peccare ipsum suspensum communicando eam alijs, sed etiam alios qui cum eo communicant in illo actu, puta illi, qui recipiunt Sacramenta, ab eo qui suspensus est à collatione Sacramentorum, vt dicebam, & qui audiũt Missam à suspenso ab Ordine. Illi quoque, qui inducunt ipsum suspensum ad talem actum, quòd si actus suspensionis non pertinet ad diuina, idest ad aliquem Ordinem, tunc ex tali communione non oritur peccatum mortale ex parte ipsorum participantium cum suspenso, sed veniale, vt inquit Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 45. Vers. Tertius effectus.

Quartò dicendum est licere subditis petere à Parocho suspenso, non denunciato tamen, Sacramenta, & inducere etiam illum ad ea administranda, & Parochum sic inductum Sacramenta administrando non peccare, neque irregularem fieri, si in fauorem subditorum ab eis inductus illa administrat, sicut probaui de excommunicato Ministro in lib. 1. Disp. 2. cap. 3. Diximus de peccato, & pœna violantium suspensionem ab officio, superest, vt in sequenti Capite agamus de suspensione à beneficio.

CAPVT IV.

De Peccato, & pœna transgredientium suspensionem à beneficio.

POstquam de peccato & pœna suspensorum ab officio pertractatum est, si contra suspensionem agere præsumpserint; Modò inquirendum est, cuius culpæ Rei sint suspensi à beneficio, & quam pœnam incurrant, si eandem suspensionem temere violare non vereantur.

Et primò, si loquamur de peccato, affirmandum est suspensum à beneficio committere peccatum mortale ex suo genere, si durante suspensione fructus beneficij, à quo est suspensus, vsurpare pręsumat, & teneri ad eorum restitutionem absque alia Iudicis sententia.

Id confirmari potest, primò quia talis suspensus recipiendo fructus beneficij, à quo est suspensus, vsurpat rem alienam, nam per suspensionem priuatus est Iure percipiendi huiusmodi fructus; quamobrem iam spectant ad Ecclesiam, & non sunt amplius ipsius, quare illos recipiendo peccat contra iustitiam in re graui ex suo genere lethaliter, & idcirco est obligatus ad restitutionem, nemo enim iustè retinere valet, quod suum non est, nisi per accidens excusetur ob impotentiam, vel ex alia causa legitima. Neque requiritur sententia Iudicis, qua ad restitutionem compellatur, quia cùm tales fructus percepti durante suspensione non sint sui, tenetur illos restituere sine vlla sententia, quæ requiritur solùm, vbi quis spoliatur rebus suis, quarum dominium iam acquisierat.

Secundò excommunicatus maiori excommunicatione, cũ eo ipso sit priuatus fructibus beneficij, quod possidet, grauiter peccat, si illos recipiat, & tenetur ad restitutionem ante omnem Iudicis sententiam, vt probaui lib. 2. Disp. 6. cap. 8. Ergo idem est asserendum de suspenso, quoniam licèt sint diuersæ censuræ, tamen amissio fructuum nonminus est effectus suspẽsionis a beneficio, quàm sit excommunicationis maioris, & ab vtraque censura formaliter prouenit.

Hinc fit, vt licèt suspensio sit occulta, eandem priuationem fructuum inducat, & obligationem ad illorum restitutionem, si de facto illos sibi suspensus applicuerit, quoniam suspensio, sicut & excommunicatio, secum affert executionem quoad impediendum acquisitionem fructuum quos si suspensus vsurpare præsumit, obligatur ad restitutionem, quia ad alios spectant, scilicet ad Ecclesiam, cuius sunt fructus, & tanquam res alienæ nunquam retineri possunt.

Neque hac in re aliquid fauoris, & priuilegij tribuitur suspenso per Extrauag. Ad euitanda, quæ solùm coarctat Ius Antiquum quantum ad communicationem cum ijs, qui censura sunt obstricti, vt non obliget alios ad abstinendum à communione, nisi sint publicè denunciati, & declarati tales, vel nisi sint notorij Clericorum percussores, non loquitur de perceptione fructuum, deinde dicta Constitutio Extrauag. Ad euitanda edita fuit in gratiam fidelium participantium cum illis, qui vinculo censurarum Ecclesiasticarum tenentur, quibus nullum beneficium aut priuilegium per eam collatum fuit, ergo siue suspensio sit publica, siue occulta suspensos afficit, sicut ante dictam Extrauag. Iure antiquo obligati erant.

Si verò agamus de pœna, vtrum Iure ipso imposita sit aliqua pœna aut censura aduersus suspensos à beneficio, si violando censuram fructus beneficii de facto sibi applicent. In primis illud certum esse videtur

tur

tur Suſpenſum à beneficio non fieri irregularem, ſi violet hanc ſuſpenſionem, vſurpando fructus beneficij. Ratio eſt, quia irregularitas incurritur tantum in caſibus Iure expreſſis, ca. Is qui de ſent. excom. lib. 6. Sed in Iure reperitur impoſita irregularitas, quando obſtrictus cenſura adminiſtrat actum aliquem Ordinis, à quo peculiariter eſt ſuſpenſus, vt oſtendi in Capite præcedenti. Quare duo requiruntur, vt irregularitatem incurrat is, qui cēſura obſtrictus manet. Primum vt vi cenſuræ ab aliqua poteſtate Ordinis ſit ſuſpenſus; Deinde vt exerceat actum Ordinis, cuius poteſtate priuatus eſt. Sed vtrumque deeſt in caſu ſuſpenſionis à beneficio tantum, ſi fructus beneficij de facto ſuſpenſus exigat, & retineat. Nam neq; ab Ordine priuatus eſt, neq; ſibi vſurpando fructus beneficij actum aliquem Ordinis adminiſtrat, igitur non contrahit irregularitatem, quam neque incurreret celebrando, aut alium actum Ordinis exercendo defectu primæ conditionis, cum per ſuſpenſionem à beneficio non ſit priuatus poteſtate Ordinis. Quare licèt ſic ſuſpenſus temerarie agat recipiendo fructus, Superioris præceptum contemnendo; Irregularitatis tamen laqueum non incurrit, ſicut neque ſuſpenſus ab officio, ſi exerceat actum iuriſdictionis, minimè fit irregularis, vt probaui in Cap. 2. Et tamen actus iuriſdictionis magis ſpectat ad officium Eccleſiaſticum, quam recipere fructus beneficij. Et ita tenet Gloſ. in Clem. 2. Ver. Suſpenſus de vit. & honeſt. Cleri. Quare Sacerdós in ea Eccleſia, à cuius beneficio eſt ſuſpenſus, & miſſam, & alia diuina officia celebrare poterit, & tenetur, præſertim ſi Parochus eſt, vt inquit Gloſ. in ca. Cum Vuintonienſis Ver. Admiſerant de elect. quam ibi ſequitur Abb. num. 10. Et tandem vniuerſa, quæ ad officium pertinent, abſque vllo peccati, & irregularitatis timore exercere poterit.

Secundò dico; In iure non haberi aliam cenſuram, vel pœnam, quam ipſo iure incurrant Clerici ſuſpenſi à beneficio, ſi ſuſpenſionem tranſgrediantur vſurpando fructus beneficij.

Sed contra poſſet quis opponere ca. 1. §. Adijcientes de elect. lib. 6. Vbi in pœnam violatæ ſuſpenſionis imponitur priuatio perpetua beneficiorum his verbis; *A beneficiis Eccleſiaſticis triennio nouerit ſe ſuſpenſum, Ad quæ ſi infra illud tempus propria temeritate ſe ingeſſerit, eis ipſo iure perpetuò ſit priuatus*. Et eadem pœna contra eoſdem violatores ferè ijſdem verbis repetita legitur in cap. Cupientes prope fi. Verſ. Cæterum eod. tit. & lib. Ergo conſtituta eſt pœna à Iure, quam incurrunt ſuſpenſi à beneficio, ſi ſuſpenſionem tranſgrediantur.

Reſpondeo pœnam in illis locis impoſitam non eſſe extendendam ad violationem cuiuſcunque ſuſpenſionis à beneficio, ſed ſpecialiter latam eſſe contra tranſgreſſores ſuſpenſionis latæ in eos, qui temere impugnant electionem canonicè factam, vel contra Electores, qui non mittunt ad Sedem Apoſtolicam infra tempus deputatum perſonas debito modo inſtructas; Voluit Summus Pontifex ex ſpeciali cauſa ad oſtendendam grauitatem huius delicti augere pœnam in eos, qui non ſeruarent huiuſmodi ſuſpenſionem; Quare inferri non poteſt hanc pœnam extendendam eſſe ad omnes tranſgreſſores ſuſpenſionis à beneficio, & ita tenet Philip Franc. in cap. Cupientes §. Cæterum nu. 1. de elect. lib. 6. Et Gloſ. ſingul. in Clem. 2. Ver. Suſpenſus de vi. & honeſ. Cleri. dicens ſuſpenſum à beneficijs ſi durante ſuſpenſione, illorum fructus percipit, non contrahere irregularitatem, nec beneficijs remanere priuatum, cum hoc non exprimitur, ſicut fit in cap. 1. & in cap. Cupientes de elect. lib. 6. ſed tantum teneri ad reſtitutionem fructuum. Quare per ſuſpenſionem à beneficio non priuatur ſuſpenſus titulo beneficij, ſed adminiſtratione. Vnde in cap. Sicut de cohab. Cleri. & Mulie. præcipit Summus Pontifex Epiſcopo, vt Clericos ſuæ Iuriſdictionis in ſacris conſtitutos concubinas dimittere nolentes ab Eccleſiaſticis beneficijs ſuſpēdat vſq; ad ſatisfactionem congruam. Quòd ſi ſuſpenſi eas detinere præſumpſerint, mandat, vt ipſos ab eiſdem beneficijs perpetuò deponat; Ergo ſuſpenſi à beneficijs violantes ſuſpenſionem pœnam priuationis beneficiorum minimè in omnibus caſibus incurrunt. Præterea exiſtimo neque in illis caſibus ca. 1. & ca. Cupientes de elect. lib. 6. illam pœnam incurri hoc tempore ante ſententiam ſaltem Iudicis declaratoriam criminis, quamuis appoſita ſit illa particula *ipſo iure*. Dicitur enim pœnam incurri ipſo iure, quamuis non habeat locum ante ſententiam declaratoriam criminis, quando ad eam incurrendam non opus eſt ſententia condemnatoria; quoniam priuatio beneficiorum non eſt cenſura, aut pęna ſpiritualis, quę non indigeat miniſterio hominis ad ſui executionem, ſed enumeratur inter pœnas temporales, quas regulariter nemo cogitur in ſe ipſum exequi, donec condemnetur à Iudice.


Nec plura dicam de peccato, & pœna violantium ſuſpenſionem ab officio, vel à beneficio in hac Diſputatione.



DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE CAVSIS SVSPENSIONIS.



IN declaranda Cenſura Suſpenſionis ab eo ordine, & methodo diſcedendum non eſſe ſtatui, quam in pertractatione de excommunicatione ſecutus fui, idcirco abſoluta diſputatione de his omnibus, quæ ad intrinſecam rationem Suſpenſionis ſpectare poſſunt; Nunc ad explicationem cauſarum pergendum eſt. De quatuor igitur generibus cauſarum, quæ in Suſpenſione conſiderari poſſunt, in hac diſputatione agendum erit; Et primo loco de cauſa materiali Suſpenſionis tractabimus; Deinde ſuo Ordine de aliis cauſis ſermonem inſtituemus, vt præſcriptum ordinem, quem ſeruaui in tradenda cognitione excommunicationis, in hac quoque cenſura explicanda retineam.

Caput Primum, De Cauſa diſpoſitiua, ſeu materiali Suſpenſionis.
Caput Secundum, De Cauſa formali Suſpenſionis, ſeu de modo ferendi Suſpenſionem.
Caput Tertium, De aliis duabus cauſis, ideſt, finali, & efficiente ipſius Suſpenſionis.
Caput Quartum, De Perſonis, quæ ſuſpendi poßunt.
Caput Quintum, De Vniuerſitate ſeu Communitate, quæ ſuſpendi poteſt.
Caput Sextum, De Modo Computādi tempus Suſpenſionis.

CAPVT I.

De Cauſa diſpoſitiua, ſeu materiali Suſpenſionis.

INueſtigamus cauſam diſpoſitiuam, ſeu materialem ſuſpenſionis, ideſt illam, quæ ſupponi debet, vt lex, vel Iudex imponere iuſtè poſſit pœnā ſuſpenſionis, & ſine qua iniuſtè illam ferret, cum enim ſit cenſura, & pœna non licèt Iudici illam in quemcunque arbitratu ſuo infligere, ſed aliqua ſubeſſe debent, vt hæc cenſura imponi poſſit, ſicut de excommunicatione dictum eſt.

Itaque quæritur; An ſuſpenſio iuſtè ferri poſſit aliquando ſine vlla propria culpa illius, qui ſuſpenditur, an verò ſit neceſſaria culpa propria, & quæ, vtrum requiratur mortalis, vel ſufficiat venialis.

Sunt aliqui exiſtimantes non eſſe neceſſariam culpam, vt quis contrahat ſuſpenſionem, ſed nonnunquā laqueo ſuſpenſionis innodari aliquos ob aliena peccata ſine propria ipſorum culpa; Id probare conantur ex ca. 1. de Ordin. ab Epiſcopis. qui renunc. Epiſc. Vbi Alexander Tertius declarat indigere diſpenſa-

A tione Epiſcopi illum, qui ex ignorantia probabili, & ſine culpa ſuſcepit Ordines ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui ob peccatum ipſius Epiſcopi ordinantis; Vbi Gloſ. in Ver. Ignorantia, quærit, quare ſit neceſſaria diſpenſatio, cum probabilis facti ignorantia quemlibet ex toto excuſet, & reſpondet eſſe neceſſariam diſpenſationem, quia cum in talibus Ordinator non habeat executionem ſui officij, eam alij conferre non poterat, & ideo ſuſpenſus remanet; Item in cap. Vel non eſt compos de temp. ordin. Vbi puer treſdecim annorum in Diaconum ordinatus, ab executione officij Diaconi vſque ad ætatem legitimam in iniuriam Ordinantis ſuſpenditur, ergo ob peccatum
B alterius poteſt quis ſuſpendi, præſertim ſi ex parte ſuſpenſi interueniat aliqua legitima cauſa, propter quā conueniat ſuſpenſionem imponere, ſicut in prædicto caſu pueri treidecim annorum exiſtebat decentia miniſterij Eccleſiaſtici, ne talis puer conſpiceretur deſeruire Sacerdoti ad Altare in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

Hoc idem ratione perſuaderi poteſt, nam ſuſpenſio non priuat bonis proprijs animæ, ſicut excommunicatio, ſed functionibus Eccleſiaſticis per ſe ordinatis ad bonum commune, vt vidimus in prima Diſputatione, ſed poteſt interdum ad bonum commune conducere, vt Clericus priuetur ad tempus poteſtate exer-
C cendi huiuſmodi functiones ſine ſuo peccato ob aliquem finem honeſtum, ergo nihil repugnat, vt aliquādo ſuſpenſio ita feratur, ſicut de interdicto nemo eſt, qui neget; ob eādem rationem poſſe complecti etiam innocentem, vt videbimus, quando de illa cenſura tractabimus; Atque in hunc modum ſentire videtur S. Tho. in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncul. 2. ad ſecundum. Vbi aſſerit ſuſpenſionem non tantam eſſe pœnam, quanta eſt excommunicatio, quia ſuſpēſi non priuantur ſuffragijs Eccleſiæ, ſicut excommunicati, & ex hoc principio ita infert; *Vnde etiam aliquis ſine peccato proprio ſuſpenditur, ſicut & totum Regnum ſupponitur Interdicto pro peccatis Regis.* Et Sylue. idem af-
D firmare videtur Ver. Suſpenſio §. 4. Verſ. Sed tamen, Vbi quærens, an ſuſpenſio ferenda ſit in ſcriptis monitione præmiſſa, & cum Abbate reſpondet affirmatiuè, ſed limitat reſponſionem, vt non habeat locū, vbi ſuſpenſio fertur in pœnam delicti, neque quando imponitur ex cauſa ſine culpa, quod ait manifeſtum eſſe ex practica currente, quare ſupponit ſuſpenſionem infligi poſſe abſque propria culpa. Neque ab hac opinione recedit Abb. nam in cap. vlt. nu. 4. Verſ. De Suſpenſione verò maiori &c. De Cleri. excom. Mini. inquit Suſpenſionem maiorem aliam eſſe, quæ contrahitur propter delictum, aliam propter defectum,

aliam propter infamiam. Suspensus maiori suspensione propter delictum celebrando efficitur irregularis, vt in cap. 1. de sent. & re iudi. lib. 6. & in cap. 1. de sent. excom. eod. lib. Suspensus propter defectum, puta si sit illegitimus, si celebrat, non fit irregularis, sed peccat, quia iure id cautum non est, si non sit illi directè a Superiore interdicta executio officij. Suspensus propter infamiam si directè à Superiore non sit illi prohibitũ officium, non incurrit irregularitatem celebrando, quoniam nullibi in Iure legitur Notoriè criminosum celebrando incurrere irregularitatem propter infamiam, & scãdalum, quod oritur in populo, sed est quędam prohibitio ad scandalum vitandum. Admittit igitur Abb. posse aliquando suspensionem ferri sine culpa, & peccato ipsius suspensi; Immo ex hoc dicto Abb. inferri potest aliquando suspensionem imponi posse non solum sine peccato ipsius suspensi, sed etiam sine causa, quæ verè in ipso insit ex sola eius infamia, quæ consistit in communi opinione, & conceptu aliorum.

E contra alii in opposita sunt sententia, nimirum suspẽsionem infligi non posse sine propria culpa illius, qui suspenditur. Ita tenet Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. vbi in definitione suspensionis ponit inter alias hanc particulam, *Ob suam culpam*, scilicet illius, qui suspenditur, & in declaratione inquit addidisse, *Ob suam culpam*, quia suspensio non potest imponi sine vlla prorsus culpa, nam, cum sit pœna, respicit culpam iuxta illud, quod habetur in ca. 2. de Constit. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.* Ad idem citat Caiet. in Sum. Ver. Suspensio, qui cum asserat non esse necessariam culpam mortalem ad infligendam suspensionem, sed sufficere venialem, supponere videtur tanquam certum requiri aliquam culpam, vt legitimè, & iustè imponatur suspensio. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 44. Vers. Materialis autem proxima &c. Hoc idem confirmare videtur Lyricus Poeta lib. 4. Carmi. Ode 5. *Culpam pœna premit comes*, Et M. Tullius in 1. offic. Cauendum esse inquit, ne maior sit pœna, quàm culpa. Atque idem ita scribit in 3. De legi. *Noxiæ pœna par esto, vt in suo quisque vitio plectatur Vis, capite, Auaritia, Mulcta, honoris cupiditas, ignominia sanciatur.*

Sed qui contrariam sequuntur opinionem, respondent ad fundamentum horum Auctorum, qui putant ferri posse suspensionem absque culpa, & aiunt pœnam suspensionis supponere culpam, non tamen semper propriam eius, qui suspenditur, sed aliquando culpam alienam, vt quando suspenditur Communitas, seu Collegium propter delictum, cui non omnes constituentes Communitatem, seu Collegium sunt cooperati, tamen suspenduntur, etiam illi, qui criminis, & socij participes non fuerunt. Verùm hæc responsio impugnari potest; Nam suspensio, quæ fertur in Communitatem, non suspendit singulas personas secũdum se, sed solum Communitatem, quæ non posset legitimè suspendi, nisi deliquisset, Quòd si in delicto Communitatis non fuerunt participes aliquæ singulares personæ, nihil refert, quia non suspenduntur singuli, sed totum Corpus Communitatis; Quo suspenso sequitur ex cõsequenti, vt singuli tanquam partes corporis non valeant actiones totius efficere. Neque hoc modo dicitur aliquis puniri ob delictum alterius, sed est fieri participem pœnæ debitæ corpori, quod deliquit. Quare non apparet, quomodo aliquis, propriè loquendo, iustè puniri possit propter peccatum alterius, nisi quatenus vnus reputatur res alterius, vt filius Patris, seruus Domini, sicut contingit in crimine læsæ Maiestatis, quod est extra præsentem quæstionem.

Quamobrem hinc inde non deest ratio dubitandi; Ego tamen ita censerem probabiliter ad hanc difficultatem responderi debere, Suspensionem Ecclesiasticam, quæ verè, & propriè est censura, vel saltem pœna Ecclesiastica, nunquam posse legitimè imponi, nisi propter aliquod delictum eius, qui suspenditur.

Hanc conclusionem efficaciter probat fundamentum illud paulò ante adductum; *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit*, c. 2. De Constit. & alibi, *Peccata suos auctores tenere debent, nec pœna est vlterius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum*, c. 2. de his, quæ fi. à maio. par. Cap.

Si dicas, Communitas, & Collegium suspenditur, & tamen nõ delinquit Collegium ipsum collectiuè sumptum, sed persona singularis; Respondeo suspendi Cõmunitatem directè propter aliquod peccatum personarum singularium, non vt tales sunt, sed vt partes constituentes Communitatem, vnde peccatum tribuitur Communitati, ex consequenti Communitas propriè suspenditur propter peccatum suum.

Si iterum instes, quando hoc modo suspenditur Cõmunitas, suspenduntur etiam necessariò omnes singulares personę, quamuis ex ipsis aliquę non deliquerint, ergo licitè ferri potest suspensio sine culpa.

Respondeo; In hoc casu nõ suspendi singulares personas directè, sed indirectè, quatenus accidit, vt ab eis constituatur talis Communitas, vnde efficiuntur participes pœnæ totius. Et quando in conclusione dicimus nimirũ suspendi posse sine propria culpa intelligimus de suspẽsione, quæ per se directè in aliquẽ fertur.

Hinc sequitur, quoties Clericus ob aliquem defectum animi, vel corporis, vt ob ignorantiam, aut lepram, scandalum, aut aliud impedimentum, prohibetur ab ordine, vel officio, aut vsu potestatis absque culpa, non esse propriè suspensum, quia nemo puniri debet sine peccato.

Itaq; ita distinguere possumus, vt dilucidius, & clarius hæc difficultas explicetur suspensio ab officio, vel à beneficio, quæ propriè, & verè sit censura Ecclesiastica, vel imponitur in certam, & determinatam personam, & hæc necessariò requirit propriã culpam suspensi; Aut fertur in Communitatem, & personam incertã, & hæc potest imponi pro culpa aliena, & quòd hæc, quæ ponitur generaliter Communitati, sit censura, patet, Nam & Interdictum in Ciuitatem, & Collegium pronunciari potest; Vnde quantum ad hoc comparare potest Suspensio cum Interdicto, ideo si Ciuis innocens Populi interdicti initietur sacris, fit irregularis, Et tamen si eiusmodi Interdictum non esset censura, non fieret irregularis.

Contra Excommunicatio nullo modo potest ferri nisi pro culpa propria, ergo nec suspensio; Concesso antecedenti negatur consequentia, quia pœna suspensionis non afficit animam quoad interiora bona, quia non priuat suffragijs Ecclesiæ, sicut Excommunicatio.

Immo etiam hæc suspensio latè sumpta, quæ nõ est censura, nunquam imponi potest in aliquem propter solam culpam alterius, nisi in eo, qui suspenditur consideretur aliquis defectus, ratione cuius prohibeatur ab executione ordinis, aut officij, nempe defectus alicuius animi, vel corporis, vt dixi, & patet ex titu. De Cleri. Aegrotante in Antiquis in sexto, in quibus locis semper, quando remouetur Sacerdos ab Altari, additur pro ratione talis prohibitionis aliquis defectus; Vnde Abb. in cap. Vel non est compos numero 4.

De

De Tempo. Ordin. Vbi puer ante legitimam ætatem promotus ad ordinem Diaconatus suspenditur in iniuriam Ordinantis, quærit cur ordinatus suspendatur ob factum alterius, & respondet in eo casu causam impulsiuam ad ferendam suspensionem fuisse delictũ ordinantis, tamen causam finalem extitisse defectum ætatis ipsius Ordinati. Eodem modo respõdet ibi Glos. Ver. Iniuriam, dicens fuisse illum puerum suspensum, quia ætas repugnabat, quasi dicat, vt inquit Io. Andr. Non fuit solum odium ordinantis, sed defectus ordinati; Meritò Summus Pontifex non dixit, In eo casu suspendi ordinatum in pœnam ordinantis, sed in iniuriam ordinantis, idest in confusionem, & dedecus ordinantis, vt cunctis pateat, & manifestum sit, quantum errauerit promouendo illum, quem necesse fuit suspendere ob defectum ætatis. Simile exemplum habetur in cap. Decernimus 16. q. 7. Vbi contra Episcopum, qui Rectores posuerit in Ecclesijs ab alijs fundatis irrequisitis fundatoribus, quamdiu illi in vita superstites fuerint, ita statuitur. *Quòd si spretis eisdem fundatoribus; Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam nouerit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos ijdem ipsi fundatores condignos elegerint, ordinari.* Quare certum est, quoties imponitur pœna suspensionis, accipiendo suspensionem in latiori significatione, quæ non est propriè censura etiam si non præcesserit culpa in ipso suspenso, tamen cõsideratur in eo quædam incapacitas & defectus ratione cuius rectè priuari potest facultate exercendi actus Ecclesiasticos Ordinis, vel officij.

Si contra hanc conclusionem obijcias nonnulla decreta Concilij Tridentini vt sess. 6. cap. 5. Vbi prohibetur, ne Episcopus in aliena Diœcesi audeat pontificalia exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas, & si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificaliũ, vt Ordinatus ab executione Ordinis remaneant ipso iure suspensi; Et tamen contingere potest, vt ordinatus absque vllo peccato à tali Episcopo ordinetur, si quæ egit iure agere affirmet, nec non loci Ordinario assentiente. Et sess. 14. cap. 2. extat decretum, quo Titulares Episcopi percelluntur, si in aliquo loco exempto commorantes ad sacros, vel minores ordines, aut primam Tonsuram vllos promouent absq; expresso suorum Prælatorum consensu, vel literis dimissorijs, contrafaciens ab exercitio pontificali per annum, & taliter promotus ab executione Ordinum sic susceptorum suspenduntur. sess. 23. cap. 8. vetat quempiam cuiusuis priuilegij prætextu posse ab Episcopo non suo promoueri, si secus fiat ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione suspendantur. Sed fieri potest, vt in eiusmodi promotionibus vetitis nihil à Clerico peccetur, sed optima fide ad ordines accedat, ergo imponitur pœna suspensionis nullo præcedente crimine in ipso suspenso. Quod & S. Tho. testimonio comprobari potest, qui 4 sent. dist. 18. q. 2. art. 3. quæstione 2. ad 1. posse quempiam culpæ expertem suspensione coerceri, scripsit, cuius verba superius citaui.

Ex dictis paulò ante patere potest, quid respondendum sit ad auctoritates Concilij, & testimonium B. Tho. Nam suspensiones latæ à Concilio in casibus expressis aduersus Ordinatos supponũt regulariter culpam ipsorum Ordinatorum, qui temere non verentur adire Episcopos pro suscipiendis Ordinibus, qui tali potestate carent. Quòd si supponamus bona fide, & sine vllo delicto proprio ab huiusmodi Episcopis ordinatos fuisse, atque ita omnis culpæ expertes, & innocentes suspensionem incurrisse. Respondendum est sicut fatetur S. Tho. in eo casu dicendũ esse, & ego superius monebam, nullum esse inconueniens posse ferri suspensionem à Iure, vel ab homine in personam incertam pro aliena culpa, maximè quando talis suspensio habet rationem inhabilitatis, & defectus prouenientis ex defectu ipsius conferentis ordines, qui carebat executione, vel etiam propter bonum cõmune, & publicum, sicut quando suspenditur Communitas e. g. Capitulum, vel Collegium quo casu, vel suspenditur propter culpam membrorum, puta capitularium, tũc enim suspẽsio afficit solos culpabiles minime verò innocentes, vel suspenditur ob delictum Rectoris, & Superioris, & tunc non excusantur Innocẽtes. vt ait Nauar. lib. 5 Consil. cons. 40. de tempo. ordin. Fauet. cap. Quia sæpe de elect. lib. 6. & c. Si sententia de sent. excom. lib. 6. Quòd licèt tãtum loquatur de Interdicto, tamen eadem ratio militat in suspensione. Nam sicut interdicto populo propter delictum Gubernatoris nõ excusantur Insontes; Ita quoque si suspendatur Capitulum propter crimen Episcopi, vel Superioris, non eximuntur Innocentes. Immo aliquando suspenditur quis à perceptione fructuum beneficii non solùm nulla supposita culpa in ipso, sed neq; in alio, tantũmodo propter cõmune bonum, vel ob alias causas, quia talis suspensio à perceptione futurum, non est vera suspensio, quæ sit censura Ecclesiastica, cùm non sit priuatio rei spiritualis, sed merè tẽporalis, vt inquit Syluc. Ver. Suspensio. §. 3. & notat Glos. in c. Is cui, §. Sequentem de sent. excom. lib. 6. Quare potius dicenda est distributio iuxta talium fructuum beneficii, quorum dispensatio pertinet ad Ordinarium, & præcipuè ad Summum Pontificem.

Quamobrem ex dictis intelligimus veram esse conclusionem positam nimirum propriam suspensionem, quæ censura est aut pœna Ecclesiastica & spiritualis, ferri non posse à Iure, vel ab Homine, sine vlla culpa eius, qui suspenditur, nam quando imponitur nulla præexistente culpa, potius vocari debet modus quidam irregularitatis, quàm vera species suspensionis, & rectè Abb. in cap. vlt. n. 4. de Cleri. excom. Mini. distinguit suspensionem, quòd alia sit ob defectum, alia ob crimen, & vt ostenderet hanc differentiam non cõsistere in solo nomine, sed esse intrinsecam ratione diuersorum effectuum, addit ex violatione suspensionis ob defectum, per executionem actus ordinis non incurri irregularitatem, sicut contrahitur, si suspensus ob crimen eundem actum ordinis exerceat, & eiusdem opinionis est ibi Innoc. & Domin in cap. Apostolicæ dist. 56. & Couar. in Clem. Si furiosus de homic. par. 1. §. 1. nu. 4. quod erat prima pars quæstionis initio capitis propositæ.

Modò transeundum est ad secundam partem quæstionis, nempe de genere culpæ & peccati, quod requiritur ante suspensionem, an necessaria sit culpa mortalis, vel sufficiat venialis.

Sunt aliqui, qui censent non esse necessarium, vt ille, qui legitimè obstringendus est censura suspensionis, commiserit peccatum mortale, sed satis est, si venialiter tantum deliquerit, ita sentit Caiet. in Summa Ver. suspensio, & probat, quia suspensio non est tam grauis pœna sicut excommunicatio minor, cuius vis, & effectus consistit in priuatione à receptione Sacramentorum, quæ sunt maxima bona, & summoperè necessaria ad salutem. Sed excommunicatio minor incurritur ob peccatum veniale,

ergo non inconuenit, vt eodem modo possit incurri suspensio, idem putat Armill. Ver. Suspensio in princ. & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. in fi. 159. & 165 in fi.

Alij contra putant necessariũ esse peccatum mortale, vt suspensio incurratur ita videtur sentire Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. Conclus. 1. qui simpliciter asserit requiri culpam propriam eius, qui suspenditur. Quando verò absolutè dicitur, culpa intelligitur regulariter de mortali, nisi aliud suadeat res de qua agitur.

Ad hanc difficultatem duo responderem. Primò dicerem suspensionem propriè sumptam pro censura seu pœna Ecclesiastica rectè, & legitimè ferri posse à Iure vel ab homine ob solam culpam venialem eius, quis suspenditur.

Probatur primò, quia hæc videtur communis opinio Doctorum, qui assignantes differentias inter suspensionem, & alias censuras, dicunt inter alias hanc vnam esse, quod Interdictum aliquando incurritur sine culpa propria ipsius Interdicti, excommunicatio maior semper requirit peccatum mortale, at suspensio ferri etiam potest pro culpa veniali, vt dicebam in Disp. 1. cap. 2.

Secundò ad idem probandum facit ratio illa Caietani, nam si ob solum peccatum veniale contrahitur excommunicatio minor, cuius effectus est priuare excommunicatum, ne possit recipere Sacramenta, ergo non repugnat rationi formali suspensionis, vt ob solam culpam venialem illa incurratur, cùm vera suspẽsio possit imponi, quæ priuet facultate exercendi quẽlibet simplicem actum Ministerij Ecclesiastici, licèt sit infimus, & multò minor & leuior, quam receptio Sacramentorum, quæ præcipua est & maxima.

Tertiò iustitiæ ratio postulat, vt commensuratio quædam sit, & proportio inter pœnam, & culpam, vnde si suspensio imponatur leuis, puta priuetur quis facultate eligendi vnica vice, vel iure exigendi fructus beneficii vnius diei, vel suspendatur ab ingressu Ecclesiæ per diem, vel quid simile, in his casibus cum leuis sit suspensio, si pœna commensurari debet culpę, meritò inferri poterit, latam esse ob leuem quoq; culpam, quæ venialis est.

Secundò dicerem suspensionem grauem, vt modò est in vsu in Ecclesia, iustè infligi non posse, nisi ob mortalem culpam.

Probatur, primò datur suspensio maior & minor, grauior & leuior, & cum pœna debeat secundum iustitiæ rationem commensurari culpæ, si leuior suspensio, per quam priuatur quis facultate exercendi aliquem actum Ecclesiasticum ex genere infimorum imponitur ob culpam venialem, vt diximus, ergo iustitiæ ratio postulat, vt infligi non possit suspensio grauior, puta ab executione Ordinum maiorum, ab ingressu Ecclesiæ per aliquod notabile tempus ab officio, & fructibus beneficij per annum, & sic dissimilibus, nisi ob peccatum lethale.

Secundò suspensio moraliter loquendo, & secundum prudentem existimationem est maior, & acerbior pœna ex genere suo, quàm sit excommunicatio minor, quia suspensio non ita facilè tolli potest, sicut excommunicatio minor. Item suspensio aliquando affert damnum irreparabile, vt est illa, quæ priuat fructibus beneficij & similes, & inducit nonnullam infamiam, quæ incumstantiæ cessant in excommunicatione minori, ergo licèt excommunicatio minor incurratur ob solam culpam venialem, idest illa, quæ oritur ob communicationem cum excommunicato maiori excommunicatione in humanis actibus, non sequitur, vt idem dicendum sit de suspensione, sicut irregularitas non priuat perceptione Sacramentorum, & tamen ex communi sententia ob similes conditiones existimatur grauior pœna, quàm excommunicatio minor.

Ex hac conclusione infertur vnum diligenter animaduertendum, quod si à Iure imponatur grauis suspensio in eos, qui aliquid commiserint, quod ex genere suo habeat annexam culpam mortalem, non incurret hanc suspensionem illi, qui committit talem actum in genere, si ex huiusmodi transgressione ob aliquam causam sit reus tantum culpæ venialis, loquor in foro conscientiæ, nam in exteriori iudicabitur suspensus, puta si lex suspendunt Clericos, qui in administrandis bonis Ecclesiæ aliquid defraudarent, ab ingressu Ecclesiæ, & à beneficijs, quæ in ea possiderent, per annum, & aliquis violaret hanc legem surripiendo aliquid in Ecclesia, vel inaduertenter, & bona fide credens non spectare ad Ecclesiam, vel si esset res modica & minimi valoris, non incurreret suspensionem legis, quia in vtroque casu non peccaret mortaliter, vel ob imperfectionem actus vel ex leuitate materiæ. Verùm quando lex punit aliquem actum simpliciter, interpretanda est de actu completo, & perfecto in genere moris, vt alias demonstraui.

Similiter qui per ignorantiam probabilem iuris, aut facti excusatur à culpa mortali, non incurrit iuris suspensionem; At qui dubitat de proprio peccato aut de causa, ob quam Iudex ab officio suspendit, debet abstinere tanquam suspensus, nisi dubium rationabiliter deponat, quia suspensio etiam iniusta ligat in vtroque foro, Alexan. de Ales. 4. par. titul. De suspensione membr. 2. & idem à fortiori fateri debent, qui tenent excommunicationem iniustam ligare, Riccard. in 4. distinct. 18. artic. 3. quæst. 5. Durand. quæst. 4. in corpo. ad primum Palud. quæst. 1. artic. 3. Vtrùm verò suspensio grauis lata à Iure, vel ab homine sine tali causa æquiualente, sed solùm præsumpta, vel probata in foro exteriori teneat, & obliget ipsum reum, & quando, intelligi potest ex his, quæ ad eiusdem quæstionis elucidationem pertractaui de excommunicatione simili modo lata lib. 3. Disputat. 2. capitulo 1. Quare quæ ibi disputata sunt de excommunicatione, aptari possunt ad suspensionem, neque opus erit alia addere, vel illa met repetere.

Quamuis autem suspensio lata à Iure regulariter feratur ob peccatum mortale, sicut & excommunicatio, plurimum tamen differt ab excommunicatione ex hac parte, quoniam excommunicatio non tantum requirit pro causa materiali proxima peccatum mortale, sed vt sit coniunctum cum contumacia, & inobedientia etiam cum pronunciatur ab homine, at suspensio non sic aliquando enim fertur ab homine ob contumaciam, aliquando verò ob peccatum solum in pœnam illius nam prolata culpa vel notoria existente, fertur suspensio in delinquentem non contumacem ex sententia Innoc. in cap. Peruenit nu. 3. de excess. Prælat. & Abb. in cap. Reprehensibilis num. 4. de Appella.

Postremò illud quoq; non est ignorandum suspensionem aliam esse temporalem, aliam perpetuam, perpetua æquiparatur Depositioni, vt notatur in capitulo Si quis 83. distinct. Vbi Domin. quem refert

Dec. in ca. Apostolicæ col. penul. Vers. Secundo Abbas A de except. Ideo Imol. in ca. Cum dilectus col. 8. de consuet. ex sententia Calder. dicit suspensionem perpetuam ab officio habere vim priuationis, & taliter suspensum censeri priuatum beneficio; Vnde videtur sentire qui per talem suspensionem ob officio beneficium vacare, & illud alteri conferri posse. Et hoc modo suspensio perpetua non debet imponi, nisi pro graui crimine, sicut de Depositione dicitur in cap. Tuæ de pœn.

Quæ autem crimina in specie sint suspensione digna, non constat. Anton. in cap. At si Clerici de Iudi. videtur regulam tradere, sed Abb. ibi num. 33. concludit non posse hac in re certam assignari regulam, sed Iudicem hoc diiudicare debere ex casibus à Iure expressis, vt in illis, & similibus imponat pœnam suspen- B sionis: Quare iuxta mentem Abbatis id Superioris arbitrio committitur.

CAPVT II.

De causa formali suspensionis, seu de modo ferendi suspensionem.

DE causa formali, quæ in suspensione considerari potest, modò agendum est, idest de ordine, & modo seruando in imponenda suspensione, & de conditionibus adhibendis in ea pronuncianda. Cum autem suspensio ferri possit à Iure, & ab homine, in vtraque suspensione pronuncianda vnum seruandum est C commune vtrique modo, scilicet vt verbis claris sufficienter significetur, quantum se extendat suspensio imposita, & quibus actibus priuet ipsum suspensum; quæ conditio necessaria est in suspensione Iuris, & Hominis. Verùm in suspensione Iuris hæc sola conditio sufficit pro forma, In suspensione hominis præter hanc aliæ requiruntur. Primo loco disseramus de suspensione Iuris; Deinde tractabimus de ea, quæ fertur ab homine.

Ius Ecclesiasticum, quod imponere potest censuram, seu pœnam suspensionis, aliud est commune, aliud particulare. Ius commune Ecclesiasticum nuncupatur Ius Canonicum à Summis Pontificibus editum, quod vniuersam Ecclesiam obligat, quodque omnes D fideles seruare tenentur. Ius speciale est illud, quod spectat ad particularem Episcopum alicuius Ciuitatis, vel ad alium Prælatum habentem potestatem pronunciandi constitutiones, & obligandi suos subditos ad illarum obseruationem. Vel igitur Iure Canonico, vel Statuto, & Constitutione Episcopali infligatur suspensio, necesse est, vt verba, quibus talis pœna exprimitur, sint clara, & determinatè ac distinctè significent, & declarent speciem suspensionis, quæ imponitur, & modum imponendi illam, quia legislator debet manifestè verbis exprimere id, quod per legem intendit. Et in hoc consistit ratio formalis huius suspensionis, quæ per legem fertur, vt his verbis concipiatur, quibus explicetur, à qua re quis suspendatur. Quare si E lex dicat: Suspendimus ab officio, intelligitur lata suspensio ab officio simpliciter, si dicat, suspendimus eũ à beneficio, erit priuatus fructibus beneficij. Sic habetur in Clem. 2. de vit. & honest. Cleric. cap Cupientes §. Cæterum de elect. libro 6. & capit. Cum in cunctis §. final. Tit. eodem in Antiq. Eodem modo si lex dicat; Suspendimus eum à Pontificalibus, vult significare velle tantum suspendere à parte officij, idest ab executione potestatis pontificalis, & simili modo de alijs casibus disserendum est.

A Verùm hoc in loco oritur dubitatio, si enim requiruntur certa, & determinata verba legis in imponenda suspensionis pœna, quibus significetur, & species suspensionis, & modus, secundum quem illa fertur, ergo cum in Iure aliquando reperiatur lata suspensio verbis generalibus, puta suspendimus omnes, qui contra aliquid attentare præsumpserint sine vlla determinatione rei, à qua quis suspenditur, talis suspensio erit nullius roboris, cum careat forma necessaria in imponenda suspensione. Et idem quæri potest, si ab homine per sententiam eisdem verbis generalibus aliquis suspendatur; Fuisse verò in Iure interdum hanc formam suspendendi verbis generalibus vsurpatam, constat ex Clem. 1. §. Quibus in fine Vers. Cæterum B De Priuileg. ibi, *Cæterum Prælati eorum &c. satisfactionem plenariam exhibuerunt infra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti suspensionis sententiam vsque ad satisfactionem debitam eo ipso incurrant.* Vbi Glos. Ver. Suspensionis, eandem dubitationem proponit dicens, *Declarari debuisset, an ab officio, an ab administratione.* Item in Extrauag. 3. post med Vers. Et nihilominus eodem tit. *Et nihilominus in omnes &c. tam in dantes, quàm in recipientes Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti latas sententias promulgamus.* Item in cap. Bonæ de æta. & qualit. ibi, *Quia venire iuxta mandatum Apostolicum contempserunt, in eos fecit sententiam Suspensionis promulgari.* & cap. Vt Clericorum De Vita, & Honesta. Clericorum: *Si quis* C *igitur hac de causa suspensus præsumpserit celebrare diuina.*

Respondeo, si verba legis essent adeò incerta, & ambigua, vt ex eis constare non posset, quam suspensionem Legislator inducere voluerit, vtique talis suspensio nulla esset, & inualida, cap Erit autem lex distinct. quarta. l. Aut qui §. 1. ff. Quod vi, aut clam. Nego tamen in locis adductis verba esse ita incerta, & ambigua, quamuis vsurpata sit vox suspensionis in genere nulla addita clausula particulari, per quam determinetur ad certam speciem suspensionis; Idcirco enim Summus Pontifex vsus est voce suspensionis simpliciter, vt significaret vtramque suspensionem, scilicet ab officio, & benefi- D cio, cum enim duplex sit species suspensionis ab officio, & à beneficio, vt dixi in Disputat. prima, cap. tertio, cum dicitur absolutè aliquis suspensus tum ab officio, tum à beneficio priuatus intelligitur. Et ad hunc modum interpretanda sunt loca iuris adducta, vt plenè probaui in Disputatione 1. cap. quarto. Et ita videtur sentire Glos. in Clem. 1. Ver. Suspensionis De Priuileg. dicens, Nomine suspensionis simpliciter significari suspensionem ab officio; An autem comprehendat suspensionem à beneficio, remittit se ad notata in Clement. Cupientes §. Suspensi in fin. De Pœn. Vbi videtur partem affirmatiuam sequi Card. in Clemen. prima. Vers. Cæterum num. septimo, De Priuileg. & in Clement. Cupientes Vers. Quod si E numero octauo, De Pœnit. Vincent. in capit. Quanto De Magistr. quem refert Ioan de Ligna. in capit. Latores De Cleri. excommunic. Minist. & Additio ad Abb. in capit. penult. in litera B. Vers. Item dubitatur hic De Sentent. Excommunicat. & in eandem sententiam potest adduci Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 170. qui in simili forma locutionis idem affirmat de Interdicto; Nam Petro simpliciter interdicto putat omne id prohiberi, quod per Interdictum tolli potest. & eadem ratio est de Excõmunicatione, si quis simpliciter excõmunicatur; quare etsi regulariter, quoties

suspensionis pœna fertur in Iure, exprimi soleat, de qua suspensione fit sermo an ab officio, vel beneficio, vel ab vtroque, in illis tamen locis, in quibus suspensio imponitur, simpliciter de suspensione ab officio & à beneficio intelligi debet. Et hæc de forma suspensionis latæ à Iure.

Quoad ea, quæ spectant ad formam, & modum ferendi suspensionem per sententiam ab homine, plura considerari possunt, sicut etiam in excommunicatione, vt dixi in lib. 3. Disp. 3. & duabus sequentibus, nam inuestigandum est, quæ præcedere debeant, antequam talis sententia pronuncietur, quæ sint adhibenda, quando promulgatur sententia suspensionis, tandem quæ debeant illam sequi.

Quantum ad primum de ijs, quæ præmittenda sunt ante suspensionem certum est monitionem præcedere debere, sicut de excommunicatione dixi in dicta Disput. 3. & patet ex cxp. Sacro de sent. excom. ex cap. Romana eod. tit. lib. 6. & cap. Cum speciali de appell. & alibi. Et idem definitum fuit de suspensione, & de excommmunicatione in cap. Reprehensibilis de appell. his verbis, *Præsenti decreto statuimus, vt nec Prælati nisi canonica commonitione præmissa suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant.* Similiter, antequam ponatur Interdictum, requiritur monitio, vt statuitur in cap. Statutum de sent. excom. lib. 6. Vbi de suspensione etiam agitur, & Constitutio Gregorij Decimi in cap. Constitutionem de sent. excom. lib. 6. qui declarauit decretum Innoeentij Quarti de præmittenda monitione ante sententiam excommunicationis, in cap. Statuimus eod. lib. & tit. intelligendum esse de monitione nominatim facienda, extenditur ad sententiam suspensionis & Interdicti, in quibus etiam præcipit Bonifacius Octauus, vt inuiolabiliter obseruetur; & generaliter de omnibus censuris hoc expressum habetur in cap. Indignè 12. q. 2. *Debet tamen esse prouisio, vt vindictam admonitio præcedat*, & ibi Glos. Ver. Admonitio. Qua in re aliquid considerari potest speciale solum circa Interdictum, quod aliquando propter culpam vnius imponitur toti vniuersitati, cap. Si sententia de sent. excom. lib 6. Quo casu admonitio non est singulis facienda, sed illi tantum ob cuius culpam fertur Interdictum, nam alii non sunt contumaces & inobedientes. Quòd igitur ante sententiam suspensionis sit necessaria admonitio, indubitatum est, & in hoc conueniunt omnes Doctores.

Idque verum est solum, vbi fertur sententia suspensionis ab homine contra certas, & nominatas personas, nam secus est, si imponatur suspensio per sententiam generalem pro peccatis futuris cōtra quoscunque, qui hoc aut illud fecerint, in hoc enim casu non requiritur monitio, sicut neque quando infligitur suspensio à lege, vt dictum est de excommunicatione, nam licèt huiusmodi sententiæ generales & præcepta non vocentur neque sint leges, secundum modum, tamen quo feruntur sunt similes legibus, & ideo in illis, sicut in legibus non est necessaria monitio, quia sicut lex continet suspensionem latæ sententiæ, ita, & præceptum generale, quod dum permanet, per se admonet subditos non semel & iterum, sed continuè, si non ignoretur, ignorantia enim impedit admonitionem, & excusat contumaciam, cap. 2. de Constit. lib. 6.

Item hæc regula habet locum, si suspensio feratur ab homine per sententiam pro peccato præterito, nā si imponeretur suspensio pro delicto futuro per præceptum etiam contra certam, & particularem personam, vt hoc vel illud agat aut fugiat, incurreretur [A] suspensio ex transgressione præcepti absque alia præuia monitione, vt vsus Curiæ & praxis ipsa demonstrat, & desumitur ex cap. Romana de sent. excom. lib. 6. ibi; *Sed nec in specie, nec in genere pro culpis & offensis præteritis seu præsentibus excommunicationum sententias absq; competenti monitione præmissa promulgent, & si contra præsumpserint, iniustas nouerint esse illas*, & alia Iura similiter, quæ agunt de huiusmodi monitione, semper loquuntur de sententijs latis ab homine supposito delicto, quæ sententiæ semper sunt speciales quoad delicta, quia delictum, quod committitur, semper est particulare. Possunt autem esse speciales, vel generales quoad personas, vnde decretum huius cap. Romana non repugnat his, quæ paulò ante dicebam de [B] præcepto generali continente censuram suspensionis, nimirum tale præceptum non requirere præcedentem monitionem, hoc enim verum est, quando præceptum suspensionis est generale pro futuris culpis, qui hoc vel illud fecerint sint suspensi, & Tex. in cap. Romana loquitur de delictis præteritis.

In hac igitur conditione conuenit suspensio, sicut, & in alijs multis cum excommunicatione & Interdicto, vt dicit Innoc. in capit. 1. num 3 de excess. Prælat. Abb. in cap. Reprehensibilis num. 4. de Appell. Sylue. Ver. Suspensio §. 4. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 44. Vers. Aduerte tamen.

Quod est intelligendum quoties suspensio imponitur vt Censura, hac enim ratione omnes censuræ æqui[C]parantur, cap. Statutum de sent. excom. lib. 6. Secus verò est, si imponatur in pœnam delicti, tunc enim monitio non est necessaria, vt asserunt citati Doctores, quod etiam affirmat Host. in dicto cap 1. de excess. Prælat. quoad suspensionem, quæ fertur à Canone, non autem si à Iudice imponatur, sed Abb. in dicto numero 4. vniuersaliter probat dictum Innoc. & ad hoc facit cap. Tum literis in fin. de Testi. Vbi Summus Pontifex sine monitione infligit pœnam suspensionis, & confirmari potest ex cap. Romana Vers. Sed nec in specie de sentent. excom. lib. 6. Vbi quamuis initio Capitis sermo fuisset de excommunicatione, suspensione, & Interdicto, postea tamen cum tractat de culpis præteritis seu præsentibus, tantum prohibet [D] excommunicationem ferri posse sine monitione, quasi oppositum sentire videatur de suspensione & Interdicto, ergo necessaria est quidem monitio ante suspensionem, quando imponitur vt censura ob contumaciam, & ad hunc modum sunt intelligenda Iura, quæ vetant suspensionem ferri posse sine monitione præmissa, vt in dicto cap. Reprehensibilis de Appell. cap. Sicut de Cohab. Cleri. & Mulie. & alia similia. Non requiritur autem necessariò monitio, si infligatur in pœnam delicti, tunc enim frustra præmitteretur monitio, nam etiamsi reus vellet post monitionem se corrigere & emendere, adhuc oporteret, vt lueret pœnam delicti commissi Abb. in cap. Clerici num. 2. de Cleri. [E] excom. Mini. & in hoc differt suspensio ab excommunicatione, quia non est purè pœna, sed medicina cap. 1. de sent. excom. lib. 6. capit. Multi 2. quæst. 1. ideo ferri non potest, nisi contra contumacem & incorrigibilem, & idcirco requirit monitionem, & quamprimum monitus paratus est satisfacere, & parere, excommunicatio relaxanda est, cap. Nemo, cap. Illud. 11. quæst. 3.

Verùn aduertendum est, quòd licèt mentio non sit necessaria ante sententiam suspensionis, quoties quis punitur à Iudice de crimine præterito commisso, tamen in hoc etiam casu oportet, vt antequam sen-

tentia

tentia pronuncietur, de crimine, citata parte, constet, vt notat Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. capit. 44. vers. Aduerte tamen, & probat Glos. in Clemen. Præsenti Ver. Constiterit de Censi. Vbi inquit crimen constare debere vocata parte; & idem asserit Abb. in cap. Peruenit 1. num. 5. de Appell. dicens Iudicem Ecclesiasticum non debere denunciare aliquem Clerici percussorem excommunicatum, nisi ipso antea vocato, & receptis probationibus super veritate facti, cap. Cum secundùm leges de Hæret. lib. 6. & Glos. in Clement. 1. Ver. Commodè, & in Clement. 2. Ver. Constiterit de Pœn. & Glos. in cap. Sacro Ver. Constiterit de sent. Excom. nisi excessus esset notorius, & manifestus. Iam igitur constat, quando sit necessaria monitio ante suspensionem.

. Qualis debeat esse hæc admonitio, & quotuplex, declaraui lib. 3. Disp. 3. quæ ibi explicata sunt de admonitione ante excommunicationem, habent locum in monitione præmittenda ante suspensionem.

Sed dubitari potest, An reperiatur aliquis casus, in quo censura suspensionis ferri possit à Iudice sine prævia monitione, & difficultas locum habere potest, quando quis transgreditur legem continentem pœnam suspensionis latam in committentes tale delictum, vel quod frequentius est, pœnam excommunicationis, An tunc possit reus iterum ab homine excommunicari non præcedente alia monitione.

Additio ad Abb in cap. Reprehensibilis nume. 6. de Appell. censet in hoc casu posse aliquem suspendi, vel excommunicari ab homine sine vlla monitione; Et probat ex verbis illius tex. *Prælati non proferant sententias suspensionis, vel excommunicationis in subditos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat.* Quibus verbis videtur exceptus esse casus, quando quis pronunciatur excommunicatus, vel suspensus ab homine ob transgressionem legis continentis pœnam excommunicationis, aut suspensionis, tunc enim ipso facto poterit per sententiam absque alia monitione suspendi, aut excommunicari.

Sed simpliciter respondēdum est ad dubitationem nunquam posse imponi ab homine censuram suspensionis, aut excommunicationis, quæ reuera nouum vinculum, & nouum nocumentum inferat in eum, qui non fuerit præmonitus.

Probatur, quia per secūdam excommunicationem hominis, ille, qui inciderat in excommunicationem Iuris, contrahit nouum vinculum, & nouam cēsuram, quia excommunicatio Iuris, & excommunicatio hominis pariunt duos effectus excommunicationis; Et excōmunicatus, etiamsi absoluatur à prima excommunicatione, remanet excommunicatus, donec absolutus fuerit à secunda. Et ita probat, & concludit Glos. in cap. Ita quorundam Ver. Crebra, & solemnis de Iudæ. Et eadem prorsus est ratio de suspensione, si feratur, vt censura in contumacem. Accedit, quòd ille, qui deliquit contra Ius, non idcirco est necessariò contumax contra hominem, à quo iterum suspenditur, aut excommunicatur, ergo non videtur conueniens, vt absque monitione nouo vinculo ligetur. Atque ita sentit Host. citatus ab Abb. supra, & eidem opinioni videtur adhærere Couar. in cap. Alma Mater par. prima, § 9. num. 5. Quare etiamsi quis inciderit in suspensionis censuram latam à Iure, non potest tamen eiusdē censuræ vinculo ab homine alligari absolutè sine vllo respectu ad futurā cōtumaciam vel resipiscentiam, sub qua ratione continetur monitio.

A Ad textum in dicto cap. Reprehensibilis, respondeo non esse intelligendum, quando fertur noua censura ab homine in eum, qui deliquit in legem continentem eandem censuram, sed intelligi debere de sententia declaratoria Iudicis, qua aliquis ob transgressionem legis, excommunicatus publicè denunciatur. Vnde Glos. in eod. cap. Reprehensibilis vers. Ipso iure inquit mirum non est posse denunciari talem per sententiam, nam denunciatio absolutè respicit præteritum absque noua contumacia, & ideo simpliciter ferri potest sine monitione in futurum.

Secundò dubitari potest de eadem monitione, an sit adeò de necessitate, vt si prætermittatur, suspensio imposita ab homine nulla, & inualida reddatur.

B Doctores Iuris Pontificij communiter respondent defectu admonitionis sententiam excommunicationis esse iniustam, non autem nullam, & inualidam. Et hoc dictum intelligendum est præsertim de canonica, & competenti monitione, vt Iura loquuntur, quam Doctores dicunt esse trinam admonitionem. An verò aliqua admonitio absolutè sit necessaria ad validitatem censuræ, disputaui lib. 3. Disp. 3. cap. 5. & quæ ibi dixi de admonitione ante excommunicationem, valent etiam quoad censuram suspensionis, solùm potest hoc discrimen considerari inter excommunicationem, & suspensionem, quòd excommunicatio, quia non est simpliciter pœna, sed medicina, & semper fertur pro peccato mortali, quòd habeat annexam

C contumaciam, & inobedientiam, ideo nunquam ferri potest sine monitione, sed suspensio, quoniam interdum imponi potest tanquam pœna pro peccato præterito sine vlla contumacia, quando reus est paratus obedire, ideo non semper requirit moniri, nem, vt iam dixi, & patet ex cap. Tam literis de Testi. Vbi suspenduntur quidam à Summo Pontifice, quamuis nulla monitio præcessisset nec ab homine, nec à lege, quæ tale delictū sub tali pœna prohiberet, & ratio est, quia quando pœna imponitur propter delictum commissum præcisè, sustinenda est etiam si homo resipiscat, & velit in futurum cauere à similibus delictis; ideirco ad talem pœnam ferendam monitio illa minimè est necessaria, quæ ad resipiscentiam ordinatur.

D Tandem illud addendum est, quòd licèt excommunicatio, & aliæ censuræ sine canonica monitione validæ sint ipso iure, quod peculiare est in censuris, nam aliæ sententiæ defectu citationis sunt nullæ, cap. Inter quatuor de Maio. & Obed. tradit Card. in Clement. Pastoralis, §. Denique de Re Iudi. Tamen sententia declaratoria, quod aliquis inciderit in censuram, non potest fieri absque citatione, & antequam audiatur, vel contumax iudicetur, & si fiat declaratio absque vlla citatione, & auditione, est ipso iure nulla, & nullum impedimentum affert, quo minùs gesta per obstrictum censuris valeant, Glos. in cap. Cupientes, §. quod si per, de Elect. lib. 6. Latè Felin. in cap. Rodulphus num. 9. de Rescript. Nauar. cons. 56. num. 5. de

E sent. excom. Et hæc sufficiant de admonitione ante sententiam suspensionis requisita, & consequenter de modo, & ordine seruando, antequam suspensio infligatur. Modò progrediamur ad alia, quæ ab ipso Iure exiguntur, quando actu sententia suspensionis pronunciatur.

Quoad secūdam partem ex tribus propositis, nempe de forma, & ordine adhibendo, quando ipse Superior, & Iudex intendit censuram suspensionis proferre, illud ante omnia statuendum est nullam esse necessariam circumstantiam, aut solemnitatem requisitam in

su-

suspensione, quæ ab ipso Iure imponitur, præter eam, quæ requiritur ad legem aut statutum ferendum. Quare ea, quæ exiguntur necessaria ad hanc formam imponendi censuras in cap. 1. de sent. excom. lib. 6. interpretanda sunt de excommunicatione, & alijs censuris, quæ ab homine proferuntur, vt notat Soci. in c. Peruenit num. 69 & in cap. Sacro num. 110 de senten. excom. & apertè colligitur ex verbis tex. in dicto cap. 1. de sent. excom. lib. 6. cùm inquit, *Cautè prouideat Iudex Ecclesiasticus, vt inferenda, &c.* & cùm deinde subdit, *Quisquis igitur excommunicat &c.* Ergo loquitur solùm de Iudice Ecclesiastico, à quo fertur censura, quæ vocatur ab homine.

Deinde affirmandum est in suspensione, quæ ab homine imponitur, requiri, vt sententia in scriptis proferatur, vt habetur in dicto cap. 1. de sent. excom. lib. 6. licèt enim initio illius tex. sermo habeatur in specie de censura excommunicationis in fine tamen apertè subditur, quæcunque statuta erant de forma seruanda in excommunicatione fulminanda, in suspensione & Interdicto retinenda esse his verbis, *& hæc eadem in suspensionis & Interdicti sententijs volumus obseruari*, vbi Glos. Ver. Obseruari, notat has tres censuras in hoc pares esse, & de conditionibus, quas habere debet hæc scriptura, egi in lib. 3. Disp. 4. cap. 2. Non requiruntur autem certa aliqua, & determinata verba præter ea, quæ sufficiunt ad significandam speciem seu effectum suspensionis, vt inquit Nauar. in Manna. cap. 27. num. 161. Vers. Sextò dico. Quare, vt notat Host. in cap. Ad hæc circa fin. de Appell. multis modis potest exprimi actus suspensionis iuxta diuersitatem actionum spiritualium, à quibus Prælatus suspendere intendit; vt si Prælatus dicat, suspendo ab officio, vel à beneficio, aut ab ordine, vel Iurisdictione, vel ab alio actu pro diuersitate delicti, & aliquando Iudex vtitur verbis significantibus suspensionem ipso facto, vt si dicat, suspendimus te, vel sis suspensus, aut simili modo, nonnunquam sunt verba comminatoria suspensionis ferendæ, vt cum dicitur, talis suspendatur, vel suspensus erit, vel alia forma verborum simili, Sylue. Ver. suspensio §. 4. in fi. Denique quidquid spectat ad formam excommunicationis, seruari debet in suspensione, vt inquit Sylue. ex sent. Io. And. in cap. Licèt de sent. excom. lib. 6. cum sit eadem ratio. Quòd si Iudex in pronuncianda sententia suspensionis non seruauerit formam præscriptam in dicto cap. 1. de sent. excom. lib. 6. incurrit suspensionem, & alias pœnas in eod. cap. 1. latas, de quibus tractaui in lib. 3. Disp. 4. cap. 3.

Sed quæri potest, an sententia suspensionis prolata à Iudice, præscripta forma dicti cap. 1. de sent. excom. lib. 6. omissa, sit valida & teneat, quamuis Iudex illam non seruans peccet, & sit puniendus.

Respondeo suspensionem impositam non seruata dicta forma, nõ esse nullam, vt probaui in lib. 3. Disp. 4. cap. 2. & patet ex eod. c. 1. de sent. excom. lib. 6. cùm inquit, *Superior verò, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans*, si relaxanda erit per Superiorem huiusmodi sententia, ergo ante relaxationẽ est valida, & ratio est, quoniam Summus Pontifex noluit præscribere talem formam vt essentialem, sed solùm vt necessariò seruandam ab ipso Iudice ex præcepto.

Si obijcias cap. fin. de sent. & re Iudi. lib. 6. Vbi sententia, quæ in scriptis non profertur, nullius momenti declaratur, ex quo tex. ductus Ripa in Rubr. de Constitut. numero 48. tenuit censurarum sententias latas non adhibita hac forma esse nullas.

Respondeo cap. fin. de sent. & re Iudi. lib. 6. habere locum in omnibus sententijs definitiuis generaliter exceptis censuris, in sententijs enim censurarum specialiter traditur forma à Iudicibus seruanda in cap. 1. de sent. excom. lib. 6. militat enim peculiaris quædam ratio, propter quam non sint ab ipso Iure declaratæ nullæ ipso facto, si proferantur non plenè seruata forma definita, vt magis à fidelibus timeantur, & ob alias causas.

Ad eandem formam ferendæ suspensionis pertinet, vt non feratur suspensio post interpositam appellationem, quia suspensio prolata, postquam reus appellauit, est nulla & inualida, sicut idem probaui de sententia excommunicationis in lib. 3. Disp. 5. cap. 1. Hæc enim in re non differunt, nullitas verò in huiusmodi casu prouenit ex defectu Iurisdictionis, quæ per appellationem præcedentem suspenditur.

Remanet tertia pars huius formæ suspensionis, de his, quæ sequuntur suspensionem, & primò post latam sententiam suspensionis potest Reus appellare, sicut etiam excommunicatus, sed hæc appellatio habet solam vim deuoluendi causam ad Superiorem, non potest autem impedire effectum suspensionis, sicut non potest suspendere effectum excommunicationis, vt probaui in lib. 3. Disp. 5. cap. 1. & 2. & habetur in c. Is cui de sent. excom. lib. 6. *Sanè sicut excommunicatio, sic ab officijs, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio aut ipsius effectus per appellationem sequentem minimè suspenduntur.*

Dicet aliquis, an eadem sit ratio de Interdicto, vt non suspendatur per appellationem sequentem, cum in tex. citato nulla fiat mentio de Interdicto, respondent Gemin. Franc. Anchar. in eod. c. Is cui §. sane in princ. de sent. excom. lib. 6. Idem esse de sententia Interdicti, sed in hoc textu exprimi solùm suspensionem, & excommunicationem, quoniam idem antea definitum erat de Interdicto in cap. Ad hæc quoniam 5. de Appella. *Noueris igitur, quòd sicut post appellationem excommunicari non possunt, sic Interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos constat suppositos declinare.*

Dubitatur, an de omni suspensione verum sit, quòd per appellationem sequentem non suspendatur, & primò quæri potest, an hoc dictum locum habeat, quando suspensio fertur in pœnam commissi delicti, sicut imponi potest, vt dicebam supra in hoc eodem cap.

Abb. in capit. Sæpe contingit num. 16. de Appell. censet sententiam suspensionis inflictam alicui in pœnam peccati suspendi per appellationem sequentem. Primò quoniam tunc non dicitur censura, est autem quid speciale conueniens censuris solis, vt per sequentem appellationem non suspendantur; Aliæ pœnæ suspenduntur, ergo suspensio, quæ pœna est, suspenditur. Secundò Censuræ ideo non suspenduntur per appellationem, quia sunt medicinales, & imponuntur primò & per se ad correctionem, vt dicitur in c. 1. de senten. excom. lib. 6. Et ne prætextu friuolæ appellationis impediretur correctio, prouisum fuit ab ipso Iure, ne sententiæ censurarum per appellationem suspenderentur, quæ ratio cum cesset in suspensione, quæ fertur in pœnam, vtique illa per appellationem suspẽdi poterit, sicut reliquæ omnes pœnæ; Tertio Iura cõmuniter disponunt, vt suspensio non feratur ab Homine per sententiam in aliquem, nisi præcedente monitione, vt probauimus, & constat ex cap. 1. de sent. excom. lib. 6. & in cap. Reprehensibilis de appella. & tamen quando suspensio fertur in pœnam delicti com-

missi.

missi, non est necessaria admonitio, vt dicebam supra, & affirmat Innoc. in cap. 1. de Excess. Prælat. & in cap. Ad hæc quoniam de Appell. Abb. in cap. Sæpe contingit num. 16. eodem tit. ergo ob candem rationem, vbi suspensio imponitur in pœnam per appellationem suspenditur.

Hæc doctrina Abbatis, vt ipsemet fatetur in dicto cap. Sæpe contingit num. 16. de Appella. est noua, quam alij Doctores non sequuntur, & ego existimo illam esse valde dubiam, & oppositam esse magis probabilem, & communem, quam amplector; Idque probatur primò, quoniam Iure Canonico cautum est specialiter de sententijs censurarum, vt per appellationem sequentem non suspendantur, in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. & in cap. Ad hæc quoniam 5. de Appella. cùm regulariter per appellationem effectus quarumcunque sententiarum suspendatur exceptis tribus censuris. Sed dictum cap. Is cui, vniuersaliter absque vlla limitatione loquitur de suspensione quod illius effectus per appellationem non impeditur, ergo generaliter intelligendum est de omni suspensione vtrouis modo inflicta, vel in pœnam pro peccato præterito, vel tanquam censura ad reprimendam contumaciam, & inobedientiam ipsius Rei, cùm nomen suspensionis indifferenter tam hanc, quàm illam significet. Secundò ratio propter quam censuræ per appellationem sequentem non suspenduntur, est quoniam secum trahunt executionem, vt habetur in cap. Pastoralis, §. Verùm de Appella. Vbi Glos. in Ver. Cum executionem, dicit, quòd licèt commune sit omnibus sententijs, quòd sortiantur effectus suos, & maneant semper etiam post appellationem, nisi reuocentur. Vt si Iudex dicat, Condemno te, vt soluas Francisco decem, statim remanes condemnatus ad soluendum, nec tollitur condemnatio per appellationem; Tamen in alijs sententijs appellatio retardat id, quod nōdum extat, scilicet solutionem pecuniæ, vel rei traditionem, quia post sententiam verum erit reum fuisse condemnatum, sed minimè verum est soluisse, at in censuris secus est, finis enim censuræ est, vt reus sit priuatus illis bonis spiritualibus, siue vsu potestatis Ecclesiasticæ, vt in suspensione iuxta formam sententiæ latæ à Iudice, & ad hunc finem statim post sententiæ prolationem peruenitur, neque opus est mora temporis, vel alieno facto quoad hunc effectum, sed statim sequitur post sententiæ promulgationem. Hoc autem ita verum est in suspensione, quæ est pœna pœna pro delicto, sicut in ea, quæ pro contumacia fertur. Tertiò si contraria sententia esset vera, sequeretur suspensum ab officio in pœnam criminis commissi non incurrere irregularitatem, si post interpositam appellationem immisceret se officio, sicut priùs exercendo actum ordinis, quod factum est, vt dixi in Disputat. 4. cap. 3. & habetur in dicto cap. Is cui io si. de sent. excom. lib. 6. Consequentia probatur, quoniam per appellationem impediretur effectus suspensionis huiusmodi iuxta hanc opinionem.

Secundò quæritur, an eadem conclusio sit vera, non solùm quando suspensio fertur absolutè, & simpliciter, sed etiam si pronuncietur sententia in diem, vel sub conditione, vt si Iudex suspendat Clericum, nisi infra decē dies compareat, vel nisi satisfecerit Petro.

Respondent omnes appellationem interpositam à sententia suspensionis lata ad certum diē, vel sub conditione, antequam dies aduenerit, vel conditio purificetur, etiamsi transacti sint dies à lege assignati ad appellandum, habere vim impediēdi effectum suspen-

A sionis, & idem est de alijs censuris Io. Andr. in c. Præterea 2. de Appella. Gemin. Anchar. Franc. in cap. Is cui, §. sanè de sent. excom. lib. 6.

Tertiò quæri potest, an appellatio adiecta post sententiam declaratoriam Iudicis, qua pronunciauit aliquem incurrisse suspensionem latam à Iure, vel ab homine, impediat effectum suspensionis, & est eadem ratio de alijs censuris.

Respondent talem appellationem suspendere dictam sententiam declaratoriam, nisi res esset notoria & manifesta, vt notat Io. And. in cap. Pastoralis Ver. Denunciare de Appell. & confirmant Gemin. Anchar. & Franc. loco citato.

Sed contra obijciet aliquis, nam sententia deposi-
B tionis suspenditur per appellationem sequentem, vt notat Glos. in cap. Sæpe contingit Ver. Rata manet de Appell. Ergo multo magis per appellationem sequentem suspendi deberet sententia suspensionis, vt inquit Abb. in eodem cap. num. 15. quia depositio est perpetua remotio ab Altaris ministerio cum suspensio sit ad tempus cap. At si Clerici de Iudi.

Respondet ibi Abb. speciale esse in sententijs trium censurarum, vt non suspendantur per appellationem sequentem, vt in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. Sed sententia depositionis non est censura, sed tantum pœna maxima cap. Tuæ de Pœn. ideo cessat in ea ratio illa peculiaris, quæ censuris tantum conuenit, & idcirco per appellationem sequentem suspenditur sicut
C aliæ sententiæ.

Præter appellationem, quæ interponitur à Reo post sententiam suspensionis sequitur etiam eandem sententiam suspensionis denunciatio, quæ fit à Iudice, & est solennitas, & ceremonia quædam, quæ publicè adhibetur, vt sententia omnibus innotescat, & suspensus magis confundatur, & erubescat. Et de Denunciatione facienda post latam sententiam excommunicationis definitum habetur in Iure in cap. Cum 11. q. 3. & in cap. Debent ead. cau. & quæst. Vbi præscribuntur solennitates seruandæ in huiusmodi denunciatione excommunicationis; Eiusdem denunciationis meminit cap Pastoralis, §. Verùm de Appell. & c. Peruenit 1. eod. tit. Et de denunciatione facienda post
D Interdictū mentio habetur in Clement. vni. de Censi. Vbi præcipit Episcopis, vt denuncient excommunicatos, & interdictos, quos eis constiterit à Clericis pedagia, aut guidagia exegisse, & de suspensione idem significatur in Clement. 2. de Pœn. Vbi Clemens Primus mandat eos, qui in excommunicationem, & suspensionem inciderunt, quia procurarunt, vt caperentur uiri Ecclesiastici, publicè denunciari, verba tex. sunt, *Locorum ordinarijs iniungentes, vt postquam eis constiterit aliquos sibi subiectos pœnam, & sententiam incurrisse præmissas, ipsas publicare non differant &c.*

Sed quamuis hæc denunciatio sequatur omnes censuras, tamen in Iure magis id exprimitur in excom-
E municatione, quàm in alijs duabus censuris, quia militat maior ratio, & necessitas denunciandi excommunicationem, quàm alias censuras ratione obligationis, qua tenentur fideles omnes euitare excommunicatum non solùm in sacris, & ecclesiasticis actionibus, sed etiam in ciuilibus, & prophanis, vt possint igitur ab illo cauere, necesse est, vt notitiam habeant excommunicationis, præsertim post Concilium Constansiense, quo indultum est, vt non obligemur euitare excommunicatos, nisi nominatim sint denunciati, vel publici Clericorum percussores. Quare nullum reperitur in Iure peculiare præceptum, quo obligen-

tur

tur Iudices Ecclesiastici adhibere diligentiam, vt omnis sententia suspēsionis, aut Interdicti in aliquos pronunciata publicè denuncietur, sed liberum erit eis id exequi, quando expedire iud cauerint, & interdum erunt obstricti, vt in casibus Iure expressis, vel vbi criminis, aut contumaciæ grauitas id postulare videatur ad aliorum terrorem, & ipsius delinquentis maiorem confusionem; Magis autem in specie, quando Iudex teneatur ad hanc denunciationem faciēdam, & quando licitè possit denunciare etiamsi non teneatur, & tandem quando nec debeat, nec possit, declaraui in lib. 3. Disp. 5. cap. 3. & 4.

Quæret quis, An Extrauagans ad euitanda edita in Concilio Constaasiensi, quam latè explicaui lib. 1. Disp. 6. cap. 1. extendatur ad suspensionem, itaut fideles non teneantur euitare suspensum, nisi postquam publicè denunciatus est talis.

Respondeo dictam Extrauagantem ad euitanda habere locum in suspensione, vt dixi in Disp. 4. cap. 3. in fi. Nam etiamsi ipse suspensus ante denūciationem sit impeditus ab executione suorum actuum, tamen alij non tenentur illum euitare ante denunciationem, quamuis suspensio sit publica, & notoria, licet Nauar. & alii oppositum sentire videantur quam difficultatem fusè examinaui in dicto cap. 1. Disp. 6. lib. 1. Nam iuxta magis probatam lectionē illius Extrauag. hæc exceptio de publica, & manifesta notitia censuræ, solùm locum habet in manifesto Clerici percussore, qui incurrit excommunicationem non suspēsionem; Ideo quoad censuram suspensionis verum est generaliter sine vlla limitatione suspensum non esse necessariò ab aliis vitandum, antequam nominatim publicè denunciatus fuerit.

Obiicies suspensio non priuat communione hominum, sicut excommunicatio, vt dixi in dicto cap. 3. in fi. Disp. 4. Igitur ex vi suspensionis nunquam alii tenentur vitare ipsum suspensum, etiamsi denunciatus sit, nihil ergo conceditur in Extrauag. Ad euitanda in ordine ad suspensum, sed tribuitur tantùm priuilegium, vt fideles cum excommunicato communicare valeant ante denunciationem.

Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 163. in fi. tenet vniuersaliter, quòd quemadmodum excommunicatus euitandus est in omnibus ita suspensus in eo, à quo est suspensus, & nisi euitetur in diuinis officiis, & in actibus deputatis suis ordinibus post denunciationem peccatum mortale committi, & idem confirmat latius in Comment. in cap. 1. §. laboret num. 18. de Pœnit. dist. 6. Vbi asserit grauius esse communicare cum suspenso in his, in quibus est suspensus, quàm cum excommunicato. Reddit rationem, quia hoc posterius, inquit, *Regulariter est peccatum veniale non euitare antem suspensum, vel interdictum in quibus est suspensus nemo dixit non esse mortale*.

Contra sententiam Nauar. instari potest, quia Ecclesia nō vetuit expresè fidelibus communicationem cum suspenso, vel interdicto etiam in iis actibus, quoa prohibetur exercere ratione suspensionis, vel Interdicti, sicut prohibuit communicationem cum excommunicato, vt in cap. Nuper, & in cap. penult. de sent. excom. ibi, *Quæ*, idest excommunicatio, *A communicatione fidelium separat*. Idem colligitur ex cap. Si aliquando eod. tit. & ex cap. 2. de Except. *Cùm à communione fidelium sit remotus*, cap. Sicut Apostolicæ 11. q. 3. ibi, *Si quis cum excommunicatis aduersando regulas scienter saltem in domo simul locutus fuerit, ille communione priuetur*, & aliis multis in locis. Nullibi autem legitur vetita expresè fidelibus communicatio cum suspensis, aut interdictis etiam in iis actibus, à quibus specialiter sunt suspensi, aut interdicti. Confirmatur, si Interdictus ab ingressu Ecclesiæ violet interdictum audiendo Missam in Ecclesia, non idcirco alii in eadē Ecclesia existentes audiendo Missam tenentur exire, nec qui celebrant officium, debent illud dimittere, quia nullus adest tex. in quo de Interdicto hoc præcipiatur, sicut de excommunicato in cap. Is qui de sent. excom. lib. 6. in Clement. 2. eod. tit. Similiter qui audiunt Missam in Ecclesia Sacerdotis interdicti, per se loquendo, scilicet si non cooperentur aliquo modo ad sacrificium, & secluso scandalo non peccant, quia nullo Iure id prohibetur, & actio illa est suo genere non est mala. Quare ob eandem rationem, si fideles assistant, & audiant officium diuinum, dum illud ex cantu celebret suspensus ab officio diuino, non committunt aliquod peccatum, nec operantur aliquid contra Ius Canonicū. Præterea Ius Canonicum ob communicationē cum excommunicato imposuit pœnam, & censuram excommunicationis minoris, cap. Nuper de sent. excom. cap. Statuimus eod. tit. lib. 6. cap. Illa quotidiana de Elect. lib. 6 quam tamen excommunicationem minorem, vel aliam similem contrahi ab illis, qui cum suspenso communicant etiam in iis actibus, à quibus suspensus est nullibi in Iure cautum reperitur.

Quamobrē ad obiectionem ita respondemus communicare cum suspenso in his, in quibus est suspensus tunc peccatum esse, quando ex tali communicatione sequitur ex natura rei, vt communicans tali modo, & cum his actibus censetur cooperans ad peccatum, quod ipse suspensus committit agendo contra suam suspensionem, vel quia dicitur agere aliquid indebito modo, & sine illis circunstantiis, quas is actus requirit, vt rectè, fiat. Vel tandem quia hoc modo communicando videatur Claues Ecclesiæ contemnere, & his de causis peccatum committit, qui suspensus ab officio inducit ad celebrandū, vel ad pronunciandam sententiam in foro Pœnitentiæ, aut exteriori foro, vel qui suspensum à beneficio facit participem fructuum Ecclesiasticorum. His enim modis peccat contra iustitiam, & contra obedientiam Ecclesiæ debitam, qui cum suspēso communicat: Quia cùm directè prohibeatur suspensus ab illis actibus Ecclesiasticis, à quibus suspēditur, videtur indirectè omnibus ex consequenti interdictum, ne cum suspenso in eisdem actibus cooperentur, & qui hoc modo cōmunicant, committunt peccatum mortale, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 163. in fi. quia sunt cooperatores ad peccatum mortale, nisi excusentur à mortali ex leuitate materiæ.

Extrauagans autem ad euitanda tradidit priuilegium fidelibus, vt liceat eis communicare cum suspēso non denunciato in multis actionibus, si fiant à suspēso ad petitionem fidelium, & eorum commodum, quas alias licitè exercere non possit suspensus; Quare quamuis suspensus simpliciter sit priuatus facultate exercēdi actus, à quibus est suspensus durante suspensione, tamē ductus à fidelibus ex priuilegio dictæ Extrauag. Ad euitāda (nisi sit denunciatus) poterit propter necessitatem, vel vtilitatem petētium illos exercere, Nauar. cons. 56. in tit. de sent. excom. Quare nunquam declarātur irrita, & inualida illa, quæ fiunt per Episcopos, & alios Prælatos, propterea quod gesta sint à suspensis, vel excommunicatis, si non erant declarati, & denunciati tales, vt tradit Felin. in cap.

Ad

Ad probandum num. 6. de ſent. & re Iudi. Et hæc ſufficiant de forma ſeruanda in imponenda ſuſpenſione. A

CAPVT III.

De aliis duabus cauſis, ideſt finali & efficiente ipſius ſuſpenſionis.

ABſoluta Diſputatione de duabus cauſis ſuſpenſionis, ſcilicet materiali & formali, quæ ſunt quaſi intrinſecæ ad inducendam ſuſpenſionem, nunc ſequitur, vt de efficiente & finali agamus, quæ poſſunt vocari extrinſecæ. Et quoniam de fine pauca quędam dicenda occurrunt, cùm non differat à fine excommunicationis, de quo tractaui in lib. 3. Diſput. 6. Idcirco in hoc eodem Capite ſimul diſſeram de vtraque cauſa. B Quantum enim ſpectat ad finem ſuſpenſionis ſatis erit ſcire Eccleſiam inſtituiſſe pœnam ſuſpẽſionis ad correctionem Eccleſiaſticarum perſonarum, vt ſaluti & vtilitati animarum ipſorum Clericorum conſuleret, ſicut ad eundem finem adinuenit cẽſuram excommunicationis, vt contumaciam & inobedientiam fidelium Chriſtianorum indifferenter coerceret, ipſoſque huiuſmodi vinculo ſalutari ad reſipiſcentiam reuocaret, & idem eſt finis Interdicti. Vnde propter hanc cauſam hæ tres cenſuræ non ſunt ſimpliciter pœnæ, ſed medicinæ, vt habetur in cap. 1. de ſent. excom. lib. 6. cap. Multi 2. q. 1. & c. Notandum 24. q. 3. ſunt pœnæ ſpirituales ad curationem animarum adhibendæ. C

Hinc ſequitur ſuſpenſionem ferri non poſſe licitè, niſi propter bonum ſpirituale, tãquam propter finem proximum, ſicut de excommunicatione dixi, ſuſpenſio enim vel fertur ad corrigendum peccatum Clerici, vel ante omne peccatum, nulla ſuppoſita tranſgreſſione legis aut præcepti poteſt imponi ſuſpenſio ad inducendum Clericum, vt aliquid faciat, vel caueat, & ſic fertur ſub conditione ante omnem tranſgreſſionem, ſed ne tranſgreſſio committatur, atque hoc modo regulariter per leges fertur ſuſpenſio, & poteſt etiam imponi per præceptum hominis, vt cum Prælatus citat Clericum ad comparendum infra decẽ dies ſub pœna ſuſpenſionis. Qua in re animaduertendum eſt non debere Prælatum præcipere aliquid, niſi ſub D aliquo ſpirituali titulo, ita vt ſi res, quæ mandatur, ſit temporalis, tamen ratio, cuius gratia præcipitur, debeat eſſe ſpiritualis, vt inquit Innoc. Tertius in capit. Nouit de Iudi. & Alexand. Tertius in c. Cauſam quæ inter, qui filijs ſint legit. Quare licèt præceptum Epiſcopi impoſitum Clerico ſub pœna ſuſpenſionis materialiter conſideratum ſit temporale, formaliter verò debet eſſe ſpirituale, ideo non eſt inconueniens cẽſura Eccleſiaſtica illud communire non ſolum poſt violationem præcepti, ſed ab initio, vt Clericus eo magis caueat ab illius tranſgreſſione, & hic eſt finis ſpiritualis, & ſæpe pertinet ad bonum commune, & ſemper cenſendum eſt Prælatum Eccleſiaſticum iuſtè, & legitimè ferre ſuſpenſionem, & idem eſt de ex- E communicatione & Interdicto ob debitum finem ſpiritualem, quando oppoſitum euidenter non conſtiterit, ipſe enim eſt Medicus ſpiritualis, cuius officium eſt, & peccata commiſſa emendare, & præcauere, ne committantur. Ad vtrumque autem cenſuræ ſunt ſatis aptæ, & accommodatæ medicinæ, ſi prudenter applicentur. Nec plura de fine ſuſpenſionis, nam quæ fuſiùs diſputata ſunt in lib. 3. Diſp. 1. De fine excommunicationis, communia ſunt omnibus Cenſuris, venio ad cauſam efficientem ſuſpenſionis.

A Cùm agimus de cauſa efficiente ſuſpenſionis, non intendimus inueſtigare, quis inſtituerit hanc cenſurã ſuſpenſionis, quia quoad inſtitutionem eadem eſt ratio trium Cenſurarum, quæ inſtitutæ ſunt ab Eccleſia per poteſtatem à Chriſto acceptam, & ab Apoſtolis primum initium habuiſſe, ſed deinde tẽporis progreſſu paulatim formam certam, & conditiones peculiares accepiſſe. De hac ergo cauſa efficiente modò non loquimur, ſed ſupponimus illam, de qua tractauimus lib. 1. Diſp. 3. cap. 1. & 2. ſed diſputamus de cauſa efficiente proxima ſuſpenſionis, ideſt de illo, quo proximè poteſt cenſura ſuſpenſionis quempiam obſtringere.

In hac difficultate vniuerſalem concluſionem pro- B ponunt Doctores nimirum omnem & ſolùm illum ſuſpendere poſſe, cui facultas ineſt ad excommunicandum. Fundamentum huius concluſionis eſt, quoniam poteſtas, quæ neceſſaria eſt, & ſufficit ad excommunicationem ferenda, eadem eſt & æqualis in ordine ad omnes cenſuras, quia tradita eſt à Chriſto ad eundem finem, ſcilicet, vt Prælati Eccleſiaſtici poſſint his cenſuris contumaciam, & inobedientiam ſubditorum coercere, & modò hac, modò illa vti, vt delictorum, perſonarum, & aliarum circunſtantiarum ratio & exigentia poſtulare videtur; Idcirco qui fungitur poteſtate ad excommunicandum, poterit etiam ſuſpendere. Ita ſentiunt Abb. in cap. fin. num. 4. de Cleri. excom. Mini. & in cap. Cum bonæ num. 4. de Aeta. & C Qualit. Gloſ. in cap. Apoſtolicæ Verſ. Contingeret retardari de except. & in Clement. Cupientes Ver. Suſpenſi prope fi de Pœn. B. Anton. in tract. de Cenſur. cap. 2. de ſuſpenſione Sylue. Ver. Suſpenſio §. 2. Caiet. eod. Ver. Angel. Suſpenſio 1. Tabien. eod. nu. 8. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 159. Tolet. lib. 3. Inſtruct. Sacerd. cap. 44.

Quamobrem cum poteſtas excommunicandi pertineat ad Claues Eccleſiæ latè ſumptas, quia ſpectat ad Iuriſdictionem ſpiritualem fori exterioris, Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 11. num. 1. quæ propriè, & plenè non dicitur Clauis, & Laicus vel fęmina ſit incapax clauium, ſequitur ſolùm Clericum poſſe habere poteſtatem ſuſpendendi, Domin. Sot. in 4. ſent. D diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. S. Tho. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 2. quæſt. 2. Couar. in eod. §. 11. num. 2. Non requiritur tamen ordo ſacer, vt colligitur ex c. Tranſmiſſam de elect. D. Tho. in Addit. ad 3. par. quæſt. 22. art. 2. Riccard. diſt. 18. art. 4. q. 3. Domin. Sot. diſt. 22. q. 2. art. 1. Sylue. excom. 1. §. 6. Quare Vicarius Epiſcopi cum ſola prima tonſura ſuſpendere poteſt, Clericus verò coniugatus priuatur hac facultate, ſicut prohibetur ferre alias cenſuras, nam, vt dicit Gloſ. in cap. 1. de Cleri. coniug. lib. 6. Clericus coniugatus amittit omnia priuilegia Clericorum, exceptis duobus, ſcilicet fori & Canonis, & in veteris omnibus reputatur Laicus, vt ibi notat Gloſa. Iuriſdictio autem Eccleſiaſtica non cadit in Laicum cap. 2. De Iudi. Accedit, quòd E cùm ſuſpenſio ſit pœna, qua Clerici puniuntur, vt ſæpe dictum eſt, Clerici autem puniri & iudicari nequeunt, niſi ab Eccleſiaſtico Iudice, cap. Clerici, de Iudi. ſequitur igitur neminem ſuſpendere poſſe, niſi Clericali ſaltem Tonſura ſit initiatus.

Vnde in Iudice, & Miniſtro Eccleſiæ, cui poteſtas ad ſuſpendendum committitur, requiruntur Iure cõmuni, & ex more & conſuetudine Eccleſiæ hæ conditiones, nimirum vt ſit vir, non fœmina, Baptizatus, & Clericus, quæ omnia ſupponuntur in eo, qui debet cenſuram ſuſpenſionis ferre, ſiue per legem, ſiue per

ſtatu-

statutum, siue per sententiam hominis contra certas personas, sicut eadem necessaria sunt in eo, qui debet excommunicare, vt plenius pertractatum est lib. 3. Disp. 7. & 8.

Quòd si quis contra obijciat cap. Dilecta de maio. & obed. vbi enarratur quadam suspensio lata à quadam Abbatissa, quam suspensionem videtur ibi approbare Summus Pontifex.

Respondeo pœnam impositā ab illa Abbatissa non fuisse veram censuram suspensionis, sed aliud genus præcepti, & ideo Summus Pontifex præcipit Episcopo, vt compellat Clericos per cēsuras Ecclesiasticas, vt in iis, in quibus dictæ Abbatissæ erant verè subiecti, & ab ipsa legitimè præcipiebantur, ei parere non recusent, quem tex. explicaui etiam lib. 3. Disput. 7. cap. 5.

Potest autem hęc iurisdictio suspendendi competere, vel Iure ordinario, vel ex delegatione, & commissione. Iurisdictio ordinaria suspēdendi conuenit Episcopis, & aliis Superioribus Prælatis, qui iurisdictionem Episcopalem habent; & eadem potestas concessa est quibusdam inferioribus Iure communi, qui possunt etiam excommunicare. Omnes autem specialiter, & distinctè recensui in lib. 3 Disp. 7. cap. 1. Et quicunque habent iurisdictionem ordinariam fori exterioris, & ratione officij sunt Superiores aliis, si gaudēt potestate suspēdendi, & ferendi alias cēsuras, hāc facultatem aliis committere, & delegare valent. quæ facultas maior erit, vel minor in Delegato vt ab Ordinario delegante hoc, vel illo modo tributa ei fuerit. Nam Ordinarius habet quidem ratione sui officij ab ipso Iure integram iurisdictionem, sed potest illam magis, & minus arbitrio suo, vt expedire iudicat ad bonum commune, & publicam vtilitatem ex delegatione alteri communicare. Quare potest Episcopus committere alicui facultatem ad suspendendum tantùm, non vt possit ferre alias censuras. Vel vt possit suspēdere à beneficio, non ab officio, vel ab vnico actu officij, non ab aliis, & talis delegatio erit valida, quia hæc potestas ferēdi censuras non est essentialiter vnita, & annexa, vt vna pars ab altera separari nequeat, & Delegatus excedere non poterit fines, ac terminos suæ commissionis.

Sed hic quæri potest. Primo an suspensus à iurisdictione possit vti potestate suspendendi alios.

Respondeo suspensum à iurisdictione tunc demum alios suspendere non posse, cùm publicè, & nominatim est denunciatus, nec est toleratus, si tamen publicè suspensus, sed toleratus, quia non est denunciatus, suspendat sententia suspensionis tenet, sed ipse suspendens peccat, nisi id faciat ductus ad instantiam partis, sicut dictum est de excommunicato.

Secundò quæri potest, An Episcopus sine Capitulo possit suos Clericos suspendere: Dubitandi ratio sumitur ex cap. penult. 15. q. 7. Vbi, ita habetur, *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum Clericorum, alioquin sententia Episcopi irrita erit, nisi Clericorum præsentia confirmetur*, Et augetur difficultas ex cap. 1. de excess. Prælat. Vbi Alexander Tertius monet Prælatos, vt abstineant à quibusdam grauaminibus, dicens, *Mandamus, quatenus in eos tallias, & exactiones indebitas exercere nullatenus præsumatis*, &c. Et paulò post, *Aut sine Iudicio Capituli suspendere, vel eorum Ecclesias Interdicto subiicere attentetis*, Vbi Glo. Ver. Capituli, reddit rationem huius decreti, quia cū hæc pœna maior sit in Ecclesia, meritò requirit consensum Capituli.

Idem quoque de ferendo Interdicto cum consensu Canonicorum legitur in cap. Quæsiuit de his quæ fi. à maio. par. Cap.

Ad hāc dubitationē multis modis respondet Abb. in dicto cap. 1. num. 2. de excess Prælat. Primo inquit textum illum non loqui de excommunicatione, sed de sola suspensione, licèt Glos. extendat ad excommunicationem, sed non rectè, quoniam in pœnis iuxta regulam non est facienda extensio; Vnde possumus argumentari textum intelligendum esse de suspensione, quæ fertur in puram pœnam, & vindictā delicti commissi, non de suspensione, quæ est censura, & medicinalis ad emendationem delinquentis, cuius eadem est ratio cum excommunicatione, & Interdicto, & potestas ferendi has censuras inest Episcopo ratione officij sine consensu Capituli, quoniam huiusmodi potestas tradita est ad regimen Ecclesiæ, quod residet penes Episcopum, licèt rectè faciat Episcopus, si adhibeat consilium Capituli in imponendis censuris, cùm sint pœnæ grauissimæ, & indigeant magna discussione, sed si secus faciat, factum tenet, neque enim in illo cap. primo de excess. Prælat. apponitur clausula irritans.

Secundò responderi potest, inquit Abb. ad dictum cap. 1. de excess. Prælat. Textum illum intelligēdum esse, quando Episcopus vult suspendere Ecclesiam, vel Presbyterum in perpetuum, aut ad longum tempus, vel quando Clerici suspendendi sunt subiecti Capitulo ex consuetudine iuxta notata in cap. Irrefragabili, §. excessus de offic. ordi. Aut vbi omnia communia sunt inter Episcopum, & Capitulum

Tertiò responderi potest, quod magis videtur placere Abb. vt distinguamus; nempe in leuioribus Episcopum iudicare posse sine Capitulo, in grauioribus autem, & arduis, qualia sunt, quæ habentur in cap. 1. de excess. Prælat. requiri consensum Capituli iuxta notata per Innocentium in cap. Nouit de his, quæ fi. à Prælat. & quod habetur in Clem. 2. de Reb. Eccles. non alienan. Sed hodie Episcopi præscripserunt, quæ spectant ad iurisdictionem contra Capitula, & valet talis consuetudo, & præscriptio, vt in cap. 3. de consuet. lib. 6. expresse habetur vbi statuitur non esse reprobandam consuetudinem illam, vt Episcopus in inquirendis puniendis, & corrigendis subditorum excessibus consilium sui Capituli requirere nō teneatur, exceptis quibusdam casibus peculiaribus, in quibus talis consuetudo non valet, vt notatur in dicta Clement. 2. de Reb. Eccles. non alienan. & in capit. Pastoralis de donat.

Alia, quæ dici possunt de causa efficiente suspensionis, iam sunt declarata in Disputatione causæ efficientis excommunicationis, vnde peti possunt, ideo ad alia transeamus.

CAPVT IV.

De Personis, quæ suspendi possunt.

AD absoluendam hanc Disputationem de causis suspensionis, superest, vt agamus de subiecto, idest de causa materiali remota, vt vocat Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 44. ad differentiam causæ materialis proximæ, ex qua quasi constituitur suspensio, de qua dictum est, subiectum verò appellari potest materia, circa quam versatur suspensio, & de hac tractandum est modò.

Ante omnia in subiecto suspensionis requiruntur omnes

omnes illæ conditiones, & qualitates, quas diximus requiri in ſubiecto excommunicationis lib. 3. Diſp. 10. ſed præter illas aliæ propriæ ſunt ſubiecto ſuſpenſionis. Et quoniam ſuſpenſio non ſolùm ferri poteſt in perſonas ſingulares, ſed etiam in Vniueſitatem, & Collegium, qua in re differt ab excommunicatione, de vtroque ſubiecto tractabimus. Sed primùm agam in hoc capite de perſonis ſingularibus, & in ſequenti capite de Communitate.

Quod attinet ad perſonas ſingulares ſtatuendum eſt illas tantum ſuſpenſionis cenſura obſtringi poſſe, quæ aliquo titulo Eccleſiaſtico, aut ordine Clericali ſunt inſignitæ, ratio eſt, quia omnis ſuſpenſio, vel eſt ab officio Eccleſiaſtico, aut à beneficio, ſed hæc tantũ Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis conueniunt. igitur illæ tantum ſuſpendi poſſunt. Vnde Gloſ. in extrauag. Iniunctæ nobis, Ver. ſuſpẽſi de elect. dicit nõ poſſe Clericũ beneficio ſuſpendi, ſi illo careat. Confirmatur, nã omnes ſuſpenſiones, quæ in Iure habentur, ad Clericos ſolos ſpectant, vt patet ex ijs quas hucuſq; attulimus. Similiter vbi Papa præcipit hoc vel illud committentes ſuſpenſione multandos eſſe, de Clericis tantum loquitur, vt in c. Quoniam, c. A crapula de vi. & honeſt. Cler. c. Clericos, & c. Sicut de cohab. Clerj. & Mulie. & in c. 1. de Cler. coniug. Clarius in c. Tuarum de priuil. in c. Dura de Cri. fal. & in extrauag vni. §. Alioquin ex tunc, de Cenſi. Vbi tranſgreſſores Laicos excommunicari & Interdicto ſupponi mandatur, Clericos verò ab officio & à beneficio ſuſpendi, & id patet etiam ex definitione ſuſpenſionis, quam initio formauimus.

Si dicas poteſt Laicus ſuſpendi ab officio, vel beneficio futuro, ideſt priuari facultate conſequendi officium aut beneficiũ, ergo Laicus capax eſt ſuſpẽſionis.

Reſpõdeo hanc priuationem non poſſe vocari propriè ſuſpenſionẽ, ſed inhabilitatem quandam, ideo ſuſpẽſio inter alia in hoc differt ab Irregularitate, quòd ſuſpenſio impedit vſum poteſtatis, quam quis habet, Irregularitas autem tollit facultatẽ cõſequendi rem, quam quis nõ habet, vnde Paulus Burgas. in tract. de Irregular. de Diſpenſat. par. 6 prope fi. in c. De ſenten. Interdicti, dicit nunquam ſe legiſſe, quòd meminerit, Laicum ſuſpenſum fuiſſe, & Caiet. in Sum. Ver. Suſpenſio, pauciſſima pertractat de ſuſpenſione, & cõcludens ſermonẽ de illa inquit valde plures eſſe caſus, in quibus incurritur ſuſpenſio, ſed quoniam propriè ſolos Clericos tangit, ideo ipſi de ſe ipſis loquantur. Eiuſdem ſententiæ ſunt omnes Autores Sylue. Ver. Suſpenſio in princ. B. Anton. par. 3. Sum. tit. 27. c. 1. de triplici genere ſuſpenſionis in princ. D. Tho. in Addit. ad 3 par. quæſt. 22. art. 1. Gemin. in c. Quicunque nu. 5. Verſ. Nota iſtam Gloſ. de ſent. excom. lib. 6. Abb. in c. Dura nu 9. de Cri. fal. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 159. Tolet. lib. 1. Inſtruct. Sacerd. cap. 44. Verſ. Materialis autem cauſa, & omnes alij idem ſentiunt.

Quare ſubiectum excommunicationis latius patet, quàm ſubiectum ſuſpenſionis, omnis enim Baptizatus excommunicari poteſt, ſiue Clericus ſiue Laicus, ſolus autem Clericus ſuſpenditur. Et quamuis excommunicatio includat ex conſequenti ſuſpenſionẽ, vt colligitur ex cap. Dura de Cri. fal. & tradit ibi Abb. numero 9. Suſpenſio tamen per ſe, & diſtincta cenſura eſt & ſeparata ab excommunicatione, vnde ſi Clericus fuerit excommunicatus, & ſuſpẽſus, licèt abſolutus fuerit ab excommunicatione, remanet tamen ſuſpenſus, donec per ſe & ſeparatim ſuſpenſio relaxata fuerit, vt notat Abb. in eodem num. 9.

Sed contra obijci poteſt extrauag. vnica de Cenſi. inter communes, Vbi ita habetur; *Alioquin ex tunc recipiens, ſi Clericus fuerit, tantùm ab officio, & beneficio ſit eo ipſo ſuſpenſus, ſi verò Laicus tamdiu ingreſſum Eccleſiæ ſibi nouerit interdictum, & communione Euchariſtiæ nouerit ſe ipſo facto ſuſpenſum donec &c.* Ergo Laici quoque ſuſpedi poſſunt. Accedit dari etiam quandam ſuſpenſionis ſpeciem à participatione paſſiua Sacramentorum, quæ communis eſt laicis; Vnde Armill. Ver. Suſpenſio nu. 16. dixit ſuſpendi poſſe omnem illum, qui excommunicari poteſt.

Reſpondeo ex verbis, & modo loquendi illius Extrauag. de Cenſi. confirmari id, quod diximus, & diſſolui obiectionem propoſitam, nam textus vtitur diſtinctione, cũ tractat de ſuſpenſione, & primò loquens de ſuſpenſione ab officio, & beneficio, quæ eſt propriè cenſura, illam ſolis Clericis attribuit, & ad hoc antea proponit diſtinctionem inter Clericos, & Laicos, ſicut fit in cap. Dura de cri. fal. & in cap. Tuarum de Priuileg. Deinde cum agit de Laicis, & eos ſuſpendit à communione, accipit ſuſpenſionem in latiori ſignificatione pro omni prohibitione; Quare illa non eſt propriè ſuſpenſio, ſed continetur ſub minori excommunicatione.

Quamobrem certum eſſe debet conditionem propriam, per quam diſtinguitur ſubiectum ſuſpenſionis à ſubiecto excommunicationis, & Interdicti eſſe Clericatum, quia Clericus eſſe debet, qui ſuſpenditur, vel certè habens iuriſditionem Eccleſiaſticam; quam habere poteſt Laicus Regularis, & Prælata Monialium. Sed dubitari poteſt, quid hoc in loco intelligamus nomine Clerici.

Et primò dubitari poteſt de initiatis prima tonſura, cum enim non ſit ordo, nec habeat actum particularem, circa quem verſetur, nemo videtur ab ea ſuſpendi poſſe.

Reſpondeo, Eum, qui ſolam tonſuram habet, verè ſuſpendi poſſe ſuſpenſione, quæ cenſura eſt, quamuis ipſa non habeat actum aliquem particularem, cuius ſit cauſa, quoniam ſuſpenſio per ſe, & directè impedit executionem potentiæ, quam perſona Eccleſiaſtica habet, vel ad vſum officij, vel ad perceptionem fructuum beneficij quod obtinet, poteſt tamen mediatè, & conſecutiuè impedire receptionem ſuperioris Ordinis, aut beneficij obtinendi, ſed tunc ſupponit potentiam proximam ad Ordines, vel ad beneficia, ex vi enim ſuſpenſionis non prohibetur aſcendere ad ſuperiorem ordinem, niſi qui habet inferiorem; Nam ordo inferior eſt veluti potentia proxima ad ſuperiorem, ergo qui ſuſpenditur, debet habere ſaltem primam tonſuram, & tunc dicitur prohiberi, non quia impedimentum accipiat, vt non valeat exercere actum Ordinis, ſed ne poſſit ſuſcipere Ordinem, ad quem recipiendum potentiam proximam habebat. Habentes verò primam tonſuram ſub nomine Clericorum continentur ca. Cum contingat de æta. & quali. cap. vlt. De temp. ordin. lib. 6. Quare quando ſuſpenditur Clericus primæ tonſuræ impeditur ab vſu, & executione tonſuræ, cuius vſus eſt, vt qui illam habet, poſſit recipere Ordines, reſpectu quorum eſt in potentia proxima.

Secundò dubitatur, an nomine Clericorum comprehendantur non ſolum qui minoribus ordinibus ſunt inſigniti, ſed etiam in ſacris conſtituti, & an Prælati, & Epiſcopi.

Reſpondeo poſſe Cenſura ſuſpenſionis alligari omnes Clericos indifferenter, tam minores, quàm maiores, atq; etiam epiſcopos, & Superiores Prælatos, ex-

clusoSummo Pontifice, qui non est capax censuræ, cùm in certis Superiorem non habeat, vt probaui in lib.3. Disp.10. cap.5.

Hæc conclusio certa est, nam dignitas, & ordo per se non reddit aliquem liberum & immunem à pœna debita propter delictum, si Superiorem habeat, à quo puniri possit. Quilibet autem à quolibet suspendi non potest, sed vnusquisq; à suo Superiore, quem habet, vel Iure Ordinario, vel ex priuilegio, vt Cardinalis à solo Papa, similiter Episcopi, vel à Concilio Generali exempti à suis Prelatis.

Sed difficultas esse potest de ijs, qui per priuilegiũ speciale recipiuntur in proprios & peculiares Ecclesię Romanæ filios, an à Papa solo, vel eius legato à latere, vel etiam ab Ordinario suspendi possint, & oritur dubitatio ex c. 1. de verbo. signif. lib.6. Vbi Innocentius Quartus declarat virtute priuilegij, quo recipiũtur aliqui in speciales filios Sedis Apostolicæ, non eximi illos à Iurisdictione sui Ordinarij, sed virtute illius priuilegij consequi tantum exemptionem, vt sic recepti in filios Sedis Apostolicæ non ab alio, præterquam à Romano Pontifice, vel eius Legato de latere excommunicari, aut interdici possint, nullam tamen mentionem facit de suspensione, igitur ab Ordinario suspendi poterunt, quia priuilegia non plus valent, quam eorum verba sonant, & tamen Glos. ibi Ver. Interdici, putat idem de suspensione, quam dicit esse quoddam Interdictum, & tam suspensionem, quàm excommunicationem, & Interdictum significari appellatione censuræ; Res igitur dubia est ad vtramque partem.

Aliqui Doctores dicunt huiusmodi personas, quæ receptæ sunt in speciales filios Sedis Apostolicæ vigore huius priuilegij non esse exemptas, vt nõ possint suspendi ab Ordinario, sicut non sunt exemptæ simpliciter quoad alios actus subiectionis, vt expressè habetur in eodem c. 1. de verb. sign. lib.6. Ducuntur ad id asserendum primo quoniam, & si latius sumendo voces Interdicti, & suspensionis, vna aliquando sumatur pro alia. Tamen quando sermo habetur de speciebus censuræ in propria significatione, suspensio non sumitur pro Interdicto, nec è contra, sed ponuntur, vt species omnino distinctę, & id præsertim locum habere debet in d. c. 1. de verbo. signif. lib.6. vbi tractatur de propria & iuridica significatione verborum, vt patet ex titulo, & de interpretatione priuilegij, in qua interpretatione verba sumenda sunt iuxta veram, & propriam significationem, quia priuilegia extendi non debent. Confirmatur, quoniam in eo textu primo verbum interdicendi distinguitur à verbo excommunicandi, deinde paulò post iterum fit mentio Interdicti & excommunicationis, & nihil penitus dicitur de suspensione, ergo euidens argumentum sumitur Summi Pontificis mentem fuisse eximere huiusmodi receptos in filios Sedis Apostolicæ vigore huius priuilegij à iurisdictione Ordinarij, ne possint ab eo excommunicari, aut interdici tantum, sed quoad suspensionem, & ad alios actus subiectionis voluisse, vt remanerent Ordinario subiecti. Neque obstat, quòd nomine censuræ non minus comprehendantur suspensio, quàm excommunicatio, aut Interdictum, quia in dicto capitulo primo, de verbor. signific. nihil prorsus dicitur de censura, sed sigillatim enumerantur excommunicatio, & Interdictum, neque licet argumentari à simili, quòd priuilegium concessum ratione excommunicationis, aut Interdicti debeat extendi ad suspensionem, nam in his rebus hoc argumentum non concludit, quoniam licèt censuræ Ecclesiasticæ in aliquibus inuicem conueniant, tamen in multis differunt, vt dixi in prima Disp. & patet ex cap. Quia periculosum de sent. excom. lib.6. Vbi statutum est sub generali sententia suspensionis non includi Episcopos, nisi exprimantur, quod locum non habet in excommunicatione, vt ibi notat Glos. Rursus idem comprobari potest ex cap. Si Papa prope fin. de Priuileg. lib. 6. ibi, *Vel etiam dicatur, quòd in Speciales Romanæ Ecclesiæ filios sint assumpti, & sequatur in priuilegio, quòd Ecclesiæ Romanæ ad Indicium libertatis perceptæ annuum censum persoluant, his enim & consimilibus casibus sic incertis priuilegiatis articulis Ordinario cùm iurisdictioni quantum ad alia sint subiecti* Quare hæc clausula (specialis filiationis) quamuis ostẽdat peculiarẽ amorem & protectionem, non tamen peculiarem subiectionẽ Sedi Apost. in omnibus, & exemptionem à Iurisdictione Ordinarij, nisi in ijs, quę declarat Summus Pontifex in priuilegio, vnde quando Papa vult, ab omnibus eximere, id solet exprimere, vt in cap. 1. §. In eos eod tit. & lib. *In eos autem, quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apostolica est indultum, sicut sunt Religiosi quamplures, in quorum priuilegijs continetur, ne quisquam Episcopus, vel Archiepiscopus Monasteriorum suorum Monachos pro vlla causa vllo in loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumant &c.* Ergo si verba priuilegij sunt coarctata ad aliqua, quæ recensentur, non debent amplificari, vt comprehendant ea, quorum nulla fit mentio. Facit quoque ad idem confirmandum, quòd assignari potest ratio diuersitatis, cur priuilegium receptionis in proprios filios Ecclesiæ Romanæ, debeat interpretari, vt contineat exemptionem à Iurisdictione Ordinarij, quoad excommunicationem & Interdictum, sicut habetur in dicto c. 1. de verb. signif. lib.6. potius quàm ratione suspensionis, & est, quia excommunicatio, & Interdictum sunt censuræ, quæ imponuntur generaliter in omnes tam Clericos, quàm Laicos, suspensio respicit solos Clericos, deinde excommunicatio & Interdictum magis priuant spiritualibus commodis, quàm suspensio, ideo non est mirum, si Papa eos, quos ex priuilegio in speciales filios Sedis Apostolicæ adscribit, à Iurisdictione Ordinarij eximit in ordine ad excommunicationem, & Interdictum, non autem quoad suspensionem.

Alij verò Doctores sunt in contraria opinione, & censent priuilegium receptionis in proprios filios Romanæ Ecclesiæ, operari non solùm exemptionem, vt tales excommunicari, & interdici non possint ab Ordinario, sed vt neque suspendi possint, itaut sit eadem ratio harum trium censurarum, & licèt in cap. 1. de verb. signif. lib.6 sermo sit tantùm de excommunicatione & Interdicto, sub illis comprehendi quoque suspensionem dicunt.

Probari potest hæc opinio; Primo quia Depositio loquẽs in vno casu habet locum in alio sibi Iure æquiparato iuxta Glos. solennem l. fi. ff. Mandati, sed omnes tres Censuræ æquiparantur, sunt enim tres species pœnarum spiritualium, sub eodem genere, vt dicitur in cap. Quærenti de verbor. signific. & licèt inter se habeant multas differentias accidentales, quia vna infert maiora damna & incommoda, quàm alia, si enim inuicem non distinguerentur, non essent tres censuræ, sed vna, tamen hoc certum est omnes esse pœnas spirituales, & grauissimas, in quo omnes tres conueniunt; & hæc ratio sufficiens videtur,

vt

vt interpretari debeamus priuilegium alicui conceſſum, vt non poſſit excommunicari aut interdici ab alio, quàm à Summo Pontifice, extendendum eſſe ad ſuſpenſionem, quamuis nihil de ſuſpenſione dicat quia attendenda eſt magis mens Diſponentis, quàm verba, vt eſt caſus l. fi. C. de Reuo. Donat. iuxta Gloſ. Ver. Voluerit, vbi in fortioribus terminis lex illa, quæ expreſsè habet cum clauſula taxatiua donationem tantummodo poſſe reuocari ex quinq; cauſis ibidem expoſitis, extenditur à Gloſ. ad vnam aliam ex ſimilitudine rationis, & Auth. vt cū de appell. cog. §. Aliud quoque capiut. habet ob ſolas quatuordecim cauſas, poſſe filium exhæredari à Patre, & tamen communis ſententia quam latè tractat & affirmat Iaſon in Auth. Non licet C. de liber. Præt. vel exhæred. tenet filium exhæredari poſſe ob cauſam æquè grauem & grauiorem, quàm ſint illæ quatuordecim expreſſe, & relatæ per Gloſ. in dicto §. Aliud.

Si dicas, ſi Summus Pontifex voluiſſe ſignificare exemptionem quoad ſuſpenſionem in dicto cap. 1. de verb. ſignif. lib. 6. ſicut expreſſit excommunicationem & Interdictum, ita meminiſſet etiam ſuſpēſionis, quare cum id non fecerit, ſed locutus ſit ſolùm de excommunicatione & Interdicto, non eſt exercendum priuilegium ad ſuſpenſionem iuxta regulam eum qui de vno dicit, de altero negare cap. Qualis diſtin. 25. & l. Cum Prætor. ff de iudi. Reſpondeo hac intelligenda eſſe, quando illud aliud eſt diſſimile rei narratæ, vt ſingulariter dixit Domin. in eodem c. Qualis diſt. 25. Et eſt Gloſ. notab. in cap. Si tibi Abſenti Ver. Abſenti de præben. lib. 6.

Secundò maius priuilegium eſt, non poſſe ab Ordinario excommunicari aut interdici, quàm non poſſe ſuſpendi, quia excommunicatio & Interdictum ſunt grauiores pęnæ & inferunt maiora damna, & priuant pluribus, & magis neceſſarijs bonis, quàm ſuſpenſio, vt dictū eſt, ergo quibus conceditur à Papa, vt nō poſſint excommunicari, aut interdici ab Ordinario, meritò exiſtimandū eſt fuiſſe quoq; conceſſum, vt non poſſint ſuſpendi, cùm enim conceditur maius, minus quoque conceſſum videtur in eodem genere, ſi non militet aliqua ratio diuerſitatis, vt dicitur in c. Ex parte 3. de Deci. Vbi qui habuit priuilegium percipiendi cum integritate decimas de laboribus terræ Parochiarum ſuarum, quod maius eſt, de noualibus eas quoque exigere poſſe, declaratur, quod minus eſt, quoniam hæc interpretatio eſt rationi valde conueniens, & conſentanea, quæ eſt optima legum interpres, vt ibi inquit Gloſ. Ver. conceſſum, ſicut è contra ratio dictare videtur, vt quibus à Principe minora ſunt vetita, interpretari debeamus & maiora fuiſſe prohibita, vt habetur in cap. Cum illorum ante med. ibi, *Cùm maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora*, cum Gloſ. Ver. Minora de ſent. excom.

Tertiò ſuſpēſio eſt quoddam Interdictum, vt inquit Gloſ. in cap. 1. de Verb. ſignif. lib 6. & patet ex cap. Is cui de ſent. excom. lib. 6. iuncta tertiâ reſpōſionē cum 1. & ſecunda eiuſdem textus, ergo ſi priuilegium expreſsè loquitur de Interdicto cenſendum eſt in eo includi ſuſpenſionem. Facit ad hoc cap. Epiſcoporum de Priuileg. eod. lib. & cap. Quia pontificali de off. de leg. eod. lib & priuilegium extenditur ad caſum non expreſſum, quando ea mente concedentis ille caſus comprehendi poteſt, ſicut priuilegia conceſſa militibus ſecularibus congruentia Clericis ad illos extenduntur, vt dixit Abb. in cap. Sanè num. 2. de Celebr. Miſſa.

(A) Propter has rationes cenſeo hanc ſecundam ſententiam eſſe probabiliorem, quam communiter tuentur Doctores, Gemin. in c. 1. num. 2. in fin. de verbo. ſignif. lib. 6 Anchar. ibid. nu. 2. & Franc. nu. 2. & reddunt rationem, quoniam vbi Ius communiter loquitur, & comparat plura extrema inuicem, quod definitum eſt de vno, extenditur ad aliud, cap. Si poſtquam de elect. lib. 6.

Ex his patet exemptos, puta Religioſos Ordinum Mendicantium nō poſſe ſuſpendi ab Epiſcopo, & ſi de facto illos ſuſpendat, videtur ſententia nulla defectu (B) iuriſdictionis, cùm priuilegium illorum ſit notiſſimum, niſi ſententia lata ſit in caſibus, in quibus ex diſpoſitione Iuris aut per Concilium Trid. Epiſcopus poteſt contra Regulares procedere etiam exemptos, & etiam Moniales. Loca Concilij Trident. in quibus Religioſi ſubijciuntur Epiſcopo, enumerat Nauar. in Manua. cap. 25. num. 13. & de Regul. Comment. 2. num. 63.

Tertiò principaliter dubitari poteſt, ſi lex vel Iudex per pręceptum generale, aliquid prohibeat, vel iubeat ſub pœna ſuſpenſionis, an ſub hac generali lege, vel præcepto includantur Epiſcopi & alij Superiores Prælati, ſi de illis nulla expreſſa mentio facta fuerit.

(C) Reſponſio communis eſt Epiſcopos, & Superiores Prælatos ſub generali ſententia ſuſpenſionis non comprehendi, benè quidem omnes Inferiores poſt Epiſcopos, ita ſentiunt Gemin. in cap. Quia periculoſum de ſent. excom. lib. 6. & ibi Anchar. & Franc. & omnes alij Doctores, quod expreſsè definitum habetur ab Innoc. Quartum in Concilio Lugdunenſi in d. c. Quia periculoſum his verbis, *Nos deliberatione prouida duximus ſtatuendum, vt Epiſcopi, & alii Superiores Prælati eius Conſtitutionis occaſione ſententiæ ſiue mandati*, ſcilicet Interdicti & ſuſpenſionis, quorum ſupra meminit, *prædictam incurrant ſententiam nullatenus ipſo Iure, niſi in ipſis de Epiſcopis expreſſa mentio habeatur*, vbi redditur (D) ratio huius Conſt t.tionis, & eſt, quia officium Epiſcoporum & ſuperiorum, idest Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Primatum communius eſt & generalibus, & ideo neceſſarium eſt frequēter in Chriſmatis confectione, in Confirmatione, Ordinum Collatione. Eccleſiarum & Altarium conſecratione, & ſimilibus, quæ omnia ex ipſorum ſuſpenſionr impedirentur. Quare ad curandum hoc incommodum, non tā Epiſcopis, quàm ſubditis conſulere volens, ſtatuit, vt ſub generali ſententia ſuſpenſionis non intelligantur incluſi Epiſcopi, niſi fuerint nominatim expreſſi.

Idem habetur in c. Si Cōpromiſſarius Verſ. Huiuſ- (E) modi quoq; pœna de elect. lib. 6. *Cùm de Iure nullā ſententiam ſuſpenſionis incurrat*, ſcilicet Epiſcopus, de quo antea locutus erat, *niſi de ipſo expreſſa mentio habeatur*. Gloſ. in cap. Seiant Ver. Cuncti, & in c. Cupientes in ſi Verſ. Cæterum, Ver ſuſpenſos eod. tit. & lib.

Neque hoc priuilegium conuenit Epiſcopis ratione dignitatis, ſed quoniam à Iure id eis conceſſum habetur. Quare habet locum in caſibus tantum Iure expreſſis, vt in cap. Inquiſitores de Hæret. lib. 6. cap. fin. de Priuileg. et d. l. 3. c. fin. de ſenten. & re iudi. eod. lib. tradit Felin. in cap. Quod ſuper his num. 8. de fi. Inſtrum.

Et idcirco hoc priuilegium non extenditur ad excommunicationem, nam ſententia generalis excōmunicationis includit Epiſcopos, etiamſi eorū nulla mentio facta fuerit, vt dixi in lib 3. Diſp. 10 cap. 5. & notat Gloſ. in dicto c. Quia periculoſum Ver Suſpenſionis, & citat ad idē Innoc. Hoſt. Io. Monac. Franc. Archid.

& Io. Andr. ſed declarantur Epiſcopi priuilegiati ſolummodo, quoad ſuſpenſionem, & Interdictum.

Sed contra obiicies Epiſcopi, & Superiores Prælati cum illuſtriori, & eminentiori dignitate ſint decorati, & in ſublimiori gradu conſtituti grauioris culpæ Rei cenſendi ſunt, ſi violent præceptum, aut mandatum Superioris, quam alij inferiores cap. 2. ad ſi. de tranſlat. Epiſc. ergo maiori pœna digni ſunt iuxta notata cap. Homo Chriſtianus diſt. 40.

Reſpondet Gemin. in dicto cap. Quia periculoſum numero quarto ex ſenten. Hoſt. concedendo grauius eſſe peccatum Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Superiorum, ſi tranſgrediantur Conſtitutionem, ſed nihilominus Papam ob rationem adductam voluiſſe eos eximere ab huiuſmodi pœna, vt tanquam priuilegiati ſub generali ſententia ſuſpenſionis, aut Interdicti non comprehenderentur, quamuis conciperetur dictionibus vniuerſalibus, omnes, quicunque, & ſimilibus, quia vbi requiritur expreſſa mentio, non ſufficiunt verba generalia iuxta nota. in cap. 2. de Præben. lib. 6.

Sed quid dicendum de Cardinalibus, qui Epiſcopi non ſint, an gaudeant hoc eodem priuilegio, vt non intelligantur incluſi ſub generali ſententia ſuſpenſionis, & Interdicti, niſi exprimantur.

Omnes affirmant hoc priuilegium locum habere etiam in Cardinalibus, Gemin. in cap. Quia periculoſum num. 4 de ſent. excommunic. lib. 6. Anchar. & Franc. ibi Hoſt. in cap. 2. de Cleri. non reſid. Io. Andr. in cap. primo Ver. Omnem perſonam de Schiſma. lib. 6. Felin. in capit. Quod ſuper his numero 8 de ſi. Inſtrum. Deci. in capt. Præterea in vlt. notan. de off. deleg.

Quærit Gloſ. in dicto cap. Quia periculoſum Ver. Officii de ſent. excom. lib. 6. An hoc priuilegium locum habeat non ſolum in ſuſpenſione ab officio, ſed etiam in ea, quæ eſt à beneficio, vt Epiſcopi non comprehendantur ſub generali ſententia ſuſpenſionis.

Reſpondet, quòd licèt antea de hoc dubitaeuerit, & potius exiſtimauerit pro parte negatiua, nimirum hoc non ſuffragari Epiſcopis quoad ſuſpenſionē à beneficio, ob eam rationem, quoniàm ratio, qua ducitur Summus Pontifex, vt ita ſtatuat in fauorem Epiſcoporum, videtur ſolùm reſpicere officium, nō beneficium, vt colligitur ex verbis eiuſdem cap. *Propter executionem pontificalis officij, quod frequenter incumbit.* Tamen poſtea mutauit ſententiam, & putat certum eſſe Conſtitutionem dicti cap. Quia periculoſum habere locum in omni ſuſpēſione ab officio, à beneficio, ab ingreſſu eccleſiæ, & alia quaecunque. Idque probari poteſt; ex verbis Bonifacij Octaui in cap. Si Compromiſſarius verſ. Huiuſmodi quoque pœna de elect. lib. 6. Vbi loquens de Epiſcopo inquit, *Cùm de Iure nullā ſententiam ſuſpenſionis incurrat, niſi de ipſo expreſſa mentio habeatur*, Et Gloſ. ibi Ver. de Iure, reddit rationem, cur hoc priuilegium non ſolùm de ſuſpenſione ab officio, ſed à beneficio etiam intelligi debeat, quia ſpiritualia ſine temporalibus diu eſſe non poſſunt. cap. Si quis obiecerit, & cap. Saluator 1. q. 3. & dedecus videretur, ſi Epiſcopus mendicare cogeretur cap. Ad ſupplicationem de renunciat.

Secundò quærit Gloſ. in eod. c. Quia periculoſum Ver. de Epiſcopis; Vtrùm Prælati Superiores Epiſcopis incluſi fuiſſent nomine Epiſcoporum, ſi in eo textu Superiores non exprimerentur.

Reſpondet nomine Epiſcoporum eo ipſo debere intelligi Superiores, licèt non exprimantur, quia nō datur ordo Superior Epiſcopo, vnde Papa vocat ſe Epiſcopum, ideo cum Epiſcoporum mentio fit, ſtatim ſignificantur Superiores, & Gemin. ibi n. 5. tenet etiam in materia pœnali appellatione Epiſcoporum cōprehendi Superiores in concernentibus quoque officium Pontificale, Felin. in c. Auditis in princ. de Præſcrip.

Sed dubitari poteſt, poſtquam ſub generali ſententia ſuſpenſionis non includuntur Epiſcopi neq; Superiores, an hoc verum ſit de Epiſcopis electis, & confirmatis, nondum tamen conſecratis, nimirum an tales Epiſcopi electi non conſecrati gaudeāt priuilegio dicti c. Quia periculoſum de ſent. excom. lib. 6. Pro parte affirmatiua facit, quòd Epiſcopus electus, & cōfirmatus ante conſecrationē eſt verus Epiſcopus, & poteſt exercere omnia, quæ poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopalis requirunt, & textus in d. c. Quia periculoſum indiſtinctè loquitur de Epiſcopis, ergo de omnibus vniuerſaliter intelligit, & cōfirmatur, nam alia priuilegia conceſſa Epiſcopis extenduntur etiam ad electos, & confirmatos, quamuis non ſint conſecrati, vt eſt priuilegium de eligendo ſibi confeſſore c. vlt. de pœnit. & remiſs. & priuilegium de portando Altare Viaticum c. vlt. de priuil. lib. 6. & ſimilia, ergo & hoc quoq; priuilegium c. Quia periculoſum, eſt vniuerſaliter interpretandum. Tandem ad idem facit, quòd fauores. & beneficia Principis ſunt magis extendenda, & amplificanda, quàm coarctanda, & reſtringenda, quouſq; fieri poteſt, ſeruata proprietate verborum, in cap. Tua nobis, & ibi Abb. nu. 4 de verbo. ſignif.

In oppoſitam partem facit primò ratio, quæ adducitur in eodem cap. Quia periculoſum, propter quam à ſummo Pōtifice priuilegium illud conceditur, nēpe, *Quia periculoſum eſt &c. propter executionem pontificalis officij, quod frequenter incumbit*, quæ ratio non habet locum in Epiſcopo non dum conſecrato, qui munus, & functiones pontificij officij exercere nequit.

Secundò nomen Epiſcopi, ſi propriè ſumatur, eſt nomen ordinis, ſeu conſecrationis, & hoc modo in dicto cap. Quia periculoſum, accipi videtur ob eandem rationem, quia mentio fit de officio pontificali.

Idem confirmatur ex cap. Tua de his quæ ſi. à Prælat. Vbi probatur, non poſſe dici Epiſcopum illum, qui eſt electus, & confirmatus, ſi nondum ſit conſecratus, ſed appellari electum, quaſi conſecratio confirmet nomen, & dignitatem Epiſcopalem, verba tex. ſunt. *Adiecisti etiam, vtrùm Epiſcopo, vel Electo &c.* Quo in loco videmus diſtingui Electum ab Epiſcopo. Ad idem cap. Niſi pe. auct. & vſu pallij, Gloſ. in Clement. 2. verſ. Nota quod appellatione Pontificum de celebr. Miſſa. & tradit Abb. in cap. Eam te num. 2. de reſcript.

Tertiò priuilegium exorbitās à Iure communi potius eſt reſtringendum, quàm amplificandum, vt notant Doctores in cap. olim. de verbo. ſignif.

Reſpondendum eſt ad hanc dubitationem priuilegium dicti cap. Quia periculoſum extendi ad omnes Epiſcopos, poſtquam ſunt electi, & confirmati, quamuis non ſint conſecrati, quia nomine Epiſcopi in Iure intelligitur etiam ille, qui eſt electus, licèt ordine careat, ergo eùm in dicto capit. Quia periculoſum de Epiſcopis generaliter tractetur, omnes Epiſcopi ſunt intelligendi.

Probatur, nā licèt ſæpe appellatione Epiſcopi ſignificetur ille, qui conſecrationē accepit, quando ſcilicet res, de qua agitur, reſpicit executionem, aut decorem ordinis Epiſcopalis, tamen aliquando eodem nomine Epiſcopi intelligitur electus, & cōfirmatus, licèt nō ſit con-

consecratus, si materia subiecta ad Iurisdictionem pertineat, iurisdictio enim exercetur ab electo & confirmato ante consecrationem, c. Transmissam in fi. de elect. *Respondemus igitur, quod ex quo electionis tuae confirmationem accepisti de talibus, & cõsimilibus, praeter ea, quae maioris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, quod iustum est, & Ecclesiasticae conuenit vtilitati statuendi habeas liberam facultatẽ.*

Confirmatur ex Glos. in cap. Verum Ver Consecratus de fo. Compet. cùm enim ibi dicat tex. posse Epicopum consecratum de feudis cognoscere, notat Glos. *Idem esset, si electus esset & confirmatus, quia tunc habet plenam administrationem quantum ad ea, quae pertinent ad iurisdictionem.* Vnde inquit Abb. in cap. Et si Clerici §. de Adulterijs n. 17. circa med. Vers. Et ita puto dicendum in electo de Iudi. Quod in ijs casibus, in quibus Episcopus potest dispensare, poterit etiam dispensare electus & confirmatus, & B. Tho. in 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 4. in Respons. ad secundam quaest. ait Episcopum confirmatum posse conferre Indulgentias quia pertinet ad iurisdictionem Idem pluribus confirmat Felin. qui alios citat in cap. Eam te n. 8. de Rescript. & Oldrad cons. 194. Factum tale est suppositio, &c. asserit non posse vocari Ecclesiam vacantem, cui designatus est Episcopus iàm confirmatus. Quamuis tamen cùm in c. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. non agatur de actibus spectantibus ad Episcopos ratione ordinis aut consecrationis peculiariter, sed simpliciter de priuilegio illis concesso, vt sub generali sententia suspensionis non includantur, idcirco dicendum est tale priuilegium interpretandum esse non magis de Episcopis post consecrationem, sed absque vllo discrimine de eriminibus, postquam electi sunt & confirmati, quamuis non sint consecrati.

Ad argumentum, quo vtitur in tex. Summus Pontifex, vbi pro ratione concessionis dicti priuilegij meminit Pontificalis officij, cuius executio cùm frequẽter contingat, non conuenit, vt per sententiam generalem suspensionis retardetur, nomine autem pontificalis officij intelliguntur actiones, quae prouemiunt à potestate ordinis & consecrationis Episcopalis.

Primum respõdeo nomine pontificalis officij comprehendi non solùm actus ordinis, sed iurisdictionis Episcopalis, & cùm per suspensionem ab officio simpliciter impediatur executio nõ solùm potestatis ordinis, sed etiam iurisdictionis, vt probaui in Disp. a c. 3. Idcirco Summus Pontifex, ne impediretur Pontificale officium tam respectu potestatis ordinis, quàm iurisdictionis voluit dictum priuilegium concedere, merito commune eũ omnibus Episcopis non solũ cõsecratis, sed etiam solummodo confirmatis, qui licet careant ordine, possunt tamen exercere ea, quae spectant ad Iurisdictionem. Deinde si per pontificale officium accipere volumus tantum ea, quae competunt Episcopo ratione ordinis & consecrationis, dicendum est rationem adductam in textu non esse adaequatam causam, propter quam Summus Põtifex voluerit priuilegium illud Episcopis concedere, sed fuisse tantum causam impulsiuam, quia Papa primò & principaliter voluit consulere huiusmodi actibus, qui sine ordine, & consecratione ab Episcopo exerceri non possunt, & ex quibus primò, & per se cõstituitur, & perficitur dignitas Episcopalis, & distinguitur à Sacerdotali, & quacunque alia. Nec plura de Episcopis.

Quarta dubitatio est, verùm sententia suspensionis generaliter lata in omnes Clericos complectatur etiam Regulares Clericos non tantum seculares, & vtraque pars diuersis rationibus persuaderi potest. Quòd enim sub nomine Clericorum comprehendantur Religiosi Clerici, probatur, primò quoniam si Regulares aliquem ordinem vel saltem primam Tonsuram assumpserunt, verè & propriè appellantur Clerici, sicut seculares in eod. ordine constituti, & pariter ea omnia efficere possunt, quae Clericis conueniunt, ergo sententia suspensionis simpliciter lata in Clericos comprehendit quoque Regulares Clericos. Deinde in cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6. Vbi statutum est interdicto Clero non intelligi interdictum populum, nisi exprimatur, ibi Gemin. numero 3. Notat appellatione Cleri significari Seculares, Regulares, Conuersos, & Conuersas. Contra verò oppositum probari potest, nam licèt illa vox Clericus ex sua formali significatione, & ex ratione deriuationis imposita sit ad denotandum omnes Clericos, tam seculares, quàm regulares, tamen iam vsu & more communi accomodata est specialiter ad significandum Clericos seculares, vt distinguantur à Regularibus. Quod patet ex Clemen. 1. de priuileg. in princ. *Religiosi, qui Clericis aut Laicis &c.* Verba autem legis presertim poenalis sunt accipienda in significatione, in qua vsurpantur secundum vsum communem, praeterea in Clement. 2. de vi. & honest. Clericorum in qua sub nomine Clericorum intelliguntur Regulares, id exprimitur, vnde sumitur argumentum huiusmodi Regulares sub communi voce Clericorum minime comprehendi, si hoc nomen sumatur simpliciter sine vlla declaratione.

Ad hanc dubitationem respondeo sententiam suspensionis latam in Clericos comprehendere omnes Clericos tã seculares, quã Regulares, nisi ex verbis, & circumstantijs, ac conditionibus sententiae colligi possit in ea agi de clericis secularibus, nõ de regularibus.

Probatur primò, si Praelatus praecipiat aliquid omnibus Clericis simpliciter sub poena suspẽsionis, quicũque Clericus transgreditur praeceptũ, suspensionis poena erit obstrictus, siue sit secularis siue regularis, nisi aliud appareat de mẽte suspendentis. Et ratio est, quoniam suspenduntur Clerici, sed Religiosi habentes aliquem ordinem Ecclesiasticũ clerici sunt, igitur sub praecepto cõprehenduntur. Quibus enim verba legis conueniunt, ipsa quoque dispositio conuenire debet l. Hos accusare §. omnibus ff. de accusat. l. Ita autẽ, in princ. & ibi Bart. ff. de Admi. Tut. l. Si verò §. de viro ff. solut. Matri. Et quamuis Religiosi quatenus religiosi non significentur nomine Clericorum, quia non omnes Religiosi sunt Clerici, tamen comprehenduntur appellatione Clericorũ Religiosi Clerici, quatenus Clerici sunt. Quare si Constitutio disponat aliquid commune omnibus Clericis & Religiosis, non accipiet solum nomen Clericorum, sed etiam nomen regulariũ, vt in Clement. 2. de Vi. & Honest. Cleri. Vbi puniuntur Clerici, & Religiosi quaedam vestes ibi damnatas deferentes, quia conuersi Religiosi sunt, non tamen Clerici.

Si dicas verba accipienda sunt iux. communẽ vsum loquendi, quamuis diuersam habeant significationem l. librorum 9. quod tamen Cassius ff. de leg. 3. c. Cum dilectus de consuet. Sed iux. morem communem loquendi Religiosi non vocantur Clerici igitur non cõprehenduntur nomine Clericorum.

Respõdeo falsum esse in Iure non vocari Religiosos nomine Clericorum, nam quaecunque sub tit. de vi. & Honest. Clericor. praecipiuntur tanquam Ordini Clericali decentia, & quaecunque prohibentur tanquam

eiſdem ordini repugnantia, communia ſunt tam Clericis ſecularibus, quàm Regularibus; Adde, quòd ſi ex communi vſu loquendi nomine Clericorum non intelligerentur Regulares, non opus eſſet, quando volumus ſignificare Clericos ſeculares, apponere dictionem illam, *Seculares*. ſed ſatis eſſet dicere Clericos, & intelligerentur ſeculares. Aliter tamen ſolet eſſe in vſu, vt patet ex Clement. 2. prope fi. de vi. & honeſt. Cleri. illis verbis, *Seculares Clerici, & Religioſi, adminiſtrationem habentes, &c.* Sufficiebat dicere *Clerici, & Religioſi*, Si nomine Clericorum non includerentur Regulares.

Probatur ſecundo, ſi Prælatus ſuſpenſionis ſententiam ferat in omnes Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, qui hoc, vel illud commiſerint, talis ſententia vtique afficiet omnes tranſgreſſores præcepti dictis ordinibus inſigniti, ſiue ſeculares, ſiue Regulares, ergo eadem erit ratio, ſi præceptum latum ſit ſub nomine Clericorum ſimpliciter, vt debeat comprehendere tam ſeculares, quàm Regulares, & loquor ex vi huius verbi *Clericus*, Neque enim ignoro poſſe ſermonem aliquando ad ſolos Clericos ſeculares coarctari, vel ex materia, de qua agitur, vel quia ad ipſos tantùm dirigatur oratio, vel ex poteſtate ferentis ſuſpenſionem, quia habeat Iuriſdictionem tantùm in Clericos ſeculares, non in Regulares, vt Epiſcopus, vel ex alijs cauſis, & principijs, ex quibus colligi poſſit ſententiam ſuſpenſionis ferri in Clericos ſeculares, non in Regulares.

Quinta dubitatio, An qui ſemel ſuſpenſus eſt, poſſit iterum, & ſæpius ſuſpendi.

Hanc difficultatem pertractaui de excommunicatione lib. 3. Diſp. 10. cap. 7. quod ſpectat ad ſuſpenſionem, dicẽdum eſt ſimpliciter nihil obſtare, quominus eadem perſona pluries ſuſpendatur, non ſolùm à diuerſis Prælatis, ſed etiam ab eodem, non tantùm ſi ſuſpenſiones ferantur diuerſarum ſpecierum, quæ producant diuerſos effectus, ſed etiam ſi ſunt ſuſpenſiones eiuſdem ſpeciei ſæpius repetitæ ob diuerſas cauſas, & varios titulos.

Illa verò dubitatio, quæ etiam examinata fuit in materia de excommunicatione in Cap. 3. eiuſdem Diſp. 10. non habet locum in Diſputatione de ſuſpenſione; nempe an defunctus ſuſpendi poſſit, cùm defunctus Eccleſiaſticas functiones exercere nõ valeat, circa quas verſatur ſuſpenſio, ſed poſt mortem poſſet quis declarari incidiſſe in ſuſpenſionem, dum hac luce frueretur.

CAPVT V.

De Vniuerſitate, ſeu Communitate, quæ ſuſpendi poteſt.

SVbiectum ſuſpenſionis eſt duplex, vt monebam initio Capitis præcedentis, ſcilicet ſingularis perſona, & Communitas, de ſingularibus perſonis dictum eſt ſuperiori capite, de Vniuerſitate modò eſt diſcutiendum. Et quidem poſſe Communitatem ſuſpendi admittunt D. Tho. in Addit. ad 3. par. quæſt. 23. art. 5. ad ſecundum Nauar. in Manua. cap. 27. n. 165. & alij, qua in re conuenit cum Interdicto, & differt ab excommunicatione, quæ in Vniuerſitatem ferri non poteſt, vt habetur in cap. Romana de ſenten. excom. lib. 6. *In Vniuerſitatem, vel Collegium proferri excommunicationis ſententiam penitus prohibemus*, Contra verò de Interdicto, quòd poſſit in Vniuerſitatem pro-

A nuntiari definitum habetur in cap. Si ſententia eod. tit. & lib. Vbi aſſeritur poſſe interdici Clerum, & populum, & idẽ ſimiliter affirmant Doctores de ſuſpenſione, & ratio differentiæ illa eſt, quoniam excommunicatio priuat pluribus internis bonis, & Eccleſiaſticis auxilijs, quæ ad ſpiritualem animæ ſalutem ordinantur, & ad eam conſequendã proſunt; Et propterea Summus Pontifex prohibere voluit, ne excommunicatio in Communitatem feratur, vt in dicto cap. Romana: innuit Papa dicens, *Volentes animarum periculum vitare, quod exinde ſequi poſſet &c.* At ſuſpenſio, B & Interdictum licèt ſint pœnæ ſpirituales, non ſunt tamen adeo ſpirituales, ſicut excommunicatio, Interdicitur enim per illas ſolùm vſus externus officij, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſeu beneficij, quæ non ſunt media per ſe ordinata ad ſalutem animæ; Ideo non eſt abſurdum, vt aliquando innocentes ob commune bonum ſuſpenſione obſtringantur, aut Interdicto ſubijciantur. Vnde hic modus ferendi ſuſpenſionem, aut Interdictum in Communitatem non ſolùm à Iure probatur, ſed actu exercetur, vt oſtendam inferius.

Duobus autem modis poteſt corpus aliquod commune, Collegium, aut Vniuerſitas ſuſpendi. Primò formaliter, vt tale corpus eſt in genere, quatenus habet C poteſtatem quandam ſibi competentem exercendi actiones quaſdam proprias, ſimiliter, vt habet ius quoddam in bona aliqua communia, quæ ita pertinẽt ad totam Vniuerſitatem, vt ad ſingulas perſonas per ſe non ſpectent. Secundò poteſt Vniuerſitas, & Collegium ſuſpendi diſtributiuè, non collectiuè, vt ſi ſuſpendatur Clerus vnius Ciuitatis, ideſt erunt ſuſpenſi ſinguli Clerici, ex quibus conſtituitur Clerus illius Ciuitatis, & non magis vnus Clericus, quàm alius, ſed omnes, & ſinguli, & vtroque modo affirmandum eſt: ſuſpenſionem in Communitatem ferri poſſe.

Et primò poſſe ſuſpendi Communitatem formaliter, vt eſt vnum corpus genericum ex multis ſingula-D ribus conſtitutum probari poteſt. Omnis ſuſpenſio, aut eſt ab officio, aut à beneficio, ſed Collegium formaliter ſumptum poteſt habere officium, & beneficium; ergo ab vtroque ſuſpendi poteſt. De officio habetur in Iure quoad actus collationis beneficiorum in cap. vni. de Sede vacante lib. 6. Vbi ſtatuitur collationem beneficiorum mortuo Epiſcopo ad Capitulum pertinere, ſic enim habetur, *Mortuo Epiſcopo, vel à beneficiorum collatione ſuſpenſo poterit Capitulum vacantes conferre præbendas* Et ſimiliter ſi Capitulum ſuſpẽdatur à collatione, poterit ſolus Epiſcopus conferre. vt ibi dicitur, *Idem poterit, Epiſcopus, ſi Capi-* E *tulum ab ipſa collatione ſuſpendi contingat*, Ergo Capitulum ſuſpendi poteſt, & in Conc. Tridènt. ſeſs. 24. cap. 16. priuatur Capitulum facultate conſtituendi Oeconomum, & Vicarium, ſi Sede vacante illos non conſtituerit tempore, & modo ibi præſcriptis, quod eſt quaſi ſuſpendere Capitulum. Et idem verum eſt vniuerſaliter de illis Capitulis, quæ exempta ſunt à iuriſdictione Ordinarij, & ſubijciuntur immediatè Sedi Apoſtolicæ; Huiuſmodi enim Capitula poſſunt omni tempore exercere actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ab hac poteſtate ſuſpendi poſſunt, ratione verò actuum prouenientium à poteſtate ordinis propriè Capitulum ab officio ſuſpendi nequit, quia tales actus non poſſunt perfici per ipſam Communitatem, & Capitulũ in genere, ſed exercetur à perſona ſingulari. Sed quoniam poteſtas exercendi hos actus, poteſt delegari, Delegatio enim eſt actus iuriſdictionis, poteſt enim Capitulum eligere Confeſſores Sede vacante,

vocare

vocare Episcopum ad ordines conferendos, & similia facere, nam habens plenam administrationem Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus, iurisdictionalia exercere potest, non Sacramentalia, quæ Episcopo conueniunt, vt habetur in cap. Is cui de elect. lib. 6. & cap. penult. & vlt. de supplen. neglig. Prælat. eod. tit. & cap. Cum nullus de Tempor. ordin. eod lib. Et respectu huius delegationis Capitulum suspendi poterit, ne scilicet valeat committere alteri, vt exerceat actus illos Ordinis. Item à beneficio suspendi potest Capitulum, & in Iure reperitur talis suspensio lata in Extrauag. 1. prope fi. de elect. *Capitula verò, Conuentus Ecclesiarum &c. tamdiu sunt à beneficiorum suorum perceptione suspensi &c.* in cap. Quia sæpe de elect. lib. 6. Capitula, Conuentus, Collegia, & singulares eorundem personæ violatores eorum, quæ ibi statuuntur, ab officio & beneficijs quibuscunque suspenduntur. Et quòd hæc suspensio à beneficio feratur in ipsam Vniuersitatem & Collegium genericè sumptum, colligitur ex verbis dictæ extrauag. 1. de elect. nam suspenduntur Conuentus, & Glos. ibi in Ver. Conuentus, intelligit de Conuentibus Regularium, Religiosi autem vt sunt singulares personæ, non possident beneficia, sed ipsum corpus Religionis seu Cõuentus, bene potest habere aliqua beneficia annexa, à quibus suspendi potest.

Sed obijciet aliquis in cap Quia sæpe de elect. lib 6. Suspenduntur ab officio & beneficijs non solum Capitula, Conuentus, & Collegia, sed etiam singulares eorundem personæ, vt dixi. Verùm quomodo ipsæ singulares personæ Religiosæ possunt à beneficijs suspendi, cùm non possideant beneficia distincta, sed tantum subministrentur eis à Conuentu necessaria ad victum, à quibus si suspendantur, coacti erunt fame perire. Glos. in dicta Extrauag. 1. Ver. Suspensi de elect. monet hanc difficultatem, & videtur diuersis modis respondere. Primò dicit Regulares, qui hoc modo à beneficio suspenduntur, sibi imputare debere, qui sua culpa in hanc pœnam inciderunt, vnde tenentur ad tuendam vitam proprijs manibus sibi victum quærere, cap. Clericus victum 91 dist. Secundò inquit in quodam casu simili Papam decreuisse, vt Canonicus suspensus à beneficio reciperet quidem victum, sed cum hac limitatione, nempe vt resideret vltimus in Choro, Capitulo, & Refectorio. Similiter inquit Glos. Regulari suspenso subministrandum esse arctum victum, donec gratiam absolutionis obtinere meruerit. Tertiò inquit Glos. pœnam hanc Iuris mutari posse in aliam, sic enim fit, quoties ordinata per Ius locum habere non possunt l. Si quis id quod §. In seruos ff. de Iurisd. omn. Iudi. cap. Si res 14. quæst. 6.

Potest igitur Vniuersitas, & Collegium suspendi formaliter, vt est quoddam totum tam à beneficio, quàm ab officio, quæ suspensio eosdem effectus parit in ipso Collegio, quos producit, quando suspenduntur singulares personæ. Sicut enim suspensio ab officio in singulari persona impedit, ne suspensus possit exercere ea, quæ ad officium suum spectant, à quo est suspensus, ita quoque per suspensionem ab officio priuatur Capitulum, aut Collegium facultate obeundi munera officij, à quo suspenditur. Similiter per suspensionem à beneficio non poterit recipere fructus beneficij, sicut singuli suspensi à beneficio fructibus illius carerent.

Secundò potest suspendi Vniuersitas, seu Collegiũ non solum collectiuè, vt est vnum quoddam corpus formaliter, sicut dixi, sed etiam distributiuè, idest vt

dula

A singuli, ex quibus illud totum corpus constituitur, sint sigillatim suspensi à suis proprijs & personalibus officijs ac beneficijs, & est secundus modus, secundum quem intelligi potest suspensa Vniuersitas, vt monebam, idque probatur, cum enim Capitulum delictum committit suspensione dignum, vtique actio illa, quæ tribuitur Capitulo, ratione cuius dicitur suspensionem mereri, non fuit facta à toto Capitulo in abstracto, sed à singularibus personis constituentibus Capitulum, nam actiones sunt suppositorum. Verum contingere potest, vt non tantum maior pars constituentium Capitulum concurrerit ad crimen committendum, sed omnes & singuli simul conspirauerint vt

B socij ad magnum aliquod scelus patrandum, quod ob sui grauitatem, non satis punitum fore censeat Prælatus per suspensionem communem ab officio & beneficio, nisi etiam suspendat singulares personas, & in hoc casu Capitulo vel Collegio suspenso ab officio, & beneficio erunt quoque singuli ex eo suspensi, tuncq; non solum Capitulum erit priuatum facultate exercendi actiones competentes sibi ratione officij communis in genere, & ne possit percipere fructus beneficij annexi Capitulo, sed etiã singulæ personæ Capituli erũt suspensæ ab officijs, & beneficijs personalibus. Et hoc modo videtur lata suspensio ab officijs, & beneficijs in d. c. Quia sæpe de elect. lib. 6. Vbi Capitulum

C ita suspenditur ab officijs, & beneficijs, vt etiam singulæ personæ suspendantur à beneficijs, donec restituerint, & quando fertur suspensio, hoc modo videtur duplex suspensio simul iuncta vnica sententia, quia tunc suspenditur Capitulum per modum vnius corporis, simul etiam eadem suspensio respicit sigillatim singulos Clericos, ex quibus illud Capitulum componitur.

Tertiò dico, quando suspenditur Vniuersitas, Collegium, aut Capitulum simpliciter, non intelliguntur suspensi singuli distributiuè constituentes Capitulum nisi aliud exprimatur, sed tantummodo ipsum Capitulum collectiuè, quatenus est quoddam totum.

D Probatur, quoniam hi duo modi suspendendi separantur, quoniam potest imponi suspensio vno modo, ita, vt locum non habeat in alio, quia suspendi potest Vniuersitas collectiuè, & singulares personæ non sint obstrictæ distributiuè, & è contra, vt ostendam, ergo quando simpliciter fertur suspensio in Capitulum, intelligitur suspensum ipsum Capitulum, quatenus est quoddam totum, non autem singulares personæ Capituli, quia hoc nomen Collegium, seu Capitulum, aut Vniuersitas, & similia, nõ significat singulas personas Capituli, Collegij, aut Vniuersitatis, sed ipsum corpus Collegij Vniuersitatis, aut Capituli, ergo suspensio Capituli, Vniuersitatis, vel Collegij afficit so-

E lùm ipsam Communitatem, vt vnum corpus est, ideo in l. sicut Municipium ff. quod cuiusque Vniuers. dicitur *Non quod Vniuersitas debet, singuli debent.* Hinc singulorum esse non dicitur, quod Vniuersitatis est, arg. l. In tantum. §. Vniuersitas, & ibi notat Bart. ff. de rer. Diuis. & l. Sed & si hac §. Qui manumittitur ff. de in ius vocan. Quare cùm ex diuersis non fiat illatio argum. cap. 2. de Translat. & l. Papinianus exuli ff. de minor. suspenso Collegio singuli ex eo suspensi non erunt.

Contra obijciet quis Capitulo, seu Collegio interdicto singulæ personæ interdicuntur, nam in ca. Si sententia de sent. excom. lib. 6. dicitur Interdicto populo aliquo, singulos illius populi interdictos censeri, ergo erit eadem ratio de Capitulo, & singularibus perso-

nis;

nis; Et licèt Interdictum, & Suſpenſio ſint duæ diuerſæ Cenſuræ, in hoc tamen videntur conuenire, quando in Iudice, & Superiore ſit poteſtas ferendi ſuſpenſionē non ſolum in ipſum Capitulum, ſed etiam in ſingulares perſonas, & ſit ſufficiens cauſa id faciendi.

Reſpondeo poſſe ſuſpenſionem ferri in Capitulum, quæ ſimul afficiat ipſum corpus in genere, & ſingulares perſonas, vt dictum eſt; Et aliquando ita eſſe interpretandam ſententiam ſuſpenſionis, ſi verba, quibus illa pronunciatur, id ſignificare videantur, vel ex materia, aut circunſtantijs hoc deſumatur, ſicut in cap. Quia ſæpe de Elect. lib. 6. Vbi quia quædam Capitula, ſeu Conuentus, & ſingulares eorum perſonæ Sede vacante bona Prælati, & ipſius Sedis occupabant, fertur ſuſpenſio non ſolum in dicta Capitula, & Conuentus, ſed in ſingulas perſonas, quatenus ſingulæ erant participes dicti criminis, & ad reſtituendum tenebantur. Tamen regulariter loquendo ſuſpenſio ſimpliciter lata in Collegium Capitulum, ſeu Communitatem non afficit ſingulares perſonas. Neque eadem ratio eſt de Interdicto; Ideirco enim interdicto populo ſinguli ex eo interdicto cenſentur, vt habetur in cap. Si ſententia de ſent. excomm. lib. 6. Quoniam per Interdictum prohibentur diuina officia, & Sacramenta, vt dicitur in eodem cap. Si ſententia, & in cap. ſeq. & in cap. Non eſt vobis de ſponſal. Sed vt habetur in dicto cap. Si ſententia, *Cum Diuinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo, vt vniuerſis non competant*, Ergo ne Interdictum ſit inutile, & ne ſententia effectu ſuo careat, neceſſe eſt, vt abſolutè interdicto populo intelligamus ſingulares perſonas ipſius populi eſſe interdictas. Sed hæc ratio ceſſat in ſuſpenſione, quæ ſiue ſit ab officio, ſiue à beneficio lata in Capitulum, aut Collegium abſolutè ſortitur effectum ſuum reſpectu Collegij in genere impediendo illum vſum officij, qui ei competit, & priuando à fructibus beneficij, quamuis non afficiat ſingulares perſonas quoad officia, & beneficia propria.

Ex dictis ſequitur, ſi ſuſpenſio feratur contra aliquam Communitatem Eccleſiaſticam, quæ propriè non conficiat vnum Corpus Collegij, quod communi auctoritate res publicas Collegij adminiſtret, ſed tantum ſit quædam multitudo Eccleſiaſticarum perſonarum, quæ per modum vnius collectionis ſignificatur, tunc temporis etiamſi pronuncietur ſuſpenſio ſub nomine collectiuo, tamen intelligitur lata in ſingulares perſonas diſtributiuè, non in totum corpus collectiuè, puta ſi imponatur ſuſpenſio in Clerum Ciuitatis Bononiæ, qui hoc fecerint, talis ſuſpenſio obſtringet Clericos ſingulares, qui illud prohibitum commiſerint, non in totum corpus Clericorum. Et ratio huius dicti eſt, quia hoc nomen Clerus alicuius Ciuitatis in genere non habet vllas actiones ſpirituales communes, quæ communi conſilio gerantur, neque adminiſtrationes, aut beneficia communia, à quibus ſuſpendi poſſit, ſicut dixi de Capitulo, aut Collegio Cum igitur Clerus Collegium non faciat, ſingulares perſonæ Cleri ſuſpenſæ intelliguntur, cum ſuſpenditur Clerus abſolutè, licèt enim ſuſpenſio feratur ſub nomine illo collectiuo, imponitur tamen in ſingulares perſonas, non aliter quàm ſi diſtributiuè in Clericos hoc vel illud facientes imponeretur. Quamobrem per huiuſmodi ſuſpenſionem erunt ſuſpenſi Clerici ſingulares à ſuis officijs, & beneficijs, non omnes, ſed illi, qui cauſam, & delictum, cuius gratia lata eſt ſuſpenſio, commiſerunt, quia vt ſuperius oſtenſum eſt, ſuſpenſio non incurritur, niſi propter culpam.

A Et hæc ſatis dicta ſint de modis, quibus in Vniuerſitatem ſuſpenſio ferri poteſt, quæ intelligenda ſunt de Vniuerſitate Eccleſiaſtica; Nam quemadmodum ſuſpenſio in ordine ad ſingulares perſonas non habet locum, niſi ſint Eccleſiaſticæ, eodem modo aſſerendum eſt de Communitate, quæ eſt ſubiectum ſuſpenſionis. Sub varijs autem formis verborum Communitas ſolet ſubijci ſuſpenſioni; Aliquando ſuſpenditur ſub nomine Vniuerſitatis generalis, vt ſi Conſtitutio dicat in genere contra Capitulum, vel Collegium, ſine vlla particulari expreſſione; Nonnunquam contra Communitatem ſpecialem, vt contra Capitulum talis Eccleſiæ, vel tale Collegium; Interdum ſub diſiunctione, B puta contra hoc vel illud facientes, ſiue ſint Epiſcopi, vel Capitula &c. vel ſimili alia forma.

Quæret aliquis ſi ſuſpenſio generaliter imponatur contra omnes, qui hoc aut illud fecerint ſine vlla expreſſione Vniuerſitatis, Capituli, vel Collegij, & illa actio, quæ prohibetur talis ſit, vt à Capitulo, vel Collegio committi poſſit, an ad illa extendatur.

Reſpondeo probabiliter affirmandum eſſe in tali caſu huiuſmodi ſuſpenſionem extendi debere ad Capitula, & Collegia, quia cum generaliter lata ſit, & Capitula, & Collegia ſint capacia talis ſuſpenſionis, nulla ratio obſtat, vt non debeat comprehendere Capitula, & Collegia; Idque dubitatione carere videtur, C quando in Conſtitutione, aut ſententia nullum ponitur nomen perſonale determinatum, ſed tantum ſignum diſtributiuum cum pronomine vniuerſali, puta, *Omnes, qui hoc fecerint*, vel *Quicunque hoc fecerit*, aut ſimili modo, quia ſub illo ſigno vniuerſali comprehenditur propriè non ſolum ſingularis perſona, ſed etiam Collegia, & Capitula, ſi committere poſſunt id, quod prohibetur. Quòd ſi in lege, aut ſententia iungeretur cum ſigno diſtributio vniuerſali aliqua dictio perſonalis, puta omnis homo, omnis Clericus, vel omnis perſona Eccleſiaſtica. tūc maior eſſet dubitatio, quia Vniuerſitas non eſt homo, neque perſona Eccleſiaſtica. Verùm probabilius eſt aſſerere ſub illa diſtributio- D ne vniuerſali etiam cum dictione perſonali verè comprehendi Collegium, & Vniuerſitatem, quia Vniuerſitas conſtituitur ex hominibus, à quibus regitur, & gubernatur; & à quibus violatur lex. Neque enim Communitas, & ſic delinquit, ſed ipſæ perſonæ Communitatis delictum committunt, vt illius membra ſunt, & ſub eadem ratione comprehenduntur ſub ſigno vniuerſali diſtributiuo non tantum quatenus ſunt ſingulares perſonæ. Et ſic finis capitis.

CAPVT VI.

De Modo Computandi tempus Suſpenſionis.

E

QVoniam ſuſpenſio interdum ſimpliciter imponi poteſt, nonnunquam ad certum, & determinatum tempus, & id ad formam, ſeu modum eius pertinere dicitur; Idcirco non erit alienum, antequam finem imponamus Diſputationi, in qua verſamur, de cauſis ſuſpenſionis diſcutere, qua ratione colligenda ſit temporis diuturnitas, & vnde ſit initium inchoandum, & finis ac terminus ſuſpenſionis accipiendus vbi ſuſpenſio ad tempus fertur, vel ſimpliciter, & abſolutè.

Et primò dubitari poteſt, an ſi ſuſpenſio feratur ad menſem, vel annum, vel aliud tempus, quādo initium huiuſmodi ſuſpenſionis deſumendum ſit, vel ab ipſo momento latę ſententia, vel à die immediatè ſequenti

Cum

Casus dubitationis illa ratio adduci potest, quia dies termini non computatur in termino cap. 1. de restit. spoliat. ibi, *Infra quindicim dierum spatium post diem, in quo proponitur*. Vbi Glos. in Ver. Proponitur, inquit ita statutum esse, quia dies illa non computabatur in numero quindecim dierum, & multa similia ad idem adducit; Idque communiter affirmant omnes Docto- res, vt testatur Iason in l. 1. nu. 30 ff. Si quis caut.

Huic dubitationi respondendum est cum distinctio- ne; Vel loquimur de Suspensione lata ab homine, vel de ea, quæ imponitur ab ipso iure. Si sermo fit de prio- ri, affirmandum est initium suspensionis incipere ab eo momento, quo sententia per Iudicem prolata est; cu- ius dicti illa ratio, quoniam suspensio censura Eccle- siastica est cap. Quærenti de verb. signif. At censuræ af- ferunt secum suam executionem cap. Pastoralis §. Ve- rum, & ibi Docto. de Appell. ergo suspensio absque vlla mora operatur effectus suos.

Quod si suspensio imposita sit à Iure, ab eo puncto afficit illum, qui legem transgreditur, quo delictum commisit contra legem, quod aliq 1ādo in ipsamet le- ge explicari solet addita particula, *Ex tunc ipso facto*, vel alia similis; Probat Glos. vlt. in c. Prouida de elect. lib. 6. Quæ declarans pœnam suspensionis impositam ibi ab Episcoporum confirmatione, & consecratione per annum inquit ex sententia Archid. & Ioan. And. à die confirmationis, incipere annorum suspensionis à confirmatione; A die verò consecrationis initium sumere annum suspensionis à consecrationibus, idest à die commissi delicti. Idem probatur ex cap. Cupien- tes in fi. Vers. Ex tunc inchoandum eod. tit. & lib. Et ex Glos. 1. & 2. cap. Anteriorum 2. q. 6. & ratio eadem militat, sicut in suspensione lata ab homine, quoniam suspensio censura est, & censuræ secum trahunt suam executionem. Hinc soluitur id, quod afferebatur pro ratione du bitandi ex ca. 1. de restit. spoliat. lib. 6. nem- pe diem te rmini non computari in termino; Hęc enim propositio locum habet in ijs, quæ secum executio- nem non trahunt, ex quorum numero recensentur multa à Glos. in dicto cap. 1. Ver. Proponitur de restit. spoliat. lib. 6.

Qua in re animaduertendum est, quòd si suspensio feratur ad annum, vel mensem, aut ad aliud tempus certum, quamuis annus iuxta communem vsum ini- tium sumat à mense Ianuarij, Mensis à prima die, Hebdomada à die Dominica, si tantum pronunciatur sententia post annum inchoatum, puta Mense Aprilis, tunc annus supputandus erit ab ipsa hora sententiæ latæ, vt dictum est ad eundem diem eiusdem mensis anni sequentis, sicque integer annus dicetur expletus, & simili modo computandus erit Mensis, vt tradit Bald. in l. De diuisione num. 1. Alex. nu. 2. Ias. num. 7. ff. Solut. matri.

Secundò dubitari potest de numero dierum men- sis; Cum contingit aliquem suspendi inchoato mense, mouetur difficultas, quoniam non omnes menses sunt æquales, neque pari dierum numero constant; Aliqui enim complectuntur triginta dies, nonnulli habent triginta, & vnum. Februarius constat ex viginti octo diebus, & Anno bisextili additur vigesimus nonus. Modò supponamus suspendi Clericum per mensem, decima quinta die Ianuarij, qui habet dies triginta & vnum; Hęc suspensio protrahetur ad Mensem Februa- rij, qui continet dies viginti octo; Verum igitur illa suspensio afficit Clericum triginta & vno diebus, quot sunt dies mensis Ianuarij, vel diebus viginti octo iux- ta numerum dierum mensis Februarij, cum vtriusque A mensis partem complectatur, vel potius semper men- sis computandus sit æquali numero dierum triginta; Vt affirmemus mensem quo ad pœnam suspensionis accipiendum esse ex triginta & vno diebus, persuade- ri potest, quia plures menses ex duodecim ipsius anni constant hoc numero; E contra, vt non excedat vigin- ti octo, dictat ratio pœnæ, quæ regulariter in dubio minuanda est; Vt verò comprehendat triginta dies, facit, quia vulgariter ita mensis apud omnes accipi- tur pro spacio triginta dierum, & est numerus me- dius inter excessum, & defectum, & est completus, & B perfectus.

Varij sunt modi respondendi ad hanc dubitatio- nem; Ex quibus tamen duo videntur communiter re- cepti, & sunt probabiliores. Primus est, vt in his casi- bus computari debeat mensis ab ea die, qua sententia lata est suspensionis vsque ad diem ad eundem nume- rum in ordine succedentem mensis sequentis; Vnde iuxta hanc supputationem mensis nonnunquam con- tinebit plures dies, aliquãdo pauciores. Hinc fit men- sem constare ex numero tot dierum, quot continet mensis, in quo pronunciatur sententia suspensionis. Ita sentit Glos. in cap. Quam sit Ver. Mensem de elect. lib. 6. & ibi Io. Monach. num. 1. & Io. Andr. Idem Bart. in C l. Cum bisextus ff. de verb. signif. Glo. in l. 2 ff. de diuer. & tempo. præscrip. Glos. in Extrauag. vnica in fi. Ver. Eo ipso, ne Sed vacan. & in Extrauag. vnica in fi. ver. Et adde, De censi. Bald. in l. De diuisione nu. 1. & Ale- xand nu. 4 ff. solut. matri. Alex. cons. 42. num. 13. Vers. Et sic videtur lib. 3. & cons. 114 n. 4 lib. 5. Facit etiam pro hac sententia l. Qua ætate ff de testam. & l. 1. ff. de Manumiss. licèt agatur de anno, sed eadem ratio est de parte sicut de toto, & valet argumentum à toto ad partem l. Quæ de tota ff de rei vendicat.

Secundus modus respondendi est, vt nomine men- sis intelligantur triginta dies. Quare si suspendatur Clericus ad mensem, suspensus erit spatio triginta D dierum; Quod maximè locum habebit, si suspensio sit tantum vnius mensis. Ita sentit Io. And. in cap. Quam sit super Glos. Ver. Mensem de elect. lib. 6. Reddit ra- tionem, tum quia hic numerus veluti medium locum habet inter longiores, & breuiores menses, tum etiam quoniam Vulgus communiter ita mensem accipere consueuit. Quod confirmari quoque potest ex Iure ci- uili l. Miles §. Quidam ff. Ad leg. Iul. de adult.

Vterque modus computandi mensem, quando tra- ctatur de suspensione lata ad mensem, est probabilis, & hic secundus mihi magis placet, quoniã est vnifor- mis semper continens triginta dies, in quocunque mense pronuncietur sententia suspensionis; Nam iux- ta primam opinionem affirmandum est suspensionem modò esse maiorem, modò minorem propter diuersi- tatem solùm mensis, in quo fertur sententia, quamuis hoc non videatur inconueniens, quia accidit ex diuer- sitate temporis, præsertim cum modica sit variatio, cuius nulla habenda sit ratio.

Quòd si suspensio non ad vnicum mensem feratur, sed ad duos, vel tres, aut plures, tunc putarem non fo- E re numerandos omnes menses æquales ex triginta diebus, sed inæquales, puta si suspensio sit duorum mensium; Alter computandus erit ex triginta diebus; Alter verò erit triginta vnius dierum, facit l. Vbi lex ff. de reg. Iur. Vbi dicitur audiendum esse eum, cui ad comparendum terminus duorum mensium assigna- tus fuit, si sexagesimo primo die comparuerit; Vbi Glos. id ex benignitate fieri asserit, & Bald. in l. Eos §. Si autem num. 9. de appell. Sed potius id Iure fieri di-

cendum

cendum eſt, quoniam cum duos menſes ad veniēdum habuerit, ſequitur ex ipſa diſpoſitione menſium, vt alter conſtare debeat ex triginta, & vno diebus. Si autem ſuſpenſio ſit trium, vel plurium menſium, primus poterit computari alterutro modo ex duobus propoſitis iuxta communem opinionem, alij verò ſuccedentes accipiendi ſunt, ſicut naturaliter ſequuntur, ſicut etiam ſuſpenſio ſex menſium intelligitur comprehendere dimidium anni integri eo modo, quo mēſes ſuccedunt à die inchoatæ ſuſpenſionis.

Ex his colligi poteſt, quando ſuſpenſio imponitur ad annum qua ratione computari debeat annus, & erit tertia dubitatio. Quacunque enim die anni ſuſpenſio promulgetur, tantundem ex ſequenti anno adiungendum erit, quantum ſufficiēs ſit ad complectendum integrum annum, qui ex trecentis ſexaginta quinque diebus conſtare debet. Sed certa difficultas eſt de anno biſextili: An ſi occurrat ſuſpenſionem ferri hoc anno menſe Februarij, cui in tali anno addatur dies intercalaris, computatio ſit facienda eodem modo, ſicut de anno communi, dempto illo die intercalari, ideſt non computato, an verò adiiciendus ſit ille dies.

Gloſ. Iuris ciuilis in l. 2. Ver. Videtur, ff. de diuer. & tempor. præſcript. de hac quæſtione plures refert opiniones, & præter alias proponit illam quam Abb. in cap. Quæſiuit num. 4. de verb. ſignif. inquit placere Bart. in dicta l. 2. & in l. biſextus, ff. de verb. ſignif. qui diſtinguit de aſſignatione temporis, an fiat in ſpecie, ideſt ſub numero annorum, aut menſium, vel in indiuiduo appellatione dierum. Si priori modo, & accidat biſextus, tunc duo dies pro vnico ſunt computandi, ſi poſteriori modo fiat aſſigatio, illi duo dies ſunt numerandi, & non habentur pro vnico die, Gloſ. in cap Quæſiuit Ver. Qui duo poſt med. de verbo ſignif. Alio modo reſpondet, cēſet enim, quòd ſi quis ſuſpenſus ſit per annum, quamuis ſit biſextus, poteſt celebrare vltima die anni, quia debet accipi annus communiter conſtans tantum ex 365. diebus, facit l. cum heres, §. Stychus, ff. de ſta. liber. ſi libertas relicta ſit alicui, ſi per annum ſeruierit, dies intercalaris in anno biſextili non debet computari, & in caſu ſuſpenſionis hæc opinio videtur probabilis, quia cum ſit pœna, non eſt extendenda, ſed potius coarctanda cap. Pœnæ de Pœnit. diſt. 1. Hoc idem clariùs tradit Gloſ. in cap. Si propter Ver. Primi anni de reſcript. lib. 6. dicens in odioſis annum accipi debere ex 365. diebus, quamuis ſit biſextus, ſecus in fauorabilibus, Gloſ. in cap. 2. Ver. Anno diſt. 55. Abb. in dicto cap. Quæſiuit num. 4. de verb. ſignif. inquit poſſe inuicem coniungi has opiniones, ſi ita dicamus, vel tempus ſuſpenſionis aſſignatur ſub nomine menſium, vel annorum, vel appellatione dierum, ſi hoc poſteriori modo, puta quia Iudex dicat; Talis Clericus ſit ſuſpenſus per quadraginta dies, tunc illi duo dies biſexti non ſupputabuntur pro vna die, tam in fauorabilibus, quàm odioſis, nam reuera duo ſunt, & pro duobus numerari debent, quia iuxta tenorem ſententiæ quadraginta dies tantum percurrere debent, ſi priori modo, tunc iuxta opinionem Gloſę diſtinguendum erit inter fauorebilia, & odioſa, præſertim propter l. 4. ff. de ſta. libe. quæ loquitur diſtinctè, quam diſtinctionem approbat Franc. in cap. Si propter n. 6. de reſcript. lib. 6. Et ad agnoſcendum, an actus ſit fauorabilis, inquit Franc. conſiderandam eſſe intentionem principalem ipſius agentis Eadem diſtinctio placet Sylue. Ver. Aetas, §. 5. quare ſi Clericus ſit ſuſpen-

A ſus à ſuo Superiore à diuinis per annum, & hāc ſuſpenſionem ſpatio 365. dierum inuiolatè ſeruauerit, altera die ſequenti celebrare poterit abſque vllo periculo irregularitatis, vel alterius pœnæ, etiam ſi dictus annus ſit biſextus, & ille dies non ad annum ſequentem, ſed ad ipſum decurrentem pertineat, & eadem ratio eſt de menſe, ſi accidat biſextus, vt in Februario, quia in fauorabilibus habētur pro vnico die, ſecus in odioſis, & pœnis, vt idem Sylue. notat, §. 6. & in Ver. biſextus. Vnde eodem modo, ſi quis ſuſpendatur ad menſem, & contingat menſem illum eſſe Februarium in anno biſextili completis viginti octo diebus, iam die 29. poterit illas functiones exercere, à quibus ſu-
B ſpenſus fuerat. Et ſimilis ratio erit, ſi ſuſpenſio ſit trium, aut plurium menſium, nam in vltimo die poſtremi menſis non erit ſuſpenſus, nam eadem eſt proportio plurium mēſium ad vltimum diem, quæ totius anni ad vltimum diem anni, & ratio præcipua huius aſſertionis eſt, quoniam in pœnis interpretatio ſumenda eſt ex communi, & ordinario vſu loquendi, iuxta frequentiorem autem modum loquendi annus intelligitur conſtare ex 365. diebus, qui vocari ſolet annus communis, & ordinarius; Annus autem biſextilis dicitur annus extraordinarius.

Sed contra dicta obiici poteſt dictum cap. Quæſi-
C uit de verb. ſignif. Vbi definitum fuit duos illos dies anni biſextilis quaſi pro vno reputari debere. Reſpondetur poſſe hoc intelligi diſiunctiuè, non collectiuè iuxta ſubiectam materiam, de qua ibi agitur, ſcilicet de die quo in anno biſextili celebrādum ſit feſtum S Mathiæ, & reſpōdetur vt in alterutro illorum duorum celebrari poſſit, & ita pro vno reputātur diſiunctiuè non copulatiuè, vt in vtroque celebrari debeat. Eodem modo ſi alicui iniungeretur pœnitentia ieiunandi vltima die Februarij, obligationi ſatisfaceret, ſi in biſexto, vel 28. vel 29 die ieiunaret, quia 29. eſt vltimus de facto, at 28. eſt vltimus menſis ordinarij. Quare non verè pro vno reputantur, quia ſunt duo
D dies diſtincti, vnde ſi quadrageſima cōtingat in menſe Februarij anno biſextili, illi duo dies numerantur diſtincti ad perficiendum numerum dierum Quadrageſimæ; Igitur dicuntur reputari pro vno diſiunctiue modo explicato. Et ideo rectè affirmat Gloſ. & Doctores, vt dictum eſt, quòd ſi præceptum imponatur ſub numero dierum ad certum tempus, vt ad triginta dies, vel quadraginta, illi duo dies pro duobus ſunt computandi, quia duo ſunt.

Obijcies, ſi illi duo dies pro vno computantur diſiunctiuè, ſequitur, vt ſi quis ſit ſuſpenſus per menſem Februarij, poſſit vſque ad viginti ſeptem dies ſeruare ſuſpenſionem, & die vigeſimo octauo celebrare, ſed
E poſtea abſtinere die 29. quia pro eodem reputantur, ſicut dicitur de feſto S. Matthiæ in cap. Quæſiuit de verbor. ſignif. quia ſuſpenſus poterit alterutrum eligere.

Reſpondendum eſt negando ex prædicta ſententia ſequi ſuſpenſum per menſē Februarij poſſe ad libitum complere terminum ſuſpenſionis die vigeſimo octauo, vel vigeſimo nono, quia tempus præſcriptum ad ſuſpenſionem ſeruandam debet eſſe continuum, & idcirco non licet diem 29. pro vigeſima octaua accipere; De qua re tractat Iaſ. generaliter in l. contra maiores numero ſexto, C. de inoffic. teſtam. Et quando dicimus illos duos dies pro eodem computari, intelligimus regulariter, niſi aliqua ratio particularis obſtet, ſicut propter eandem continuationem non ſatisfaceret præcepto, qui die 27. Februarii ieiunaret,

naret, & die 29. Festum Sancti Matthiæ celebraretur, vt definitum est in dicto cap. Quæsiuit de Verbo. signif. quia deest inter Vigiliam, & Festum necessaria connexio, vt inter ea nulla interponatur dies, nisi Dominica intercedat. A

Hæc tamen regula generalis vnam admittere videtur exceptionem: Nam si suspensio feratur ab homine pro futuro mense Februarij præcisè, vel anno, qui bisextilis sit, & Iudex, quando suspensionem imposuit, optimè nouerat futurum mensem, aut annum esse bisextilem, & voluit toto illo tempore suspendere, tunc enim certum est suspensionem seruandam esse vsque ad finem anni completi, quia Iudex voluit ita obligare, & potuit obligare, ergo tenet suspensio, quia de eius mente constat. Quòd si expresse de Iudicis voluntate non appareret, & verba sententiæ generalia essent de anno, & mense, quamuis adderetur, Primo sequenti anno, aut mense, tunc voluntas Iudicis interpretanda esset de anno communi, & ordinario, vt benignior interpretatio fieret. B

Quarta dubitatio esse potest de duratione temporis, vbi quis iam suspensus iterum suspensione alligatur, nempe quo pacto computandum sit tempus secundæ suspensionis, puta sit Clericus suspensus ad tres menses, & illos nondum elapsis iterum incidat in aliam Suspensionem Iuris ad alios tres menses, vel plures, vel pauciores, Quando secundæ suspensionis tempus currere incipiat. C

Aliqui putant tempus secundæ suspensionis incipere statim post completum tempus primæ suspensionis. Hanc opinionem refert Card. in Clem. 2. Ver. Si quis num. 2. de Magistr. Et probari potest primo quia si delictum iteratur, & pœna iterari debet, L. Quicunque, C. de ser. fugit. Id autem minimè frustraretur, si secundæ suspensionis tempus curreret antequam primum absolutum esset, secundò si secus dicamus, sequitur alterum ex duobus delictis non plenè vindicari iuxta eius grauitatem contra cap. 1. De pœnit. & remiss. & l. Ita vulneratus ff. Ad leg. Aquil. Ad has rationes respondet ibi Card. primo: In tali casu augeri pœnam, quia secunda suspensio semper perdurabit per aliquod tempus post primam. Secundò, quod maius est, nam si contingeret, vt suspensus dispensaretur super prima suspensione, adhuc remaneret secunda obstrictus cap. Cum pro causa, & cap. Officij de sent. excom. Atque ita dici potest pœna iterari. D

Glos. in dicta Clem. 2. Ver. Sequentes de Magi. tenet eum, qui suspensus est ad sex menses à Iure ob violationem Constitutionis, si iterum pendente primo semestre in eandem legem committat incurrere secundam suspensionem secundi semestris à die commissi delicti, & non opus esse expectare finem primæ suspensionis. Ad hoc confirmandum citat plura testimonia ex Iure Ciuili; Ad idem Clem. 1. §. Quibus etiam De Priuileg. ibi, *Si quis verò præmissa, vel aliquod de præmissis attentare præsumpserit. per duos menses subiaceat pœnis illis &c.* Vbi Glos. Ver. Vel aliquod, notat æqualem pœnam imponi pro vnico actu prohibitio, sicut pro pluribus; Idque Iuris authoritatibus confirmat, & hanc sententiam dicit Glos. esse communem, cui adhæret Cardinalis dicto num. 2. & Io. And. quem refert Abb. in cap. Cum in cunctis §. final nume. 7. de elect. Et confirmari potest, nam cum pœna imponatur ipso iure, necessariò debet incipere post commissum delictum, quod maximè locum habere videtur in Censuris, quæ secum executionem trahunt cap. Pastoralis §. Verùm de Appell. E

Abb. in dicto cap. Cum in cunctis §. fi. nu. 7. de elec. aliam affert sententiam, quam dicit propositam fuisse à Bart. in l. Senatus ff. ad Turpil. ad dissoluendam quæstionem in similibus terminis. Quærebat enim si statuto caueatur, vt committens homicidium soluat mille, & exilium seruet ad decennium, & interim decurrente primo decennio, homicidia alium interficiat; Vtrum debeat expectari finis primi decennij, vel secundum decennium incipiat currere statim ac secundum homicidium patrauit, & difficultatem soluit distinguendo; Aut pœna decennij imponitur à statuto specificè, puta quia statutum inquit; Delinquens debeat seruare exilium per decennium à die commissi delicti, atque ita determinatur tempus in specie, & hoc modo secundum decennium incipit decurrere statim post commissum crimen, quia ita exprimitur in statuto, alias non esset illud decennium, sed aliud arg. l. Si vsusfructus mihi in biennium ff. de vsufruc. leg. Vel pœna ad tempus pronunciatur indeterminatè, & generaliter, vt si Iudex dicat; Imponimus pœnam exilij à districtu per decennium, quo casu secundum decennium incipit currere primo elapso, alias non solueret pœnam delicti, vt in cap. 1. de Pœnit. & remiss. Ita respondet Abb.

Hæc sententia Abb. vera est de illis pœnis, quæ secum non trahunt executionem, sed possunt manere pendentes in quibus terminis loquitur Bart. ex cuius doctrina Abb. prædictam distinctionem desumit; Verùm alia ratio militat de Censuris, quæ executionem secum ferunt, & quarum effectus suspendi nequit, sed vel statim afficiunt, vel nullæ sunt ea. Per tuas de sent. excom. cap. So'et eod tit. lib. 6.

Quamobrem ex omnibus opinionibus allatis probabilior est sententia Glosæ in dicta Clement. 2. Ver. Sequentes de Magi. quæ communiter ab omnibus defenditur, vt Glos. testatur, scilicet, vt secundæ suspensionis tempus statim currere debeat, licèt absolutum non sit tempus primæ suspensionis, sed adhuc duret, excipitur tamen, nisi expressè à Iure, vel à Iudice declaratum sit, secundam suspensionem non incipere, antequam expletum sit tempus primæ, tunc enim standum esset voluntati suspendentis, quoniam eius vis mensuratur iuxta dispositionem suspendentis, c. Cum voluntatem de sent. excom.

Quintum dubium. Quomodo computari debeat successio temporis in suspensione lata ad tempus, idest an continuè iuxta naturalem cursum temporis, vel secundum moralem computationem, ita vt numeretur tantum tempus habile, quo ille actus, & functio, à qua quis est suspensus, exerceri poterat; Vt si suspensio sit à celebratione, non omne tempus secundum continuationem naturalem est aptum celebrationi, similiter suspensio ab officio iudicandi, non amplectitur omne tempus; Iudicium enim non fertur diebus festis, quare suspensio ad tempus non deberet effectus suos producere, neque vim vllam habere, nisi tempore debito, & habili.

Respondendum est suspensionem quocunque temporis puncto suspensum afficere, quia tempus computandum est secundum continuum ac naturalem eius cursum, quod probari potest ex ca. 1. §. Qui vero, & c. Cupientes § Cæterum de elect. lib. 6. In quibus locis de his, qui ex causis ibi narratis suspenduntur à beneficijs per triennium, statuitur simpliciter, & absque distinctione, si infra illud tempus ad eadem beneficia se ingesserint, illis perpetuò esse priuatos, & illud tempus triennij vocatur continuum, ergo suspensio afficit

sit suspensum quacunque parte temporis sine vlla distinctione noctis, vel diei, siue temporis habilis, aut inhabilis ad exercendam actionem. Ad idem facit cap. 1. De senten. & Re iudic. libro 6. & cap. primo, de sent excom. eod. lib. Vbi Glos. Ver. Per mensem, inquit elapso mense suspensionis eo ipso restitutum esse, ergo intelligit, antequam mensis prӕterat, semper manere suspensione legatum. Quod verò initio dicebatur pro ratione dubitandi de habilitate temporis. Primò respondendum est aliquando ferri suspensionem de aliqua actione, ad quam exercendam omne tempus est aptum absque vllo discrimine: Igitur hӕc non est ratio formalis, propter quam suspensio lata ad tempus non debeat amplecti omnem differentiā temporis; Nā in suspensione à beneficio quodlibet tempus est aptum ad perficiendos fructus beneficii: In suspensione ab officio plures actiones requirunt prӕscripta tempora; Nonnullӕ in quolibet tempore fieri possunt. Quòd verò aliquӕ requirant certum tempus, ex Ecclesiӕ prӕcepto, vel consuetudine institutum fuit, quare hoc est accidētarium ad rationem suspensionis, vnde si suspensus à celebratione auderet celebrare hora vespertina, duplex peccatum committere, nimirum, quia suspensus est, & quia contra prohibitionem Ecclesiӕ tali hora sacrum conficeret.

Sextum dubium, quomodo terminetur tempus suspensionis, idest an suspensus ad mensē, vel ad annum liber sit, & solutus à suspensione statim, ac attigerit vltimum diem mensis, aut anni, vel potius expectare debeat, vt ille postremus dies integer pertranseat, vt se tanquam liberum, & solutum ab omni vinculo gerere possit.

Respondeo totum diem postremum temporis suspensionis prӕterisse necesse esse, vt suspensio dicatur sublata, neque sufficere, sit attingatur, & probatur ex cap. 1. §. qui verò, & cap. Cupientes, §. cӕterum de elect. lib. 6. quibus locis statutum fuit, eos, qui suspensi erant à beneficiis ad triennium, si infra dictum tempus eis prӕfixum se ingesserint, statim eisdem priuatos esse. Igitur antequam dies extremus elapsus sit, durat suspensio, cum vltimus dies ad illud triennium pertineat. Secundò confirmatur, suspensio includit negationem, & prohibitionem, quod autem prohibetur fieri aliquo toto tempore, vetitum est ex consequenti, ne fiat qualibet parte illius temporis, sed vltimus dies integer est pars temporis prӕscripti, quo quis est suspensus, ergo quamdiu dies illa vsque ab postremum momentum durat, suspensionem seruare debet, quia lata est ad totum illud tempus. Confirmatur tertiò, quoniam vt inquit Archid. in cap. Si annum de Iudi. lib. 6. regulariter annus debet esse completus, & eadem est ratio de mense, vel alio definito tempore. Quarto hӕc conclusio tunc maximè vera est, & locum habet, cum suspensio imponitur designando tempus in casu accusatiuo, vt si Iudex dicat, Franciscus sit suspensus ad annum, vel per annū, quia communis est doctrina accusatiuum significare tempus absolutum, & expletum, vt tradit Ias. plures citans, in l. si cui legetur num. 13. ff. de leg. 1. Sed quamuis etiam suspensio pronunciaretur per ablatiuum, adhuc suspensio afficeret vsque ad vltimum instans temporis assignati, vt si Iudex diceret, Petrus suspensus sit hoc anno, ob eandem rationem, quia suspensio includit prohibitionem functionem durante toto tempore suspensionis, ergo integraliter pertransire debet, secus esset, si ad faciendum aliquid, tempus per

A ablatiuum prӕscribitur, puta si Canon dicat; In tali ӕtatis anno, possit ordinari Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, aut possit assumi ad Episcopatum, vel in similibus exemplis, in quibus regulariter non necesse est, vt tempus sit completum, sed satis est, vt annus vltimus, mensis, aut dies sit inchoatus, vt testatur Ias. in ead. l. Si cui legetur numero decimoquarto De leg. 1. Glos. in cap. Cum in cunctis, §. exigerit, & ibi Abb. num. 6. de elect. Glos. in Clement. Generalem de ӕta. & qualit.

Septima dubitatio, si suspensus ad annum, vel ad aliud definitum tempus non seruauit continuè toto illo tempore suspensionem, quomodo imponere debeat tempus violatӕ suspensionis, & quando tunc B terminari debeat suspensio.

Triplex potest esse modus dissoluendi prӕdictam dubitationem. Primò vt dicamus, quando quis non seruauit suspensionem toto continuo tempore, quo tenebatur, iterum inchoare debere suspensionem, & illam seruare toto tempore prӕscripto, neque computari debere tempus, in quo abstinuit, vt tenebatur iuxta tenorem sententiӕ suspensionis. Ratio huius responsionis est, quia tempus suspensionis debet esse continuum, ideo, si interrumpatur, non potest tempus, in quo impleta fuit suspensio, coniungi cum posteriori suspensione, sed denuo inchoandum est tem- C pus prӕscriptӕ suspensionis, sicut de anno probationis testatur Nauar. consil. 29. de Regular. qui ante professionem debet esse continuus. Secundò responderi potest tempus illud interruptӕ suspensionis non computari ad perficiendum tempus suspensionis impositӕ, sed si postea seruetur suspensio posse tempus posterius computari cum alio priori, in quo suspensio fuit seruata, quia continuitas temporis est necessaria, vt debito modo impleatur suspensio, non est tamen ita simpliciter necessaria, vt si aliquo casu interrumpatur, eam iterum inchoare oporteat, tunc enim augeretur pœna sine causa.

D Tertius modus respondēdi probabilior est, suspensionis tempus continuè fluere, postquam inchoatum est, & terminari elapso prӕfixo tempore suspensionis, & quamuis suspensus decurrente edicto tempore, casu vel malitia violet suspensionem, & non abstineat ab actibus prohibitis aliquoties, non idcirco interrumpitur tempus suspensionis. Probatur, quia effectus suspensionis per se non est actualis cessatio ab operibus prohibitis, sed obligatio, qua est astrictus suspensus ab illis abstinere, quia obligatio semper, & continuè obstringit ipsum suspensum; Vnde quoties violat, toties peccat, ergo suspensio semper durat, quantumuis suspensus contra illam agat, & elapso tempore E prӕscripto statim finitur, quia non protrahitur vltra voluntatem suspendentis, à quo absolutè definitum est tempus, quamdiu suspensio perdurare debeat, nec addita est aliqua conditio, vt in casu violationis opus sit coniungere aliud tempus, in quo seruanda sit suspensio ӕquali tempori violationis, prӕsertim cùm aliӕ sint pœnӕ latӕ à Iure contra violantes suspensionem. Quapropter non tenetur suspensus absoluto tempore prӕscripto abstinere ab actibus prohibitis totidiebus, vel mēsibus, quibus illos illicite exercuit, sicut non tenetur restituere, qui ex prӕcepto aliquid facere tenebatur id, quod agere omisit, sicut qui non recitauit horas canonicas hodie, sicut erat obligatus, cras non tenetur illas recitare, nec recitando euitaret peccatum, quod iam commisit omittendo. Similiter qui non ieiunauit in Quadragesima, non tenetur

postea

poſtea ieiunare, vt ſatisfaciat præcepto de ieiunio quadrageſimali. Ratio eſt, quia quando præceptum præſcribit certum, & determinatum tempus, extra illud non obligat, immo nec impleri poteſt, vt attigit Innoc. in cap. 1. de celebr. Miſs. & Sylue. Ver. Ieiunium, §. 22.

Peculiariter tamen annotandum eſt in ſuſpanſione à beneficio, quòd ſi ſuſpenſus durante ſuſpenſione exegit fructus reſpondentes pro aliqua rata tēporis, erit obligatus tranſacto tempore ſuſpenſionis reſtituere

A fructus illos malè perceptos, non ratione ſuſpenſionis violatæ, ſed ex capite iniuſtæ, & illicitæ reſponſionis, ex qua ſemper oritur obligatio ad reſtituendum.

Ex dictis igitur apparet, qua ratione computādum ſit tempus ſuſpenſionis, vnde ſit inchoandū, & quomodo terminādū, quæ intelligēda ſunt de ſuſpēſione lata ad certū, & definitum tēpus, ſuſpenſionem. n ſimpliciter, & abſolutè impoſitam ſine vlla tēporis differentia eatenus perdurare dicendum eſt, quouſque tollatur, ſed quo pacto auferatur, explicabitur plenè Diſp. ſeq.

DISPVTATIO OCTAVA.

DE RELAXATIONE ET ABSOLVTIONE A SVSPENSIONE.



Abſolutio his, quæ ſpectant ad intelligēdam vim, & rationem ſuſpenſionis, & ſpecierum eius, nec non effectuum, & cauſarū, atque ſubiecti, vt initio huius tractationis pollicitus fui, ſupereſt, vt agamus de modis quibus tolli poſſit ſuſpēſio; Cùm enim hæc cenſura, ſeu pœna auferri poſſit, quia fertur ad tempus, vt patet ex eius definitione; Ideo tractandum eſt de modis, quibus illa tollitur, & quoniam ſuſpenſio imponi poteſt in pœnam delicti commiſſi, atque etiam ob contumaciam nolentis parere præcepto Superioris, diſcutiendum erit de modis, quibus vtraque tolli poſſit; Et primo loco dicam in genere de modis varijs auferendi ſuſpenſionem.

CAPVT I.

An & quomodo Suſpenſio legitimè tolli poſſit & debeat.

AVctores omnes in hac concluſione abſque vlla diſcrepantia conueniunt, nempe ſuſpenſionem auferri poſſe; Cuius dicti fundamentum eſt, quoniam ſuſpenſio ex intrinſeca ratione dicit priuationem functionum eccleſiaſticarum ad tempus, & hac in re differt à Depoſitione, quæ imperpetuum infligitur, vt probatum eſt in Diſp. 2. cap. 10. Actus autem ille, quo remouetur ſuſpenſio, ſolet vocari relaxatio, ſeu reuo-

B catio, abſolutio, vel diſpenſatio. Aſſignatur etiam aliqua differentia inter has voces, vt notaui in lib. 4. Diſp. 1. cap. 1. & Felin. in cap. Apoſtolicæ num. 2. de except. inquit abſolutionem propriè vocari cùm quis abſoluitur à cenſura iuſta, vel ad cautelam, ſed vbi cenſura eſt iniuſta, dici relaxationem cap. Odoardus de ſolut. & peculiariter de ſuſpenſione in Iure vſurpatur hoc verbum relaxationis, vt in dicto cap. Apoſtolicæ, vbi de ſuſpenſione habetur. *Sententias ipſas relaxau:mus ad cautelam*, & in cap. Olim de accuſat. ſolet etiam aſſignari alia differētia inter abſolutionem, & relaxationem, quòd abſolutio referatur ad perſonas, relaxatio cùm ſit vniuerſalior reſpicit etiam loca, quæ diuerſitas ſumitur ex cap. Quanquam de cēſ.

C lib. 6. ibi, *Nec ab excommunicatione huiuſmodi abſolutionem, vel interdicto relaxationem obtineat, donec &c.* Quia perſonę excommunicantur, & abſolui dicuntur, & quando interdictum à loco tollitur, potius verbo relaxationis vtimur. Diſpenſatio autem locum habet in ſuſpenſione, quando impoſita eſt ad certum tempus, & illo nondum elapſo Superior ex cauſa illam reuocat, vel etiam vbi ſimpliciter prolata eſt, ſed eadem poteſtate liberat ſubditum. Qua in re differt ſuſpenſio à Depoſitione verbali, quæ ex ſui intrinſeca ratione, vt dixi, eſt perpetua, neque in ea locum habet diſpenſatio; Nam ſolus Papa reſtituit depoſitum, B. Antoni. in 3. par. ſum. tit. 28. cap. 4. prope fi.

Secundò certum eſt apud omnes Doctores excepto

D Decio in capit. primo numero octauo de Iudi. in ſecunda lect. ſuſpenſionem prolatam ad certum tempus elapſo tempore definito ceſſare ipſo facto abſque vlla alia abſolutione, vt docet Gloſ. in capit. Sacro Ver. Per mēſem de ſenten. excommunica. lib. ſexto, & in Clement. prima Ver. Donec de Deci. Innocen. in capit. Cum bonæ, & ibi Abb. numero quinto de ætą. & quali. Et ratio eſt, quoniam quando ſuſpenſio ad hunc modum fertur, propriè non eſt cenſura, vt ad eam tollendam neceſſaria ſit abſolutio, ſed eſt pœna, quæ non tranſgreditur fines imponentis, qui ideo tempus certum definiuit, quoniam iudicauit delictum non eſſe longiori pœna vindicandum.

Varia de hac re exempla proponũtur à Glo. in Clem. A Cupientes Ver. Suspensio de Pœn. Idque verum est, siue suspensio sit à Iure, siue ab homine, vt inquit Felin. in c. 1. nu. 7. de Iudi. Neque necessaria est aliqua declaratio, vt notat Innoc. in cap. Cum bonæ n. 2. Vers. Vbi autem de Aeta. & Quali. & Ripa in c. 1. n. 25. Vers. Secundus casus de Iudi. sed statim elapso tempore in sententia præscripto absque vlla declaratione absolutionis qui suspensus fuerat, remanet ab omni vinculo liber & solutus, quam sententiam Abb. repetit in cap. fin. nu. 4. de Matrim. contract. con. Interd. Eccles. & in cap. Ad aures num 3. de Simon. vbi refert Io. And. & Innoc. & adhæret Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 11. num. 5. de sent. excom. lib. 6. qui alios citat.

Quod non solùm verum est in foro exteriori, sed B multò magis in interiori, quoniam nullo iure obligatur suspensus ad certum tempus transacto tempore præscripto ad nouam licentiam vel declarationem petendam, vt possit licitè exercere functiones officij, vel percipere fructus beneficij, à quibus suspẽsus erat, sed cessante impedimento suspensionis, licitum erit ei exercere, sicut antea officium, aut vti beneficio, & semper poterit in foro exteriori, si ab homine sit suspensus probare apud Iudicem durante tempore suspensionis ab his actibus Ecclesiasticis, quibus priuatus erat, abstinuisse

Tertiò si quis suspendatur sub hac forma, suspendo te ad tempus non explicando certum terminum, sed simpliciter, talis suspensio durabit ad decem annos, il- C lisq; completis cessabit absque alia absolutione, quia lata est in pœnam pro crimine commisso, & vt Felin. tradit in cap. Ex litteris nu. 26. de Constitut. quem sequitur Pet. Foll. in pract. crim. Canon. in 3. par. Iud. c. 33. n. 78. Quando Iudex non declarat pœnam esse perpetuam, neque limitat ad certum tempus, sed simpliciter imponit ad tempus, intelligitur de decem annis, tex. in l. fine præfinito ff. de pœn. Et hæc interpretatio fit, quoties agitur de tempore simpliciter in pęnis, nam in alijs materijs diuersimode explicandum erit, vt Felin. probat loco citato.

Quartò suspensio lata sub hac forma quousq; reuocetur, non tollitur, nisi secuta reuocatione. Et huius dicti ratio est, quoniam ex vi verborum talis senten- D tiæ, necessarium est factum hominis ad illam reuocandam, & ideo morte Iudicis talis suspensio nõ tollitur. Disputant hanc quęstionem Doctores in l. Centesimis §. fin. ff. de verbo. obligat de eo, qui ad confinia damnatus est, & concludunt contra Bart. vt testatur ibi Ias. nu. 16. Morte Iudicis non fieri reuocationem pœnæ, sed perseuerare post mortem. De illo autem, qui fuerit suspensus à Iudice ad beneplacitum suum, vel donec mereatur Indulgentiam, vt in capit. Tam literis de Testib. & in cap. Dilectus de Temp. ordin. vel donec de eo aliter disposuerit, vt in c. Literas eod. tit vel sub alia simili forma, quando à suspensione liberetur, explicaui in Disp. . . . cap. 7.

Quintò si imponatur suspensio pro delicto commis- E so simpliciter, in hoc casu si id fit per sententiam interlocutoriam sine causæ cognitione, durat suspensio, quamdiu Iudex officio fungitur, Abb. in c. Ex literis nu. 10. Felin. num. 33. de Constitut. Suspensus autem per diffinitiuam sententiam perpetuò erit suspensus, Innoc. in c. Cum bonæ de Aeta. & Quali. Felin. in cap. Ex literis nu. 32. de Constitut. Nam suspensio in perpetuum ferri potest, vt sentit Innoc. in cap. Ad hæc n. 4. de Appell. & Bero. in cap. 1. num. 84. de vsu. Quamuis suspensio frequentius sit ad tempus, rarò in perpetuum. Neque tamen perpetua suspensio proprie vim habet priuationis, cum in multis ab ea differat, & inter alia, quia suspensio ex sui ratione est reuocabilis, priuatio autem ordinario Iure non reuocatur, deinde per suspensionem non tollitur officium, vel beneficium sed impeditur tantum vsus, vt tradit Abb. cum Glos. in cap. Cum bonæ nu. 6. de Aeta. & Quali. At per priuationem tollitur penitus officium, & beneficium, quare plurimum inter differunt.

Sextò affirmandum est suspensionem impositam nõ ad certum tempus, sed pro contumacia, vel simpliciter, vel sub conditione ad actum futurum, vt cũ quis suspenditur, donec satisfecerit, vel restituerit, aut simili modo, tamdiu durat, quousq; conditio impleatur, & impleta conditione statim est auferenda, quia hæc est intentio legis, vel Iudicis, & iusta est, censura enim est pœna medicinalis, quæ imponitur, sicut aliæ censuræ, vt quis à contumacia recedat & obediat, quare cùm primum paratus est obedire, & verbis ac signis declarat pœnituisse, & propositum mutasse, non est amplius dicta pœna dignus, an verò ad tollendam huiusmodi suspensionem requiratur aliqua absolutio, vel saltem declaratio, in sequenti Capite explicabo. Et animaduertendum est aliquando hanc conditionem sub intelligendam esse in sententia suspensionis, licèt explicitè non illa exprimatur, vbi scilicet ex materia & fine apparet suspensionem non esse tantum latã in pœnam, sed etiam, vt suspensus recedat à contumacia, & pareat & ita per modũ censuræ, de qua suspensione eodem modo iudicandum est, sicut se haberet conditionem expressam, Innoc. in cap. 1. nu. 3. de excess. Prælat. Abb. in cap. Reprehensibilis n. 4. de Appell. Syluc. Ver. Suspensio §. 4.

Septimò si conditio sit apposita in sententia suspensionis, vt si Iudex dicat, suspendo te ad beneplacitum meum, etiam dicendum est durare illam suspensionem vsque ad purificationem conditionis, & illa expleta cessare, vt probaui supra Disp. . . cap. 7.

Octauò indubitatum est suspensionem simpliciter latam propter delictum absque vlla conditione, vel temporis præscriptione posse per absolutionem auferri, idque probatur ex eo, quia suspensio, vt diximus, ex sua intrinseca ratione non est perpetua positiuè, seu irremissibilis, ergo nihil est, quod repugnet, quò minùs tolli possit, sed non potest auferri ex solo decursu temporis, cùm nullum habeat essentialiter tempus præfixum, ideo per solam absolutionem est relaxanda, de modo, & forma adhibenda in tradenda absolutione, & à quo peti debeat, discutietur inferius.

Hæc omnia absque controuersia admittuntur, sed difficultas est de suspensione imposita sub conditione Donec satisfeceris, vel parueris, vel cessaueris ab actu, an ad eam tollendam necessaria sit absolutio, vel potius absque alia absolutione adhibita satisfactione ipso facto desinat, de qua difficultate nonnulla dixi agens de absolutione ab excommunicatione libro 4. Disput. 1. cap. 1. sed fusiùs illam pertractabo in ordine ad suspensionem in sequenti Capite, vt hæc quæstio, de qua diuersimode loquuntur Doctores, clariùs declaretur.

CAPVT II.

An suspensio lata pro contumacia simpliciter, vel sub aliqua conditione ad tempus indefinitum, nempe donec satisfecerit, satisfactione exhibita ipso facto intelligatur sublata, vel ad eam tollendam necessaria sit absolutio.

HAec quæstio locum habet tantummodo, si loquamur de suspensione, quæ fertur ob contumaciã, sub qua ratione est species censuræ, & respirit delictũ futurum, suspensio enim, quæ imponitur in pœnam pro delicto commisso, cessat absque alia absolutione, sicut aliæ pœnæ duobus autem modis intelligi potest, cùm dicimus suspensionem, vel aliam pœnam ferri ob contumaciam, vt notauit Abb. in cap. Ex literis num. 10. Vers. Secundo casu principali de Constitut. Vno modo vt contumacia habeat rationem delicti specifici, sicut si puniatur Clericus, qui fuit contumax nõ residendo in suo beneficio, c. Ex tuæ de Cleri. non resid. Tunc autem pœna maior vel minor commensurari debet iuxta maiorẽ aut minorem cõtumaciam commissam, vt habetur in d. c. Ex tuæ, & statutũ fuit in Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. de Reform. & sess. 23. c. 5. Alio modo dicitur imponi suspensio ob contumaciam, quę ortum habeat ex præterito delicto cum continua successione in futurum, idest quamdiu contumacia perseuerauerit, & in hoc sensu discutitur hoc in loco quæstio proposita.

Potest autem suspensus hoc posteriori modo ob cõtumaciam iterum duobus modis considerari, primo antequam recesserit ab ea, & præcepto Superioris nõ pareat, & in hoc sensu regulariter certum est non esse concedendam absolutionẽ ab huiusmodi suspensione, cederet enim in detrimentum boni publici, & in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, nisi in aliquo casu particulari Superior aliud expedire iudicaret põderatis circunstantijs loci, temporis, personæ, & facti. Verũ quamuis tunc non esset impendenda absolutio, si tamen concederetur ab habente iurisdictionem, absolutio esset valida & tolleret suspensionem, licet Superior illam tradens, reus esset culpæ c. Venerabilibus §. Sanè in fi. cum Glos. Ver. Competit de sent. excom. lib. 6. Secundo modo considerari potest suspensus ob contumaciam, postquam recessit à contumacia, & præstitit dignam satisfactionem, & hic est sensus quæstionis, de quo modo agimus, vtrum in hoc casu sit necessaria absolutio, vel sufficiat præstitisse congruam satisfactionem, qua posita suspensus ipso facto seu iure sit absolutus.

In qua difficultate est opinio multorum, & videtur communior, asserentium suspensionem, pro contumacia impositam ad tempus indefinitum, vel simpliciter, vel cum conditione donec satisfecerit, vel simili recedente contumacia, vel impleta conditione ipso facto auferri absque alia absolutione.

Quam sententiam confirmant primò ex Glos. in pluribus locis, & præter alia in c. Nullus Missam Ver. Andiat dist. 32. & in cap. Si qui sunt 81. dist. Clerici in fornicatione iacentes suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, donec pœniteant, & Glos. ibi Ver. Emendent, inquit, *Ex hoc videtur, quòd sicut tales ipso facto suspenduntur, sic ipso facto per contrarium restituitur eis officium.* Facit cap. Presbyter si à plebe 2. q. 5. ibi, *Suspendatur vsq; ad dignam satisfactionem.* Idem repetit Glos. in c. Quia sæpe Ver. Donec de elect. lib. 6. & in c. fin. Ver. Quousque de off. ordin. eod. lib. In c. Exigit Ver. Quo-

A vsque de Censi. eod. lib. in cap. Non est vobis Ver. Donec ibi fuerit de sponsal. & in cap. Cum tu Ver. Donec de vsur. & in alijs locis.

Huic opinioni, quam sequitur Glos. videntur adhęre Docto. Innoc. in cap. Sicut de cohab. Cleri. & Mulie. vbi affirmat suspensum vsque ad congruam satisfactionem quamprimum satisfecerit, officium & beneficium recuperare, nisi aliud impediat, puta quòd delictum sit manifestum, vel alia intercedat necessaria causa, cuius gratia requiratur dispensatio c. Ex tenore de Tempor. ordin. licèt oppositum sentiat in c. Cũ bonæ de Aeta. & Quali. Cum Innoc. idem tenet Abb. in c. 1. num. 6. & Felin. n. 7. Ripa n. 25. de Iudi. Idem Abb. in c. Cum bonæ nu. 5. de Aeta. & Quali. In c. Ad aures n. 3. de Simon. in c. Cum tu n. 6. de vsur. in cap.
B Non est n. 7. de sponsal. & in c. fin. num. 4. de Matrim. contra. contra Interd. Eccles. Anchar. in c. Quia sæpe n. 7. & Gemin. nu. 17. de elect. lib. 6. & idem in c. Exigit de Censi. eod. lib. Felin. in c. Ex literis n. 36. de Constit. Sylue. Ver. suspensio §. 8. & Ver. Interdictum 3. §. 13. Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 161. Vers. Sextò dico, in fi. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 11. nu. 5. & in Epitom. in 4. lib. Decretal. 2. par. cap. 6. in princ. num. 15. & 16. Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 46.

Hanc conclusionem confirmant ratione, quoniam suspensio ita lata sub conditione æquiparatur suspensioni impositæ ad certum tempus idem enim est limitare tempus sub præfixo dierum numero aut mẽsium,
C vel sub certa conditione, quæ licèt non determinet tẽpus præcisè, tamen impleta conditione tempus intentum à Iudice finitur. Simili modo si non apponatur explicitè conditio, sed feratur suspensio in contumaciam, continetur virtute conditio seu limitatio, donec à contumacia recesserit, vt probatur in c. Ex literis de Constit. ergo expleta illa conditione absoluitur tempus, pro quo suspensio lata fuerat, ergo cessat ipso Iure absque alia absolutione, quia cessante causa debet cessare effectus. Vnde in dicto c. Ex literis, quia cessauerat contumacia mandat Pontifex, vt qui ab Actibus Magisterij suspensus erat, ad eosdem admittatur, nulla facta mentione de absolutione.

D Vt autem hi Doctores effugiãt argumentum, quod contra hanc opinionem obijci posset, sumptum ab ipsa excommunicatione, distinguunt ex hac parte præter alias differentias suspensionem ab ipsa excommunicatione, nam excommunicatio non solùm simpliciter lata, sed etiam sub conditione, donec satisfecerit, non relaxatur absque absolutione etiam elapso tempore, vel secuta satisfactione, vt notat Glos. in Clem. 1. Ver. Donec de Dedi. & ibi plenè Card. nu. 26. secus suspensio, quæ siue sit à Iure siue ab homine transacto tempore præscripto, vel expleta cõditione eo ipso tollitur, & sine vlla absolutione suspensus celebrare poterit absque periculo Irregularitatis, vt tradit Felin. in c. 1. n. 7. de Indi.

E Quòd si contra hanc differentiam opponatur Glos. in c. fi. Ver. Donec separentur de Matrim. contra. con. Interd. Eccles. Vbi explicans tex. in quo infligitur excommunicatio cum conditione, donec satisfecerit, inquit sentẽtiam illam excommunicationis esse ad tempus prolatam, & idcirco tolli etiam ex tempore absque alia absolutione, licèt addat, tutiùs esse, vt recipiatur absolutio, ergo non requiritur necessario.

Responderi potest non esse hac in re sentiendum cum Glos. quia non solùm tutius, sed necessarium est, vt excommunicatus ad tempus certum, vel cum conditione, quousque satisfecerit, transacto tempore aut

ſecuta ſatisfactione abſolutionem recipiat, ſi liber eſſe velit ab excommunicatione, cap. Cum deſideres, & c. A nobis 2. de ſent. excom. & ita inquit Gloſ. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. & ibi Card. num. 26. & ita tenet Io. And. in dicto c. fin. & Abb. num. 4. de Matrim. contra. con. Interd. Eccleſ. & Sylue. Ver. Interdictum 3. §. 13. quamuis dicat aliquos dubitare de excommunicatione lata à Papa ad tempus, tamen tenendum eſse ait requiri abſolutionem, niſi apertè conſtet de voluntate Papæ intendentis velle eſſe abſolutum, quẽ antea excommunicauerat, citat Anton. & Panor. ſed Felin. in cap. 1. num. 6. de Iudi. vtramque partem affirmat.

Si quis quærat ab Auctoribus huius opinionis rationem huius diuerſitatis inter excommunicationem & ſuſpenſionem, diuerſi diuerſas rationes afferunt. Hoſt. in c. fin. de maio. & obed. citatus à Cardin. in dicta Clemen. 1. n. 26. de Deci. cenſet cauſam huius differentiæ eſſe, quoniam ad tollendam excommunicationem præſcripta eſt ab ipſo Iure forma quædam peculiaris, vt in cap. Cum deſideres, & in cap. A nobis 2. ſent. excom. Sed ad relaxandam ſententiam ſuſpenſionis, aut Interdicti non requiritur forma ſolemnis verborum, ſed ſufficit, vt Iudex dicat, abſoluo, vel relaxo; Eandem rationem refert Sylue. Ver. Interdictum 3. §. 13. Abb. in cap. fin. nu. 4. de matrim. contra. con. Interd. Eccleſ.

Sed hæc ratio non videtur ſatisfacere, nam excommunicatio quoque tollitur, ſi Superior dicat, abſoluo te, ſicut enim, vt inquit Specul. de ſenten. prolat. §. vt autem Verſ. Porrò, & Verſ. ſeq. in excommunicatione tradenda debet ſeruari forma deſcripta in cap. Nemo 11. quæſt. 3. & c. Debent ead. cau. & quæſt. & cap. Sacro de ſent. excom. & tamen tali forma omiſſa, adhuc tenet excommunicatio cap. 1. §. ſic ergò 11. q. 3. Eodem modo licèt abſolutio habeat ſuam formam, valet tamen, ſi detur non ſeruata tali forma, quia par eſt poteſtas ligandi & ſoluendi c. Quomodo 11. q. 3. cap. Verbum de pœnit. diſt. 1.

Alij dicunt ſententiam excommunicationis idcirco indigere abſolutione, quia ſtatim trahit ſecum ſuã executionem, & ideo dici ſolet excommunicationem ſuſpendi non poſſe in c. Sacro de ſent. excom. Gloſ. in in cap. 1. Ver. Interdicti quod me. cau. lib. 6. Non ſit ſuſpenſio, quæ per Iudicem ſuſpendi poteſt.

Sed hęc ratio ſupponit falſum, nempe ſuſpenſionem non trahere ſecum executionem, ſicut trahit excommunicatio, quod ſine fundamento aſſeritur, cùm ſit ſpecies Cenſuræ, ſicut excommunicatio, vt in c. Quærenti de verb. ſignif. & non impediatur per appellationem ſequentem, vt probatum eſt ſupra.

Alij putant rationem huius differentiæ eſſe, quia per excommunicationem eijcitur excommunicatus extra Eccleſiæ communionem cap. Qui meritò, & c. Omnis Chriſtianus 11. q. 3. Quare ſicut Infidelis ab initio in Eccleſiam recipi non poteſt, & inter alios Chriſtianos aſcribi ſine opera Miniſtri cap. Debitum de Baptiſmo, ita ab ea excluſus per excommunicationem in eandem denuo recipi non debet, niſi auctoritate Miniſtri. Et quia hęc ratio in ſuſpenſione & Interdicto ceſſat, quia per has cenſuras non expellitur homo extra Eccleſiæ communionem, idcirco obſtricti huiuſmodi cenſuris præſtita ſatisfactione remanent liberi à vinculo illarum & ſoluti abſque alia abſolutione Superioris.

Hæc ratio licèt prima facie videatur apparens, & probabilis, tamen, ſi rectè conſideretur, non poteſt

A aptari propoſitæ difficultati, quia per excommunicationem nõ eijcitur quis ab Eccleſia, vt non ſit amplius Chriſtianus, ſed tantum, vt careat ſuffragijs Eccleſiæ, & communione fidelium, & ideo remanet in Eccleſia non merito, vt loquuntur Theologi. Semel enim admittitur homo in Eccleſiam per Baptiſmum accipiens characterem indelebilem, quem ſibi ipſi imprimere nõ poteſt, ſed requiritur diſtinctio inter Baptizantem, & Baptizatum, vt dicitur in dicto cap. Debitum de Baptiſmo. Quamobrem & ſi per excommunicationem excludatur à ſuffragijs Eccleſiæ ob contumaciam, non neceſſe eſt propterea, niſi alia cauſa aſſignetur, vt recedente contumacia, ſi parere velit, non poſſit reddi capax ſuffragiorum abſque alia abſolutione, & certè
B nulla videtur ratio probabilis poſſe tradi, cur excommunicatio impleta conditione, vel elapſo tempore indigeat abſolutione, non autem ſuſpenſio, & Interdictum vt probaui lib 4. Diſput. 1. cap. 1. Confirmatur, quia ſæpe per excommunicationem eijcitur homo ab Eccleſia per ſententiam generalem, & conditionatam, nempe ſi hoc feceris, excommunico te, ergo ſimilis reſtitutio Eccleſiæ ſufficere poſſet per ſententiam generalem, vel conditionatam incluſam in ipſa Cenſura pro contumacia lata ſub illis verbis excommunico te, donec ſatisfacias, atque ita nullum eſſet diſcrimen inter excommunicationem, & ſuſpenſionem.

Eſt igitur ſecunda opinio aliorum aſſerentium ad
C tollendam ſuſpenſionem etiam ceſſante contumacia neceſſariam eſſe abſolutionem, ita tenet Innoc. in cap. Ex literis de Conſtit. & expreſsè in cap. Cum bonæ de Aeta. & Quali. Gloſ. in capit. Si quorundam Ver. Suſpenſum de ſolut. Ripa in cap. 1. n. 5. de Iud. & ibi Dec. num. 8. in 2. lect. Card. in Clement. 1. num. 26. de Deci. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam ad rationem intrinſecam Cenſuræ pertinet, vt non tollatur, niſi per abſolutionem Superioris auctoritatem habentis. Quare cum ſuſpenſio lata pro contumacia ſit propriè cenſura, non poterit auferri, niſi per abſolutionem Superioris. Confirmatur, excommunicatio minor, ſicut modò eſt in vſu in Eccleſia, non tollitur, niſi per abſolutionem, quamuis non eijciat ho-
D minem ab Eccleſia, ergo neceſſitas abſolutionis ad tollendam excommunicationem non oritur ex hac cauſa, vt dicunt Doctores prioris opinionis, ſed ex generali ratione Cenſuræ, quæ ab ipſa inſtitutione accepit hanc vim, vt auferri nequeat abſque abſolutione, quare hoc conuenit etiam ſuſpenſioni, immo ſi de aliqua cenſura veriſimiliter ex coniecturis perſuadẽdum eſſet ceſſante contumacia abſque alia hominis abſolutione ipſo iure auferri poſſe, maximè de excommunicatione id affirmãdum foret, quæ nocumentum ſpirituale maius animæ infert, & idcirco faciliorem viam, & modum abſolutionis poſtulare videretur, quare cùm de excommunicatione id ſtatutum non
E fuerit, minus quoq; de alijs Cenſuris diſpoſitum fuiſſe credendum eſt,

Hæc ſecunda ſententia mihi videtur probabilior propter rationes allatas, quia re vera non poſſum excogitare rationem congruam, cur in excommunicatione non ſufficiat receſſus à contumacia, ſed requiratur abſolutio, in ſuſpenſione verò poſt receſſum à cõtumacia ſtatim ſine vlla abſolutione ceſſet ipſa cenſura, vt dixi agens de abſolutione ab excommunicatione lib. 4. Diſp. 1. cap. 1.

Quare pro ſolutione propoſitæ quæſtionis reſpondendum eſſe putarem.

Pri-

Primò si loquamur de suspensione lata simpliciter, & absolutè ob contumaciam hanc censuram non auferri, quantumuis suspensus resipiscat, à contumacia recedens, & Superiori pareat, nisi accedente hominis auctoritatem habentis absolutione, sicut in excommunicatione.

Probatur primò, quoniam nullibi reperitur definitum in Iure oppositum potiùs de suspensione, quàm de excommunicatione. Nam primò pro contraria sententia proponitur cap. Ex literis de Constit. ibi, *Vt is qui propter contumaciam communione priuatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit restitutionem obtineat.* Ex quibus verbis colligunt Doctores pœnam impositam ob contumaciam esse temporalem, non perpetuam, & cessare contumacia cessante, sed ex hoc tex. nihil probatur contra conclusionem, tum quia non constat Summum Pontificem ibi loqui de suspensione, nam agit solùm de priuatione à communione, quibus verbis non solet significari suspensio, tum quia Summus Pontifex non affirmat talem communione priuatum post exhibitam satisfactionem ipso iure restitutum esse, sed esse restituendum; Atque ita dictum Summi Pontificis intelligi potest de restitutione obtinenda mediante absolutione. Immo si sermo ibi esset de pœna excommunicationis, ita interpretandum esset, quod confirmari potest ex cap. Super eo de sent. excom. vbi vtraque censura exprimitur, excommunicatio scilicet, & suspensio, & Summus Pontifex scribens Legato suo; inquit *Ipsos*, idest excommunicatos, & suspensos, de quibus agit, *Hac vice cum promissione poteris recipere manuali*, subintelligi debet, per absolutionem, quamuis de ea nihil dicat, excommunicatio enim non reuocatur absque absolutione, & idem sentiendum est de suspensione, nam sub eadem clausula, & sub eodem verbo vtraque censura comprehenditur.

Secundò pro contraria opinione citatur cap. Presbyter si à plebe 2. q. 5. Vbi Presbyter mala opinione infamatus à plebe sibi commissa, si Episcopus crimen probare non possit per testes, debet illum suspendere vsque ad dignam satisfactionem, sed ex hoc textu nihil probatur contra conclusionem, quoniam ibi non est sermo de suspensione ob contumaciam, de quo modò tractamus, sed de suspensione lata ob crimen, quod afferebat infamiam, & satisfactio, quæ requiritur, non est recessus à contumacia, sed est legitima purgatio, quæ fieri debet infra tempus ab Episcopo præfixum præstito iuramento per accusatum, quòd delictum sibi illatum non perpetrauit, sicut in eodem textu declaratur. Accedit, quòd ibi non excluditur absolutio, sicut enim illa suspensio, quæ ferenda erat ab homine, non est lata ab ipso Iure, ita intelligi potest post legitimam satisfactionem recipiendam esse absolutionem ab homine.

Tertiò pro contraria opinione dicitur in Iure cautum fuisse expresse excommunicationē nunquam reuocari posse absque legitima absolutione Superioris, vt in cap. A nobis 2. cap. quod in dubijs, c. Cùm desideres de sent. excom. De suspensione autem nullibi id definitum reperimus. Hinc probabile argumentum sumitur, hoc esse speciale in excommunicatione, neque ad suspensionem extendi debere, præsertim quoniam in cap. Qua fronte de Appella. Vbi sermo habetur de excommunicatione, & interdicto, & statuitur absolutionē præstandam esse ab illis duabus Censuris sub cautione iuratoria non obstante partis contradictione, vel appellatione. De suspensione autem nihil dicitur; Respôdeo ex his nihil concludi contra conclusionem, quoniam non omnia, quę expressius, & clarius statuuntur in Iure de excommunicatione, ita propriè, & peculiariter ei conueniunt, vt alijs censuris minimè competant, vt patet ex ipso titulo de sent. excom. sub quo includuntur aliæ Censuræ, sed nominatur excommunicatio, tanquam species præcipua, & quæ maiora damna, & incommoda spiritualia affert, & magis est in vsu, & tam Clericis, quàm Laicis imponitur. Ad cap. Qua fronte de Appella. responderi potest primò, ob eam causam fortassè ibi mentionem fieri tantùm de excommunicatione & interdicto, non de suspensione, quoniam suspensio non imponitur tantùm ob contumaciam, sed etiam in pœnam delicti, & hac ratione non indiget absolutione. Secundò dici potest, quoad illum effectum obtinendi absolutionem appellante, & contradicente parte non esse similem rationem de suspensione, quæ est de excommunicatione, & interdicto, nam absolutio suspensionis, quæ priuat solùm functionibus Ecclesiasticis proprijs Clericorum non est adeò necessaria ad salutem animæ, sicut absolutio ab excommunicatione, vel interdicto.

Secundò eadem conclusio probatur ratione, si recedente contumacia non esset necessaria absolutio ad tollendam suspensionem, nunquam opus esset absolutione, vt tolleretur suspensio, quod absurdum est asserere; Nam vel suspensus recessit à contumacia, & iam censetur absolutus ex contraria opinione, vel obsurdescit in contumacia, quo casu indignus est, vt absoluatur.

Si dicas necessariam esse absolutionem, quando quis obdurescit in contumacia, hoc temere asseritur, quia vel in illo casu non iustè impenditur absolutio, vel raro, & ex vrgentissima causa id contingere potest, sed omnes censent talem absolutionem frequenter, & iustè requiri; Ideo hæc instantia non obstat. Accedit, quòd licèt non recedens à contumacia possit absolui ab eo, qui suspensionem tulit ipso Iure, vel à Superiore, hæc tamen potestas non conuenit inferiori, sed Doctores communiter tradunt hanc suspensionem auferri posse ab Ordinario per absolutionem, si sit à Iure, & non sit reseruata, ergo recedente contumacia non est ipso facto sublata.

Si dicas secundo non esse necessariam absolutionem simpliciter à suspensione, sed requiri absolutionem ad cautelam, & hanc concedi posse ab Ordinario, cuius absolutionis mentio habetur in cap. Venerabili de sentent. excommunicat. Neque hoc tollit vim argumenti; Quia absolutio ad cautelam non datur, nisi vbi quis recessit à contumacia, non enim vocatur absolutio ad cautelam, quia impendi debeat contumaci, sed quia datur à censura, de cuius iustitia, & validitate dubitatur, ad maiorem cautionem. Adde hanc instantiam solùm posse locum habere in foro exteriori, non autem in foro interiori; In quo dubitari nequit, An suspensio cessauerit, si reuera cessat sublata contumacia.

Nam in foro interiori absque vlla ambiguitate constare potest, an contumacia cessauerit, nec ne, & tamen frequentissimo vsu receptum est, vt absolutio à suspensione in foro Pœnitentiæ impendatur sub illa conditione. *Absoluo te à quocunque vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si indiges*, quæ est absolutio ad cautelam, ergo hæc suspensio non tollitur per solàm resipiscentiam.

Tertiò probatur conclusio; nam aliquando absolutio ab hac suspensione lata ob contumaciam reseruatur Superiori, ergo signum est hanc suspensionem non posse tolli sine absolutione, quia reseruatio adiuncta non mutat conditionem Censuræ, sed limitat tantùm potestatem absoluendi.

Secundò ad propositam quæstionem dico, si tractetur de suspensione lata ob contumaciam, non simpliciter, & absolutè, de qua modò egi, sed cum expressa conditione, donec resipiscat, satisfaciat, restituat, vel aliud simile, hanc suspensionem non tolli secuta etiam & impleta cōditione apposita, nisi per absolutionem, vel saltem per declarationem, quòd suspensus plenè impleuerit ipsam conditionem.

Explico, sententia suspensionis ob contumaciam prolata non reuocatur absque absolutione, vt probaui. Verùm quia talis suspensio potest duobus modis pronunciari, scilicet vel simpliciter, & absolutè, de qua hactenus locutus sum, vel cum aliqua conditione adiecta, scilicet donec satisfeceris, parueris, vel alia simili, vt suspensio primo modo imposita tollatur, requiritur recessus à contumacia, vt probatum est; sed non sufficit, sed est necessaria absolutio Superioris; An verò ad reuocandam suspensionem pro latam cum conditione expressa; Donec satisfecerit suspensus, sit necessaria absolutio, vel sufficiat declaratio, quod reuera suspensus satisfecerit, controuersia est apud Doctores. Communis opinio est requiri solummodo declarationem, & idcirco dixi in Conclusione hanc suspensionem non tolli, nisi per absolutionem, vel saltem declarationem, non quia censeam in hoc casu tolli suspensionem sine absolutione, quod iuxta sententiam, quam sequor tanquam probabiliorem falsum esse puto, quia censura non tollitur absque absolutione, sed potius quoniam existimo non esse necessariam nouam absolutionem, sed sufficere illam, quæ simul datur cum ipsa sententia suspensionis sub conditione tamen de futuro, & ideo non operatur effectum à principio, cùm suspensio imponitur, quia non est expleta conditio, posita verò conditione, nimirum satisfactione sufficiente, statim sortitur effectum suum; Atque ita sine noua absolutione tollitur quidem suspensio, non tamen omnino sine absolutione, nec ex vi solius satisfactionis, sed virtute absolutionis conditionatæ prius concessæ, quæ posita conditione transit in absolutam.

Nec est inconueniens, vt detur absolutio sub conditione de qua dixi in materia de excommunicatione sicut potest sententia excommunicationis ferri sub conditione futura, vt dicitur in cap. ex literis. & ibi Glos. Ver. Donec causa ipsa de matri. contra. con. Interd. Eccles.

Vnde Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. nu. 15. concludit nullum reperiri discrimen inter excommunicationem, & suspensionem latam sub ea conditione, sed certum est excommunicationem non posse relaxari absque absolutione, ergo idem asserendum est de suspensione, licet quantum ad excommunicationem hæc sententia Couar. sit singularis, quod non requiratur noua absolutio præter illam conditionatam positam in sententia excommunicationis, & oppositum sentiant omnes, immo ipsemet aliter docuerit in 4. lib. Decretalium 2. par. cap. 6. num. 16. Nempe non sufficere absolutionem illam conditionatam, quæ virtute continetur à principio in sententia excommunicationis, ad tollendam ipsam excommunicationem; De qua re tractaui in lib. 4. Disp. 1. cap. 1. Sed quoad suspensionem probabilius affirmari posse videtur non esse necessariam nouam absolutionem, sed sufficere illam primam conditionatam, requiri tamen declarationem de satisfactione præmissa, tum quia absolutio à suspensione non est ita necessaria ad salutem spiritualem animæ, sicut est absolutio ab excommunicatione, quæ priuat suffragijs Ecclesiæ, & receptione Sacramentorum: Tum etiam quoniam id communi consensu ab omnibus Canonistis asseritur, à quibus Theologi non dissentiunt; & ab hac communi opinione discedere absurdum videtur.

In primis ita loquitur Glos. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. vbi contra Innoc. qui in cap. Cum bonæ de æta. & qualit. dixerat ad tollendam huiusmodi suspensionem necessariam esse absolutionem, quia dubitari potest, an debita satisfactio sit exhibita, censet sufficere declarationem Iudicis super satisfactione sine alia absolutione, secus in excommunicatione, quæ nō tollitur etiam post satisfactionē sine absolutione Card. in dicta Clem. n. 26. Idem notat Abb. ex sent. Io. And. in cap. Cum bonæ num. 5. de æta. & quali. qui distinguit ipsam satisfactionem. Aliqua enim requiritur præstanda ab ipso suspenso in Iudicio, & idcirco vocatur iudicialis, vt si Iudex suspendat aliquem, donec compareat coram ipso, vel donec respondeat libello, aut positioni; Tunc autem cùm primùm se præsentauerit, aut responderit, cessat suspensio, nec expectanda est alia absolutio, vel declaratio, quia in hoc casu nō potest dubitari de ipsa satisfactione, nisi aliud extiterit impedimentum, vt crimen esset notorium, & manifestum, vel causa, propter quam lata esset suspensio egeret alia dispensatione.

Aliqua potest esse satisfactio posita in sententia suspensionis, quæ extraiudicialiter requiritur ab ipso suspenso, de cuius executione meritò dubitari potest, & in hoc casu sufficit declaratio Iudicis super satisfactione sine alia absolutione, Abb. in cap. cum tu n. 26. de vsur. Felin. in cap. 1. num. 7. de Iudi. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 11. num. 5. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 26. in princ.

Sed contra obijci potest, quoniam nō videtur posse assignari diuersam rationem inter suspensionē latam ob contumaciam simpliciter, & illam, quæ imponitur cum expressa conditione; Donec resipiscat, aut satisfaciat; illa enim conditio virtute includitur in quacunque suspensione lata ob contumaciam, quare si suspensio, quę fertur simpliciter, tolli nequit sine absolutione, vt conclusum est supra, minus quoque reuocabitur sine noua absolutione suspensio lata sub prædicta conditione expressa, vel si ad hanc tollendam sufficit declaratio sine alia absolutione, satis quoque erit huiusmodi declaratio ad reuocandam eam suspensionem, quæ simpliciter fertur.

Respondeo verum esse in quacunque suspēsione ob contumaciam contineri conditionem; Donec resipiscat, quod commune est omni Censuræ, quoniam non sunt simpliciter pœnæ, sed medicinales institutæ ab Ecclesia ad coercendam contumaciam, & inobedientiam eorum, qui parere recusant; Hinc sequitur tollendam esse censuram, quoties qui ea obstrictus est, resipiscens à contumacia paratus est obedire, quia censura ex sui ratione intrinseca non est pœna æterna, sed temporalis, vt inquit Felin. in cap. Ex literis num. 36. & Dec. num. 16 vers. Quarta conclusio de Constitut. Igitur loquendo de suspēsione, in qua versamur, omnis suspensio pro contumacia continet illam conditionem, quousq; resipiscat, vnde inferri potest recedente

con-

contumacia suspensionem quomodolibet latam auferendam esse per absolutionem. Hæc tamen est differentia, quando fertur simpliciter, vel sub dicta expressa conditione, vt priori modo non reuocetur, nisi post exhibitam satisfactionem accedat absolutio Superioris, à quo tradenda est absolutio, posteriori autem modo, quia Superior in ferendo censuram simul etiam expressè tradidit absolutionem conditionatam, vt dixi, quæ purificata conditione euadit absoluta, & consequenter vim habet tollendi suspensionem, idcirco non requiritur alia absolutio, sed sufficit declaratio de præstita satisfactione modo explicato.

CAPVT III.

Quibus competat facultas absoluendi à Suspensione.

Suspensio vel lata est à Iure, vel ab Homine, vel est temporalis vel perpetua, vt dictum est, vel propter delictum, aut pro contumacia. Quare tractandum est de ijs, quibus inest facultas absoluendi à suspensione, quomodocunque lata sit.

Potest autem suspensio tolli vel potestate ordinaria vel delegata quia hæc iurisdictio delegabilis est c. Pastoralis §. Preterea de off. ordi. & in c. Si Episcopus ante 11. q. 3. Nam qui censuram imponit non solùm per se ipsum, sed etiam per alium potest absolutionem conferre, si tamen ita iurisdictionem habeat, vt valeat eam delegare, non enim omnes, qui iurisdictionē habent, possunt illam alteri committere, sed tantum illi, qui funguntur ordinaria iurisdictione ratione officij, vel cum potestate subdelegandi, de potestate delegata nihil est dicendum hoc in loco, quia pendet ex voluntate Delegantis, & quæ proponi possent, declaraui in materia de Absolutione ab excommunicatione, communia enim sunt in ordine ad omnem censuram, quare de sola ordinaria iurisdictione tractandum est.

Sit igitur prima conclusio, suspensionem latam ab homine in puram pœnam, siue sit temporalis siue perpetua, tollere potest ille, qui eā imposuit, aut eius successor in officio, vel Superior, sicut dictum est de excommunicatione.

Ita tenet Henric. Boic. in c. Clerici num. 6. de Cleric. excom. Min. Archid. dist. 17. in Summa, Io. And. in cap. Ex frequentibus de Institut. Abb. in cap. Tam literis num. 3. in fi. de Testib. Angel. Ver. Suspensio 4. nom. 1. Sylue. Ver. Suspensio §. 8. prope finem, B. Antoni. 3. par. tit. 28. de suspensione cap. 4. in fi. Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 7. art. 3. conclus. 11. Nauar. in Manu. cap. 27 nu. 162. Vers. A Iure, Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 46. Vers. Dico primò.

Ad hanc conclusionem confirmandam facit capit. Cum ab Ecclesiarum in fi. de off. ordi. vbi mandat Sūmus Pontifex, vt sententia per Prælatum inferiorem lata non relaxetur sine eius consensu, & Glos. ibi Ver. Non relaxes, inquit Episcopum posse validè relaxare huiusmodi sententiam, sed non debere, quamuis subditus apud ipsum conqueratur de Prælato inferiori, sed ad ipsam pertinere remittere reum ad suum Iudicem nisi periculum instaret ex mora, & cap Si Petrus 24. q. 1. *Ille enim condemnat, qui absoluit, quoniam ligandi, & soluendi idem adeptus est potestatem*, & cap. Verbum de Pœnit. dist. 1. *Dominus par ui & soluendi esse voluit & ligandi*, & in cap. Inferior dist. 21. *Inferior Sedes Superiorem absoluere non potest sola, ergo potius inferiorem conuenienter absoluit*, vbi Glos. Ver. Inferior, proponit tres regulas, quæ faciunt ad hanc rem cum suis limitationibus, & illas declarat. Ille igitur, qui tulit sententiam suspensionis, absoluere potest vel eius successor in officio, & Superior etiam, quamuis regulariter non debeat vti hac facultate, nisi ex consensu ipsius Inferioris, vt notat Glos. in dicto capit. Cum ab Ecclesiarum Ver. Non relaxes de off. ordi. & potius debet delinquentem remittere ad eum, qui suspensionem imposuit cap. Ad reprimendam de off. ordi. Excipitur tamen Summus Pontifex, qui irrequisito Inferiore tanquam Pastor vniuersalis Ecclesiæ, si iudicat expedire, absoluere potest.

Sylue. tamen, Ver. Suspensio in dicto §. 8. in fi. Vers. Quod tamen aliquando, & Angel. Suspensio 4. nu. 3. excipiunt duos casus, in quibus suspensus restitui nequit ab eo, qui sententiam tulit, sed solum restituendus est à Papa. Primus est, si Clerici, vel Regulares suspendantur ab officijs per suum Ordinarium ob eam causam, quòd Sacramenta administrauerint Hæreticis, aut post mortem eorum cadauera sepulturæ tradiderint, aut ab eis eleemosynas, vel oblationes receperint. Ita definitum habetur in cap. Excommunicamus 1. §. Credentes in fi. De Hæret. Vbi de huiusmodi delinquentibus statutum est; *Alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque Indulto Sedis Apostolicæ speciali*; Vbi Glos. Ver. Apostolicæ inquit Papam reseruasse sibi talium delinquentium absolutionem, seu restitutionem, & ideo alijs prohibuisse hanc facultatem, sicut è conuerso, quando non reseruat, alijs indulgere videtur cap. Nuper de sent. excommunic.

Secundus casus, si quis per Concilium Prouinciale suspensus est, quia post secundam correctionem adhuc confert beneficia indignis; talis est absoluendus à proprio Patriarcha, si sub eius iurisdictione sit, alioquin reseruatur Papæ absolutio cap. Graue de Præben. Vbi in fin. de tali Suspensione lata contra Ordinarium à Concilio ita dicitur; *Vt autem hæc salubris prouisio pleniorem consequatur effectum, huiusmodi suspensionis sententia præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur.*

Sed Nauar. dicto num 162. Vers Malè autem, censet non opus esse huiusmodi exceptiones, seu limitationes addere ad regulam propositam; Nam prima limitatio ex cap. Excommunicamus De Hæret. non facit ad rem, quia conclusio loquitur de suspensione ab officio, & Tex de priuatione ab officio: Priuatus enim restituitur à solo Papa, sicut depositus, vel Degradatus, qui non potest restitui ab Episcopo degradante cap. Ex tuæ De Cleri. non resid. Sylue. & communiter Summistæ Ver. Degradatio. Secunda verò limitatio, inquit Nauar. imponitur in pœnam, non in contumaciam, & ideo non est deducenda ex conclusione, sed ob hanc ipsam causam dicendum est esse veram exceptionem conclusionis propositæ, quæ vniuersaliter affirmat suspensionem latam ab homine per sententiam in pœnam pro delicto, tolli posse tantummodo per eundem, qui suspendit, vel Superiorem, aut Successorem. Quare casus dicti c. Graue De Præben. Quicquid dicat Nauar. est exceptio huius conclusionis, quando Ordinarius Suspensus est à Concilio, quia post secundam monitionem persistit in praua consuetudine conferendi beneficia indignis, talis enim non potest restitui nisi à Papa, vel proprio Patriarcha. Hęc sufficiunt breuiter tacta de eo, qui potest absoluere à suspensione lata per sententiam hominis generalem,

seu

seu particularem, fusius enim egi de eo, qui potest absoluere ab excommunicatione hominis in tractatione de absolutione ab Excommunicatione, & illa omnia aptari possunt in ordine ad absoluentem à Suspensione.

Secunda Conclusio, si sermo sit de Suspensione Iuris lata in poenam propter delictum, siue perpetua, siue ad certum tempus; Illam ante tempus elapsum ab Auctore Canonis solum dimitti posse.

Colligitur ex Glos. in capit. Cupientes vltra med. Vers. Cæterum si eligentes Ver. Suspensos de Elect. lib. 6. dicens Episcopum taliter suspensos absoluere non posse ex cap. Tam literis in fin. De testib. ibi, *Ab officio, & beneficio denuncietis esse suspensos, donec mereantur nostram indulgentiam obtinere*. Ex quibus verbis infert Abb. nu. 3. suspensum auctoritate Papæ non posse restitui per Inferiorem; Idem Abb. in cap. 2. num. 5. de solutio. affirmat Inferiorem à Papa non posse relaxare Suspensionem latam à Iure propter delictum, nisi in casibus, in quibus dispensare potest, & assignat rationem, quia inferior non potest tollere pœnam latam à Superiore, nisi velit dispensare in casibus sibi concessis 2. q. 3. §. Notandum. Quare suspensio hoc modo imposita à Iure, vt pæna delicti commissi, si simpliciter, & absolutè sit lata, censetur perpetua, vt inquit Abb. dicto num. 5. & idcirco durat, quamdiu manet eadem voluntas Superioris, ergo per eumdem, non per Inferiorem auferri potest. Si verò fuerit ad certum tempus, tunc per determinationem temporis Auctor Iuris declarare voluit mẽtem eius fuisse antequam tempus integrum præterijsset, relaxandam minimè esse, sicque durante illo tempore sibi illam reseruasse, saltem tacitè, si non expressè.

Facit etiam ad idem confirmandum ratio, quam innuit Glos. in dicto cap. Cupientes §. Cæterum Ver. Suspensos de elect. lib. 6. nimirum, quod si inferior, antequam præteriret tempus suspensionis illam dimitteret, disciplina Ecclesiastica facilè contemneretur, & delicta debitis pœnis non vindicarentur non sine graui iactura regiminis Ecclesiastici. Immo propter hanc rationem ipsemet Summus Pontifex, & Auctor Canonis non debet semper, & absque rationabili causa absoluere, sicut non decet, vt in suis legibus sine vrgenti causa dispenset.

Sed contra hanc conclusionem duæ proponuntur obiectiones à Doctoribus, quæ indigent declaratione. Prima est Excommunicatio ad tempus lata potest, antequam tẽpus illud compleatur, remitti per quemcunque Episcopum, ergo & Suspensio, nam ex hac parte eadem est vtriusque ratio. Secunda est Absolutio cuiuscunque Censuræ, quando Auctor Canonis sibi illam non reseruauit, concessa censetur Ordinario, vt habetur in cap. Nuper de sent. excommu. lib. 6. Ab hac communi regula non est excludenda suspensio.

Ad primam Couar. in Epitom. 4 Decretal. par. 2. cap. 6. nu. 16. cum communi opinione Canonistarum, & cum Glos. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. concedit posse excommunicationem ad tempus prolatam relaxari per Episcopum, negat id de Suspensione, & nullam assignat rationem differentiæ, sed responsio Couar & Canonistarum non videtur admittenda, quia hac in re non differt Excommunicatio à suspensione, & ideo sicut suspensio ad tempus imposita, vt dictum est, non tollitur, nisi ab Auctore Canonis, ita & excommunicatio. Quod vt clarius explicetur, animaduertendum est nomine Excommunicationis posse intelligi censuram illam, quæ propriè vocatur excommunicatio maior, & de hac frustra quærimus, an possit relaxari, antequam prætereat tempus definitum, per Ordinarium, cum huiusmodi excommunicatio non possit ferri ad certum tempus, vt notat Glos. in cap. Cupientes vltra med. Vers. Cæterum si Eligentes Ver. Suspensos De elect. lib. 6. quia excommunicatio, vt suo loco probatum est, ita est propriè censura, & pœna medicinalis, vt nunquam possit infligi, vt pœna pura delicti commissi, sed semper respiciat contumaciam in futurum, atque ita terminus excommunicationis est resipiscentia, & recessus à contumacia, & idem est dicendum de excommunicatione Minori, sicut hoc tempore est in vsu in Ecclesia, quia nemo priuatur vsu omnium Sacramentorum, si ex parte eius non ponatur obex, & impedimentum receptioni Sacramentorum. Si verò per excommunicationem accipiamus prohibitionem à Iure latam à receptione Eucharistiæ, vel alterius Sacramenti, hæc quidem ad certum tempus ferri potest, sicut accipitur in cap Nemo de Consecr. dist. 1. Vbi prohibitio ab vsu Altaris appellatur anathema, sic enim ibi habetur in princ. *Qui hæc fecerit, vel leuiter quasi nihil, & negligenter habuerit diuina mysteria, Diaconus triennio sexque mensibus à Dominico erit alienus Altari graui percussus anathemate. Quod si Clericum Presbyter non commonuerit, decem annis, & sex mensibus excommunicatus sit*. Vbi Glos. Ver. Excommunicatus, explicat, idest à communione remotus, & talis excommunicatio cessat expleto tempore præfinito, sicut suspensio; Nam habet rationem suspensionis, vt notat Glos. in eod. cap. Nemo Ver. Anathemate, & antequam tempus transeat, potest solum remitti, si sit lata à Iure, ab Auctore Canonis, sicut dictum est de suspensione, nisi ob leuitatem materiæ aliud asserendum sit, quod in suspensione etiam locum habet.

Ad secundam rationem ex cap. Nuper de sent. excomm. respondet Abb. in cap. 2. num. 5. De solutio. ca. Nuper intelligendum esse de excommunicatione, & non extendi ad suspensionem; Rationem diuersitatis affert Glos. in dicto cap. Cupientes §. Cæterum Ver. Suspensos de elect. lib. 6. quia maius periculum imminet, si quis maneat obstrictus excommunicatione quã suspensione; Ideo ordinarius ab excommunicatione Iuris, si non sit reseruata, absoluere poterit, non à Suspensione: Excommunicatio enim est pœna medicinalis, & non absolutè imponitur ad certum tempus, sed donec Reus resipiscat. Hinc oritur alia differentia, quòd excommunicatio, quæ est pœna medicinalis, non potest remitti, nisi per absolutionem, suspensio verò, quæ imponitur in pœnam pro peccato præterito, de qua modò loquimur, non potest relaxari, nisi per dispensationem. Longè autem differunt inter se absolutio, & dispensatio; Nam Absoluens non tribuit aliquid contra Ius, sed exequitur Ius, nam vt rectè inquit Glos. in dicto cap. Cupientes Ver. Suspensos de elect. lib. 6. per Absolutionem non remouetur propriè poena, sed adimpletur id, quod Ius statuit; Cum enim quis excommunicetur non ad certum tempus, sed donec satisfaciat, pareat &c. Quare ipso satisfaciente tollitur censura, sicut Ius disposuerat, & Absoluens nihil noui facit, vt inquit Abb. in cap. Tam literis num. 3. De Testib. & in cap. 2. num. 5. De solutio. Vnde in cap. Quafronte de appella. statuitur excommunicationem tollendam esse eo ipso, quòd excommunicatus resipiscit, & à contumacia recedit. Qui verò dispensat, ex parte diminuit ius, quia supposita legis obligatione eximit aliquem ab huiusmodi obligatione; Ideo Abb. locis

citatis

citatis inquit interiorem à Papa non posse tollere suspensionem latam in pœnam delicti, nisi in casibus, in quibus ei permittitur dispensatio; Idcirco dispensatio dicitur vulneratio Iuris; Absolutio autem potiùs est iuris executio, quare non valet argumentum ab absolutione ad dispensationem, vt sicut facultas absoluendi intelligitur concessa, quando ab Auctore Canonis non est reseruata, idem inferendum sit de dispensatione, & ex consequenti non valet illatio, quòd sicut relaxatio ab excommunicatione Iuris fieri potest per inferiorem, quæ propriè est absolutio, ita quoque remissio suspensionis, quæ potius dici debet dispensatio, quare cap. Nuper de sent. excom. loquitur de absolutione ab excommunicatione, & potest id, quod ibi disponitur, extendi ad suspensionem, & interdictum, quatenus sunt propriæ censuræ, & per veram absolutionem relaxantur. Nullo autem modo intelligi potest de suspensione, quæ fertur pro peccato præterito ad certum tempus, quæ non est censura, nec potest per absolutionem remitti, antequam tẽpus præscriptum pertransierit, sed per dispensationem in casibus à Iure expressis; Ideo sicut absolutio ab excommunicatione intelligitur inferiori concessa, nisi ab Auctore Canonis fuerit expressè reseruata, ita è contra dispensatio ex sua natura censetur reseruata, nisi explicitè concedatur.

Hæc, quæ de suspensione Iuris in pœnam delicti commissi lata in perpetuum, seu ad certum tempus dixi, videntur carere difficultate ex rationibus adductis, maior videtur controuersia existere inter Doctores; Vtrùm, sicut suspensio Iuris perpetua, seu ad tempus definitum reseruatur Auctori Canonis, & non potest per inferiorem remitti, ita quoque dicendum sit de suspensione similiter pro delicto præterito imposita non expressè ad tempus certum, nempe in perpetuum, sed indefinitè, & absolutè.

In hac difficultate sunt duæ Doctorum opiniones. Prima est, Non posse huiusmodi suspẽsionem per Episcopum tolli, sed tantummodo per Summum Pontificem. Ita sentit Abb. in cap. Tam literis num. 3 de testi. & in cap. 2. num. 5. de solutio. Felin. in dicto cap. Tam literis num. 5. & in cap. At si Clerici, §. de adulterijs in princ. de Iudi. Henri. Boic. ibi num. 23. Ang. Ver. Suspensio 4. §. 1. Sylue. Suspensio, §. 8. vers. Secundò. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 162. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 46. vers. Dico tertio. Fundamentum huius sententiæ est, quia suspensio lata pro delicto præterito non habet rationem Censuræ, sed est pura pœna. Pœna verò ex sui ratione perpetua est ex intentione ferentis eam, si absolutè imponatur, & sine vlla limitatione, l. seruus, C. de Pœn. notat Glos. in cap. Si autem Ver. Spoliare de cohab. Cleri. & Mulie. Vbi pœnam spoliationis à beneficijs in tex. positam intelligit de perpetua priuatione ex eo quod sine aliqua temporis præfinitione lata erat, Felin. in cap. Ex literis num. 31. de Constitut. & ibi Glo. Ver. Perpetuo. Cum igitur suspensio hoc modo lata pro delicto habeat rationem pœnæ, non censuræ, & ex consequenti sit perpetua, sequitur non posse illam ab Episcopo remitti, sed solùm à Papa, quoniam inferior caret potestate tollendi pœnam contentam in lege Superioris, nisi expressè talis facultas inferiori per Superiorem concessa fuerit, neque videtur sufficere, vt Superior sibi illam non reseruauerit, sicut dicitur de excommunicatione. Facit etiam pro hac opinione cap. At si Clerici, §. de Adulterijs in princip. de Iudi. Vbi conceditur potestas Episcopis dispensandi cum

A suis Clericis super adulterio, & minoribus criminibus, igitur non permittitur illis, vt possint absoluere à suspensione ob grauiora delicta, sicut enim super his criminibus adulterio grauioribus non habent potestatem dispensandi, ita neque absoluere poterunt à suspensione contracta ob eiusmodi delicta. Casus verò, in quibus potest Episcopus dispensare, recensentur à Glos. & Doct. in dicto §. de adulterijs.

Quòd si contra hanc sententiam opponatur capit. Nuper de senten. excom. Vbi definitum est ab excommunicatione Iuris absoluere posse Episcopũ, vel proprium Sacerdotem, si Auctor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, ergo idem sentiendum est de absolutione Suspensionis.

B Respondet Abb. in cap. Tam literis num. 3. de testi. & in cap. 2. nu. 5. de solutio. Constitutionem cap. Nuper, intelligendam esse tantùm de excommunicatione, non de suspensione, quia excommunicatio non est pœna sicut suspensio, sed est medicina, & non est perpetua, sed fertur cum tacita conditione, donec à contumacia excommunicatus recesserit.

Hanc opinionem censent aliqui locum habere non solùm vbi suspensio lata est ab ipso Papa in Constitutione generali, sed etiam quando imponitur lege synodali, aut diœcesana contra aliquod delictum. Quare si quis incurreret suspensionem ob violationem statuti editi ab Episcopo Viterbiensi, absolui non posset ab Episcopo Nepesino.

C Oppositam sententiam tenet Glo. in Clement. 1. §. verum Ver. Excommunicationis sententia de Hæret. quę censet talem suspensionem per Episcopum remitti posse, si Auctor Canonis absolutionem sibi non reseruauerit, & probat ex dicto cap. Nuper de sent. excom. Idem videtur confirmare Glos. in cap. Non solùm Ver. Suspensos de Regular. lib. 6. & Innoc. in cap. 2. de solutio. ex eo, quod Summus Pontifex non reseruauit sibi absolutionem suspensionis, de qua in eo tex. agitur, infert per quemcunque Episcopum relaxari posse.

Felin. in cap. Nuper num. 5. de sent. excom. in confirmationem huius sententiæ plura adducit, licèt in fi. videatur oppositum approbare, & eodem modo lo- D quitur in cap. Pastoralis §. Præterea num. 5. De off. ordin. Palud. tenet eandem sententiam in 4. sent. dist. 18. q. 7. art. 3 conclus. 11. Couar. in 2. par. 4. Decretal. cap. 6. in princ. num. 15. & alij plures citati per Felinum locis citatis, qui omnes affirmant suspensionem impositam à Canone pro delicto præterito simpliciter, & indefinitè posse per Episcopum tolli, sicut statuitur de excommunicatione in cap. Nuper de sent. excommu. nisi Auctor Canonis talem absolutionem sibi expressè reseruauerit; Et hanc sententiam esse communiter approbatam testatur Abb. in cap. Tam literis num. 3. de Testi. & in cap. 2. num. 5. De solutio. Immo ipsemet illam sequitur in cap. Quàm sit in fi. de excess. Prælat. Et hanc eandem facultatem extendunt ad Vicarium E generalem Episcopi, & quosdam Abbates, ac Prælatos Religionis quasi Episcopalem iurisdictionem habentes Pro hac opinione facit ratio, quoniam suspensio indefinitè lata differt ab ea, quæ positiuè fertur in perpetuum, maximè in hoc, quod hæc posterior ex mente superioris videtur imposita in perpetuum quasi sublata sit alijs Inferioribus potestas absoluendi ab ea. Posterior videtur potius lata, non vt duret perpetuò, sed ad arbitrium Superioris; Et hoc iudicium, quando non est reseruatum Papæ, censetur Episcopo relictum; Ex his duabus opinionibus hæc posterior in

praxi

praxi mihi videtur probabilior, licèt putem distinctionem illam, quæ sumitur pro fundamento primæ sententiæ esse veram, & validam, nimirum suspensionem latam in puram poenam non posse tolli ab Inferiori, nisi concedatur, latam verò ob contumaciam posse eo ipso, quòd non fuerit reseruata. Respondeamus igitur difficultati proponendo tertiam Conclusionem.

Tertia Conclusio, Suspensionem à Iure latam in poenam propter delictum indefinitè sine temporis determinatione, si non fuerit reseruata, per Episcopum relaxari posse.

Probatur primò quoniam talis suspensio imposita à Iure propter delictum regulariter fertur pro contumacia arg. cap. Ex literis de Constit. Vbi declarat Summus Pontifex poenam priuationis à Iure impositam indefinitè propter delictum intelligendam esse latam propter contumaciam, cum non habet clausulam, *In perpetuum*, & ex consequenti recedente contumacia non esse denegandam restitutionem; Quare in hoc casu non censetur perpetua suspensio, vt ad eam remittendam opus sit dispensatione eius, qui illam imposuit, sed poterit tolli per absolutionem iuxta dispositionem cap. Nuper de sent.excomm. nimirum vt censeatur, si non sit reseruata Superiori, concessa Inferiori. Vnde Innoc.in dicto cap. Ex literis de Constit. quærens, An idem sit, simpliciter aliquem remouere, & perpetuò remouere, affert in vtramque partem diuersas Iuris auctoritates, & conciliat dicens sententiam latam pro delicto dicendam esse perpetuam, quamuis non apponatur dictio, *In perpetuum*, impositam propter contumaciam, non iudicari perpetuam, & Couar. in 2. par. 4. Decretal. cap. 6. in princ. nu. 15. affirmat suspẽsionem indefinitè inflictam restrictam esse ad tempus, quo durat contumacia, & Abb. in dicto ca. Ex literis num. 10. in fi. De Constit. ait, in dubio intelligendum esse poenam inflictam esse pro contumacia, non autem pro crimine.

Secundò in poenis benignior interpretatio est accipienda, & ex consequenti, vt sit temporalis, non perpetua, vt inquit l. si de interpretatione, ff. de pœn. reg. odia, & reg. in penis de reg. iur. lib. 6. Ergo cum illa forma suspensionis indefinita sit ambigua, potius intelligenda est de temporali, quàm perpetua, vt ita habeat rationem pœnæ medicinalis, cuius relaxatio concessa est Ordinarijs, nisi de contraria mente Legislatoris aliunde appareat.

Tertiò, suspensio, quæ imponitur indefinitè pro delicto commisso, non fit sine ordine ad futuram satisfactionem, licèt non exprimatur, ergo il.duit conditione n. & rationem suspensionis pro contumacia, quod ostendi potest ex cap. Si quis Episcopus damnatus 11. q. 3. Vbi prius fertur suspensio simpliciter, & indefinitè; Deinde si durante suspensione ipsi suspensi ausi fuerint se sacris ministerijs, sicut antea, immiscere, additur acrior pœna, nempe, *Vt nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis*; Ex quibus verbis intelligi potest priorem suspẽsionem impositam fuisse sub spe remissionis cum tacita conditione, si exhibeatur debita satisfactio. Quia in re similis est suspensio in pœnam pro delicto præterito suspensioni latæ ob contumaciam, & idcirco simpliciter non est reseruata. Et quidem vniuersaliter omnes suspensiones, quæ in Iure habentur latę pro delictis indefinitè, ordinantur ad futuram satisfactionem, & resipiscentiam. Si autem contingeret ferri suspensionem aliquam pro crimine simpliciter in pu-

A ram pœnam, & vindictam delicti commissi, illa esset perpetua, neque tolli posset per Inferiorem propter rationem prioris sententiæ.

Quartò hæc suspensio lata pro delicto pręterito reperitur in quibusdam locis Iuris expressè Sedi Apostolicæ reseruata, vt in cap. Cum quidam, cap. Literas, ca. Dilectus de Tempo. ordin. & in cap. Tam literis de Testi. & talis reseruatio fit ad augmentum pœnæ, vbi grauitas criminis meretur, vt cum maiori difficultate relaxetur; Ergo illæ suspensiones in quibus non apponitur hæc conditio, non reseruantur Auctori Canonis tanquam in perpetuum latæ, sed conceduntur Episcopis, & Ordinarijs Prælatis; Si enim eiusmodi suspensio ex sui ratione intrinseca esset perpetua, & reseruaretur
B superiori, frustra adderetur reseruatio. Hoc autem asserere absurdum videtur; Igitur negari non debet, quando non est reseruata, posse remitti per Inferiorem, sicut de excommunicatione omnes Doctores testantur.

Ex dictis sequitur Episcopum non eandem potestatem, & iurisdictionem habere in imponenda, vel tollenda Suspensione ex dispositione Iuris communis ferenda propter delictum, quando Ius præcipit, vt crimen puniatur suspensione perpetua, seu ad certum tempus, & vbi præcipit indefinite, & simpliciter, vt vindicetur poena suspensionis sine vlla temporis determinatione; Nam in priori casu non est liberum Episcopo, si contingat leges ab aliquo violari, minuere poenam su-
C spensionis à lege taxatam pro tali crimine, vel postquam eam imposuit, dispensare super illa, sed ad præscriptum legis Delinquentem suspendere debet; Vt si Parochus contemneret prohiberematrimonium interdictum, Episcopus teneretur illum triennio suspendere à beneficio iuxta cap. Cum inhibitio §. vlt. De Clande despons. Ita tenet Couar. in 2. par. 4. Decretal. cap. 6. num. 15. & reddit rationem, quoniam non potest Inferior dispensare in lege Superioris l. 1. ff. Ad S.C. Tertul. vbi ita definitum est, *Facti quæstio in arbitrio est Iudicantis pœna verò prosecutio non eius voluntati; sed legis auctoritati reseruatur*, Et confirmatur in §. Notandum quoque est 2. q. 3. & tradit B. Thom. 2. 2. q. 60. art. 5. & q. 67. art. 4. In posteriori verò casu, si lex
D solum præcipiat simpliciter talis delicti reum puniendum esse poenæ suspensionis, tunc licitum erit Iudici in sententia taxare tempus, immo etiam non elapso tempore definito in sententia eum minuere, tũc enim non diceretur dispensare in lege Superioris, sed in sententia per eum lata; Vel etiam si pronunciasset sententiam suspẽsionis indefinitè, sicut à lege imposita erat, videtur posse illam postea ad certum tempus limitare, vel post aliquod tempus tollere, quoniam intentio Legislatoris præcipientis indefinitè, vt pro aliquo crimine inferatur pœna suspensionis, non est, vt talis suspensio debeat esse perpetua, hoc enim significasset, sed potius voluit Iudicis arbitrio committere, vt pro
E qualitate criminis, & personæ conditione, & alijs circunstantijs consideratis suspensionem infligeret longiori, aut breuiori tempore, vt magis expedire iudicaret.

Sequitur secundò Episcopum non posse absoluere ab illis suspensionibus, quæ in Iure impositæ sunt in perpetuum, sicut habetur in cap. 1. §. fin. de elect. & in cap. 1. De tempo. ordin. lib. 6. & similis ratio est; Nam cum Iura declarent hanc poenam perpetuam, non poterit Inferior illam relaxare, quia cum sit perpetua opus est dispensatione; Solus autem Papa dispensat in Iure communi, Episcopus in illis casibus tantum, qui

ei

ei permittuntur à Papa, quod statim explicabo.

Sequitur tertiò Episcopo licere suspensionem à lege taxatam pro delicto commisso tollere, si crimen sit ex genere illorum, in quibus Episcopus potest dispensare; nam si potest dispensare in crimine, multò magis in pœna lata à lege pro crimine, immo dispensare in crimine, si iam crimen commissum est, nihil aliud est, quam relaxare pœnam legis impositam pro crimine, si verò nondum est commissum, nihil aliud erit dispensare in illo, quàm dispensare in lege, & quamuis non seruetur, crimen non committatur. Qui autem potest hoc modo dispensare in lege, poterit quoque dispensare in pœna, & relaxare illam. Ita dicit Abb. in cap. 2. num. 5. de solut. & in cap. Tam literis nu. 3. de testib. & Couar. in 2. par. 4. Decretal. cap. 6. n. 15. notat Episcopum simpliciter non posse dispensare in Constitutionibus Pontificijs, aut Conciliorum, nisi ei conceditur.

Sed controuersia est apud Doctores, an vbicunque in Iure permittitur dispensatio, & non reseruatur peculiariter Papæ, videatur potestas dispensandi indulta Episcopo, vel dicendum sit è contra Episcopo non licere dispensari, nisi in casibus sibi expressè in Iure permissis, & in vtramque partē plura afferri possunt, Glos. in cap. In quibusdam Ver. Dispensatum de Pœn. Explicans verba textus in fi. *Nisi cùm eis fuerit misericorditer dispensatum*, inquit, quòd potestas dispensandi intelligitur concessa Episcopo, si illam Papa sibi expressè non reseruauit. Idem confirmat Glos. in capit. Postulastis Ver. Dispensatum de Cleri. Excom. Mini. declarans eadem verba in eodem Textu posita, Glos. in cap. Clerici Ver. Moniti eod. tit. Glos. in cap. Excommunicamus, §. Credentes Ver. Apostolicæ de Hæret. exponens verba illius, §. prope finem; *Alioquin, priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque Indulto Sedis Apostolicæ speciali*, inquit ex hoc, quòd sibi Papa restitutionē reseruat, alijs prohibui sse videtur, sicut in cap. De multa in fi. & cap. Graue in fi. de Præben. Vnde è conuerso, quando non reseruat, alijs indulgere videtur, vt in cap. Nuper de sent. excom. Hinc infert Glos. sumi argumentum, quòd Episcopi dispensare possunt, vbi Papa non reseruat sibi dispensationem. Ad idem confirmandum adducitur hæc ratio, nam si Episcopus non gauderet potestate dispensandi in casibus non reseruatis Sedi Apostolicę, maximè id contingeret, quoniam inferior non habet iurisdictionem tollendi legem Superioris, sed hoc non obstat, nam dispēsando non ideo impugnat canones, nec eos tollit, nisi ei expressè à Canonibus dispensandi potestas interdicatur in casu, in quo dispensationem concederet.

Ad oppositam verò partem facit primo, quoniam in iure conceditur Episcopo in aliquibus casibus facultas dispensandi explicitè, vt in cap. At si Clerici, §. de adulterijs de Iudi. *De adulterijs verò, & criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus tamen Clericis post peractam pœnitentiam dispensare*, cap. Contumacis in fi. dist. 50. *Vt cum eos pænitentia correxerit rescripti in matricula gradum suum dignitatemve recipiant*, §. Nisi rigor 1. q. 7. Vbi Glos. Ver. Vt plerisque, recenset plura genera delictorum, in quibus à Iure Episcopis facultas conceditur dispensandi, ergo in alijs casibus non expressis videtur prohibitum, ne possint dispensare, l. 1. ff. de his qui sui, vel alie. iu. sunt, §. 1. Institut. eod. tit. Confirmatur, Episcopus tenetur Canones seruare cap. Ego de iu. iur. cap. Optatum dist. 100. §. fin. dist. 4. ergo non potest contra eorum dispensa-

A tionem aliquid operari, nisi à Iure fuerit ei cōcessum cap. vni. de Natis, & liber. ven. cap. Dudum 2. de elect. Nam inferior non potest Superioris legem tollere, nec de illa ius dicere, sed secundùm illam pronunciare, cap. In istis dist. 4. Ex quibus concluditur non esse permissum Episcopo dispensere, nisi vbi reperitur expressum.

Specul. in tit. de dispensatione, §. nunc de Episcoporum num. 24. & Innoc. in cap. Dilectus num. 2. de temp. ordin. proponunt hanc difficultatem de potestate Episcoporum in concedendis dispensationibus, diuersasque responsiones afferunt, vt concilient Iura, quæ hinc inde ad vtramque partem afferuntur, sed omissis, alijs responsionibus tres videntur probabi-
B liores, & communiores. Prima est, vt dicamus Episcopum dispensare posse in adulterio, & in alijs criminibus, quæ minora sunt adulterio, nisi expressè prohibitum inueniatur, vt in cap. At si Clerici, §. de adulterijs de Iudi. In maioribus verò adulterio nunquam dispēsare posse, nisi vbi inuenitur expressè concessum, vt probatur cap. 1. in fi. de Pœnit. dist. 6. Et hanc responsionem amplectitur Speculat. & dicit esse simpliciter veram loco cit. num. 27. Alia est Innoc. in cap. Dilectus num. 2. de tempo. ordin. qui ait licere semper Episcopo in omnibus criminibus dispensare, nisi prohibeatur, & has duas respōsiones proponit etiam Glos. in Summa dist. 50. & in cap. Miror Ver. Miror ead. dist. Tertia responsio, vt Episcopus possit dispen-
C sare in ijs casibus, in quibus ius concedit simpliciter dispensationem. Vbi verò à Canone non conceditur dispensatio, nunquam Episcopum dispensare posse, & hanc dicit esse probabiliorem Innoc. in dicto cap. Dilectus num. 2. de tempo. ordin. quæ placet Abb. in c. In quibusdam num. 5. de Pœn. & in cap. Tam literis num. 3. de Testib. & in cap. 2. num. 5. de solut. & in cap. At si Clerici, §. de adulterijs num. 6. de Iudi. Felin. ibi num. 4. Dec. num. 8. Idem Felin. in cap. Tam literis num. 6. de Testib. & in cap. Pastoralis, §. Præterea num. 5. de uff. ordi. & in cap. Nuper num. 5. de sent. excom. Casus autem, in quibus expressè conceditur Episcopo facultas dispēsandi, recensentur à Specul. loco citato, & ab Abb. & alijs Doctoribus in cap.
D At si Clerici, §. de adulterijs de Iudi. & à Glos. ibi Ver. Penitentiam in Addir.

Quarta Conclusio erit; Hodie ex decreto Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. de reform. Episcopi absoluere possunt ab omni dispensatione Iuris ipso facto contracta, & ad forum contentiosum non deducta, si sit occulta: Verba Concilij sunt, *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare*, sunt autem nonnulla annotanda ad explicationem huius Decreti.

Primò animaduertendum est, vt rectè sacra Con-
E gregatio Illustrissimorum Cardinalium super Concilio censuit Episcopos illarum Regionum, in quibus Concilium Tridentinum non est promulgatum, & receptum non posse gaudere hoc priuilegio, quia hæc facultas dispensandi conceditur de nouo à Concilio, quæ iure antiquo Episcopis non competebat, ergo illi Episcopi, qui recusant subire onera, & obligationes à Concilio inductas ex eo, quod suis Regionibus non fuerit receptum, minus quoque digni sunt, vt admittantur ad priuilegia, quia par debet esse conditio fauorum, & onerum.

Secundò notandum est hanc potestatem dispensandi

di non concedi Episcopis absolutè, sed cum duplici exceptione; Vna est, vt non habeat locum, si suspensio contracta sit ex homicidio voluntario; Altera est, dũmodo crimen ad forum contentiosum non sit deductum, sed sit occultum; Nomine autem occulti delicti non intelligit Concilium, vt crimen ita sit occultum, vt à nemine sciatur; Tũc enim satis fuisset facultatem concedere in casibus occultis, nec opus erat excipere casus deductos ad forum contentiosum, cum manifestum sit illos non esse occultos, sed Concilium absolutè loquitur de occultis, quatenus à publicis distinguũtur, etiamsi probari possint, quia ab aliquibus sciuntur. Quantum enim spectat ad hanc potestatem dispensandi, vi huius Decreti censetur Episcopo concessa, vbi crimen non est publicum, vel non est deductum in Iudicium, quamuis non sit omnino occultum, sed ab aliquibus sciatur, & probari possit. Dicitur autem delictum deductum ad forum contentiosum, statim ac denunciatio, aut accusatio de illo coram legitimo Iudice facta est, quia Concilium non postulat, vt delictũ sit probatum, aut condemnatum per sententiam Iudicis, sed solum vt sit deductum; Deducitur autem per denunciationem, vel accusationem.

Postulabit aliquis, quid si delictum omnino occultum, quod probari nequeat, ad forum contentiosum deferatur, an super suspensione ex tali delicto prouenieate dispensare possit Episcopus. Respondeo non posse, quia Concilium non distinguit, vtrum crimen ita sit occultum, quod vere probari non possit; Vel quod probari possit, licèt non sit probatum, sed absolutè loquitur; Cum ergo addat etiam absolutè exceptionem; *Exceptis aliis deductis ad forum externum*, intelligitur de quibuscunque casibus quomodocunque deductis. Quod tamen locum habet, quamdiu tale crimen cognoscitur in eo Iudicio, nam si post delationẽ reus absoluatur à tali delicto, quia nullo modo probatum sit, videtur reuocari ad eum statum, in quo antea reperiebatur, & remanere ita occultũ, sicut prius, & ideo per Episcopum dispensari posse, præsertim si crimen nec plenè, nec semiplenè probari potuit; Nam vbi interueniret aliqua probatio, res esset magis dubia. Ex semiplena enim probatione in foro exteriori facta oritur publica infamia, imperfecta quidem, sed sufficiens, vt res non remaneat occulta, sicut antea erat, secus est, si nullo modo probatum sit.

Tertiò notandum est, non conuenire hanc potestatem Episcopo in ordine ad omnes indifferenter, sed cõceditur proprio Episcopo habenti iurisdictionem in suos subditos, vt Concilium declarat; Proprius autem Episcopus potest illã exercere in suos subditos, postquam est Electus, & confirmatus, quamuis non sit consecratus, quia eiusmodi dispensatio est actus iurisdictionis non indigens consecratione.

Sed hic quæri potest, an eadem facultas competat Prælatis Inferioribus habentibus iurisdictionem ordinariam, vel quasi Episcopalem, si sint exempti à iurisdictione Episcopi, vt sunt quidam Abbates, qui habẽt quasi Diœcesim propriam. Sacra Congregatio Cardinalium super Concilio declarauit Prælatos Inferiores non comprehendi sub nomine Episcopi in hoc decreto Concilij ob eam rationem, quoniam hæc Constitutio hac in parte derogat Iuri communi, & idcirco potius est limitanda, vt nomine Episcopi intelligamus secundum propriam significationem huius nominis illos tantum, qui in dignitate Episcopali constituti sunt non Inferiores. Quare illi, qui subijciuntur immediatè his Abbatibus exemptis, & Prælatis Inferioribus quoad hanc actum recipiendi dispensationem à suspensione, possunt subijci Episcopo suæ Diœcesis; non enim priuari debent aliquo superiore Iurisdictionem habente eos absoluendi si occurrat casus, ne videantur deterioris conditionis cæteris fidelibus.

Secundò quæri potest, An possit Episcopus hanc dispensandi facultatem alteri committere, vel teneatur per se ipsum illam conferre; Aliqui respondent posse Episcopum per alium dispensare vices suas, illi committendo, quia nulla occurrit ratio sufficiens, cur credere debeamus voluisse Concilium illam facultatem reseruare Episcopo per se ipsum tantum exercendam, præsertim cum non declaret hanc potestatem Episcopis conuenire tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ, sicut aliquando facit, sed simpliciter eam Episcopis concedit, ergo videtur virtute huius Decreti hæc potestas annexa iure ordinario iurisdictioni Episcopali, atque ita delegabilis est ab Episcopo. Quare si ita explicemus decretum Concilij, dicendum erit, quando in eodem capite tribuitur potestas Episcopo absoluendi in quibuscunq; casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis suos subditos, in Diœcesi sua, per se ipsum, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum, per hæc verba, *Aut Vicarium ad id specialiter deputandum*, Concilium potius voluisse coarctare, quàm amplificare hanc iurisdictionem; Nam si non addidisset verba illa, liberum fuisset Episcopo hanc facultatem committere cuicunque Sacerdoti, Concilium autem voluit illam concedere tantum Episcopo, & Vicario ad id specialiter deputato; Putant igitur ita sentientes Concilium distinguere voluisse inter facultatem dispensandi super Irregularitate, & suspensione, & absoluendi à casibus reseruatis; Vt prima exerceri possit per quemcunque, cui generaliter ab Episcopo sit delegata iurisdictio; secunda verò conueniat tantum Vicario, qui specialiter deputatus sit per Episcopum cum facultate absoluendi à casibus reseruatis.

Hæc opinio non caret probabilitate, tamen cum non possit commodè verbis Concilij aptari, & videatur satis coacta, potius sentirem Conciliũ voluisse hãc potestatem dispensandi super Irregularitate, & suspensione solis Episcopis indulgere, vt per se ipsos illam exercerent, neque possent alijs delegare; Hunc enim sensum apertè indicant verba Decreti, si in propria significatione accipiantur, & constructio redditur plana, neque opus est vlla extorsione. A proprietate autem sermonis, & verborum non est recedendum, præsertim in interpretanda Constitutione, l. Non aliter ff. de lega. 3. l. Labeo §. Idem Tubero ff. De Suppel. lega. Dec. cons. 89. Viso puncto col. 2.

Et potest hæc sententia probari, primò Concilium in eodem capite agit de Dispensatione; Deinde de Absolutione, & facultatem dispensandi simpliciter concedit Episcopis sine vlla extensione; Potestatem autem absoluendi extendit etiam ad Vicarium specialiter deputatum, ergo clarissimè apparet mentem Concilij fuisse priorem Iurisdictionem communicare tantum Episcopis, quia extensio, quæ in secundo casu ponitur, & tacetur in primo, apertè ab illo excluditur; Constitutio enim in vna parte declaratur ab alia, vel suppletur, aut limitatur, & restringitur l. vni. in princ. C. De Inoff. Doti. In Authen. de exhiben. Reis ante fi. Anchar. cons. 94. Ista Domina post num. 3. Vers. Non obstat quod illud argumentum, & vbi lex aliquid non dicit, nec nos dicere debemus, l. Si seruum §. Nõ dixit Prætor, ff. de acquir. hæred. Dec. cons. 298. Viso Instru-

mento

mento num. 4. Ideo cum Concilium nihil dicat de Vicario in prima parte, non debemus intelligere illam facultatem commissam esse Vicario, si enim illam voluisset concedere Vicario, vtique id expressisset, sicut facit in 2. parte, cùm agit de absolutione argum tex. in l. vni. §. fin autem ad deficientis C. de caduc. tollen. cap. Ad audientiam de Deci. cap. Inter corporalia de Translat. Prælat. Secundò assignari potest ratio diuersitatis, propter quam Concilium voluerit potius extendere ad Vicarium facultatem absoluendi in casibus reseruatis, quàm potestatem dispensandi ab Irregularitate, & suspensione, quia absolutio est magis necessaria ad salutem animarum, quàm Dispensatio, vnde Summus Pontifex in Bullis Indulgentiarum ob hanc rationem solet ex communi vsu impertire licentiam Sacerdoti approbato absoluendi à casibus reseruatis, non autem dispensandi super Irregularitate. Tertiò Episcopus quoad hanc facultatem est Delegatus Sedis Apostolicæ, igitur non potest illam alteri subdelegare, nisi ei expresse concedatur, & non licet argumentari à simili à potestate absoluendi à casibus reseruatis ad facultatem dispensandi.

Tertiò quæri potest, quis possit cum Episcopo dispensare, si occurrat casus, vt ipsemet incidat in aliquam suspensionem Iuris occultam. Respondent aliqui posse ipsummet Episcopum secum dispensare, vel alteri committere vices suas, vt cum ipso dispenset. Sicut enim Episcopus potest deputare Confessarium, qui ipsum absoluat cum facultate Episcopis concessa, vt declaratum fuit ab Illustrissima Congregatione Cardinalium, ita dicendum est de dispensatione, nam vtraque potestas est delegabilis.

Verùm censeo oppositum esse probabilius, eo magis iuxta mentem Concilij, Tribuit enim hanc facultatem dispensandi Episcopo. Quare cùm Episcopus sit Delegatus, non potest subdelegare, diuersa ratio est de potestate absoluendi, nam illa expresse ab eodem Concilio extenditur ad Vicarium, & rationem diuersitatis attuli.

Ex eodem fundamento infertur, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non posse vti hac iurisdictione dispensandi Sede vacante licèt enim Capitulum succedat in Iurisdictione Episcopali, tamen non succedit in facultate dispensandi in casibus specialiter concessis ex Iure Episcopis, nisi ipsum Ius, vel consuetudo legitimè præscripta ita declaret hanc Episcopi facultatem, quia illud priuilegium est, concessum soli Episcopo priuatiuè quoad omnes alios, ergo excludit etiam Capitulum Sede Vacante, Capitulum enim per se succedit solùm in ordinaria Episcopi Iurisdictione. At hæc facultas dispensandi conuenit Episcopo non Iure ordinario, sed extraordinario.

Dictum est hactenus de ijs, qui habent potestatem absoluendi à suspensione lata in pœnam delicti, superest modò vt pertractemus de illis, quibus concessa est facultas relaxandi suspensionem à Iure inflictam ob contumaciã, de qua statuenda erit quinta Conclusio.

Si suspensio lata sit in contumaciam à Iure, & reseruata sit, solùm tolli poterit ab Auctore Canonis vel à Superiore, si illum habeat, si autem nemini sit reseruata, etiam ab Ordinario relaxari poterit iuxta communem sententiam.

Hæc conclusio quoad primam partem caret difficultate, nam certum est legislatorem posse relaxare, suspensionem, si potuit illam infligere, cùm qui potuit ligare, possit & soluere, cap. Verbum de Pœnit. dist. 1.

A Et cum dicimus posse absolutionem impendi ab ipsomet Auctore Canonis qui intulit censuram, nõ excludimus Superiorem, vt inquit B. Tho. in 4. sent. dist. 18. quæst. 2. ar. 5. & Palud. q. 5. Angel. Ver. Excommunicatio 4. n. 1. Tabien. num. 8. Armilla Ver. Suspensio num. 22. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 40. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 12. n. 2. nomine autem Superioris, vt dixi in materia de excommunicatione intelligitur Superior non dignitate, sed iurisdictione, sicut etiam nomine Auctoris Canonis significamus successorem eius in officio, si ipsomet Auctor obierit, vel quacunque ex causa eius iurisdictio cessauerit, successor enim censetur Auctor Canonis, non ratione personæ, sed ratione muneris & officij, nam officium non mutatur, licèt varietur persona. Sicut enim dicitur B in cap. Si Episcopus ante 11. q. 3. Successor potest absoluere eum, quem mortuus Episcopus ligauit, & quod dicitur de mortuo intelligendum est de Deposito Translato vel quacunque ratione priuato dignitate. Similiter quod exprimitur de Episcopo, lucũ habet in quocunque Prælato, & hæc potestas absoluendi reseruata delegari potest inferiori ab ipsomet Auctore, vt patet ex vsu Ecclesiæ, vel ex communi ratione Iurisdictionis, quæ delegabilis est, & probari potest ex c. Nuper de sent. exc. Vbi statuitur censeri deberi facultatem absoluendi cõcessam esse alijs, si auctor Canonis illam sibi non reseruauerit, ergo supponitur in eius potestate esse tradere huiusmodi facultatẽ etiam C in ijs, casibus, quos sibi Auctor Canonis reseruauerit.

Secunda verò pars Conclusionis de suspensione Iuris non reseruata desumitur manifestè ex eodem c. Nuper de sent. exc vbi dicitur, *In secundo verò casu à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere*, & paucis interpositis reddit rationem, *quia tamen Conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur alijs facultatem relaxandi*, licèt enim in eo tex. peculiariter agatur de excõmunicatione, de qua potissimum hæc regula intelligenda est, tamen ratio, qua vtitur Papa ad confirmandam regulam, communis est suspensioni & Interdicto, vt dixi supra in capite 2. & ad suspensionem extenditur à Glos. in cap. Cupientes §. Cæterum D Ver. Suspensos de sent. excom. lib. 6. & sequitur Abb. in dicto c. Nuper, in cap. Tam literis de Testi. & in c. 2. de solut. Potest assignari ratio, propter quam conuenienter iudicauerit expediens Romanus Pontifex communicare generaliter potestatem absoluẽdi alijs, quando ex causa aliqua peculiari sibi absolutionem non reseruauit non solùm in censura excommunicationis, sed suspensionis & Interdicti, & est, quoniã censuræ infliguntur ob contumaciam, vnde quamprimũ obstrictus aliqua censura resipiscit, & à contumacia recedere est paratus, absolui debet c. Ex literis de const. & c. Qua fronte de appell. Quare vt commodius, & facilius obtineretur absolutio, voluit Papa potestatem absoluendi tribuere alijs: Ideo sicut de excom- E municatione, ita de suspensione hoc est asserendum.

Animaduertendum tamẽ est Doctores existimare diuersimodè facultatem absoluendi competere alijs ex illo c. Nuper in ordine ad excommunicationem & suspensionem, nam ab excommunicatione dicunt non solùm Episcopum, sed etiam Parochum absoluere posse, si non sit reseruata. At verò à suspensione soli Episcopo, & eius Vicario, non Parucho tribuunt hanc potestatem, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 162. Abb. in c. Si quorundam nu. 5. de sulut. & in cap. Tam literis de Testib. Boic. in cap. At si Clerici num. 23. de Iudi.

B. Antoni. 3. par. Sum. titul. 28. cap. 4. Vers. Sed quæritur quis Tolet. in lib. 1. Instruct. Sacerd. capit. 46. Vers. Dico tertiò causa huius diuersitatis illa assignatur, quia absolutio suspensionis non est adeò necessaria, sicut est absolutio ab excommunicatione, neque enim suspensio priuat suffragijs Ecclesiæ, neque Sacramentorum receptione, sicut excommunicatio; Ideo quamuis decederet quis sine absolutione à suspensione, non pateretur spirituale aliquod detrimentum præcisè ex hoc capite. Et licet hæc regula de suspensione non desumatur expresè ex Iure, sicut de excommunicatione, tamen propter rationis similitudinem probabiliter ex Iure colligitur, & est vsu recepta, quòd sufficit, nam consuetudo aliquando dat iurisdictionem.

Quæret aliquis qui Episcopo concessa sit hæc facultas relaxandi suspensionem. Respondendum est per Episcopum significari Episcopum proprium, qui est Pastor ordinarius erga suos subditos. Quare cùm in cap. Nuper dicitur, quando Conditor Canonis non reseruat sibi absolutionem, eo ipso alijs concedere velle, non vult significare tributam esse facultatem quibuscunque alijs, sed alijs Pastoribus. Proprius autem Episcopus vniuscuiusque intelligitur generaliter loquendo Episcopus Ciuitatis, vel Diœcesis, in qua quis habet domicilium, quia domicilium est quasi fundamentum fori, & Iurisdictionis l. vlt. ff. de Iurisd. omn. Iudic. cap. vlt. de Constit. lib. 6. cap. A nobis 1. de sentent. excom. Abb. in cap. 1. num. 23. de fo. compet. Et quamuis subditus delictum commiserit in alieno Territorio, tamen proprius Episcopus nunquam amittit Ius suum, quò minùs subditus possit coram illo conueniri, & eadem ratione non amittit potestatem absoluendi illum etiam eo tempore, quo in aliena Diœcesi commoratur, quia si censura potest ferri in absentem, multò magis absolutio, quæ est fauorabilior.

Quæret secundò quis, an suspensus possit absolui à suspensione Iuris tantùm à proprio Episcopo Domicilij, vel hæc potestas conueniat etiam Episcopo, in cuius Territorio suspensus commoratur.

Respondeo commorantem in aliena Diœcesi non posse absolui ab Episcopo loci, vbi versatur, si mora in illo loco sit ad breue tempus, quia ibi manet quasi viator, nam ille Episcopus non potest propriè dici suus Episcopus, facit c. Romanæ §. Nec etiam de fo. Compet. lib. 6. & c. Excommunicatis de off. lega. Vbi definitum est Legatum non posse absoluere etiam in sua Prouincia eos, qui in Clericos manus violentas iniecerunt aliunde illuc accidentes, quia non sunt subditi illius Prouinciæ, & idem erit in alijs casibus. Quod tamen intelligendum est, vt ibi notat Abb. nu. 7. quando talis persona non commisit delictum, nec suspensionem contraxit in eo loco, in quo versatur, si enim ibi commiserit delictū, fit aliquo modo subditus Episcopo loci ratione delicti. Quare poterit coram dicto Episcopo conueniri, & ab eo puniri, & ex consequenti etiam absolui in foro contentioso ratione censuræ, nã de absolutione Sacramentali est alia ratio, neque est inconueniens, vt eadem persona possit in quibusdam casibus à duobus Episcopis absolui, quia vtrique subijcitur, alteri simpliciter ratione domicilij, alteri secundùm quid ratione delicti commissi & existentiæ & inhabitationis.

Quòd si longo tempore quis maneat in aliena Diœcesi extra suum domicilium, & mora sit diuturna, tunc probabile est posse absolui à suspensione ab Episcopo illius loci, siue illam contraxerit in eo loco, siue alibi, licèt etiam sine licentia proprij Episcopi commoretur extra suum Territorium; Cuius dicti illa est ratio, quoniam diuturna inhabitatio moraliter habetur pro domicilio, quamdiu durat, & consuetudine receptum est, vt Episcopus habitationis longioris, etiam si persona careat animo ibi perpetuò manendi, reputetur proprius Episcopus quoad facultatem absoluendi à suspẽsione & reliquis censuris, quidquid sit de alijs actibus Abb. in c. Excommunicatis n. 7. de off. lega. & c. Quod Clericis num. 4. de fo. compet. & c. Ex parte R. nu. 8. eod. tit.

De illis verò, qui nullibi habent fixum domicilium, sed semper vagantur, affirmari potest absque vllo periculo absolui posse ab Episcopo loci, in quo actu versantur, etiamsi per breue tempus ibi sint commoraturi, quia illi non habent alium Episcopum, neque Pastore carere debent.

De Religiosis dubitari solet, a quo Episcopo absolui debeant, & responderi potest, quòd si Religiosi considerentur ratione status, & non sunt exempti, possunt absolui ab Episcopo loci, vbi positum est Monasteriū, in quo vitam dicunt religiosam, nã & ab eo ligari possunt censura, quia Iure communi omnes habentes domicilium subiecti sunt Episcopo loci, quare Episcopus poterit in eos, actus iurisdictionis exercere, ideo in c. Religioso de sent. excõ. lib. 6. dicitur Religiosum incidentem in excommunicationem Canonis, si quis suadente, percutiendo Clericum secularẽ absolui debere ab Episcopo Diœcesano, & in c. Monachi de sent. exc. quando percussio est inter ipsos Religiosos, absolutio committitur eorū Superiori ex speciali concessione, non tamen excluditur simpliciter Episcopus, nam ibi dicitur recurrendum esse ad Episcopū, vbi maior prouidentia fuerit necessaria. Immo absoluere Moniales ab excommunicatione ob similem percussionẽ, pertinet ad Episcopum, vt habetur in c. De Monialibus de sent. exc. Si autem loquamur de Religiosis exemptis ex priuilegio Sedis Apostolicæ, illi ab Episcopo absolui non poterunt, cùm in eos non habeat iurisdictionẽ, neque tales Religiosi possunt se Episcopo subijcere, quia esset in detrimentum Religionis.

Tertiò quæret aliquis; An præter Episcopum hæc iurisdictio absoluendi à suspensione conueniat aliis Prælatis Inferioribus, respondeo hanc potestatem competere non solùm illis, qui dignitatem Episcopalem habent, sed etiam aliis, qui iurisdictione quasi Episcopali vtuntur, de hac difficultate plenius tractaui, cùm agerem de absolutione ab excommunicatione lib. 4. Disp. 3. cap. 2. Satis est modò breuiter concludere hanc potestatem absoluendi à suspensione conuenire non tantum Episcopo, sed etiam Inferioribus Prælatis, qui gaudent iurisdictione Episcopali. Quare nomine Episcopi, quod spectat ad rem propositam, intelligitur primo Vicarius Generalis Episcopi, vt patet ex cap. vlt. de off. ordi. Vbi definitum est posse eos, qui gaudent iurisdictione absoluendi ex officio in quibusdam casibus, illam aliis committere, & Conc. Tridentinum sess. 24. cap. 6. de Reform. tribuit potestatem absoluendi Episcopis à casibus reseruatis Papæ per se ipsos, vel per Vicarios ad id specialiter deputatos. In casu verò hæresis excludit Vicariū; vnde sumitur argumentum non excludi Vicariū, quãdo concessio absolutè fit Episcopo, & similiter, quãdo Ius nõ requirit, vt Vicarius specialiter deputetur, Generalis Vicarius sufficit. Deinde sub eadẽ voce Episc. cõprehendūtur Abbates, qui iurisdictionẽ habet Episcopalem.

scopalem, id est similem iurisdictioni Episcopali, non æqualem, illi scilicet, qui habent iurisdictionem fori contentiosi ad censuras ferendas & tollendas.

Quartò quæri potest, an hæc potestas, quæ conuenit Episcopis absoluendi à suspensione Canonis, seu sta uti lata ob contumaciam, extendatur etiam ad suspensiones contentas in generali sententia. Respondendum est primò suspensionem latam pro peccato commisso per sententiam, siue sit particularis quoad personam, in quam præcisè fertur, vel solùm quoad delictum, & indefinitè pronuncietur in eos, qui illud commiserint, relaxari posse per eum, qui illam tulit, vt supra probauimus de suspensione ab homine inflicta. Secundò si suspensio feratur pro peccatis futuris per sententiam generalem, puta qui hoc egerit, sit eo ipso ab officio, vel ab ordine suspensus. Huiusmodi suspensio non potest relaxari ab Episcopo, sed ab ipsomet ferente, seu Superiore aut successore, ita vt iudicandum sit de illa, sicut de suspensione lata ab homine. Ita tenet Glos. in cap. Ex frequentibus Ver. Confirmantes de Institut. dicens ex illo tex. Episcopum nō posse sine speciali concessione Sedis Apostolicæ generalem sententiam confirmatam à Papa abolere. Hoc idem sentit Caietanus in Sum. Ver. Absolutio ab excommunicatione. Fundamentum pro hac opinione illud adducitur, quia talis Censura est simpliciter ab homine, & non à Iure. Verùm Censuræ ab homine tolluntur à solo ferente, vel à Superiore, ergo idem verum est de his sententijs generalibus. Confirmatur, quia in cap. Nuper de sentent. excom. expresse ponitur differentia inter excommunicationem à Iudice, & illam, quæ est à Canone, quòd huius absolutio permittitur Episcopo, illius verò ad eum, qui intulit, ergo hæc concessio extendi nequit ad Censuram per sententiam generalem latam. Et hæc opinio videtur valde probabilis propter rationem proximè adductam, & est tutior in praxi, licèt non desint alij Auctores, qui censeant eodem modo iudicandum esse de censura lata per generalem sententiam pro futuris culpis, sicut de censura lata à Iure, & idcirco non tantùm à ferente, vel eius Superiore, sed etiam ab alijs per absolutionē relaxari posse. Huius sententiæ est Nauar. in cap. Ita quorundam nu. 25. de Iudæ. & citat alios, idem in Manua. cap. 27. nu. 44. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 12. num. 4. Hæc opinio est fauorabilis, & mitis, & non caret probabilitate propter auctoritatem Doctorum; Et responderi posset ad fundamentum pro contraria opinione, nimirum si dicamus sententiam generalē pro futuris culpis non esse propriè sententiam, sed potius cum præcepti habere, & ideo non prouenire à ferente, vt à Iudice, sed vt à præcipiente, quia æquiparari potest, Auctori Canonis seu Iuris, vnde cum in dicto cap. Nuper distinguatur sententia Iudicis & Iuris, & hæc generalis, de qua modò agimus, non possit propriè dici à Iudice, igitur collocabitur sub dispositione sententiarum Iuris, quæ non solùm à ferente, sed ab Episcopis tolli possunt.

Ex dictis colliguntur aliquæ, seu differentiæ inter absolutionem ab excommunicatione, & suspensione, nam ab excommunicatione Iuris Parochus iure ordinario, vel etiam Cōfessarius expositus absoluere potest, vt probaui lib 4. Disp. 3. cap. 3. & 4. At à suspensione absoluere potest Episcopus, & Prælati Inferiores, qui comprehenduntur nomine Episcopi, sed hæc facultas non est concessa Parocho, Sylue. Ver. Suspensio §. 8. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 162. Vers. Septimò dico. Neque opus fuit hanc facultatem Parocho concedere, quia, vt dixi, absolutio à suspensione non est necessaria ante absolutionem peccatorum, absolutio verò ab excommunicatione, quando est à Iure, vel generaliter ab homine conceditur Parocho ex tacita concessione Iuris, quia necessariò præmittenda est ante absolutionem peccatorum.

Secundò excommunicatio nunquam tollitur, nisi per absolutionem, suspensio verò aliquando tollitur non interueniente absolutione, illa scilicet, quæ à Iure, vel ab homine fertur ad certum tempus, quę elapso tempore desinit absq; alia absolutione.

Tertiò Episcopus à quacunque excommunicatione Iuris non reseruata absoluere potest, non autem ab omni suspēsione, & ratio huius discriminis est, quia excommunicatio infligi non potest, nisi cum contumacia. At suspensio aliquando in pœnam delicti etiam sine contumacia. Vnde Episcopus non poterit Clericum suspensum à Iure ad certum tempus, antequam dictum tempus elabatur, absoluere, neque eum, qui suspensus est in pœnam delicti adulterio grauioris, siue suspensio sit perpetua, siue ad tempus. Si tamen delictum sit adulterium, aut minus graue adulterio etiam notorium, dispensat Episcopus in ea suspensione, vt constat ex ijs, quæ supra diximus.

Postulabit quis, quoties ex Bulla Iubilei aut ex priuilegio aliquarum Religionum tribuitur à Sede Apostolica facultas absoluendi à Censuris; An virtute huius concessionis intelligatur delegata potestas absoluendi solum ab ipsa excommunicatione quæ prima est, & præcipua species Censurarum, vel comprehendatur etiam suspensio & Interdictum.

Respondeo nomine Censuræ in proposito casu intelligi excommunicationem, suspensionem, & Interdictum cap. Quærenti de verbo. signif. non autem pœnam Irregularitatis, quæ procedit ex culpa, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 191. & 250. contra Domin. Sot. in 4. dist. 22. q. 3. art. 1.

CAPVT IV.

De forma & solennitatibus requisitis in tradenda absolutione à suspensione.

QVæritur à Doctoribus, an præscripta sit in Iure aliqua certa forma verborum, quibus vti debeat Superior, cùm intendit relaxare suspensionem, item an sint aliquę solennitates, seu conditiones necessariò adhibendæ, quando forma absolutionis traditur. Conditiones autem requiri possunt dupliciter tāquam pertinentes ad substantiam absolutionis, vel vt valida sit absolutio & teneat, vel vt rectè, & iustè tradatur a Iudice priori modo scilicet vt valida sit absolutio nulla alia conditio requiritur ex parte personæ absoluendæ, nisi vt subiecta sit in iurisdictione fori exterioris illi, qui absolutionem impendit, vt probatur ex cap. Venerabilibus de sentent. excommun. lib. 6. Ex qua conditione sequitur, vt absoluens sit persona distincta ab eo, qui absoluitur, quia nemo est sibi subditus, neque habet iurisdictionem in se ipsum. Et præter hanc conditionem nulla alia necessaria videtur ad validitatem absolutionis à suspensione. Quare non opus est, vt simpliciter teneat absolutio, vt absoluendus sit præsens in eodem loco, in quo reperitur, qui absolutionem impendit, vt quotidie seruatur ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, & patet ex cap. Quanto 2. quæst. 5. Quando verò absolutio impensa absenti incipiat parere effectum suum,

vtrùm quando verba absolutionis proferuntur, vel putrus eû m ad notitiam illius, qui absolutus fuit, deuenerit, id ea intentione absoluentis prouenit, quæ ea verbis ipsius & ex alijs circunstantijs colligenda est. Similiter ad validitatem absolutionis non est necessarius consensus eius, qui absoluitur, potest enim absolui ignorans, & consequenter non consentiens, vel etiam sciens, & positiuè inuitus & dissentiens, sicut enim suspensio in inuitum ferri potest, ita tolli potest inuito eo, qui absoluitur. Posteriori modo, nempe vt iustè, & legitimè absoluatur quis à suspensione, requiritur, vt absoluendus nolit perseuerare in sua contumacia, sed resipiscat, & sit paratus obedire, secus enim regulariter loquendo, debet alijs pœnis, & Censuris aggrauari, potiusquam absolui, vt latius probaui, cum agerem de absolutione ab excommunicatione.

Quæritur à Doctoribus, an in Iure sit præscripta certa aliqua forma adhibenda in absolutione à suspensione, & communi consensu negant necessariam esse aliquam certam formam, ea cuius omissione reddatur inualida absolutio, sed sufficere, vt quomodocunque declaretur effectus ipsius absolutionis. Quare communis & recepta forma, quæ solet adhiberi his verbis & similibus, significatur, *Ego te absoluo à vinculo suspensionis, in quam incurristi, & restituo te ad executionem tui muneris vel ordinis, aut ad beneficium*, & potest concludi cum inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, addendo in fine, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen*. Hanc formam refert B. Anton. in 3. par. Sum tit. 28. cap 4. prope fin. Vers. Item nota quòd absolutio. Sylue. Ver. Suspensio §. 8. & citat Archid. & Ver. Absolutio 6. §. 2. Tabien. Absolutio 3. ou. 12. Ang. Suspensio 4. num. 2. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 161. Vers. Sextò dico. Reddunt rationem Doctores, cum scilicet hæc verba vel similia sufficiât, vt intelligatur Clericus suspensus, à vinculo suspensionis absolutus & est, quoniam sunt apta ad significandum effectum absolutionis, nempe eximere alligatum à vinculo Censuræ & restituere illum ad officiu, vel beneficium à quo per suspẽsionem impeditus erat, & in praxi communiter talia verba solent adhiberi. Non tamen hæc forma est necessaria, neque vlla alia certis & determinatis verbis expressa, vt supradicti Doctores omnes testantur, sed satis est, si quæcunque verba proferantur, dummodo Iudex exprimat effectum absolutionis, idest significet velle absoluere talem suspensum à vinculo Censuræ, immo neq; verba quæcunque sunt de necessitate simpliciter absolutionis à suspensione, nam sine vlla prolatione verborum absolutio validè traderetur, si Superior aliquo signo externo declararet velle absolutionem impendere, vt si Clerico suspenso, & petenti absolutionem Superior capite annueret, vel manu benedictionem impartiretur. Et ratio est, quia absolutio à Censuris, cùm non sit sacramentalis, non requirit per se, & intrinsecè verba, sed pendet ea sola voluntate absoluentis. Quod maximè verum est, si talis absolutio per huiusmodi signa traderetur à Romano Pontifice, nam vt habetur in Clem. vlt. de sent. excom. Si Papa declarat velle facto suo absoluere aliquem à Censura, absolutio tenet, quia habet supremam potestatem ad abolendam censuram independenter à Iure positiuo, vnde Glos. ibi Ver. Velle inquit, voluntas est sibi pro ratione Institut. de Iu. Nata. §. Quod Principi, & idem ibi ait Card. num. 2. & tradit Rebuff. in Praxi beneficiali Ver. Datum n. 36,

A Verùm ordinario Iure & ex statuto Ecclesiæ Episcopi, & alij non habent hanc potestatem, vt possint absoluere à suspẽsione & alijs censuris per signa & actiones externas, sed vti debent verbis, ideo quamuis declararent se velle tali facto absoluere, nihil efficerent, quia tenentur formam Iuris communis, & consuetudinem Ecclesiæ vniuersalis seruare, nec possunt illam immutare, Iure vero statutum est, vt verbis non factis absolutio à censuris tradatur, vt colligitur ex cap. Cùm desideres de sent. excom. ibi, *Nisi fuerit secundum formam Ecclesiæ post iuramentum præstitum absolutus*, vbi Glos. Ver. Præstitum, notat formã Ecclesiæ generaliter obseruandam esse, neque sine causa omittendã, & Glos. in d. Clem. vlt. Ver. velle de sent. excom. inquit, B absoluere alio quouis modo, quàm seruata forma Ecclesiæ, conuenire soli Romano Pontifici, qui auctor est Canonum non alijs Inferioribus Prælatis & ibi Card. nu. 2. Felin. in d. c. Cum desideres nu. 1. de sent. excom. & Abb. nu. 3. in fi. Sylu. Ver. Suspensio §. 8. Vers. secundum, & citat Host.

Dubitari potest primo, an necesse sit in absolutione exprimere causam suspensionis, nempe vt Iudex dicat, *Absoluo te à vinculo suspensionis, in quam incurristi ob talem causam*, declarando in specie delictum, cuius causa ille, qui absoluitur, fuit vinculo suspensionis obstrictus, Doctores citati & alij omnes recensentes formam absolutionis apponunt inter alias particulas causam suspensionis.

C Respondeo ad validitatem absolutionis non opus esse recensere causam, propter quam in suspensionem inciderit, qui absoluitur, hoc enim extrinsecum est, & alienum ab absolutione, & verba adhibenda in absolutione debent solùm ostendere effectum absolutionis, & est tollere suspensionem, vnde in absolutione generali, quam solent permittere regulariter Confessarij ante absolutionem sacramentalem, ab omni vinculo Censurarum, nullam assignant causam; Quando autem absoluitur quis ab aliqua particulari suspensione, vt intelligatur præcisè concessa absolutio à tali suspensione, sufficit intentio absoluentis; verùm existimo tutius & conuenientius esse non omittere expressionem causæ, sed illam enarrare, D præsertim quando impenditur absolutio à suspensione in foro exteriori, quia de intentione Iudicis absoluentis non potest constare, nisi ipsemet declaret mentem suam, & fieri potest, vt quis sit obstrictus pluribus suspensionibus, quare cùm Iudex exprimit causam suspensionis, eo ipso significat, an ab vna, vel à pluribus, aut omnibus absoluere intendat, & omnes seruant hunc vsum, & morem absoluendo, quem approbant omnes Doctores. Similiter licèt non sit necessarium, vt teneat absolutio, exprimere speciem suspensionis, est tamen vtile & conueniens, vt absolutio clarior sit & absque vlla ambiguitate.

E Dubitatur secundo; An illa particula. *Restituo te &c.* sit necessariò apponenda, vt absolutio teneat & sit valida.

Respondeo simpliciter loquendo absolutionem subsistere etiam prætermissa illa particula verborum, quia effectus absolutionis sufficienter denotatur absque illis verbis, nam eo ipso quòd Superior remouet vinculum suspensionis absoluendo, statim qui erat suspensus, remanet capax, & habilis, sicut antea erat, vt ea vi officij, seu beneficij, quod habebat actus proprios & competentes officio & beneficio exercere valeat. Quare per absolutionem nulla alia restitutio

fit

fit per se, sed quasi per accidens remouendo prohibēs, non tamen sunt omittenda illa verba, quia deseruiunt maiori declarationi, & est vsus communis Ecclesiæ, à quo non est recedendum, cùm ab omnibus Doctoribus approbetur.

Dubitatur tertiò, an in tradenda absolutione à suspensione sit adhibenda aliqua solennitas & ceremonia, præsertim autem quæritur, an sit exigendum iuramentum ab eo, qui absoluitur, scilicet de satisfaciēdo, vel parendo mandatis Ecclesiæ, quòd enim Iureiurando compellendus sit Clericus suspensus, vt promittat velle in futurum obedire præceptis Superioris, videtur colligi ex cap. Super eo, 2. de sent. excom. ibi, *Hoc tibi duximus respondendum, quòd si nullatenus possunt duci ad præstandum iuxta formam Ecclesiæ iuramentum, &c.* Quibus verbis definitum fuit ab Honorio Tertio excommunicatum, vel suspensum absolui non debere, nisi prius iuramento præstito, sed vbi sine scandalo iuramento obtineri nequit, potest tradi absolutio præcedente manuali promissione, & in c. seq. Venerabili, vbi de quadam suspensionis sententia ab Archiepiscopo in Episcopum promulgata hæc ab eodem Honorio dicuntur, *Nos sententiam ipsam relaxauimus ad cautelam ipso Episcopo in præsentia dicti procuratoris præstante corporaliter iuramentum, quòd parebit mandatis, quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit*, Abb. in dicto cap. Super eo numero 1. animaduertit, neque excommunicatum, neque suspensum esse absoluendos absque iuramento de parendo mandatis Ecclesiæ, & idem confirmat de sententia suspensionis in dicto cap. Venerabilis Vers. secundò notanimo in capitulo Super eo, addit ex his duobus Canonibus probari posse iuramentum requiri, antequam impendatur absolutio à sententia suspensionis, idem inquit Felin. in eodem cap. Venerabili Vers. In eadem Glosa ex sententia Io. And. vnde Abb. dictus auctoritate vtriusque textus asserit non esse relaxandam suspensionem absque iuramento.

Oppositum tamen censeo probabilius esse, nimirum non esse necessarium simpliciter & vniuersaliter, vt in absolutione à suspensione exigatur iuramentum ab eo, qui absoluitur, quod euidenter confirmatur ex citato capitulo Super eo, vbi Papa permittit suspensum, qui ad iuramentum præstandum induci non poterat absolui posse sine iuramento cum sola promissione manuali, vbi Glos. Ver. Cum promissione, ita notat, *Hinc euidenter reprobatur opinio illorum, qui dicunt, quòd si iuramentum non interueniat, non est absolutus, Iuramentum enim non est de substantia absolutionis.*

Quòd si obijcias idcirco in casu illius cap. validam fuisse absolutionem sine iuramento, quoniam Papa id permisit qua suspensus induci non poterat ad præstandum iuramentum, vnde infertur, quòd si Papa id non concessisset, non potuisset suspensus absolui sine iuramento, quasi Iure communi statutum sit illud esse de substantia absolutionis à suspensione.

Responderi potest in eo tex. non esse mentionem de sola suspensione, sed de suspensione coniuncta cum excommunicatione, & ideo mirum non esse, si ab illo suspenso opus erat exigere iuramentum, si ad illud præstandum induci poterat, nempe ratione excommunicationis.

Dico secundò exigendum esse iuramentum, vbi impenditur absolutio à suspensione ad cautelam si in alterius præiudicium cedere potest, & hic est casus cap. Venerabili de sent. excomm. Vbi absoluitur à Suspen-A sione à Papa Episcopus suspensus ab Archiepiscopo, & cum de validitate sententiæ dubitaretur, quia dicebatur lata post appellationem, absoluitur ad cautelā præstito iuramento de parendo mandatis Archiepiscopi, quod iuramentum ideo adhibetur, vt si constiterit ipsum culpabilem fuisse in eo, pro quo suspensus fuit debeat parere Archiepiscopo, secus absolutio Iuribus Archiepiscopi præiudicasset; Vnde Glos. in dicto cap. Super eo Ver. Iuramentum de sent. excom. notat iuramentum ad cautelam introductum fuisse, vt qui absoluitur, in futurum eadem non committat, vt in c. Pessimam 23. q. vlt. & cap. Ex tenore de sent. excomm. & ita sentit Felin. in dicto cap. Venerabili Vers. Istud autem, quod requiratur De sent. excommu. dicens id, quod à Doctoribus affirmatur de iuramento requisi-B to in absolutione à suspensione intelligendum esse, quando causa suspensionis postulat aliquam satisfactionem, quia scilicet lata sit propter contumaciam, secus quando quis suspenditur à Iure, vel ab homine propter delictum, tunc enim in absolutione non requiritur iuramentum, & citat in hanc sententiam Innoc. Anto. & Abba. in cap. Si autem de cohab. Cleri. & mulie. & Archid in cap. Cui meritò 11. q. 3.

Sed difficultas est, an ita requiratur iuramentum in huiusmodi absolutione, vt sit de substantia absolutionis, & illo omisso non teneat absolutio.

Abb. in cap. Quæstioni num. 1. De appell. & in cap. Cum desideres num. 8. de sent. excom. duas refert opi-C niones in hac difficultate; Altera fuit Hostiens. & aliorum, qui crediderunt non valere absolutionem iuramento non præstito, quia cum pertineat ad formam absolutionis, est de eius substantia; Quare non seruata forma non tenebit absolutio arg. c. Quia propter De elect. Et licet in dicto cap. Cum desideres dicatur, quòd iuratoria cautio, quam præstat, qui absoluitur, *potius ad cautelam ex consuetudine Ecclesiæ, quàm rigore Canonum sit inducta*, tamen ista consuetudo hodie redacta est ad ius commune; Consuetudo enim habet vim legis, & seruanda est, sicut lea cap In his dist. 11. l. de quibus ff. de legi. Altera est opinio Glosæ in dicto cap. Cum desideres Ver. præstitum, vbi tenet iuramentum exigendum esse, quia forma ab Ecclesia in-D stituta generaliter seruanda est, neque omitti debet, nisi ex causa legitima, vt propter scandalum, sicut in cap. Super eo de sent. excom.

Sed nihilominus, si iuramentum omittatur, valere absolutionem. Idem affirmat Glos. in capit. Super eo, Ver. Cum promissione de sentent. excommunic. Vbi euidenter inquit reprobari opinionem contrariam sentientium; Nam quamuis iuramentum spectet ad formam absolutionis, non inde sequitur esse de substantia, facit ratio sumpta à simili ab ipsa sententia excommunicationis; Nam sicut tenet excommunicatio non seruata forma cap. Sacro de senten. excomm. & notatur in Summa 2. quæst. prima, & in Summa 11. quæst. tertia, ita valere debet absolutio argu. cap. E Verbum de Pœnit. distinc. 1. Facit cap. Venerabilibus in §. Sanè Vers. Si verò constet de senten. excommun. lib. 6. Vbi statuitur absolutionem ab iniusta sententia, validam esse. Et hanc Glosæ opinionem inquit Abb. in dicto cap. Quæstioni numero primo, de appell. & in cap. Cum desideres numero octauo, de sent. excomm. communiter ab omnibus esse receptam, quam sequitur Felin. in eod. ca. Cum desideres in fi. Vbi concludit, quòd quamuis sententia Host. esset vera, nō haberet locū in absolutione ab iniusta excom. in qua nō requiritur iuramentū ab Absoluendo, vt tenet Glos. in

cap. Ab excommunicato Ver. sine difficultate de Rescript. Vbi definitum fuit excommunicatum contra formam cap. Sacro de sent. excom. non esse compellendum ad præstandum iuramentum aut cautionem aliquam, sed esse absoluendum sine omni difficultate. Idem inquit Abb. ibi num 16. Idem confirmat Glosa in c. 1. Ver. Difficultate de sent. excom. lib. 6. & quod dicitur de excommunicatione, idem intelligi debet de suspensione ob eandem rationem.

Ex his omnibus, quæ à Doctoribus communiter afferuntur, ita videtur probabilius responderi per totã hanc difficultatem de iuramento præstando ab eo, qui absoluitur à suspensione, nimirum vt dicamus primò absolutionem traditam absque iuramento tenere & esse validam, cùm non sit de substantia formæ ipsius absolutionis. Secundò suspensum propter contumaciam non debere absolui regulariter absque Iureiurando, sicut exigitur iuramentum iuxta communem morem Ecclesiæ, cùm absoluitur excommunicatus ab excommunicatione, ideo Superiorem impendentem absolutionem ab huiusmodi suspensione absque iuramento cessante legitima causa, & quando exigi potest absque scandalo, non carere culpa. Quod tamen iuramentum non est necessarium, quando quis fuit suspensus propter delictum. Tertiò posse validè, & legitimè suspensum, sicut & excommunicatum iniustè, absolui absque vllo iuramento & cautione, nam vt inquit Abb. in cap. Ab excommunicato num. 16. de rescript. ab iniusta excommunicatione seu suspensione potius datur relaxatio, quàm absolutio.

Iuramentum verò, quod exigi debet à suspenso, dũ absoluitur, continet, vt suspensus promittat parere mandatis Ecclesiæ, & duo debet includere, vt habetur in cap. Ex tenore de sent. excom Primum est, vt in futurum non committat crimen, cuius causa suspensus fuit. Secundum est, si crimen concernit iniuriam aut damnum illatum tertiæ personæ, vt satisfaciat parti offensę, cap. Porrò, & cap. Parochianos de sentent. excommunic.

Quartò quæri potest, an cum quis pluribus suspensionibus est alligatus vnica absolutione ab omnibus liberari possit, vel requirantur tot absolutiones, quot sunt suspensiones, solet enim accadere, vt aliquis sit suspensus pluribus suspensionibus, vel diuersarum rationum nempe ab officio, & beneficio, vel ab ordine & iurisdictione, vel eiusdem speciei, sed diuersis numero, puta quia bis propter duas causas diuersas sit suspensus ab officio, vel alio simili, quæritur igitur, quomodo sit liberandus per absolutionem ab his suspensionibus.

Respondeo fieri posse, vt qui obstrictus est pluribus suspentionibus ab vna absoluatur, & non ab alijs, quia non habent inter se necessariam connexionem, quare, vt cognoscamus, an absolutio sit generalis ab omnibus suspensionibus, an ab aliqua tantùm, inspicienda sunt verba absolutionis, vtrùm limitata sint ad aliquã suspensionem, vel potiùs extendantur ad omnes, id autem intelligi poterit, si in forma absolutionis exprimatur causa suspensionis, tunc enim affirmandum est illam suspensionem relaxari, cuius causa exprimitur, non alias suspensiones, de quarum causis nulla mentio fit. Similiter si plures sint suspensiones à diuersis Iudicibus latæ, & vnum impendat absolutionem, censendum est illam suspensionem tantum remitti, quæ ab illo Iudice prodierat, alias latas ab alijs Superioribus remanere. Eodem modo dicendum est, si vna sit à Iure, alia ab homine, item si vna sit propter delictũ,

A altera propter defectum, nam priori remissa, posterior remanet. At verò, quando potestas absoluentis ad omnes suspensiones extenditur, & ab illo petitur absolutio, vel generaliter ab omni suspensione, vel specialiter explicando modos, & causas illarum suspensionum, tunc vnica absolutione tollũtur omnes, dummodo simpliciter, & absque vlla limitatione detur, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia, nisi constaret de contraria intẽtione absoluentis, quæ si ignoretur, præsumendum est illam consentaneam esse verbis, quæ, quando vniuersalia sunt, indicant intentionem absoluentis similiter generalem fuisse.

Sed hoc in loco animaduertendum est interdum cum aliqua Suspensione Iuris ex culpa, admisceri Irre-
B gularitatem, quare tunc quamuis quis absoluatur à suspensione, nõ potest celebrare, donec dispensetur in ea Irregularitate, vt si quis ante legitimam ętatem sine dispensatione scienter ordinatus sit, licèt absoluatur à suspensione, quam contraxit, quia suscepit ordines ante legitimam ætatem, non tamen statim restituitur habilis ad ministrãdum in ordine suscepto, donec vel ætatem impleat, vel in illo etiam defectu specificè dispensetur, illa enim inhabilitas potius dicenda est Irregularitas, quàm suspensio, admixta tamẽ cum suspensione Iuris ex culpa, quare quamuis absoluatur quis à suspensione, non ideirco potest celebrare, donec dispensetur in ea Irregularitate à Papa, qui solus supplet defectum ætatis. Quòd si absque culpa hoc
C modo recipit Ordines, licèt non incurrat propriè pœnam suspensionis, dicitur tamen latè irregularis, quia impeditus erat recipere, nec potest ministrare, donec ætatem impleat, qua impleta cessat impedimentum absque noua dispensatione, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 155. 202. 241. & cap. 25. num. 70. Item suspensus, propter simoniam cum proprio Episcopo commissam in ordinatione recipit ordines, sed postquam absolutus erit à suspensione, indiget dispensatione Papa, vt possit ministrare in ordine suscepto, & ascendere ad Superiores, qua in re lõge differt prohibitio qua cautur ne notorius Simoniacus, vel alio crimine graui, & depositione digno, & notorio recipiat ordines, vel vtatur ordinibus receptis, ab ea prohibitione qua
D vetitum est ne Presbyter vel Diaconus notorius fornicarius donec pœniteat exequatur ordinem suum, vt in cap. Nullus cap. Præter dist. 32. cap. Scisitantibus 15. q. 8. nam vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 154. Irregularitas ob fornicationem est delebilis ab Episcopo cui fornicarius contraueniens peccat, sed non incurrit aliam irregularitatem; At suspensio Simoniaci est vera censura ex cuius violatione incurritur irregularitas à solo Papa delebilis distincta à suspensione violata. Similiter per saltum ordinatus est, dicitur Irregularis, quia promoueri non potest antequam omissum ordinem recipiat, Syluc. Ver. Irregu-
E laritas §. 13. At reuera suspensus tantum est, Nau. in Manua. cap. 25. num. 71. cap. 1. de ordinat. per saltum, Domi. Sot. in 4. sent. distinct. 25. quæst. 1. art. 3. Bernard. Diaz in sua Praxi Crimin. capit. 20. Et cum ita ordinato potest dispensare Episcopus, si non ministrauerit in ordine, vt notat Simon. Maiol. lib. 4. de Irregula. cap. 12. numero 2. ex Conc. Trident. Sess. 23. capit. 14. de reform. Vbi hæc habentur, *Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus cum legitima causa possit dispensare*. Quartò qui ab Episcopo denunciato, aut simoniaco scienter recipit ordines, ab aliquibus vocatur irregularis, Selua de Benef. par. 2. quæst. 12. Maiol. de Irregula. lib. 4. cap. 22. in fi.

in fi. & cap. 23. in fi. & cap. 25. & lib. 5. cap. 45. Nauar. in Manua. cap. vigesimoseptimo num. 241. §. 4. Sylue. Ver. Suspensio §. 7. sed est solum suspensus, Sylue. Ver. Ordo 3. §. vlt. nisi per ignorantiam excusetur à culpa. Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 6. num. 6. sicut excusatur, qui per metum Ordines recipit à notoriè denunciato, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 241. §. 4. Sed latius de his omnibus disputabo ex professo inferius cum agam de suspensionibus, quæ in Iure continētur.

Animaduertendum est secundò absolutionem à suspensione non solum simpliciter, & absolutè concedi posse, sed dari aliquando ad cautelam, vt eum is, qui suspensus est, prætendit suspensionem fuisse nullam ex aliqua rationabili causa, vt pote lata post appellationem, vel à non habente iurisdictionem, vel alio modo, Itaque si quis cum iuramento affirmet se fuisse suspensum post appellationem, vt inquit Felin. in cap. Apostolicæ nume. 24. de except. & petit absolutionem ad cautelam ad tollendum scandalum aliorum tunc traditur absolutio ad cautelam, vt definitum fuit in specie de excommunicatione in cap. Solet de sent. excom. lib. 6. Et hæc absolutio ad cantelam, vt inquit Gemin. in eod. cap. Solet §. In secunda num. 8. est vera, seu putatiua ab ipsa excommunicatione liberatio. Et hoc remedium extenditur ad suspensionem, vt dicit Gemin. num. 11. & Franc. num. 2. Vers. Immo confert. & de suspensione habetur in cap. Venerabili de sent. excom. & cap. Apostolicæ de except. Quare fuerit hæc absolutio ad cautelam inuenta, quibus verbis fieri debeat, & à quo, & an necessariò dari debeat, similiter an impediri possit, & alias huiusmodi quæstiones tractat Gemin. ibi unm. 8. vsque ad 18. Anchar. Franc. & alij Doctores.

Sed postulabit meritò quis, quem effectum operetur absolutio ad cautelam in suspenso, & ratio dubitandi est, quoniam ideirco petitur, & conceditur absolutio ad cautelam ab excommunicatione, quando dubitatur de nullitate, vt excommunicatus absque scandalo, & aliquo periculo possit communicare cum alijs fidelibus interim dum cognoscitur de validitate sententiæ, & comparere in Iudicio, sed eum suspensus non sit priuatus consortio aliorum, non indiget absolutione ad cautelam ad finem communicandi cum alijs, sicut requirit excommunicatus.

Respondeo plures esse effectus absolutionis ad cautelam; Nam tribuit facultatem communicandi cum alijs, participandi Sacramenta tam actiuè, quàm passiuè, per eam prouidetur Ecclesiæ, vt non eareat Ministro, si alligatus Censura Ecclesiæ inseruiebat, sicut in cap. Apostolicæ de except. Absoluuntur aliqui ad cautelam à Suspensione per modum exceptionis eis oppositam, contra quam de nullitate respondebatur, ne ordinatio Ecclesiæ retardaretur. Similiter hæc absolutio datur, vt possit quis testimonium ferre ad eliciendam veritatem à teste, vt in cap. Veniens de Testi. Vt admittatur Actoris petitio realis, vel personalis, contra quem excipitur de Censura, & ipse dicit de nullitate, & propter alios fines, vt inquit Gemin. in dicto cap. Solet §. In secunda num. 15. de sent. excomm. lib. 6. Quare licèt propter hæc omnia absolutio ad cautelam non sit necessaria in suspenso, sed solum in excommunicato, quæ est præcipua species Censurarum, satis est, si in suspenso vim habeat quoad aliquos effectus; Ideo si quis esset suspensus ab officio, vel Iurisdictione, aut ordine tali absolutione ad cautelam habita potest statim absque vllo pœnæ periculo exercere munus suum, & actus Iurisdictionis, aut ordinis exequi, pendente enim lite super validitate, vel nullitate Suspensionis, suspensus non debet vllo modo immiscere se diuinis, antequam obtineat absolutionem ad cautelam, ne si suspensio postea declarata fuerit valida, irregularitatem contraxisse inueniatur, si suspensio erat ab Ordine, vel Reus violatæ suspensionis saltem, si non erat ab ordine. Hoc autem periculum euitatur post obtentam absolutionem ad cautelam. Et de Absolutione hæc sufficiant, sitque finis impositus tractationi de suspensione in genere, superest, vt sequētes methodum, quam seruauimus in materia de Excommunicatione, explicemus in specie varias suspensiones ipso Iure latas in pœnā diuersorum criminum; Non est autem nobis propositum explicare omnes suspensiones, quæ in corpore Iuris continentur, sed principaliores, & frequentiores; In quibus declarandis multa occurrunt, quæ in controuersiam & dubitationem reuocari possunt, & ideo postulant distinctam, & particularem pertractationem.

DE SVSPENSIONIBVS IPSO IVRE LATIS ADVERSVS VARIA ECCLESIASTICARVM PERSONARVM GENERA.



PLVRES sunt, & diuersæ suspensiones, quæ in corpore Iuris continentur; Aliquæ sunt communes omnibus Clericis sub hac ratione formali, quatenus Clerici sunt, Quædam in specie latæ sunt contra Episcopos, & alios Prælatos, ac Superiores seculares, aut Regulares. Item quæ communes sunt omnibus Clericis; Aliæ contrahuntur in ipsa Ordinatione; Aliæ post Ordinationem.

Rursus in ipsa Ordinatione multis modis incurritur suspensio ob non seruatam dispositionem Sacrorum Canonum, nempe ex parte Ordinantis, ex parte Ordinati, ratione temporis, in quo fit Ordinatio, & occasione ipsiusmet ordinationis; Adhuc ex parte ordinantis plures dantur casus, in quibus ipso iure contrahitur suspensio, nimirum cum quis ordinatur ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, vel ab Episcopo

po excommunicato, aut ſuſpenſo, vel depoſito, aut ab Epiſcopo Hæretico, ſiue ſchiſmatico, val ab eo, qui non eſt canonicè electus, vel ab alieno ſine literia dimiſſorijs ſui Epiſcopi.

Poſt ordinationem contrahuntur aliquæ ſuſpenſiones ob prauum vſum Ordinum; Quędam autem oriũtur ex Eccleſiaſticis muneribus, vel ex decentia Ordinis Clericalis, vel dignitate ſtatus Eccleſiaſtici. De quibus omnibus differendum eſt, vt exactam, & completam ſuſpenſionis cognitionem conſequamur.

DISPVTATIO NONA.

DE SVSPENSIONE, QVAE IPSO Iure incurritur in Suſceptione Ordinum ex defectu Ordinantis.

SVpponendum eſt ante omnia vnum, nempe ſuſpenſionem nunquam incurri ipſo facto, niſi in caſibus in Iure contentis; nam iuxta regulam communem de pœnis fuſius in materia de excommunicatione tractatam; Cum res dubia eſt in mitiorem partem faciẽda eſt interpretatio, vt ſit potius ferenda, quàm lata, atque ita requiratur Iudicis ſententia condemnantis reum propter crimen commiſſum in pœnam ſuſpenſionis, vel ſaltem declarantis ob eandem cauſam incidiſſe in ſuſpenſionem à Iure latam. Vt igitur abſque vlla ſententia ſtatim ac quis legem violauit, intelligatur tali ſpecie ſuſpenſionis obſtrictus, neceſſe eſt, vt legiſlator ita expreſsè in Iure ſtatuerit.

Caput Primum, De Suſpenſione, qua ipſo iure obſtringitur, qui Ordines ſuſcipit ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit.

Caput Secundum, De Suſpenſione, quæ incurritur ob ſuſceptionem Ordinum ab Epiſcopo excommunicato, aut Suſpenſo, vel Interdicto.

Caput Tertium, De Suſpenſione, quæ Contrahitur ob ſuſceptionem Ordinis ab Epiſcopo Hæretico, vel Schiſmatico.

Caput Quartum, De Suſpenſione, quæ incurritur ob receptionem ordinis ab Epiſcopo Simoniaco.

Caput Quintum, An incurratur ſuſpenſio ob receptionem Ordinis ab Epiſcopo manifeſto fornicario, vel alio notorio crimine maculato.

Caput Sextum, An contrahatur ſuſpenſio, ſi ordines recipiantur ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii, & ſine literis dimiſſoriis.

CAPVT I.

De Suſpenſione qua ipſo iure obſtringitur, qui Ordines ſuſcipit ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit.

IN cap. 1. de ordinat. ab Epiſc. qui renunc. Epiſcop. Alexãder Tertius requiſitus, vtrùm Clerici ab huiuſmodi Epiſcopis, qui renunciarunt Epiſcopatui, ordinati in ipſis deberent ordinibus remanere. Reſpondet difficultati propoſitis quibuſdam diſtinctionibus, & limitationibus, inquit enim primò Epiſcopum renũciare poſſe Epiſcopatui duobus modis, vel loco tantùm, vel loco ſimul, & dignitati. Dicitur renunciare loco, qui Epiſcopatum dimittit, ideſt officium, & poteſtatem iuriſdictionis. Dignitati intelligitur renunciare, qui quantum eſt in ſe poteſtatem ordinis Epiſcopalis etiam dimittit, ac ſe priuat vſu eius. Et qui hoc modo renunciat Epiſcopatui, ſi renunciatio à Summo Pontifice admittitur, poſt factam renunciationem auctoritate Papæ admiſſam, non poteſt licitè proprios actus Epiſcopalis ordinis exercere, quamuis ſi de facto illos exequi audeat, validi ſint, quia character deleri nequit, in quo conſiſtit poteſtas ordinis, quæ ad valorem actus ex ſolo ordine prouenientis, & poteſtatem iuriſdictionis non requirentis, ſufficiens eſt, licèt peccet, qui Iure prohibente illum exercere præſumit.

Poſita diſtinctione dicit Summus Pontifex primo quod pertinet ad Epiſcopum, qui renunciet ſolùm loco, ordinatum ab huiuſmodi Epiſcopo nullam ſuſpenſionem incurrere, quia talis Epiſcopus rogatus ab alio rectè poteſt ordines conferre, & ordinatus ſine culpa, & pœna recipit ordines, & vſum eorum. Non declaratur autem in eo tex. Vtrùm ſi hic Epiſcopus, ordines conferat non rogatus ab Epiſcopo proprio ipſius ordinati, ſed vſurpando iuriſdictionem ipſe ordinatus incurrat aliquam ſuſpenſionem. Et aliqui putant ordinatum in eo caſu manere ſuſpenſum, quia Papa videtur requirere illam conditionem, ſcilicet vt Epiſcopus, qui renunciauit Epiſcopatui, conferat ordines rogatus ab alio Epiſcopo, vt ordinatus non incurrat ſuſpenſionem. Alij cenſent non contrahi ſuſpenſionem ex illo capite in hoc caſu, ſed ex alia cauſa ſi incurritur, ſcilicet, quia ordines recipiuntur ab Epiſcopo non ſuo ſine licentia ſui Epiſcopi, de qua ſuſpenſione poſtea tractabitur.

Quòd ſi Epiſcopus renunciauit etiam dignitati; Summus Pontifex in eo tex. ſubdiſtinguit; Nam vel contulit Ordines minores, vel maiores & ſacros; Item vel ſunt collati ſcienter à tali Epiſcopo, vel ignoranter, ſuſcipiens ordines minores ab huiuſmodi Epiſcopo nullam Suſpenſionem incurrit; Reddit rationem, quia ordines minores etiam ab eo, qui non eſt Epiſcopus, conferri ſolent. Quare quamuis Epiſcopus renunciauit Epiſcopatui, non ſtatim cenſetur renunciaſſe huic poteſtati conferendi ordines minores; Et hæc eſt ſecunda concluſio in hac difficultate, quæ colligitur ex reſponſione Summi Pontificis in illo tex.

Sed occurrit dubitandum de hac Concluſione; An habeat locum etiam in collatione Subdiaconatus, & ratio dubitandi oritur, quoniam in dicto cap. 1. De Ordinat. ab Epiſc. qui renunc. Epiſco hæc habentur, *Si enim à tali* ſcilicet Epiſcopo, qui renũciauit Epiſcopatui, *Ordines vſque ad Subdiaconatum aliquis acceperit, quia & huiuſmodi ordines à non Epiſcopis quandoque conferuntur.* Quare ſub hac diſpoſitione Ordinum minorum videtur comprehendi Subdiaconatus.

Reſpondendum eſt hanc concluſionem de ordinibus minoribus non includere Subdiaconatum, qui non eſt Ordo minor, ſed maior & ſacer. cap. A multis De Aeta. & Qualit. Abb. in eod. cap. 1. nu. 4. De Ordinat. ab Epiſc. qui renunc. Epiſcop. & dictio illa *Vſque* ad Subdiaconatum in eod. tex. vt ibi notat Gloſ. Ver. Vſque, habet uim excluſiuam, ſicut ponitur in l. Ait Prætor ff. de his qui notan. infam. licèt aliquando maneat incluſiuè, cap. A Subdiacono diſt. 93. l. vlt. §. Senatores ff. de Senator.

Secundò dubitari poteſt de validitate rationis, qua vtitur Summus Pontifex, vt probet non incurrere ſuſpenſionem promotum ad ordines minores ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui, licèt enim aliqui Abbates ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ poſſint conferre ordines minores, tamen Miniſter proprius iure ordi-

ordinario, qui ex officio hos ordines tradere potest, est solus Episcopus, ergo qui renunciauit Episcopatui, non poterit ordines minores cõferre, quia qui renunciat Episcopali dignitati, non poterit postea ex vi illius aliquid operari.

Respondetur renunciationem dignitatis Episcopalis Iure communi ita declarari, vt intelligatur facta, & admissa per Summum Pontificem quoad illos actus ita proprios dignitatis Episcopalis, vt per simplicem Sacerdotem carentem ordine, seu consecratione Episcopali exerceri non possint. Quare videtur Summus Pontifex statuere voluisse, vt Episcopi ita renuncient Episcopatui, vt nullo modo velint à se abdicare potestatem conferendi illos ordines, & exercendi illas functiones Ecclesiasticas, quæ per Abbates, & alios Inferiores Pręlatos similes exerceri possunt; Nam id videtur pertinere ad honorem, & maiestatem ordinis Episcopalis, qui annexus est personæ ipsius Episcopi inseparabiliter, & illum semper consequitur, quantumuis Episcopus dignitati renunciet, nisi ipse Episcopus expressè denunciaret dignitati etiam quoad hos actus, & Papa huiusmodi renunciationem admitteret, tunc enim non liceret Episcopo, qui hoc modo renunciasset, conferre ordines minores, nam in eo casu ea speciali modo concessionis, & admissionis Summi Pontificis, non minus renunciaretur dignitas Episcopalis, quoad minores, quam quoad maiores ordines, sicut si Abbas habens facultatem conferendi ordines minores renunciasset suæ dignitati, & priuilegio, non posset illos ordines conferre.

Si postulet quispiam, an recipiens minores ordines ab Abbate, qui ad hunc modum suæ dignitati renunciauit, suspensus maneat; Respondendum erit hanc suspensionem non esse ad huiusmodi casum extendenda, quia in pœnalibus ex paritate rationis non conuenit, vt ab vno casu ad alium inferamus.

Tertiò dubitari potest, quia Summus Pontifex loquens in primo casu de ordinato ab Episcopo, qui renunciauit loco, addit conditionem, si Episcopus talis conferat ordines rogatus ab alio Episcopo, tũc enim nullam incurri suspensionem affirmat, quam conditionem non repetit in secundo casu, cum ordines minores recipiuntur ab Episcopo, qui renunciauit dignitati, quasi inde inferri possit nullam incurri suspensionem, aut aliam censuram in hoc secundo casu, quamuis ordines minores conferrentur ab huiusmodi Episcopo sine licentia proprij Episcopi.

Respondeo illam conditionem æquè esse necessariam in hoc secundo casu, sicut in primo, quamuis repetita non fuerit, nam vt ordinatio sit legitima, & fiat absque peccato, requiritur licentia, & iurisdictio Episcopi non tantum in collatione Ordinum maiorum, sed etiam minorum: Episcopus autem, qui renunciauit Episcopatui quoad dignitatem, multò magis renunciauit quoad locum, & ideo amisit iurisdictionẽ, ideo indiget facultate proprij Episcopi, vt ordinatio licitè fiat. Sed Summus Pontifex in tex. tacuit illam conditionem, quoniam agebat solam de suspensione, quæ contrahitur ex eo, quòd quis ordinatur ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui. Quòd si incurritur suspensio, vel alia censura, si recipiantur ordines ab Episcopo alieno sine licentia proprij, id oritur ex alio capite, nimirum quia sine debita iurisdictione exercetur actus pontificalis.

Tertia conclusio, quæ desumitur ex eodem cap. 1. de ordina. ab Episcopo, qui renuncia. Episcop. & respicit Sacros ordines; qui recipit sacros ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui quoad dignitatem, incurrit suspensionem: Priuatur enim executione ordinis suscepti, siue scienter, siue ignoranter a tali Episcopo ordines susceperit, sed diuersimodè; Nam si scienter hoc modo ordinem sacrum suscepit, caret simpliciter executione ordinis tanquam indignus, ita vt Summus Pontifex solus possit cum illo dispensare; si verò ignoranter, poterit proprius Episcopus dispensare: sic enim habetur in tex. *Si ignoranter id factum sit, poterit, nisi crassa, & supina fuerit ignorantia discretus Pontifex dispensare.* Et hæ tres conclusiones approbantur ab omnibus. Ita sentit Specul. in tit. De Dispensa. §. Iuxta num. 13. vers. Item est irregularis. Innoc. & Abb. & alij Doctores in eod. cap. 1. De ordin. ab Episc. qui renunc. Episcop. B. Antoni. in 3. par. Summæ titu. 26. De suspensione cap. 4. col. 3. Vers. Qui recipiunt aliquem, Sylue. Ver. Ordo 3. § 5. & Irregularitas §. 10. Angel. Ver. Irregularitas num. 31. Tabien. Irregularitas 4 num. . Vers. Sexto, Palud. in 4. sent. dist. 25. art. 3. q. 1. Domin Sot. ead. dist. q 1. art. 3. Vers. In ordinatione committuntur, Host. in Summa in tit. De ordinat. ab Episc. qui renunc. Episcop. §. 1. Vers. Quid si a tali, Maiol. De irregular. lib. 4. capite 20. num. 5. Bernard. Diaz in pract. crim. cap. 31. Nauar. in Manua. ca. 27. nu. 241. Vers Tertio dico.

Ex his, quæ habentur in illo cap. 1. De ordinat. ab Episc. qui renuncia. Episcop. Primò insurgit quæstio, Vtrum pœna ibi imposita contra ordinatos illicitè modo prædicto, sit irregularitas, vel suspensio, & de hac duplici pœna solum dubitari potest, quoniam seclusa excommunicatione non potest impediri executio officij Ecclesiastici, nisi vi alterius pœnæ ex his duabus, scilicet vel suspensionis, vel irregularitatis, ita tamen impeditur, vt tamen tale impedimentum remoueri possit virtute dispensationis ad excludendam depositionem, & degradationem.

Quòd pęna ibi imposita rationẽ potius habeat irregularitatis, quàm suspensionis, probari potest primò ex verbis illius cap. 1. *Quia indignum se fecit, executionem officii non habebit*, quæ videntur indicare perfectam priuationem, quæ propriè ex irregularitate cõsurgit, quia suspensus non videtur carere executione officij, sed solummodo detineri, ne illud exerceat, quãuis executionem habeat. Vnde in cap. Inquisitionis de Accusa. per impedimentum executionis ordinis suscepti denotatur irregularitas ex homicidio proueniens; Secundo quoniam Summus Pontifex in eod. cap. 1. affirmat posse super tali impedimento dispensari. At dispensatio propriè cadit in irregularitatem, non autem in suspensionem, quæ propriè tollitur per absolutionẽ, non per dispensationem. Tertiò Summus Põtifex dat ibi potestatem Episcopo dispensandi in illa pœna, quando ordo non fuit scienter receptus ab Episcopo, qui modo prædicto renunciauit Episcopatui; Quæ cõditio necessaria est, vt Episcopus possit dispensare in irregularitate, secus est, si loquamur de suspensione, quæ quoties non reseruatur in Canone, semper & in omni casu censetur concessa Episcopo, vt probatum est præcedenti Disputatione ex cap. Nuper de senten. excommun.

Differt verò suspensio ab irregularitate inter alia, quòd suspensio propriè respicit vsum ordinis iam suscepti, cuius executionem, & exercitium impedit, irregularitas per se primò prohibet receptionem Ordinis, scilicet vt quis ad ordines licitè promoueri nequeat, secundariò & ex consequenti impedit executionem ordinis suscepti.

Ad

Ad hanc difficultatem puto dicendum esse pœnam latam in cit.cap.1.contra ordinatos ab Episcopis,qui Episcopatui renonciarunt, magis habere rationem suspensionis,quàm irregularitatis;Nam Glo.ibi Ver. Executionem appellat huiusmodi pœnam suspensionem. Similiter Abb.num 6.Et cum suspensio sit mitior pœna, quàm irregularitas; In dubio benignior interpretatio est facienda. Accedit,quòd sic Ordinatus nõ prohibetur ab executione omnium Ordinum, quos habet,sed tantum ab illo,quem ab huiusmodi Episcopo suscepit,quia in eo punitur,in quo deliquit,& ab ea executione solum suspenditur, quam Episcopus dare non potuit; Idcirco illa pœna non erit irregularitas, quę simpliciter tollit executionem omnium ordinum.

Quamobrem probabiliter putarem pœnam appositam à Summo Pontifice in dicto cap. 1 de ordin. ab Episc.qui renunc.Episc. non esse irregularitatem, sed suspensionem; Doctores tamen diuersimode loquuntur,& aliqui oppositum sentiunt,vt Sylue.Ver.Irregularitas §.10 Nauar.in Manua.cap.27.num.241.Vers. Tertiò dico.Maiol.lib.4.De irregular.cap 20.num.5. Palud.in 4.sent dist 25.art.1.quæst.3. Domin.Sot.eadem dist.quæst.1.art.3. & alij, quorum opinio non est improbanda.

Si tueamur contrariam sententiã non obstat,quòd in dicto ca.1.Summus Pontifex sumat verbum dispensandi,quod irregularitati,non suspensioni propriè cõuenit; Nam quamuis suspensio, quæ est censura, relaxetur per absolutionem, illa tamen, quæ solius pœnæ C rationem habet,vel impedimenti,per dispensationem tollitur,qua in re conuenit cum irregularitate.

Obijcies, quamuis suspensio perpetua, vel ad certum tempus,illo decurrente per dispensationem tollatur; Illa tamen, quæ indefinitè fertur imitatur eam, quæ est propter contumaciam,quæ per absolutionem remittitur,huiusmodi videtur suspensio,quæ in cit.ca. 1.fertur: Dicitur enim simpliciter in tex. *Executionem officij non habebit*.

Respondeo hanc formam inferendi censuram ambiguam esse, & posse dici perpetuam, si attendantur circunstantiæ,quæ in illo cap.1. afferuntur, nempe ex illa particula. *Quia indignum se fecit*,tum etiam quia D conceditur in aliquo casu ibi dispensatio Episcopo: Secundò dici potest duplex esse genus suspẽsionis, Altera est enim, quæ tollit vsum antea habitum, altera, quæ impedit ab initio illius acquisitionem;Et hæc natura sua est perpetua, & reseruata Summo Pontifici Iure ordinario, & est similis irregularitati, & talis est suspensio illius cap. 1. Ideo verè dici potest illam tolli per dispensationem.

Secundò dubitari potest circa verba postrema dicti cap. 1. Vbi permittitur Episcopo, vt possit dispensare cum Ordinato ignoranter ad ordines sacros ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui quoad dignitatem,nisi crassa,& supina fuerit ignorantia. Quare videtur Papa velle statuere,vt possit dispensare Episco- E pus in hoc casu, si ordinatus ex ignorantia probabili id fecerit. At quando probabilis,& inuincibilis ignorantia intercedit. ordinatus excusatur à culpa, ergo non indiget dispensatione; Nam in cap. Apostolicæ de Cleri.excom.mini. definitum fuit de Clerico suspenso celebrante, quòd si tempore suspensionis ex ignorantia probabili celebrauerit, excusatur ob ignorãtiam: Si autem ignorantia supina, & crassa, aut erronea fuerit, tunc indiget dispensatione, ergo pari ratione dicendum est in casu cap. 1. De ordin. ab Epi. qui renunc. Episcop.Idem confirmatur in ca. Vt animarum.

A De Constit. lib. 6. Quod ratione quoque probari potest; Nam suspensio cum sit pœna, & censura, non incurritur,nisi propter culpam,vt superius probatum fuit: Ignorantia verò probabilis, & inuincibilis excusat ab omni culpa ex citatis iuribus: Igitur ordinatus hoc modo ignoranter non indiget dispẽsatione. Quãdo verò esset ignorantia crassa, & supina, Episcopi dispensatio non suffragaretur, cum expresse id caueat Summus Pontifex eod.cap.1.illis verbis, *Nisi crassa, & supina fuerit ignorantia*; Ideo dubitant Doctores de mente Summi Pontificis in eo tex.

Ignorantia crassa,& supina, vt communiter interpretantur Iuris Pontificij Doctores appellatur in Iure omnis ignorantia simpliciter culpabilis, scilicet quando ignoratur, quod publicum est, vt notat An- B char.in cap.Animarum num.3. de Constit.lib.6. Quæ ignorantia æquiparatur scientiæ, Gemin.ibi nume.5. Franc.num.4. Abb in cap.1.nu.6. De ordina. ab Episc. qui renunc. Episcop. quæ verò distinguitur ab huiusmodi ignorantia, dicitur inculpabilis, seu probabilis, vt patet ex dicto ca. Vt animarum de Constit.lib.6. & ex c.Apostolicæ de Cleri excom. mini.

Glos. in dicto cap. 1. Ver. Ignorantia de ordin. ab Epis.qui renunc.Episc. interpretatur textum de ignorantia probabili, idest Episcopum posse dispensare cũ ordinato hoc modo ab Episcopo,qui renonciauit Episcopatui, si probabiliter hoc ignorabat. Et cum obijcitur probabilis facti ignorantia, quemlibet excusat C ab omni culpa, ergo non est necessaria dispensatio; Respondet duobus modis,primò ordinatum à tali Episcopo fuisse in culpa recipiendo ordines ab Episcopo non suo, ca.Lugdunensis 9. q.2. & hanc ob causam indigere dispensatione, secundò & melius in tali casu etiam supposita probabili ignorantia necessariam esse dispensationem, quia cum ordinator non haberet executionem sui officij, eam non potuit alteri conferre, vt igitur executionem ordinis habere possit, indiget dispensatione.

Innoc.in eod.cap: 1.refert hanc posteriorem Glosæ solutionem, sed non approbat, secundò inquit ideo necessariam esse dispensationem, quia non erat sine suspicione scientiæ, præsumitur enim notitia in ordi- D nato, renonciationis factæ per Episcopum, à quo ordinem recepit. Vel quamuis ordinatus ignoranter fecerit,& ideo patiatur pœnam sine culpa, non tamen sine causa, vt homines sint cauti, à quibus Episcopis ordines recipiunt,& in vituperium, & infamiam ordinantium. Tertiò concludit quòd sibi magis placere asserit In his necessariam esse dispensationem, quia taliter ordinati præsumuntur sciuisse, quales erant Episcopi, à quibus promoueri patiebantur.

Abb in eod.cap.1. num.6. recenset vtramque solutionem Glos. & secundam sequi videtur; Nimirum ignorantiam aut scientiam facti in recipiente nõ posse supplere, vel tollere defectum prouenientem ex defectu potestatis ipsius agentis, quod enim quis non E habet,alteri dare nequit,& carens executione illam alteri tribuere non potest,cap.Daibertum 1.q.7. & c. Quod autem de Iu.Patron. Vnde sequitur ignorantiã non excusare suscipientem Ordines ex defectu ordinantis, nam excusat solum à culpa doli, vel negligentiæ, si ignorantia probabili accesserit ad talem Episcopum, sed non tribuit, quod ab agente dari non potest.

Eandem Glosæ interpretationem sequuntur alij,& communiter omnes tenent, quòd si quis sacros ordines ab huiusmodi Episcopo scienter, vel crassa, & supina

piua ignorantia, quæ scientię æquiparatur, receperit, A indiget dispensatione Papæ, si verò ignorantia fuerit probabilis, ab Episcopo dispensari potest. Quare in vtroque casu necessaria erit dispensatio; Nam licet in posteriori casu nulla interueniat culpa in Ordinato contrahitur tamen Suspensio sine culpa, quia non est priuatio vsus iam aliquando habiti, sed impedimentum, ne recipiatur. Priori enim modo nemo suspenditur, nisi ob propriam culpam, si Suspensio habet rationem pœnæ, vel si habet rationem inhabilitatis, seu Irregularitatis, ob aliquem defectum, propter causam propriam in ipsomet Ordinato inuentam. Posteriori modo efficitur quis suspensus solùm propter defectũ dantis, quando caret potestate dandi vsum & executionem Ordinis; Tunc enim illa suspensio non est pœ- B na, nec priuatio superueniens, sed defectus, qui prouenit ex sola carentia potestatis in ipso Agente, sicut enim qui existimatur Episcopus, si re ipsa non sit, & careat charactere Episcopali, non confert Ordinato Characterem, & id ex diuina institutione; Ita quoque ex dispositione Iuris Ecclesiastici, si Episcopos habeat characterem absque potestate vsus seu executionis ad suum ministerium, & tenet conferre ordinem peccat, sed characterem imprimit, cum hic effectus impediri non possit ab Ecclesia, Character tamen collatus inhabilis est ad vsum seu executionem, cùm Episcopus careret executione, & ideo non potuerit illam alteri tradere, & hac de causa opus est dispensatione. C

Non obstat cap. Apostolicę De Cleri. Excom. Mini. Vbi definitum fuit à Gregorio nono, Clericum suspensum, vel excommunicatum ignoranter celebrando non indigere dispensatione, nisi ignorantia sit crassa & supina, quia in eo tex. agitur solum de irregularitate ob culpam imposita. Similiter in cap Vt animarum De Sent. Excom lib. 6. tractatur de pœnis statutorum, quæ non afficiunt ignorantes, ideo non est eadem ratio.

Præsumitur autem Ordinatus probabiliter ignorasse hunc defectum Episcopi, vt inquit Host. in Summa De Ordin. ab Epi. qui renunc. §. 1. Vers. Quid si à tali, quem refert, & sequitur Bernard. Diaz in Pract. Crim cap. 21. nu. 3. si Episcopus renunciauit in Curia, D & rediens in patriam affirmet se non renunciasse dignitati, vel si omnino tacuit resignationem.

Si postulet quis, quid dicendum, quando Episcopus simpliciter renunciauit, an censendum sit renunciasse loco tantum, vel etiam dignitati.

Host. proximè citatus plura dicit ad hanc difficultatem, ex eius tamen dictis colligitur responsio cum distinctione, vt dicamus, si Episcopus renunciauit propter crimen, putandum esse renunciasse dignitati, cap. Post translationem De Renuncia. si verò renunciauit ob aliam causam, puta vtilitatem Ecclesiæ, vel similem, credendum est renunciasse loco, & dignitatem seu Ordinis executionem retinuisse; Et ne præsu- E matur quis criminosus, in dubio pręsumendum est renunciasse loco, non dignitati, vt inquit Abb. in dicto cap. 1. nu. 8. De Ordi. ab Epi. qui renunc.

Hæc tamen Suspensio, seu Irregularitas incurritur ab eo, qui recipit Ordinẽ sacrum ab huiusmodi Episcopo, qui renunciauit dignitati siue Ordini, quãuis de consensu Ordinarij id faciat, vt tradit Nauar. in Manua cap. 27. nu. 241. Vers. Tertiò dico, & Maiol. lib. 4. De Irregular. cap. 20 nu. 6. Ordinans verè Episcopus, licèt peccet, nullam incurrit Censuram.

CAPVT II.

De Suspensione, quæ incurritur ob susceptionem Ordinum ab Episcopo Excommunicato, aut Suspenso, vel Interdicto.

HÆc est secunda Suspensio lata in Iure ob causam suscipiendi ordines illicitè; Qui enim ab Episcopo excommunicato, aut suspenso ordines recipiunt, ipso facto remanent suspensi ab executione ordinum; In tali enim ordinatione imprimitur Character, sed non traditur executio, vt notat Glos. in capit. 1. Ver. Quod ordinatio. 9. q. 1. Nam cum executionem non habuerit Ordinator, eam alteri conferre non potuit cap. Daibertum 1. q. 7.

Quòd si in eod. cap. 1. dicatur, *Quòd ordinatio, quæ ab excommunicatis celebratur nullas omnino vires obtineat, nec etiam consecratio appellanda sit*, quod desumitur ex B. Gregor. lib. 3. Epist. 20. quasi videatur statuere huiusmodi ordinationem esse irritam, & nullam non rãtum ex defectu executionis Ordinis, sed etiam quoad substantiam, ita vt nullus sit Character impressus. Respondet difficultati ibi Turre Crem. num. 1. dicens dupliciter dici posse ordinationem aliquam ratam, nempe quantum ad veritatem ordinis, & quantum ad executionem. Primo modo ordinatio quæcunque facta seruata forma Ecclesiæ ab Episcopo excommunicato, suspenso, hæretico, schismatico, seu quauis alia censura, & vinculo impedito habenda est rata, & valida quantum ad veritatem ordinis & impressionem Characteris, vt pluribus argumentis probat idem Turre Crem. in cap. Qui perfectionem 1. q. 1. Secundo modo ordinatio facta ab Episcopo excommunicato, suspenso &c. non est rata quoad executionem, quia ordinati ab huiusmodi Episcopis non possunt ministrare in ordinibus susceptis, sed est dispensatio necessaria.

Quod dicimus de Episcopo excommunicato, & suspenso, idem est intelligendum de Deposito, degradato, & interdicto; Eadem enim est de omnibus ratio, & sob eodem genere comprehenduntur ordinati ab Episcopo Hæretico, simoniaco, aut schismatico, quoniam sunt Excommunicati, & suspensi ab vsu ordinum, & idcirco incurritur suspensio ipso iure ab ijs, qui suscipiunt ordines ab huiusmodi Episcopis, quatenus sunt excommunicati, aut suspensi; De quibus postea tractabimus sub peculiari ratione, quatenus tales sunt formaliter, scilicet Hæretici, Schismatici, aut Simoniaci.

Hæc conclusio desumitur ex ca. 1. & 2. De schismat. Vbi hæc habentur, *Priorem, quem à schismatico asseris ordinatum ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitimè probauerit secum fuisse misericorditer dispensatum*. Facit cap. Gratia. 1. q. 1. cap. 2. De ordi. ab Epi. qui renuncia. Episcop. cap. Qui perfectionem cum Glos Ver. Plenitudinem 1 q. 1. præter hoc §. Verum dist. 32. cap. 1. & vlt. De eo qui furti. ordi. recept. cap. Cum illorum de sent. excom.

In hac conclusione conueniunt omnes Doctores, Host. in Summa tit. de Temp. ordin. §. Et à quo num. 6. Vers. Hæc igitur sit fides tua, Abb. in cap. x. num. 1. de ordi. ab Epi. qui renunc. Episcop. B. Antoni. 3. par. tit. 27. cap. 4. col. 3. Vers. Item ordinati ab Hæretico, Syloe. Ver. Irregularitas §. 9. Vers. Septimò quæritur, Tabien. Ver. Irregularitas 4. nume. 6. Vers. Quinto, & Ver. Suspensio num. 7. Vers. Sexto casu octauo, Nauar. in Manua. cap. 25. num. 69. Couar. in cap. Alma Mater §. 6. num. 6. Maiol. de irregular. lib. 4. ca. 24. 25. 26.

Bernard. Diaz in Pract. Canon. Crim. cap.28. Turre Crem.in §.Quod ordinatio 9. q. 1. A

Sed primo loco controuertitur inter Doctores, An ordinatus hoc modo, idest ab Episcopo excommunicato, suspenso, deposito &c fine culpa sua, idest ignorans probabiliter dictam excommunicationem, aut aliam censuram, qua obstrictus est ordinans, maneat nihilominus ipso iure suspensus, ita vt non possit ministrare in ordinibus susceptis, neque eorum executionem habere ante obtentam dispensationem.

Aliqui existimant in hoc casu interueniente ignorantia inuincibili, & probabili ordinatum non remanere suspensum, sed habendam esse ratam ordinationem, & absque vlla dispensatione ei ordinum executionem permissam esse, posseq; absoluere Irregularicatis periculo in susceptis ministrare, & ad alios ordines promoueri. Fundamentum huius opinionis esse potest, quia hęc suspensio imponitur à iure in pœnam, quæ cessat non supposita culpa. Huius sententiæ fuit Innoc. in cap. 1. nu. 4. De Schismat. vbi confirmat hoc dictum. Primo quia nullibi in iure reperitur statutum, vt hoc modo ordinatus priuatus sit executione sui Ordinis, nisi scienter id fecerit. Sic enim loquitur ca Qui perfectionem 1. q. 1. & §. Verum dist. 32 Secundò quoniam Papa immeritò pœna suspensionis probabiliter ignorantes afficere debuisset; Hoc enim contra naturalem æquitatem esse videtur. Tertiò quamuis in c. 1. & 2. De ordina. ab Epi. qui renunc Episcop. definitum fuerit ordinatum ignoranter ab Excommunicato indigere dispensatione, tamen hoc intelligendum est, quando ignorantia est crassa, & supina, quæ culpabilis est. Quòd si in dicto cap. 1. dicatur in casu ignorantiæ probabilis Episcopum posse dispensare, inquit Innoc. illud statutum fuisse, quia nō potest esse sine suspicione scientiæ, quando renunciatio facta fuit publicè, & manifestè. Sententiam Innocen. approbat & sequitur Abb. in cap. Veritatis num. 46. de dolo, & contum. licèt dicat contrariam esse tutiorem, & pro opinione Innoc. citat Collecta. in cap. fin. de ordi. ab Epi. qui renuncia. Episc. Idem confirmat Abb. in ca. Ad probandum num. 15. & Felin. nu. 7. Vers. Item dum dicit Abbas, de sent. & re iudi. Idque putat esse verius Alphon. à Castro lib. 2. De Potest. leg. pœna. cap. 15. colum. 14. Vers. Tertia principalis conclusio. Pro hac sententia facit cap. Si qui à Simoniacis 1. q. 1. *Si qui à Simoniacis non simoniacè ordinati sunt, si quidem probare potuerint se cum ordinarentur nesciisse eos simoniacos esse, & si tunc pro Catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen eos laudabilis vita commendat,* Ex quibus apparet permissum esse, vt ordinati à simoniacis, qui probare possunt ex ignorātia probabili id fecisse, in suis gradibus, & ordinibus recipiātur, & valeant exercere illorum vsum. Similiter in ca. Ordinationes 9. q. 1. habetur, *Ordinationes, quæ ab Hæresiarchis &c. irritas esse iudicamus, nisi probare valuerint, se cum ordinarentur eos nesciisse damnatos.*

Oppositam sententiam tenet Glos. in capit. Ab Excommunicatis Ver. Quondam 9. q. 1. Nempe ordinatum siue scienter, sine ex ignorantia probabili ab Excommunicato Episcopo, vel suspenso, aut alia censura alligato executionem ordinis non recipere, sed indigere dispensatione. Clarius idem affirmat Glos. in ca. Si qui à simoniacis 1. q. 1. Vbi contra opinionem Huguttij tenet quantumuis ordinantis excommunicatio occulta sit, & ignoretur ab ordinato, & sine culpa ab illo accipiat ordinem, minimè ordinis executionem consequi, & idcirco dispensatione indigere Glos. in cap. 1. Ver. Ignorantia De ordinat. ab Epi. qui renunc. Episcop. & in cap. 2. Ver. Episcopos eod. tit. Glos. in ca. 1. Ver. irritas de schismat. Vbi Henri. probat hanc opinionem, Glos. in cap. Cum illorum ver. dispensare de sent. excom. Specul. in tit. de dispens. §. iuxta num. 14. Vers. item recipiens, Abb. in cap. Veritatis num. 46. de do. & contum. dicit hanc opinionem esse communem, & tutiorem; Idem inquit Anan. in cap. 1. nume. 12. de schismat. Selua de benef. 2. par. q. 12. col. 3. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 6. num. 6. vers. Nihilominus contrariam sententiam de sent. excomm. lib. 6. Maiol. lib. 4. de Irregular. cap. 16. nume. 3. & cap. 25. Bernard. Diaz in Pract. crim. Canon. cap. 28. num. 3. B. Antoni. 3. par. Summ. titu. 27. capit. 4. colum. 4. vers. ignorantia autem facti, Syluc. Ver. irregularitas §. 9. vers. Septimò quæritur. B

Hæc sententia mihi videtur probabilior, quæ confirmari potest ratione; Nam nemo dare potest, quod non habet, cap. Daibertum 1. q. 7. cap. Qui perfectionem 1. q. 1. c. Quomodo de consecrat. dist. 4. Suspensus autem, vel excommunicatus non habet vsum ordinū, ideo illum conferre non potest; Vnde hæc suspensio, quæ incurritur ab ordinato hoc modo, nō est propriè pœna, neque Censura, sicut dicebam in præcedenti capite de eo, qui ordinatur ab Episcopo, qui renunciauit, sed est defectus prouenięns ex carentia executionis potestatis ordinis in ipso ordinante; & hic effectus non sequitur ex natura rei, vt Episcopus per excommunicationem, aut suspensionem impeditus ab executione ordinis non possit executionem tradere, sed oritur ex prohibitione Ecclesiæ, quę idcirco id vetuit, quoniam satis æquitati, & rationi consonum visum est, vt nemo dare possit, quod non habet. Quare cum hæc suspensio habeat rationem defectus, & impedimenti, non pœnæ, & censuræ, valde probabiliter hæc opinio affirmat ignorantiam etiam probabilem non excusare, quamuis sit sufficiens causa, vt iura concesserint faciliorem viam impetrandi dispensationem, quando quis ignoranter ab Episcopo excommunicato, vel suspenso ordinetur, quàm si scienter id fecerit, vt dicam statim. C

Secundò dubitatur; Ad quem pertineat dispensare super huiusmodi suspensione, quam alij Doctores vocant irregularitatem. D

Respondeo distinguendum esse de receptione ordinis facta ab Episcopo excommunicato, aut suspenso, aut quauis censura innodato, scienter, siue ex crassa ignorantia, vel ex ignorantia probabili: nam recipiēs hoc modo ordines scienter, vel cum ignorantia crassa, & supina, militat enim eadem ratio tenetur ex cōmuni sententia impetrare dispensationem à Summo Pontifice, neque vllus alius inferior Prælatus potest illam concedere, vt in simili dicitur in cap. 1. de ordi. ab Episcopo, qui renuncia. & sicut ipse excommunicatus ministrans à solo Papa est dispensandus Glos. in cap. Presbyteros Ver Penes ipsos distin. 50. Ita qui sciens, vel scire debens, quod par est, ab eo ordinatur, fit particeps eiusdem delicti, & ex consequenti eadem suspēsione, vel irregularitate notatur cap. vlt. De Apostat. sicut qui ministrat rebaptizanti cap. 2. de Apostat. & ita sentiunt omnes, B. Antoni. 3. par. tit. 27. cap. 4. col. 4. Vers Circa quam dispensationem Syluc. Ver. irregularitas §. 9. vers. Septimò quæritur, Angel. eod. ver. num. 30. Host. in sua Summa in tit. de ordinat. ab Epi. qui renuncia. in fi. Maiol. de irregul. lib. 4. ca. 25. nu. 1. Bernard Diaz in Pract. crim. cap. 28 numero 3. Turre Crem. in cap. Quod ordinatio nu. 7. 9. q. 1. Vers. Quod E

si reci-

si recipiens, Couar. in cap. Alma Mater pat. 1. §. 6. n. 6. De Sent. Excom. lib. 6. Abb. in cap. 2. n. 2. De Ordinar. ab Epi. qui renuncia. Alberic. in Dictiona. Ver. Schisma Vers. Quis possit dispensare.

Si autem recipiens probabiliter ignorauit Episcopum esse excommunicatum, aut suspensum, & recipit Ordinem presbyteralem aut inferiores, talis excusatur; Vnde exequendo Ordines susceptos non est reus alicuius culpæ, supposita hac probabili ignorantia, neque incurrit administrando Irregularitatem, sed postquam sufficientem habuerit notitiam, quòd Episcopus, à quo fuit ordinatus, erat excommunicatus, aut suspensus, abstinere debet ab vsu ordinum, B. Antoni. 3. par. tit. 27. cap. 4. col. 4. Vers Ignorantia autem facti: quousque dispensationem obtineat, quam post dignam pœnitentiam ab Episcopo præuia causæ cognitione impetrare poterit, vt citati Doctores affirmant, arg. cap 1. & 2. De Ordinat. ab Epi. qui renunciau. Glo. in cap. fin. Verb. Dispensatione De Aposta.

Dixi autem, si quis recipiat ordinẽ Presbyteratus, vel inferiores ordines ab Excommunicato, aut suspẽso Episcopo, quem probabiliter ignorabat esse talem, quoniam de Episcopali consecratione est maior dubitatio apud Doctores. An Episcopus consecratus ab Episcopis excommunicatis, vel suspensis recipiat consecrationem Episcopalem, & vtrum siue scienter, siue probabiliter ignorans ab huiusmodi Episcopis, consecratus semper indiget Papæ dispensatione.

B. Antoni. 3. par. tit. 27. cap. 4. col. 4. Vers. Circa quam dispensationem, tenet ex sententia Host. Episcopum taliter consecratum ab ipso Summo Pontifice tantùm dispensari posse; Idẽ ait Alberi. in Diction. Ver. Schisma, Vers. Quis possit dispensare in fi. Maiol. De Irregul. lib. 4. cap. 22. nu. 2. & citat vltra Albericũ in Ver. Ordinatus 1 ad fi. & Summam Confess. De Aetate Ordin. quæst. 37. Immo addit, quòd consecratus hoc modo scienter nunquam dispensabitur, ignoranter autem dispensari potest c. Ordinationes, 1. q. 1. Quod verò dispensatio à solo Papa sit obtinẽda, probat ex c. Quia diligentia De Elect. & ibi Glos. Ver. Susceperit, & ratio huius dicti esse potest, scilicet quod Episcopus semper indigeat dispensatione Papæ, siue scienter, siue ignorãter consecrationẽm ab Episcopis excõmunicatis, aut suspẽsis receperit, quia Episcopus immediatè subiicitur Papæ, non Patriarchæ, aut Archiepiscopo; Propterea à solo Papa dispensari potest.

Sed obiiciet aliquis si ab excommunicatione Iuris non reseruata absoluere potest Episcopus, ergo videtur posse dispensare super suspensione, aut Irregularitate contracta ex susceptione ordinum ab excõmunicato Episcopo, etiã scienter arg. c. Cũ illorũ De Sẽt. Excõ. Vbi definitum fuit, non posse dispensare cũ excõmunicato recipiente ordines, qui non possit ab Excommunicat. absoluere; Qua si voluerit Papa à contrario sensu eum posse dispẽsare, qui possit absoluere.

Respõdet Couar. in c. Alma Mater par. 1. §. 6. Vers. Nec quicquam in contrarium De Sent. Excom. lib. 6. ex sententia multorum, quos citat, Argumentum non concludere, neque valere illationem ab absolutione ad dispensationem, & patet manifestẽ, nam Sacerdos confessarius potest à peccato absoluere ratione cuius contracta est Irregularitas, neque tamen super Irregularitate dispensare poterit; Absoluit enim Sacerdos ab homicidio cap. Deus qui De Pœnit. & Remiss. & tamen Irregularitatem ex homicidio contractam solus Papa tollit cap. 1. De Sent. & Re Iudi. lib. 6.

Hoc in loco animaduertẽdum est ex communi sententia, cũ dicimus Episcopũ posse dispensare cum ordinato ex ignorantia probabili tã in susceptis ordinibus, quã suscipiendis; Hanc regulã locum non habere in ijs, qui post ordinem sic susceptũ Religionem profitentur, qui etiam scienter ordinationi, & ordinum susceptioni operam dantes dispensationẽ à propriis Prælatis impetrare possunt, & eadẽ est ratio si id contingat post Religionis ingressum ita dicit Bernar. Diaz. qui alios citat in Pract. Can. Crim. c. 28. in Addit. in fi.

Tertiò dubitatur, An idem sit sentiendũ de ijs, qui ordinantur ab huiusmodi Episcopis excõmunicatis, aut suspensis, per vim, aut metum cadentẽ in constantẽ virũ, vt remaneãt suspẽsi, & nõ possint ministrare in susceptis Ordinibus ante impetratam dispensationẽ, sicut dictum est de ordinatis ex ignorantia probabili.

Sylue. Ver. Irregularitas §. 9. Vers. secundũ Gof. tamen & Host. sentit ordinatos taliter per metum cadẽtẽ in constantẽ virũ non indigere dispensatione, quod inquit magis sibi placere, vel saltem Episcopo permissam esse dispensationẽ, & in Ver. excom. 5. §. 23. in casu simili de eo, qui cõmunicat cum excõmunicato in diuinis propter metũ refert Host. sentientẽ non licere et ad vitãdum quodcunq; periculũ participare cum excommunicato, quia licèt metus minuat culpã, nõ tamen simpliciter excusat, & idcirco beatũ esse illũ, qui paratus est subire quodcunq; incommodũ potiusquã cõmunicare cũ excommunicato, & addit Sylue. hanc esse singularem opinionẽ & non esse ab alijs receptã, vnde cõcludit cum alijs metũ cadentẽ in constantem virum excusare tum à peccato tũ à censura, idem ait Nau. in Man. c. 27. n. 244. Vers. Quartò. Oppositũ censet Maio. lib. 4. de Irreg. c. 25. n. 2. dicẽs cũ qui ordinatur per vim conditionalẽ vel metũ ab Episcopo nominatim excommunicato incurrere eandẽ Irregularitẽ, quã contrahit Episcopus, si manifesta sit excõmunicatio, quia debuit omnia aduersa potius ferre, quã ipsi cõmunicare in ordinibus suscipiẽdis, quod probat ex c. Inquisitioni de sent. excõ. Vbi de coniuge, qui certò sit Matrimonij impedimentum statuitur, potius excõmunicationem pati debere, quàm debitum reddere, & ex cap. Sacris de his quæ vi metuue cau. fi. Vbi habetur ob nullum metum legem esse violandam, ad idem facit c. Constat. 1. q. 1. Vbi agitur de ordinatis ab Hæreticis per vim, qui in odium ordinantium suspenduntur, ergo idem dicendũ est interueniẽte metu, & Maiol. citat in hanc sententiam Sylue. Ver. ordo 3. §. 11. qui sibi contrarius dicit non esse parendum Episcopo, si velit aliquem cogere, vt ab ipso ordinem recipiat, quem scit esse hæreticum aut Schismaticum, vel esse suspensum, excommunicatum, aut interdictum, sed potius sustinendam esse excommunicationem, si Episcopus velit illam infligere ob inobedientiam.

Prima sententia, quam sequitur Nauarrus, videtur probabilior, quia non est per se, & intrinsecè malum scienter recipere ordinẽ sine vsu eius & executione, vbi id non oritur ex defectu recipientis, sed dantis, nec sit sponte & voluntariè, sed eum morali violentia & necessitate, neq; id est contra prohibitionem Ecclesiæ, quæ non obligat cum tanto rigore & discrimine, nã licèt vsus ordinis ex tali receptione sit impeditus, potest tamen per Superiorem expediri; idq; probari videtur ex illo c. Constat. 1. q. 1. cum dicit, *Iste talis potest habere colorem aliquem excusationis*, non quidem, vt sentiat executionem ordinis à tali Epi copo recepisse, sed vt Episcopus possit facilè cum illo dispensare, sicut potest dispensare cum eo, qui per ignorantiam probabilem à simili Episcopo ordinatur.

Respondendum est igitur ad dubitationem, quòd coactus per vim conditionalem, vel metum ab Episcopo excommunicato, vel suspenso ad recipiendum ab ipso ordines, debet omnino reluctari, si manifesta sit excommunicatio, aut suspensio. Verum si sit occulta, & non possit vllo modo dissentire, nisi exponendo se periculo graui, neque subterfugere ordinationem sine scandalo ob mandatum superioris, non peccat, si ordines suscipiat, vt inquit S. Tho. in 4. sent. dist. 25. non tamen recipit executionem ordinis, idcirco indiget dispensatione ad sanandum hoc impedimentum.

Quartò dubitari potest; An hanc suspensionem incurrat, qui ab Episcopo, cuius excommunicatio, suspensio, aut Interdictum est occultum, initiatur.

Respondendum est olim Iure antiquo ante Concil. Constantiense, qui ab huiusmodi Episcopo etiam occultè excommunicato ordines recipiebat scienter, suspensionem incurrebat, quasi Episcopus executionem ordinis non habens illam ordinatis à se præbere non possit, Sylue. Ver. Irregularitas §.7 Couar. in ca. Alma Mater par. 1. §. 6. nu. 6. Selua de benef. 2. par. q. 12. sed post Concilium Constantiense, de cuius constitutione plenius tractatum est in materia de excommunicatione, non contrahit hanc suspensionē ordinatus scienter ab Episcopo excommunicato suspenso, aut interdicto generaliter, sed oportet, vt sit publicè nominatim denunciatus, vel sit excommunicatus ob manifestam, & euidentem manuum iniectionem in Clericum; nam ex decreto dicti Concilij sicut non tenemur excommunicatione generali innodatum euitare in communibus, & quotidianis actibus ciuilibus, & moralibus, ita neque in receptione Sacramentorum, Sylue. Excom. 5. §. 16. vers. Sciendum est quartò; Vbi ad verbum dictam Constitutionem Concilij Constantiensis refert idem Sylue. ver. Irregularitas §. 9. in fi. Tabien. ver. Interdictum 3. n. 9. Maiol. lib. 4. de Irregul. cap. 25. nu. 3.

CAPVT III.

De Suspensione, quæ contrahitur ob susceptionem Ordinis ab Episcopo Hæretico, vel Schismatico.

QVi promouetur ad ordines ab Episcopo Hæretico, aut schismatico non solum suspensionem incurrit ea ratione, quoniam ordinem suscipit ab excōmunicato, sicut probatum est superiori capite, cum hæreticus, & schismaticus sint excommunicati, sed etiam peculiariter ea ratione formali, quia ab hæretico, aut schismatico ordinem recipit, vt habetur in cap. Ordinationes 9. q. 1. ca. 1. de schismat. *Ordinationes ab Octauiano, & Guidone hæresiarchis factas, & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus*, idest quantum ad vsum, & executionem ordinis. In ca. Fraternitati eod. tit. *Priorem, quem à schismatico, asseris ordinatum ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitimè probauerit secum fuisse misericorditer dispensatum.* In c. Daibertum 1. q. 7. *Beati Innocentij Papa sententia constat declaratum, quod Nezelon, quem constat ab Hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit.* In c. Conuenientibus in fi. Vers. Constantinus Episcopus ead. can. & quæst. dicitur, *Si verò quis sponte ad Hæreticum vadit, & accipit ordinationem, non recipiatur*, In §. Ad hoc verò vltra med. Vers. Cæterum Schismaticorum. Hæreticus propriè dicitur, qui aliter sentit de articulis fidei, quàm Romana Ecclesia, c. Hæc est fides 24. q. 1. licèt enim multis modis possit quis appellari hæreticus, quos refert Glos. in c. Firmissimè Ver. Hæteticum de hæret. Glos. in cap. Illi qui Ver. Hæresim 24. q. 3. tamen in vera, & propria significatione, vt inquit Abb. in eod. ca. Firmissimè nu. 3. vocatur hæreticus ille, qui confingit nouam sectam, vel confictam sequitur 24. q. 3. cap. Hæreticus, vel, quod idem est, & ab hac descriptione non differt, qui aliter sentit de articulis fidei, quàm Romana Ecclesia. Schismaticus quoque varijs modis accipiter, vt notat Abb. in Rubr. de schismat. sed proprijssimè tales appellantur, qui separant se ab vnitate Romanæ Ecclesiæ, & ab obedientia Romani Pontificis, constituentes sibi nouam Ecclesiam fictam præsumentes ordinare Clericos, & Sacerdotes. Vnde hæc est differentia inter Schismaticum, & hæreticum, vt inquit Glos. in cap. Inter hæresim ver. Et schisma 24. q. 3. quæ reperitur inter eum, qui alicuius qualitatis dispositionem habet & alium, qui eiusdem qualitatis habitum acquisiuit. Primò enim quis dicitur schismaticus, sed cum post tempus pertinaciter adhæserit suæ sectæ nuncupatur hæreticus; quare omnis hæreticus est schismatus, non è contra.

Quæret aliquis, Nunquid schismatici sint excommunicati, Respondet Abb. in Rubr. nu. 2. de schismat. & primo distinguit, quòd vbi schisma habet coniunctam hæresim, certum est talem schismaticum esse excommunicatum, quia omnes hæretici sunt excommunicati, cap. Excommunicamus de hæret. Si verò sit sine hæresi, & in hoc casu schismaticus non erit obstrictus excommunicatione. Deinde concludit omnes schismaticos hoc tempore esse excommunicatos ipso iure ex cap. Licèt de elect. notat Glos. in cap 1. de iniur. lib. 6. Addamus nos hodie rem carere omni difficultate, quia in primo capite Bullæ Cœnę Domini, quæ singulis annis promulgatur, excommunicationis, & anathematis vinculo obstringuntur omnes schismatici, qui à Romanę Ecclesię obedientia recedunt. In hoc capite cum agimus de ordine recepto ab Hęretico, vel schismatico Episcopo, accipimus vtrumque nomen in propria significatione.

Certa igitur est conclusio, quòd ordinatus scienter ab Episcopo hęretico forma Ecclesiæ Catholicæ seruata, quamuis ordinis characterem recipiat 1. q. 1. §. Quamuis 24 q. 1. §. His auctoritatibus, non tamen recipit executionem, neque gratiam Sacramenti, & hac ratione tales ordinationes dicuntur irritæ, quia executione carent, cap. Quod quidam 1. q. 1. Vnde cum huiusmodi ordinatis dispensari potest quoad executionem, neque indigent alia ordinatione, & hæc dispensatio conceditur illis, qui ex ignorantia probabili à dictis Episcopis ordines receperunt, & obtineri potest post dignam pœnitentiam ab Episcopo, vt dixi in capite superiori. Debet autem probare ignorantiam ille, qui eam opponit ex cap. Ordinationes 9. q. 1. ibi, *Nisi probare valuerint se cum ordinarentur, eos nescisse damnatos*, scilicet Episcopos, Vbi Glos. in Ver. Nisi probare, notat inde sumi argumentum, pertinere ad eum, qui allegat ignorantiam, illā probare. Qui verò scienter hoc modo ordines receperunt, indigni sunt dispensatione, vt inquit Host. in Sum. in tit. de schismat. §. qd iuris, vers. sed falsum est, quòd si dispensentur à solo Sūmo Pontifice dispensari poterūt, sed si ordinatio fieret ab hęretico, vel schismatico non seruata forma Ecclesiæ, tunc ordinatus nedū executionē ordinis minimè recipit, sed neq; ipsū characterē, quod ꝓbatur ex tex. in c. qui perfectionē cū Glos. ver. Plenitudinem 1. q. 1.

In hac conclusione conueniunt oēs Doctores, Host. in loco citato, & in tit. de tempo. ordin. §. A quo vers. Hæc igitur, Specul. in tit. de Dispensat. §. iuxta num. 14. Vers. Item recipiens ordines, Innoc. in cap. 1. nu. 2.

De

De ſchiſmat.& in c.Fraternitatis nu.2.& 3.de Hæret. Abb.in d.c.1.nu.4.De ſchiſmat.plura de hac quæſtione proponit,ſed tutiorem opinionem eſſe affirmat, vt dicamus,quamdiu Epiſcopus occultus eſt hæreticus, aut ſchiſmaticus,conferri in ordinatione,& characterem, & executionem, ſed cum primum res detegitur, neceſſariam eſſe diſpenſationem. Domi.Sot.in 4. ſent. diſtin.25.q.1.artic.1.Verſ.de Hæreticis autem, Turre Crem.in c.Quod ordinatio, & in c.Ordinationes 9.q. 1. Sylue. Ver.Irregularitas §.9. Verſ.Septimò quæritur,B. Antoni.3.par.tit.27.cap.4.col.3. Verſ.Item ordinati ab hæretico, Nauar.in Manua.cap 27.nu.241. Verſ. Quartò quod, Maiol. lib. 4. de irregul. cap. 22. Bernard Diaz in Pract.Crim. cap.29.

Quoad diſpenſationem verò illa quæ explicata ſũt ſuperiori capite circa ſuſceptionem ordinum interueniente probabili ignorantia. vel vi cõditionali ab Epiſcopo excommunicato,aut ſuſpenſo, habent locum in ordinatione facta ab hæretico, vel ſchiſmatico.

Animaduertendum tamen eſt, quòd ſi quis per metũ cadentẽ in conſtantem virum ordinetur ab Hæretico,vel ſchiſmatico,non idcirco excuſatur à ſuſpenſione, quia omne malũ debet perferre magis quã ab hæretico, aut ſchiſmatico ordinẽ recipere, ſi ſit nominatim, & publicè declaratus, & denunciatus talis iuxta ea,quæ dixi præcedenti capite; Quòd ſi S.Thom. in 4. ſent. diſt. 25. dicat Poſſe ſine peccato ab Epiſcopo ſimoniaco occulto ordinem recipi,quando qui ordinatur, non poteſt metum ei incuſſum cadentem in conſtantem virum effugere; Illud eſt intelligendum in foro conſcientiæ, in quo creditur pœnitenti aſſerenti nõ valuiſſe vim illam declinare, ſed alia ratio eſt in foro iudiciali exteriori,in quo attenduntur ea,quæ patent. Vnde in tali foro ordinatus hoc modo non permittitur exercere,quia eſt impeditus, quaſi ob canonicum impedimentum.

Hæc autem ſuſpenſio, vel Irregularitas cõtrahitur in receptione ordinũ ab Epiſcopo Hæretico,vel ſchiſmatico, ſi ordo collatus fuerit in forma Eccleſiæ, vt monebã paulò ante c.Dominus declarauit 1. q.1. ibi, *Qui autem ſolo Sacramento Sacerdos eſt, ſicut fuit Pontifex Caiphas, perſecutor vnius, & veriſsimi Sacerdotis, quamuis ipſe non ſit verax, quod dat tamen verum eſt, ſi non det ſuum,ſed Dei.* Vbi Gloſ.in Ver.Si non ſuum,inquit, *Ideſt ſi non ſua, ſed Dei, In forma ſcilicet Eccleſiæ.* Quòd ſi conferatur ordo adhibita alia forma, & ſubſtantia, quàm quæ ab Eccleſia Catholica obſeruatur, tunc neque Character imprimitur, & ex conſequenti prouenit alia irregularitas, de qua modò nõ agimus. Accidere autem poteſt aliquando,vt quis recipiat ſacros ordines à ſchiſmaticis, vel hæreticis, ſed ad Presbyteralem ordinem promoueatur ab Epiſcopo Catholico, tunc autem, quia vltima manus impoſitio in Eccleſia accipitur,facilius diſpenſabitur,vt poſſit miniſtrare in ordinibus ſuſceptis,ſed ad ſuperiores, nẽpe Epiſcopatum & ſimiles dignitates non erit promouẽdus,niſi vrgente neceſſitate Eccleſiæ 9.q.1. c.Ordinationes,& ex eod.tex.habetur,ꝙ illi,qui receperunt ordines a Schiſmaticis quondam tamen Catholicis Epiſcopis, ex miſericordia in ſuis ordinibus tolerantur, ſi boni ſunt,propter neceſſitatem,ſed ceſſante neceſſitate Sacrorum Canonum rigor eſt ſeruandus.Quare,vt inquit ibi Turre Crem.non ſtatuit Summus Pontifex, vt cum ordinatis hoc modo non diſpenſetur, ſed vt nõ diſpenſetur ſine neceſſitate; Vel hoc dixit Sũmus Pontifex ad terrorem, vnde ſumitur argumentum, ſi aliquando conceditur diſpenſatio in his caſibus non de-

A ſtrui Sacros Canones ob diſpenſationem, ſed pro opportunitate tẽporis mitigari, vt inquit Turre Crem. Et recedente neceſſitate, quæ cauſam dedit diſpenſationi eoſdem canones proprium rigorem retinere, c. Priſcis diſt.55.& cap.Monachus diſt.76.

Neque prætereundum eſt hoc in loco nomine hæretici,vel ſchiſmatici Epiſcopi,intelligendum eſſe illum, qui per ſententiã declaratus,& pronunciatus eſt talis, ſicut dixi præcedente capite de excommunicato, vel ſuſpenſo,non enim iudicare quis temere Epiſcopũ hæreticum,aut ſchiſmaticum,& ante publicationem ſententiæ nunquam videtur Epiſcopus vitandus tanquam hæreticus,aut ſchiſmaticus.

Quæret quis, An nunc poſt Conc.Conſtant. ſi quis B ordinetur ab Epõ, qui manifeſtè, & notoriè habetur tanquam hæreticus,vel ſchiſmaticus,quamuis per ſententiam non ſit nominatim declaratus talis. Vel non ſit notorius Clericorũ percuſſor ordinis vſum, & functionẽ recipiat,vel è contra & ſuſpenſionem incurrat: Ratio dubitandi eſt, quia poſt Concil. Conſtantienſe non cogimur vitare excommunicatos, niſi ſpecialiter denunciatos, vel notorios Clericorum percuſſores.

Reſponſio communis eſt, Non incurri ſuſpenſionẽ, & irregularitatem,ſi ordo recipiatur ab hęretico Epiſcopo,ſeu ſchiſmatico etiam notoriè, & manifeſtè,niſi per ſententiam nominatim ſit denunciatus,quod probatur primo ex c.ordinationes 9.q.1.*Ordinationes,quæ ab Hæreſiarchis nominatim excommunicatis factæ ſunt;* C Vnde Nauar.conſ.1n.n.2.in tit.de Hæret. aſſerit grauem eſſe quæſtionem,An fideles teneantur vitare hæreticos, & ſchiſmaticos notorios, qui per conſequentiam notorij Iuris intelligũtur excõicari, & concludit non eſſe obligatos ad eos vitandos; Et hoc idẽ approbare videtur in Manua.ca.27.n.35. verſ.Nota tertiò, Ratio eſt,nam ſicut non tenemur vitare laicos hæreticos notorios, ita nõ cogimur vitare Epõs, & ex conſequenti ijſdem caſibus,& modis poſſumus cõicare in ſacris cũ Epiſcopis hæreticis, ſeu ſchiſmaticis, de quibus eſt quæſtio, ſicut cum laicis Catholicis, quos ſcimus eſſe excõicatos,ſi non ſunt denunciati ob Extrau. Ad euitanda.Quare licèt in Bulla Cœnæ Domini Canone 1. excommunicentur hęretici, & ſchiſmatici, & D aliquorum ſectæ exprimantur,non tamen idcirco,qui hæreticus eſt,& alicui ex illis ſectis adhæret, nominatim excõicatus dicitur, & propterea non eſt continuò ſub præcepto obligationis vitandus,quouſq; ab Eccleſia declaretur talis,quamuis maximè debeamus hæreticos fugere propter periculum ſubuerſionis.Idẽ videtur docere Ang. ver.Irregularitas nu.30.Sylu.eodem ver.q.7. Sot.in 4.ſent. diſt.25. q.1.art.1.concl.3.

Hæc tñ opinio dubia mihi videtur,eo quod hæreticus nõ ſolũ vt excõicatus, ſed ẽt præciſe quia exterius hæreticus eſt vitari debet; Notorius quidẽ publicè, & manifeſtè; occultus verò occultè,& ſecretè nimirũ ab eo qui nouit eũ hæreticũ eſſe,& hæreticus nõ ſolũ quia excõicatus,ſed etiã quia hęreticus caret iuriſdictione, E vſu,& executione ordinis;ergo quamuis Concil.Conſtantienſe conceſſerit vt communicare in diuinis poſſimus cũ eo quãuis excõicato,non tamen quatenus hęreticus eſt, & qñ ſunt duo priuilegia, qui vnum concedit non eo ipſo, alterũ concedere intelligitur ſicut vbi ſunt duo vincula vno ſublato non tollitur alterũ;idem iuris videtur de ſchiſmatico,& de ſimoniaco in ordine vel beneficio,Nam ſchiſmaticus non ſolũ vitari debet quia excommunicatus, ſed etiam quia ſchiſmaticus, vel ſimoniacus eſt in Ordine,vel beneficio; Item non ſolum quia excõmunicatus, ſed etiã quia ſimoniacus,

& propterea de hæreſi ſuſpectus adimit ab eo Eccleſia iuriſdictionem vſum,& executionem ordinis,idq. magis cohærere videtur cũ Bulla Cœnæ Domini qua dãnantur Hæretici,vt tales,& ſub eadem ratione eorum communicatio interdicatur.

CAPVT IV.

De Suſpenſione, qua incurritur ob receptionem ordinis ab Epiſcopo Simoniaco.

DVobus modis intelligi poteſt incurri ſuſpenſionẽ propter iniquã,& ſacrilegã collationẽ ordinis ratione ſimoniç;Primo modo quia in ipſamet collatione ordinis committatur ſimonia, nempe qm̃ interueniat pecunia,& preciũ ex parte ordinantis,aut præſentantis,ſeu ipſius ordinati. Secundo modo quia recipiatur ordo ab Epiſcopo Simoniaco,licèt non ſimoniacè;Vnde in hoc caſu non incurritur ſuſpẽſio, quia ordinatio illicitè fiat per pecuniã,& preciũ, ſed qm̃ Epiſcopus à quo recipitur ordo,ſupponitur Simoniacus; & hæ duæ rationes ſeparari poſſunt; quare recipere ordines ſimoniacè nõ accidit ſine delicto ſimoniæ ex parte alicuius Miniſtri ad ipſam ordinationẽ concurrentis,& idcirco incurritur ipſo iure ſuſpenſio: Recipere ordines ab Epiſcopo ſimoniaco non ſimoniacè contingere poteſt ſine vitio ſimoniæ ex parte ordinati, ſi ignorans probabiliter Epiſcopi ſimoniã ab eo ordinem recipit; nihilominus in odiũ, & deteſtationẽ ſuſpẽditur is, qui ab huiuſmodi Epõ promouetur ad ordinẽ,& de hac ſecunda ſpecie ſuſpẽſionis contractæ ob collationẽ ordinis ab Epõ Simoniaco primo loco pertractabimus.

Concluſio eſt communi Doctorũ cõſenſu approbata ordinatũ ab Epiſcopo ſimoniaco ipſo iure ſuſpensũ remanere;Ita tenet Hoſt.in Sum.in tit.de temp.ordin. §.A quo n.7.verſ.quid ſi Epiſcopum,B.Antoni.3.par. titu.27.cap.4.col.3. Verſ.Item ordinati à Simoniaco, Sylue.Ver.Suſpenſio §.7. Verſ Ordinatus etiam à Simoniaco, Abb.in ca.Per tuas 1.nu.1. de ſimon. Turre Crem.in c.Si qui a ſimoniacis 1.q 1. Bernard.Diaz in Pract.Crim.Cano.c.27. Simon Maiol lib.4.c.23. Nauar.in Manua. ca.27.nu.241. Verſ.Quartò quod qui. Tandem B. Tho. qui omnibus enumeratis præferendus eſt,2.2.q.100.art.6.ad ſecundum argum.

Ratio, qua ad confirmandam hãc concluſionẽ, vtitur B.Tho.vbi ſupra,& in 4.ſent.diſt.25. & cõiter omnes citati Doctores,eſt,quoniam cum Epiſcopus ſimoniacus careat ordinis executione, illam ordinato cõferre non poteſt, c.Daibertũ 1. q.7. Hinc ordinatus à ſimoniaco Epiſcopo, ab hæretico promotus videtur, quia ſimonia hæreſis eſt,c.Pręſentiũ 7.q.1.B.Aug.lib. de Hereſi.ca.1.quẽ citat Maiol. Et talis ordinatus,cũ ratione ſimoniæ ſupponatur ſuſpenſus excõicatus,adminiſtrãdo Sacramentũ ordinis Irregularis efficitur, Addit B.Tho. in illo art.vlt. q.100. ꝙ etiam ſi Epiſcopus ſimoniacus præciperet ſuo ſubdito, vt ab eo ordines reciperet,nullo modo ei parere deberet,quia nullus debet obedire alteri ad cõmunicandũ ſibi in facto illicito,& potius debet ſuſtinere excõicationẽ, quã recipere ordines ab Epiſcopo,quẽ ſcit ſimoniacè promotum fuiſſe,Idq; confirmatur à B.Anton.in 3.par.Sum. tit.27. cap.4. col 3. Verſ. Item ordinati à Simoniaco,

Eadem concluſio comprobatur ex c.Si qui à Simoniacis 1. q. 1. *Si qui à ſimoniacis non ſimoniacè ordinati ſunt &c. talium ordinationes miſericorditer ſuſtinemus*. Vbi Gloſ. Ver. Si qui, notat ordinatum non conſequi executionem, quantumcunque occultus ſit ſimoniacus Ordinator, & ignoretur. Idem inquit Gloſ. vlt. in ſi.in ca.Per tuas 2.de Simon. Et Gloſ.in c. Ab excommunicatis ver.quondã 9.q.1.expreſsè aſſerit ordinatũ à ſimoniaco etiã ignorãter executionẽ nõ recipere,cũ ſimoniacus ſit ipſo iure ſuſpenſus c.Reperiũtur,1.q.1.

Sed ad maiorẽ propoſitæ cõcluſionis elucidationẽ occurrit primo loco dubitãdũ,Vtrũ qui ordinatus eſt ab Epiſcopo ſimoniaco ex ignorantia probabili ignorans talem Epiſcopũ ſimoniæ labe commaculatũ eſſe, incurrat hanc ſuſpenſionẽ.Pro parte negatiua faciunt primo verba dicti cap. Si qui à ſimoniacis 1. q. 1. in ſi. *Qui verò ſcienter ſe à ſimoniacis conſecrari, immo execrari permiſerint, eorum conſecrationem omnino irritam eſſe decernimus*. Ergo ſi ordinatus ſcienter non cooperetur cum ordinante in collatione ordinis,ſed bona fide ab eodem ordinem recipiat, non erit ſuſpenſus. Hoc idem colligitur expreſsè ex cap. Per tuas 2. de ſimon. Quod confirmari poteſt ratione, nam ſicut talis ex cauſa ignorantiæ probabilis excuſatur à culpa mortali;ita euitare debet pœnam ſuſpenſionis.

Doctores diuerſimode rñdent ad hanc difficultatẽ, B.Anto.in dicto c.4. verſ.Item ordinati à Simoniaco, tenet Ordinatum ab Epiſcopo Simoniaco etiam occulto ſcienter, vel ignoranter incurrere ipſo iure ſuſpenſionẽ, quamuis in dicta Ordinatione nulla ſit cõmiſſa ſimonia; Duplex tamẽ limitatio ad hoc dictum colligitur ex eius verbis;Prima eſt,vt Epiſcopus,à quo recipiuntur ordines, ſit ſimoniacus in ſua Ordinatione,ſeu conſecratione, nam ſi legitimè ordinatus, ſeu conſecratus eſt Epiſcopus abſque vitio ſimoniæ, licet poſtea illam commiſerit, ſi conferat alteri ordinem, tribuit executionẽ, neque ordinatus remanet ſuſpenſus,ſi ab illo bona fide ordinẽ ſuſcepit.Et quod intelligatur de ſimoniaco in ordine tradit Gloſ.in c.Si qui à ſimoniacis Ver.Si qui.1.q 1. & ibi Turre Crem.Secũda limitatio, quòd Ordinati à talibus ex ignorantia facti probabili excuſantur à peccato,& quouſque hoc ſciant,in ordinibus ſuſceptis adminiſtrare poſſunt,ſed habita notitia debent abſtinere, quouſque cũ eis diſpenſetur à Papa, Ignorantia tamen iuris illos nõ excuſaret. Eadem dicuntur à Sylue. Ver. Suſpenſio §.7. Verſ.Ordinatus etiã à Simoniaco, addit ſolũ quãtum ad ignorantiam facti, nẽpe quòd ſi ordinatus poſt ordinationem audiat ab aliquibus de ſimonia Epiſcopi, nihilominus poſſe in ordine ſuſcepto miniſtrare, non debere autẽ alios ordines ab eodẽ Epiſcopo recipere, niſi plenè ei conſtiterit de innocentia Epiſcopi. Quod ſi verè ſciat Epiſcopũ fuiſſe ſimoniacũ, non poſſe miniſtrare in ordine ſuſcepto ante diſpenſationem. Quæ dicuntur a Sylue.deſumpta ſunt ex cap. Per tuas 2.De Simon. Vbi de quodam, qui ordinem ſubdiaconatus ſuſceperat ab Epiſcopo, quem poſtea audiuit labe ſimoniæ notatum eſſe,ita ſtatuitur,*Nos igitur reſpondemus, vt idẽ in ordine ſic ſuſcepto ſecurè miniſtret, ſed contra conſcientiam ad ſuperiores ordines non aſcendat, nè fortè ædificet ad Gehennam,licèt ex eo,quòd conſcientiam nimis habuerit ſcrupuloſam in difficultatem huiuſmodi ſit collapſus, quam vtique non euadet, niſi deponat errorem.*

Hoſt.in Sum.in ti.de tẽp.ordinã.§.Et à quo n.7.prope ſi. verſ.ſed quid ſi credo, tenet, ꝙ quis credat ſuum Epiſcopũ eſſe ſimoniacũ,nõ in ſuo ordine,ſed in collatione ordinis,aut beneficiorũ, debet curare, ſi põt, vt ab alio Epõ conferãtur illi ordines, ꝙ ſi euitare illum nõ põt,ſecurè recipit ab illo ordines, quãdiu occultus eſt,& toleratur ab Eccleſia.Hanc diſtinctionẽ de ſimoniaco tolerato ab Eccleſia, & de pciſo, & nõ tolerato ponit Præpoſ.in c.Statuimus 1.in ſi. 1.q.1. quẽ refert, & ſequitur Bern.Diaz in Pract.Cri.c.27.Quãdo enim Epiſcopus eſt ſimoniacus toleratus ab Eccleſia, licitè

quis

quis ab eo recipere potest ordines,neq; est,quòd imputetur ei,licèt sciat Episcopum esse simoniacum,potest enim ab eo Sacramenta recipere,nisi factum esset notorium, & posset testibus comprobari,quòd si Episcopus esset simoniacus precisus ab Ecclesia & non toleratus,tunc ex ordine suscepto ab huiusmodi Episcopo incurritur suspensio ab executione ordinis suscepti.

Contra Simon Maiol. lib.4. de Irregular.c.23.censet,quantumuis occultissima fuerit Episcopi simonia, & omnibus ignota, tamē ordinatum ab eo susceptum ordinem administrare minimè posse ante dispensationem, quia executionē non recepit,quā ordinator non habebat,quod tamen verum esse dicit in simonia quoad ordinem, sed si Episcopus esset simoniacus ob aliā causam occultam, ordinatus ab eo non incurrit hanc suspensionem, dummodo sit simonia occulta,quia tūc Episcopus est, suspensus quoad se tantum, non quoad alios, tenetur tamen ille,qui promoueri cupit,antea debito modo petere licentiā à dicto Episcopo recipiēdi ordines ab alijs Episcopis, & citat Host.in sum.in tit. de Temp.ordin.§.Et à quo n.7.Vers.Respondeo,si possum obtinere, Sylue. Ver. Ordo 3.§.12. Alberic.in suo Diction. Ver. ordinator in fin. & addit Maiol. id locum habere in omnibus alijs occultis criminibus Episcoporum.

D.Tho.2.2.q.100. art.vlt.ad 2.argu.alio modo videtur propositam difficultatē explicare,inquit.n. dupliciter dari posse Episcopum Simoniacum,primo in ordinatione seu consecratione sua,quia per simoniam adeptus sit illam, secundo quòd quamuis legitimè sit consecratus Episcopus,tamen postea nefando hoc crimine simoniæ varij modis turpiter sit maculatus,modò ait B.Tho.quando quis suscipit ordinē ab Episcopo Simoniaco priori modo etiamsi ex ignorātia probabili id fecerit manet suspensus ab executione sui ordinis,quia cū ille Episcopus sit suspensus ab executione sui ordinis quoad se & quoad alios non potest conferre alteri executionem ordinis, etiamsi alter bona fide ordinetur, quia nemo dat,quod non habet.Quòd si Episcopus est Simoniacus posterioris modo, vel erit occultus vel publicus, si sit occultus, quia tunc est suspensus quoad se, non quoad alios,& ideo qui ab illo bona fide ordinatur,nō incurret suspensionem, si vero sit publicus,quia suspensus est quoad se & quoad alios nemini ordinis executionem conferre poterit.

Hęc ex Doctoribus colliguntur ad solutionem propositę dubitationis. Sed vt clarius & distinctius eius elucidatio appareat, nonnullis propositionibus ad eam responderi posse puto.

Prima propositio erit, si loquamur de Episcopo Simoniaco præcisè & formaliter quatenus tali labe est infectus etiam seclusa censura,quam contraxit ob hoc peccatū,vel in quam condemnatus fuit per sentētiam hominis,sicut tractatur de Episcopo Simoniaco, in hoc capite certum est, quòd si quis scienter & voluntariè à tali Episcopo recipit ordinem etiam non simoniacè,remanet suspensus ab executione ordinis.

Hanc propositionem omnes admittunt, & habetur in c. Si qui à Simoniacis 1.q 1.ibi, *Qui verò scienter se à simoniacis consecrari, immo execrari permiserint &c.*

Secunda propositio, videtur satis probabile asserere hāc suspensionem incurri ab ordinato,siue Episcopus fuerit Simoniacus in ipsa sua ordinatione & consecratione siue postea in quocunque alio casu, quia cum Iura non distinguant, neque eos distinguere debemus l. de precio ff. de Public. Glos. & Bart. l.3. ff.de off. Præto. c.Si Romanorum dist.19. Et ratio eadem

A militare videtur de quacunq; simoniæ cum hoc impedimentū inductū sit à Iure in odium & detestationem huius nefandi criminis, Iura verò omnem simoniam, prę sertim in Episcopo detestantur. Confirmatur, quoniam in c.Per tuas 2.de Simon.vbi prohibetur,ne quis ordinem recipiat ab eo, quem credit esse Simoniacū, videtur Papa generaliter loqui de omni simonia,vt indicant verba tex. ibi, sed postmodum dedecit ex relatione quorundam, quod Episcopus multotiens commiserat vitium simoniæ,& nihil in specie dicit de simonia commissa in ordine. Verùm cùm ex communi sententia Doctorum,quos citauimus, hæc suspēsio coarctetur ad simoniam commissam ab Episcopo in sua consecratione, non videtur ab ea recedendum, pœnæ enim sunt potius restringendæ, quàm dilatandæ præ-
B sertim cùm idem affirmet Glos. in eod. c. Per tuas 2. Ver. Securè ministret, in fine coarctans hanc suspensionem tantum ad eum casum,quando quis ordinatur ab Episcopo Simoniaco in ordine,quòd etiam repetit Glos. in c.Si qui à Simoniacis, Ver.Si qui 1.q.1.& adhuc clarius Glos.in §.Verùm Ver.officium dist.32. notat simoniacum in ordine etiam occultum suspensum esse quoad se & quoad alios,nam cum quilibet peccator sit suspensus quoad se,hoc est peculiare in occulto simoniaco in ordine,& notorio fornicatore,vt sint suspensi etiam quoad alios, vnde non sunt recipienda sacramēta ab occulto simoniaco in ordine,quem quis scit esse simoniacum. Et huius dicti potest non incon-
C grua ratio assignari,nimirum idcirco Iure prohiberi, vt non recipiantur ordines ab Episcopo in sua ordinatione simoniaco, quia per talem simoniā suspensus est à collatione ordinum, vt in eo, in quo peccauerit puniatur,sicut dicitur in c. Nullus de Temp.ordin.lib.6. cap.Quæsiuit de ijs quæ fi.à maio.par.Cap. Vnde cùm talis simoniacus sit suspensus quoad se & quoad alios; Ideo qui ab eo ordinatur,nō recipit executionem ordinis, secus est, si sit simoniacus ex alia causa tunc enim est suspensus quoad se, non quoad alios,& propterea possunt ab eo ordines licitè recipi. Hæc igitur est ratio, propter quam hæc suspensio incurratur per ordinatum à simoniaco Episcopo in ordine non ex alia causa, vt omnes Doctores testantur, quam-
D uis hæc coarctatio non habeatur expresè in Iure, immo in illo cap. Per tuas 2. de Simon. dicitur, Episcopum, de quo ibi tractatur, fuisse simoniacum multis modis.

Tertia propositio non solùm qui scienter ordinatur ab huiusmodi Episcopo simoniaco in ordine, contrahit suspensionem, sed etiam si intercedat probabilis facti ignorantia, & multò minus poterit excusare ignorantia Iuris.

Ita sentit Glos. in cap. Si qui à Simoniacis Ver. Si qui 1.quæst.1. quæ clarissimè testatur ordinatum non consequi executionem etiam si ex ignorantia probabili & sine vlla culpa ab huiusmodi simoniaco in ordi-
E ne promoueatur, & indigere dispensatione in detestationem simoniæ, & probat ex verbis textus, cum ait, *Si qui à simoniacis non simoniacè ordinati sunt, siquidem probare potuerint se, cùm ordinarentur, nescisse eos simoniacos esse, & si tunc pro Catholicis habebantur in Ecclesia,talium ordinationes misericorditer sustinemus*, Glos.cōsiderat verbum illud,*misericorditer sustinemus*, quod fit per dispensationem,idem asserit Glo.vlt.in f. in c.Per tuas 2.de Sim.Syln.Ver.suspēsio §.7.Vers.ordinatus etiam à simoniaco,& cōfirmatur ex verbis in fi.cap. *Qui verò scienter se à simoniacis &c.* Quibus verbis declaratur differentia inter eos, qui ignoranter

à talibus Episcopis promouentur, & eos, qui scienter A id faciunt; Nam priores habita dispensatione sustinentur Posteriores, vt ibi inquit Glos. deponendi sunt, Quod statutum manifestè habetur in cap.seq. De Cætero 1. q. 1. *De cætero statuimus, vt si quis in posterum ab eo, quem simoniacum non dubitat, se consecrari permiserit, & Consecrator, & Consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, sed vterque depositus pœnitentiam agat.*

Quare si ignorantia facti non excusat, quia non agitur de peccato, sed de impedimento executionis ordinis, quod oritur ex defectu ordinantis, qui cum careat ordinis executione, non potest illam alteri communicare, multò minus impedire poterit hanc suspensionem ignorantia Iuris; Verum verò talis ignorantia B Iuris in hoc casu excusare possit à peccato, tractat eleganter decisio Cassadori quinta num. 11. in titu. De Constitut. agens in materia simoniæ, & concludit posse in casu, in quo est varietas opinionum cap. Capellanus iuncta Glos. De feri. Et posset dari articulus adeò obscurus, & ambiguus in Iure, cuius ignorantia licitè excusaret etiam peritissimos secundum Abb. in capit. Pastoralis num. 4. de rescript.

Quarta propositio, si consideretur Episcopus simoniacus in ordine non solum formaliter, quatenus hac peste simoniacæ labis infectus reperitur, verum etiam vt ob tale vitium suspensionis, & excommunicationis vinculo est obstrictus, tunc multò magis absque vlla hæsitatione asserendum erit ordinatum etiam proba- C biliter ignorantem Episcopi simoniam incurrisse suspensionem. Et ratio est, quoniam indubitatum est excommunicationem reddere illum inhabilem tum ad recipiendum, tum ad ministrandum Sacramenta cum careat executione ordinis quoad se, & quoad alios, vt probatum est in capite secundo. Quare ordinatus in hoc casu incurrit suspensionem ex duplici causa, quia ordinem recipit contra decreta Sacrorum Canonum, & à Simoniaco in ordine, & ab excommunicato, aut suspenso. Idem tradit Abb. in cap. Per tuas num. 10. de simon. & in hac propositione omnes Doctores conueniunt. Hæc de prima dubitatione.

Secundò dubitari potest; An hæc suspensio, quam diximus incurri per ordinatum, contrahatur etiam, si D quis recipiat ordines ab Episcopo ita occulto simoniaco, vt nullo modo probari possit.

Ex dictis patet, quid sit respondendum ad hanc dubitationem, nimirum in casu proposito non esse recipiendum ordinem à tali Episcopo, quia licèt sit simoniacus occultus, est suspensus quoad se, & quoad alios, vt dixi, & ordinando illicitè operatur; Vnde in hoc opere non licet communicare cum eo, ergo si quis recipiat ordines ab eo contra Legis dispositionem, remanet suspensus, vt definitum fuit in ca. Si qui a simoniacis cap. De Cætero 1. q. 1. cap. Per tuas 2. de simon. Quare Glos. in cap. Si qui à simoniacis Ver. Probare E in fi. 1. q. 1. inquit certum esse non posse aliquem recipere ordinem ab Episcopo suo, quem scit esse simoniacum in ordine, quamuis occultum, & si compellere vellet sub pœna excommunicationis ad recipiendum ordinem, potius pati debet excõmunicationem, quàm ei parere; & ita videtur sentire B. Tho. 2. 2. q. 100. art. vlt. in respon. ad 2. arg. & hoc idem confirmat Glos. in cap. Per tuas 2. Ver. securè ministret in fin. De simon. Idem ibi fatetur Abb. nume. 10 non vniuersaliter de quacunque simonia, sed in casibus, in quibus simoniacus est suspensus ab executione ordinis ob eam rationem, quia cum careat tunc ordinis executione, non potest illam alteri conferre, quæ ratio cessat, quando Episcopus est simoniacus occultus ex causa, propter quam non incurrat suspẽsionem ordinis quoad alios, quo casu non est prohibita communicatio cum occulto simoniaco, quia est suspensus tantum quo ad se nisi ratione simoniæ excommunicatione maneret obstrictus, tunc autem vitandus esset ratione excommunicationis non simoniacæ. & idem tenet Maiol. lib. 4. de Irregular. cap. 23. & Sylue. ordo 3. §. vlt.

Quamobrem plurimum refert, an Episcopus commiserit simoniam in sua consecratione, & ordinatione, an verò ex alia causa; nam si est simoniacus priori modo etiam occultus, non potest subditus ab eo ordinem recipere, quamuis præcipiat sub pœna excommunicationis, posteriori modo si simonia est occulta, licet ab eo ordinem recipere, quia non est interdicta communicatio propter alia peccata simoniæ, nisi quãdo simonia est manifesta, & notoria, præsertim post Extrauag. Ad euitanda Martini V. in Concilio Constantiensi; Ideo ait B. Tho. posse recipi ordinem ab Episcopo, si subditus sciat esse simoniacum alio quocunq; modo, quàm in ordine, quamuis sit occultus, neq; ideo erit suspensus, aut indigebit dispensatione, & eadem ratio est de alijs occultis criminibus Episcopi.

Contra objiciet quis licèt non teneantur subditi euitare formaliter propter vitium simoniæ Episcopum occultum simoniacum ex quacunque causa, nisi simoniam commisisset in sua ordinatione, & consecratione, & ab illo ordinem recipere possint, saltem tenentur cum illo non communicare propter excommunicationem, qua obstrictus remanet ex vitio simoniæ, quam commisit.

Respõdeo Iure antiquo omnes fuisse obligatos euitare excommunicatum ex generali excommunicatione eo modo, quo constabat de excommunicatione, idest occultè, si excommunicatio erat occulta, publicè, si manifesta. Quare non potuisset quis sciens Episcopi simoniam ab eo ordinem recipere, & si tentasset, executionem minimè recepisset, nisi legitima intercessisset causa, qua coactus fuisset moraliter cum eo communicare, puta ad declinandum graue incommodum, aut infamiam, vel magnum periculũ, tunc enim non erat damnata communicatio, neque cooperabatur communicans ad actionem prauam Episcopi, sed eius mala actione ad finem bonum vtebatur: Verũ Iure nouo post Concil. Constantiense per Extrauag. Ad euitanda, non obligantur fideles euitare excõicatum propter generalem excommunicat. neq; in ciuilibus actionibus, neq; in Sacramentis, vt dixi in cap. 2. quòd si Episcopus sit ob vitiũ simoniæ à superiore nominatim excõmunicatus, quãuis occultus, non potest quis licitè ab eo promoueri, vt inquit Maiol. lib. 4. De Irregul. cap. 23 in fi. quia cùm ratione excommunicationis, qua nominatim est innodatus sit suspẽsus Episcopus ab executione ordinis, non potest illam alteri tradere; Verum verò eadem sit ratio de alijs criminibus, vt quando Episcopus notatus est aliquo crimine, non sint ab eo ordines recipiendi, explicabimus in capite sequenti.

Superest, vt ad secundam difficultatem principalem initio capitis propositam pergamus, an Ordinatus remaneat suspensus, quando simonia committitur in ipsamet ordinatione, & ante omnia certum est & indubitatum, quòd si quis scienter simoniacè ordinatus est, remanet suspensus quoad se, quia non potest exercere actus sui ordinis, & quoad alios, quia nullus debet ei communicare in executione eiusdẽ ordinis,

c.Re.

c. Reperiuntur, & ibi Glos. Ver. Anathematis 1.q.1.§. Verū cū Glos. Ver. Officiū dist. 32. c. Tāta, & ibi Abb. n.4. de Simon. Turre Crem. in c. Statuimus n.2.1.q.1. Ratio huius suspensionis non est, quia sic ordinatus non recipiat characterem, sed quia illum furtiuè suscipit, nam vt inquit Gregorius Septimus, & refertur cap. Ordinationes 1.q.1. *Ordinationes, quæ interueniente precio, vel precibus, vel obsequio fiunt, falsas esse iudicamus*. Vnde dicit B. Tho. quæst. 100. art. 6. quasi furtiuè suscepit characterem contra principalis Domini voluntatem. Duobus autem modis potest Episcopus esse simoniacus in ordine primo modo actiuè, quia cōtulerit ordinem simoniacè, tunc si crimen est occultū, suspensus erit ipso iure quoad, se tantum, sicut quilibet alius criminosus non quoad alios cap. Et si quæstiones, cap. Veniens, cap. Ex tuæ de simon. Secundo modo sit manifestum crimen tunc erit etiam suspensus quoad alios cap. Accusatum de Simon. §. Verum dist. 32 Innoc. in c. Tanta de Simon.

Sed tota difficultas consistit in hac quæstione de illo, qui non scienter, sed ignorans probabiliter simoniam, quæ committitur, quando ordinatur, ita vt nullus sit particeps culpæ, an in hoc casu incurrat suspēsionem ipso iure, vt si amicus illius, quò sacris ordinibus est initiandus, ipso inscio vel sciente & contradicente aliquid dedit, vel promisit Episcopo pro ipsa ordinatione. Pro parte negatiua, quod suspensionem non incurrat ordinatus hoc modo simoniacè sine peccato simoniæ, probari potest, nullus debet puniri ex eo, quod gestum est ipso inscio & nolente, quia pœna supponit peccatum, quod voluntarium est, sed quando ordo simoniacè confertur alijs procurantibus inscio ipso ordinato, nulla potest considerari culpa ex parte ordinati, ergo videtur inconueniens, vt debeat puniri suspensione ordinis collati.

Aliqui tenent sic ordinatum ignoranter & sine vlla culpa manere ipso iure suspensum, ita cēset Sylu. Ver. Suspensio §.7. Vers. Si tamen ipse ignorauit, & ait manere suspensum ab ordine tantum suscepto, in quo distinguit ab eo, qui scienter hoc modo ordinem suscepit, & Ver. Simonia §.8. post med. Vers. Adde secundò, idem confirmat dicens se data sit pecunia Episcopo pro ordinatione, ordinatum carere executione, etiamsi ignorauerit, vel contradixerit, & reddit rationem, quia neque executionem habent ordinatus, si non esset tradita pecunia pro sua ordinatione, sed pro alia priore, nam cum Episcopus esset simoniacus in ordinis collatione executionem dare non posset; Facit pro hac opinione cap. Præsentium 1.q.5. vbi quidam per ignorantiam ordinatus simoniacè, quia parentes pecuniam pro eo ordinando obtulerant, quod tamen ipse nesciebat, ab ordine suscepto ipso iure suspenditur, verba sunt, *Præsentium portitorem, quem parentum incuria per pecuniam non Episcopo, sed cuidam, &c. Sacerdotis dignitatem obtinuisse significasti &c. tamen quia culpam istam nesciens & coactus commisit &c. suspensus à sacerdotali officio permonet*.

Oppositum tenet Bella. quem sequitur Card. Alexand. in cap. Si quis, & in c. Statuimus 1.q.1. quibus adhæret Nauar. in Manua. cap. 25. num. 68. Vers. Secundò peccat. & Bernard. Diaz in pract. crim. cap. 27. in scholijs. Ratio pro hac opinione illa est, quoniam hæc suspensio est pœna imposita propter culpam, & ideo cessante culpa etiam per ignorantiam, cessare debet pœna arg. c. Apostolicæ de Cleri. excom. Mini. ibi, *Vos reddit ignorantia probabilis excusatos*, facit cap. Vt animarum de Constitut. lib. 6. & c. Cum cessante de appell. & potest in specie confirmari ex cap. De simoniacè de Simon. vbi de ordinatis simoniacè ipsis ignorantibus ita statuitur, *Vtpote ipsis ignorantibus simoniacè ordinantur, possunt quia simoniaci non sunt, in suis ordinibus remanere*.

Mihi videtur hæc secunda opinio magis Iuri, & æquitati consentanea, præsertim quia in re dubia cum agamus de pœnis, in mitiorem partem videtur inclinandum, quare censeo ordinatum nō incurrere simoniam, si ipso inscio datum sit aliquid, vel promissum Episcopo pro ordinatione, immo non contrahere suspensionem taliter ordinatum, si postea, soluat quod ipso ignorante promissum fuerat, vt sentit Sylue. Ver. Simonia §. 8. post med. Vers. Adde quarto, quamuis affirmet sic soluendo esse reum grauis criminis, & quoad primam partem sequitur Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 68. dissentit in posteriori parte, quia dicit non committere peccatum soluendo in foro conscientiæ, si solutionem illam ratam & gratam non habet; sed non video, quo pacto, si voluntariè soluit nemine cogente, non debeat illam ratam habere, & adhæret Bernard. Diaz. in pract. Can. crim. cap. 27. in Schol.

Si obijcias ordinatus ex ignorantia probabili ab Episcopo simoniaco, in ordine manet suspēsus, vt probatum est superius, ergo idem est dicendum, quando quis ignoranter ordinatur ab Episcopo, qui in ipsamet ordinatione simoniam committit.

Respondeo negando consequentiam, quoniam non militat eadem ratio in vtroque casu; nam in primo quando quis ordinatur ab Episcopo, qui commisit simoniam in sua consecratione, ideo non recipit executionem ordinis, quia cùm illam non habeat Episcopus, vt sæpe iam dictum est, illam alteri concedere nequit, tunc enim suspensio, quam incurrit ipso iure ordinatus, non est pœna peccati, sed est effectus iniustæ acquisitionis, sicut si quis emeret rem aliquam ab eo, qui illam vendere non posset. In secundo verò casu, vbi quis recipit ordinem ignorās dari aliquid Episcopo ab alio pro tali ordinatione, non supponitur Episcopus simoniacus ante ordinationem, ideo habet executionem ordinis, & ex consequenti potest illam alteri tradere, licèt in ipsa ordinatione, quam simoniacè facit, remaneat priuatus executione. Quare cum ordinatus propter probabilem ignorantiam nō sit particeps criminis, & Episcopus adhuc non sit priuatus executione, nihil obstat, quominus illam ordinato conferre valuerit, atque ita non manet suspensus cum cesset crimen ex parte ordinati, neque ordinator supponatur suspensus.

CAPVT V.

An incurratur suspensio ob receptionem Ordinis ob Episcopo manifesto fornicario, vel alio notorio crimine maculato.

QVatuor sunt scelerum genera, quorum aliquo notatus Minister Ecclesiasticus euitari debet, neque ab eo Sacramenta recipi debent, nempe si sit hæreticus, schismaticus, simoniacus, & notorius concubinarius. ab his enim peculiariter iuxta sacrorum Canonum dispositionem vetitum est sacramenta suscipere magis quàm ab alijs peccatoribus, vt habetur in §. Verum dist. 32 Et 1. de schismaticis, & hæreticis, ibi, *Ad hoc inquam ita respondemus, si Schismate, vel Hæresi ab Ecclesia non separantur, eorundem ordinationes, & reliqua Sacramenta sancta, & veneranda non negamus*,

mus, ergo à Schismaticis, & Hæreticis non sunt recipienda, & paulò post, *Officium Simoniacorum, & in fornicatione iacentium scienter nullo modo recipiatis, & quãtum potestis tales à sanctis ministeriis, vt oportuerit prohibeatis*. Glos. in cap. Cum non liceat Ver. Recedere De Præscript. & ibi Abb. num. 3. & alij Doctores, Quare dicit Glos. in dicto Ver. Recedere; In aliis criminibus, licet sint notoria, expectandam esse Iudicis sententiam, sed quam ob causam magis hæc quatuor genera peccatorum voluerint sacri Canones euitari debere, explicant Doctores, & præter alios B. Bonau. in 4. Sent. Dist. 13. art. 1. quæst. 4. Et aliam rationem assignat Abb. in dicto cap. Cum non liceat nu. 3. De Præscript. ex Sent. Io. Andr. præsertim de crimine simoniæ, & notoriæ fornicationis, quia simoniacus in ordine, quantumuis occultus intus ortus occidit, fornicatio autem inficit animã & corpus, & solet sæpius frequentari; Ideo Iura durius agunt in huiusmodi delinquentes. Idem statuitur in cap. Nullus Dist. 32. & in cap. Si qui sunt Presbyteri Dist. 81.

Ex his colligi potest duplex genus Ministrorum Ecclesiasticorum, qui ob crimina commissa redduntur indigni administrationi Sacramentorum, quidam sunt ab Ecclesia præcisi, vt Hæretici, Schismatici, & Excommunicati, Alij non sunt ab Ecclesia præcisi, sed tolerantur. Et hi sunt in duplici differentia; Aliqui commiserunt crimina siue occultè, siue manifestè, quorum causa neque ab homine, neque à Canone suspenduntur ab administratione diuinorum; Alij verò sunt, qui ob sua delicta suspensi sunt ipso iure, vt notorij concubinarij & simoniaci. Notorius fornicator dicitur, vel per sententiam, vel per propriam confessionem, vel per rei euidentiam de fornicatione ipsius, cap. Vestra cum Glo. Ver. Operis euidentiam. De Cohab. Cler. & Mulier. cap. Nullus, vbi Glo. Ver. Audiat in fi. Dist. 32. B. Bonau. in 4. Sent. Dist. 13. art. 1. quæst. 4. in fi. & alij Doctores communiter tam Theologi, quàm Canonistæ.

His præmissis responderi potest ad propositam quæstionem. Et primo, si loquamur de Episcopo, qui occultè aut manifestè sit notatus crimine, dummodo illius causa non sit ab ipso iure suspensus, quales sunt fornicarij & Simoniaci, sed sit toleratus ab Ecclesia idest non sit per Ecclesiæ sententiam ab executione ordinis priuatus, si de huiusmodi inquam Episcopo sit sermo, asserendum est non incurrere suspensionem, qui ab eo Ordines recipit.

Probatur primo, auctoritate Nicolai Papæ ex cap. Sciscitantibus 15. q. vlt. vbi sic ait. *Sciscitantibus vobis, si à Sacerdote, qui siue deprehensus in adulterio, siue de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem suscipere, nec ne &c.* & paulò post *Idcirco ab eo vsquequo iudicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt*, & infra, *Sumite ergo intrepidi Christi mysteria ab omni Sacerdote*. Idem habetur in cap. Vestra de cohab. Cleri. & Mulie. *Sine dubitatione itaque teneatis quod à Clericis, & Presbyteris quanquam fornicarijs quandiu tolerantur, nec habent operis euidentiam, licitè diuina mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica*. Ratio verò, propter quam Summi Pontifices ita statuerunt, illa reddi potest, quoniam tales criminosi, quamuis sint suspensi quo ad se in ordine ad Deum, non tamen quantum ad alios quantum spectat ad rationem criminis, ideo vsque ad sententiam Ecclesiæ licet ab eis Sacramenta recipere.

Si contra obijciatur, qui recipit ordinem ab Episcopo, qui reputatur indignus ratione criminis, vt possit illum conferre, inducit illum ad peccandum, & idcirco videtur ipse peccare, quoniam cooperatur peccato alterius, sed hoc non est licitum, ergo neque conueniens erit ab eo ordinem recipere, sicut nec alia Sacramenta ab huiusmodi Ministro.

Respondeo primo, vt inquit Durand. in 4. sentent. dist. 5. negando consequentiam; Nam cum malus Minister possit nulla interiecta mora peccati commissi pœnitere; Qui recipit ab eo Sacramentum, probabiliter ignorare potest, an pœnitentiam egerit, & potius existimare debet illum pœnituisse, & dignè ac legitimè Sacramenta administrare, quàm oppositum; Et idcirco qui suscipit ab eo Sacramentum, supponens illum esse pœnitentem, nullum peccatum committit; Immo etiamsi supponeret illum peccatorem, petens ab eo Sacramentum, non peccaret, quia simpliciter, & per se non induceret hominem ad peccandum, sed vteretur iure suo petendo rem, quam alter ex officio administrat, & si vellet, sine peccato exhibere posset.

Quòd si loquamur de Episcopo notorio fornicario, si quis à tali Episcopo ordinem recipit, remanet eo ipso suspensus, & indiget dispensatione. Ratio huius conclusionis est, quia tales Episcopi sunt suspensi quoad se, & quoad alios, cap. Nullus, cap. Præter hæc §. Verùm Distinct. 32. in cap. Quantum de Cohab. Cleri. & Mulie.

Secundò Sacerdotis Missa, cuius fornicatio notoria est, audiri non debet, vt habetur in cap. Nullus distinct. 32. & in §. Verum eadem dist. & in cap. Vestra De cohab. Cler. & Mulie. Ergo multò minus ab eo recipienda sunt sacramenta.

Tertiò Clericus manifestus concubinarius est suspensus ab officio, vt inquit Sylue. Ver. Concubinarius §. 4. & probat ex cap. Præter dist. 32. ergo multò magis Episcopus, quare non potest tradere executionem ordinis; Idcirco ordinatus ab eo erit suspensus, & ipse Episcopus efficietur irregularis cap. 1. de sent. & re iudi. lib. 6. Idem confirmat Sylue. Ver. Luxuria §. 5. Vers. Quartum simplex fornicatio; Vbi addit hoc esse intelligendum, si tale crimen sit notorium, nam si esset tantum publicum ex fama, quæ scandalum gigneret, quamuis nullus extaret accusator, esset indicenda purgatio, in qua si deficeret, & nollet se purgare, esset canonicè puniendus, cap. Tua de Cohab. Cleri. & Mulie. & interim non esset vitandus.

Quando autem fornicatio possit dici notoria, vt Episcopus euitari debeat idem Sylue. declarat in Ver. Clericus 2. §. 4. ex sententia Abb. in cap. Vestra, & in cap. fin. de cohab. Cleri. & Mulie. quando scilicet nota est fornicatio per sententiam, aut per propriam confessionem in Iudicio. Idem Abb. in cap. Tua num. 7. De tempo. ordinat. Et his duobus modis dicitur aliquid notorium Iuris, vt notat Abb. ex Glo. in cap. Vestra num. 14. De Cohab. Cleri. & Mulie. Aut per facti euidentiam, & dicitur notorium facti, quod pluribus modis contingere potest, vt declarat ibi Abb. & Sylue. ait notoriam fornicationem illam appellari posse, quando cõcubina domi retinetur palam, & publicè, & pertractatur sicut vxor, & cum ipsa aluntur filij, & tanquam filij reputantur, & vocantur quod desumi videtur ex dicto cap. Vestra in fi. ibi, *Hoc habet operis euidentiam*, & ex cap. Tua de cohab. Cleri. & Mulie. Glos. in c. fin. Ver. Notoria De tempo. ordina. & in specie in cap. Nullus, & cap. Præter vnà cum Glo. dist. 32. Quod si fornicatio inquit Sylue. non habet hanc operis euidentiam, sed potest admittere aliquam tergiuersationem;

nem, quia detinetur concubina apud matrem Clerici, communiter vocatur, & tractatur tanquam eius ancilla, in hoc casu non esset abstinendum à communione talis fornicarij, sed requireretur monitio. Sequitur Simon Maio. lib. 5. de Irregul. cap. 37. nu. 2. Idem confirmat S. Thom. in 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 3. ad vlt. quæst. in fi.

Quare differt multum, si quis recipiat ordinem, vel aliud Sacramentum à Ministro Schismatico, excommunicato, aut simoniaco, vel si recipiat à fornicario. Qui enim recipit scienter à Ministris prioris generis, quamuis sint occulti, remanet suspensus, & de simoniaco dixi in præced. cap. quia non possunt dare executionem, quam non habent; sed si recipiat à fornicario occulto, non est suspensus, quia non est interdicta communicatio in diuinis cum fornicario occulto, sed cum notorio, & ita notat B. Tho. loco proximè citato.

Obijciet quis, hæc, quæ dicta sunt de fornicario seu concubinario vera esse ex dispositione Iuris Antiqui, sed post Concilium Constantiense & extrauag. Martini Quinti coarctatum esse Ius antiquum, & hoc tempore non esse prohibitum communicare etiam in recipiendis sacramentis cum quibusuis criminosis, nisi sint publicè per sententiam denunciati tales nominatim.

Respondeo, vt fusius declaratum est in tractatu de excommunicatione extrauag Ad euitanda Martini Quinti, non tribuisse aliquod priuilegium excommunicatis, aut alijs quocunque crimine notatis ad agendum aliquid, quod Iure antiquo eis denegatum esset, sed consuluisse fidelibus, vt absque periculo peccati & censuræ incurrendæ valerent cum excommunicatis, & alijs criminosis communicare, antequam per sententiam nominatim denunciarentur, nisi ex alio capite propter hanc communionem alicuius culpæ Rei efficerentur, nempe quia scienter absque necessitate inducerent illos, vt sacramenta administrarent, atque ita cooperatores essent ad peccatum; quare obiectio proposita tantum probat hodie post Concilium Constantiense ex sola communione cum excommunicato, vel fornicario publico, aut alio criminoso, non committi peccatum, nec contrahi aliquam censuram, antequam per sententiam fuerit nominatim declaratus talis, & publicè denunciatus. Verùm suspensio, quam incurrit ordinatus à fornicario, seu concubinario notorio, non est pœna peccati propter communionem cum fornicario, neque prouenit ob aliquam causam, quæ sit in ipsomet ordinato, vt in simili dicebam in cap. primo, sed est impedimentum proueniens ex defectu ipsius ordinantis. Nam ex dispositione Iuris Ecclesiastici notorius fornicarius est ipso iure suspensus ab officio ex communi opinione Doctorum, vt notat Abb. in cap. Cum non liceat num. 4. de præscript. & ideo cum careat potestate vsus & executionis ad suũ ministerium, non potest illam alteri tradere; Idcirco licèt modo post extrauag. Ad euitanda, permissa esset communicatio cum publico fornicario, & fieret sine peccato, adhuc qui à tali Episcopo ordinem reciperet, suspensus maneret ab executione ordinis ex defectu ipsius ordinantis.

Accedit ad hæc vt diximus, decretum Concilij Tridentini sess. 25. cap. 14. de reform. vbi postquam statuit pœnas seueras, quibus puniendi sunt Clerici concubinarij in fine capitis in specie agens de Episcopis, quis in impudicitiæ sordibus, immundoq; concubinatu versantur, ita concludit; *Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi, & si perseuerent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, si opus fuerit, in eos animaduertat.*

Illud quoque animaduertendum est, ea, quæ dicta sunt de concubinario, intelligenda esse de fornicario, vt tenet Nauar. in Manua. cap. 25. num. 77. in fin. & ideo promiscuè modò vsi sumus voce concubinatus, modò fornicationis; nam quoad effectum incurrendi suspensionem à Sacramentis eadem est ratio de fornicario vago, qui cum multis se permiscet, & de eo, qui vnam habet concubinam, Syiue. Ver. Concubinarius, §. 1.

CAPVT VI.

An contrahatur suspensio, si ordines recipiantur ab alieno Episcopo sine licentia proprij, & sine literis dimissorijs.

Certum est, & absque controuersia ab omnibus receptum, quòd si quis recipit ordinem ab Episcopo alieno sine literis dimissoriis sui Episcopi, contrahit impedimentum, ne exequi possit ordinem susceptum, sed difficultas est, quo iure peculiariter id definitum fuerit, & qualis sit hæc suspensio.

Et in primis citatur pro hac conclusione cap. Eos qui de Temp. ordin. lib. 6. Vbi Gregorius Decimus in Conc. Lugdunensi eos, qui scienter Clericos alienos ordinauerint, per annum à collatione ordinum suspẽdit. Sed ex hoc decreto Gregorij non potest desumi proposita conclusio, quia non imponit pœnam ordinato, de qua modo agimus, sed ordinanti, nisi dicamus ex verbis sequentibus dicti decreti illam saltem indefinitè confirmari posse, ibi, *His, quæ iura statuunt contra taliter ordinatos in suo robore duraturis*. quæ verba explicans Glos. Ver. Statuũt, inquit, *Quod scilicet ordinatio rata non habeatur, quòd executionem*. Deinde adducitur cap. 1. & 3. dist. 71. nam in cap. 1. hęc habentur in fine: *Et hoc vniuersi constituimus, vt quicunque ex alia Parochia voluerit alienum Ministrum sine consensu Episcopi ipsius, & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio eius*. Et idem repetitur in cap. 3. & in cap. 1. 9. q. 2. Sed hi Canones non declarant, an hoc modo ordinati sint ipso iure suspensi, vel sint suspendendi per sententiam hominis, nam verba illa. *Non sit rata ordinatio eius*, possunt intelligi commodè, quòd irrita sit, postquam per sententiam hominis fuerit declarata talis. Quæ expositio confirmari posse videtur ex cap. Quod translationem De Tempo. Ordinan. vbi dicitur interdicendam esse executionem Græco subiecto Episcopo Latino, qui sine licentia sui Episcopi à Græco Episcopo fuerit ordinatus; Verba tex. sunt; *Nisi de mandato sui Episcopi fiat, interdicenda est ei ordinis executio sic suscepti, tanquam ab alieno Pontifice sine mandato, vel licentia sui Episcopi ordinato*, Ergo non est suspensus ipso iure, sed requiritur sententia hominis. Similiter in cap. Episcopus in Diœcesim 7. q. 1. de Clericis ab alieno Episcopo ordinatis dicitur, quòd amoueantur ab eorum ministerio, ergo non sunt suspensi ipso iure, sed suspendendi per sentẽtiam, verba textus sunt, *Quod si fecerit*, scilicet ordinauerit alienos subditos, *amotis his, quos ordinauit*. Similem sensum habere videntur verba in cap. Salonitanæ dist. 63. de quodam similiter ordinato ab alieno Episcopo, de quo ordinato sic statuit Summus Pontifex, *Quod*

ego

ego audiens ad eundem praeuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, vt omnino Missarum solennia celebrare nullo modo praesumeret, non erat igitur suspensus ipso iure, sed per sententiam Summi Pontificis declaratus est suspensus.

Glos. in dicto cap. Eos qui Ver. Statuunt de Temp. ordin. lib. 6. mouet hanc dubitationem; An hoc modo ordinatus à non suo Episcopo sit eo ipso suspensus ab executione, vel potius habeat executionem, donec ei interdicatur per sententiam hominis, & ad vtramque partem adducit rationem dubitandi, quod necessaria sit sententia probat ex citato c. Quod translationem de Tempo ordin. & ex cap. Significasti in fi. de off. Archidia. ibi, *Qui si contra prohibitionem tuam venire praesumpserint, executionem eis ordinum susceptorum totaliter interdicas*. Ad oppositam partem facit, quòd sicut sententia lata à non suo Iudice non est valida, ita neque ordinàtio quoad executionem, vt cap. Neminem dist. 70. & dist. 71. per totam, soluit Glos. dubitationem dicens ordinatum hoc modo incurrere suspensionem ipso iure, sed non talem, quae inducat irregularitatem, sed sequuta suspensione per sententiam hominis tunc fieri irregularem, si illam violet, & probat ex stilo Curiae Romanae, nam in dispensatione, quae talibus conceditur à Sede Apostolica, Summus Pontifex inquit se dispensare cum N, ipso iure suspenso. Verùm Glo. non declarat, cuius speciei sit haec suspensio, sed Host. & Abb. in dicto cap. Quod translationem n. 2. de Temp. ordin. dicunt ordinatum hoc modo ab Episcopo alieno suspensum esse ipso iure, quia non habet executionem quoad se, sicut dicitur de Clerico occulto fornicario in c. fin. de cohab. Cleri. & Mulie. sed quoad alios non remanere suspensum, & ideo, si celebret, non incurrere irregularitatem. Potest tamen ei interdici executio, vt quoad omnes sit suspensus, & hoc modo interdictus, si non abstinet à celebratione, potest excommunicari, & celebrando incurrit irregularitatem. Quare illa suspensio, quam contrahit sic ordinatus, nō est censura, sed culpa, quia grauiter peccat ministrando in ordine sic suscepto, antequā Episcopus proprius talem ordinationem ratam habeat, & super ea dispēset. Nam sicut non poterat talis persona suscipere ordinem ab alieno Episcopo sine licentia proprij Episcopi, ita non potest eum exercere licitè sine eiusdem facultate & approbatione, quòd si esset vera Censura, ex cuius violatione incurreret irregularitatem, non posset dispensare Episcopus, sed solus Papa, c. Cum illorum, & cap. 1. de sent. excom.

Si obijcias, si haec suspensio non est vera censura, cur necessaria est dispensatio? & super quo impedimēto Episcopus dispensat? Respondet Abb. ex sententia Host. Dispensari hoc modo ordinatum, vt non deponatur, nec alia graui poena puniatur, quod iure fieri posset. Olim enim, vt inquit Raymun. in tit. de form. Consecr. quem citat Maiol. lib. 4. de Irregular. cap. 20. ordinatus absque licentia sui Ordinarij deponebatur, sicut statutum fuerat in Conc. Calcedon. cap. 19. habetur c. Clericos dist. 71. nisi postea proprius Episcopus expressè ratam habuisset talem ordinationem, quae ratihabitio videretur inducere dispensationem super illo ordine, cap. Lugdunensis 9. q. 2.

Haec sententia, quòd ordinatus sine licentia & literis dimissorijs proprij Episcopi non incurrat ipso iure censuram veram suspensionis, & ex consequenti, quòd ex celebratione non contrahat irregularitatem, sed solùm suspendi possit per sententiam iuxta cap. Quod translationem de Tempor. ordin. quamuis inspecto
A Iure antiquo locum habere possit, tamen ex Nrenouo Pij Secundi in extrauag. Cum ex Sacrorum, quę habetur in Bullario, & recensetur sexto loco inter alias Constitutiones illius Pontificis, oppositum est verum dicendum est enim ab ipso Pio Secundo statutum fuisse propter hoc crimen suscipiendi ordines absque licentia proprij Episcopi incurri suspensionem, quae est vera censura. Vnde sic ordinatus celebrans in suo ordine ante absolutionem irregularis efficitur à solo Papa dispensandus. Huius extrauag. meminit Sylue. Ver. Irregularitas §. 12. Vers. Decimò quaeritur quam dicit renouatam esse per regulas Cancellariae Innocentij Octaui, & Alexandri Sexti, quam ad clariorem elucidationem huius difficultatis integram referre voluit Bernard. Diaz in sua pract. crim. cap. 26. & addit
B confirmatam fuisse à Leone Decimo, in suis regulis Cancellariae Reg. 22. & à Paulo III. Reg. 24. in ordine. Eandem vltra citatos auctores refert Petrus Rebuff. in Pract. Beneficiorum in tit. de Clericis ad sacros ordines malè promotis, Glo. 4. & Couar. in Clement. Si furiosus, par 1. Relect. §. 1. num. 4. de Homic. Domin. Sotus in 4. sent. dist. 25. quaest. 1. art. 3. Nauar. in cap. Accepta opposit. 8. nu. 34. de Restit. Spoliat. & in Manua. cap. 25. num. 70. & cap. 27. num. 355. & 241. & lib. 1. Cons. tit. de Temp. ordin. cons. 39. in fin. Eadem confirmata fuit Motu proprio Pij V. inter Constitutiones dicti Pontificis 22. loco reposita, & renouata fuit à Syxto Quinto in sua Bulla, quae incipit: Sanctum
C & salutare 1588. & à Clemente Octauo in Bulla, cuius initium est; Romanum Pontificem decet 1595. Eadem suspensio imponitur à Concilio Tridentino sess. 23. ca. 8. in fi. de Reform. ibi, *Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinariò videbitur* expedire, *sit suspensus*, ex quibus verbis probat etiam pluribus testimonijs Doctorū Lopez Salsedo in Scholijs apud Bernard. Diaz in Pract. cano. cap. 26. Vers. Quarto nec illud, hanc suspensionem ipso iure impositam esse, cum Concilium vtatur verbis praesentis temporis: *Sit suspensus*, sed cum illa limitatione; *Quamdiu proprio Ordinario videbitur*, & ideo Sacra Congregatio Cardinalium super Cōcilio declarauit sic ordinatum, si an-
D te licentiam sui Episcopi in suscepto ordine ministret, fieri irregularem. Vnde etiam constat censuram, quae ex tali ordinatione contrahitur, suspensionem esse, non irregularitatem, vt putat Maiol. lib. 4. de Irregul. cap. 20.

Et quod dicitur simpliciter de ordinato ab alieno Episcopo sine licētia proprij Episcopi, & literis dimissorijs, extenditur etiam ad Monachum, qui ordinem susceperit ab Episcopo eiusdem Dioecesis sine consensu & licentia proprij Abbatis & suorum Superiorum, sine qua Episcopus eiusdem Dioecesis habetur tanquam alienus Episcopus, cap. Nullus, vbi Glo. dist. 58. Solus enim Papa potest Monachum inuito Abbate promouere, cap. Filium 1. q. 1. non alius, quisquis sit,
E nec ipsum Collegium Cardinalium, vt inquit Glo in cap. Quam sit 18. q. 2. quam comprobat Sylue. Ver. Religio 7. §. 9. Sed potest Abbas compelli ad consentiendum, vt ibi Sylue. & Maiol. lib. 4. de Irregul. cap. 24. num. 2.

Illi etiam, qui ordinantur ab Abbate, cui in spiritualibus & temporalibus sunt subiecti, licèt tales Abbates habeant iura Episcopalia super eos, dicuntur ordinati a non suo Prelato, & sunt suspensi, non habentes executionem. Ab huiusmodi enim Abbatibus solam primam Tonsuram accipere possunt, Glos. in cap.

Quoniam

Quoniam distin. 69. Aut saltem vsque ad lectoratum Glos. in cap. 1. Ver. Episcoporum De Tempor. Ordin. lib. 6. Maiol. lib. 4. De Irregular. cap. 20. nu. 6. Vers. Connumerantur. Immo inquit Maiol. neque ab his Abbatibus possunt ordines prædicti recipi, nisi in propriis illorum Monasteriis, vt colligitur ex Concilio Trid. Sess. 23. cap. 10. De Reform. Quinimo neque intra septa suorum Monasteriorũ, nisi ipsi Abbates sint benedicti, & in Sacerdotio constituti. Hæc enim omnia requirũtur, vt hi Abbates hos primos ac minimos ordines conferre valeant, nec omnibus, sed subditis, neque istis extra Monasteria, & alij sic ordinati characterem suscipiunt, sed non executionem, Glos. in cap. Abbates Ver. Tonsuram, vbi Archid. & Gemin. de priuileg. lib. 6. & Conc. Trident. sess. 23. cap. 10. de Reform. & hæc locum habent non solum in Abbatibus, sed in omnibus alijs dignitatibus Episcopo inferioribus habentibus iura Episcopalia, vt Archipresbyteris, Præpositis, & similibus Glos. in cap. Abbates, Ver. Abbates, & ibi Archid. & Gemin. de priuileg. lib. 6. Ad idem Glos. in c. 1. de Tempor. ordin. lib. 6. & Glo. in c. Psalmista, di. 23.

Fuit tamen sententia aliquorum, quòd si prædictæ dignitates ea priuilegio generali habeant iura Episcopalia, possunt eo ipso ex consequenti omnes minores ordines conferre, quorum sententiam Maiol. lib. 4. de Irregular. cap. 20. num. 7. dicit non esse veram, quoniam vt Abbas facultatem habeat conferendi ordines minores, scilicet exorcistatum & Accolitatum, oportet, vt ex priuilegio in specie hoc ei concessum fuerit, Gemin. in cap. Abbates, Vers. Quæro, an Abbas de priuileg. lib. 6. vbi dicit Lapum ita sentire, citat etiam Innoc. & Host. in cap. 1. de supplen. neglig. Prælat. quos refert Maiol. de Irregular. lib. 4 cap. 20. nu. 7. vbi addit id locum non habere in Cardinalibus iuxta mentem Host. & Ioan. Andr. in c. 1. de supplen. neglig. Prælat. Mart. Lacidæ in Tract. de Cardinalibus quæst. 20. Iacob. de Concil. lib. 1. art. 12. Vers. Item in Cardinalibus, Cardinales enim, vt tales sunt proprio suo iure possunt conferre omnes ordines minores in proprijs titulis & suis subditis.

Omnes igitur tales, qui hoc modo ordines suscipiunt à non proprio Episcopo, suspensionem contrahunt. Fuit autem valde vtile, & expediens acri animaduersione coercere eos, qui ita ordinari præsumũt: Secus enim vniuersus ordo Ecclesiasticus in ordinationibus faciendis perturbaretur. Quamobrem Canones sacri tam veteres, quàm recentiores semper plurimum iuris & fauoris proprijs Ordinarijs tribuerũt.

Sed hoc in loco quæri potest, an hæc suspensio incurratur ab illo, qui bona fide, & sine culpa sic ordinatur, scilicet ab alieno Episcopo, & sine literis dimissoriis, existimans ex ignorantia inculpabili talem Episcopum habere facultatem ordinandi.

Aliqui censent in hoc casu non incurri suspensionẽ, quia hæc suspensio imponitur in pœnam ei, qui negligens Prælatum suum, ad alium pro suscipiendo ordine absque consensu sui Episcopi recurrit, & videtur ita sentire Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 155. & in cap. Accepta oppos. 8. num. 32. de Restit. Spol. Et ratio, quam adducit Nauar. est, quoniam Pius Secundus in cit. extrauag. Cum ex sacrorum; suspendit tantum illos, qui extra tempora à iure statuta, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs præsumunt ordinem suscipere, præsumptio autem supponit dolum iuxta doctrinam Cardinalis in Clem. 1. quæst. 38. de priuil. Quare sic ordinatus bona fide celebrans non efficeretur irregularis; qui non esset suspensus; & hanc opinionem censeo esse veram, quia hæc suspensio imponitur à iure in pœnam eius, qui hoc modo ordines suscipit; sed qui bona fide id fecerit, credens talem Episcopum habere facultatem ordinandi, vel literas dimissorias, quas habet, esse sufficientes, non erit Reus alicuius culpæ, ideo neque pœna dignus.

Sed postulabit quis, quid dicendum, si quis temerariè & dolosè suscipit ordinem ab alieno Episcopo, sed postea bona fide, peracta pœnitentia illius prauæ, & temerariæ susceptionis in ordine suscepto ministrat, putans bona fide id esse licitum, an in hoc casu contrahat irregularitatem?

Nauar. in cap. Accepta opposi. 8. nu. 35. de Restitut. Spoliat. dicit hoc esse maius dubium, quàm præcedens; sed tamen affirmat non contrahi tunc irregularitatem, quia pœna irregularitatis ob tale crimen imponitur ei, qui præsumpserit ministrare, vt patet ex dicta extrauag. Pij Secundi, quare vbi ministratio sequitur ex bona fide, cessat præsumptio, & consequenter non habet locum irregularitas. Deinde idem etiam conatur ex eo quod sæpe bona fides excusat ab irregularitate, quæ tamen non excusat ab excommunicatione, vt notat Glos. penul. in cap. Solet, de sent. excom. lib. 6. affirmans eum, qui bona fide putans iustam habere causam appellãdi appellat, & post appellationem excommunicatus celebrat bona fide existimans falsè per Superiorem censura excommunicationis innodatum post appellationem legitimè interpositam, remanere quidem excommunicatum, sequuta declaratione, quòd temere appellauerit, non contrahere tamen irregularitatem, vnde rectè Abb. in cap. Pastoralis §. Verùm num. 15. de Appellat. notat hanc irregularitatem imponi tanquam pœnam contemptus, idem non ita fieri excommunicatum, quando non adest contemptus, vt si probabiliter nesciat se excommunicatum esse, & Domin. in c. Is cui §. 1. nor. 1. de sent. excom. lib 6. inquit huiusmodi irregularitatem non contrahi sine dolo.

Ab hac tamen regula generali excipi solent tres casus singulares, in quibus licitè potest quis ab alieno Episcopo absque licentia, seu literis dimissorijs sui Episcopi ordinibus insigniri absque vllo periculo suspensionis.

Primus est, quando proprius Episcopus suspensus fuit ob huiusmodi crimen ordinandi alienos sine legitima facultate, in hoc enim casu si suspensio manifesta fuerit, conceditur ipso iure facultas subditis adeũdi alium Episcopum pro suscipiendis ordinibus absq; licentia proprij Episcopi, vt statutum fuit in cap. Is qui de Temp. ordin. lib. 6. Dixi, si suspensio sit manifesta, quoniam ita loquitur textus, vbi Glo. Ver. Manifesta, inquit, vel per euidentiam facti, vel quia est Iuris notorium iuxta ea, quæ dixi in cap. præcedenti, & ordinato incumbit onus probandi Episcopi suspensionem per sententiam Metropolitani, vt notat Bernar. Diaz in Pract. crimin. cap. 26. in Schol. Lopez Salsedo Vers. Tribus autem casibus, & eodẽ modo sentit Petr. Rebuff in pract. Benefic. de for. Dimissor. nu. 19 Debet autem Episcopus ordinans in hoc casu præmittere examen & scrutinium personarum ex Concilio Lugdunensi, vt habetur in eod. cap. Eos qui, & ibi Doctores, quæ facultas ordinandi non conceditur alieno Episcopo semper, quando Episcopus proprius ex quacunque causa est suspensus, sed in sola suspensione, quã incurrit ordinando alienos subditos, tunc enim, vt in eo puniatur, in quo deliquit, negligi potest à suis sub-

ditis

ditis circa petitionem dimissoriarum, ita dicit textus in cap. Eos qui, & ibi Glos. de Temp. ordin. lib. 6. & explicat Sylue. Ver. Irregularitas, §. 9. Maiol. lib. 4. de Irregul. cap. 2. nu. 6.

Secundus casus refertur, de quo tamen controuertitur apud Doctores, vbi Episcopus promouet ad Ordines subditum alterius Episcopi sub spe eius ratihabitionis, quæ postea sequatur, etiamsi nullæ dimissoriæ literæ extarent, absque metu Superioris id fieri potest, vt notatur in cap. Lugdunensis 9. q. 2. Et eodẽ modo tenet Raymun. in Sum. in tit. de for. consecra. Vers. In summa nota quòd ordinati, & Glo. in c. Nullus alterius in fi. Glos. Magnæ 9 q. 2. vbi refertur factum Epiphanij, qui hoc modo ordinauit in Diœcesi Sancti Ioannis Chrysostomi absque expressa eius facultate, quod Sanctus vir facturus non fuisset, nisi spẽ ratihabitionis, & consensus Chrysostomi habuisset, & illam sufficere existimasset. Adhæret Maiol. lib. 4. c. 2. nu. 7. de Irregul.

De hoc tamen casu dissentio aliqua est inter Doctores, neque enim omnes illam admittunt, oppositum videtur sentire Glos. in cap Eos qui, Ver. Figmento de Tempo. ordin. lib. 6. explicans verba tex. vbi Papa loquitur de illis Episcopis, qui alienos Clericos absque suorum Superiorum licentia ordinare præsumunt scienter, seu affectata ignorantia, *vel quocunque alio figmento*, inter alia, quæ figmenta dici posse putat, & non excusant à suspensione, enumerat, cùm Episcopus ordinat alienum subditum, quia credit ratum futurũ fore proprio Episcopo. Idem tenet Rebuff. in pract. Benefic. de form. Dimissor. num. 11. Paris. cons. 136. col. 1. vol. 4. Summa Confess. tit. de Aetate ordinand. quæst. 38. Alberic. in Ver. Ordinator in princ. Et hanc sententiam censet veriorem esse Bernard. Diaz in sua Pract. cano. cap. 26. in Schol. Lopez de Salsedo Vers. Secundus quando, potest autem probari hæc opinio primò, quoniam in ijs, quæ sunt contra ordinarium Ius, & contra alterius iurisdictionem, non est facilè admittenda huiusmodi ratihabitio, nam aliàs multis perturbationibus & incommodis occasio daretur. Secundò nemo potest ratum habere, quod ipsius nomine non est gestum, vt in Regula 9. Ratum de Regul. Iur. lib. 6. & in cap. Cùm quis de sent. excom. eod. lib. Tertiò cùm talis ordinatio ab initio irrita fuerit, secundum Canones non potest tractu temporis conualidari, vt dicitur in Regul. 30. l. Quod ab initio, ff. de Reg. Iur.

Contraria verò opinio præcipuè nititur auctoritate dicti cap. vltimi 9. q. 2. vbi Lugdunensis Archiepiscopus quærit ab Vrbano Papa, verum in suis ordinibus possit tolerare quosdã Clericos, suos ab alijs Episcopis ordinatos. & respondet Summus Pontifex, posse ex misericordia, si sint bonæ vitæ, & sine prauitate ordinati, id est cum spe ratihabitionis, iniuncta eis pœnitentia competenti. Ad hunc tex varias affert explicationes Salsedo apud Bernard. Diaz. loco cit. & inter alias illa est, quam magis approbat, nempe ex eo textu non inferri, quòd per ratihabitionem Episcopi confirmetur talis ordinatio, sed quòd ab Episcopo relaxatur iniuria sibi ab ordinato illata, vt colligitur ex verbis postremis tex. *Propter Ecclesiam, quam offenderunt congrua pœnitentia miserationis intuitu in suo quemq; honore recipies*. Quare non approbatur ibi talis ratihabitio immo requiritur dispensatio ex misericordia ab Episcopo, vt ordinatus admittatur ad ordinis executionem, vt ibi notat Glosa, ergo illa probabilis ratihabitio non fuit sufficiens.

A Nihilominus ego non recederem à contraria opinione, sicut tenet Glosa in c. 1. Ver. Rata 9. q. 2. nimirum ordinationem factam ab alieno Episcopo posse per ratihabitionem proprij Episcopi confirmari, & conualidari; idque pluribus comprobari potest, primo ex facto Sancti Epiphanij, quod refertur in dicto cap. fi. 9. q. 2. qui ordinauit quosdam Clericos & Diœcesi Sancti Ioannis Chrysostomi, nam vir ille Sanctus id vtique non fecisset, si sciuisset illos non posse recipere executionem ordinum supposita ratihabitione Ioannis Chrysostomi.

Aliud exemplum refert Maiol. lib. 4. cap. 2. num. 7. in fi. de Irregular. ex Gregorio Turonen. lib. de Gloria Confess. cap. 106. Mortua enim Radegunda Pictauiensi, proprio absente Episcopo, cùm sacrãdus locus
B esset, nolebat Gregorius inconsulto Episcopo Ordinario consecrationem facere; rogatus tamen a Clero & ciuibus, vt spe ratihabitionis id exequeretur, obsecutus est illis, sic igitur in ordinibus conferendis videtur ordinatio tolerari posse sub huiusmodi spe ratihabitionis, ita tamẽ quòd ratihabitio expressim sequatur, qua nõ subsecuta, ordinarius debet abstinere ab executione ordinum, vt inquit Sylue. Ver. Irregularitas §. 9. in princ. Secundo ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, vt dicitur in cap. Cum quis de sent. excom. lib. 6. & in Reg. 10. Ratihabitionem de reg. Iur. lib. 6. quod si in re aliqua locum habere posset, maximè in ordinatione, in qua facultas & licentia
C proprij Episcopi non est necessaria ad substantiam, seu valorem actus ordinandi; sed vt conuenienter fiat, & debito modo exerceatur. Vnde quando ordinatio hoc modo fit, potest dici aliquo modo facta nomine proprij Episcopi, cum sub probabili spe eius consensus facta fuerit, & ideo non potest ab initio dici irrita. Tertiò licèt ea, quæ plus habent iuris, quàm facti, ratihabitione confirmari nequeant, vt inquit Glosa de sententia, quæ si ab initio nulla fuit in cap. 1. Ver. Rata 9. q. 2. tamen ea, quæ plus habent facti, quàm iuris, ratificari possunt, vt emptio, locatio, & traditio: & idem est dicendum, vt notat Glosa citata, si quis ordinat Clericos alienos, credens suum Episcopum ratum habiturum. Quæ ratihabitio in suscipiendis ordini-
D bus non semper est admittenda, sub vbi tam persona ordinantis, quàm ordinati cognita est, & cessat omnis suspitio ob prudentiam ordinantis, & doctrinam, ac bonos mores, & vitæ integritatem ipsius ordinati. Quamobrem si is, qui ordinatur absq; malitia & dolo procedat, & suscipiat ordines ab alieno Episcopo, qui asserat se posse ordines conferre ob præsumptam ratihabitionem proprii Episcopi, cuius voluntas ipsi optimè perspecta est, satis hoc erit, vt excusetur à culpa, & consequenter à suspensione, sed secus dicendum est, si ille Episcopus non haberet spem in ratihabitione proprij Episcopi, vt notat Glosa in cap. 1. Ver. Rata, in fi. 9. q. 2. arg. l. Si quis offerenti ff. de solut. Quòd
E si postea proprius Episcopus ordinationem nolit ratam habere, tunc ordinatus poterit suspendi; illa tamen suspensio, quæ à iure imposita est minimè contracta fuit, quia nõ pendet ex futuro euentu; immo etiam illa suspensio ab homine lata, quamuis in foro exteriori sit timenda, tamen in foro conscientiæ non poterit valorem habere in ratione pœnę & censurę, quãdo constat bona fide ordinem susceptum fuisse, & nullam extitisse rationem culpæ, quamuis ordinatus non debeat ordine suscepto vti, cùm id procedat ex voluntate ipsius Ecclesiæ.

Tertius casus est, quando quis triennio commoratus

tus

tus fuerit cum aliquo Episcopo, quia sortitur forum A & domicilium illius Diœcesis quoad hunc effectum, vt ab illo ordinari possit absq; alia licentia & literis dimissorijs proprij Episcopi, si tamen sit familiaris ipsius Episcopi, à quo ordinatur, & ab illo statim cum ordine conferatur ei beneficium Ecclesiasticum, ita definitum fuit in Concil. Trident. sess. 23. cap. 9. de Reform. vbi ita habetur: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacunque fraude cessante statim re ipsa illi conferas, consuetudine quacunque etiam immemorabili in contrarium non obstante.* Ex quibus verbis colliguntur tres conditiones necessariæ ad hoc, vt talis ordinatio sortiatur effectum suum, & ordinatus suspensionem euitet. Prima est, vt sit familiaris B Episcopi, à quo ordinatur, quod intelligitur de illis familiaribus, qui cum Episcopo commorãtur, idest præsentes sunt, & assistunt obsequij Episcopi. Quare Episcopi non gaudent priuilegio ordinandi suum Procuratorem, vel agentem, aut aliter ei inseruiẽtem in regione remota longè à præsentia Episcopi, vt annotauit Maiol. lib. 4. cap. 2. num. 5. de Irregul. & reddit rationem diuersitatis, quoniam ob longam absentiam non potuit Episcopus nosse illius mores. Idque confirmari potest ea verbis eiusdem Concilij in sess. 14. c. 2. ibi, *Etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ*, Declarans nomine familiaris velle intelligere commensalem, ergo non comprehenditur ille, qui inseruit Episcopo in alia Ciuitate, & loco distã- C te ab Episcopo, quamuis illius sumptibus viuat. Quare cũ hæc potestas sit limitata ad familiares, & commensales, non debet extendi vltra limites, l. Diligẽter, ff. Manda. tradunt latè Doct. in cap. Cum ordinem, & in c. Si quando de rescript. & hæc qualitas familiaritatis plenè probanda est, vt notat Lap. Alleg. 59. Bellam. dec. 747. nec est adhibenda fides verbis Episcopi hoc affirmantis, vt probat Paris. cons. 137. n. 31. vol. 4 Secũda conditio requisita est, vt ordinatus inseruierit Episcopo alieno, & in eius familia commoratus sit saltem spacio trium annorum; hoc enim tempus trium annorum à Concil. Trid. expresè assignatum fuit, vt interim Episcopus mores illius agnoscere, & vitam explorare valeat, arg. c. Si quis incognitus 17. q. 2. notat Ar- D chid. in c. Legem dist. 53. Et hoc tempus continuũ esse debet, vt ex eod. Conc. sess. 14. cap. 2. de reform. & tradit Maiol. lib. 4. c. 2. n. 5. in fi. de Irregul. Tertia cõditio est, vt Episcopus ille, qui promouet suum familiarem ad ordinem, statim ei conferat beneficium Ecclesiasticum; & finis huius conditionis fuit, vt cessante familiaritate per obitum Episcopi, vel ea alia causa, ordinatus haberet, vnde commodè se alere posset, & non cogeretur mendicare contra dignitatem ordinis Clericalis, & contra decretum eiusdem Conc. sess. 21. c. 2. de Reform. Vnde iure statutum est in pœnam sic ordinantis, vt suis sumptibus ordinatũ alere teneatur, donec de beneficio ei prouiderit, c. Cum secundũ de præ- E ben. & c. Si Episcopus, eod. tit. lib. 6. & c. Accepimus de Aeta. & quali. Ex defectu tamen huius conditionis nõ remaneret ipso iure suspensus familiaris, qui bona fide susciperet ordinem ab Episcopo beneficium ei promittente, si postea non conferret, quia non esset reus culpæ, & ideo neque dignus pœna, quam incurreret solum ipse ordinans.

Sciendum est tamen hanc facultatem concessam Episcopo ordinandi familiarem suum non subditũ nõ competere Episcopis titularibus, sed tantũ Episcopis ordinarijs, vt statutum fuit in Conc. Trid. sess. 14. c. 2. vbi cauetur expresè huiusmodi Episcopis, ne præsumant ordinare non subditos etiam prætextu cuiusuis familiaritatis, nec primam Tonsuram conferre absq; sui proprij Prælati expresso consensu, vel literis dimissorijs, & contrafacientes ab exercitio Pontificalium per annum, promoti verò ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure suspensi sunt, vt in dicto Concilij decreto.

Exceptis his tribus casibus, nunquam licet ab alio Episcopo, quàm à suo proprio ordines recipere, quòd si de facto quis ordinetur, suspensus ab executione ordinum remanet.

Sed dubitari potest, an hæc suspensio incurratur ipso iure, quando ab alieno Episcopo recipiuntur ordines, quicunq; illi sint, siue sacri, siue minores, vel potius Constitutio Pij Secundi sit interpretanda solum vbi quis sacris ordinibus fuerit insignitus.

Respondendum est eum, qui tantum minores ordines ab alieno Episcopo suscipit, non tantũ si bona fide sed etiam si cum peccato id faciat, non incurrere prædictam suspensionem ipso iure à Pio Secundo latã, quæ est vera censura, vt dixi, neq; si in suscepto ordine ministret, irregularis fit. Ratio huius dicti est, quoniam Pius Secundus in dicta extrauag. Manifestè, loquitur tantum de sacris ordinibus, & non de alijs, & illos exprimendo, hos negare videtur, c. Non ne de præsump. l. Cum Prætor ff. de Iudi. Quòd si Summus Pontifex de omnibus ordinibus intelligere voluisset, vtique id expressisset, cap. Ad audientiam de Deci. maximè cum dicta Constitutio sit odiosa & pœnalis, & idcirco restringenda, Reg. odia. de Reg. Iur. lib. 6. & ita communiter sentiunt Doctores, Rebuffus in Pract. Beneficiali tit. de Clericis ad sacros ordines malè promotis, Glos. 3. nu. 1. Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 70. & lib. 1. Consilio. tit. de Temp. ordin. cons. 31. n. 4. Lopez Salsedo apud Bernard Diaz in Pract. Canonica c. 26. Vers. Tertio erit.

Si quis obijciat c. 1. de Temp. ord. lib. 6. vbi Clemẽs Quartus imponit pœnam suspensionis Vltramõtanis, qui ordines recipiunt ab Episcopis Italiæ sine speciali licentia Papæ; & licet initio cap. Summus Pontifex recensens rationem, qua mouebatur, vt ita sanciret, mentionem faciat de sacris ordinibus, ibi, *Vel alias sacrorum ordinum susceptione indigni*, tamen postea cum proponit decretum & pœnam statuit, vniuersaliter loquitur de ordinibus absq; vllo discrimine, dicẽs, *vt nullus Episcoporũ Italiæ de cætero aliquem vltramontanum Clericum ordinare præsumat*, & paulò post, *Eos verò, quos contra præmissa contigerit ordinari, manere volumus absq; spe dispensationis, super hoc à Sede Apostolica obtinenda suspensos &c.*

Nauar. dicto cons 31. putat textum illum intelligendum etiam esse de promotione ad sacros ordines, quia initio tex. fit mentio de sacris ordinibus, neq; id fuit causa impulsiua, vt significat Io. And. sed finalis, inquit, Nauarrus nam causa Constitutionis posita in eius proœmio, censetur finalis, l. fin. ff. de Hæred. Instit. Quare illa Constitutio habebit locum tantummodo in ordinatione Clerici ad sacros ordines, non autem in ordinatione Laici ad Clericatum. Idem tenet Lopez Salsedo apud Bernard. Diaz in c. 26. in Schol. Vers. Tertiò nota in fi.

Oppositum sentit Glos. in eod. c. 1. Ver. Clericũ, nẽpe tex. generaliter esse intelligendum de omnibus ordinibus, & probat ex c. vlt. eod. tit. & lib. vbi prohibetur, neq; primam Tonsurã ab alieno Episcopo homini non subdito cõferri debere, & cum eadẽ sit ratio de

omnibus ordinibus, eadem quoque debet depositio militare, atque vt hæc interpretatio generalis cōmodè ac sine violentia aptari possit verbis tex. Glos. ita legit; *Vt nullus Episcoporum Italiæ de cætero aliquem vltramontanum*; ibi firmat punctum, deinde sequitur, *Clericum ordinare præsumat*. Quare disiungit dictionē, *Vltramontanum* ab alia dictione *Clericum*. Hanc expositionem Glosæ sequuntur Io. And. Domin. & Francus in eod. c. 1. de Tempor. ordinat. lib. 6. & Sylu. Ver. Irregularitas §. 11. Vers. Et hæc pœna. Hæc expositio mihi videtur probabilior, & verbis magis accommodata, quia absolutè loquitur de ijs, qui præsumunt aliquem vltramontanum ordinare absque vlla limitatione, & quia Clericum exprimit, non complectitur eum, qui primam Tonsurā accipit, quia Clericus propriè non est, neque prima Tonsura est ordo. Neque tamen dispositio illius cap. 1. obstat ijs, quæ diximus ex extrauag. Pij Secundi de suspensione ipso iure imposita illis tantum, qui ab alieno Episcopo ad sacros ordines promouentur, nō autem si reciperent ordines minores, quia lex constituta pro certis locis & personis non extenditur ad alia loca & personas, quare cùm c. 1. de Tempo. ordin. lib. 6. loquatur solùm de vltramontanis ordinatis ab Episcopo Italiæ non debet extendi ad alios, sed in cæteris omnibus restrictio Pij Secundi seruanda erit.

Quamuis autem ordinatus ab alieno Episcopo sine literis dimissorijs sui Episcopi ad ordines minores, non sit suspensus ipso iure, poterit tamen suspendi, si ita expediens iudicabit Episcopus. Nauar. cons. 29. de Temp. ordina. lib. 1. vt constat ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 3. de Reform. cùm ait; *Præsertim in sacris constitutos*, ergo alij etiam ordines comprehenduntur, quod magis declarant verba in fine, *Et illis, ne in Altari aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit*, sed in hoc loco Concilium loquitur non solum de indebita ordinatione, sed etiam de indegnitate personæ. Ideo committit iudicio Episcopi, vt præuio examine iudicet, an sint habiles & idonei, vt ad diuina officia celebranda admittantur; quòd si ad hæc munera minus aptos repererit illos, à susceptorum ordinum exercitio ad tempus suspendat. Verùm idem Conc. sess. 23. cap. 8. de Reform. propter hanc culpam ordinationis illegitimæ imposuit suspensionem ipso facto, *A susceptorum ordinum executione suspensus sit*, vt paulò ante monebam, quæ tamen relicta est arbitrio proprij Episcopi, ipse enim eam tollere potest, cum expedire iudicauerit, vt tradit ibi Concilium.

Ex dictis sequitur lethale crimen committere illū, qui sine licentia, & literis dimissorijs proprij Episcopi suscipit ordines minores ab alieno Episcopo, quia facit contra sacros Canones, & sacri Concilij Tridentini decreta in re graui, nimirum in receptione Sacramenti præcipui, negligens iurisdictionem & auctoritatem sui Superioris, & hac de causa suspendi potest.

Immo addit Lopez Salsedo apud Bernard. Diaz in Pract. Can. cap. 26. in Schol. Vers. Et non solum minores, si hoc modo ab Episcopo alieno conferatur tantū prima Tonsura, violari statuta sacrorum Canonum, nam Episcopus nititur huiusmodi initiatum ab aliena plebe vsurpare, c. Primatus dist. 71. & ibi notat Turrecrem. Tex. notab. in c. Eos. & ibi Glos. Ver. Ordinare de Tempo. ordina. lib. 6. & sequuntur Doctores ibidem, tex. in c. vlt. vbi Glo. fin. eod. tit. & lib. Et ob hanc rationem qui Tonsura sic initiatus est, priuilegio clericali gaudere nequit, Petrus Rebuffus ita tenet in Tract. nominat. quæst. 14. num. 42. licèt contrarium sentiat Guido Papa decis. 449. initium est, Laicus, sed Lopez Salsedo veriorem putat sentētiam Rebuffi.

Vnde sequitur secundò sic ordinatum non posse Ecclesiastica beneficia obtinere, sicuti si Tonsura insignitus minimè esset, cap. fin. de Cleri. excom. Mini. nā paria sunt nullam obtinere Tonsuram, & inutilem habere. Ideo impetrans à Romano Pōtifice beneficium, si non exprimat ab alieno Episcopo fuisse promotum, illius impetratio iudicatur surreptitia, si enim cognouisset Tonsuram nullam fuisse, vel non nisi contulisset, vel saltem maiore cum difficultate, cap. Postulasti in fi. de Rescript. tradit Oldra. cons. 215. col. penult. nā cum sic ordinatus quo ad se suspensus sit, priuatus est omni actu spirituali respiciente sui commodum, Anton. in dicto c. fin. de Cleri. excom. Mini. & ideo redditur inhabilis ad obtinenda beneficia, cap. Cum bonæ de Aeta. & Quali. & ita pluribus rationibus probat, & concludit Io. Cepha. cons. 682. per totum vol. 5. Idcirco optimum consilium erit, tali casu occurrente, vt notat Lopez Salsedo apud Bernard. Diaz cap. 26. in Schol. Vers. & ea ratione ex sententia Petri Rebuffi in Tract. nominationum quæst. 14. num. 42. impetrare à Summo Pontifice literas, quas perinde valere, vocant, vt ordinatio impetrantis facta ab alieno Episcopo sit valida, & teneat, ac si à proprio Episcopo collata fuisset, & sola signatura suplicationis sufficeret. Quod remedium iuuaret, eum ante acceptationem beneficij, non postea in præiudicium Tertij.

Dubitari quoque potest, postquam certum est, vt probaui, ordinatum ad ordines sacros ab alieno Episcopo sine licentia, & literis dimissoriis sui proprij incurrere iuxta Extrau. Pij Secundi ipso iure veram censuram suspensionis, & consequenter si ministret in suis Ordinibus, irregularitatem contrahere; Vtrum ad hūc modum ordinatus iudicandus sit irregularis, ex eo quod in ipsamet ordinatiōne vnà cum Episcopo iuxta morem, & consuetudinem Ecclesiæ celebrat, nempe suscipiendo ordinem Presbyteratus.

Mouet hanc dubitationem Lopez Salsedo apud Diaz cap. 26. in Scholijs Vers. Quinto non incongruè, & primò respondet ob illam administrationem non incurrere irregularitatem; Primo quia illa administratio, & celebratio non reputatur diuersus & distinctus actus ab ipsa ordinatione, & ratione vnius, & eiusdem actus non potest simul vtraque censura contrahi. Secundù quia ordinatus in illo casu non tam celebrat, quàm concelebrat cum Episcopo. nec ministerium illud, quod tunc exhibet ordinatus consueuit Missa appellari. Tertiò quia si Ordinatus tunc recederet, nec permanere vellet ad celebrandum vnà cum Episcopo, graue scandalum induceret, quare non est verisimile voluisse sacros Canones compellere ipsum ad concelebrandum sub poena irregularitatis: hoc enim nimis durum videretur. His tamen non obstantibus dictus Auctor verius censet oppositum, nimirū ex dicta celebratione cum Episcopo taliter ordinatū incurrere irregularitatem, quia exercet actum proprium ordinis Presbyteralis, scilicet consecrationem Eucharistiæ, ex quo contrahitur irregularitas, S. Thom. in 4. sentent. distinct. 13. quæst. 1. art. 2. ad 2. quæst. & in 3. part. quæst. 82. art. 2. Palud. dicta distinct. 13. quæst. 4. artic. 2. Couar. in cap. Alma Mater part. 2. §. 3. num. 5. de sentent. excommun. libro sexto, qui peculiariter agens de recipiente ordines tempore Interdicti asserit ob rationem propositam suscipientem Sacerdotalem ordinem tempore Interdicti effici irregularem, quia simul cum Episcopo

conce-

concelebrat. Idem tenet Nauar.cons.62.ad 6.quæst. in tit. de Simon.

Ego verò sum in contraria sentētia, & existimo ordinatum ab alieno Episcopo ex cōcelebratione, quam cum ipso Episcopo peragit, quando Presbyterali ordine insignitur, non incurrere irregularitatem, nō ob eam rationem, quia censeam illum actum concelebrationis non esse verum actum ordinis, & per illum non posse incurri irregularitatem, quia, vt dixi ex sentētia Couar. Si quis tēpore Interdicti promoueatur ad Presbyteratum, vtiq; per talem actum concelebrationis efficitur irregularis, quia est vera consecratio, & cōsequenter proprius actus ordinis Sacerdotalis, sed ideo in casu, de quo tractatur, non incurritur irregularitas, quia per talem receptionem ordinis ab alieno Episcopo à sacris Canonibus imposita est pœna suspensionis, nō irregularitatis. Quare cùm illa concelebratio pertineat ad vnum & eundem actum ordinationis, & non sit distinctus actus, sequitur, vt propter illam suspensio tantùm non irregularitas contrahatur, non est eadem ratio de concelebratione tempore Interdicti, ex illa enim incurritur irregularitas, vt docet Couar. quia supponitur Interdictum antea latum esse, & non fertur per actum coniunctū cum celebratione, sicut accidit de suspensione, quæ incurritur per ordinationē factam ab alieno Episcopo, cum qua ordinatione, est annexa concelebratio cum Episcopo. Quare non valet argumentum desumptum ab exemplo Interdicti.

Confirmatur ex verbis extrauag. Pij Secundi, cum inquit *A suorum ordinum executione ipso iure suspēsi sint, & si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Ex quibus apparent duo actus distincti, scilicet ordinatio, & vsus ordinis ad incurrēdam irregularitatem, ergo propter ministerium in ipsa ordinatione exhibitum non incurritur irregularitas.

Confirmatur secundò, quia omnia iura, quæ irregularem faciunt eum, qui post suspensionem ministrat semper loquuntur de suspensione antea contracta, & de vsu ordinum subsequēte per actum omnino distinctum, vt patet ex c. 1. & c. Is cui de sent. excō. lib. 6. ibi, *In suo officio agens, sicut prius*, in c. 1. de sent. & re Iudi. eod. lib. *Si suspensione durante damnabiliter se ingesserit diuinis.* Et eodem modo loquuntur multa decreta 11. q. 3. Ergo cùm versemur in materia pœnali & odiosa, & omnis auctoritas, si verba in proprietate sermonis recipiantur, magis admittant hunc sensum, quam oppositum; sequitur probabilius esse affirmare hanc irregularitatem non contrahi, nisi per actum moraliter distinctum ab eo, quo suspensio contracta fuit.

Confirmatur tertio, nā iuxta stylum Curiæ & Cancellariæ cum Sacerdote ordinato ante legitimam ętatem, si postea non celebrauit, non dispensatur tanquā cum Irregulari, sed absoluitur solum à suspensione, & eo ipso completa ætate reputatur habilis ad celebrandum. Secus autem est, si post ordinationem celebrauerit, quia tunc prętet absolutionem à suspensione specialis dispēsatio ab irregularitate necessaria est, ergo signum est illam concelebrationem cum suo Episcopo in ipsa ordinatione non fuisse sufficiens ministerium ordinis ad incurrendam irregularitatem, & id, quod dicitur de ordinato ante legitimam ætatem, intelligendum est de ordinato extra tempora, vel ab alieno Episcopo sine literis dimissorijs, de quo agimus, est enim omnium eadem ratio, nam hi tres casus enumerantur eodem modo in illa extrauag. Pij Secundi. His rationibus ductus existimo hanc opinio-

A nem probabiliorem esse, quam tenet etiam Hēriquez in sua summa lib. 13. de excommunicatione cap. 10. in Schol. lit. E, cap. 13. lit. F, & lib. 14. c. 3. num. 6. lit. X. & ad idem confirmandum affert aliud fundamentum, quoniam idem actus non debet duplici pœna puniri.

Sed obijciet quis cōtra hanc sententiam exemplo eius, qui furtiuè ordinem suscipiendo excommunicationem ipso facto incurrit. (Supponamus contra tales latam fuisse ab Episcopo excommunicationem,) qui ex tali actu concelebrationis, vel cantando solenniter Epistolam, aut Euangelium, quando ordinatur Diaconus, vel Subdiaconus, efficitur irregularis ex vi generalis canonis ferentis excommunicationem contra eum, qui excommunicatione innodatus ordinatur.

B Respondeo falsum esse id, quod assumitur, nempe incurrere irregularitatem illum, qui suscipit ordines de facto stante prohibitione generali sub pœna excommunicationis, ne ordinetur, nam licèt ex transgressione præcepti remaneat vinculo excommunicationis obstrictus, non tamen recipit ordines excommunicatus, sed è contra potius iam ordinatus excommunicationem incurrit, excommunicatur enim, quia ordinatur; quare prius natura intelligitur, vt quis sit ordinatus; deinde vt propter ordinationē incurrat excōmunicationē; vnde ante excommunicationē non contrahit irregularitatē, sed si exerceat actum propriū ordinis post excommunicationem. Idq; confirmari potest ex ijs, quæ dicuntur à Sylue. Ver. Irregularitas §. 15. q.

C 13. Vers. Secundum si Episcopus &c. Vbi asserit, quòd si Episcopus tulit sententiam excommunicationis cōtra celebrantes in aliqua Capella, qui in ea primo celebrat, non efficitur irregularis, sed irregularitatem contrahit celebrans secundam Missam, nam quando celebrauit primam Missam, non erat obstrictus vinculo excommunicationis, quam incurrit post completam primam Missam. Adhæret Maiol. lib. 3. c. 18. n. 5. de Irregular. Aliud tamen videtur dicendum, si aliquis contra tenorem dictæ extrau. ordinetur Diaconus, vel Subdiaconus, & postea ibi canat Epistolā, aut Euangelium, hic enim incurrit irregularitatem, quia isti actus sunt diuersi quoniam postquam per primum idest per ordinis susceptionem incurrit suspensionem,

D ministrat solenniter.

Ad euitandam huiusmodi suspensionem, idest vt cupiens à non suo Episcopo ordines recipere absque periculo id exequi valeat, opus est vt obtineat à suo Episcopo literas dimissorias, quarū vsus tempore etiā D. Augustini vigebat, vt ipse testatur in Epist. ad Clerū Hippon. 137. Vers. Cū enim extranea causa. Hæ verò literę aliquando sunt speciales, nēpe vt possit quis à tali Episcopo insigniri ordinibus, & tūc si ab alio ordinetur, remanet suspensus, cū nullam facultatē habuerit ordinandi ab illo Episcopo, cōcessio enim vnius est exclusio alterius, l. Cū Prætor ff. de Iudi. c. Non ne de

E præsumpt. Nonnunquā traduntur literæ generales, vt quis possit ordinari à quocunq, Antistite gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente, c. penul. de præsumpt. Quibus literis debent exprimi ordines illarum vi, & licentia conferendi, nam si concedatur facultas recipiēdi ordines minores, vel ordines simpliciter, nō comprehenduntur sacri & maiores, c. 1. de Tēpor. ordinat. Debent etiam dictæ literæ continere excusationis causam, propter quam proprius Episcopus non valeat ordines conferre, capit. 1. de Tempo. ordina. lib. 6. Consuetudine tamen receptum est, vt nulla assignetur causa, quæ viget in multis locis; quam validam dicit esse Rebuff. in Practic. Benefic.

De literis dimissorijs num. 18. Item dictæ literæ minimè concedi debent ante legitimum examen, & approbationem, vt in Conc. Tridentin. sess.23.cap.3. & olim concedi poterant ab Episcopo originis post electionem & confirmationem etiam ante consecrationem, cap. Cum nullus de Tempo.ordina. lib.6. vel ab Episcopo Domicilij, aut Beneficij, non à Vicario generali Episcopi, nisi Episcopus commoratus fuisset in remotis Regionibus, neq; à Capitulo, nisi Sede vacāte. Inferiores alij illas concedere non poterant. Hodie verò ex dispositione Conc. Triden. sess. 23. c.10. Solus Episcopus concedit literas dimissorias. Quare nec Abbatibus, neque alijs Prælatis exemptis etiam prætextu priuilegiorum, aut immemorabilis consuetudinis, neque Capitulo Sede vacante, neque cuicunq; alteri, qui in Episcopi iurisdictionem succedat, permissum est concedere literas ad ordines, & qui violāt hoc decretum, per annum ab officio & beneficio ipso iure sunt suspensi. Capitulum autem ipso facto subijcitur Ecclesiastico Interdicto, vt statuit Conc. Trident. sess. 7. cap. 10. de reform. Et cum huiusmodi literis ordinati si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio Clericali, præsertim in criminalibus gaudent, in maioribus verò ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso iure suspensi.

Hoc tamen decretum Concilij locum habet, vt ibi declaratur, quando Sedes Apostolica vltra annum nō vacauerit, elapso verò anno, Ius antiquum non immutatur l. Præcipimus, C. de Appell. & tales dimissoriæ à Capitulo obtineri possunt, & ordinatio illarum vigore facta esset valida. Quinimmo etiam infra annum vacationis Sedis Episcopalis Capitulum tales literas dimissorias concedere poterit, quando quis ratione beneficij obtenti, vel obtinēdi arctatus est ad sacros ordines suscipiendos, vt patet ex eod. Conc. dicto cap.10. & tradunt Maiol. lib.4. cap.20. in fi. de Irreg. & Lopez Salsedo apud Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 26. in Schol. Vers. Poterit tamen Capitulum.

Literæ autem dimissoriæ à Prælato semel concessæ minimè expirant concedentis morte. Ita tenet Card. in Clem. fin. quæst.5. de elect. & est casus in Extrauag. Inter cunctas, §. Duos de priuileg. & sequitur Rebuff. in Pract. Benefi. de formula Dimissoriarum num. 40. & communem esse testatur Nauar. in c. Placuit n.35. & num.161. de Pœnit. dist. 6. Et eadem ratio est de literis dimissorijs concessis à Capitulo Sede vacante in casibus supra expressis, vt docet Io.Imo. in cap 2. in fi. Ne Sede vacante, nam concessa à Capitulo effectum sortiuntur finita Capituli potestate, c. His quæ, de maio. & obed. cap. vni. eod. tit. lib. 6. Anchar. in cap.

A 2. in fi. Ne Sede Vacan. Feder. de Senis cons. 16. Quia licèt mandatum morte mandantis expiret, non tamē gratia tex. in cap. Si cui de Præben. lib. 6. & in cap. Si super gratia de offic. Deleg. eod. lib. Vnde Glos. in c. Cum ex eo Ver. Septenarium de elect. lib. 6. inquit quod licentia Parocho ab Episcopo tradita de non residendo, vt literis vacare possit, non solùm non expirat morte ipsius Episcopi, sed, quod videtur maius, nō potest ab eo reuocari, quam dicit esse singularem, Roman. singul. 517. Similiter facultas alicui concessa de celebrando in priuata domo sua, morte Concedentis non extinguitur. Ita Rota in Antiq. Decis. 580. incipit, Camerarius, eodem modo teste Innoc. in cap.
B Quod translationem de off. Deleg. Indulgentiæ à Legato concessæ, etiam legatione finita perdurant. Et hanc opinionem communem esse fatetur Nauar. in cap. Placuit num. 164. de Pœnit. dist. 6. vbi idem fatetur de Indulto eligendi Confessarium, quod morte Concedentis non expirat.

Tandem potest addi vltimo loco ad ea, quæ dicta sunt hactenus de hac suspensione, quæ incurritur per ordinatum ad ordines sacros ab alieno Episcopo sine literis dimissorijs proprij Episcopi, alia suspensio, quā contrahit is, qui licèt à proprio Episcopo ordinetur, suscipit tamen ordines in aliena Diœcesi sine licentia Episcopi loci iuxta Constitutionem Concilij Antio-
C cheni cap. 22. & cap. Episcopum 9. quæst. 2. Vbi talis ordinatio irrita vocatur. Quibus verbis significari solet in Iure ordinatio, per quam ordinis executio nō confertur, Maiol. lib. 4. cap. 21. de Irregul. Quæ suspensio innouata est, & clarius explicata in Concilio Trident. sess. 6. cap. 5. de Reform. *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi*, & sess. 14. cap.2. ibi, *Dum per hanc sanctam Synodum se*
D *Pontificalia officia in alterius Diœcesi, nisi de loci Ordinarij accepta licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum exercere prohibitos vident* Loquitur Concilium de nonnullis Episcopis Ecclesiarum quæ in partibus infidelium consistunt. Hinc sequitur, vt si quis sine licentia sui Episcopi ab alio Episcopo in Diœcesi non sua, sed alterius absque eius consensu ordines recipiat, duas suspensiones incurrat, alteram quia sine literis dimissorijs; Alteram quia ab Episcopo in Diœcesi non sua, sed aliena ordines recipit; potest enim vna ab altera separari, & è conuerso, ideo non se impediunt, quominus simul incurrantur.



DISPV-

DISPVTATIO DECIMA.

DE SVSPENSIONE, QVAE CONTRAHITVR IN ORDINATIONE EX PARTE ORDINATI.



TRACTATVM est hactenus de Suspensione, quæ incurritur ipso iure ab ordinato in ipsa ordinatione ob defectum Ordinantis; Modò transeundum est ad explicationem alterius causæ in ipso Ordinato existentis; quãdo scilicet Ordinatus suspensionem contrahit ob culpam seu defectu ipsius.

Pluribus autem modis potest incurri suspensio lata ab ipso iure ex parte Ordinati, de quibus discutiendum est in hac Disputatione.

CAPVT I.

An ob receptionem Ordinis ante legitimam ætatem suspensio incurratur.

VT propositæ difficultati, quid respondendum sit intelligamus, primo loco explicandum esse videtur, quæ à sacris Canonibus præscripta fuerit ætas in promouendis requisita ad singulos ordines suscipiendos.

Quia in re vnum, videtur in iure certum, quod ab omnibus admittitur; Pueros ad ordines præsertim sacros non esse admittendos, cap. Pueri prim. q. 1. & ibi Glos. Ver. Pueri, notat Pueros dici intra annũ 14. cap. In veteri dist. 77. cap. Vel non est compos De Temp. Ordin. Vbi Honorius Tertius mãdat suspendi Episcopum, qui puerum xiij. annorum in Diaconũ ordinauerat. Si tamen de facto contra dispositionem sacrorum Canonum ordinentur, per talem ordinationem si ea adhibeantur, quæ ex institutione Christi ad validitatem Sacramẽti Ordinis requiruntur, verè in eis imprimitur Character, vt in dicto cap. Vel non est compos, & ibi Glo. Ver. Aetatem, De Tempo. Ordina. Glo. in cap. 1. Ver. Discretionis De Cleri. per sal. promo. quæ tenet infra annos discretionis posse quidẽ recipi sacros Ordines, sed conferri nõ debere, quia decreta Sacrorum Canonum certũ tempus constituũt, quod plenius declarauit S. Tho. in 4. sent. dist. 25. q. 2. artic. 1. ad 2. quæst. dicens quod per pueritiam, & alios defectus, quibus tollitur vsus rationis, apponitur impedimentum actui, & ideo illa Sacramenta, quæ actũ requirunt suscipientis, non conuenire pueris, sicut pœnitentia, Matrimonium, & huiusmodi. Sed quia potestates infusæ, sunt priores actibus, sicut & naturales, quãuis acquisitæ sint posteriores; Remoto autem posteriori, non tollitur prius; Ideo omnia Sacramẽta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate Sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis, diuinitus datur, possunt recipi à pueris, & alijs etiam vsu rationis carentibus. Hac tamen distinctione seruata, quòd in minoribus ordinibus requiritur discretionis tempus de honestate propter dignitatem Sacramenti, non ex necessitate præcepti, neque ex necessitate Sacramẽti; Vnde fit posse aliquos, si necessitas adsit, & spes profectus, ad minores ordines ante annos discretionis sine peccato promoueri, quia licèt tunc non sint idonei ad officia, quæ eis committuntur; tamen per assuetudinẽ idonei reddi possunt. Verũ ad maiores ordines requiritur vsus rationis non solum de honestate, sed de necessitate præcepti propter votum continentiæ, quod habent annexum, tum etiam quia eis Sacramenta tractãda committuntur. Hæc dicuntur à S. Thom. vbi reijcit etiam opinionem illorum tanquã improbabilem, qui dixerunt ad omnes etiam ordines minores requiri vsum rationis de necessitate præcepti, & de necessitate Sacramenti; Nam quamuis in suscipiendis ordinibus minoribus sit necessarius vsus rationis ex necessitate præcepti, quia sacri Canones certum ætatis tempus statuerunt requiri in suscipientibus singulos ordines, non omne tamen, quod est de necessitate præcepti, statim dicendum est esse de necessitate Sacramenti; Hinc sequitur, quòd etsi pueri suscipientes ordinem sacrum characterem reciperent, tamen non adstringerentur obligatione illius ordinis, nisi pubertate adueniente: possent enim ad seculum redire, si triduo post pubertatem protestarentur, alioquin secus, Abb. in c. 1. de Cleri. per saltum promo. vbi Glo. censet id locum habere de æquitate, non de rigore. Et quamuis in iure veteri in ordinandis Monachis tanta ætas non exigeretur, quanta in Clericis secularibus propter eas virtutes, & disciplinas, quibus intra claustra imbuuntur, vt probat Gelasius Papa in cap. Monachus dist. 77. Alberi. in suo Dictionario Ver. Ordinator in princ. ob eam rationem, quia probitas ætatis defectum supplere videtur, Glos. in dicto c. Monachus, tamen ex decreto Concilij Tridentini sess. 23. cap. 12. De Reform. eadem omnino

postulatur ętaa in Regularibus, sicut in secularibus in A susceptione or dinum.

His suppositis sciendum est secundo loco singulis ordinibus ab ipso Iure prȩscriptas fuisse ætates, sed pro temporum diuersitate variatas, de quibus agit Alberi. in suo Dictio. Ver. Ordinandus, Summistæ Ver. Aetas, Maiol. lib. 1. cap 30. num. 8. de Irregul. nam ferè semper primam Tonsuram ante septennium conferri minimè consueuit, Tex. in cap. Nullus, & ibi Glo. Ver Infanti de Tempo. ordin. lib. 6. *Nullus Episcopus, vel quiuis alius infanti*, & deinde, *Clericalem præsumat conferre tonsuram*, Glo. in cap. In singulis, Ver. Si ab infantia dist. 77. explicans verba textus. *Si ab infantia Ecclesiasticis ministerijs nomen dederit*, inquit, idest septimo anno. Pro suscipiendis alijs ordinibus, varia B fuerunt statuta tempora, nam Zozimus Papa in eod. cap. In singulis dist. 77. concessit, vt quinquennio post primam tonsuram, idest duodecimo anno possent Clerici admitti ad lectoratum & exorcistatum, & postea ad Accolitatum; deinde quartodecimo anno post primam tonsuram, quæ ante septennium non confertur, & ita in vigesimo primo anno ad Subdiaconatum, & post annum elapsum ad Diaconatum, Siricius Papa in cap. Quicunque, & cap. Subdiaconus ead. distin. 77. Subdiaconatui vigesimum annum præscripsit, sed Glo. in dicto cap. Subdiaconus intelligit de anno vigesimo completo; hoc enim inquit in honoribus Ecclesiasticis, secus in Ciuilibus, in quibus sufficit attigisse, vt ibi probat, & sic decretum Siricij non differret à C Constitutione Zozimi, in Concilio Carthaginensi. Diaconus non nisi anno vigesimo quinto fieri poterat, cap. Placuit dist. 77. *Placuit, vt ante viginti quinque annos nec Diaconi ordinentur*. Presbyteri verò non nisi in trigesimo, cap. In veteri ead. dist. 77. ex Concilio Toletano quarto, *& diuina lege & Canonicis admonemus sententijs, vt à viginti quinque annis ætatis leuitæ consecrentur, & à triginta Presbyteri ordinentur*. Quod decreuit etiam Bonifatius Primus Papa in c. 1. dist. 78. *Si quis triginta ætatis suæ annos non impleuerit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus*. Idem ab eodem confirmatur in cap. seq. Nemo. Quod si aliquando quis vigesimo quinto ætatis suę anno promouebatur ad Presbyteratum, id non nisi necessitate vr- D gente fieri consueuerat, cap. Si triginta dist. 78. *Si triginta annorum non reperiuntur, & necessitas exposcit, à viginti quinque annis vt supra leuitæ, & Sacerdotes ordinentur*. Idem confirmatur ex decretis Zachariæ Papæ, & ex Concilio Neocæsariensi cap. Presbyter ead. dist. 78 *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamuis sit probabilis vita &c.*

Posteriori deinde tempore, cùm lites & controuersiæ orirentur circa ætatem requisitam ad suscipiẽdos ordines ob diuersas iuris auctoritates, non eodem modo de hac ætate loquentes, in Concilio Viennensi [illegible] est certus annorum numerus singulis ordi- E nibus sacris, scilicet Subdiaconatui annus decimus octauus, Diaconatui vigesimus, Sacerdotio vigesimus quintus, Clem. Generalem de Aetate & Qualit. Episcopatui verò ferè semper annus trigesimus præscriptus fuit, cap. Cùm in cunctis de elect. Specul. in c. Licet Canon de elect. lib. 6. in princ. tradit Maiol. lib. 1, cap. 30. num. 8. in fi. de Irregular. Verùm quia graui vinculo seruandæ continentiæ adstringuntur Subdiaconi, & durum valde videbatur adolescentes, qui vix 18. annum peregissent, & quorum mens sibi non constat, & voluntas est instabilis probabili periculo frangendi votum exponere; idcirco summa maturitate & consilio sancitum fuit in sacra Tridentina Synodo sess. 23. cap. 12. de Reform. vt ad Subdiaconatum nemo admittatur ante 22. Ad Diaconatum ante 23. Ad Presbyteratum ante 25. annum, & sufficit, vt postremus annus sit inchoatus, quamuis non sit completus. Reliquis minoribus ordinibus nullum certum præfixit tempus, tantummodo in cap. 5 eiusdem sess. statuit, vt ad minores promouendi à Parocho & Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant, quasi velit iudicio Episcopi relinquere, vt arbitrari possit ex dicto testimonio, an qui postulant promoueri, digni sint, vt admittantur, & cap. 6. supponitur ante decimum quartum annum posse aliquem suscipere ordines minores, cùm præcipiat, vt nullus possit obtinere beneficium Ecclesiasticum etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annũ.

Ex his sequitur nullum periculum imminere incurrendi suspensionem ob receptionem minorum ordinum ante legitimam ætatem, cum non reperiatur aliqua pœna iure imposita in eos, qui quacunque ætate ad ordines minores promouentur, quamuis in tali receptione peccare possint. Quæstio igitur in hoc capite proposita intelligenda est de recipientibus ordinem sacrum.

Et huic quæstioni vnica conclusione satisfaciẽdum est, nimirum suspensionem ipso iure incurrere eum, qui ad ordinem sacrum promouetur ante legitimam ætatem à sacris Canonibus præscriptam, idest hoc tempore ex decreto Concilii Tridentini definitam.

Controuertitur tamẽ apud Doctores, vnde probari possit hæc suspẽsio in iure. Aliqui illã colligunt ex c. vel non est compos de Temp. ordin. vbi Summus Pontifex Honorius Tertius mandat suspendi Episcopum, qui puerum annorum XIII. ordinauerat Diaconum, deinde addit, & ipsum ordinatum, *Ab executione officij Diaconi vsque ad legitimam ætatem in iniuriam suspendimus Ordinantis*. Sed ex illis verbis non videtur probari hoc modo ordinatum esse ipso iure suspensum, sed fore suspendendum, vt notat Glos. ibi, & Abb. nu. 3. & alij Doctores Glo. in Clem. Generalem Ver. Anno, de Aeta. & Quali. B. Antoni. 3. par. tit. 14. cap. 16. §. 15. tenet verius esse, vt dicamus sic ordinatum non esse suspensum, sicut quidam asserunt, sed esse suspendendum vsque ad legitimam ætatem; Quare si exequatur officium ordinis recepti ante legitimam ætatẽ, quando non est suspensus à Superiore, non propterea effici irregularem, licèt aliqui velint committere peccatũ mortale ob talem administrationem ante legitimam ætatem, quod ipse B. Antoni. quoniam apud aliquem auctorem hoc inquit se non legisse, non audet affirmare, neque negare, sed tutius esse fatetur ab executione abstinere. Idem repetit tit. 28. cap. 1. in fi. in candem sententiam citans plures alios auctores; idem etiam sentit Turrecrem. in cap. Placuit dist. 77. & citat Archidiac. Sequitur Couar. cum alijs, quos refert in Clem. Si furiosus par. 1. §. 1. num. 4. de Homic. Eiusdem opinionis est Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 26. in princ. Nauar. in Manua. cap. 25. n. 70. qui fatetur esse communem opinionem, pro qua refert Maiorem in 4 sent. dist. 24. q. 1. in fi.

Quare cum ex dicto cap. Vel non est compos de Tempo. ordina. non possit probari vera suspensio lata ipso iure in eum, qui ante legitimam ętatem sacro ordine fuerit insignitus iuxta opinionem communem Doctorum, sed tantum prohibitio, ne exercere possit ordinem susceptum, donec legitima ætas accesserit, qua quidem accedẽte, cessat omnis difficultas, & impedimen-

pedimentum, & liberè potest in susceptis ministrare, sequitur ita ordinatum iure antiquo non esse suspensum, sed posse per sententiam ab homine suspendi, cum nullus alius appareat locus in iure ad probandam hanc suspensionem, licèt Lopez Salsedo apud Bernar. Diaz in Pract. Crim. cap. 26. Vers. Is verò in fi. asserat non deesse multos magnæ auctoritatis viros, qui putarunt promotum ante legitimam ætatem ad ordines esse ipso iure suspensum.

Sequitur iuxta communem sententiam ita ordinatum ministrantem in ordinibus ante legitimam ætatem minimè irregularitatem contrahere, cùm nec à iure, nec ab homine suspensio imposita sit; Immò, vt inquit Salsedo proximè citatus, hoc idem asseuerare necesse est, si oppositam sententiam amplectamur, cùm hæc suspensio non ob crimen, sed ob defectum à iure prolata fuerit, quod tenet etiam Couar. & plures alios citat in Clement. Si furiosus par. 1. §. 1. num. 4.

Sed opinio communis est probabilior, & vera, si loquamur de iure veteri, quo prohibetur solùm generaliter, ne quis præsumat ante ætatem præscriptam ad ordines sacros accedere, & ex consequenti ne possit tale ministerium exercere vsque ad eam ætatem. Et hæc prohibitio, propriè loquendo, non potest dici suspensio, vt est censura, & pœna Ecclesiastica, sed potiùs vocari debet irregularitas, idest impedimentum, ne ante talem ætatem ordo recipiatur; Ideo si quis ante legitimam ætatem ministret in ordine suscepto, licèt grauiter peccet, non tamen fit irregularis, si non est aliter suspensus, quia non agit contra specialem censuram.

Quòd autem sic ordinatus non incurrat ipso facto veram suspensionis censuram ex dispositione iuris antiqui; Probatur manifestè, quia, ex nullo iure Antiquo colligitur hæc suspensio, nisi ex dicto cap. Vel non est compos De Temp. Ordin. vt dixi, ac omnes Doctores testantur; Sed in illo tex. non inquit Summus Pontifex; Declaramus talem Episcopum ob huiusmodi ordinationem suspensum, sed inquit; *Suspendimus in iniuriam Ordinantis*, & loquitur de vera suspensione, quæ est censura, quam infert contra illum Episcopũ, qui in illo casu particulari ante legitimam ætatem ordinauerat, & ideo ait: *Suspendimus in iniuriam Ordinantis*, cùm enim prohibitus erat, ne in ea ætate promoueretur, & contra prohibitionem præsumpsit ad ordinem sacrum ascendere, idcirco Summus Pontifex pœnam suspensionis infligit in Ordinantem & Ordinatum, & illa est propria suspensio. Non tamen ex vi huius Iuris semper in omni casu simili incurritur propria suspensio, quia ibi Summus Pontifex non sanciuit legem generalem contra omnes Episcopos, qui aliquos ante legitimam ætatem ad ordines admittunt, vel contra eos, qui ita ordinantur; Sed tanquam Iudex pronunciauit in illa causa particulari, infligendo pœnam debitam pro delicto, de quo agebatur, solùm ex dicto tex. colligi potest, quid alij Iudices possint & debeant imitari. Idque confirmari potest atq. sumpto ex cap. Subdiaconus Dist. 77. vbi ita legitur: *Si quis in aliquo ordine Sacerdotali præter constituta tempora ordinatus fuerit deponatur*, loquitur autẽ de temporibus quoad legitimam ætatem, nam immediatè præmiserat, vt nullus ante legitimum annũ ordinetur, & nomine Depositionis intelligit suspensionem, quod non raro in iure accidit.

Quamuis autem hæc, quæ dicta sunt de ordinato ante legitimam ætatem ad ordinem sacrum, nempe

A ob hanc causam non incurrere suspensionem ipso iure, vera sint inspecto iure Antiquo; tamen oppositum est asserendum hoc tempore, Nam Pius Secundus in sua Extrauag. non impressa, Cum ex sacrorum ordinum collatione, de qua pertractaui in cap. 6. Disp. 7. statuit, vt promotus ad sacros ordines ante legitimam ætatem; Aut ab alieno Episcopo sine literis dimissorijs sui Episcopi, vel extra tempora, esset ipso iure suspensus. quòd si in ijsdem ministraret, irregularis efficeretur, cum quo solus Papa dispensare valeret. Quamobrem cauere debet, qui ante legitimam ætatem sacro ordine donatus est, ne in eo absque dispensatione ministret. Quam constitutionem renouauit Xystus V. in sua Constitutione contra Clericos malè promotos, & B Clemens VIII. Istorumque Clericorum in ordinibus suscipiendis peccantium pœnas Xystus auxit. Verum Xystinam Constitutionem, quòd nimirum acris esset Clemens Octauus moderatus est, atque leniuit, incipit, Motu proprio, & ex certa scientia &c.

Sed dubitari potest, an qui bona fide promouetur ante legitimam ætatem ad ordinem sacrum ex ignorantia probabili, quia inculpabiliter existimabat attigisse ætatem legitimam, maneat suspensus, ita vt absolutione indigeat, si postea nouerit suscepisse ordines ante tempus à lege præscriptum. Ratio dubitandi est, quoniam ex vi Extrauag. Pij Secundi incurritur suspensio ipso iure, quoties iuxta dispositionem Iuris antiqui esset quis suspendendus ab ordine, sed secun- C dum ius antiquum esset suspendendus sic ordinatus, etiam si non peccasset in sua ordinatione, ergo etiam modò est suspensus ipso iure.

Nauar. in cap. Accepta opposi. 8. num. 35. De restit. spol. sensit non esse ipso iure irregularem per dictam Extrauag. qui ante legitimam ætatem sacro ordine insignitus bona fide, sine dolo, id sibi licere putans, in eo ministrauit, quia illa Extrauag. tantum ministrare præsumentes efficit irregulares, & Dispositio puniens præsumentem aliquid, non comprehendit eum, qui id bona fide ignoranter non animaduertens facit, ex sententia Cardin. in Clement. 1. quæst. 39. de Priuileg. Immo tenet non solum ita ordinatum si ante ætatem bona fide administret in ordine suscepto non effici irre- D gularem, sed etiam si bona fide illum ordinem suscepit, putans id sibi licere. Idem confirmat in Manua. cap. 27. nu. 155. Vers. Declaratio prima.

Mihi videtur ad hanc dubitationem cũ distinctione respondendum esse; Nam potest quis ante legitimã ætatem promoueri ignoranter duobus modis, Primo ignorans non peruenisse ad debitum tempus à iure requisitum recipiendi ordines, immo probabiliter credens attigisse illam ætatem, & dicitur ignorantia facti. Secundo modo sciens ætatis defectum, sed credens bona fide posse ad ordinem promoueri, vel in suscepto ministrare, & vocatur ignorantia iuris.

Si tractetur de ignorantia facti, res caret difficulta- E te, nempe non incurrere suspensionem ipso iure eum, qui ordinatur ante legitimam ætatem, putans probabiliter sine vlla culpa peruenisse ad tẽpus præfinitum à iure, nam ex verbis eiusdem Extrauag. apparet mentem Summi Pontificis fuisse velle punire delictum eorum, qui contra dispositionem illius Extrauag. ordines recipere audent, cum ait: *Nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes*; Non potest vocari temeritas, vbi adest ignorantia probabilis.

At si loquamur de ignorantia Iuris, de qua videtur intelligere Nauar. dicendum est primò, Regulariter non posse contingere casum, vt ex ignorantia inculpabili

pabili iuris quis ante legitimam ætatem ordinetur, vel quia existimet nullum extare Ius, quod postulet certam ætatem ad ordines, vel quia credat hoc tempore requiri minorem ætatem, quàm 22. annum ad subdiaconatum, & ita suo modo de alijs ordinibus. Qui enim promoueri cupit, tenetur hoc ius scire, & est adeò commune, & vulgare, vt vix possit sine culpa ignorari, cum vnusquisque facilè possit consulere peritos, & certior fieri. Secundò dicendum est, si daretur casus, in quo hæc ignorantia inuincibilis supponeretur, tunc, qui eo modo ordinaretur, excusaretur à culpa, & ex consequenti etiam à prędicta suspensione. Immo putat Nauar. sufficere ignorantiam, quæ excuset à præsumptione, & temeritate, quamuis non omnino excuset à culpa, quia in Extrauag. ponitur verbum, *Præsumpserit*. Secus autem esset dicendum, quando nō esset ignorantia ipsius iuris prohibentis ordinationē ante talem ætatem, sed solius pœnæ suspensionis impositæ propter talem ordinationem, potest enim facilius dari casus, vt quis probabiliter ignoret Extrauag. Pij Secundi, qui pœnam suspensionis tulit aduersus huiusmodi ordinatos, quam, vt nesciat iuris cōstitutionem prohibentem susceptionem Ordinum Sacrorum ante certam ætatem præscriptam. Et in hoc casu talis ignorantia non excusaret à pœna suspensionis, quia eum non excusaret à culpa in tali ordinatione, qui enim hoc modo promoueretur, scienter violaret legem in re graui, & idcirco peccati reus esset, & consequenter hæc ignorantia non impediret, quominus contraheret suspensionem, præsertim in pœna suspensionis, quæ non fertur ob contumaciam, sed pro delicto, quod tamen semper includit aliquam inobedientiam contra præceptum Ecclesiæ. Posset autem tantummodo ignorantia probabilis pœnæ suspensionis contra huiusmodi promotos eos excusare ab irregularitate, si fortè in suscepto ordine ministrarent, quia quamuis qui hoc modo ignoranter ordinaretur, re vera suspensus maneret, tamen cum inuincibiliter ignoraret se suspensum esse ipso facto consequenter ministrando non cōmitteret peccatum, ergo neque irregularitatem incurreret, quæ imponitur in pœnam delicti, sicut indicat verbum, *Præsumptio* in Extrauag. positum, & apparet ex regula generali de Censuris, quam approbat Nauar. in cap. Accepta propos. 8. nu. 32. & sequent. De Restitut. spoliat. & Couar. in Clem. Si furiosus, par. 1. §. 1. nu. 4. in fi.

Ad rationem adductam pro contraria sententia respondere potest primò non esse similem rationem, si agimus de Iure Antiquo, nam suspensio, quæ nunc incurritur ex ordinatione ante legitimam ætatem post Extrauag. Pij Secundi, est perpetua, quæ non tollitur, nisi per absolutionem Summi Pontificis, quia Pius Secundus simpliciter, & sine vlla limitatione temporis illam infligit. At suspensio, quæ iure antiquo ferenda erat ab homine, durabat ad tempus, & non erat perpetua, scilicet vsq; ad legitimam ætatem iuxta dispositionem cap. Vel non est compos de temp. ordin. Atque ita nullum nouum impedimentum inferebat, sed illud ipsum, quod ex ipso defectu ætatis sequebatur ex Sacrorum Canonum dispositione, cum maiori obligatione, & sub noua pœna irregularitatis incurrenda (saltem ex aliquorum sententia, licèt oppositum sit verius) si eo tempore, antequam ætas præscripta aduenisset, in ordine suscepto administrasset, & ob hanc causam iure antiquo illam incurrere poterat, qui sine culpa sua ita ordinatus erat; maximè quia, vt dicitur in dicto cap. Vel non est compos, imponebatur etiam

A in iniuriam ordinantis. Verùm post extrauag. Pij Secundi suspensio propria ipso iure incurritur peculiariter ob delictum ipsius ordinati, vt patet ex dicta extrauag. Quæ verò antea inferebatur ab homine, poterat contrahi sine culpa ordinati, quia illum non priuabat vsu ordinum, quem antea habuisset, vt dixi, sed solùm manifestabat illud idem impedimentum, quod ex defectu ętatis proueniebat ex sacris Canonibus, & addebat pœnam suspensionis aduersus ipsum ordinantē.

Sed adhuc posset quis meritò quærere, an in hanc suspensionem incurrat Clericus, qui ex ignorantia culpabili recipit ordinem sacrum ante legitimam ętatem, sed sine dolo. Difficultas oritur ex verbis ipsius extrauag. Pij Secundi. Dicit enim Pius ipso iure suspēsum esse, qui extra tempora, vel ante ætatem, vel sine

B literis dimissorijs ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerit promoueri. Et si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus celebrare præsumpserit, eo ipso Irregularitatem incurrat. Vnde sequi videtur verbum, *Præsumpserit*, non cadere supra receptionem ordinum, sed supra vsum ordinis. Hinc Nauar. in repetit. cap. Accepta oppos. 8. num. 35. in fi. de Restitut. Spoliat. explicans hanc extrauag. ait, in imponenda pœna suspensionis non ponderari suspensionem in imponenda irregularitate sic. Quare quamuis præsumptio non daretur sine scientia & dolo, tamē hic solum requireretur ad contrahendam irregularitatem, non autem ad incurrendam suspensionem; quæ cum

C sit imposita sine præsumptione, afficeret ordinatum ex ignorātia culpabili, licèt nullus interuenerit dolus.

Ad hanc obiectionem puto respondendum esse, requiri dolum ad incurrendam suspensionem dictæ extrauag. Ita sentit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 154. & cons. 3. de Aeta. & Quali. ordinan. cons. 2. de Filijs Presbyt. Enriquez in Summa lib. 13. cap. 38. nu. 1. in fi. & Glo. lit. E, Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 26. Hi auctores expressè affirmant hanc suspensionem solùm comprehendere præsumētes, vnde sequitur apertè ex eorum sententia non complecti ignorantē ignorantia culpabili, dummodo non sit affectata, nam à dolo quæcunque ignorantia etiam crassa excusat, vt docet Nauar. in Manua. cap. 27. num. 141. Deinde

D probatur requiri dolum, nam fieri potest, quòd explicatio Nauarri fuerit in causa, quòd hæc extrauag. fuerit sic intellecta & vsu recepta, ipse enim fuit, qui primum illam promulgauit Salmanticę, vt testatur cons. 14. de Tempo. ordinat. Præterea dici potest verbum *Præsumpserint*, comprehendere susceptionem ordinū, & ipsam celebrationem; & ita Bernard. Diaz in sua Pract. cap. 26. ponderat hoc verbum, scilicet ad incurrendam suspensionem & irregularitatem, quod licèt verbis non admodum accommodari valeat, tamen fauet breuitati, quæ propria est literarum Apostolicarum, & cùm sit pœna, mitior interpretatio facienda est. Quare si ignorantia culpabilis non æquiualeat præsumptioni, excusabit à suspensione. Immo si ali-

E quis incurreret hanc suspensionem, quia ordinatus esset cum dolo; tamen si postea facta pœnitētia celebraret, credens id sibi licere, non incurreret Irregularitatem, nam etiam ad hoc requiritur dolus, ita Nauar. in Manua. cap. 27. num. 156. & in cap. Accepta oppos. 8. num. 35. in fi. de Restit. Spoliat. & hoc longè certius est de Irregularitate, quàm de suspensione, cùm verbum, *Præsumpserint*, absque controuersia cadat super irregularitatem, vt dixi superius.

Secundò dubitatur, An ordinatus scienter contra tenorem dictæ extrauag. solum maneat suspensus ab ordi-

ordine sic suscepto, vel ab omnibus ordioibus.

Nauar. Conf. 71. in titu. de excomm. dicit eum, qoi ante legitimam ætatem ordinatus est Presbyter, noo posse exercere actum alicui sacro ordini deputatum. Ratio Nauarri est, quia putat talem Presbyterum incurrere irregularitatem. Ego censeo oppositum esse probabilius. Quod coofirmari potest primo ex verbis dictæ Extrauag. *Etsi huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus celebrare præsumpserint, irregularitatem incurrant*. Secundò in specie de ordine suscepto ante legitimam ætatem, in cap. Vel non est compos, De tempo. ordina. Vbi quidam ante legitimam ætatem factus Diaconus suspēditur à Diaconatu, nihil dicitur de Subdiaconatu; Et à iure antiquo non est recedendum, nisi quateous continetur in nono. Idem probari B potest de ordinato extra tempora ex Glo. in ca. Consultationi, de tempo. ordioa. ibi, *Interdicitur ei executio ordinis sic suscepti*. Eodem modo idem confirmatur de ordinato absque literis dimissorijs ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. de Reform. Vbi de ordinato ab Episcopo titulari sine licētia proprij Episcopi ait, *Taliter promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit ipso iure sit suspensus*. Intelligendum est antem ordinatum manere suspeosum ab ordine sic suscepto, atque etiam à superiori postea recepto quamuis ritè illum suscepisse, non tamen ab inferiori, iuxta ea, quæ dixi superius in hoc tractatu de Suspensione.

C Et animadnertendum est, qoòd ordioatus ante legitimam ætatem, non potest ante illam sioe dispensatione Papæ in ordine sic suscepto ministrare, vt inquit Glo. in Clement. Generalem, Ver. Generalem de æta. & quali. Couar. in Clem. si furiosus par. 1. §. 1. nume. 8. Tabien. Ver. ordo oum. 17. Salsedo ad Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 26. Vers. Is verò, Etiamsi absolutus sit à suspensione, neqoe tamen ioanis erit Absolutio data à suspensiooe ante legitimam ætatem. duo enim operabitur; Primò quòd completa ætate statim potest exercere illum ordioem. Secundò quòd si administret ante ætatem, licèt peccet mortaliter, oon incurrit irregularitatem.

Potest tertiò dobitari, An hæc pœna suspensionis D inflicta per Extrauag. Pij Secundi, habeat locum in Episcopis, si ante ætatem iure præscriptam consecrentur. Definita est enim à Sacris Canonibus ætas in Episcopo requisita, scilicet anous trigesimus completus, vt statuit Alexander Tertius in cap. Cum in cunctis, §. 1. & ibi Glo. Ver. Exegerit, De elect. Quæritur igitur, num si quis coosecretur Episcopus ante hanc ętatem legitimam sit ipso iure suspensus ex dispositione eiusdem Extrauag. cum cousecratio Episcopi iuxta sententiam Canonistarum, quæ valde probabilis est, ordo dici debeat.

Respondeo probabiliter dici posse pœnam suspensionis dietæ Extrauag. non comprehēdere Episcopos. quod probari potest primo ex illa generali regula, E quòd Constiturio continens pœnam suspeosionis oon includit Episcopos, nisi eorum facta fuerit expressa meotio, cap Quia periculosum de sent. excomm. lib. 6. Secundò idem confirmari potest ex verbis dictæ Extrau. Pij Secundi, nam ibi exprimuntur solummodo ordinati ad ordines, sed non est clarum, & manifestum apud omnes Doctores Episcopatum esse ordinem, nec communiter ita vocari. Quare si Summus Pontifex voluisset comprehendere Episcopatum, verbis claris id significasset, & regulariter dicitur consecrari Episcopus, nou ordinari, tum etiam quia io dicta Ex- A traoag. agitor de literis dimissorijs, de ordinatis extra tempora, quæ non aptantur solennitati, quæ fit quando quis consecratur Episcopus.

Quartò dubitatur, An Episcopus liberare possit Clericum ab huiusmodi suspensione contracta ob receptionem Ordinis Sacri ante legitimam ætatem, & dispensare super Irregulatitate, si in ordine suscepto ministrauit.

Respondeo si loqoamur de suspēsione, ab ea potest Episcopus absoluere, Sylue. Ver. Suspensio §. 8. dicto 3. quia Extraoag. Pij Secundi illam Papæ non reseruat. Nam reseruatio posita illis verbis, *Et si in iisdem ordinibus ministrauerit, sit irregularis, cum quo solus Papa dispensat*, non est reserenda ad suspeosionem, sed ad irregularitatem. Adde, quòd illa verba non sunt Pij Secundi, sed Nauarri. accedit decretum Sacræ Tridentinæ Synodi sess. 23 cap. 8. Vbi id his verbis deceroitur, *Vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei etiam cuiusuis generalis, vel specialis rescripti, aut priuilegii prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus*. Et quamuis Concilium hoc in loco agat solum de his, qui ordinaneur ab alieno Episcopo, tamen in Extrauag. Pij Secundi hæc tria eadem lege sanciuntur. Vnde eadem est ratio de vno, sicue de alio.

Quòd si agamus de irregularitate, ab ea solus Papa dispēsare valet iuxta illam Extrauag. vt ootat Couar. io Clement. Si furiosus par. 1. §. 1. no. 4. Vers. Hodie tamen extat de homic. Verùm hodie si delictum sit occultum, nempe ignoretur, talem ordinatum fuisse ante legitimam ætatem, qui ministrauit in ordine suscepto, idem videtur asserendum, scilicet talem irregularitatem tolli posse à proprio Episcopo ex decreto eiusdem Concilij Trid. sess. 24. cap. 6.

Ad intelligendum autem, quando delictum occultum dici possit ad hunc finem, non parum confert animaduersio Nauarri io Manua. cap. 27. num. 255. qui obseroat in dicto loco Coocilij Tridentini, & io literis D Sacrę Pœoiteotiarię, atque nonnullorum Legatorum diplomatibus, in quibus vel de absolutionibus Censurarum, vel Irregularitatum dispensatiooe agitur, occultum idem valere, quod non publicum. Publicum verò partitur in tria, in Notorium, in Manifestum, & in Famosom. Notorium definit, quod nititur scientia maioris partis Viciniæ, Collegii, aut Monasterii, licèt noo sit manifestum Prouiocię, Ciuitati, vel Parochię. Maoifestum est, quod nititur fama eiusdem partis maioris orta à scientibus. Famosum, quod nititur fama maioris partis orta ex vno sciente, vel ex indiciis, aut ex pręsumptionibus illi ęquipolleotibus iuxta Glo. c. Manifesta 2. q. 1. & cap. Vestra de Cohab. Cleri. & Mu E lie. Addit Nauar. & bene, Non vocari delictum publicum, quia actio, in qua delinquitur, est publica, quasi dicat, vt Theologi loquūtur, in eo quod actio, sed quatenus mala, vel prohibita. Vel vt est delictom, puta Missa celebrata populo ab excommunicato Sacerdote occulto, Actus publicus est, noo tameo delictum publicum, quia nescitur publicè excom.

Ex hac Nauarri doctrina sequitur, suspensionem Clerici, qui ante legitimam ętatem Ordinem Sacrum suscipit, & irregularitatem contractam, si in ordine suscepto ministrauit, occultam dicendam esse ad eum fioem, vt decretum Concilii locum habere possit, si

vel

vel in Ciuitate, vbi ordines recipit, vel alibi de suspensione publicè ignoratur. Veruntamen non est prætereundum Xystum Quintum edidisse Constitutionem contra Clericos malè promotos, qua sibi reseruauit huius suspensionis absolutionem. Quare si Clericus eo tempore in eiusmodi censuram suspensionis, & in irregularitatem incidisset, talis neque in foro conscientię, quamuis res vtraque esset occulta, nisi à Romano Pontifice absolui potuisset. Hanc tamen bullam Clemens Octauus moderatus est, vt nunc illius pœnæ teneant tantum Simoniacos in ordinum collatione, seu susceptione.

CAPVT II.

De Recipiente Ordines extra tempora à Iure statuta, qui ipso iure est suspensus.

OMnibus rebus sacris ab Ecclesia ex Sacrorum Canonum dispositione sua statuta sunt tempora, in quibus eas administrari deceat. quòd si ea tempora non obseruentur, quidquid celebratur, minus canonicè agitur, Leo Primus Papa Epistola 79. capit. 5. Vnde & sacris ordinibus recipiendis similiter certa quædam tempora præscripta reperiuntur, scilicet dies Sabati, Quatuor anni temporum, Sabatum ante Dominicam Passionis, & Sabatum ante diem Paschæ; In his sex temporibus tantum faciendæ sunt Ordinationes Sacrorum Ordinum cap. vlt. & ibi Glo. Dist. 75. & clarius in cap. De eo, De tempo. ordin. Et hæc temporum obseruatio solos adstringit Episcopos, & inferiores Prælatos, Papa enim cum auctor sit Sacrorum Canonum, potest omnes ordines quocunque tempore conferre, vt in dicto cap. De eo in fi. De temp. ordin. & ibi tradit Host. & in cap. 1. eod. tit. Immo iuxta consuetudinem, & stylum Curiæ potest Romanus Pontifex in quibusdam casibus licentiam concedere, vt quis ad Sacros Ordines ab Episcopo extra tempora definita promoueri possit.

Quare qui extra hæc tempora sine Papæ dispensatione promotus fuerit, characterem quidem suscipit, sed incurrit suspensionem, ideo exercere prohibetur. Ad hoc probandum solet citari cap. 2. de temp. ordin. his verbis, *Taliter ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare. nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes priuarentur auctoritate ordinandi.* Hæc tamen verba indicant suspensionem imponendam esse propter hoc crimen, non ipso iure esse impositam In cap. Cum quidam eod. tit. dicitur: *Episcopum, qui die, quo non debuit ordines celebrauit canonica disciplina corrigere, & ordinatos à susceptis ordinibus tandiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur.* Ex quibus etiam infertur solum pœna imponenda; In cap. Consultationi eod. tit. loquens Gregorius Nonus de eisdem ordinatis ad Sacros ordines extra debita tempora. Primò inquit certum esse illos recipere characterē; Deinde hæc addit: *Quos pro transgressione huiusmodi, primò eis pænitentia imposita competenti, sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare.* Quæ verba potius videntur significare ad hunc modum ordinatos ob huiusmodi crimen potuisse suspendi, quàm indicare suspensionem iam contractam tollendam esse. Rursus ad idem confirmandum adducitur cap. Literas eod. tit. Verum ibi non agitur de ordinatis extra tempora, sed de illis, qui recipiunt eodem die duos sacros ordines, vel duobus diebus continuato ieiunio. quare non facit ad hanc rem.

Idcirco cum textus, in quibus hæc opinio fundatur, commodè alias interpretationes admittere possint, neque concludenter probent hanc opinionem, videtur sanè controuersum, vtrum Iure Antiquo ob susceptionem sacri ordinis extra tempora incurratur per ordinatum ipso iure suspensio, Ang. Ver. Irregularitas num. 35. Sylue. eod. Ver. §. 12. Tabien. eod. Ver. 4. nu. 7. q. 6. asserunt ordinatum extra tempora ipso iure suspensum esse, Abb. in cap. 2. nume. 2. de tempo. ordin. Idem videtur affirmare, cum ait, hunc recipere characterem, non tamen ordinis executionem, & deponendum esse. Contra verò Innoc. & Host. citati ab Angelo & Sylue. oppositum tenent, nempe quod taliter ordinatus est suspendendus.

Ex his duabus opinionibus hæc secunda mihi probabilior videtur, nam reuera ex testibus citatis non probatur contraria, vt existimant auctores citati. Cum igitur nullibi in iure appareat fuisse impositam suspensionem ijs, qui extra tempora ordines sacros suscipere tentant, sequitur non esse affirmandum, pręsertim quia in poenalibus in mitiorem partem est inclinandum.

Quod si loquamur ex dispositione Iuris noui, cessat omnis controuersia, pro cuius explicatione primò supponendum est ad recipiendos ordines minores nō opus esse expectare aliqua certa tempora, solùm requiritur dies Dominica, vel dies festus, vt ordines minores possint conferri, vt habetur euidenter in cap. De eo De Temp. Ordin. *Taliter respondemus, quod licitum est Episcopis Dominicis, & alijs festiuis diebus vnum, vel duos ad minores ordines promouere.* Prima verò Tonsura quolibet anni die dari potest, Armilla Ver. Ordo nume. 7. & Bernard. Diaz in sua Pract. Canon. cap. 26. lit. A. Cum iura certum diem ad eam conferendam non præscribant. & ita ex consuetudine generali seruari consueuit, vt testantur Host. Io. Andr. & Card. in ca. penult. de tempo. ordin. per cap. Cum contingat de Æta. & qualit. ante Concilium Tridentinum Episcopus tam in Diœcesi, quàm extra poterat suis subditis tonsuram conferre Barbat. in cap. Nouit de offic. deleg. quem sequitur Petr. Rebuffus in Pract. Benefic. tit. De Clericis ad Sacros ordines malè promotis Glos. 1. num. 4. Idem in Tract. Nominat. quæst. 14. nu. 29. & 65. Sed hodie post Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. de Reform. vetitum est Episcopo, ne extra suam Diœcesim cuiusuis priuilegij prętextu Pontificalia exercere valeat sine expressa licentia Ordinarij loci, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum, quód si aliter factum fuerit, Episcopus ipse ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum ipso iure sunt suspensi.

Secundò supponendum est sacros ordines nunquā, nisi in publica ordinatione conferri posse cap. Quando Dist. 75. & in Maiori Ecclesia, Glos. in cap. Ordinationes ead. Dist. & in Concilio Trident. Sess. 23. c. 8. De Reform. Vbi ita decretum legitur, *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à iure temporibus ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis publicè celebrentur; sin autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci digniori, quando fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.* Vnde non erit valida illa consuetudo, cuius ratione Episcopi hos ordines, vbi eis placebat, conferre solebant. Rursus ordines sacri non nisi in Sabatis Quatuor Temporum, aut Sabato Sancto, vel Sabato ante Dominicam Passionis sunt ministrandi, vt dixi paulò ante ex cap. fin. Distinc. 75. & cap. 3. De Temp. Ordin.

Ratio

Ratio verò, propter quam his temporibus statutis potius quàm alijs, sunt ministrandi, ea adducitur à Præpo. in ca. Quoniam §. Cæterum dist. 75. Quoniam Sacerdotes, & alij in sacris constitnti locum obtinenc in Ecclesia, quem olim Leuitæ apud Israeliticum populum obtinebsnt, quos, vt legitur in lib. Numer. Dominus pro primogeniris recepit, & in Ægypto dum primogenita Ægyptiorum interficerentur, custodiuit; Equidem quasi primitias Deo summè gratas offerimus, cum nos aliquos sacris ordinibus donamus. Vnde consentaneum est, vt pro primitijs temporum, quatuor scilicet Anni temporibus hominum primitias offeramus. Hanc rationem affert Salsedo apud Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 16. Ver. Ratio verò; Adducit etiam aliam rationem desumptam ex Petro Rebuffo in Pract. Benefic. in tit. De Clericis ad Sacros ordines malè promotis, Glos. 1. num. 9. Nempe statuta esse certa tempora ad ordines recipiendos, vt ordinati sub quatuor Euangelijs Deo, & Ecclesiæ inseruire firmissimis animis concipiant; Vere vt virtutibus floreant, Æstate fructus afferant, Autumno vt operum fructus metant, Hyeme vt iam collectos fructus in horreo conseruent, & eis in Domino fruantur. Nouissimè Cathechismus Romanus ad Parochos Pii Quinti Summi Pontificis iussu editus in tit. de Sacram. Ordinis Vers. Sequitur nunc, egregiam huius Constitutionis rationem indicat his verbis, *Ex quo factum esse intelligimus, vt statutis tantummodo diebus, quibus etiam solemnia ieiunia ex vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more inducuntur, Ordinationes fiant, vt scilicet fidelis populus eiusmodi sacrarum rerum ministros pijs, & sanctis precationibus à Deo impetrent, qui ad tanti mysterii potestatem rectè, & cum Ecclesiæ vtilitate gerendam aptiores esse videantur.*

Tertiò notandum est, Eam consuetudinem, qua introductum esset, quòd Sacri ordines extra tempora ministrarentur, non valere, & nullam firmitatem obtinere, c. 2. De temp. ordina. Immo tam ordinans, quam ordinatus grauissimè peccarent, tanquam Sacrorum Canonum violatores, B. Antoni. 3. par. tit. 14. cap. 16. §. 16. & Specul. in tit. de dispens. §. Iuxta Vers. Item ordinatus extra tempora, ita promotum inter Irregulares ascribit.

Quartò notandum est præscriptos à Sacris Canonibus Sabatorum dies ad recipiendos sacros ordines duobus casibus transferri posse in dies sequentes Dominicos. Primus est, si ab ordinato, & ordinandis ieiunium seruetur vsque ad sequẽtem diem Dominicum, tunc ipso die Dominico ministrari ordines possunt. Sed quia tale ieiunium indiscretum, & periculosum est, vt notant Innoc. Host. & omnes in cap. Literas de Tempo. ordin. ideo non decet, vt tamdiu protrahatur ieiunium. Secundus casus, si tantus esset ordinãdorum numerus, vt omnes die Sabati promoueri nõ possent, tunc liceret Ordinum collationem in diem Dominicum transferre, Innoc. in dict. cap. Literas, quem sequitur Syluc. Ver. Ordo 2. q. 6. Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 26. Vers. Ista autem, Maiol. lib. 3. cap. 24. Vers. Ista autem Sabatorum.

His præmissis sit conclusio, quam omnes communiter tenent, nimirum Iure nouo post Extrauag. Pij Secundi, cum ex Sacrorum, remanere ipso iure suspensos eos, qui sacris ordinantur extra tempora à iure statuta, sicut ex ead. Extrauag. Suspensionem incurrunt, qui ante legitimam ætatem, vel absque literis dimissorijs ordinantur, vt probatum est. Isti enim tres casus inuicem æquiparantur. Intelligenda est autem hæc

A Extrauag. etiam quantum ad hunc casum recipiendi ordines extra tempora cum ijs conditionibus, quas declaraui in præcedenti Cap. & in Cap. vlt. Disputat. septimæ. Quamobrem ad incurrendam hanc suspẽsionem, necesse est, vt præcedat grauis culpa cum dolo, sicut de alijs duobus casibus dictum est, Ideo si quis bona fide extra tempora ordinetur, credens Episcopum habere hanc facultatem, vel ex alia simili ignorantia non erit suspensus, similiter hæc suspensio intelligitur de ordinibus sic extra tempora legitima receptis, nõ de alijs ritè collatis. Et licèt verba Extrauag. sint, *A suorum ordinum executione ipso iure sint suspensi*: Tamen hæc verba debent interpretari de ordinibus malè extra tempora receptis, sed consequenter taliter promotus prohibetur, ne ad superiores ordines ascen-
B dere valeat, non autem ne in inferiori ordine administrare possit, si illum canonicè recepit. Et quamuis Extrauag. dicat in plurali numero, *A suis ordinibus*, tamen sunt accomodatè intelligenda hæc verba, idest vnusquisque ab eo ordine, quem malè recepit contra dispositionem dictæ Extrauag. quod declarant verba sequentia, *Si suspensione durante in eisdem ordinibus ministrauerint, irregulares fiant*, in eisdem scilicet malè susceptis, à quibus suspensi sunt.

Dubitatur de hac suspensione, cui facultas concessa sit eam tollendi, & liberandi sic ordinatum ab hoc impedimento.

Quidam putant licere proprio Episcopo liberare
C ordinatum ab hac suspensioue ex cap. Consultationi, de temp. ordina. Sed vt dixi superius in eo tex. non agitur de absolutione à censura suspensionis, sed de commutatione suspeusionis ferendæ in aliam pœnam. Contra alii censent hanc suspensionem tolli posse per solum Summum Pontificem ex cap. Cum quidam eod. tit. vbi sic habetur, *Et ordinatus à susceptis ordinibus tãdiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur.* Vbi notat Glo. talem dispensationem soli Papæ esse reseruatam, & probat ex cap. Literas in fi. eod. tit. ibi, *Alterum verò ab executione officij Sacerdotis tamdiu volumus manere suspensum, donec de illis aliter disponamus.* Oppositum tamen affirmat Glo. in dicto cap. Consultationi, Ver. Petens eod. tit. vbi ex
D tex. colligit Episcopos posse cum talibus dispensare ex eo quòd Papa in tex. ait, *Sustinere poteris*, & respondet ad citata cap. Cum quidam, & ca. Literas, vbi dicitur, *Donec apud nos*, Episcopum non posse dispensare cum his ordinatis iure ordinario, & hoc tantum probare illos textus, sed facultatem hanc habere auctoritate dicti ca. Consultationi à Gregorio Nono concessam. Secundo respondet Glos. Episcopum posse iure suo cũ his ordinatis dispensare, & textus, ex quibus contrarium videtur colligi intelligendos esse in casibus, in quibus Papa ex certa scientia sibi reseruat dispensationem illorum, vt magis alij terreantur, & ipsi puniãtur, & Abb. vtrunque videtur asserere, nam in eod. ca. Consultationi num. 2. affirmat cum ordinato extra
E tempora quoad executionem dispensare Episcopum, & esse vnum casum ex ijs, in quibus Episcopus potest dispensare; Contra verò in cap. Cum quidam num. 3. oppositum docet; nimirum cum ordinato extra quatuor tempora solum Papam dispensare ad integrandam executionem, & esse vnum casum, in quo Episcopi non dispensant, quia est Papæ reseruatus. Et idem Abb. in cap. Dilectus eodem titu. fusius prosequitur; In quibus facultas Episcopo conueniat dispensandi.

Quare ad hanc dubitationem videtur dicendum posse Episcopum dispensare cum Ordinato extra tem-

tempora, quia non habetur io iore reseruata iuxta dispositionem cap. Nuper De Sent. Excom. quod est intelligendum, vbi Episcopus in tali ordinatiooe non deliquerit, tunc enim redditur indignus ratione suæ culpæ, quia fuit particeps crimiois. Probatur, Nam vel ita ordinatus est suspensus ab Episcopo, & tunc sicut Episcopus imponit illam suo iure ordinario, ita potest eam tollere; Vel Episcopus non imposuit pœnam, quia ipse deliquit hoc modo ordinando. Vnde Papa imponit poenam, sicot accidit in cap. Cum quidam, & io cap. Literas De Temp. Ordina. in quibus Papa mandat Metropolitano, vt suspensionem imponat, ideo sibi dispensationem reseruauit, quia Episcopus non erat dignus ratione soi delicti. Metropolitanus non poterat, quia non erat Iudex Ordinarius, sed Delegatus, cui commissa fuerat causa, vt poeoam imponeret, non vt liberaret à poena. Et hæc locom habent, si intelligatur suspensio lata ab Homine, sicut olim erat in vsu in poena illius, qui extra tempora ordinem sacrum recepisset. Sed post Extrauag. Pij Secundi dicendum est hanc suspensionem, quæ incurritur ipso iure, tolli posse per Episcopum, quia Summus Pontifex illam non reseruauit iuxta regulam generalem, vt dixi in cap. præcedenti. Nisi Episcopus partem habuerit in delicto Ordinationis, quo casu recurrendum esset ad Summum Pontificem. Et maximè hoc verum videtur hoc tempore, cum Conciliom Trident. Sess. 23. cap. 8. videatur committere Ordinario tempus, quo perdurare debeat talis suspensio, & consequenter tribuere facultatem ad eam tollendam. sic enim habet in fi. cap. *Si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Et licèt Concilium immediatè ante hęc verba egisset de Ordinatis ab aliquo Episcopo absque literis dimissoriis; tamen initio capitis pertractauerat de iis, qui extra tempora promooentur. Quare hæc postrema clausula potest commodè ad sic ordinatos referri.

CAPVT III.

De Suspensione ob receptionem Ordinis absque vllo titulo, vel saltem ficto & ementito.

DEfinitum fuit in Concil. Calced. 4. Act. 15. Can. 6. Habetur in cap. Neminem Dist. 70. vt nemo promoueri posset ad ordiues Ecclesiasticos absque aliquo titolo, ideo ibi in tex. dicitor. *Eos autem qui absolutè ordinantur, decernit Sancta Synodus vacuam habere manus impositionem.* Item in Concilio Vrbani II. habito Placentiæ, qood refertur in cap. Sanctorum ead. Dist. *Sanctorum* inquit *Canonum statutis consona sanctiooe decernimus, vt sine titulo facta ordinatio, irrita habeatur.* Huius verò prohibitionis potissima ratio est, ne Clerici diuini cultus ministri cum maximo totius Ordinis Sacerdotalis dedecore mendicare cogantur. ita tenet Glo. in dicto cap. Neminem Dist. 70. vnde io cap. Diaconi circa med Dist. 93. ex B. Hieron. ita legitur. *Mendicat infelix Clericus in Plateis, & ciuili operi mancipatus publicam à quolibet deposcit alimoniam. & quidem ex eo despicitur cunctis Sacerdotale officium, dum misericordia desolatus iustè putatur ad hanc ignominiam deuenisse.* Et Concilium Tridentinom Sess. 22. cap. 2. De Reform. idem eleganter explicat. *Cum non deceat eos, qui diuino ministerio ascripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstũ*

A *exercere: Paupertate enim vilescunt, ac pene ludibrio* habentur Presbyteri, cæteræque personæ Ecclesiasticæ, si titulo tantum Ecclesiastico fungantur honore, si aliunde beneficium nõ habeant, vel bona, ex qoibus pro dignitate, quæ maxima est, alimenta, cæteraque necessaria ad humanæ vitæ vsum suscipiant. Paupertas enim ridiculos homines facit, & vbique iacere. Quod non de paupertate, quam quis sponte, & ex animi voto amplectitur, sed de ea, quæ ex rerum externarum carentia, fortunæque necessitate oritur, proculdubio intelligendum est, Cum ipse Christus veritatis auctor Matt. cap. 5. dixerit, *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum Cælorum*, qoæ sanè paupertas perfectiores discipulos Christi facit, Matt. cap. 19. & Luc.
B cap. 14.

Aduersus eos, qui neglecta Sacrorum Canonum Coostitutione absque titulo ordinem recipiunt, pœna suspensionis imposita fuit. Ita statutom fuit in cap. 1. Dist. 70. *Eos autem, qui absolutè ordinantur, decreuit Sancta Synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere, ad iniuriam ipsius, qui eum ordinauit.* & ille dicitur ordinari absolutè, qui sine titulo ordinatur, vt notat ibi Glos. Ver. Absolutè. Idem clarius habetur in cap. Sequente Sanctorum, *Sanctorum Canonum statutis consona sanctione decernimus, vt sine titulo facta ordinatia irrita habeatur* Quibus verbis significatur suspensio ipso iure lata, quoniam oon dicit textus Ordinatio sit irritanda, sed *irrita habeatur*. quod magis
C declarant verba illa cap. Neminem, Decreuit Sancta Synodus vacuam esse talem manuum impositionem, & tale factum nullum esse, & minimè valere.

Verum in tit. de præben. leguntur duo alii Canones, idest cap. Episcopus, Alexandri Tertij, & ca. Cum secundum, Innocentij Tertij, ex quibus videtur sublata pœna sospensionis inflicta in eos, qui absque titulo ordines recipiunt, vel saltem mitigata, & in leoiorem redacta, & inmutata; Nam in cap. Cum secundum Innocentius Tertius ita loquitur: *Licèt autem Prædecessores nostri*, vbi Glosa Ver. Prædecessores, notat Summum Pontificem velle significare cap. Neminem, & cap. Saoctorum Dist. 70. *Ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur, in iniuriam Ordinantium irritas es-*
D *se voluerint, & inanes, Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatores, vel Successores eorum prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur.* Quare hæc verba Innocentij Tertij indicant iure antiquo ablatam fuisse potestatem Episcopo conferendi executionem ordinum, si illos cõferret absque sufficienti titulo. quod videtur confirmare clausula illa adiecta in cap. 1. dist. 70. Nempe *Ad iniuriam ipsius, qui eum ordinauit.* & ita non erat vera suspensio, quæ haberet rationem censuræ respectu ipsius ordinati. Nam etiamsi absque peccato ordinatus esset sine titulo, puta ex præcepto Episcopi, adhuc suspensus remansisset. Quare Inoocentius Tertius in di-
E cto cap. Cum secundum videtur abstulisse hanc suspensionem, & imposuisse ordinãtibus absque titulo, onus alendi ipsos Ordinatos, donec per eos beneficia Ecclesiastica consequerentur. Qood confirmatum fuit à Bonifacio Octauo in cap. Si Episcopus De Præben. lib. 6. *Si Episcopus &c. ad sacros Ordines promouerit quempiam titulum non habentem, ei, cum in culpa fuerit taliter ordinando eundem, tenebitur, vitæ necessaria ministrare, donec sibi per eum, vel alium de competenti beneficio sit prouisum* Et in Concil. Lateran. sub Alex. Tertio par. 1. c. 5. refertur in cit. c. Episcopos in fi. de Præben. additur limitatio. *Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæredi-*

tate

tate subsidium vitæ possit habere. Quam limitationem confirmat Concilium Tridentinũ additis tamen quibusdam conclusionibus sess. 21. cap. 2. De reform. prope fi. Sic enim inquit, *Patrimonium verò, vel pensiones obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto patrimonium illud, vel pensionem verè obtineri &c.*

Ex his igitur oritur controuersia, An ordinatus sine legitimo titulo sit ipso iure suspensus iuxta dispositionem Iuris antiqui in cap. Neminem, & in c. Sanctorum dist. 70. An verò hæc pœna suspensionis sublata fuerit Iure nouo in dicto cap. Episcopus, & cap. Cum secundum de Præben.

Maiol. lib. 4. cap. 15. de irregul. tenet ordinatum sine titulo remanere suspensum ipso iure ex dicto ca. 1. Dist. 70. cuius Canonis poenam confirmatam esse inquit per Conc. Trident. Sess. 21. cap. 2. in fi. cum inquit, *Antiquorum Canonum poenas super his innouando.* Idem confirmatur à Bernar. Diaz in sua Pract. Canon. cap. 18. in princ. Nauar. idem tenet Cons. 1. quæst. 16. num. 45. in tit. de Constitut. Quatuor enim ibi tradit, Primò dicit ordinatum sine titulo esse suspensum Iure antiquo, Secundò hanc pœnam mutatam fuisse in pœnam ordinantis, quia tenetur alere ordinatum, Tertiò hanc mutationem restringendam esse ad ordinatum, qui bona fide promotus est ab Episcopo, qui iam sciret ordinandum non habere, vnde se aleret, illum tamen ordinare voluit, Quartò quòd innouatio pœnarum, quam affert Concilium Trident. intelligenda est de pœnis Iuris antiqui, quæ habentur in d. cap. Neminem, & ca. Sanctorum Dist. 70. Hoc idem, quod ait de innouatione pœnarum Iuris antiqui c. Neminem, & c. Sanctorum facta per Concil. Trident. clarius, & fusius explicat cons. 14. & cons. 46. De temp. ordinat.

Nonnulli alij recentiores putant Concilium Trid. suo decreto voluisse innouare pœnas dicti c. Cum secundum De præben. non autem imposuisse poenam suspensionis latã in c. Neminem, & c. Sanctorum Dist. 70. aduersus ordinatum sine titulo. Præter alios ita tenet Henriquez in sua Sum. lib. 13. De Excommunicatione, & Suspensione cap. 37. num. 2. dicens peccare quidem mortaliter, qui absq; pacto simoniaco initiatur sacris ficto, & ementito patrimonio, nõ tamen iure fieri suspensum, cum nullo iure id probetur, nisi intercedat pactum simoniacum, & Concilium Trid. loco citato intendere tantum vitare pactum simoniacum, neque velle innouare pęnas Iuris antiqui, quod sublatum fuerat per c. Cum secundum De Præben. sed tantum confirmare voluisse poenas dicti ca. Cum secundum, impositas aduersus ipsos ordinantes. Ad hãc interpretationem confirmandam posset adduci decretum Sacræ Congregationis Cardinalium super Concilio Trid. cuius meminit Nauar. in fi. dictæ quæst. 16. Cons. 1. in tit. De Constitut. Nam Sacra Congregatio verba Concilij intellexit de innouatione dictarum pœnarum c. Cum secundum de Præben. non autem de innouatione suspensionis Iuris antiqui, & huius declarationis Sacræ Congregationis meminit Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 48. suspens. 18.

Ex his duabus sententijs prior mihi videtur communior, & probabilior, nempe ordinatum ad sacros ordines absq. titulo suspensionem ipso iure contrahere, & si postea celebret, effici irregularem.

Probatur, quoniam ita expreisè statutum fuit in c. Neminem, & in c. Sanctorum Dist. 70. vt vidimus. Si quis obiiciat hanc pœnam suspensionis in illis iuribus

A positam contra ordinatum mutatam fuisse in c. Cum secundum ab Innocentio Tertio de præben. in ipsum ordinantem, qua cogitur alere ordinatum, ergo suspensio cessauit. Respondendum est, Mutationem pœnæ suspensionis factam in ca. Cum secundum de præben. non esse intelligendam simpliciter, & vniuersaliter, sed coarctandam ad ordinatum, qui bona fide ordinatur absq; titulo, puta si absque fraude, & deceptione, aut malitia, confitendo liberè, & sincerè nullum habere titulum patrimonij sufficientis, aut beneficij permittit se ab Episcopo ordinari tunc enim si Episcopus sciens ordinandum nullum habere titulum, & nihilominus persistens in sua voluntate sponte illi ordines confert, incurrit pœnas dicti cap. Cum secun-

B dum De præben. voluntariè enim videtur se obligare ad alendum ordinatum, donec ei de beneficio prouideatur iuxta dispositionem dicti c. Cum secundum, & ipse ordinatus in hoc casu ob. remanet suspensus, quia nullum committit peccatum, & idcirco nõ est dignus poena suspensionis. Quare mutatio dicti c. Cum secundum De præben. quo coarctatur Ius antiquũ c. Neminem, & c. Sanctorũ dist. 70. non est intelligẽda in casu, quo ordinatus absq; titulo fuit causa vt ita promoueretur, quia dolo, & fraude vsus est, vt ordines obtineret, & decepit ordinantem. Tunc enim ordinatus est puniendus, quia ipse deliquit, non ordinans; ideo meritò ordinatus incurrit poenam suspensionis. Neque in hoc casu cap. Neminem, & cap. Sanctorum Iuris anti-

C qui videntur coarctata, vel mutata ab Innocentio III. in cap. Cum secundum de Præben. vt bene annotauit Nauar. cons. 14. Vers. Quartò quod illa mutatio, & cons. 46. de temp. ordin.

Et hanc interpretationem probat Nauar. Primo quia dolus, & fraus nemini patrocinari debent ca. Sedes Apostolica de rescript. l. Itaque Fullo ff. de Furt. Secundò quoniam si secus dicamus sequetur graue absurdum, nimirum aliquando contingere, vt ordinãs sine vlla culpa puniatur contra dispositionem c. 2. De Constit. Et è contra quod ordinatus, qui fuit causa criminis, sit à pęna immunis, quod repugnat l. Sancimus, C. de pęn. Tertio in c. Per tuas 3. de simon. definitũ fuit eũ, qui ordinatur ad titulũ patrimonij quæsiti cũ pa-

D cto facto de restituendo illud post ordinationẽ Episcopo ignorante suspensum remanere, donec cum eo dispensetur, & Dec. in c. Episcopi nu. 24. De Præb. tradit Episcopum ordinantem aliquem, qui se diuitem fecit, non teneri ad illum alendum, ob eam rationem, quia Episcopus non fuit conscius criminis. Sequitur igitur, quòd si culpa tantum consideretur ex parte ordinati, qui dolo & fraude vsus est, vt reciperet ordinem sacrũ, ipse solus sit puniendus, non ordinans, & consequenter affirmandum est in eo casu locum habere poenam suspensionis latam in c. Neminẽ, & c. Sanctorum dist. 70.

Non obstat declaratio Sacrę Congregationis, cum

E intelligit Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reform. innouasse poenas latas ab Innocentio Tertio in cap. Cum secundum de Præben. non autem suspensionem impositam in c. Neminem dist. 70. quæ sublata fuerat per dictum c. Cum secundum. Dicimus enim declarationem Sacræ Congregationis intelligendam esse in casu, quando solus ordinans est in culpa, vt quis ordinetur sine titulo, quia promouet illum, quem scit nullum habere titulum. Vel ignorat, an habeat requisita, vt possit insigniri ordine sacro, & tunc ordinans debet puniri poenis dicti cap. Cum secundum de Præben. sicque verum est per Concilium Trid. innouari poenas dicti cap.

Quare, vt bene notat Nauar. locis citatis; cum quæritur de quorum Canonum antiquorum innouatione intelligendum sit Concilium Tridentinum in d. cap. 2. sess. 21. cum inquit, *Antiquorum Canonum pœnas super his innouando*, an de pœna prædictorum Canonum ca. Neminem, & c. Sanctorum dist. 70. an potius de pœna c. Cum secundum de Præben. Respondendum est intelligi debere de vtraque pœna, idest de pœna c. Neminem, & c. Sanctorum, quando solus ille, qui ordinatur absq; titulo, est in culpa, quia decipit ordinantem dicens se habere titulum, vel beneficij Ecclesiastici, vel patrimonij sufficientis, De pœna autem cap. Cum secundum De Præbend. quando solus Ordinãs est in culpa, quia promouet illum, quem scit nullũ habere titulum. De vtraq; verò pœna, cum tam ordinans, quã ordinatus sponte, & scienter delinquunt in hoc casu, & transgrediuntur sacros Canones. Quare qñ solus ordinatus committit culpam in ipsa ordinatione, manet ipso iure suspensus iuxta c. Neminẽ, & c. Sanctorũ dist. 70. & ordinans nullam incurrit pœnam. Sed qñ solus ordinans est in culpa, solus ipse patitur pœnã, compellitur enim ipse solus victum præbere ordinato iuxta cap. Cum secundum de Præben. & ordinatus, absque vlla suspensione legitime ordine accepto vti potest.

Pro hac interpretatione facit Primo quòd Conciliũ loquitur de pœnis antiquorũ Canonũ, & illos innouat, sed c. Neminẽ, & c. Sanctorũ propriè debent dici Antiqui Canones, cũ sint Concilij Chalced. & Vrbani II. Secũdò quia c. Cũ secundũ de præben. Innoc. Tertij loquitur de pœnis ordinãtis aliquem absq; titulo; sed Concil. Trident. agit de pœnis sic ordinati; Igitur dissentiunt inuicem, cũ ergo confirmet pœnas Antiquorum Canonum, non potest intelligi de pœnis c. Cum secundum. Tertiò quia Canones generaliũ Cõciliorũ priorũ, libenter à posteriorib. vsurpantur, renouantur, cõprobantur. Canon autẽ ille, Neminẽ, constat in Cõcilio Oecumenico sexcentorum Episcoporũ cõditum esse. Ad hæc accedit, ꝙ correctio iurium est vitãda, cũ rationabiliter conciliari possunt, c. Cum expediat De elec lib. 6. & l. 1. C. de inoff. doti. Neq; est præsumendũ velle legislatorẽ vnico verbo destruere antiqua iura c. Ecclesia vestra 2. de elect. & l. Si quando, C. de inoff. test. Quare non est credendum Concilium absque vlla ratione voluisse delere Canones antiquos c. Neminẽ, & c. Sanctorum, cũ conciliari possint cũ c. Cum secundum de Præben. scilicet vt quoad solam culpam ordinati non sit puniendus ordinans; Nec è contra ob solam culpã ordinantis debeat puniri ordinatus. Neque alter eorum debet à pœna immunis remanere, eo quòd alter sit punitus, l. Iuxta, & l. Gracchus, C. Ad leg. Iul. de Adult. & l. Sancimus, C. de Poen. Nam decet, vt peccata suos anctores teneant, nec poena vlterius protrahatur, quàm fuerit in excedente repertum, cap. Quæsiuit De his, quæ fi. à maio. par.

Præterea hodie videtur omnis ambiguitas sublata, nam quamuis Concilium non innouasset poenas dictorum Canonum antiquorum; tamen extat Constitutio Pij V. Summi Pontificis Anno sui Pontificatus tertio 1568. prid. Idus Octob. edita qua sancitum est, quòd non solùm Clerici seculares, sed regulares ante professionem emissam nõ possint absq; titulo ordinari, & transgressores inhabiles efficit ad ordines exequendos, & exercentes reddit irregulares, additis alijs poenis, quæ ibi recensentur. Huius Pontificiæ Constitutionis, ad confirmandum id, de quo tractamus, meminerunt Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 18. & Maiol. lib. 4. cap. 15. De Irregular. Igitur modò de hac

A poena suspensionis non videtur dubitandum, cum Pius V. supponat illam vigere quoad seculares Clericos, qui sacris ordinibus initiantur, & extendat ad Regulares, si promoueantur ante professionem emissam. Immo præter dictam Constitutionem Pij Quinti, Xystus Quintus in sua Bulla contra Clericos malè promotos cõstituit poenam suspensionis secularibus, qui sine titulo sufficientis beneficij, vel patrimonii ordinibus initiantur, in qua parte non est à Clemente Octauo limitata, quia cum Sacris Canonibus, & cum Concilii Tridentini decretis consentit, Et Clemens Xysti Constitutionem ad terminos Sacrorum Canonum, & Tridentinæ Synodis reducit.

Tandem ante Concilii Tridentini decretum, & horum recentiorum Pontificum Constitutiones nonnulli, in quibus est Ant. Butr. vt refert Abb. in cap. Non liceat nu. 3. de Præben. dixerunt Iura antiqua non fuisse correcta, quando is, qui ordines poscit, fallit Episcopum fingens se habere patrimonium, vel sufficiens beneficium pro recipiendis ordinibus.

Firma igitur maneat conclusio ex dictis comprobata, quòd Ordinatus scienter, & dolosè ad ordines absq; legitimo titulo, est ipso iure suspensus, &, si celebret ante absolutionem, efficitur irregularis.

Potest autem multiplex genus fraudis, & peccati contingere in huiusmodi ordinatione, Primò si ipse ordinandus paciscatur cum ipso ordinãte, vel cum alio, qui ipsum ad ordines præsentat, se nunquam fore petiturum sustentationem, aut beneficium, vel aliquid aliud, vnde ali possit, & tunc ordinatus absq; dubio manet suspensus ab executione ordinis sic suscepti, quia ita expressè definitum fuit in c. penul. de simon. *Et ordinatus ab ordine suscepto, donec dispensationẽ super hoc obtinere meruerit, nouerit se suspensum*. Idẽ habetur in c. Per tuas nobis de simon. Vbi ex verbis dicti c. videtur colligi hanc suspensionem cõtrahere ordinatum, etiamsi ex ignorantia iuris pactum illud fecerit, ibi, *Nec se in hoc illicitum egisse aliquid intellexit*, vbi Glo. Ver. Intellexit inquit, Propter hoc non excusari, quia potuit consulere peritiores. Secundò potest peccare recipiendo ordinẽ sine titulo, quia conficit fictum titulũ patrimonii, aut beneficii, & falsò probat illud habere, quod re. vera non habet, Vel si ab aliquo fictam donationẽ accipiat, & promittat, ꝙ nunquã fructur donatis bonis. Et in hoc casu aliqui putant ordinatum non remanere suspensum, quia tex. in c. penult. de Simon. agit tantum de illo, qui pactum facit cum ipso ordinante, vel præsentante ad ordines, tunc enim species quædam simoniæ intercedere videtur, quæ in casu proposito non consideratur. Nauar. tamen contrarium docet in Manua. cap. 27. nu. 158. ex dicto c. penult. de simon. sed vt dixi, ille textus loquitur de eo, qui pactum facit cum ordinante; Nisi dicamus illum textum posse locum habere, quando quis accipit ab aliquo titulum patrimonii sub pacto occulto iterum donandi, quia tunc ille, qui patrimonium confert, habet vicem præsentatoris ad ordines; & ideo comprehenditur sub altero mẽbro illius c. penul. & sub c. Per tuas nobis de simon.

Qua conclusione firmata dubitatur primò, an illa intelligatur de omnibus ordinibus etiam minoribus, an verò de solis sacris.

Glo. in c. Non liceat Ver. Clericos de Præben. intelligit hanc conclusionẽ de omnib. ordinibus, & probat ex illo textu, *Non liceat vlli Episcopo ordinare Clericũ*; Indistinctè enim loquitur de omnibus, & ideo inquit, videtur loqui de quibuscũq. Quare Episcopus neq. ad minores ordines debet aliquem ordinare absq; titulo, vt

vt notat Glos. in cap. Neminem Dist. 70. & tradit ibi Turre Crem.quæst.2. & confirmatur ex eod. c.Neminem dist. 70. Vbi primò legitur prohibitio in speciе de Presbyteratu,& Diaconatu, & deinde subiungitur clausula generalis, *Vel quemlibet in Ecclesiastica ordinatione constitutum*, & in cap.sequen.Sanctorum, similiter in genere dicitur, *Vt sine titulo facta ordinatio irrita habeatur*.

Respondendum est ad hanc dubitationem,hoc tempore post Concilium Tridentinum certum esse debere,titulum necessarium,vt canonica fiat ordinatio,tãtum desiderari,cum quis ad sacros ordines promouetur, non verò si minoribus initietur, & consequenter ordinatum absq; titulo ad minores nõ incurrere ipso iure suspensionem. Quod apertè colligitur ex d.cap.2. sess.21. cum ait: *Statuit Sancta Synodus,ne quis deinceps Clericus secularis &c. ad sacros ordines promoueatur*. Et eodem modo loquuntur Constitutiones Pij V. & Xysti V.de quibus paulò ante tractaui. Ob eãdem rationem licèt Doctores communi consensu afferant simpliciter esse concessum ius omnibus Clericis exigendi victum ab eo,qui ordinem sine titulo,vitio suo impertiuit, vt ait Glo. in c.Non liceat de præben. Glos.in ca. Neminem dist.70.Innoc.in c.Non liceat de Præben.& Abb.ibi,Turre Crem.in ca.Neminem quæst.2.dist.70. tamen vt in c.Non liceat,subiungit Innoc. Romana Ecclesia non cogit Episcopum ad prouidendum, nisi constitutis in sacris ordinibus, Cuius consuetudinis meminit Glo. in illud cap. & ibi Abb. & Turre Crem. in c.Neminem dist.70.Quæ consuetudo videtur valde rationi consentanea, nam qui in ordinem sacrum adsciti sunt, illum deserere non possunt, nec ab Ecclesiastica militia discedere. Id autem licet iis, qui minoribus ordinibus initiantur; Verum iura quoque,quæ fauent minoribus ordinibus, magna æquitate nituntur; Nam cum Clerici sint, idest ad hæreditatem Christi spectantes, debent eiusdem patrimonio sustentari, ne occasio præbeatur ad profanam vitam, mundanumq; conuictum remigandi.

Secundò dubitari potest, qualis debeat esse titulus Ecclesiasticus,vt Clericus legitimè prouideri dicatur cũ titulo ad effugiendũ peccatũ, & pœnã suspensionis.

Respondeo titulum sufficientem intelligi beneficiũ Ecclesiasticum quod confertur alicui in ea Ecclesia,in qua titulatus est,vt habetur in c.Sanctorum dist.70. *Et in qua Ecclesia quis titulatus est, in ea perpetuò perseueret*. Clarius declaratur in Concilio Trid. Sess.21. cap. 2. De reform. *Statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus secularis,quamuis alias sit idoneus moribus,scientia,& ætate ad sacros ordines promoueatur, nisi prius legitimè constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere.*

Si postulet quis,an hic titulus Ecclesiastici beneficij debeat esse prẹsẽs,& in actu,quãdo quis promouetur, an verò sufficiat,vt sit in potentia certa,ꝗ promouendus sit electus, & designatus ad beneficiũ obtinendũ.

Aliqui censent titulum intelligi debere non solũ eũ, qui præsens habetur, sed qui habendus est postea. Ad hoc facit Glo.Magna in c.Osius dist. 61. quã sequitur Maiol.lib.4.c.15.n.3.de irregular. Vnde si ad obtinendam dignitatem sacri ordines exiguntur,puta Episcopatus,obtineri non potest,nisi ab eo,qui iam sex mensibus in Subdiaconatu fuerit constitutus, nominatus, seu postulatus poterit ad eum titulum promoueri, quem habiturus est, sufficit enim titulus de futuro.

Alij putant requiri titulum præsentem,& non sufficere,si sit certò futurus. probant ex Conc.Trid.proximè

A citato, cum postulet ad consequendos sacros ordines præsentem titulũ beneficii, inquit enim, *Nisi prius legitimè constet eũ beneficium Ecclesiasticũ, quod sibi ad victũ honestè sufficiat,pacificè possidere* Immo iuxta hanc Concilij dispositionem nec præsens titulus sufficit,nisi pacifica possessio habeatur. Quare postulatus,vel nominatus ordinari non posset,cum non solum possessionẽ beneficij, vel dignitatis minimè habeat, sed neque circa tituli proprietatẽ ius obtineat, & ideo alterius electio teneret,tex.in c.Bonæ 2.& in c.Postulatione de elect.Quare cum Conciliũ possessionem pacificam requirat,necessaria erit canonica collatio,vel institutio, cũ absq; ea beneficiũ Ecclesiasticũ neq; obtineri, nec possideri possit,vt in reg.beneficium,de reg.iur.lib.6.

B Rursus petet aliquis, an quodcunque beneficium sufficiat pro legitimo titulo,vel tale requiratur, quod ei, qui ad sacros ordines promouetur, quæ ad victum necessaria sunt,subministrare possit.

Respondeo non sufficere qualecunque beneficiũ,sed requiri tale, quod ad victum honestè trahendum satis sit. Ita decretum fuit cap.2. sess. 21. in Concilio Trid. Quod verò dicatur beneficium sufficiens,hoc arbitrari debet Episcopus, vt probat Bernard. Diaz in Pract. Canon.cap.18.nu.4.Nam determinatio eorum,quæ à iure indeterminatè traduntur, prudẽti viro relinquũtur,l.1.ff.de iur.delib.c.De causis de off.deleg. Quare non videtur omnino probandum id, quod tradit Nauar.in Tract.de orat.cap.21.n.11.vbi existimat beneficium etiam exiguum sufficere,vt quis absque patrimonio ad sacros ordines promoueri possit. Hæc.n.sententia simpliciter ita prolata,videtur apertè aduersari decreto dicti Concilij.Neq. iura,quę ipse adducit,illã confirmant,maxime,c.Episcopus de Præb.vbi hęc habentur, *donec in aliqua Ecclesia ei conuenientia stipendia militiæ Clericalis assignet*. Semper igitur necessariũ est, vt beneficiũ sit sufficiẽs ad humanæ vitæ sustẽtationẽ.

Tertiò dubitatur, an titulus, qui ad sacros ordines recipiendos necessarius est,debeat esse perpetuus.

Respondeo vtique oportere,vt talis titulus sit perpetuus, quod probatur ex verbis Concilij loco cit. *Id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliunde viuere commodè possit,& aliter facta resignatio nulla sit.* Et ob hanc rationem Vicaria temporalis, & omnia alia beneficia manualia pro titulo non sufficiunt,vt inquit Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap.18. nu.8. Vicaria autem perpetua legitimum titulum inducit, tex.in c.Constitutus, c.Michael de fil.Presbyt. cap. Postulasti de Rescript.cum alijs iuribus & testim.Doctorum,quę congerit Bernard. Diaz.

Sed quæri potest hoc in loco, an Cappellaniã obtinens dici possit habere beneficium,vt ad eius titulum sacris ordinibus insigniri possit;Nam Glos.Mag.in fi. in Clement.si beneficiorum de Decim.inquit Cappellaniam appellatione beneficii comprehendi, quam sequitur Felin.in cap.Ex parte 5.num.2. De Rescript. Dec.consilio 210.num.4.Gui.Pap.Decis.Grati.quæst. 187.nu.1. Mando.in Regul.Cancell.de Annal.quæst. 17.num. 1.

Respondeo Cappellaniam perpetuam posse habere rationem tituli sufficientis ad recipiendos ordines sacros,si ab initio in ipsa fundatione interuenerit auctoritas Episcopi,& collata sit in titulũ perpetuũ.tunc.n. reputatur beneficiũ Ecclesiasticũ. Et ob eãdem rationẽ præstimoniũ obtinens poterit ordinari ad eius titulum, tex.in c.fin. post princ.De Concess.Præben.lib.6.

vbi præstimonia inter beneficia Ecclesiastica enumerantur. Facta enim mentione præstimonij Canonicatuum Parochialium &c. subditur clausula, Et alijs quibuscunque beneficijs. Illa dictio *Aliis* implicat, & designat similitudinem l. Si fugitiui cum Glo. fi. C. de seru. fugit. c. Cum non ab homine, ibi, *Seu alio crimine* De Iudi. c. Sedes de Rescript. Quod verum est, quando præstimonium datur in titulum perpetuum, & habet annexum obsequium spirituale, secus si in sola temporalitate consistat. Et hoc modo Io. And in cap. vni. nu. 3. De rer. permut. lib. 6. negat præstimonium esse beneficium, & Abb cons. 74. num. 4. lib. 1. & alij, quos citat Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 18. nu. 10.

Quartò dubitatur, An pensio vel patrimonium habeant rationem sufficientis tituli, vt qui beneficio Ecclesiastico caret, si pensionem, aut patrimonium obtineat, ordine sacro legitimè insigniri possit absque vllo periculo suspensionis, neque ex parte conferentis ordines, neque ex parte recipientis.

Respondeo Iure antiquo Clericum habentem sufficiens patrimonium potuisse promoueri, quia patrimonium erat ei pro titulo. ita statutum fuit ab Innocentio Tertio in c. Tuis De præben. *Clericos in minoribus ordinibus constitutos de patrimonialibus bonis habentes, vnde possint congruè sustentari, & si non dum fuerint beneficium Ecclesiasticum assecuti, dummodo aliud canonicũ non obsistat, ad superiores poteris ordines promouere.* Idem tenet Glo. in c. Si Episcopus Ver. Titulum eo. tit. lib 6. Hodie tamen post Concilium Trident. Habens patrimonium, vel pensionem etiam sufficientem ad sustentationem vitæ, non debet passim ordinari. Quare modò patrimonium, aut pensio non debet semper reputari iustus, & legitimus titulus, qui requiritur ad ordines sacros, vt id omnib. regulariter concedi debeat. Sed ij solum titulo pensionis, vel patrimonij promoueri possunt, quos necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ esse ordinandos suaserit. Ita expresse definitum habetur in Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. De reform. *Patrimonium verò vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate Ecclesiarum suarum.* Duas tamen conditiones requirit Sacra Synodus, vt quis canonicè ad titulum pensionis vel patrimonii ordinari possit. Prima est, vt patrimonium, seu pensio verè sit sufficiens ad vitæ sustentationem. Secunda est, vt non possit sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel vllo modo remitti, donec ordinatus beneficium Ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habuerit, vnde viuere possit.

Qua in re bene animaduertunt Maiol. lib. 4. ca. 15. nu. 2. & Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 18. nu. 11. cauendum maximè esse, ne in consignatione patrimonii pactum vllum fiat inter ordinatorem, & ordinatum, quo promittat ordinatus se nullo tempore ab Episcopo victum petiturum, nam talis conuentio simoniaca est. Et ob hanc causam qui ordines hoc modo confert triennio est suspensus, & ipse ordinatus indeterminato, & indefinitè, & ideo perpetuò suspensus manet, ca. penult. de Simon. & tale pactum est nullum, & irritum Glos. 1. in d. c. penult. quam Doctores communiter sequuntur.

Vnde si quis sacris ordinibus initiatur patrimonio constituto, vel alimentis promissis, vel donatis eo pacto interposito, quo promittat se post ordinationem non petiturum id, quod ei donatum, vel promissum fuit, & si traditum fuit, remissurum; Talis dicitur absque titulo ordinari, & ideirco pœnam suspensionis incurrit. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 158. Quam tamen

A suspensionem non incurret, si absque vllo pacto ordinatus fuerit, licèt post ordinationem ius patrimonii remittat, Glo. vlt. in fi. in c. Tuis de Præben. & in ca. Si Episcopus, Ver. Titulum eod. tit. lib. 6. quam sequitur Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 158.

Quæret aliquis, An si quis habens patrimonium non ordinetur expressè ad titulum eiusdem patrimonii, habeat postea actionem petendi ab ipso ordinante necessaria ad victum iuxta ca. Si Episcopus de præben. lib. 6.

Glo. in d. c. Si Episcopus, Ver. Titulum refert sententiam Innoc. & Goffr. asserentium competere Clerico actionem contra ordinantem, quamuis habeat patrimonium sufficiẽs, nisi ad titulum dicti patrimonii expressè sit ordinatus. Contra verò Tan. & Host. asserũt
B Clericum habentem patrimonium tacitè esse ordinatum ad titulum patrimonii, & nullam habere actionem contra ordinantem, & huic opinioni adhæret ibi Glo. & ad hoc citat ca. Episcopus De præben. vbi Alexander Tertius tunc obligat Episcopum ad alendum eum, quem sine titulo beneficii ordinauit, quando talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ habere non potest. Addit tamen Glo. quòd licèt cesset obligatio contra ordinantem, quando ordinatus habet patrimonium, non tamen idcirco patrimonium habere rationem tituli, nisi expressè sic actum fuerit.

Secundò quæret quis, An patrimonium, ad cuius ti
C tulum quis ordinatur gaudeat priuilegiis bonis Ecclesiasticis ab ipso iure concessis.

Glo. in c. Episcopus, Ver. Subsidium de præben. partem affirmatiuam tuetur, Inquit enim Clericum ordinatum ad titulum patrimonii in persona, & iuribus gaudere priuilegio Clericali, c. Ecclesiarũ seruos 12. q. 2. c. Sunt 16. q. 1. concordat tex. in l. 2. C. de Epi. & Cleri. Idem videtur ibi sentire Abb. n. 3. quia propter prærogatiuam sæpe personæ gaudent priuilegio in bonis, Dec. ibi, & in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 18. De Constitut.

Contrariam sententiam tenet Glo fin. in c. Tuis eo. tit. nam primo enumerat hinc inde sententias, tandẽ concludit, quòd licèt quis sit ordinatus ad titulum sui
D patrimonii, non tamen ideirco Ecclesia, quæ percipiebat decimas prædiales ex illis bonis, debet iure suo fraudari, quia res semper remanet cum sua causa, nec debet sine culpa priuari. Idem ibi asserit Abb. num. 6. quia non debet quis ordinari cum præiudicio Ecclesiæ Parochialis. Eandem Glos. sequitur ibi Imo. & Felin. in c. Ecclesia n. 10. de Constit. & reddunt rationem, quoniam assignatio patrimonii, vt quis sacris ordinibus initietur, nihil aliud operatur, quàm vt per eam satisfiat canonicis institutionibus, à quibus requiritur titulus ad ordines sacros; ideo ex hac assignatione patrimonium non efficitur Ecclesiasticum. Eandem opinionem amplectitur Io. à Selua in Tract. de Benef. par.
E 1. q. 3. n. 10. & nu. 29. & Couar. lib. 1. Variar. Resol. ca. 4. nu. 4. & in c. Rainaldus §. 2. num. 7. De Testam. Hæc opinio videtur magis probata. neque huic sententiæ aduersatur Glo. in dicto ca. Episcopus de præben paulò ante citata, quia solum affirmat promotum titulo patrimonii ad sacrum ordinem priuilegio Clerici gaudere in persona, & in rebus. quod verum esse dicit Bernard. Diaz in Pract. Crimin. cap. 18. nu. 14. quoad ea priuilegia, quæ Clericis, eorũq; patrimonio concessa sunt ab ipso iure, non tamẽ sequitur Clericũ in hoc patrimonio habere priuilegiũ, quo gaudent Ecclesiæ. Vnde ad præscribendũ hoc patrimoniũ nõ requiritur tam

tam longum tempus, sicut requiritur in præseribendia bonis Ecclesiæ, Glo. in cap. Sanctorum, & ibi Abb. in fi. De Præleтip. Balb. qui alios citat in Tract. de præscrip. quinta par. princip. q. 5. Similiter Restitutio, quę Eccleliis competit iure minoris non conceditur Clericis ratione patrimonii, Glos. 2. in Clem. 1. De in integrum restitut. quam Couar. lib. 1. cap. 4. Variar. Resolut. dicit esse communiter approbatam.

Proponit Bernard. Diaa in d. ca. 18. n. 16. difficultatem satis controuersiam de hoc genere patrimonii, quod pro titulo assumitur ad ordines sacros, de qua frequenter occurrere potest disceptatio in foro exteriori; An donatio patrimonii facta filio à Patre, vt possit promoueri ad ordines, sit filio in legitima computanda, vel intelligatur donata à Patre ante omnem legitimam, & disputat quæstionem ad vtranq; partem. Pro sententia negatiua citat Io. Fabr. & alios. Pro contraria opinione refert Couar. in c. Raynaldua §. 2. n. 7. de testi. qui censet donationem istam cõputandã esse in legitima, quam sequitur ipse Bern. Diaz, quia talis donatio dici potest ob causam quasi propter nuptias.

Si contra obiicias omne id, ad quod Parentes compelli non possunt Iudicis officio, neque est in iure expressum, si concedatur, non computatur in legitima; Sed Parer compelli non potest, vt hanc donationem filio faciat, neque est in iure sancitum, ergo est donatio simplex, non ob causam, & ideo in legitima filii non computabitur.

Respondeo non opus esse, vt ex necessitate præcisa proficiscatur à Patre in filium donatio ob causam, vt in legitima imputanda sit; nam computabitur etiam, si donatio ob causam ex necessitate tantum causatiua proficiseatur, quod probatur ex tex. in l. Omnimodo §. Imputari C. de inoff. testam. Vbi Pater filio ad officium, vel militiam emendam pecuniam subministrauit nullo iure, nec præcisa necessitate cogente, sed solam impulsiua causatiua necessitate, quia aliter filius non poterat, vel non sic facilè militiam, aut officium adipisci, & tamen illa pecunia in legitima est imputanda.

Quartò dubitatur, An, si Episcopus beneficium dedit Clerico pro titulo, quod aut euictione, aut alio modo amissum sit, teneatur iterum ipsi Clerico prouidere, vt commodè viuere possit.

Host. in Sum. lib. 3. tit. de præben. §. Illud quoque, quem citat Turre Crem. in c. Neminem dist. 70. in q. 4. vtitur distinctione pro solutione propositæ difficultatis. Aut enim Episcopus Ecclesiam, & beneficium dedit Clerico pro titulo, quod beneficium, aut euictione, aut pauperie siue casu amissum est, & in hoc casu iterũ illi prouidere debet Episcopus. Quod si Prælatus non assignauit pro titulo beneficiũ, & euictum fuerit, Tunc aut vterq; tam ordinans, quàm ordinatus sciebant beneficium esse alieni iuris, & cum in eo tam Prælatus, quàm Clericus peccauerit, non cogitur Clerico Prælatus nouum beneficiũ prouidere, cum dolo dolus compensetur, l. si duo ff. de dolo, & de compensa. c. Si ambo. At si vtriq; beneficii conditio erat ignota, neq; tunc onus prouidendi imputatur Episcopo, vt l. ad rea donatas ff. de Edil. edicto, & l. 1. §. Si intelligatur, & l. Quæritur, §. vlt. eo. tit. Quod si sciat Recipiens, & non conferẽs, tunc à se ipso decipitur, nec suæ culpæ debet ab Episcopo pœnam repetere, l. Liberi ff. de conttah. empt. & l. 1. in fi. ff. de act. empti. & vend. Tandem si rei conscius sit Conferens non Clericus ordinandus, omnino prouidebit Episcopus. Neque ab his dictis dissentit Glo. in c. Cum secundum, Ver. Donec per te, de præ-

A ben. & in c. Cum iam dudum eod. tit. Abb. in ca. Inter cætera nu. postremo eod. tit. Nauar. autem lib. 1. cons. 14. de temp. ordin. alio modo distinguit. Nempe cum solus ordinans adhibet dolum, pœnam c. cum secundum De præben sustinere debere, cum solus ordinatus delinquit, puniendum esse iuxta dispositionem c. Neminem, & c. Sanctorum dist. 70. Cum vterq; est in culpa Ordinatum pœnam luere Canonum Neminem, & Sanctorum, Ordinatorem verò Canonia cum secundum Apostolũ de præben. quæ sententia est valde probabilis, vt superius dixi: & in casu, quo Episcopus tenetur prouidere, si neglexerit, tunc requisitus Summus Pontifex compellet ipsum ad prouidendum, vt inquit Glo. in dicto c. Cum secundum de Præben.

B Sextò solet etiam dubitari, An Clericis ab ordinatore deceptis præstare alimenta debeant Demortui Prælati hæredes, an Successor in dignitate.

Tractat hanc difficultatem Abb. in dicto c. Cum secundum num. 1 t. de Præben. & respondet ex sententia Host. & aliorũ Doctorum prius esse obligatos hęredes Prælati defuncti, quàm Successorem in dignitate, siue fateamur Ordinantem fuisse obligatum ex quasi contractu, siue ex delicto, quia obligatio descẽdens ex contractu transit in hæredem, l. Veteris C. De contrs. & com. sti. Et de iure canonico tenetur hæres ex delicto, vt in c. fin. de sepult. Vbi Greg. IX statuit Hæredes Testatoris excommunicati, qui in articulo mortis absolutus fuerat compelli debere, vt pro eodẽ satisfaciant.

C Sed contra hoc dictum Host. obiicit ipse Abb. & tandẽ concludit, quòd vel ista obligatio, quæ contrahitur ex ordinatione sine titulo est realis, ita vt obligetur Ecclesia, vel personalis, si realis sit, quod tunc maximè dicendum est, si Ecclesia sit diues, & potens, tunc enim videtur Episcopo potestatem competere ordinandi, vt Ordinatus viuat ex redditibus Ecclesiæ Cathedralis, quòd si esset obligatio personalis, teneretur ipse tantum ordinans, vel Hæres suus ex Regula delictum personæ.

Verùm videtur pro certo affirmandum in hac difficultate absque controuersia, nimirum eum, qui in dignitate succedit Episcopo, esse pro defuncto satisfacturum Clerico, si alimenta ad victum necessaria ab

D hæredibus ei suppeditari non possint; Nam Innocentius Tertius in d. c. Cum secundum De Præben. Successori hoc onus subueniendi imponit, sic enim inquit: *Nos autem benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatores, vel Successores prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur.*

Septimò dubitatur, an si quis sine titulo, vel cum ficto literas dimissorias à proprio Episcopo habuit, incurrat duas suspensiones, vel vnam ex duplici causa.

Nauar. in Manua. c. 27. n. 158. tenet, quòd is, qui ordinatur cum facultate sui Episcopi ad titulum patrimonij donati, cui donationi ante ordinationem renũciauit, non incurrit suspensionem latã contra eos, qui

E ordinantur absque literis dimissorijs, quia talis nõ intelligitur ordinatus absque facultate proprij Episcopi, quia illa renunciatio inualida est, etiam cũ iuramẽto firmata, facta ante ordinationẽ ex sent. Felin. & Anna. in c. penult. De simon. contra Abbatem. quare secundum Nauar. talis ordinatus non contrahit suspensionem, quia sine titulo suscepit ordinem sacrum, de qua modò agimus, quia si renunciatio fuit inualida, donatio patrimonij, & consequenter facultas titulo eius impetrata validæ erunt. quare, qui sic ordinatus, non potest dici ordinari absque literis dimissorijs; Ergo ex hoc capite non incurrit alteram suspensionem.

Hinc sequitur, quòd si quis è contra impetrat ab Episcopo suo literas dimissorias ementito titulo, qui reuera nullus est, sed qui falsis testimonijs est comprobatus, vel alio modo fictus, & hoc modo initiatur sacris, duplicem incurrit suspensionem, Alteram quia sine literis dimissorijs, Alteram quia sine vero titulo ordinatur; & in Motuproprio Syxti Quinti contra malè promotos, cuius initium est: Sanctum & salutare; hę duæ causæ suspensionis distinctè pounntur, & vnaquæque est sufficiens ad suspensionem induerndam.

Postremò dubitari potest, An si quis absque vero titulo ad Subdiaconatum, vel Diaconatum sit promotus, & deinde à suspensione, quam ob hanc causam contraxit, absoluatur, possit absque nouo titulo patrimonij, aut beneficij ad Presbyteratum ascendere absque metu incurrendi in eandem suspensionem.

Pro parte affirmatiua facit, nam cum quis est ordine sacro initiatus, iam habet sufficientem titulum, vt valeat ad superiorem gradum ascendere, ideo sublato impedimento suspensionis, poterit illum recipere. Cōfirmatur, quia postquam est in Subdiaconatus ordine quis constitutus absque titulo, si deinde recipiat Diaconatum, non est causa maioris incommodi, nec indignitatis, quia tunc ad vitam laicalem redire nequit.

Pro parte opposita subest etiam ratio, nam iura non tantum prohibent sine titulo suscipere Subdiaconatum, sed simpliciter quemlibet ordinem sacrum absque vlla distinctione, ergo neque nos distinguere debemus, cap. Solitæ de Maio. & obed. l. Imperator ff. De postul. Accedit in iure non prohiberi, vt nullus ascendat ad statum Sacrorum Ordinum; Tunc enim clarius præcepissent, ne quis fieret Subdiaconus, sed prohibent in plurali, ne quis promoueatur ad sacros Ordines, vt patet ex Conc. Trident. sess. 21. cap. 2. maximè, quia vnus ordo non tribuit ius ad suscipiendum alium ordinem, nisi debito tempore, & seruatis de iure requisitis, quia si aliter ordinatus fuerit, suspensionem incurrit. Et hæc sufficiant.

CAPVT IV.

De Suspensione promoti ad ordines non seruatis debitis temporum interstitijs.

VT Deus rebus omnibus sua tempora definiuit Eccles. cap. 3. ita quoque Ecclesia sapientissimè certa quædam tempora in administrandis rebus sacris præscripsit, simulque canonica impedimenta instituit, ne quid, nisi suo tempore fieret: sic Sacrificium Missæ non nisi debitis horis peragendum est, Officium diuinum, & horæ Canonicæ suo tempore celebrandæ sunt, Chrisma non nisi in Cęna Domini conficiendum est. idem de alijs rebus ex sacris Canonibus facilè cōfirmari posset. Vnde sacris ordinibus conferendis sunt hæc tempora præscripta, quod pertinet ad rem, de qua modò agimus. Hæc autem Ecclesiæ constitutio de seruandis temporibus in collatione Ordinum pluribus, & varijs modis violari potest, vnde incurratur suspensio. Et cum superius Capite secūdo disputatum sit de ijs, qui extra debita tempora sacris initiantur; Modò tractandum est de pœnis illorum, qui non seruatis interstitijs temporum iuxta Sacrorum Canonum dispositionem, præproperè, & nimis acceleratè ad omnes ordines ascendunt. Qua in re etiam multipliciter delinqui solet.

Primò autem transgreditur quis hanc Ecclesiæ cōstitutionem de seruandis interstitijs temporum, si ordines sacros diuersis diebus, & legitimis temporibus accipiat, sed non seruat eam temporis moram inter vnum & alium ordinem, quæ à Sacris Canonibus postulatur. Olim postquam quis recepisset minores ordines in illis, quinq; annis deseruire cogebatur, priusquam ad sacros admitteretur; Deinde Diaconatus aliud quinquennium exigebat, vt ad Presbyteratum ascendere posset ex decreto Zosimi Papæ, vt habetur c. In singulis Dist. 27. *In singulis gradibus hæc tempora sunt obseruanda, si ab infantia Ecclesiasticis ministerijs nomen dederit, vt inter Lectores, & Exorcistas quinquennio teneatur, Ex inde Accolitus, vel Subdiaconus 14. annis fiat, & sic ad benedictionem Diaconatus si meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit, hærere debebit; Deinde suffragantibus stipendijs per tot gradus datis propriæ fidei documentis Presbyterij Sacerdotium poterit promereri.* Postea Gelasius Papa in cap. Monachus ead. dist. statuit, vt Monachus, qui à pueritia in Ecclesiasticis monasterijs occupatus fuerat, spatio vnius anni omnes ordines possit recipere per interstitia breuia trium mensium in quolibet ordine persistens ei assignata, Laicus verò si fuerit commendabilis vitæ infra octodecim menses, valeat ad omnes ordines ascendere, Alberi. in suo Dictionario in Ver. Ordinatus a non Episcopo. Hodie verò media via seruatur, quia definita est à sacro Concilio Trident. sess. 23. cap. 13. & 14. De Reforma. Nam in cap. 13. ita habetur; *Promoti ad sacrum Diaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliter Episcopo videatur, ascendere non permittantur;* Deinde in cap. 14. *Qui piè, & fideliter in Ministeriis ante actis se gesserint, & ad Presbyteratus ordinem assumūtur, bonum habeant testimonium, & hi sint, qui non modò in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint.* Rursus in fi. cap. 11. loquens de his, qui minoribus ordinibus initiati sunt, ita præcipit: *Hi verò non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.* Quamobrem ex Constitutione Concilii Triden. postquam suscepti sunt ordines minores, annus interponendus est, antequam ad primum sacrum, qui Subdiaconatus est, quis ascendere possit, vt habetur in cap. 11. & à Subdiaconatu ad Diaconatum alius annus expectari debet, vt dicitur in cap. 13. Tandem alius annus intercedere debet à Diaconatu ad Presbyteratum, vt in cap. 14. statuitur. Quæ tamen temporum interstitia arbitrio Episcopi variari possunt, si expedire iudicauerit ob vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, vt in dictis locis declarat Concilium. Considerari tamen potest aliqua differentia ex verbis Concilii, nā cum agit de anno interponendo inter Subdiaconatum, & Diaconatum in cap. 13. simpliciter ait, *Nisi aliud Episcopo videatur.* Cum verò loquitur de Diaconatu, & Presbyteratu in cap. 14. addit: *Nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, aut necessitatem aliud Episcopo videretur.* Ex qua differentia sermonis non est inferendum, liberum esse Episcopo in priori casu absque vlla causa, vel vtilitate dispensare, quia hoc est contra communem rationem dispensationis, quæ requirit causam, & absque rationabili causa dispensatio non est concedenda, sed potius ex hac diuersitate Concilium significare voluit minorem causam requiri ad dispensandum in priori casu, quàm in posteriori. Vel dici potest, vt tradit Nauar. in Cons. 12. num. 2. de tempo. ordina. satis esse, si

Con-

Concilium hanc causam vtilitatis in vna parte declarauerit, quia per illam est declaranda alia, eodem modo l. 2. ff. de Reb. dub. & clausula illa, *Si videatur*, est intelligenda de iudicio ratione regulato.

Quæret quis, an Episcopus, qui ex Concilio Tridẽtino potestatem habet dispensandi super his temporũ interstitijs, si tacitè, non præmissa expressa licentia ad ordinem quempiam promoueat, nõ expectato annuo tempore iuxta eiusdem Concilij decretum, dicatur dispensasse, vt propterea ordinatus non sit alicuius culpæ Reus.

Respondet Maiol. lib. 3. cap. 24. num. 14. de Irregul. & distinguit, vel Episcopus, quando confert ordinem, scit non esse elapsum tempus præscriptum, vel ignorat, si sciebat, tunc ordinando videtur voluisse dispensare, B nam Episcopus censetur velle tollere omne impedimentum, quod est in potestate ipsius, si sciens ordines conferat, Abb. in cap. Veniens de filijs Presbyt. Glo. notab. in cap. Qui aliquando Ver. Qui Concubinas dist. 52. Felin. in cap. Præterea, num. 7. 8. & 9. de Test. Cogen. At si Episcopus ignorans non esse transactum debitum tempus, promoueat, nullo modo dispensare censetur. Et eadem est ratio, si Episcopus non conferat ordines, sed concedat literas dimissorias, Sylue. Ver. Irregularitas in fine arg. cap. Accedens de purg. Cano. Adhæret Salsedo apud Bernard. Diaz in pract. Cano. cap. 25. in fi.

Quod si quis, antequam integer annus elabatur, C post susceptam primum ordinem sacrum ad alium promoueatur, licèt grauiter peccet contra dispositionem Concilij, nullam tamen incurrit pœnam suspensionis. Et licèt à Sixto Quinto lata fuerit suspensio ipso facto in eos, qui eo modo ordines suscepissent, hæc tamen pœna sublata fuit à Clemente Octauo in Constitutione superius citata. Quare multo minus suspensionem incurreret, qui ante annum elapsum ab vltimo minori ordine suscepto Subdiaconus fieret, quamuis culpæ Reus esset violando cap. 11. sess. 23. dicti Concilij.

Quæret aliquis secundo, an ex dispositione Sacrorum Canonum & Concilij Tridentini sint etiam certa temporum interstitia seruanda in recipiendis ordini- D bus minoribus.

Respondeo, Iure antiquo quædam fuisse temporum interstitia præscripta etiam pro ordinibus minoribus, vt est videre in cap. In singulis dist. 77 ibi, *Vt inter lectores & exorcistas quinquennio teneatur, exinde Accolitus vel Subdiaconus 14. annis fiat &c.* Tamen illud ius antiquatum fuit, quia omnes illi quatuor ordines sæpius eodem die collati & recepti fuere in quibusdam locis, in quibus hæc consuetudo viguit, vt habetur in cap. 2. De eo qui furti. ordi. rece. *Cum N. lator præsentium sicut nobis sua quæstione monstrauit ad tuam ordinationis causa præsentiam accedisset iuxta consuetudinem Patriæ sibi quatuor minores ordines contulisti*, & ibi notat Glo. Ver. Minores. Similiter Abb. in cap. 3. num. 1. E de Temp. ordin. dicit omnes ordines minores posse eodem die conferri nisi obstet contraria consuetudo, quæ rem licitam facit illicitam, c. Cum olim de Cleri. coniug. & Glos. in eod. cap. 3. Ver. Minores, ita notat; *Et sic videtur, quòd omnes minores ordines posfit aliquis simul recipere ex eo quòd dici potest promouere vnum ad minores, quia indeterminatè dixit ad minores, de omnibus potest intelligi.* Sed post Concilium Trident. non videtur vniuersaliter omnibus permissum pro libito conferre, vel recipere omnes minores ordines vna, & eadem die, sed quando Episcopus ita iudicat expedire; in cap. enim 11. sess. 23. ita inquit: *Vt hi ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo videatur, conferantur.* Ideo si quis sine consensu Episcopi eos recipiat, delinquit, & violat decretum Concilij, non tamen incurrit suspensionem.

Quamobrem qui non seruatis debitis temporum interstitijs ad minores ordines, siue etiam maiores, & sacros, dummodo alias canonicè ordinetur, non est ipso iure suspensus, cum neque à Conc. Tridentino neq; alio iure vlla pœna aut censura aduersus sic ordinatos lata reperiatur, neque pœna aliqua incurritur ipso iure, si in lege definita non reperiatur, vt testatur Nau. in cons. 4. de Temp. ordin. ex sententia Glo. celebris in cap. fin. Ver. Eximi de Iur. Patro. & tex. in Authen. de non eligen. Secundo nuben. §. Cum igitur Colla. 1. Addit tamen Nauar. hoc modo ordinatum posse alia pœna puniri, & suspendi etiam ab Episcopo, quia trãsgressor est canonis Concilij. Et hæc dicta sint de primo modo, quo quis ordinari potest non seruatis debitis temporum interstitijs contra dispositionem Concilij Tridentini, & Sacrorum Canonum.

Secundo modo contingere potest, vt quis non seruet debita temporum interstitia, quando plures ordines sacros eadem die recipit, quod vetitum est capit. Dilectus, & cap. Literas de Temp. ordin. Vbi non solum vno die ordinario, seu naturali, verum etiam nec die vna fictione iuris Canonici hoc non permittitur; Idest non licet die Sabbati vnum accipere ordinem sacrum, & mane sequentis Dominicæ diei alterum, etiam continuato ieiunio Sabbati vsque ad diem Dominicam, quo casu fictione iuris Canonici Vesperæ Sabbati & mane Dominicæ continuato ieiunio tãquam vna dies reputatur, vt ibi dicitur, & sumitur ex B. Leone Papa Epistola 29. cap. 1. & habetur in cap. cap. Quod à Patribus, dist. 75.

Et ordinatus hoc modo suspensionem ipso iure incurrit in cap. Literas de Temp. ordin. vbi sic dicitur: *Ab exeentione officii Sacerdotalis tamdiu volumus manere suspensum, donec de illo aliter disponamus.* Et hæc suspensio est solum ab illo ordine, qui posteriori loco susceptus est, nam prior debito tempore susceptus erat. Quare si tres sacri ordines eadem die recipiantur, ordinatus remanet suspensus à duobus secundo loco receptis, non ab executione primi ordinis.

Hæc autem suspensio non contrahitur, si die Sabbati promotus ad Presbyteratum sequenti Dominica etiam non continuato ieiunio consacretur Episcopus, vt notauit Io. And. in cap. Quod a Patribus de Tempo. ordin. & Abb. in cap. Literas num. 3. eod. tit. qui addit sententiam fuisse aliquorum, quòd liceat eadem die Dominica recipere ordinem Presbyteralem, quod fieri potest continuato ieiunio Sabbati, & deinde statim recipere consecrationem Episcopalem sine periculo suspensionis, quia non violatur constitutio sacrorum Canonum, ne recipiantur duo sacri ordines eodem die, cum Episcopatus non enumeretur in iuribus citatis inter sacros ordines.

Verùm obijci potest contra ea, quæ diximus, nam ex verbis dicti cap. Literas de Tempo. ordin. paulò ante relatis non videtur posse colligi suspensionem ipso iure incurri, si quis eodem die duos sacros ordines recipiat, sed potius esse pœnam ferendam in tali casu, nam verba illa: *Tamdiu volumus manere suspensum, donec de illo aliter disponamus*, significant secundum propriam interpretationem Summum Pontificem pronunciasse sententiam, & imposuisse pœnam suspensionis ad coercendum crimen illud particulare, de quo agi-

agitur in eo tex. & consequenter statuere voluisse pœnam in similibus casibus ferendam, non tamen promulgasse legem pœnam suspensionis ipso iure continentem.

Nauar. in Manua. cap. 25. num. 71. tenet incurri in hoc casu suspensionem ipso iure, super qua solus Papa dispensare possit, Glo. in cap. Dilectus Ver. Nostram de Tempo. ordin. Et ad hoc confirmandum facit cap. Innotuit de eo, qui furti. ordi. susce. Vbi de quibusdam Clericis, qui eodem die ordinem Subdiaconatus & Diaconatus receperāt, ita respondet Summus Pontifex, *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd ordinati in susceptis ordinibus de iuris rigore ministrare non debent*.

Concilium Tridentinum nullam aduersus ita delinquentes pœnam imposuit, nam sess. 23. cap. 13. de Reform. simpliciter prohibet, ne *Duo sacri ordines eodem die etiam Regularibus conferantur, priuilegiis ac Indultis quibusuis concessis non obstantibus quibuscunque*. Nihil præterea addit de pœna transgredientium tale decretum.

Item Concilium sess. 23. c. 11. grauiter etiam prohibuit, ne eodem die minores ordines cum Subdiaconatu reciperentur, quod antea damnatum erat in c. 2. De eo qui furti. ordi susce. sub pœna suspensionis, sed similiter dubitari potest, an lata sit ipso iure, verba enim tex. possunt admittere interpretationem pro contraria parte, vt non incurratur ipso iure, cum ait, *Mandamus, quatenus eum in minoribus ordinibus dumtaxat celebrare permittas*.

Sixtus Quintus in sua Constitutione contra malè promotos imposuit quidem in hoc casu suspensionem tamen illa reuocata fuit à Clemente Octauo, vt superius dixi.

Respondeo ad hanc obiectionem, & primo dico, si loquamur de duobus ordinibus sacris, probabilius videtur affirmari posse latam esse suspensionem ipso iure, si quis duos ordines sacros eodem die recipiat iuxta sententiam Nauarri, quia verba cap. Literas de Tempo. ordin. ita videntur interpretanda, si propriè explicentur, vt imponant suspensionem ipso iure, & confirmari potest ex resolutione sacræ Congregationis Cardinalium super Concilio Tridentino, quia responderunt, non incurri suspensionem, si quatuor minores ordines cum Subdiaconatu eadem die recipiātur in illis tamen locis, in quibus viget talis consuetudo. Ex qua responsione clarè inferri potest secus esse, si plures sacri ordines eadem die recipiantur, nam in eo casu indicare videtur remanere ordinatum ipso iure suspensum.

Nauar. in Manua. cap. 27. num. 241. Vers. Secundo dico, hanc pœnam, quam incurrit hoc modo ordinatus inquit vocari Irregularitatem non suspensionem, sed reuera est suspensio, & fortasse Nauar. loquitur de pœna, quam contrahit excommunicatus suscipiendo ordines.

Secundò dico, si ordines minores cum Subdiaconatu eadem die recipiantur, incurritur etiam ipso iure suspensio. Probatur primo ex cap. 2. de eo qui furti. ordi. susce. Vbi sermo habetur de eo, qui eadem die ordines minores cum Subdiaconatu recepit, & Summus Pontifex respondet, *Mandamus, quatenus eum in minoribus duntaxat ordinibus celebrare permittas*, quæ verba in iure solent potius suspensionem ipso iure latam significare & ita inquit Maiol. lib. 4. cap. 11. de Irregular. & citat Albert. in Dictionario Ver. ordo 2. & Specul. in tit. de dispensa. §. Iuxta Vers. Item recipiēs.

Addit etiam Maiol. olim super hac irregularitate, seu suspensione potuisse Episcopum dispensare, & citat Glo. in cap. Quicunque Ver. Accolitus dist. 77. Sed Glo. ibi agit tantum de minoribus ordinibus, & ait illos de iure simul conferri non debere, nisi ex dispensatione, neque exprimit, à quo sit obtinenda dispensatio, vel nisi adsit talis consuetudo Citat etiam Syluc. Ver. Irregularitas §. 5. Vers. Tertiò quæritur, qui tractat de receptione minorum ordinum cum Subdiaconatu eodem die, & apertè affirmat Episcopum in hoc casu dispensare posse, vt in ordinibus furtiuè susceptis ordinatus ministrare valeat, dummodo Episcopus per generale edictum sub pœna excommunicationis ante ordinationem non prohibuisset, vt nemo reciperet simul plures ordines, tunc enim Episcopus ratione excommunicationis latæ sententiæ non posset dispensare, sed dispensatio pertineret ad Papam. Verum inquit Maiol. quamuis hæc vera sint inspecto Iure Antiquo, tamen post Concilium Trident. hæc consuetudo non est seruanda, quoniam sess. 23. c. 11. iubet, vt omnes ordines tam minores, quam maiores non conferantur, nisi seruatis certis temporum interstitijs. Et licèt arbitrio Episcopi permittat impertiri licentiam vt omnes minores ordines eadem die conferri possint non apparet tamen, quòd eadem facultas concedatur Episcopo conferendi simul minores ordines cum Subdiaconatu, sed tantum tribuitur ius dispensandi, si ita iudicauerit expedire, vt non expectetur post vltimum ordinem minorem annus ex decreto eiusdem Concilij præscriptus ad recipiendum Subdiaconatum. Eodem modo respondet Salsedo apud Bernard. Diaz, in Pract. Cano. c. 25. Ver. Vna eadem die. Inquit enim primò in locis, in quibus consuetudine obtentum est, vt minores ordines cum Subdiaconatu conferantur, id seruandum esse ex sententia B. Antoni. 3. par. tit. 14. cap. 16. §. 16. quem sequitur Nauar in Manua. cap. 25. num. 71. qui hanc consuetudinem minime ex decreto Concilij derogatam esse inquit. Secundo tenet probabilius esse affirmare Concilium Trid. abrogasse omnem contrariam consuetudinem circa ordines conferendos, cum omnes tam minores ordines, quam maiores seruatis certis temporum interstitijs conferri præcipiat.

Ergo censerem cum Nauarro non incurri suspensionem ab eo qui iuxta consuetudinem receptam Ciuitatis & Prouinciæ, in qua vitam degit, ordines minores cum Subdiaconatu eadem die reciperet, sicut sentit B. Antoni. in Sum 3. par. tit. 14. cap. 16. §. 16. & Abb. in cap. 2. in fi. de eo qui furti. ordi. susce. Et moueor ad hoc asserendum; primo quia Concilium Tridentinum talem consuetudinem particularem alicuius Regionis non reuocauit, cum ibi nihil dicat de cōsuetudine, & Constitutio non intelligitur abrogare consuetudinem, nisi id exprimat, vt statuitur in cap. 1. de Constit. lib. 6. *Quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines & statuta cùm sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare*, intelligit de Summo Pontifice, *ipsis dum tamen sint rationabilia, per constitutionem à se nouiter editam, nisi expressè caueatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare*. Secundò Sacra Congregatio Cardinalium super Cōcilio ita videtur intelligere dictum decretum Concilij. Tenet enim non esse suspensos eos, qui ex consuetudine Regionis quatuor minores ordines & Subdiaconatum eodem die suscipiunt.

Tertiò dico, si omnes, vel plures ordines minores conferantur eadem die, ordinatum non remanere suspensum

suspensum ipso iure, neque aliam pœnam à iure præscriptam incurrere. Probatur hæc propositio primo ex cap. De eo de Temp. ordin. sic enim ibi habetur: *Taliter respondemus, quòd licitum est Episcopis Dominicis, & aliis festiuis diebus vnum aut duos ad minores ordines promouere.* Vbi Glo. Ver. Ad minores inquit, *Et sic videtur, quòd omnes minores ordines possit aliquis simul recipere*, reddit rationem, quia tex. indeterminatè loquitur, & ita potest intelligi de omnibus minoribus, cap. Si Diaconatum in fi. dist. 29. cap. Quia circa de priuileg. Idem probari potest ex cap. 2. de eo qui furti. ordi. susce. ibi, *Iuxta consuetudinem patriæ, vbi quatuor minores ordines contulisti.* Ex quibus verbis Glo. Ver. Minores, notat expressum haberi ordines minores vna die conferri posse. Addit tamen vnum Glo. in dicto cap. De eo Ver. Ad minores de Tempo. ordin. nimirum licitum esse plures ordines minores eodem die recipere, nisi consuetudo repugnet, quæ scandalum pariat, si non seruetur; nam consuetudo, ea quæ sunt licita reddit illicita, cap. Cum olim de Cleri. coniug. cap. Super eo de Cogna. spiritua. Nauar. quoque sequutus has duas Glosas asserit in Manua. cap. 25. nu. 70. Vers. Octauò peccat, minores ordines posse simul suscipi. Probatur secundo eadem conclusio, nam sicut pœna suspensionis lata in extrauag. Pij Secundi aduersus eos, qui ordines suscipiunt extra tempora à iure statuta, vel ante legitimam ætatem, aut sine literis dimissorijs proprij Episcopi, extenditur tantum ad transgressores illius Constitutionis in receptione ordinum sacrorum, vt probatū est à nobis superius suis locis, & tradit Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 70. Vers. Dixi ordine sacro, ita quoque affirmandum est de suspensione, quæ contrahitur, quia ordines recipiuntur simul eadem die, non seruatis debitis temporum interstitijs, quæ locum habet tantum in receptione ordinum maiorum, & minime incurritur, si ordines minores simul recipiantur.

In qua conclusione videntur omnes communiter conuenire, sed difficultas est apud Doctores, seclusa pœna suspensionis, an licitè præsertim iure Antiquo ante Cōcilium Tridentinum ordines minores eadem die conferri potuerint absque peccato, vel potius tam Conferens, quàm Recipiens Rei fuissent culpæ, & ob transgressionem pœna condigna puniri potuissent.

Glo. in cap. De eo de Tempo. ordin. & Glo. in cap. 2. de eo qui furt. ordi. susce. proxime citatæ tenent, vt vidimus, licitè ordines minores posse eadem die recipi, nisi contraria consuetudo obstaret.

Ex opposito Glo. in cap. Quicunque, Ver. Accolitus, dist. 77. negat posse de iure minores ordines simul conferri, nisi ex dispensatione Episcopi, vel nisi talis vigeat consuetudo, Goffre. in Sum. in tit. de Tempo. ordin. num. 57 citat vtramque opinionem, sed hanc posteriorem tenet, pro qua citat Tancre.

Abb. in eod. c. De eo, nu. 2. de Temp. ordin. similiter refert vtramque opinionem, sed huic posteriori videtur magis fauere, nempe quòd eodem die minores ordines de iure recipi non debeant, & citat Host. affirmantem, non licere neque de iure, neque ex consuetudine primam Tonsuram, & quatuor minores ordines simul conferre, quia vniuersaliter talis collatio plurium ordinum est reprobata, cap. Literas, & cap. Dilectus de Temp. ordin.

Ego tamen censeo non posse plures ordines minores licitè eadem die conferri iuxta sententiam Glo. in capitulo Quicunque Ver. Accolitus distinct. 77. nisi accedente dispensatione Episcopi, vel nisi in ijs lo-

A cis, in quibus hæc consuetudo viget.

Prima pars propositionis probatur, quia prohibitum est Iure plures ordines simul recipere, vt in dicto cap. Quicunque dist. 77. & plures ordines dicitur recipere, qui accipit minores ordines simul, vt notat ibi Glo. & tradit Maiol. lib. 4. cap. 11. in princ. de Irregul. & Salsedo apud Bernard. Diaz cap. 25. Vers. vna ead. die, quod absque cōtrouersia certum & indubitatum est modò post Concilium Trid. nam sess. 23. cap. 11. definitum fuit, vt *Minores ordines ijs, qui saltem latinam linguam intelligunt per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur conferantur.*

Secunda pars propositionis, nimirum quod Episcopus dispensare possit, vt plures ordines recipiātur, B eadem die patet ex eadem Glosa in dicto cap. Quicūque dist. 77. Et licèt Glo. non explicet, an sufficiat dispensatio Episcopi, tamen cum simpliciter loquatur de dispensatione, intelligitur de ea, quam potest tradere proprius Prælatus. Confirmatur ex cap. Dilectus de Temp. ordina. ibi, *Tum quia si de mandato Archiepiscopi constaret, cum illi huiusmodi dispensatio à Canone minimè sit permissa.* Quibus verbis significat Summus Pontifex Episcopum nō posse dispensare, vt quis plures ordines sacros eadem die recipiat vbi Glo. Ver. Permissa, reddit rationem, quoniam inquit, Episcopus non potest dispensare, nisi in casibus sibi à Iure permissis. Quare cùm Ius tantum expresse denegat facultatem Episcopo dispensandi, vt dicti ordines sa- C cri recipi possint eadem die, videtur permittere, vt minores simul conferri possint. Confirmatur tertio ex dicto cap. 11. sess. 23. Concilij Tridentini, vbi quoad collationem minorum ordinum committitur Episcopo, vt non expectatis debitis temporum interstitijs, si ita expedire iudicauerit, valeat illos conferre, & ad debita interstitia pertinet non solùm, vt expectetur tempus præscriptum post receptionem vnius ordinis, antequam recipiatur alter, verum etiam, vt dixi, vt eadem die non conferantur plures ordines. Quare si Episcopo conceditur, vt possit dispensare super interstitijs temporum quoad ordines minores, poterit ex consequenti dispensare, vt possint recipi eadem die.

D Tertia pars propositionis, quòd in ea Regione, vbi seruatur talis consuetudo, liceat recipere simul plures ordines minores, patet ex dictis superius, nam si consuetudo inducere potest, vt absque culpa minores ordines eadem die conferantur cum Subdiaconatu, vt probaui cum Nauarro; multò magis id verum erit de solis ordinibus minoribus, & confirmatur expresè ex cap. 2. de eo qui furti. ordi. susce. ibi: *Iuxta consuetudinem Patriæ sibi quatuor ordines minores contulisti.* Ex quibus verbis idem ibi concludit Glo. Ver. Minores. Hęc autem consuetudo non fuit abrogata à Concilio Tridentino.

Remanet igitur firma conclusio, quòd si Clericus eadem die duobus sacris ordinibus initiatur, vel mi- E noribus ordinibus simul cum Subdiaconatu incurrit ipso iure suspensionem, non autem si recipiat plures ordines minores tantum, & dispensatio, vt plures ordines sacri eadem die recipiantur, pertinet solum ad Summum Pontificem, vt habetur in cap. Dilectus, cū Glo. Ver. Permissa de Tempo. ordin. Super collatione autem minorum ordinum eadem die poterit dispensare Episcopus, Glo. in cap. Quicunque Ver. Accolitus dist. 77. & patet ex Concilio Tridentino sess. 23. c. 11.

Hic quoque annotandum est, cum dicimus Clericū eadem die duobus sacris ordinibus initiatum, vel ordinibus minoribus simul cum Subdiaconatu incurrere

re

re suspensionem ab executione ordinum, hoc esse intelligendum de ordine posteriori loco recepto; quare si recipiat duos ordines sacros, poterit in primo administrare, si verò minores cum Subdiaconatu, poterit exercere actus minorum ordinum. Et de ordinibus sacris probatur expressè in cap. Literas in fi. de Tempo. ordin. *Præfatum itaque Bononiensem Episcopũ, vt puniatur, in quo deliquit, à collatione ordinum, Diaconi scilicet, & Presbyterij, alterum verò ab executione officij Sacerdotalis tamdiu volumus manere suspensos, donec de illis aliter disponamus*; & ita apparet, quòd ille, qui ordinatus fuerat Diaconus die Sabbati, & sequenti die Domenico susceperat Presbyteratum, & sic eadem die saltem fictione canonica, receperat duos ordines sacros, quia Vesperæ & mane alterius diei constituunt vnum diem, suspenditur à Presbyteratu, non à Diaconatu. Idem patet de ordinibus minoribus cum Subdiaconatu ex cap. 2. de eo, qui furti. ordines suscep. vbi tractatur quodam his ordinibus insignito vna die, & ita habetur: *Mandamus, quatenus eum in minoribus duntaxat ordinibus celebrare permittas*, Et ab hac suspẽsione solus Papa dispensat, vt patet ex postremis verbis cap. Literas de Tempo. ordin. *Donec de illis aliter disponamus*, & similiter ex fine cap. Dilectus eod. tit. Nauar. in Manua. cap. 25. n. 71. Vers. Octauo peccat.

Quæret quis, an Clericus contracta hac suspensione, si suscipiat habitum Religionis, possit dispensari à Prælato Religionis, vt in susceptis ordinibus administret.

Respondet posse Prælatum Religionis in hoc casu, si ita expedire iudicauerit, ob dignos & probatos mores Religiosi dispensare cum eo, vt non solum in susceptis ordinibus administret, verum etiam, vt ad altiores ascendat. Ita definitum fuit in cap. 2. de eo qui furti. ordi. susce. de eo, qui minores ordines cum Subdiaconatu simul receperat: *Si verò domum Religionis intrauerit, & vita & mores eius exegerint, Abbas, si voluerit, in alijs poterit ordinibus dispensare*. Vbi Abb. n. 2. inquit Abbatem posse dispensare tantum in casibus in iure expressis, quòd si Abbas gaudet hac potestate, multò magis Episcopus, vt inquit Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 25. q. 5. art. 3. Vers. Alius suspensionis casus est. Idem habetur in cap. fi. eod. tit. de quibusdam Clericis, qui eadem die Subdiaconatus & Diaconatus ordines clandestinè receperant: *Verumtamen si ad Religionem aliquam voluerint se transferre, & peracta pœnitentia, pro arbitrio tuo eis iniuncta, ibidem laudabiliter fuerint conuersati, processu temporis cum eis poteris de nostra licentia dispensare, vt postmodum susceptorum ordinum executione lætentur*. Vbi Glo. Ver. De nostra licentia notat Episcopum de licentia Papæ cum illis dispensare, vt in susceptis ordinibus ministrent, non autem vt ad Sacerdotium ascẽdant, quia Papa ad hoc licentiam non concedit, & quia Episcopus sub excommunicatione prohibuerat, ne quis duos ordines reciperet, idcirco Episcopus cum illis, qui excommunicati erant, & ingesserant se diuinis, dispensare non poterat, sed Papa, Domin. Sot. in 4. dist 25. q. 1. art. 3. Vnde infert Glo. ingressum Religionis non tollere Irregularitatẽ. Idem notat Glo. in cap. 1. Ver. Poteris misericorditer eodem tit. Sylue. quoque Ver. Irregularitas §. 5. asserit Episcopum non posse cum sic ordinato regulariter dispensare, nisi post ingressum in Religionem, tũc enim potest auctoritate Papæ. Idem tenet Maiol. lib. 4. cap. 51. num. 2. & 3. de Irregular. & addit vnum, nempe de hac irregularitate, sic enim appellat hanc suspensionem, non multum cogitasse, cum Epiphanius vna die Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopalem consecrationem receperit ex dispensatione omnium Episcoporum Cypri, qui in Synodo congregati erant, vt scribit Simon Metaphr. in vita eius die 15. Maij.

Quæret secundo aliquis, cur Summus Pontifex duriori & seueriori pœna animaduertit in Episcopum conferentem eadem die duos ordines sacros, quàm in ipsum ordinatum, nam Episcopus conferens eadem die Diaconatum & Presbyteratum, suspenditur à collatione vtriusque ordinis, ille verò, qui dictis ordinibus insignitus fuit, remanet suspensus tantummodo ab executione Presbyteratus, vt statuitur in cap. Literas de Temp. ordin.

Respondet Glo. in dicto cap. Literas Ver. Deliquit de Tempo. ordin. magis puniri Episcopum ordinantẽ, quàm ipsum ordinatum, quia debuit maiori prudentia vti tanquam maiori dignitate ornatus, arg. l. Moris §. Iste ferè, & l. Aut facta ff. de pœn. notat. l. Presbyteris C. de Episc. Aud. & cap. Inter corporalia de Translat. vt alij à similibus arceantur. Simile habetur in cap. Vel non est compos de Temp. ordin. vbi ordinans puerum tresdecim annorum in Diaconatum, suspenditur simpliciter a collatione ordinum, ipse verò ordinatus ab executione Diaconatus vsque ad ætatẽ legitimam, & hæc dicta sint de secũdo modo, quo possunt violari sacri Canones, vt ad eorum præscriptum non seruentur debita interstitia temporum in recipiẽdis ordinibus Ecclesiasticis.

Datur etiam tertius modus non seruandi eadem interstitia contra formam Sacrorum Canonum, nempe si quis duobus continuatis diebus plures ordines sacros recipiat, & licèt de hoc casu nihil expresse statutum reperiatur in iure, tamen cum in cap. De eo, de Tempo. ordin. Alexander Tertius decreuerit sacros ordines debere conferri tantum in Sabbatis quatuor Temporum, vel Sabbato sancto aut Sabbato de Passione, & nihil valere contrariam cõsuetudinem, vt extra hac tempora possint conferri, cap. Sanè eod. tit. sequitur necessario non licere duos ordines sacros conferre duobus continuatis diebus, inde enim fit, vt vel vterque, vel alter extra tempora conferatur, & recipiatur, nam si vnus die Sabbati, & alter die Dominico recipiatur, vel id fit continuato ieiunio, vel interrupto, si priori modo, vterque quidem ordo recipitur debito tempore, sed in eodem die contra prohibitionem Ecclesiæ, vt in cap. Literas de Tempo. ordin. Vbi habetur Vesperas Sabbati trahi ad mane Dominicæ propter continuationem ieiunij fictione canonica, atque ita ordines collati die Sabbati & Dominicæ, censentur collati eadem die, ideo Glo. ibi Ver. Vna die, notat ob hanc rationem ex illo tex. colligi posse, quòd si Episcopus die Sabbati non potuit perficere ordinationem, poterit sequenti die Dominica continuato ieiunio eam, quam incepit perficere, & intelligentur ordines collati vno die fictione iuris, & sic loquitur cap. Quod à Patribus dist. 75. Si verò ieiunium non continuetur, tunc secundus ordo recipitur extra tempora, quamuis primus receptus fuerit debito tempore, & ex hoc capite violatur Constitutio Ecclesiæ, & incurritur suspensio lata ab ipso iure contra recipientes ordines sacros extra tempora, de qua tractaui in capite 2. Neque incurritur alia suspensio ex iure antiquo, licèt Sixtus Quintus in sua Constitutione contra malè promotos peculiariter imposuisset pœnam suspensionis in eos, qui continuatis diebus duos ordines sacros recepissent. Sed illa Constitutio iam non obligat, cum Clemens Octauus eam postea moderatus fuerit.

CA-

CAPVT V.

De suspensione, quæ incurritur ab eo, qui per saltum ordinem suscepit.

Septem sunt ordines Ecclesiastici, ex quibus Sacramentum ordinis perficitur, in quibus recipiendis quædam ordinis ratio instituta est, vt per minorem & inferiorem ordinem ad maiorem, & superiorem gradum ascendendum sit, quousque ad sacerdotalem perueniatur, ad quem omnes alij diriguntur tāquam ad finem & culmen. Quamobrem quando quis prætermissis his gradibus assumit maiorem & posteriorem ordinem prætermisso minori & priori, puta ordinatur lector, prius quàm sit ostiarius, vel Presbyter, antequam sit Diaconus, per saltum promoueri dicitur, quia in ordinibus recipiendis inordinatè procedit. Ita habetur in cap. Sollicitudo dist. 52. & in cap. vni. de Cleri. per salt. promo.

Sed antequam vlterius progrediamur ad inuestigandam veritatem propositæ quæstionis, animaduertendum est, quòd licèt propriè per saltum dicatur recipere ordines, qui in illis recipiendis non ordinatè ascendit gradatim ab inferiori ad Superiorē, sed præposterè promouetur; tamen alijs etiam modis potest dici aliquis per saltum ordinari, primo si quis antequam recipiat Sacramentum Baptismi præsumit ad ordinem aliquem promoueri cap 1. de Presb. non bapti. *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*. Idem confirmatur in cap. Veniens eod. tit. & qui hoc modo per saltum ordinatur, neque executionem ordinis, neque Characterem recipit, quia non recipit ordinem, cùm Baptismus sit ianua omnium Sacramentorum, vt concludit Innoc. Tertius in eod. cap. Veniens, B. Tho. in Addit. ad 3. par. quæst. 35 art. 3. Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 26. q. 2. art. 3. in fi. Turrecrem. in cap. Sollicitudo dist. 52. q. 1. Si quis contra objiciat, quòd hinc sequeretur graue absurdum, nimirum quòd fideles in re graui deciperentur, nam si non baptizatus, qui probabiliter existimet se baptizatum fuisse ordinetur Sacerdos, & conferret, aut absoluat à peccatis, talis absolutio aut consecratio nulla erit, quod videtur inconueniens affirmare; Respondet Turrecrem. Talem Sacerdotem ita ordinatum non posse conficere Sacramentum, nec absoluere in foro pœnitentiali, & si faciat, factum non tenet; sed addit pie credi posse, quoad vltimos effectus Sacramentorum, vt summus Sacerdos Christus suppleat defectum, qui non permitteret hęc ita latere, vt periculum Ecclesiæ imminere posset.

Secundo per saltum etiam dici potest ordinatus, qui non suscepto Sacramento confirmationis ad ordines promouetur, sed nō incurrit suspensionem, quia nullibi in iure id expressum habetur, quod multò magis verum est de eo, qui ordinatur ante Baptismum, quoniam Censurę Ecclesiasticæ afficiunt tantum fideles existentes in Ecclesia, eiusque Prælatis subiectos. Neque Concilium Tridenr. sess. 23. cap. 4. de Reform. pœnam aliquam imposuit ijs, qui ordine aliquo initiantur, antequam sint confirmati, sed simpliciter prohibet; *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*. Quòd vero lethale peccatum committant, qui absque Sacramento Confirmationis ordinem recipit, indubitatum est, præsertim post Concilium Trident. cuius verba præceptum continent in re graui, scilicet in receptione Sacramētorum; & ideo eius transgressio erit peccatum mor-

A tale, & ita sentit Salsedo apud Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 24. in princ. Maiol. lib. 4. cap. 22. num. 9. de Irregular. licet enim Confirmatio non sit de necessitate rei ante ordinum receptionē, est tamen de necessitate præcepti; & licèt S. Tho. in 4. sent. dist. 24. q. 1. art. 2. quæstiun. 4. dicat Sacramentū Confirmationis non requiri ante receptionem ordinum ex necessitate Sacramenti sicut Baptismus, sed ex congruitate; non idcirco vult significare posse prætermitti absque graui peccato, vt putauit Dominicus Sot. in ead. dist. q. 1. art. 4. in fi. Sed potius indicat non fuisse institutum à Christo, sed esse præceptum Ecclesiæ, vt inquit Maiol. in fi. dicti cap. 12. Poterit autem excusari à culpa mortali, si laboret probabili & inuincibili ignorātia,

B vt notat Salsedo apud Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 24. Vers. Sed opinio hac.

Propriè verò, vt dixi, ille dicitur per saltum promoueri, qui superiorem ordinem recipit prætermisso inferiori, Aiberi. in suo Dictio. Ver. ordinatus secundo in princ. quod etiam duobus modis contingere potest, primo vt recipiatur ordo sacer ante receptionem minorum, aut inter ipsos mineres, aut maiores, sicut numerantur ab Ecclesia posterior, sine priori. Secundo vt quis promoueatur ad Episcopatum, & antea non receperit ordines ad hanc dignitatem Cathedralem præmittendos, tractabimus primo loco de eo, qui promouetur per saltum primo modo, deinde discutiemus alium modum promotionis per saltum,

C quando quis promouetur ad Episcopatum omisso Subdiaconatu, vel Diaconatu.

De eo, qui ordinatur ad ordinem posteriorē omisso priori vnum est certum, quod verum recipiat ordinem & ipsius Characterem, sine recipiat ordinem sacrum non receptis minoribus, sine Sacerdotium non recepto ordine sacro, aut minori. Cuius dicti fundamentum est, quoniā, vt inquit S. Tho. in 4 sent. dist. 24. q. 1. art. 2. questiun. 5. Minores ordines nō sont de necessitate sacrorum, diuersi enim ordines diuersas habent potestates, & vna, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subiecto; vnde, vt ait B. Tho. in primitiua Ecclesia aliqui ordinabantur Presbyteri, qui inferiores ordines antea non receperant, & ta-

D men exercere poterant actus omnes inferiorum ordinum, quia inferior potestas comprehenditur in superiori, virtute, sicut sensus in intellectu, & Ducatus in Regno, sed postea ex Constitutione Ecclesiæ factum est, quòd ad maiores se non ingerat, qui in minoribus antea non se humiliauerit. Idem affirmat Innoc. in cap. vni. de Cleri. per salt. ordina. & Dom. in cap. Sicut viri dist. 40. & ibi Turrecrem. & in cap. Episcopus dist. 23. Abb. in dicto cap. vni. num. 4. de Cleri. per salt. promo. qui addit hanc distinctionem graduum inter ipsos ordines inuentam fuisse ab Ecclesia, & ideo eius defectum non posse impedire receptionem ordinis & characteris, si adhibeantur ea, quæ ex institutio-

E ne Christi ad ordinem, qui assumitur, etiam si sit Presbyteratus, necessariò requiruntur.

Objiciet aliquis contra ex tex. in c. Sicut viri dist. 40. vbi dicitur quòd sicut consensus duorum facit matrimonium, ita Clericatus & Sacerdotium faciunt Presbyterum, sed certum est consensum vnius non facere matrimonium, ergo videtur, quòd Sacerdotium sine Clericatu non faciat Presbyterum. Vbi Glo. Ver. Clericatus, inquit, *Hic videtur, quòd si Laicus promoueretur in Sacerdotem, nullum recipere Characterem*.

Respondet ibi Turrecrem. similitudinem illam de Matrimonio, & Presbyteratu non esse intelligendam vnifor-

vniformiter, quoad omnia, & cũ in tex. dicitur, quòd Clericatus, & Sacerdotium vnum Presbyterum faciunt, intelligi debet verum esse in ijs, qui ritè ordinantur, non in alijs.

Verùm tota difficultas est, an sic ordinatus per saltum incurrat suspensionem ipso iure latam. Qua in re sunt duæ opiniones Doctorũ, vt inquit Turrecrem. in cap. Sollicitudo dist. 52. in q. 4. Quidam sunt, qui negant ordinatum hoc modo per saltum manere ipso facto suspensum, antequam à Iudice per sentẽtiam suspendatur; ita tenent Domin. & Præpos. in cap. Sollicitudo dist. 52. in primo notan. & ibi Arebid. quos citat Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 24. num. 2. qui volunt interdicendam esse ordinato per saltum executionem ordinis, quem suscepit, donec omissum ordinẽ receperit; immo addunt, quòd recipiens ordinem per saltum sit inhabilis, vt non possit ad maiores ordines promoueri etiam post receptionem ordinis omissi, nisi secum etiam dispensetur, vt ad maiores ordines possit ascendere, & si scienter per saltum se fecerit ordinare, debet omnino deponi, nec cum eo est dispensandum vel saltem non ita de facili.

Hæc igitur opinio duo affirmat, primum est ordinatum per saltum non posse legitimè in suscepto ordine ministrare, donec ordinem, quem prætermisit, recipiat, nam sicut non potuit licitè superiorem ordinẽ suscipere absq; inferiori, ita consequenter non potest licitè ministeriũ superioris ordinis exercere, nisi prius omnes inferiores ordines adipiscatur, quia talis receptio est dispositio ab ipso iure requisita ad legitimum vsum illius ministerij. Secundum, ita ordinatum per saltum ob eandem & maiorem rationem promoueri non posse ad altiorem ordinem, nisi recepto ordine prætermisso, nam alias illa promotio semper esset per saltum, quamdiu suppletum non fuerit, quod prætermissum erat: & vtraque hæc prohibitio non tantum prouenit ex præcepto Ecclesiæ, sed potius sequitur ex natura rei, supposita institutione Christi, de his ordinibus, & eorum ministerijs, & præter has duas prohibitiones negant Doctores citati impositam esse Censuram suspensionis ipso iure incurrendam, quia nullibi reperitur lata. Nam in cap. Sollicitudo tantummodo habetur, *Vt à Sacerdotali officio eum prohibeas.* Quę verba significant potius suspensionem ferendam. Similiter in cap. vni. de Cleri. per salt. promo. imponitur pœnitentia pro huiusmodi transgressione, & mandatur, vt ordo prætermissus recipiatur, & permittitur, vt in superiori ordine suscepto possit ministrare. Quare ex his locis non infertur suspensio ipso iure lata. Et confirmatur, nam alias celebrans in ordine sic suscepto fieret irregularis, quod est falsum.

Secunda opinio contraria aliorum est asserentium, hanc suspẽsionem incurri ipso facto, ita tenet Hostien. in Summa in tit. de Cleri. per salt. promo. §. 1. qui reiecta opinione aliquorum putantium, quòd si Laicus recipiat sacrum ordinem, nõ pręmisso Clericatu, nullum recipit Characterem, cõcludit semper recipi Characterem ab eo, qui ordinatur, si tamẽ baptizatus sit, quocunque ordine initietur, siue sacro, siue minori, si tamen per saltum omisso priori ordine recipiat posteriorem, non consequi executionem ordinis recepti. Hanc opinionem Host sequitur Nauarrus in Manuali cap. 25 num. 71. Si quis scienter per saltum ordinatus sit. Idem confirmat in cap. 27. num. 242. Eiusdem opinionis est Domin. Sot. in 4. sent. dist. 25. q. 1. art. 3. Vers. Tertius suspensionis casus; & idem tenet Sylue. Ver. Irregularitas §. 13. q. 11. Aliqui tamen

A auctores coarctant hanc conclusionem ad eos tãtum, qui scienter per saltum promouentur, sicut exprimit Nauar. quasi innuere velint diuersam esse rationem de ijs, qui ita ordinantur ex negligentia & incuria, nempe vt censeant tales non esse ipso iure suspensos, & rationem huius distinctionis videntur desumere ex cap. Sollicitudo dist. 52. ibi, *Cum ad id præpostero cursu Subdiaconatus ordine postposito negligentia potius, quàm superbia cognoscatur ascendisse.* Quo casu Alexander Papa respondet talem, qui promotus erat ad Presbyteratum omisso Subdiaconatu, quia id non fecerat ex contemptu, sed ex negligentia, posse in officio Diaconi & Presbyteri ministrare post receptionem Subdiaconatus, ergo supponit non incurrisse suspensionem, B tunc enim indigeret dispensatione. Quare si ordinatus per saltum est suspensus ipso iure, vt putant Doctores citati, hoc erit intelligendum de eo, qui ex contemptu scienter id facit. Idque confirmari potest ex cap. vni. de Cleri. per sált. promo. Vbi de eo, qui ignoranter per saltum de Subdiacono factus erat Presbyter, dicitur, vt post peractam pœnitentiam in Diaconum ordinetur.

Ex his duabus opinionibus secunda videtur probabilior, nempe vt dicamus ordinatum per saltum suspensum esse ipso facto, ita vt absque dispensatione nõ possit ordinem omissum recipere, neque in suscepto ministrare, licèt contraria sententia non careat probabilitate.

C Probatur hæc conclusio, primo ordinatus per saltũ non potest absque dispensatione saltem Episcopi suscipere ordinem inferiorem prætermissum, vt in cap. vni. de Cleri. per salt. promo. supponitur, neque in suscepto ministrare, ergo hinc sumitur argumentum fuisse ab ipso iure impositam pœnam suspensionis in eos, qui ita ordinantur, nam quòd promotus per saltum non prohibeatur ministrare in ordine suscepto, neque ascendere ad superiorem ordinem solùm ob carentiam ordinis præteriti formaliter, certum est, quia ex hoc capite tantum, non impeditur assumere ordinem omissum, ergo illa prohibitio prouenit ex suspensione imposita ab Ecclesia. Confirmatur quia etiam postquam ordinatus acceperit ordinem omis- D sum, indiget dispensatione, vt in suscepto ordine ministrare possit, vt dicitur in dicto cap. vni. de Cleri. per saltum promo. quare id prouenit, quia obstrictus est suspensione.

Probatur secundò ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 14. de Reform. cum ait in fi. cap. *Cum promotis per saltum, si non ministrauerint. Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Modò interrogo, super quo possit Episcopus dispensare iuxta mentem Concilij; non potest responderi, quod Episcopus valeat dispensare, vt ordinatus ascendat ad superiorem ordinem, antequam inferiorem receperit, cum hoc Iuri diuino repugnet, & institutioni ordinum, qui recipi debent iuxta gradum, & dispositionem, quam à Christo receperunt; neque in hoc Summus Pontifex dispensare potest; ne- E que etiam dici potest, quòd requiratur dispensatio, vt ordinatus possit ministrare in ordine sic suscepto, antequam prætermissum receperit, quia tunc dispensaretur, vt posset agere rem per se malam & prohibitam, quasi ex natura rei supposita institutione ordinũ Ecclesiasticorum. Quare interpretandum est Concilium, vt velit Episcopum posse dispensare, vt sic ordinatus ordinem omissum recipiat, & deinde in suscepto per saltum ministret, & ad superiorem ascendat, ideo supponit hæc esse prohibita ipso facto taliter ordinato,

dinato, quòd fit per censuram suspensionis, quod intendimus probare.

Probatur tertio ex sententia etiam illorũ, qui tuentur contrariam opinionem, quoniã ordinatus per saltum si ministret in ordine suscepto, vel recipiat nouũ ordinem, efficitur Irregularis, vt ipsi sentiũt, ergo supponunt incurrisse suspensionem ipso facto, quia in hoc casu nulla apparet alia causa incurrendæ Irregularitatis, nisi ob crimen ministrandi, vel suscipiendi ordinem supposita suspẽsione. Quòd autem ob huiusmodi actiones incurratur irregularitas, tradit Sylu. Ver. Irregularitas §. 13. Vers. Vndecimò quęritur; & Nauar. in Manu. c. 25. nu 71. & c. 27. nu. 242. & probant ex c. Sollicitudo dist. 52. c. vni. de Cleri. per salt. promo. & c. Neophitus dist. 48. quod tamen magis videtur probari ex Conc. Trid. sess. 23. c. 14. cùm ait posse Episcopum dispensare cum promoto per saltum, si non ministrauerit, ergo indicat à contrario sensu, quòd si ministrauerit, non possit Episcopus dispensare, sed talis dispensatio est Papæ reseruata, sicut notat Sim. Maiol. lib. 4. c. 12. n. 2. de Irreg. Bernard. Diaz. in pract. Can. c. 24. n. 3. & apud eundem Salsedo in fi. ergo Conciliũ indicat sic ordinatum per talem administrationẽ cõtraxisse irregularitatem, & ex consequenti significat ante administrationẽ nõ fuisse irregularem, sed cẽsura suspẽsionis impeditũ, ne posset administrare, & ita interpretãtur iura antiqua, Sylu. Ver. Irregularitas §. 13 q. 11 & §. 15. q. 27. Alber. in suo Dicti. Ver. Ordinatus.

Hoc in loco animaduertẽdum est ex citatis verbis Concilij in d. c. 13. deduci, Episcopũ ex legitima causa posse dispensare cum promotis per saltũ, si non ministrauerint in ordine suscepto, siue scienter siue ignorãter fuerint ita promoti, quia Concilium non distinguit de ordinato scienter, & ex superbia, vel ignoranter, sed simpliciter loquitur. Et eadem ratione verum est Episcopum non posse dispensare cum sic ordinato, si ministrauit in ordine, etiamsi per crassam ignorantiam sic ordinatus fuerit, ita sentit Maiol. & Bernard. Diaz, locis citatis.

Et hæc sententia, quæ colligitur ex Conc. Trid. clarius confirmari posset ex Constitutione Sixti V. edita contra malè promotos, si hęc Constitutio modò vires haberet, & à Clem. VIII. ad limites iuris non esset redacta. Quare Episcopus non potest dispensare cũ ordinato per saltũ, si ministrauit in ordine malè suscepto. Addi etiã potest, si ministrauit in ordine prætermisso, & id contingere potest duobus modis, vel quod exerceat actum illius ordinis, antequã illum assumat, quod pertinet ad genus Irregularitatis, vel postquam illum assumpsit, sed ante legitimã dispensationẽ, nam cũ esset suspẽsus ab illius receptione, postquam illũ suscepit sine dispensatione, manet suspensus ab illius executione. Quare si in illo ministret, non poterit amplius Episcopus cũ eo dispensare nam irregularitatem contractam per talẽ vsum Episcopus non potest tollere, cum nullibi ei concedatur; neq; etiam auferre potest suspẽsionem, quæ imponitur ante talẽ vsum, quia hæc facultas concessa ei erat sub illa conditione: nisi ordinatus ministrauerit, vt constat ex Conc. Trident.

Hac supposita sententia tanquã probabiliori, dubitari potest, an hæc suspensio, quæ incurritur ab eo, qui per saltum promouetur ad ordines, impediat solùm ita ordinatum, ne possit ministrare in ordine, quem per saltum suscepit, vel potius afferat impedimentum simpliciter, ne actum alicuius ordinis exercere valeat, etiam illorum, quos ritè suscepit.

Respondeo ex communi sententia Doctorum ordi-

A natum per saltum esse suspensum tantum ab eo ordine, quem per saltum suscepit, & ita ministrando effici irregularem est opinio Sylue. Ver. Irregularitas §. 13. q. 11. Domin. Sot. in 4. sent. dist. 25. q. 1. ar. 3. Vers. Tertius suspensionis casus, Bernard. Diaz in Pract. canon. c. 24. sed Maiol. lib. 4. cap. 12. n. 2. de Irregular. indefinitè loquitur, affirmans ordinatum per saltum, simpliciter non posse absque dispensatione ascendere, neque ministrare. Sed oppositum est verius.

Ex hoc impedimento, quod oritur ex ordinatione per saltum, ne promotus valeat exercere actum ordinis per saltum suscepti, prouenit, vt nequeat ad superiores ascendere, nam suspensio à quolibet ordine impedit ascensum ad superiorem, sicut etiam ex eadem B suspensione sequitur impedimentum, ne possit assumi ordo prætermissus sine dispensatione.

Posset quis obijcere contra proximè dicta, quòd afferre impedimentum, ne ordo recipi possit, est potius effectus irregularitatis, quàm suspensionis, nã irregularitas per se primò impedit susceptionem ordinis, suspensio per se impedimentũ affert ad vsum ordinis suscepti. Prohibet autem susceptionem noui ordinis tãtum, quatenus connexionẽ habet cũ vsu alterius ordinis; quę connexio respicit superiores ordines, non inferiores. Nunquam enim potest quis impeditus esse ab vsu inferioris ordinis, & expeditus ad superiores, licèt è conuerso possit quis impedimentum habere erga superiorem ordinem, licèt sit expeditus ad inferiores, C quare prohibitio illa, ne ordinatus per saltum recipere possit ordinem prætermissum, videtur irregularitas quædam, non suspensio.

Respondeo huiusmodi impedimentum propriè non esse vocandum irregularitatem, sed suspensionem ob eam rationem, quia, quòd ita ordinatus non possit recipere ordinem pretermissum, non oritur per se, sed ob connexionem ad priorem suspensionem, nõ ideo quia ordinatus sit impeditus ab executione ordinis superioris per saltum recepti, vt obiectio facta probat, sed quia obstrictus est censura suspensionis, & omnis irretitus censura prohibetur ordinem recipere.

Dices non esse verum de omni suspensione, quòd suspensus non possit promoueri ad ordines, sed tãtum D de suspensione totali, quæ suspendit ab vsu omnium ordinum Hæc autem suspensio, quæ incurritur per ordinationem per saltum, est partialis ab vsu tantum ordinis per saltum recepti, vt diximus, ergo non debet impedire receptionem ordinis omissi.

Respondeo inhabilitatem illam suscipiendi ordinẽ omissum esse effectum impositum ab ipso iure suspensioni latæ contra recipientes ordinem per saltum, non enim imponuntur duæ pœnæ, altera irregularitatis, altera suspensionis, sed fertur vnica suspensio, duos habens effectus, ideo enim prohibetur ordinem omissum recipere, vt non valeat vnquam absq; dispensatione ministrare in recepto.

Hinc infertur, vt obtenta dispensatione ad recipiẽ- E dum ordinem omissum, statim maneat ordinatus per saltum immunis à suspensione, qua erat prohibitus, ne ministrare posset in ordine per saltum recepto. Cum primũ enim promotus fuerit ad ordinem, quẽ pręter-miserat absq; alia dispensatione poterit actus omniũ ordinũ exercere arg. c. vni. de Cleri. per sal. prom. Vbi Innoc. III. mandat, vt qui de Subdiaconatu ordinatus erat de Presbyteratũ post pęnitentiã peractã promoueatur ad Diaconatũ, *& sic de misericordia eundẽ ministrare permittas in ordine Sacerdotis*. Sicut etiam è cõtra si cum tali ordinato dispensetur ad ministrandum in

ordine suscepto, intelligitur dispensatus, vt possit recipere ordinem omissum, quia talis dispensatio non posset aliter sortiri suum effectum, similiter virtute dispensationis obtentæ ad recipiendum ordinem prætermissum, ordinatus remanet habilis & liber, vt valeat ascendere ad superiores, quia hoc non erat vetitum per se, sed propter suspensionem contractam ex illegitima & mala receptione ordinis inferioris, vnde tali suspensione sublata cessauit illa prohibitio. Quæ omnia intelligenda sunt ex vi iuris communis. Nam superior poterit, si velit, limitare dispensationem ad vnum effectum, vt non extendatur ad alium, si mentem suam verbis expresserit, quando eius dispositio non repugnat Iuri Diuino, nec Pontificio.

Secundò dubitari potest de dispensatione ab irregularitate, quam incurrit ordinatus per saltum, si in ordine suscepto ministrauit; dictum est enim superius hanc dispensationem reseruatam esse Papæ, siue scienter, siue per ignorantiam crassam ita ordinatus fuerit, & tamen Nauar. in Manua. cap. 27. n. 242. inquit posse Episcopum dispensare, si ignoranter ministrauit.

Respondeo admitti posse id, quod affirmat Nauar. si intelligit de ignorãtia probabili, quæ excusat à culpa, sed difficultatem habet id, quod addit Nauar. nempe posse etiam dispensare Episcopum, si sic ordinatus scienter ministrauit, vt exerceat ordinem acceptum, non autem, vt altiorem assumere possit, & citat, cap. vni. de Cleri. per saltum promo. in quo tamen non exprimitur, quòd ille Sacerdos scienter ministrauerit, immo supponitur potius ignorantia, vt etiam notat Abb. licèt illa ignorantia supponatur culpabilis, vt colligitur ex verbis tex. *Condignam pœnitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas ei*, & Glo. ibi, Ver. Pro huiusmodi. De crassa & supina negligentia intelligit, quæ non excusat, & æquiparatur scientiæ, Sylue. Ver. Irregularitas §. 13. quæst. 11. comparat hunc casum cum eo, in quo non ordinatus ministrat; quod dictum Sylue. verum est, si comparemus Clericum non ordinatum ministrantem cum Clerico promoto ministrãte in ordine, quem prætermisit, antequam alium reciperet, sed alia ratio esset, si ministraret in quolibet ordine suscepto. Verùm cum Concilium Trid. absolutè loquatur, censeo contra Nauar. Episcopum cum ordinato per saltum, si antea ministrauit in ordine suscepto, non posse dispensare, neque vt exerceat actus ordinum, neque vt ascendat ad superiores.

Sed quæret aliquis, An sit eadem ratio, si qui per saltum promotus fuit, absque dispensatione prætermissum ordinem recepit, an in eo casu possit cum illo Episcopus dispensare, vt ministret in susceptis, & ad superiores ascendat.

Respondeo Episcopum posse dispensare in hoc impedimento, quia Concilium Trident. solùm excepit, quando sic ordinatus ministrauit, ergo cessante hac conditione, semper poterit Episcopus dispensare, sed suscipere ordinem prætermissum non est ministrare. Dices, est actus æquiualens & æquè prohibitus; Respondeo non satis esse similitudinem rationis, vt in pœnis præsertim spiritualibus ex vno fieri illatio ad aliud, possit sed attendenda sunt verba legis in propria significatione. Sed licèt in eo casu non obstet decretum Concilij, quia cessat conditio requisita a Concilio; tamen cum per illam ordinationem incurratur nouum genus suspensionis, quia suscipitur ordo cum Censura, Ideo in hac suspensione non potest dispensare Episcopus, de qua dicam suo loco. Et hæc dicta sufficiant ad explicationem primi modi recipiendi ordinem per saltum, quando scilicet assumitur maior aut posterior ordo, non recepto minori aut priori.

Modò restat tractandum de secundo modo ordines recipiendi per saltum, idest quando recipitur Episcopalis consecratio non assumpto ordine requisito ante dictam consecrationem. Qua in re duplex difficultas considerari potest, altera an dicatur per saltum promotus, & incurrat suspensionem, qui consacratur Episcopus omisso Subdiaconatu, vel Diaconatu, vel Presbyteratu. Altera est, an intelligatur promoueri per saltum, qui assumitur ad Ecclesiam Cathedralem nullo ordine sacro suscepto.

Quoad primam partem primæ difficultatis aliqui dicunt, quod si quis consacretur Episcopus omisso ordine inferiori, excepto Presbyteratu, quem assumit, non incurrit aliam suspensionem ab ea, quam contraxit assumendo ordinem Presbyteratus per saltum, & si functiones Episcopales exerceat, irregularitatem non contrahit. Ratio est, quia sacri Canones prohibent solum, ne ordo posterior accipiatur prætermisso priori, sed appellatione ordinum in hac materia non comprehenditur consecratio Episcopalis; deinde quia lex imponens pœnam suspensionis generaliter, non comprehendit Episcopos, nisi exprimantur, cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Sed oppositum mihi probabilius videtur, cum nulla ratio afferri possit, quamobrem sacri Canones voluerint pœnam suspensionis imponere ijs, qui præsumunt ordinem minorem vel maiorem per saltum assumere, non autem illis, qui consecrantur Episcopi, cum Episcopatus sit omnium ordinum maximus, & si remanet suspensus, qui hoc modo per saltum ordinatur Sacerdos, multò magis qui consecratur Episcopus, cum ipse sit maior & summus Sacerdos, præsertim cum ex communi sententia Canonistarum Episcopatus sit ordo distinctus à reliquis septem ordinibus, & licet Theologi aliter sentiãt, tamen iuxta opinionem probabiliorem est ordo excellentior omnibus alijs, non tamen distinctus à Presbyterali, immo essentialiter illũ includens ita vt nulla Episcopalis consecratio sit, si antea Sacerdotiũ receptum non fuerit, sicut rationale includit animal. Nec obstat c. Quia periculosum, ex quo solum habetur, quod pœna suspensionis contenta in lege generali non arctat Episcopos, nisi expressa eorum mentio in lege facta fuerit. Modo verò non tractamus de Episcopis, sed de ijs, qui per saltum consecrantur Episcopi; quare tales possunt ex tali legis transgressione remanere suspensi, quia quando transgrediuntur non sunt Episcopi. Itaq. licèt si quis consecretur Episcopus prætermisso Diaconatu, vel alio ordine inferiori recipiat veram consecrationem, remanet tamen suspensus, & ex sententia Glo. vlt. in c. vni. de Cleri. per salt. promo. Episcopus ita consecratus caret facultate conferendi alijs ordinẽ, quem non habet, licèt alios omnes ordines conferre possit, vt inquit Sylu. ex sententia Raym. Ver. ordo 2. §. 1. & secundum Host. executionẽ non habet quoad alios ordines susceptos, quia non debet exequi officium ante receptionẽ ordinis prætermissi, sed Alber. in suo Diction. Ver. ordinatus 2. in fi. asserit esse communem sentẽtiam, si quis consecretur Episcopus prætermisso quocunq; alio ordine, excepto Presbyteratu, esse verè Episcopũ, & habere executionẽ, & posse conferre omnes alios ordines præter illum, quẽ prætermisit & hęc sentẽtia videtur mitior & probabilior.

De secunda parte difficultatis, an teneat, & sic valida consecratio Episcopalis non recepto antea Presbyteratu, duas inuenio opiniones, prima est aliquo-

rum

rum Canonistarum, nempe Host. & Abb. in d.c. vni. de Cleri. per salt. promo. qui censent ex communi sententia Doctorum collationem ordinis Episcopalis valere licèt qui consecratur non sit Sacerdos, & Abb. pro hac opinione citat Glo. in cap. Sollicitudo dist. 52. & probat, nam ordo præposterus in recipiendis ordinibus non vitiat ordinem receptum, quamuis illius executionem impediat, & respondet Abb. ad cap. Ex literis de excess. Prælat. io fin. *Cùm autem Pontificale officium sine Altaris ministerio non valeat adimpleri*, quasi velit Episcopatum non posse consistere sine Sacerdotio, sed illud cap. inquit Abb. loquitur de executione ordinis Episcopalis, non de impressione Characteris, idest, quòd ille, qui non est Sacerdos, non potest exequi Episcopalem ordinem, non autem quòd ex collatione ordinis Episcopalis sine Sacerdotio non imprimatur character.

Oppositum tenet Glo. vlt. in fi. in cap. vni. de Cleri. per salt. promo. quæ vniuersaliter proponit conclusionem, quòd sacer ordo bene quidem recipi potest, idest quantum ad validitatem, etiamsi nullus ordo minor antea receptus fuerit, ex hac tamen conclusione excipit ordinem Episcopalem, quem inquit neminem recipere posse, qui non sit Sacerdos. Et hanc sententiam censet esse veriorem. Idem sentit Sylue. in sum. Ver. ordo 2. §. 1. & ordo 5. §. 5. contra Host. quia fundamentum talis consecrationis est Sacerdotium, & Raym. in tit. de form. Confecr. Vers. Quid si Clericus, vbi ait omnes ferè Doctores idem sentire, & Pitan. in Ver. ordinatus 2. in princ. & ibid. supplen. Maiol. lib. 4. cap. 12. num. 3. de Irregul. Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 24. & ibi Salsedo in suis Schol. Vers. Inter promotos, Turrecrem. in cap. Sollicitudo dist. 52. q. 13. qui citat Hug. & Archid.

Hæc secunda sententia, quæ cõmunis est Theologorum, est probabilior, quoniam hęc quæstio potius pertinet ad materiam Theologorum, quàm Canonistarum, & idcirco magis est illis adhærendum, vt inquit Maiol. in illo cap. 12. lib. 4. de Irregul.

Dicendum est igitur, si quis consecretur Episcopus antequam fit Sacerdos, consecrationem non tenere, sed esse post receptum ordinem sacerdotalem, iterum consecrandum. Probatur hæc conclusio, quia Episcopatus non est ordo distinctus à Sacerdotio, vt est Sacramentum, vt communiter affirmant Theologi, sed id, quod non est distinctum à Sacerdotio non imprimit alium Characterem, quàm ipsius Sacerdotij, antecedens probatur, nam cum potestas Episcopi sit cõsecrare Sacerdotem, non è contra, oportet potestatem Episcopi esse maiorem, & excellentiorem potestate Sacerdotis. Non autem esset maior, nisi illam includeret, nam consecrare Corpus Christi, quod est proprius actus Sacerdotis, nobilius est & præstantius, quã consecrare ministrum, quod spectat ad Episcopum; hoc enim est propter primum. Quare si Episcopus non esset Sacerdos, potestas Episcopalis esset inferior Sacerdotali, & ex consequenti non posset ordinare Sacerdotem, ergo necessariò Episcopus debet esse Sacerdos, non solùm vt possit habere executionem, & exercere ministerium Episcopale, qua in re omnes Doctores conueniunt, etiam Host. & optimè probatur ex cap. Ex literis de excess. Prælat. sed etiam, vt consecratio Episcopalis teneat, & sit valida, quod cõfirmat Glo. in eod. cap. Ver. Ministerio, dicens, *Arg. quòd non possit quis esse Episcopus, nisi primò fuerit Sacerdos.*

Obijciet quis, inter ordines non est essentialis, & necessaria connexio, vt posterior acquiri non possit sine priori, vt superius dictum est, sed Episcopatus est ordo & superior Sacerdotio, ergo sicut potest quis effici Sacerdos prætermisso Diaconatu, ita poterit fieri Episcopus non recepto ordine Sacerdotali.

Respondeo, negando Episcopatum esse ordinem, quatenus ordo est Sacramentum, & imprimit Characterem; quare Episcopatus non imprimit Characterẽ distinctum à Charactere Sacerdotali, sed est vnus & idem Character essentialiter, qui per Episcopalem consecrationem extenditur ad quasdam functiones, quæ propriæ sunt Episcoporum. Vel secundo dici potest, quod mihi probabilius videtur, ordinationem Episcopalem esse verè, & propriè ordinem, vt est Sacramentum, quod ab omnibus antiquis Patribus asseritur, & à Scholasticis pluribus tam antiquis, quàm recentioribus confirmatur, esse tamen vnum ordinem cum Presbyteratu genere, non specie, ordines enim sumuntur ab habitudine, quam habent ad Eucharistiam, & quia summa potestas circa Eucharistiam est posse illam conficere, ideo primus ordo est Sacerdotalis, nec supra hunc potest fingi alius ordo maior, vel superior, sed quia hanc potestatem vario modo participant Sacerdotes, & Episcopi, inde sunt duæ species Sacerdotum; Alij sunt maiores, idest Episcopi, Alij minores, idest simplices Sacerdotes, Presbyteri in consecranda Eucharistia saltem quoad vsum pendent ab Episcopis, qui possunt eis interdicere, ne consecrent vel suspendere ad tempus &c. quare Episcopatus includit in sua ratione & essentia sacerdotium, loquendo, de potestate ordinis, non enim intelligi potest Episcopus, qui nõ sit Sacerdos, cùm nihil aliud sit Episcopus, nisi summus Sacerdos, quare Character Episcopalis integer, & perfectus non est vna simplex qualitas, sed quid compositum ex duplici charactere, & iuxta hanc opinionem respondendum est ad argumentum, verum esse vnum ordinem non pendere ab alio, in ijs tamen, quorum vnus non est de essentia alterius, sed ordo Sacerdotalis est de essentia Episcopatus, ideo argumentum non concludit, nam ideo si quis ordinetur Presbyter, antequam recipiat Diaconatũ, verè recipit ordinem Presbyteratus, quia Presbyteratus non includit essentialiter Diaconatum, & eadem ratio est de alijs ordinibus, sed Episcopatus includit Presbyteratum; Pari ratione non sequitur posse Episcopum, qui non sit Presbyter, consecrare Eucharistiam, quia Episcopatus sine Presbyteratu non est ordo superior, vt in illis contineatur Presbyteratus, saltem virtute sicut ordo inferior continetur in superiore, immo nihil est in re, sed est merum figmentum in mente, quomodo non potest fingi Archiepiscopus, qui non sit Episcopus, nec rationale, quod non sit animal, & sic absoluta, sit disputatio de promotione per saltum ad Episcopalem consecrationem prætermisso quocunque ordine, vel antequam ille, qui consecratur, ordinetur Sacerdos.

Modò inquirendum est de eo, qui promouetur ad Ecclesiam Cathedralem non recepto ordine sacro, & erat secunda pars difficultatis spectans ad secundum modum recipiendi ordinem per saltum. In hac quæstione affirmant communiter Doctores posse annumerari inter eos, qui per saltum promouentur illi, qui obtinent dignitatem nondum habitis ordinibus ad illam requisitis, puta si quis assumatur ad Cathedralem Ecclesiam nullo sacro ordine accepto, Simon Maiol. lib. 4 capitulo 12. numero 5. de Irregular. Salsedo apud Bernard. Diaz in Pract. Canon.

cap.24. Vers. Dicitur etiam is per saltum. Id autem probant citati Doctores ex eo quòd sicut antiquitus, quando Subdiaconatus inter sacros non annumerabatur, scilicet ante B.Greg. in cap. Nullum dist. 28. vel ante Siricij tempora, vt in cap. Quicunq; dist. 77. nullus Subdiaconus poterat promoueri ad Episcopatum absque Romani Pontificis dispensatione, vt manifestè statutum habetur in cap. fin. dist. 60. vbi Vrbanus Primus ita decernit: *Nullus Episcoporum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiosè viuens fuerit inuentus, sacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum*, & respexit ad statum Primitiuæ Ecclesiæ. Deinde successu temporis hic ordo Subdiaconatus inter sacros ascriptus fuit, vt declarat Vrbanus Secundus in cap. Erubescant distinct. 32. *Erubescant impij, & apertè intelligant indicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu, &c.* Et simul etiam hoc tempore permissum reperitur, vt Subdiaconus posset Episcopus creari, vt legitur in cap. A multis in fin. de Aeta. & Qualit. vbi Innocentius Tertius ita decernit, *Statuimus, vt Subdiaconus in Episcopum valeat liberè eligi, sicut Diaconus, vel Sacerdos.* Et quoniam hoc decretum temporis decursu nō semper obseruabatur, sed nonnihil relaxatum erat; idcirco optimè in sacro Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. de Reform. ab illis Patribus innouatum fuit. In eo enim cap. recensentur conditiones & merita, quæ desiderantur in ijs, qui ad Ecclesias Cathedrales assumuntur, & inter alia dicitur: *Verum etiam in sacro ordine antea saltem sex mensium spacio constitutus.* Cum igitur, Concilium generaliter requirat, vt assumendus sit in sacro ordine constitutus, & tres sint ordines sacri, Subdiaconatus, Diaconatus, Episcopatus, sequitur satis esse, si ille, qui creatur Episcopus, fuerit antea Subdiaconus, vt statutum erat ab Innocentio Tertio. Addit tamen Concilium ad dictam Constitutionem Innocentij Tertij, vt spacio sex mensium saltem, antequam creetur Episcopus, fuerit in sacro ordine constitutus, quod vetusti Canones non requirebant; & idem ordo videtur sufficiens, & necessarius multò magis in eo, qui promouetur ad maiores dignitates, vt ad Archiepiscopatum, Patriarchatum, & Primatum, quia in omnibus militat eadem ratio, ideo Concilium Tridentinum vtitur voce generali Cathedralis Ecclesiæ hoc enim nomen æquè conuenit Episcopatui, sicut Archiepiscopatui, & idem de Patriarchatu & Primatu, & loquitur vniuersaliter: *Quicunque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus.* Addit Maiol. vbi supra, quòd aliquando contingere potest, vt tanta sit Laici sanctitas & prudentia, vt eius industria iudicetur maximè vtilis ac necessaria ad regimen spirituale alicuius Prouinciæ; quo casu expediens esset, vt concessa dispensatione talis in Episcopum eligeretur, sicut olim aliquando receptum fuit.

Eodem modo ex Constitutione Sacrorum Canonum antiquitus quicunque in Præpositum, Archidiaconum, Decanum, Primicerium, Cantorem, & in Abbatem, & in alias dignitates quocunque nomine vocarentur, assumebatur, erat in sacro ordine constitutus, vt tradit Maiol. & probat ex c. Nullus in Præpositum dist. 60. Glo. & Archid. in c. Nullus Episcopus ead. dist. Hodie tamen Conc. Trident. sess. 24. cap. 12. de Reformat. postulat in omnibus dignitatibus Cathedralium, vel inferiorum Ecclesiarum, vt nimirum Clericatum iuxta Constitutionem Concilij Lateranensis sub Alexandro Tertio, quæ habetur in capit. Cum in cunctis de elect. Et quando Summistæ in Ver. Abbas, dicunt, quòd Abbates debeant esse Presbyteri, hoc dictum est intelligendum in eo sensu, vt possint compelli post adeptam Abbatiam ad recipiēdum Presbyteratum, sicut dicitur in cap. 1. de Aeta. & Quali. *Vt Abbates, Decani, & Præpositi, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant.* Idem in cap. Cum in cunctis, §. Inferiora de elect.

Ad hoc quoque genus promotionis per saltum reduci potest, quando quis ex simplici Clericatu seculari ad Prælaturas regulares ascendit, vt notat Maiol. in cod. c. 12. circa fin. lib. 4. de Irregul. idque probatur ex cap. Presbyteros, 16. quæst. 1. Et ratio huius prohibitionis, vt ibi inquit Glo. est, quia assumendus est ad dignitatem, qui peritus sit, & bene instructus in Regula monachali, qualis non est Clericus secularis, sicut è contra ait Glo. Si Monachus non sit instructus in regula Clericali, non est assumendus Episcopus, cap. Sic viuc, &c. seq. ead. cau. & quæst. & in cap. Officij de elect. vbi electio Monachi nouitij intra annum probationis in Abbatem irritatur, ergo multò magis irritanda videtur electio Clerici secularis in Abbatem, qui non susceperit antea habitum Religionis, sed licèt elegi non possit Clericus secularis in Abbatem, potest tamen postulari, vt in dicto cap. Officij de elect.

Sed est animaduertendum hoc in loco, quod spectat ad hunc modum promotionis per saltum, quando quis per saltum non constitutus saltem in ordine Subdiaconatus, recipit Ecclesiam Cathedralem contra dispositionem Concilij Trident. non esse impositam pœnam suspensionis, neque aliam aduersus eos, qui hoc modo ad Prælaturas ascendunt; quare diuersa ratio est de his, & de alijs, qui per saltum ad ordines assumuntur.

Illud quoque in fine huius capitis quæri potest, an sufficiat in foro exteriori ad probandum receptionem omnium ordinum, vt quis concludenter probet se recepisse ordinem Presbyteratus, vt præsumi debeat præcedentibus ordinibus ritè insignitus non per saltum, sicut si quis ostendit titulum Doctoratus iam supponitur, & Baccalaurus, & licentiatus approbatus.

Saliedo apud Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 24. Vers. Illud verò tenet, probato Sacerdotio sufficienter constare de alijs ordinibus ritè susceptis, citat ad hoc Innoc. & Anton. in cap. 1. de Cleri Peregr. vbi Innocent. hoc non affirmat vniuersaliter, immo oppositum asserit, nempe non sufficere ostendere literas de receptione ordinis Presbyteralis, nisi producantur literæ de quolibet ordine, subiungit tamen limitationem hanc: *Nisi fortè qui ordinauit in Sacerdotem sit tantæ discretionis, quòd præsumendum sit de eo, quòd non ordinasset, nisi habuisset literas ab eo, qui ordinauit in Diaconum, & ad alios ordines.* Hoc dictum Innocent. confirmat Abb. in capit. Nisi numero 3. de Præben. Petr. Rebuff. in Concord. Tit. de Collat. §. Præfati, lit A. Idem in Pract. Benefic. de form. literarum Tonsuræ numer. 28. quo loco scribit temporis antiquitatem plurimum operari. Hæc opinio est probabilis, præsertim si Episcopus, qui Sacerdotium contulit, est vir exactus, & valde diligens, de quo verisimiliter credi possit, quòd Ordinem Presbyteratus non contulisset, nisi plenè certior factus fuisset de recta, & canonica receptione Ordinum præcedentium, Regulariter tamen censeo non sufficere Sacerdotij literas ostendere, nisi testi-

testimoniales literæ cæterorum ordinum simul producantur, vt alij Doctores putant, quia singuli ordines sunt distincti, & separati, nec habent necessariam connexionem inuicem, & conferuntur separatim diuersis temporibus. Quare ex receptione vnius non infertur concludenter receptio aliorum. Idque videtur probari ex cap. 1. De Cleri. Peregr. clarissimè ibi: *Sed & de inferioribus ordinibus inquiri oportet, quia posset contingere, vt aliquibus prætermissis saltum fecissent.*

CAPVT VI.

De Pœna ab ipso iure lata aduersus eos, qui censura obstricti ordines assumunt.

QVi Censura aliqua excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti innodatus ordines antea susceptos administrare audet, incurrit irregularitatem, cap. Si quis Episcopus in Concilio 11. q. 3. cap. Vt Clericorum §. Si quis igitur de Vit. & honest. Cleric. Ita quoque si præsumat ordines recipere, incurrit suspensionem, quam communiter Doctores Canonistæ vocant irregularitatem. Ita Abb. in cap. 1. num. 2. De eo, qui furt. ordi. recep. dicens quòd sicut incidit in irregularitatem ministrans post interdictum, ita recipiens ordinem post excommunicationem, B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 76. Vers. Sextò excommunicatus, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 241. in princ. Idem in cap. Consideret, §. Cautus num. 29. de pœnit. dist. 5. asserit, quòd is, qui in excommunicatione suscipit ordinem, verum recipit Sacramentum, non autem executionem eius, neque vllam mentionem facit de irregularitate, Maiol. lib. 4. cap. 34. De Irregul. hoc impedimentum vocat irregularitatem. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 6. num. 6. loquitur eodem modo, sicut Nauar. quòd Excommunicatus recipit Sacramentũ ordinis quoad Characterem, non quoad executionem, à qua suspensus est, donec sequatur dispensatio. Quare censeo propriè hoc impedimentum esse suspensionem, non irregularitatem, quia non habere executionem officij propriè conuenit suspensioni, non irregularitati, qui enim suspensus est durante suspensione non habet officij executionem. Nihil enim aliud est non habere executionem, quàm esse prohibitum, aut impeditum à tali executione; Vnde huiusmodi verbis in cap. Inquisitionis de Accusat. significatur suspensio, quæ incurritur ob ordinem susceptum ab Excommunicato Episcopo; Confirmari potest, quia suspensio est minor pœna, quàm irregularitas, & lex pœnalis mitius est interpretanda, si aliud non cogat ad duriorem interpretationem sumendam.

Obijciet quis contra, suspensio propriè dicta per se respicit vsum ordinis iam suscepti, irregularitas autem per se primò impedit susceptionem ordinis, executionem autem ordinis suscepti solum consequenter. Quare si ratione censuræ, qua quis est innodatus, prohibetur, ne ordines assumere possit, ergo tale impedimentum erit irregularitas non suspensio.

Respondeo, concedendo id, quod assumitur, negando consequentiam. Verum est enim suspensionem primò respicere vsum ordinis iam recepti, & ita accidit in hoc casu de eo, qui est censura innodatus, nam suspensus est ab administratione ordinis primò, & principaliter; & quia recipere non potest nouum ordinem sine ministerio ordinis præcedentis. non enim recipi potest ordo sine habitu apparatu, & ministerio inferioris ordinis, ideo qui censura innodatus promouetur, manifestè exercet ordinem, ex quo transit ad superiorem, a quo erat suspensus, & ob talem executionem actus prohibetur ascendere ad superiores ordines.

Ad probandam hanc suspensionem affertur à Doctoribus cap. 1. De eo, qui furt. ordi. susce. Vbi de illo, qui furtiuè Subdiaconatum susceperat, dicitur, quòd si id fecerit sub anathemate prohibitus, non potest nec in suscepto ministrare, nec ad superiorem ascendere sine dispensatione Papæ, quæ committitur Episcopo, si prius regularem habitum suscipiat, & aliquãdiu ibi laudabiliter viuat. Idem habetur in cap. 3. eod. tit. sed ex illis textibus non probatur id, de quo agimus, quia in illis iuribus tractatur de illis, qui assumunt ordines furtiuè contra prohibitionem Episcopi sub pœna excommunicationis, ergo in eo casu non est verum dicere, quod excommunicatus recipit ordines, de qua difficultate modò tractamus, sed potius tunc per ordinationem incurritur Excommunicatio, supponitur ergo ordinatio excommunicationi. Non est ergo illud delictum, de quo nunc loquimur: Efficacius autem id probari potest ex tex. in cap. Cum illorum De senten. excommun. Vbi expressè est interdictum, ne quis in excommunicatione positus Ecclesiasticos ordines accipere præsumat, & simul aduersus eos, qui negligunt Ecclesiasticam censuram, graues pœnæ infliguntur. Et licèt ibi in specie sermo sit de excommunicatione propter violentam manuum iniectionem in Clericum; nihilominus Summus Pontifex in responsione ad quæstionem non videtur respexisse peculiare illud crimen, & excommunicationem eidem annexam, sed generaliter considerasse, quàm indecens, & à religione alienum apparent, vt quis censura obstrictus ordinibus Ecclesiasticis insigniri præsumat; Ideo pœna suspensionis ibi posita locum habet in omnibus excommunicatis, & eadem est ratio de suspensis, & interdictis. Quicunque enim aliqua harum censurarum irretitus est, ipso iure censetur suspensus, ne possit ordines recipere.

Sed dubitari potest primò, An hæc conclusio sit intelligenda de omnibus ordinibus, non solum de sacris, verum etiam de minoribus, nempe vt innodati aliqua censura, si assumant aliquem ordinem, siue maiorem siue minorem, incurrant suspensionem ipso iure. Difficultatem faciunt nonnulli textus in iure, in quibus hæc pœna imponitur peculiariter contra accipiẽtes sacros ordines, & ob similitudinem rationis videtur idem dicendum in terminis huius quæstionis de qua tractamus, vt in cap. 1. & 2. De eo qui furt. ordi. recep. cap. 1. de temp. ordin. lib. 6. cap. vlt. de Aposta. & alibi.

Respondeo latam esse generaliter in omnes, qui obstricti aliqua censura ordinem quemcunque maiorem, seu minorem suscipere præsumunt, & probatur ex dicto cap. Cum illorum de sentent. excommunic. quod absolutè de ordinibus loquitur, ideo de omnibus est intelligendum, videlicet de illis ordinibus, siue maioribus, siue minoribus, qui in excommunicatione recipiuntur, non de alijs ritè susceptis. Quare si excommunicatus constitutus erat in ordine Subdiaconatus, & recepit postea Diaconatum, suspensus est ab executione Diaconatus, non Subdiaconatus, & minorum ordinum, & si post excommunicationem promouetur ad Accolitatum, illum non poterit exercere, & non erit suspensus ab alijs præcedentibus ordinibus. Vnde obtenta absolutione ab excommunicatione, vel alia censura, qua erat obstrictus, poterit

ministrare in ordinibus ritè susceptis. Durante autem suspensione manet impeditus, ne possit ascendere ad superiores. Ita declarat B. Antoni. 3. par. sum. tit. 24. cap. 76. in sexto effectu, Sylue. Excom. 3. §. 2. quæst. 14. Ver. Ordo. 5. §. 6. & Ver. Irregularitas, §. 4. Angel. eod. Ver. num. 22. & Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 6. num. 6. qui indefinitè loquuntur de ordinibus, & expresse ita tenet Abb. in cap. 2. nu. 4. & 10. De Cler. Excom. Mini. & latius in cap. fin. num. 5. De Excess. Prælat. Archid. in cap. Si quis præsbyter 11. q. 3. & plures alij quos refert, & sequitur Franc. in cap. 1. §. Caueant num. 6. vsque ad fi. De Sent. Excom. lib. 6. licet Nauar. Tom. 2. Consil. tit. De Sent. Excomm. Cons. 44. §. Ad secundam respondetur, oppositam sententiam scilicet quod excommunicatus, vel alia cēsura obstrictus suscipiendo ordines minores non efficiatur irregularis magis approbare videatur. Et quia regulariter nomine ordinum non intelligitur Prima Tonsura, ideo censeo hanc pœnam non habere locum in receptione Tonsuræ, quia pœnæ non sunt extendendæ, & prima Tonsura non habet proprium actum, à quo initiatus suspendi possit. De Episcopatu quoque dubitari potest, quoniam à multis non enumeratur inter ordines. Existimo tamen suspensionem incurri, si excommunicatus consecretur Episcopus, quoniam Ordo est præcipuus, vt dixi superiori capite, & non videtur verisimile Ecclesiam voluisse prohibere, vt censura obstrictus ordinem aliquem etiam minorem recipere non posset sub poena suspensionis, & hanc suspensionem non imposuisse, si præsumeret consecrari Episcopus, qui omnium ordinum culmen, & fastigium tenet.

Dubitatur secundò, An hæc suspensio incurratur, si Excommunicatus per ignorantiam ordinem aliquem assumat; Nam pro parte affirmatiua, quòd hæc suspensio incurratur, probari potest primò ex illis testibus, quos citaui in cap. 2. præcedentis disputationis, ex quibus colligitur incurrere suspensionem illum, qui recipit ordines ab Episcopo excommunicato, etiam si per ignorantiam probabilem id faciat, ergo ob similem rationem ignorantia probabilis non excusabit excommunicatum à suspensione, si ordines in excommunicatione receperit. Secundò probatur ex cap. Cum illorum De Sent. Excom. vbi in casu ignorantiæ facti, aut Iuris, quando recipiuntur ordines in excommunicatione, dicitur necessaria dispensatio Episcopi, ergo supponitur suspensio præcedens. Ita tenet Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 6. nu. 6. qui censet hanc sententiam esse veriorem, & mouetur ob eam rationem, quia semper necessaria est dispensatio, siue adsit probabilis ignorantia, siue præcesserit scientia, & confirmat ex auctoritate Glo. in cap. Ab Excommunicatis, Ver. Quondam 9. q. 1. & in cap. 1. Ver. Ignorantia De Ordi. ab Episc. qui renunc. Episco. vbi in fine textus dicitur: *Vbi autem non scienter, poterit, nisi crassa & supina fuerit ignorantia, discretus Pontifex dispensare.* Si igitur Summus Pontifex postulat dispensationem, etiam si ignorantia sit probabilis, vtiq; intelligit suspensionem contractam fuisse, & Abb. in cap. Veritatis num. 46. De Dolo, & Contum. dicit hanc opinionem esse tutiorem. Idem fatetur Io. de Anania in cap. 1. num. 12. De Schisma. Specul. in tit. De Dispensat. §. Iuxta num. 14. Vers. Item recipiens ordines, & Couar. in cap. Alma par. 1. §. 6. num. 6. De Sent. Excom. lib. 6.

Huic difficultati respondeo, & primo dico hanc opinionem non solùm tutiorem esse, sed etiam valde

A probabilem, quòd ignorantia, quamuis probabilis, non excuset excommunicatum ab hac suspensione. & quòd sit tutior, non est ambigendum; Nam petere dispensationem à superiore, quoties controuertitur, an quis transgressus sit legem, & incurrerit pœnam in ea contentam, est hominis pij, & Deum timentis, qui agnoscit culpam, vbi non est, & eligit in dubio partem dutiorem, quæ in foro conscientiæ sequenda videtur, quia tutior est, quod autem sit valde probabilis, ex pluribus inferri potest.

Primo ex cap. fin. de ordi. ab Episc. qui renunc. Episco. Vbi Gregorius Nonus permittit Episcopis, vt valeant dispensare cum Clericis, qui ignoranter ab Episcopo Excommunicato ordines receperunt, Verba Canonis sunt: *Cum Clericis, qui ab Episcopo excommu-*
B *nicato ignoranter ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari.* Ex quibus verbis sumitur argumentum à simili, si illi, qui ignorant excommunicationem Episcopi ordinantis, ex tali ordinatione incurrunt suspensionem, quoniam indigent dispensatione, vt dicitur in tex. ergo similiter, si quis excommunicatus ignoranter ordinatur, erit suspensus, immo videtur hæc ratio maiorem vim habere in secundo casu, quàm in primo, facilius enim ignoratur Excommunicatio aliena, quàm propria.

Dices, si ille textus cap. fin. intelligeretur de ignorantia probabili, quæ excusat à peccato, esset contra omnia iura antiqua, nam vt inquit Innoc. in c. 1. nu. 4.
C Vers. Nec inuenietis capitula De Schisma. nullum reperitur capitulum iuris antiqui, quod ptinet huiusmodi ordinatos executione ordinis, nisi scierint. ita loquitur c. Ventum 1. q. 1. ibi, *Et qui particeps effectus est damnato quomodo debeat honorem accipere, inuenire non possum.* Clarius in §. Verum, Vers. Ad hæc inquam ita respondemus Dist. 32. ibi, *Eis inquam in tantum obsunt, vt verè idololatræ sint cum talibus, & ordinationum, & Sacramentorum confectio, & aliter quàm præmissum est, scienter susceptio.* Item talis interpretatio esset contra naturalem rationem, & æquitatem, quia pœna nō debet excedere auctorem iuxta illud, quod habetur in cap. 2. De Constit. *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.* quare cum non sit præsumendum Sū-
D mum Pontificem voluisse iura antiqua, & æquitatem naturalem vno verbo tollere, cap. Ecclesia vestra De elect. videtur dicendum cap. illud fin. De ordi. ab Epis. qui renunc. Episcop. intelligendum esse de ignorantia crassa, & supina, quæ à culpa non excusat.

Respondeo hanc interpretationem textui, & menti Summi Pont. aptari non posse, huic enim expositioni videtur aduersari tex. in cap. 1. de ordina. ab Episc. qui renunc. Episcop. vbi de huiusmodi ordinatis ita dicitur in fine, *Vbi autem non scienter, poterit, nisi crassa, & supina fuerit ignorantia, discretus Pontifex dispensare;* Ecce igitur Summus Pontifex requirit dispensationē, quamuis ignorantia fuerit probabilis, & ex consequenti nulla præcesserit culpa.

E Secundò idem confirmari potest; Nam vel ignorantia excommunicati suscipientis ordines, est ignorantia iuris, vel facti, si est ignorantia iuris, quia nesciat prohibitum esse ab ipso iure propter vinculum excommunicationis à receptione ordinum, talis ignorantia non excusat eum à pœna Reg. Ignorantia De reg. iur. lib 6. § Notandum 1. quæst. 4. l. 2. & l. Cum quis C. De iur. & fac. ignor. Si verò sit ignorantia facti; Vel ipse Excommunicatus est denunciatus publicè, & præcisus ab Ecclesia, & huius excommunicationis ignorantia non potest dici probabilis, sed crassa, & supina, quę

non

non excusat, vt inquit Innocent. in capit. 1. in fin. de Schismat. Dicitur enim crassa ignorantia, quoties quis ignorat id, quod publicè factum est, vt notatur 38. distinct. in princip. & exemplum habetur in cap. vlt. 11. quæst. 2. & capitulo Cum in tua, Vers. Alioqnin de his qui matri. accu. poss. Vel excommunicatus est toleratus ab Ecclesia, tunc autem licet possit quis ignorare probabiliter suam excommunicationē, tamen non supponitur talis ignorantia, præsertim in foro exteriori; vnde Glo. in cap. Si qui à Simoniacis Ver. Probare 1. q. 1. inquit, cum qui ignorantiam allegat, debere illam probare, & quando etiam ignorantia esset probata, tunc posset quidem excusare à dolo, & negligentia, non autem habet vim tribuendi executionem ordinis suscepti in excommunicatione, cùm B Ecclesia statuerit, vt obstricti aliqua censura Ecclesiastica, si præsumunt ordinem recipere, incurrant ipso iure suspensionem, sicut in simili concludit Abb. in c. 1. num. 6. de ordi. ab Episc. qui renunc. Episcop. contra Innoc. de illis, qui recipiunt ordines à talibus Episcopis, qui renunciarunt Episcopatui ex ignorantia probabili, quos dicit posse excusari à dolo & negligētia propter talem ignorantiam, nunquam tamen consequi posse ordinum executionem absque dispensatione, quare remanet suspensus, quæ suspensio in tali propriè non habet rationem pœnæ, cùm nulla supponatur culpa, sed est quidem defectus, & inhabilitas proueniens ex institutione Ecclesiæ, quia sacri Canones ita disposuerunt. C

Tertiò quamuis regulariter suspensio non incurratur sine culpa eius, qui suspenditur, quia cùm sit censura supponit culpam, tamen non est inconueniens, vt aliquando habeat locum, etiam si suspensus nō sit reus alicuius culpæ, nam sicut accidit in Interdicto, vt interdicta Ciuitate omnes suppositi sint interdicto, non solùm qui deliquerunt, sed etiam Innocentes; Ita quoque non videtur absurdum, si à sacris Canonibus imposita sit pœna suspensionis, vt in aliquibus casibus incurratur ab eo, qui nullius culpæ sit conscius ratione probabilis ignorantiæ, idq; statutum fuisse ob commune bonum, vel ob aliam causam.

Quartò idem confirmari potest, quoniam differunt D pœnæ positiuæ à pœnis priuatiuis, cuius generis sunt Censuræ, quæ priuant tantum ipsum reum bonis, quibusdam spiritualibus, quæ conceduntur ab Ecclesia, & ab ipsa pendēt, quare pertinet etiam ad Ecclesiam, si ita expedire iudicauerit priuare aliquem vsu horū bonorum etiam sine culpa sua; idque probari potest nonnullis decretis Concilij Trident. vt sess. 6. cap. 5. decernit, nulli Episcopo licere pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licētia, & in personis eidem Ordinario subiectis, & si secus fiat, Episcopus ab exercitio pontificalium, & ordinati ab executione ordinum ipso iure suspenduntur. Sed contingere potest, vt sic ordinati ex probabili ignorantia nesciant, an ille Episcopus absque licentia E proprij Episcopi exerceat pontificalia, & tamen incurrent suspensionem iuxta decretum Concilij. Item sess. 14. cap. 2. prohibet, ne Episcopi titulares carentes Clero promoueant vllos ad ordines maiores, vel minores, neque ad primam Tonsuram in loco exempto, & nullius Diœcesis absque expresso suorum Prælatorum consensu vel literis dimissorijs. Contrafaciens Episcopus ab exercitio pontificalium per annum ordinati ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure suspenduntur. Et tamē aliqui possunt hoc modo suscipere ordines ignoranter, præsertim pueri recipientes Tonsuram. Similiter sess. 23. cap. 8. vetat quempiam cuiusuis priuilegij prætexto posse ab Episcopo non suo ordinari, nisi eius vita, & mores Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario expediens videbitur, sit suspensus. Sed fieri potest, vt is optima fide ad ordinem ascendat, quare Concilium non reputat absurdum & inconueniens, vt quis labi possit in pœnam suspensionis sine vlla culpa, à qua propter probabilem ignorantiam excusetur. Hanc ob causam si quis excommunicationis, aut alterius censuræ vinculo obstrictus erit, licèt laboret inuincibili ignorantia in susceptione ordinis, incurret suspensionem immo multo fortiori ratione in hoc casu videtur hoc afferendū, quia licèt daremus excommunicatum ascendentem ad ordines cum probabili ignorantia iuris, vel facti nullum peccatum committere, tamen verè illius culpæ reum agnoscimus, si supponimus esse censura alligatum.

Huius opinionis est etiam Maiol. lib. 4. cap. 34. nu. 4. de Irreg. & probat, quia cùm excommunicatus scire debeat, est in culpa, si ignoret; Solus enim rumor excommunicationis inficit conscientiam suam, ideo debet abstinere, Abb. in cap. Illud num. 4 de Cleri. excom. Mini. alias incurrit irregularitatem, & Innocentius Tertius in eod. cap. Illud declarat, quòd qui habet notitiam excommunicationis per solam famam, debet desistere ab administratione. Idem ait Sylue. Ver. Irregularitas §. 15. quæst. 13. Vers. Sextum, ponit solum differentiam inter ignorantiam crassam, aut supinam, & ignorantiam probabilem, quòd in priori ignorantia dispensat Papa super irregularitate, quæ incurritur, nisi sit Regularis, tunc enim potest dispensare Abbas iuxta cap. Cum illorum de sent. excomm. Hoc idem clarius affirmat Sylue. eod. Ver. § 4. quæst. 2. vbi tenet, quòd excommunicatus, sine sciens, siue ignorans, vel ignorātia facti, quia non recordetur talis excommunicationis, vel non animaduerterit, siue ignorantia Iuris, credens nō esse vetitum quempiam alligatum censura posse ordinibus Ecclesiasticis initiari, semper contrahit irregularitatem, sic enim ipse appellat, hanc suspensionem, vnde licèt Prælatus inferior possit illum ab excommunicatione absoluere, qua erat obstrictus, non poterit tamen dispensare super tali irregularitate, nisi de mandato Papæ, aut si efficiatur Religiosus iuxta dispositionem dicti cap. Cum illorum de sent. excom. Specul. in tit. de Dispensat. §. Iuxta num. 14. Vers. Item excommunicatus. Hæc igitur faciunt hanc sententiam valde probabilem.

Dico secundò ad propositam quæstionem, quòd licèt hæc sententia sic valde probabilis, contraria tamen non est improbabilis, quæ mitior videtur, & tuetur eam plures graues auctores, nempe illum, qui cēsura alligatus est ignoranter, recipientem ordinem Ecclesiasticum, si talis sit ignorantia, quæ excuset à culpa mortali, non incurrere suspensionem, de qua agimus. Ita videtur concludere Innoc. in cap. 1. nu. 4. de Schismat. Abb. in c. Veritatis n. 46. de dolo, & cōtum. Alphon. à Castro lib. 2. cap. 14. Vers. Secunda principalis conclusio de lege pœnal. Nauar. in Manna. cap. 27. num. 241. in princ. citat ad hoc cap. 1. De eo qui furt. ordi. susce. sed non facit ad rem, ibi enim agitur non de excommunicato, aut alia censura obstricto, sed de eo, qui furtiuè ordinem recepit, idest, vt ibi notat Glo. Ver. furtiuè, de illo, qui sine conscientia sui Epi-

Episcopi, & sine examine ordinatur, & idem sentit B. Anton. 3. par. Summ. tit. 24. cap. 76. ante med. Vers. Sextò excommunicatus si scienter.

Probari potest hæc opinio primo ratione, qua vtitur ad illam confirmandam B. Antoni. Maius peccatum est, & detestabilius, quòd excommunicatus celebret, quàm quòd ordinetur, sed probabilis ignorãtia, præsertim facti excusat celebrantem, ne incurrat irregularitatem, ergo pari ratione debet excusare ordinatum ab eadem pœna irregularitatis. Excusari verò ab irregularitate Sacerdotem excommunicatum ratione probabilis ignorantiæ si celebret, probat ex cap. Apostolicæ de Cleri. excom. Mini. *Verùm quia tempore suspensionis ignari celebrastis diuina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos, cæterum si fortè ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit, propter quod dispẽsationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate Apostolica indulgemus*, ergo Summus Pontifex declarat ignorantiam probabilem excusare, qua supposita non esset opus aliqua dispensatione.

Secundò licèt ignorantia probabilis non excusaret eum qui recipit ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, vel ab Episcopo excommunicato, aut suspenso, vel Hæretico, aut Schismatico, vel Simoniaco, vel alijs de causis carente potestate ordinandi, de quibus dixi in Disp. . . . longè tamen diuersa ratio esset de illo, qui in excommunicatione, vel alia censura irretitus ordinatur, nam in primi casu ignorantia, quãtumuis probabilis, non potest tribuere executionem ordinis, quem recipit, cùm illa careat ordinans, & consequenter alteri conferre nequeat; ideo incurrit suspensionem ordinatus; In his enim defectibus, qui proueniunt ex impedimento potestatis in Agente, ignorantia, aut scientia nihil operatur; At in posteriori casu, quando defectus oritur ex parte malitiæ, vel negligentiæ ipsius suscipientis, vt cùm in excommunicatione promouetur, tunc temporis sicut probabilis ignorantia excusat eum a dolo, & negligentia, ita quoque est causa vt non sit impeditus ab executione ordinis recepti.

Tertiò quamuis excommunicatus publicè denunciatus recipiendo ordinem, ignorans suam excommunicationem incurreret ipso iure suspensionem, saltem de excommunicato tolerato, si ignoranter ordinetur, oppositum est affirmandum. Ratio diuersitatis assignatur, quoniam quando est præcisus non toleratus, non potest probabiliter ignorare suam excommunicationem, nam denunciatio fit publicè, & ideo supponitur in foro exteriori habuisse scientiam illius, nisi probet contrarium, sicut dicit Innoc. in cap. 1. num 4. de Schismat. De illo qui recepit ordinem ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui. Verùm quando est toleratus, potest probabiliter suam excommunicationem ignorare.

Quartò, & est ratio sumpta ab Innoc. in eod. cap. 1. de Schismat. Hæc pœna suspensionis, quam incurrunt illi, qui aliqua censura alligati recipiunt ordinem non est imposita à Iure naturali, neque à Diuino positiuo, sed Iure Ecclesiastico quare cum in collatione ordinis imprimatur character à Deo iniustum esset vt Sũmus Pontifex Christi Vicarius imponeret pœnam ignorãtibus, & suspenderet ab executione ordinis recepti taliter ordinatos, nam hęc pœna iustè fuit lata aduersus scientes, qui videntur contemnere præceptũ Ecclesiæ, sed ignorantes probabiliter sine causa punirentur; Quare cum character imprimatur à Deo, & nulla culpa reperiatur in suscipiente propter probabilem ignorantiam, quam habuit meritò debet habere ipsius executionẽ absque alia dispensatione, vt inquit Abb. in cap. Veritatis nu. 46. in fi. de dolo & contum.

Quintò qui contendunt pœnam suspensionis incurri ipso Iure ab excommunicatis quamuis ignoranter ad ordines promoueantur non debent gratis id asserere, sed tenentur hanc pœnam ex Iure colligere, sed omnes textus, qui ad hoc probandum afferri possunt, quos citaui initio capitis optimè interpretari possunt de ignorantia crassa, & supina, non de probabili ignorantia, sicut explicantur ab Innoc. in dicto cap. 1. n. 4. De Schismat. Et pręsertim cap. Cum illorum. De Sent. Excom. quod magis videtur fauere contrariæ sententiæ ita est intelligendum cùm in eo sit sermo de excommunicatione ob manifestam Clerici percussionem cuius ignorantia præsumi non potest in foro exteriori.

Dico tertiò ex his duabus opinionibus explicatis primam mihi magis probari, & consulendam esse censerem. Ad hoc afferendum moueor, Primò quia est tutior, vt fatetur Abb. in cap. Veritatis nu. 46. De Dolo, & Contum. Et quando agitur de poenis spiritualibus quales sunt Censuræ, quæ animam respiciunt tutior pars est eligenda. Secundò quia in cap. Cum illorum De Sent. Excom. dicitur quòd si excommunicatus pro manuum iniectione recipit ordines si est Clericus Secularis, dispensat cum eo solus Papa, si Regularis dispensat Abbas, si ignorantia est probabilis, & factum non est graue. Syluest. Verb. Irregularitas §. 4. quæst. 2. & habetur in Tex. prope fin. *Si autem hos ad ordines promoueri contingat iuxta præmissam distinctionem, qui scienter &c. Circa reliquos verò facti memoriam, vel Iuris peritiam non habentes &c. Abbates ipsorum poterunt dispensare* Cum igitur sit necessaria dispensatio, ergo incidit in suspensionem. Et in cap. 1. De Ordin. ab Episc. qui renunc. Episc. clarius idẽ definitum est. *Sanè si ab eodem sacros ordines quis receperit, quia indignum se fecit, executionem officii non habebit. Vbi autem non scienter, poterit nisi crassa, & supina fuerit ignorantia discretus Pontifex dispensare*; semper igitur necessaria est dispensatio, etiam si probabilis fuerit ignorantia, ergo supponitur suspensio, sed si crassa & supina sit ignorantia postulanda est dispensatio à Papa, si verò probabilis sufficit dispensatio Episcopi. Tertiò moueor, quia sicut ignorantia non liberat à suspensione illum, qui recipit ordinem ab Hæretico, vel Excommunicato: quamuis nullius culpæ sit reus, ita quoque non facit, vt excommunicatus recipiendo ordines non maneat suspensus licet nullam commiserit culpam, quia in vtroquè casu talis suspensio habet rationem poenæ si præcedat culpa, quia scienter & cũ dolo recipiat ordines, si verò ex probabili ignorantia tunc incurritur suspensio non vt poena, sed potius vt inhabilitas, & impedimentum proueniens ex constitutione Ecclesię, sicut idem dicimus de Interdicto, quandò enim Ciuitas supponitur Interdicto propter delictum Principis, vel Superioris, aut aliorum omnes quidem subiiciuntur Interdicto, sed quoad eos qui participes sunt delicti Interdictum habet rationem poenæ; Quoad innocentes autem habet rationem impedimenti inducti ab Ecclesia ob crimen aliorum.

Si obiicias contra Excommunicatus probabiliter ignorans suam excommunicationem celebrando nõ incurrit irregularitatẽ vt dicitur in cap. Apostolicæ De Cleric. excom. Minist. ergo neq; efficitur suspensus si ordinetur, vt paulò ante argumentabar pro contraria opinione.

Respon-

Respondeo negando consequentiam, & ratio diuersitatis est quia irregularitas contrahitur ab excõmunicato ob celebrationem, vt pœna tantum illius actionis, quare cum ob ignorantiam excommunicatus excusetur à culpa ob illam actionem, ideo non incurrit pœnam irregularitatis, sicut expresse declarat Summus Pontifex in dicto cap. Apostolicæ, sed suspensio non imponitur solum, vt pœna ob receptionem ordinis, sed etiam vt impedimentum inductum ab Ecclesia ob decentiam ordinis, vt qui in excommunicatione accepit ordines non possit illum exercere, nisi petat dispensationem neque in eo ministrare valeat. Et hæc sufficiant ad hanc dubitationem.

Sed posset quis quærere, An eadem sit ratio de vi & metu cadente in constantem virum, Idest an sicut non euitat suspensionem si excommunicatus, aut alia censura innodatus suscipiat ordines, ita quoque eandem suspensionem incurrat si huiusmodi vi, aut metu cogatur recipere ordines.

Pro solutione difficultatis illud in primis annotandum est, Vim, & coactionem duobus modis considerari posse. Primò vt sit absoluta, & præcisa coactio. Secundò vt sit coactio conditionalis, quæ potius vocari potest metus, Vis, & coactio primi generis facit actum inuoluntarium, & ideo qui hoc modo coactus legem violat, non peccat, quia nõ dicitur agere, sed pati violenter ab alio; Vnde nec potest puniri ex delicto quod per hanc coactionem, & vim cogitur committere: Vt si quis cogatur sacrificare Idolis capit. Presbyteros Dist. 5. Si verò agitur de metu, seu de vi conditionata, qui hoc modo compellitur aliquid agere non dicitur omninò inuoluntariè operari, quia voluntas coacta voluntas est l. Metum ff. Quod me cau. Tex. in cap. Meritò 15. q. 1. Quare qui huius metus causa ductus ad euitãdam mortem, vel aliud graue periculum etiamsi sit metus cadens in virum constantem violat legem agendo aliquid quod ex suo genere malum sit, non excusatur à peccato, & consequenter neque à pœna, quia talis metus conditionalis non tollit voluntarium, Idcirco voluntariè transgreditur legem qui ad euitandum hunc metum in legem committit, & propterea dignus est pœna, potius enim tenebatur mortem subire, quàm malum operari.

Hoc posito primum dico si quis coactus per vim absolutam cum esset excommunicationis vinculo obstrictus, puta si violenter retineatur dum ab Episcopo ei confertur ordo reluctante omninò voluntate tunc neque executionem recipit, neque characterem, sed nulla est, & inualida talis ordinatio; Ratio est, quoniam necessaria est intentio in suscipiente Sacramentum sicut in conferente, vt de Baptismo tradit S. Tho. in 3. par. quæst. 68. artic. 7. text. in capit. Maiores De Baptism.

In secundo casu coactionis conditionatæ, seu grauis metus, cadentis in constantem virum, An qui excommunicatione, seu alia censura innodatus tali metu ductus recipit ordines peccet, & incurrat suspensionem ipso iure, duas reperio opiniones: Prima negat peccatum committi, aut suspensionem incurri; Probari potest hæc sententia: Quoniam vt dixi in materia de excommunicatione propter mortem vitandam, aut infamiam, aut graue periculum potest quis censura alligatus immiscere se diuinis absq; peccato secluso scandalo, aut contemptu Religionis, Ergo poterit etiam ordinem recipere, nam est eadem ratio, sine delicto. Secundò quoniam huiusmodi metus excusat à culpa, ergo & à Suspensione; Syluc. Verb. Irregularitas §. 9. quæst. 7. qui tenet ordinatos per metum cadentem in constantẽ virum, non indigere dispensatione, quod ipse videtur magis probare; Vel, inquit, si requiritur dispensatio, hæc concedi potest ab Episcopo. Secunda opinio affirmat quod si quis tali metu ductus in excommunicatione recipit ordinem incurrit suspensionem à qua dispensare potest Episcopus, ita tenet Tabien. Verb. Irregularitas 4. conclus. 15. ex sent. Goffre. & Hostien. Idem inquit Maiol. lib. 4. cap. 16. num. 4. de Irregularitate, & loquuntur isti Doctores quando quis per metum cadentem in constantem virum permittit se ordinari ab Episcopo excommunicato suspenso, vel Interdicto, sed eadem ratio militat quando Recipiens ordines est censura innodatus, & per huiusmodi metum compellitur ad ordinem recipiendum. Probatur hoc dictum à simili argum. cap. Inquisitioni. de sent. excommunicat. vbi summus Pontifex declarat quod Coniux, qui certò scit aliquod impedimentum matrimonij potius debet pati excommunicationem, quàm reddere debitum alteri Coniugi. Ita etiam dicit Syluest. Verb. Ordo 3. §. 11. Si quis cogatur ab Episcopo, quem scit hæreticum, vel schismaticum esse ordines recipere tenetur & excommunicationem, & alia quæcumq; mala sustinere magis quàm ordinari.

Sententia hæc posteriorum mihi videtur probabilior, vt coherenter sentiam ad ea, quæ hactenus dixi; Si enim incurrit suspensionem excommunicatus, seu alia censura obstrictus, suscipiens ignoranter ordines, vt conclusum est, multo magis suspensus erit si talis excommunicatus scienter per metum promoueatur arg. l. Qui potest. ff. De Reg. Iur. & est sententia B. Tho. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 2. arg. vbi tenet quod non debet quis etiam propter præceptum sub poena excommunicationis recipere ordines ab Episcopo, quem scit simoniacè promotum, & si ordinetur non recipit ordinis executionem, sed indiget dispensatione etiamsi ignoraret eum esse simoniacum. Ergo B. Thom. tenet expresse quòd nec ignorantia, nec metus possint excusare à suspensione quãdo recipitur ordo ab excommunicato Episcopo, & eadem ratio est si ille, qui ordinatur sit excommunicatus.

Secundò dubitari potest, an hanc suspensionem, quam diximus incurri per eum, qui aliqua censura obstrictus præsumit ordines assumere, locum habeat in Deposito, aut Degradato.

Respondeo eandem esse rationem de Deposito, & Degradato, quæ est de eo, qui censura aliqua irretitus fuit; Nam si Depositus aut Degradatus à suis ordinibus eosdem denuo recipiat Irregularis fit ob iterationem sacramenti, si verò assumat eos, quos non habebat incurrit ipso iure suspensionem: Immo sicut Depositus caret omni facultate administrandi, ita non potest Ecclesiasticis ordinibus decorari. Et cum eis ferè nunquam Papa dispensare solet ex Concilio Anthiocheno cap. 4. refertur in cap Si quis Episcopus damnatus. 11. q. 3. Hæc satis sint ad præsens caput, transeamus ad aliud.

CAPVT VII.

De Suspensione, quam incurrunt ipso iure, qui post Matrimonium contractum ad ordines sacros promouentur.

Matrimonium ratum non consumatum omninò dirimitur, etiam quoad vinculum solemni Religionis professione alterius sponsi, & Coniux manẽs

in

in seculo est à vinculo solutus, potestq; liberè ad alias nuptias transire, sicut definitum fuit ab Eusebio Papa, & habetur in cap. Despôsatam 27. q. 2. & à B. Gregorio cap. Decreta legalia ead. cau. & quęst. & à Ioãne 22. in extrauaganti Antiquæ De Voto, & ab Alexandro Tertio cap 2. & cap. ex publico De Conuers. Coniuga. & ab Innocentio Tertio cap. Ex parte tua eod. tit. Nouissime in Concil. Trident. Sess. 24. De Matrimon. can. 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consumatum per solemnem Religionis professionem alterius Coniugis non dirimi anathema sit.* Ex hoc principio aliqui inferebant eandem esse rationem de ordine sacro, vel Episcopatu, quia ordini sacro votum etiam continentiæ est annexum, sicut adiunctum est professioni Religionis, huic igitur Controuersiæ, quæ diù, B multumq; à Doctoribus agitata fuerat finem imponere statuit Ioannes Vigesimus secundus in dicta sua Extrauag. quæ incipit Antiquæ concertationi, & decreuit susceptionem Sacri Ordinis habere quidem vim ad impediendum matrimonium, sequens & ad dirimendum si postea contractum fuerit, non posse tamen dissoluere matrimonium præcedẽs susceptionem ipsius sacri Ordinis, quoniam nullo Iure nec diuino, nec Sacrorum Canonum id definitum fuit. Nam Sacri Canones prohibent solum ne Clericus in sacris constitutus vxorem habere possit, neque obligationem habeat reddendi debitum, & ob eandem rationem ne qui alligatus est vxori ordinem assumat: Quod si C quis contemnens Ecclesiæ prohibitionem post contractum matrimonium præsumat ordinem recipere simul manet ordinatus, & matrimonij vinculo alligatus. Ideo Ioannes Vigesimus secundus contra eos, qui hoc attentare præsumerent pœnam suspensionis imponit, vt nec soluto matrimonio in sic susceptis ordinibus ministrare, nec ad superiores ordines prouehi, nec ad aliquod beneficium, vel officium Ecclesiasticum promoueri valeant, neque super his valeant dispensari, nisi ingrediatur Religionem approbatam, quo casu Diœcesanus cum eo dispensare possit, nisi aliud canonicum impedimentum obsistat. Ex quibus colligimus hoc modo ordinatum non solum incurrere suspẽsionem ipso iure quia in susceptis ordinibus ministrare prohibetur, sed etiam effici irregularem quia non D potest ad superiores ordines ascendere.

Quoad suspensionem verò illa non extenditur ad ordines susceptos ante matrimonium, sed est tantum à susceptis ordinibus post matrimonium, & patet, quia in Tex. dicitur, *In sic suscepto ordine*, scilicet post matrimonium, & ratio est, quia si ordines minores suscepti essent ante matrimonium non repugnaret iuxta Ecclesiæ morem, vt habens huiusmodi ordines retineret vxorem, & nihilominus in dictis ordinibus aliquando ministraret, ideo ab illis non suspenditur quis propter receptionem ordinis sacri post matrimonium. Immò quamuis quis reciperet ordines minores E post matrimonium non propterea maneret ipso iure suspensus ab executione illorum, quia nullo iure id cauetur. Quod si ordo susceptus ante matrimonium sit sacer tunc matrimonium subsequens nullum erit, & inualidum, quia ordo sacer non solum est impediens matrimonium contrahendum, sed dirimit contractum.

Et animaduertendum est, quòd hæc suspensio lata à Ioanne XXII. in dicta Extrau. Antiquæ, quæ incurritur ab eo, qui post matrimonium ratum, etiam non consumatum suscipit ordinem sacrum non cessat per dissolutionem matrimonij, quoniam ita expressè statuitur in dicta Extrauag. *Quòd nec matrimonio soluto in sic suscepto ordine ministrare &c.* Quare etiam post solutionem matrimonii ita ordinatus carebit executione ordinis suscepti. Potest autem matrimonium tribus modis dissolui, & quocumque illorum modorum sequatur solutio non poterit ministrare in ordine suscepto absque dispensatione. Primus modus est sequuta morte naturali alterius coniugis; Per mortem enim dissoluitur tam matrimonium ratum, quàm consumatum, & tunc quamuis vir remaneat solutus à vinculo matrimonij, non potest tamen ministrare in ordine suscepto, nisi impetrata dispensatione a solo Romano Pontifice. Secundus modus solutionis matrimonij Rati est per dispensationem Summi Pontificis, & obtenta hac dispensatione ab eo, qui ordinem sacrum assumpsit post matrimonium adhuc manet suspensus, & caret executione ordinis, nisi specialiter idem Summus Pontifex dispenset etiam super suspensione. Tertius modus est cum ille, qui matrimonium contraxit, non tamen consumauit suscipit habitum alicuius Religionis approbatæ, & in ea emittit solemnem professionem, Quo casu non tollitur ipso facto dicta suspensio, sed conceditur in eadem Extrauag. facultas Diœcesano Episcopo illius Diœcesis in qua est Religionem professus, vt possit cum dicto suspenso dispensare etiam si tales essent exempti à Iurisdictione Ordinarij, vt inquit ibi Glo. Ver. Diœcesanus.

Secundò animaduertendum est Ioann. XXII. in dicta Extrauagante non simpliciter, & absolutè prohibere, ne quis audeat post contractum matrimonium, & eo durante ordinem aliquem ex sacris suscipere, sed cum quadam exceptione his verbis, *Nisi prout sacris Canonibus nouerit conuenire*, Vult autem significare Summus Pontifex, vt notat Gloss. Ver. Nouerit. Posse dari aliquos casus, in quibus licet alteri Coniugi etiam matrimonio constante sacris ordinibus absque vlla pœna initiari, & possunt esse duo casus iuxta dispositionem Sacrorum Canonum. Primus est si post consumatum matrimonium de consensu vtriusque Coniugis Vxor ingreditur Religionem tunc Vir potest assumere ordinem Sacrum cap. Episcopus benedictionem. Dist. 27. ibi, *Sanè si coniugati iuuenes consenserint ordinari etiam Vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo religione promissa postquam pariter conuersi fuerint ordinentur.* Secundus casus est vbi Vxor non intendit ingredi Religionem, sed vult à Marito separari, & votum castitatis emittit consentiente viro, cui concedit facultatem suscipiendi ordines, tunc enim Maritus initiari potest sacris, & permittitur vxori, vt in seculo remaneat si verisimiliter absque periculo incontinentiæ castè fore victuram superior iudicauerit cap. Seriatim dist. 32. cap. Coniugatis de Conuer. Coniug. *Nullus Coniugatorum est ad sacros ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam profitente fuerit absolutus*, quod intelligendum est si ambo processerũt in dies suos, itaque ad senectutem peruenerunt, vt sine omni suspicione possint separatim manere, nam si essent iuuenes, nisi ambo ad Religionem transirent, vt notat Glo. cap. Coniugatus. Ver. Ab vxore de Conuers. Coniugat. & cap. Sanè Ver. Castitatem de Cleri. Coniug. id non permitteretur. Et eadem ratio est de Episcopatu sicut de ordine sacro, vt constat ex Ecclesiæ vsu, & fatentur omnes, quod desumitur ex cap. Sanè de Conuer. Coniug. ibi, *Fraternitati vestræ auctoritate Apostolica prohibemus, ne vxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi Uxor prius professa continentiam sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat.*

affirmat. Quærit ibi Glo. Ver. Sacrum velamen, Vtrum si esset vxor vetula, sufficeret vt continentiam profiteretur, vt Vir Episcopus creari posset, & respondet, Nõ sufficere votum continentiæ, sed opus esse vt conuertatur, quod inquit speciale esse in vxore Episcopi, nam ad recipiendum ordinem sactum satis est si vxor emittat votum continentiæ. cap. Coniugatus eod. titu. sed additio ad Glo. notat, quòd licet hæc opinio fuerit aliquorum, tamen censet oppositum esse probabilios, nempe sufficere, vt Vxor voueat continentiam si ætate sit prouecta, vt Vir possit eligi Episcopus; Nam Iura, quæ loquuntur de ingressu Religionis, intelligenda sunt si fuerit vxor iuuenis.

Exceptis his casibus non potest quis post matrimonium contractum, viuente vxore ad ordinem sacrum, B etiam ante consumationem, neque ad Episcopatum promoueri, quod solum per solemnem professionem dissolui potest. Et ratio formalis qoare neq; per ordinem sacrum, neque per Episcopatum, sed dumtaxat per professionem Religionis possit dissolui, illa assignari potest: Quoniam votum ordini sacro annexum est per accidens, & status Episcopalis licet sit perfectior cum non sit tamen mors spiritualis nõ repugnat ex natura rei coniugio, sed ex solo Ecclesiæ statuto, sed votum Religionis, & solemnis professio vitæ regularis ex natura rei aduersatur matrimonio, ideo diuersa est ratio.

Sed dubitari potest, An vxoratus excludatur tantum à sacris ordinibus, vel etiam à Minoribus. C

Glos. in cap. Coniugatus Ver. Ad sacros De Coniug. Coniug. explicans verba Tex. Vbi Alexander III. inquit, *Nullus Coniugatorum est ad sacros ordines promouendus*, notat, ex eo quod prohibet Summus Pontifex quod coniugatus non est ad sacros ordines promouendus, videtur significare quod possit recipere minores, nam quod de vno negatur de alio videtur affirmari cap. Qualis distin. 25. sed concludit hoc non esse verum, quia Coniugati promoueri non debent cap. Diuersis fallacijs De Cleri. Coniug. Immò si Clerici sint constituti in minoribus ordinibus beneficijs debent priuari cap. 1. eod. tit. & clarius Bonifacius Octauus in cap. Nullus De tempo. ordin. lib. 6. prohibet, vt Episcopus neque primam Tonsuram conferat Coniugato, nisi Religionem intret; Sed si antea promotus ad D minores ordines vxorem ducat, & habita tonsura vtatur, inter Clericos, reputatur Ecclesiastica persona, & gaudet quoque priuilegio fori, vt idem Bonifacius Octauus constituit in cap. 1. de Cleri. Coniug. lib. 6. quod hodie intelligendum est si certæ Ecclesiæ adscriptus deseruiat iuxta decretum Concilij Trid. sess. 23. c. 3. & c. 17. Maiol. lib. 1. cap. 34. de irregulari.

Immò non solum ordinibus, & beneficijs vxorati carere debent, verum etiam spiritualibus, & Ecclesiasticis officijs, idcirco prohibetur ne sit Vicarius Episcopi in spiritualibus, vt tradunt Doctores in cap. 1. de Cleri. Coniug. lib. 6. & in cap. In noua 16. q. 7. arg. E Glo. in cap. Decernimus, & ibi Dec. quæst. 3 De Iudi. Syluest. Verb. Laicus quæst. 11. Vnde quando contingit, vt Vxoratus vocetur ab Episcopo ad officium Vicariatus, id intelligi oportet, vt vel sit Vicarius in Tẽporalibus tantum, vel vt non propriè sit Vicarius, sed tanquam Assessor, Verbum enim Vicarius est nomen generale. Felin. in dicto c. Decernimus. de Iudi.

Hoc etiam in loco occurrit illa difficultas, de qua pertractaui superiori capite, Vtrum hæc suspensio incurratur sine culpa, puta propter ignorantiam probabilem, Vt si quis bona fide credens vxorem esse defun- A ctam, vel solemne votum Religionis per legitimam professionem emisisse ordioem sacrum susciperet, & difficultas oritur, quia hæc suspensio imponitur propter culpam, sed qui post matrimonium hoc modo inculpabiliter ordinatur caret culpa, igitur excusatur à pœna.

Respondeo, Quamnis bona fide quis post matrimonium viuente vxore suscipiat ordinem sacrum, vt in casu proposito, & propter ignorantiam excusetur à culpa incurrit suspensionem, Qood multò magis videtur indubitatum quam de excommunicato, vel alia censura obstricto si ad ordinem promoueatur de quo tamen idem affirmaoi in cap. præcedenti. Primò quia hæc suspensio nõ est tantum propter culpam, sed propter indecentiam, nam videtur indecorum, & ordinis sacri dignitati minimè cohærens, vt qui tali ordine insignitus est rei vxoriæ operam naoet, ita autem contingere posset aliquando si postea constaret vxorem esse viuam, quam putabat mortuam, tunc enim illi reddere teneretor ius suum; est antem contra Ecclesiæ morem, & vsum, vt qui vxori vacat in aliqoo ordine sacro ministret: Quod aotem teneretur talis in ordine sacro constitutus ius suum vxori reddere in illo casu, videtur inferri ex dicta Extrauag. Antiquæ in fin. De Voto. Secundò idem probatur ex verbis, quæ in dicta Extrauag. habentur, quibus prohibetur, ne quis post matrimonium præsumat suscipere sacrum ordinem, *Nisi prout sacris Canonibus nouerit conuenire*, Sed si quis ita recipiat sacrum ordinem re vera non ordinatur iuxta modum Sacrorum Canonum quamois credat sic ordinari; ergo remanet suspensus. Tertiò coofirmant hanc responsionem plura, quæ superiori capite proposui ad idem probandum de eo, qui censura alligatus ignorans probabiliter promouetur. Itaq; ignorantia inuincibilis non excusat à suspensione, quæ incurritur vbi ordo sacer assumitur durante matrimonio, & hanc ob causam Coniogatus recipiens ordinem debet à ministerio sacro abstinere superstite vxore, nisi illa voluerit iuri suo cedere, & castitatis votum emittere, vt dictum est superius.

Quæret quis, An matrimonio dissoloto ex quacũq; causa sit necessaria dispensatio in prædicto casu, vt in ordine susceptо ministrare valeat, vel potius ipso facto tollatur impedimentum: Respondeo probabilius esse, & tutius, postulandam esse dispensationem etiam sublato impedimento, nam est suspensio simpliciter lata, quæ non tollitur absque dispensatione, quæ necessaria est etiamsi interueniat ignorantia, vt dicitur de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui in cap. 1. in fin. eod. tit. Quod si Summus Pontifex in dicta Extraua. Antiquæ, de Voto vtatur verbo *Præsumat, & si secus à quoquam attentatum fuerit*, quæ videntur indicare scientiam, & dolum. Ergo vbi quis ignoranter ordinatur non indiget dispensatione, Dicendum est Summum Pontificem ita loqui, quia regulariter, & vt plurimum ita contingit, non tamen requirere ad incurrendam hanc suspensionem tanqoam causam necessariam, scientiam, & dolum, sed velle semper incurri etiam sine culpa propter honestatem ordinis sacri, vt dictum est, & consequenter censeo si hoc modo suspensus ministraret in ordine absq. dispensatione effici irregularem.

Postremò meritò quærere quis posset, An hæc quæ hactenus dicta sunt, sint intelligenda generaliter de omnibus vxoratis, sine vlla distinctione, siue Græci sint, siue Latini.

Respondet Maiol. lib. 1. cap. 34. nu. 9. de irregular.

In

In Ecclesia Latina vetitum esse ex dispositione Sacrorum Canonum, Ne Vxorati ad ordines Ecclesiasticos transire valeant: Nam quoad Græcos diuersa est Iuris constitutio; Illud est certum quod Græcus vxoratus ad Ecclesiam Latinam non admitteretur, si vxore vti vellet, vt inquit Abb. in cap. Com olim num. 2. De Cleri. Coniug. ne varijs ritibus coinquinaretur Ecclesia, vt dicitur in cap. Cum secundum. de temp. ordin. Quamuis Hostien. teneat posse Græcum admitti ad Latinum beneficium cum vxore retinẽdom, si nullum inde oriretur scandalum, quod verum est ex dispensa- A tione Papæ; Nam cum Græci continentiam non voueant cap. Nicæna. dist. 31. & ob id tollerantur ab Ecclesia vt vxore vtantur cap. Vt Clericorum. De Vi. & Honest. Cleric. sequitur, vt re benè cognita dispensatio concedi possit, vt affirmat Abb. in cap. Cum secundum, num. 2. de temp. ordin. Quare si Græcus Sacerdos cum vxore sua ad breue tempus inter Latinos commoretur permitti potest, vt vxore vtatur, vt ibi tradit Abb. Si verò diù permanere vellet non esset tollerandum propter scandalum, nisi voueret continentiam.

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE SVSPENSIONIBVS, QVAE ORIVNTVR OB PECCATA, QVÆ COMMITTVNTVR Propter executionem ordinem contra dispositionem Sacrorum Canonum.



QVEMADMODVM Clerici vt personę Ecclesiasticę possunt multis modis delinquere in ipsa ordinatione, non solum ex parte ordinantis, sed ipsius etiam ordinari, vt diximus, sic quoque possunt post ordinationem violare sacras constitutiones ex prauo ministerio ordinum; Et in quibus casibus ob huiusmodi peccata, & transgressiones lata sit poena suspensionis in Iure in hac disputatione discutietur. Et primo hoc loco tractabimus de prauo vsu ordinum, deinde de peccatis contra decentiam status Clericalis.

Caput Primum, De Suspensione, quam Clericus incurrit ipso Iure, si solemniter in casibus ab eodem Iure non permissis vtatur ordine suo, in loco Interdicto.

Caput Secundum, Vtrum lata sit Suspensio in Iure contra Clericum recipientem oblationes à manifesto vsurario, vel eius corpus tradentem Ecclesiastica sepultura.

Caput Tertium, De aliis Suspensionibus Iuris ob prauum vsum ordinis Sacerdotalis in Missa.

Caput Quartum, An Clericus benedicens secundas nuptias ipso iure sit suspensus, & quam suspensionem incurrat.

Caput Quintum, De Suspensione quæ incurritur à Sacerdote Seculari, vel Regulari si non prohibeat matrimonia clandestina, vel eis intereße præsumat.

CAPVT I.

De Suspensione, quam Clericus incurrit ipso Iure, si solemniter in casibus ab eodem Iure non permissis vtatur ordine suo, in loco Interdicto.

EX prauo vsu, & ministerio ordinum possunt & Clerici Inferiores, & ipsi Episcopi delinquere, si violent sacrorum Canonum dispositionem; Sed in hoc capite tractandum de suspensione, quam incurrunt B Clerici inferiores ob huiusmodi peccata: Inferius suo loco pertractabimus de Episcopis.

Primus casus in quo propter prauam administrationem ordinis, & muneris sui, Clericus, & persona Ecclesiastica incurrit suspensionem ipso Iure, est si solemniter, & præter modum Iure permissum vtatur ordine suo in loco interdicto, & hæc suspensio ex sententia aliquorum est ab officio, & beneficio, & ex sententia aliorum, suspensio ab ingressu Ecclesiæ; Nonnulli putant contrahi irregularitatem.

Hæc suspensio desumitur ab aliquibus ex cap. Episcoporum. de Priuileg. lib. 6. Vbi interdicitur ingressus C Ecclesiæ Regularibus, vel Secularibus quamuis exemptis, qui scienter celebrant, vel celebrari faciunt diuina in locis interdictis, nisi iuxta moderationem. cap. Alma. de sentent. excommunicationis lib 6. donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius cuius sententiam contempserunt satisfecerint competenter. Ab alijs ad idem probandum solet citari cap. Tanta. De Excess. Prælat. in quo Summus Pontifex primo loco declarat contra quendam Episcopum, qui Interdictum violauerat omnes beneficiorum collationes, & Censurarum prolationes, & similes actiones per dictum Episcopum factas post violationẽ Interdicti irritas, & inanes. D Vbi supponendum videtur illum fuisse suspensum à Iurisdictione ob dictã violationẽ Interdicti, Secundo loco præcipit Summus Pontifex, vt alij Clerici, qui violauerant Interdictum suspendantur ab officio, & beneficio. Verba Tex. sunt, *Omnes alios, qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt suspendat auctoritate Apostolica ab officio, & beneficio.* Ex quibus verbis non potest colligi suspensio ipso iure lata, sed ferenda. Item alij ad hoc probandum afferunt cap. Is qui. De sent. excommunicationis lib. 6. Vbi Irregularitatis pœna imponitur aduersus scienter celebrantem in loco Interdicto in casibus non permissis, & ineligibilis est, neq; cum alijs ad eligendum admitti debet,

quæ

quæ verba videntur continere suspensionem à potestate eligendi, nam quod ipse sit inelegibilis in ipsa Irregularitate includitur, sed quod sit priuatus facultate eligendi, id non oritur ex Irregularitate, quia irregularitas non priuat iurisdictione, vel quasi iurisdictione, & sic in eo Tex. videtur imposita quadam suspensio à potestate eligendi. Similiter citatur ad hoc probandum cap. Is cui. de sentent. excommunic. lib. 6. Vbi suspensus ab ingressu Ecclesiæ celebrans in ea, efficitur irregularis: Verùm ex hoc textu nihil probari potest, quoniam hæc irregularitas incurritur nō ob celebrationem in loco Interdicto, sed quia suspensus celebrat. Quare nullum apparet ius, ex quo inferiori possit incurri suspensionem ipso facto per eum, qui in loco interdicto celebrauerit, vt suspensio est censura distincta ab Irregularitate, sed solum vt in illa includitur. Vnde Doctores appellare solent communiter hanc pœnam, Irregularitatem, Syluest. Verb. Interdictum 6. §. secundo. Vers. Secundum Clericus, Angel. interdictum 7. numero septimo, Armilla eodem Ver. numero 58. & citat Hostien. Innocent. Abb. & Palud.

Hic casus extenditur ad eum qui celebrat coram Interdicto, vel Excommunicato, vel illum admittit ad diuina, vel ad Sepulturam Ecclesiasticam, vt Doctores citati, & omnes affirmant, & desumitur ex iuribus citatis.

CAPVT II.

Vtrum lata sit Suspensio in Iure contra Clericum recipientem oblationes à manifesto vsurario, vel eius corpus tradentem Ecclesiasticæ sepulturæ.

SEcunda Suspensio ob prauum vsum ordinis proponitur in Clericum recipientem oblationes à manifesto Vsurario, vel tradentem eius corpus Ecclesiasticæ sepulturæ, hi enim actus videntur ad ordinem pertinere, & hæc Suspensio habetur in cap. Quia in omnibus, de Vsur. & sub nomine suspensionis imponitur his verbis, *Ideoq; constituimus vt Vsurarij manifesti nec ad communionem admittantur Altaris, nec Christianam si in hoc peccato decesserint accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quisquam accipiat: Qui autem acceperit, vel Christianæ tradiderit sepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat ab officij sui maneat executione suspensus.* Quare in hoc textu tria prohibentur, sed censura suspensionis feriuntur tantum, qui in duobus casibus deliquerint; Interdicitur primò, ne oblationes à publico Vsurario recipiantur. Secundò, ne eius corpus sepulturæ tradatur. Tertiò, ne Sacerdotes admittant hos Vsurarios ad communionem Altaris: In primis duobus casibus fertur Suspensio ab officio, & quoad oblationes receptas obligatio ad illas restituendas, si ad hoc compellatur, antea enim ex vi illius Tex. non tenebitur restituere; Sed fortasse poterit obstringi, etiam antequam compellatur ad restitutionem, si Vsurarius non haberet alia bona, ex quibus posset restituere; tunc enim cum Vsurarij bona censeantur iniustè accepta, ideò restitutioni sunt obnoxia, quare ex hoc capite possent res quoque oblatæ restitutioni subijci. Hæc autem restitutio facienda est arbitrio Iudicis, vel illis à quibus iniustè extorsit ipse Vsurarius si careat alijs bonis ad plenam restitutionem faciendam, vel pauperibus, quia iam Vsurarius abdicauit à se dominium illarum

A oblationum. In tertio autem casu, si Sacerdos admiserit publicum Vsurarium ad communionem Altaris, non imponitur suspensio, neque alia pœna, sed Superior poterit in illum animaduertere pro ratione criminis.

Ad incurrendam verò hanc suspensionem satis est si Clericus alterum ex duobus quæ prohibentur effecerit, scilicet vel receperit oblationem à publico Vsurario, vel eius corpus post obitum sepulturæ demandauerit, vt patet manifestè ex particula disiunctiua, quæ habetur in Tex. *Qui acceperit, vel tradiderit*, Quare qui violat hunc Canonem vtrumque committendo duas suspensiones incurrit, ideò indiget duplici absolutione, vel saltem vna, quæ vtramque causam B complectatur.

Eadem pœna suspensionis, vel potius irregularitatis infertur in illos, qui susceperint eleemosynas, vel alias oblationes à raptoribus Ecclesiarum, vel publicis violatoribus, vt habetur in capit. 2. De Raptor. Vbi Clerici interessentes sepulturæ horum criminosorum, vel eorum eleemosinas accipientes, ab officio, & beneficio suspenduntur sine spe restitutionis, id enim significare videntur verba, quæ habentur in calce illius Textus, *Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Ecclesiastico beneficio careant.* Quod hoc tempore post Concilium Tridentinum multo magis affirmandum est, in quo contra huiusmodi raptores bonorum Ecclesiasticorum, vltra C Suspensionem adduntur aliæ pœnæ, Sess. enim 22. cap. 11. De Reformat. tales Raptores anathemate feriuntur à solo Papa absoluendi: *Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat, nec non quibuscumque beneficijs priuatus sit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui Ordinarij arbitrio suspendatur.*

Multo magis vetitum est Sacerdoti, ne recipiat oblationes ab Excommunicatis, Hæreticis, Iudæis, & Paganis, & recipiendo incurrit suspensionem, quoniam sunt extra Ecclesiam, & Fidelium communio D ne priuati. Turre Crem. in dicto capit. Oblationes, Distinc. 90.

Oblatio propriè vocatur quicquid Deo directè offertur, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. tertio, ad tertium; & fusius explicat in quæst. 86. Potest autem tribus modis fieri oblatio. Primò in Missa ad Offertorium sicut hodie etiam est in vsu, & huius generis oblationes maximè prohibentur recipi ab Vsurarijs manifestis, & Raptoribus, nam magis propriè possunt appellari oblationes, & ideo cum maiori scandalo reciperentur, vt enim non licet Sacerdoti pro dictis personis orare, ita nec debet oblata munera recipere, vt hac ratione à Fidelium consortio reiecti confundantur, & resipiscant. Secundò offeruntur mu- E nera extra Missam pro celebratione Sacrificij, vel officij diuini, aut orationis, vel pro alia actione sacra, & pia, tanquam eleemosina ipsius Sacerdotis, & ministri Ecclesiastici, sicut in capit. Sacris. De sentent. excommun. interdictum est Sacerdoti, ne recipiat oblationes pro excommunicato defuncto, antequam fuerit absolutus; De hoc genere oblationis dubitari potest, an si recipiatur à publico Vsurario, vel Raptore incurratur suspensio, & idem de alijs pœnis. Respondeo primò, Si loquamur de Vsurario, qui per sententiam sit declaratus

talis, vel sit notorius, vt nulla tergiuersatione celari possit, ab eo nnn potest Sacerdos tanquam minister Ecclesiæ recipere oblationes huius secundi generis, & si recipiat incurrit suspentionem, quoniam in dicto c. Quia in omnibus De Vsur. Summus Pontifex prohibet generaliter oblationes, sine vlla distinctione, & generaliter intelligendum est de omnibus oblationibus voluntarijs, non de debitis quales sunt Decimæ, & Primitiæ, vt notat Glo. in cap. Oblationes, distinc. 90. Vnde in eodem cap. Oblationes vocantur alio nomine, *Dona*; Quare multo magis id est affirmandum de oblationibus Raptorum, qui excommunicatione sunt innodati, vt in dicto cap. 2. De Raptoribus habetur, & ideo damnata est eorum communio, vt notat Nauar. de Orat. cap. 19. num. 67. Tertium genus oblationum, est, quæ erogantur à Fidelibus, Ministris Ecclesiæ, liberaliter ad eorum substentationem, sine vlla iniunctione ad opus aliquod pium, & spirituale exhibendam pro illis Deo, sed mere gratis in Eleemosinam, & hæc munera si dentur ministris Ecclesiæ, vt tales sunt, verè numerari possunt inter oblationes, vt tradit B. Thom. in dicta q. 86. Vnde sub eisdem pœnis recipi nequeunt ab Vsurarijs, Raptoribus, & Violatoribus Ecclesiarum. Fallit tamen hoc primò, si erogarentur Sacerdoti, non vt Minister, sed vt priuatus homo pauperie oppressus, vel alia ex causa in necessitate constitutus, quia tunc non est propriè oblatio, quia non offertur Deo. Fallit secundò, si huiusmodi oblationes sint alias debitæ ex consuetudine, vel ex alio titulo, sicut diximus de Decimis, vt inquit Syluest. Verb. Decima §. 4. & titulos varios recenset ibi Syluest. & S. Thom. 2. 2. q. 86. artic. 5. Et ratio est, quia vbi titulus existit, qui dat, non voluntariè dat; & ideo non vocatur oblatio: Vnde sequitur recipi posse à Sacerdote Ministro Ecclesiæ hæc quæ ex titulo dantur; Aliàs propter crimen liberarentur ab obligatione, & efficerentur melioris conditionis quàm alij, quod est absurdum; Nam vt inquit Ricear. in 4. sentent. distinc. 18. q. 6. art. 4. Sicut ab Vsurario licet percipere alia debita, ita & debitas oblationes, & potest compelli ad soluendum dummodo Vsurarius habeat bona, ex quibus tales oblationes soluat, præter ea, quæ tenetur exponere pro solutione vsurarum.

Quare tres conditiones requiruntur, vt aliquod donum, vel datum dicatur oblatio, vt notat Syluest. Ver. Decima. §. 2. & citat Abb. in cap. fin. De verbor. significat. Prima, vt offerens sit Christianus, quia ab infidelibus Ecclesia non recipit oblationes, sed æstimationem oblationis pro interesse cap. Quanto De Vsurarijs. Secunda, vt offeratur Deo, idest Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ. Tertia vt res, quæ traditur licitè sit acquisita, cap. Quia in omnibus. De Vsu. cap. Ex transmissa. De Decim. Glo. in Summa 14. q. 5. Duobus autem modis dicitur aliquid illicitè acquisitum, vel quia contra iustitiam, vt in furto, vel cum peccato, vt in lucro meritricio, & ex hoc duplici capite vetitum est in Iure, ne oblationes recipiantur à certis quibusdam personis, quas enumerat Glo. in c. Oblationes Ver. Dona. Dist. 90. Syluest. Ver. Decima. §. 8. Maiol. lib. 5. cap. 25. num. 7. & seq. De Irregular. licet non in omnibus casibus sit imposita pœna suspensionis, sed tantummodo in enumeratis, in alijs si Clerici contra Sacrorum Canonum dispositionem recipiant oblationes possunt à Superiore puniri. Primò respuenda est oblatio fratrum inuicem dissidentium dicto c. Oblationes dist. 90. Secundò Rebaptizatorum durante pœnitentia cap. Eos, de Consecr. dist. 4. & hæc pro-

A hibitio extendenda est ad ipsos rebaptizantes scienter, & ad eos, qui rebaptizationi ministrant, vt Compatres, vt inquit Maiol. vbi supra. Tertio Meretricum oblatio repudianda est Glo. in princip. 14. q. 5. & in c. Oblationes. Verb. Dona, dist. 90. & Glo. 1. in cap. Ex transmissa de Decimis. & ibi Abb. ne quasi merces postibuli accipi videatur, vt inquit Glo. 1. in dicto capit. Ex transmissa, de Decim. S. Thom. 2. 2. quæst. 86. artic. tertio, assignat aliam rationem, nempe, ne Ecclesia videatur approbare peccatum, vt inde lucrum capiat, quod est intelligendum, vt inquit S. Thom. 2. 2. quæstio. 87. articulo secundo, ad secundum, quandiu sunt in peccato, nam postquam pœnitentiam egerint licitè recipiuntur. Et eadem ratio est de oblatione B opprimentis pauperem, & sacrilegi, & extrahentis vi seruum ad Ecclesiam confugientem, vt inquit Glo. in dicto capit. Oblationes. Verb. Dona, Distinct. 90.

Animaduertit Maiol. in cap. 25. num. 11. lib. 3. De Irregular. cum dicimus oblationes ab huiusmodi peccatoribus, & criminosis hominibus non esse recipiendas, hoc precipuè intelligendum esse de oblationibus, quæ publicè in Ecclesia fiunt ad Altare maximè diebus solemnibus, non de priuatis eleemosinis, quæ fieri possunt, & prosunt, vt inquit S. Tho. 2. 2. q. 32. art. 7. & S. August. Epistol. 54. habetur cap. Non sanè 14. quæst. 5. Siluest. Verb. Eleemosina §. 5. Vers. Quarto quæritur; Quare tales sunt respuendi præsertim ab obla- C tione quæ fit à Fidelibus ad Altare, quod videtur etiã à Concil. Trid. Si non expresse saltem implicitè prohibitum sess. 22. cap. 1. De obseruan. & euitan. in Missa, vbi interdicit locorum Ordinarius inter alia, nè publicos, & notorios peccatores Missæ interesse permittant; Verba Concilij sunt: *Neminem præterea qui publicè, & notoriè criminosus sit, aut sancto Altari ministrare, aut Sacris interesse permittant.* Ergo credendum est multo minus permittere voluisse, vt eorum oblationes reciperentur. Et hæc dicta sufficiant de suspensione ob receptionem oblationum ab Vsurarijs publicis, & Raptoribus. De altera causa eiusdem suspensionis, nempe si tradatur corpus Vsurarij, vel Raptoris Ecclesiasticæ sepulturæ, nihil D hoc loco annotandum restat, quæ enim dici possent ad eius declarationem explicaui copiosè in materia de Excommunicatione.

Superest vnum de quo dubitari potest, ad perficiendam disputationem de hac suspensione. Vtrum post extrauag. Ad euitanda, teneatur Sacerdos abstinere à communione Vsurarij, vel Raptoris in receptione oblationum, & in actione sepeliendi, antequam per sententiam sit condemnatus de crimine: Ratio dubitandi est, quia ex priuilegio illius extrauag. non tenentur fideles in sacris actionibus, vel alijs rebus quempiam euitare nisi sit nominatim denunciatus talis, vel publicus sit Clerici percussor, ergo publicus E Vsurarius, vel Raptor si non sit excommunicatus nominatim non erit vitandus.

Respondeo probabilius esse affirmare Sacerdotem hoc tempore recipientem oblationes ab Vsurario publico, vel Raptore, aut tradentem corpora illorum Ecclesiasticæ sepulturæ, incurrere suspensionem, quia ita definitum est à sacris Canonibus: Et Extrauagan. Ad euitanda concedit priuilegium Fidelibus, quoad eos, qui Censura aliqua innodati sunt, & temperauit hac in re ius commune: At Vsurarij, & Raptores non vitantur propter Censuram, sed in odium horum criminum, & ad scandalum

euitan-

euitandum, ideo Constitutio Extrauag. non extenditur ad Vsurarios, & Raptores, quare incurritur hæc Suspensio cum Vsurario, & Raptore in recipiendis oblationibus, & in sacra sepultura si sint manifesti, & notorij, licet per sententiam non fuerint condemnati, vel saltem de crimine declarati tales; Idque confirmari potest ex citato decreto Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. De obseruan. & euitan. in Missa, vbi simpliciter prohibetur, ne publicè, & notoriè criminosus admittatur ad Missam; Quare Concilium, etiam antequam quis per sententiam nominatim denuncietur criminosus, si peccatum sit notorium, præcipit ab alijs vitari, ad tollendum scandalum, & in odium criminis; & hoc tutius, & verius censeo.

CAPVT III.

De alijs Suspensionibus Iuris ob prauum vsum ordinis Sacerdotalis in Missa.

POtest etiam alijs modis Clericus suspensionem incurrere ob prauum vsum ordinis.

Tertia igitur Suspensio est, si Sacerdos sine graui, & necessaria causa omittit Missam inchoatam; Suspenditur enim à Corpore, & Sanguine Christi, cap. Nullus Episcopus De Consecr. Distinc. 1. ibi, *Cum verò ingressus fuerit Episcopus, aut Presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua interueuerit* C *nullo modo audeat data oratione recedere, vt ab alio Episcopo, vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur, sed qui initium ponit suppleat vsque in finem, quia scriptum est, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si quis verò præsumpserit præter quod possumus agere à sacro corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.*

Ab hac autem suspensione excusatur Sacerdos, si cogatur Missam inceptam dimittere ob superuenientem aliquam facti impotentiam qua impediatur Sacerdos, ne illam prosequi, & perficere valeat, siue proueniat ex morbo, & quacumque infirmitate, siue ex mentis alienatione, sed si posset sacrificium inchoatum per se ipsum complere, quantumuis passione aliqua corriperetur, non debet relinquere inchoatam D actionem, quando verò ratione grauis impedimenti non posset perficere, alius Sacerdos subrogari deberet, qui compleret sacrificium iuxta decretum Concilij Toletani Septimi c. 2. refertur c. Nihil, 7. quæst. 1. *Censuimus ergo conuenire, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore sancta Misteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet euentus quo cœptum nequeat consecrationis expleri Misterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi officij cœpti.* Idem confirmatum fuit in Concilio Toletano Vndecimo cap. 14. habetur in cap. Illud, ead. cau. & quæst. Quod tamen intelligendum est quando hic casus occurrit post consecrationem peractam, alioquin si an- E te consecrationem non est necessarium, vt alius prosequatur, vt docet S. Thom. 3. parte, quæst. 83. articulo tertio, ad primum. Syluest. Verb. Eucharistia 2. §. duodecimo.

Sed objiciet quis contra, nam pœna non perficientis Missam non interueniente causa vrgente prædicta, non videtur Suspensio, sed Excommunicatio, vt habetur in eodem cap. Nihil, 7. q. 1. Ex Concil. Toletano 7. cap. 2. *Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur in præsumptionis perniciem conuertatur*, & paulò post: *Nullus absque præuenta patentis molestia minister, vel* A *Sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere; Si quis hæc temerè præsumpserit Excommunicationis sententiam sustinebit.* Confirmatur, quia verba illa, quæ habentur in cap. Nullus Episcopus de Consecrat. distinc. 1. scilicet, *A sacro corpore, & sanguine Domini Nostri sit suspensus*, non significant veram Censuram Suspensionis, nam Suspensio impedit actiuam administrationem functionum Ecclesiasticarum, vt probaui in prima Disputatione, non tollit receptionem Sacramenti, quod propriè conuenit excommunicationi.

Archidiaconus in cap. Nullus, 7. quæst. prima, ductus eiusdem textus auctoritate tenet Sacerdotem hoc modo delinquentem, sententiam minoris Excom- B municationis incurrere, & pro Archidiacono potest assignari ratio, nam cum talis desertor, excommunicationis sententiæ subijciatur, vt dicitur in cap. Nihil, 7. q. prima, neque id intelligi possit de Excommunicatione maiori, quia remanet tantum suspensus à corpore, & sanguine Domini, quod efficit Excommunicatio minor, quæ priuat receptione Sacramentorum, sequitur talem pœnam interpretandam esse de Minori Excommunicatione. Accedit quòd Excommunicatio Minor incurritur pluribus modis, quos refert Innocent. in cap. 1. de sentent. excommunicationis, quorum vnus est, quando committitur peccatum mortale, cuius causa fidelis à sacra communione excluditur, iuxta cap Quid est. De Consecr. Dist. 2. At qui absque C iusta causa relinquit missam imperfectam videtur peccare mortaliter.

Nauar. in Miscellan. de Oratione, Miscell. 52. proponit hanc quæstionem, quam dicit fuisse disputatam in Sacro Rotæ Auditorio; An, qui cœpit dicere missam, & sine causa eam relinquit imperfectam, ipso iure sit excommunicatus; & primo loco recenset dictam opinionem Archidiaconi, deinde recedit ab ea, & putat probabilius esse affirmare Sacerdotem omittentem modo prædicto Missam non incurrere ipso iure excommunicationem Maiorem, neque Minorem. Primò quoniam nullus est auctor, qui hunc casum recenseat inter alios, in quibus excommunicatio ipso Iure; Et nulla pœna ipso Iure incurritur, nisi expri- D matur iuxta Glo. solemnem in cap. fin. Ver. Ex vi Iuris patronatus in fin. De Iure Patronat. & in corpore Iuris non reperitur Tex. qui hoc dicat, Secundò verba cap. Nullus Episcopus De Consecr. Distinc. prima. *A sacro Corpore, & Sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus*, non significant excommunicationem maiorem, neque minorem, suspensio enim Corporis, & Sanguinis Christi non est tota substantia excommunicationis minoris, quæ non tantum repellit à communione Sacramenti Eucharistiæ, sed etiam ab omni participatione passiua omnium Sacramentorum cap. Si celebrat de Cleri. Excom. mini.

Ad hanc dubitationem putarem respondendum fore hanc pœnam impositam aduersus Sacerdotem, qui E sine causa grauis infirmitatis, vel mentis alienationis post inceptam consecrationem dimittit sacrificium missæ, & non perficit illud vsque in finem, non esse suspensionem, & posse vocari excommunicationem, non quia habeat omnes effectus excommunicationis maioris, sed quia priuat communione Corporis, & sanguinis Domini quod sonat excommunicationem, vt inquit Maiol. lib. 3 cap. 16. in fin. Vers. ex his igitur de Irregular. licet vocetur suspensio etiam à Specul. quem citat ibi Maiol. Et licet hodie hæc excommunicatio, quę priuat tantummodo passiua participatione

A Sacramentorum vocetur Minor Excommunicatio, si comparetur ad aliam, quæ vocatur Maior, quia grauius lædit hominem, cum tollat etiam actiuam Sacramentorum administrationem, & suffragia communia Ecclesiæ, nec non Fidelium communionem, atque multa alia mala inferat, de quibus plenius disputatum est in Tractatu de Excommunicatione: tamen olim grauissima pęna reputabatur solum communione Eucharistiæ priuari. Vnde tunc Minor Excommunicatio vocabatur simpliciter Excommunicatio cap. Sacerdote de Consecr. Dist. 1. & clarius in cap. Engeltrudam 3. q. 4. Vbi talis effectus suspendendi à Corpore, & Sanguine Iesu Christi non solum excommunicatio, sed anathema appellatur; sic enim habetur, *Engeltrudam vxorem Bosonis noueris non solum excommunica-* B *tione, quæ à fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia recidit crebro percussam esse*, cap. Nemo per ignorantiam. De Consecr. dist. 1. vbi imponitur pœna in eos, qui mortuos vestimentis altaris inuoluunt hæc dicuntur, *Qui hæc fecerit &c. Diaconus triennio, sexq. mensibus à dominico et alienus altari graui percellitur anathemate, Quod si Clericum Presbyter non commonuerit decem annis sexq. mensibus excommunicatus sit*, Et Glo. ibi Ver. Anathemate inquit, *idest suspensione*, & Verb. Excommunicatus, *idest à communione remotus*. Non est igitur nouum quod priuatio communionis Eucharistiæ appelletur excommunicatio, licet autem ita vocetur, non est autem vera censura Excommunicationis tum quia im- C ponitur pro peccato præterito, & ad certum tempus, & vtrumque repugnat censuræ excommunicationis, vt aliàs probatum est. Vnde quantumuis qui deliquit resipiscat, & sit paratus obedire pœna non remittitur quamdiù durat tempus præfixum, nisi ex indulgentia Superioris obtineat dispensationem, quod est contra rationem excommunicationis, quæ est pœna medicinalis, & semper per absolutionem tolli debet recedente contumacia, sed dicitur hæc pœna excommunicatio, idest, vt inquit Glo. citata, A communione Corporis exclusio, seu suspensio; & ex his tolluntur, quæ à Nauarro sunt opposita; & hæc suspensio à Sacro Corpore, & Sanguine Domini Nostri Iesu D Christi, quam incurrit Sacerdos relinquendo Missam inchoatam non intelligitur de simplici receptione Eucharistiæ, quæ communis est etiam Laicis, hæc enim priuatio non esset suspensio, sed accipitur pro suspensione à sumptione Eucharistiæ, quæ fit à Sacerdote in celebratione Missæ, vt probabo in explicatione sequentis suspensionis. Itaque hæc pœna semper incurritur si post Consecrationem relinquitur Missa incompleta ex quacumque causa si potest Sacerdos illam perficere, & non prosequitur vsque ad finem etiamsi qualecumque impedimentum Iuris superueniat, vocat Nauar. in Comment. De Oratione cap. 16. num. 57. Iuris impotentiam si Sacerdos recordetur se E aliquid commedisse, vel bibisse, vel non esse confessum aliquod peccatum, vel esse excommunicatum, vt inquit S. Thom. tertia parte, quæst. 83. articulo sexto, ad secundum, Syluest. Verb. Eucharistia, 2. §. 12. quæst. octaua.

Quod si memoriæ occurreret aliquod ex numeratis impedimentis ante Consecrationem, si Missa omitti non potest citra scandalum, debet perfici, sed Sacerdos pœnitentiam, & contritionem peccati curet habere, vt sentit S. Thom. in illo artic. 6. ad secundum, & Nauar. in eod. cap. 16. nu. 58. contra Palud. si tamen dimittere illam posset sine scandalo, non deberet per- A ficere, præsertim in dubiis casibus ex sententia S. Tho. Commestionis scilicet, & Excommunicationis, licet in casu peccati liceret complere habita pœnitentia interiori, vt inquit Nauar. Neque periculum imminet incurrendi irregularitatem si in dictis casibus perficiatur Missa propter Excommunicationem, vel Suspensionem, qua innodatus esset Sacerdos, vt inquit Angel. in Verb. Eucharistia 2. num. 2. Et Syluest. eod. Verb. 2. §. 9. quæst. 7. quam opinionem, quia summa æquitate nititur dicit veram esse in Animæ iudicio, Bernat Diaz in pract. Canon. Crimin. cap. 41. Sed in foro exteriori hunc Sacerdotem à Iuris pontificii pœnis immunem non iudicat. Similiter si ingrediatur excommunicatus denunciatus Ecclesiam, & nolit exi- B re, ante inchoatum Canonem Sacerdos debet dimittere Missam, vt in Clement. Grauis iuncta Glo. De sententia excommunicationis; secus si Canon esset incœptus iuxta eandem Glo. quam Glo. intelligit Nauar. in dicto cap. 16. num. 60. cum Canon est inchoatus, & peruentum est vsque ad consecrationem, & ad confirmandam hanc interpretationem plures afferre Auctores, & ratio videtur hoc persuadere, nam ante verba Consecrationis non videtur maior ratio de Canone, quàm de alijs, quæ dicuntur ante Canonem. Eodem modo concludendum est quoque si superueniat post missam inchoatam speciale interdictum, vel cessatio à diuinis, tunc enim si non peruenerit ad canonem debet relinquere, secus si inchoauerit Cano- C nem, vt explicatum est.

Nonnunquam etiam Sacerdos propter alios casus posset spiritu, & charitate ductus missam inchoatam ante consecrationem dimittere vt refert Maiol. in d. cap. 16. nu. 7. de irregular. de Ioanne Patriarcha Alexandrino, qui cum populus è Templo dicto Euangelio egrederetur vt nugis, & spectaculis prophanis vacaret occurrit dimittens Missam, vt eos stultitiæ, & impietatis redargueret. Similiter Glo. in c. Nullus Verb. Recedere. de Consecrat. dist. 1. putat consulendum esse Sacerdoti ad altare celebranti, vt si videret puerum morientem recederet ab Altari interrupta Missa, vt illum baptizaret, & ob eandem rationem censet Nauar. in Comment. de Oratione cap. 16. num. 55. subsi- D stente iusta causa posse Sacerdotem missam inceptam iterato inchoare; Vnde refert semel ab ipso inceptam missam ab initio inchoasse ingrediente Ecclesiam viro magnæ auctoritatis, vt assisteret eius missæ in die Festo cum iam ad Epistolam peruenisset, & nullus alius adesset Sacerdos, qui missam celebrare posset.

Quarta Suspensio lata aduersus Sacerdotem celebrantem Missam si in ea non communicat, & suspenditur per annum à Communione ex Concil. Toletano 12. c. 5. & habetur in c. Relatum de Consecr. 2. Nam vt inquit Dionysius c. 3. Ecclesiast. Hierarch. ad fin. Sacerdos ante sumere debet quam populo dispẽset; Vn- E de & in dicto c. Relatum dicitur, *Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur*. Fit autem particeps vt notat S. Thom. 3. par. quæst. 82. ar. 4. quia de sacrificio sumit iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 10. *Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris*, ita dicunt Maiol. lib. 8. cap. 16. numero secundo, De irregular. Bernard. Diaz in Pract. Canon. Crimin. cap. 42.

Sacerdos igitur Sanctissimum Altaris sacrificium peragens, non sumens Eucharistiam punitur pœna suspensionis integro anno à corpore, & sanguine Iesu Christi, vt in eo in quo deliquit puniatur, Similis pęnitentia annalis suspensionis lata reperitur frequẽter, vt

in

in cap. Episcopus. Dist.74. *Episcopus qui inuitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare annuali pænitentiæ subditus missas facere non præsumat*: Eadem pœna statuta est in eum, qui præter Canonum formam aliquẽ ordinat in cap. Nullus pœnitentem dist. 55. ijsdem ferè verbis: *Ab ea die qua ei potuerit hoc approbari anno integro non præsumat* cap. Decenter. dist.89. ibi. *Et qui ordinauerit annua excommunicationi subiaceat*. Idest sit suspensus, vt patet ex his quæ paulo ante diai, & declarat ibi Turre Crem. Interim enim inquit Episcopus non cantabit Missam, nec huiusmodi officia pontificalia exercebit. In cap. Episcopus in Diœcesim. 7. q. 1. in fi. *Transgressor Canonum vno anno à Missarum celebratione cessabit*. in cap. Pessimam. 23.q.8. prope fin. *Si quis aptem Archiepiscopus, vel Episcopus hoc relaxauerit damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat*. Et in aliis etiam locis eadem pœna annualis suspensionis legitur.

Quæret quis An poena suspensionis lata in dicto c. Relatum De Consecrat. dist. 2. aduersus Sacerdotem celebrantem, qui non communicat sit intelligenda, vt denotet prohibitionem ne Sacerdos possit assumere Eucharistiam nullo modo per annum etiam tanquam Laicus, vel potius interdictum sit Sacerdoti ob tale crimen, ne per annum possit communicare tanquam Sacerdos per se ipsum celebrando missam.

Respondeo huiusmodi poenam intelligi debere de suspensione à celebratione, quare Sacerdos ità suspensus non prohibetur durante anno suspensionis, vt non possit recipere tanquam Laicus Eucharistiam. Probatur primo ex verbis dicti c. Relatum ibi: *Ab ipsa, qua se indecenter priuauit gratia communionis anno vno repulsũ se nouerit*. Itaquè punitur in eo, in quo deliquit, commiserat crimen in celebratione, priuatur à celebratione. Secundo suspensio nõ impedit receptionem sacramentorum sed officium, & functiones, quæ Clericis, & personis Ecclesiasticis conueniunt; Ideo est propria Censura Clericorum, & non afficit Laicos sicut Excõmunicatio, & Interdictum. Ergo hæc suspensio à communione intelligenda est de illa quæ Sacerdotibus competit in sacrificio missæ. Tertiò hæc explicatio desumi potest ex locis iuris põtificij, in quibus eadẽ suspẽsionis poena clarius explicatur dum dicitur: *Missas facere non præsumat*, vt in c. Nullus poenitẽtem. dist.55. & in cap. Episcopus. dist.74. *Vel à missarum celebratione cessabit*. in cap. Episcopus in Diœcesim. 7. q. 1. Ex his locis & aliis similibus interpretari possumus suspẽsionem à gratia communionis latam in dicto cap. Relatum. De Consecr. dist. 2. explicandam esse de communione requisita in celebratione Missæ, quæ propria est Sacerdotis, & cuius prohibitio est suspensio.

CAPVT IV.

An Clericus benedicens secundas nuptias ipso iure sit suspensus, & quam suspensionem incurrat.

HAbentur etiam in Iure aliæ suspensiones latę aduersus inferiores Sacerdotes, nempe Parochos delinquentes ratione sui officij, circa ceremonias, & solemnitates ex constitutione Ecclesiæ, in benedicendis nuptiis adhibendas, vel in Matrimoniis contrahendis, de quibus in præsenti cap. & sequenti pertractandum est.

Alexander Tertius in cap. 1. De Secund. Nupt. mãdat Episcopo, vt Capellanum, idest Rectorẽ Parochię, qui mulierẽ quandam benędixerat, quæ mortuo viro suo transierat ad secunda vota, & hac de causa suspensus erat ab officio, & beneficio, transmittat ad Apostolicam Sedem, ex hoc tex. inferunt Doctores Sacerdotem benedicentem secundas nuptias incurrere suspensionem iuris ab officio, & beneficio, sed ad habendam interpretationem huius tex. & ad maiorem explicationem huius suspensionis nonnullæ sunt difficultates proponendæ, & dilucidandæ.

Ante omnia vnum videtur esse certũ secundas nuptias non esse benedicendas, vt definitum fuit ab Vrbano III. in c. Vir autem. de secund. nupt. *Vir autem, vel Mulier ad bigamiam transiens, non debet à Presbytero benedici*.

Causa verò propter quam secundæ nuptiæ non benedicantur illa assignatur à Summo Pontifice in dicto c. Vir autem. *Quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet*.

Si obijcias contra, hanc rationẽ probare secundas nuptias non esse benedicendas, quãdo contrahitur matrimoniũ inter vtrumq. coniugem bigamum, tunc. n. verum est fuisse vtrumq. semel benedictum, & idcirco non indigere noua benedictione, sed si alter tantũ coniux siue vir, siue mulier, bigamus sit, tunc alter tantũ benedictus erit, atq; ita ratio textus non erit vera nimirum Cõiuges alia vice benedictos fuisse. Ideò Abb. ibi ad tollendam hanc difficultatẽ, inquit, Coniugem semel benedictum cõmunicare suã benedictionẽ alteri non benedicto in secundo matrimonio, & hac ratione Summũ Pontificẽ vocare illos benedictos, sicut in simili dicitur, Oleũ non consecratum admistũ Consecrato totũ remanere consecratũ c. Quod in dubijs de Consecr. Eccle. & Alta Sed iterũ obijcit Abb. quoniã Maritus potest cõicare Vxori actiones spirituales, nõ autẽ passiones, vt notat Glo. in c. 1. Ver. Cognitũ De cognat. spirit. lib. 6. & in c Qui spiritualem 30. q. 4. Sed quando maritus benedicitur, recipit, non agit, Ergo talis benedictio non potest vxori cõmunicare; Quare Abb. concludit assignando aliam rationẽ, cur secundæ nuptiæ non benedicantur, nempe quod cũ benedictio quæ datur in nuptijs sit cõmunis viro, & vxori, si alter altero decedente transiens ad secunda vota iterum in secundis nuptijs benediceretur, benedictio iteraretur super persona benedicta, quod non videtur conuenire.

Glo. in dicto c. 1. Ver. Secundæ. de secun. nupt. affert duas alias rationes huius differentiæ inter primas, & secundas nuptias, quarum prima probabilis est, licet non videatur omninò sufficiens ad satisfaciendum, Altera falsa est, & tanquam erronea reijcienda; Prima est idcirco non benedici secundas nuptias, vt homines hac ratione inuitentur ad seruandam continentiam, intelligentes Ecclesiam prohibuisse, ne secundæ nuptiæ benedicerentur; Alia ratio Glosæ est quia Sacramentum iterari non debet, Verum Glo. grauiter errauit, tum quia credidit benedictionem illam esse Sacramentum Matrimonij, aut partem Sacramenti, tum quia putauit Matrimonium esse ex iis Sacramentis, quæ nequeunt iterari; Vtrumque est falsissimum.

S. Thom. in 4. sent. dist. 42. quæst. 3. artic. 2. in resp. ad secundum argumentum, asserit secundas nuptias ex decreto Ecclesiæ non esse benedicendas, propter defectum Sacramenti, nam quamuis secundum matrimonium per se consideratum, sit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum continet aliquẽ defectum, quia non habet plenam significationẽ Sacramenti, cum non sit vna vnius, sicut est in matrimonio

Christi, & ratione huius defectus benedictio secundis nuptijs subtrahitur. Hæc tamen significatio vnius cum vna, non est de essentia Sacramenti, sed tantum requiritur, vt significet coniunctionem, Accidentarium est vt significet vnitatem.

Nauar. in Manua. c. 22. num. 83. ex omnibus rationibus, quæ à Doctoribus afferuntur, illam tanquam magis solidam, & firmam approbat, ad indicandam hanc differentiam inter primas, & secundas nuptias, quæ est Magistri Sent. in 4. sent. dist. 42. in fin. desumptam ex B. Ambrosio, quod Ecclesia vetuerit secundas nuptias benedici, ne benedictio super aliqua persona antea benedicta iteraretur; Quia non videtur decere, vt benedictiones solemnes rerum, aut personarum repetantur, Quales sunt Consecratio Ecclesiæ, Altaris, Virginum, Catechismus, Exorcismus, & aliæ similes, ne vilipendantur. Hanc rationem Nauar. commendat Salsedo apud Bernar. Diaz in sua Pract. Can. cap. 74. super ver. Benedici.

Hoc igitur iacto fundamento, quod secundæ nuptiæ non sunt benedicendæ, iam intelligimus Alex. Tertiũ in dicto cap. 1. De secund. Nupt. imposuisse suspensionem ab officio, & beneficio aduersus Sacerdotem, qui contra hanc prohibitionem, nubentes secundò benedicere præsumeret.

Sed primò quæri potest, quando ob benedictionem secundo nubentium incurratur hæc suspensio, nempe verum si benedicantur constante primo matrimonio, vel soluto. Quod si locum habet suspensio etiam primo matrimonio soluto, quæri potest in quo casu, an vbi sunt secundæ nuptiæ ex parte viri, & mulieris, an etiam ex parte vnius Coniugis tantum, & an eadem sit ratio si vir sit bigamus, vel Mulier.

Couar. in Epit. in 4. lib. Decret. cap. 8. §. 11. nu. 12. refert Io. And. Ant. Abb. & alios in dicto cap. 1. de secund. Nupt. affirmasse pœnam suspensionis locum habere tantum vbi constante priori matrimonio Presbyter secundas nuptias benedicit, & ad hoc asserendum ducuntur ex grauitate pœnæ, quæ nimirum excedere videtur culpam delicti, vt inquit Abb. ex sentent. Ioan. Andr. licet hoc ex dicto cap. primo, non colligatur. Verum Sylue. tenet Ver. Nuptiæ §. 1. Sacerdotem incurrere hanc suspensionem si benedicat secundum Matrimonium, etiam dissoluto primo; Et hoc indicare videntur verba illa, *Cum alia vice benedicti sint* in cap. Vir autem. De secund. Nupt. Et hoc modo videntur interpretari illum textum quoad prohibitionem benedictionis secundarum nuptiarum, tam Theologi, quàm Canonistæ; & ab hac communi opinione non videtur recedendum, vt notat Salsedo apud Bernar. Diaz in Pract. Canonica capit. 74. super Ver. Viuente prima.

Secundò dubitatur, An hæc suspensio ab officio, & beneficio, sit pœna Iuris, quæ ipso facto incurratur per Sacerdotem benedicentem secundas nuptias, an verò sit pœna imponenda per iudicem.

Communis opinio tenet non esse pœnam Iuris, sed infligendam per sententiam hominis, aliàs esset nimis grauis pœna pro tam leui delicto. Ita notat Hostien. in Summa in titu. De secund. Nupt. §. An licitum sit. Vers. In aliquibus Ioan. Andr. in eodem cap. primo, de secundis Nupt. & ibi Abb. numero 5. expressè sequitur Hostien. Idem notat Henri. in cap. Vir autem, eodem titu. Syluest. in Summa Ver. Nuptiæ, §. 1. Bernard. Diaz in Pract. Canonic. cap. 74 numero secundo. Iul. Clar. lib. 5. recepta. sentent. §. fin. Couar. in dicto cap. octauo, §. 11. numero 2. Enriquez lib. 13. de Suspensione, capit. 39. numero 3. Palud. in 4. sentent. distinc. 44. quæst. 3. artic. 1. Conclus. quarta. Tandem omnes fatentur esse communem opinionem, & interpretantur illud cap. 1. vt non contineat constitutionem generalem semper in omni casu seruandam, sed fuisse prouisionem Apostolicam in illo casu, sicut inquit Abb. numero quinto. Quare credit hodie in huiusmodi casibus imponendam esse pœnam arbitrariam attentis circumstantijs, & loci consuetudine, cui adhæret Bernard. Diaz. in dicto cap. 74 in fin. Iacobus Menoch. De Arbitr Iudi. quæst. lib. 2. Centu. 5. Casu 217. numero octauo.

Tertiò dubitatur in quibus casibus Sacerdos benedicens secundas nuptias sit dignus pœna suspensionis, vtrum quando secundæ sunt nuptiæ ex parte vtriusque Coniugis, an etiam ex parte vnius, & cuius.

In hac difficultate duæ sunt opiniones, Altera est S. Thom. in 4. sent. dist. 42. q. 3. art. 2. ad secundum argumentum, qui censet non esse benedicendas secundas nuptias, quando sunt secundæ ex parte vtriusque, vel saltem ex parte mulieris; Si enim Virgo contrahat cum illo, qui habuit aliam vxorem, quia saluatur significatio aliquo modo in ordine ad primas nuptias; Nam etsi Christus vnam Ecclesiam sponsam habeat plures tamen personas in vna Ecclesia desponsatas haber, sed anima non potest esse sponsa alterius, quàm Christi, quia cum Dæmone fornicatur. Et hac de causa quando mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum Sacramenti. Hanc sententiam sequitur Sylue. Ver. Nuptiæ § 1. & alij eiusdem Scholæ, quæ opinio in praxi seruatur, vt fatetur Henri. in dicto cap. Vir autem. De secund. Nupt. vbi Glos. in fine idem notat dicens benedictionem hanc iterari cum aliquis secundam ducit virginem, ex consuetudine quorundam locorum sciente tamen Papa talem consuetudinem, aliàs non esset licita, Eandem tenet Couar. in 4 lib. Decretal. par. 2. cap. 8. §. 11. numero 2. Salsedo in Schol. apud Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 74. super Ver. Iterari, qui ita tenendum esse dicit, licet Menoch. de arbir. Iudi. quæstio. lib. 2. Centur. 5. Casu 217. num. 10. id affirmare non audeat, & re vera hæc sententia B. Thom. videtur maximè probabilis, si ratio, propter quam Ecclesia prohibuit benedictionem secundarum nuptiarum, est illa quam assignat ipse S. Thom.

Altera opinio est Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 83. qui censet prohibitionem Ecclesiæ de non benedicendis secundis nuptijs esse generalem, & habere locum in omni matrimonio secundo, siue sit secundum ex vtraque parte, siue ex altera tantùm, vel viri, vel vxoris, & probat ex dicto tex. cap. Vir autem de secund. nupt. Vbi Summus Pontifex vniuersaliter absque distinctione viri, aut vxoris vetat, secundarum nuptiarum benedictionem, quia in quocumque casu iteratur benedictio solemnis super persona alias benedicta, quod non videtur decens, vt dictum est, Non negat tamen Nauar. quod vbi viget legitimè præscripta consuetudo iuxta notata per Glo. in dicto cap. Vir autem possint secundæ nuptiæ benedici, absquè peccato, & pœna suspensionis; Verùm inquit id esse tenendũ non solum vbi Virgo contrahit matrimoniũ cum viro, qui aliam habuit vxorem, vt censet D. Tho. sed vniuersaliter in omni secundo matrimonio, siuè sit secundum ex parte vtriusq. siuè ex altera parte tantum, vel viri, vel vxoris, & hoc, ratione consuetudinis quæ supponitur; Et ratio est quoniam hæc prohibitio est Iuris positiui humani, quod sicut posset per contrariam legem Pon-

tificiam

tificiam tollit, ita quoque abrogari potest per rationabilem, & præscriptam consuetudinem contrariam l. de quibus ff de legi c.fin.de consuet. Et licet Rocch. Curt.in Tract. de consuet. c.fin. dubitet an sacramentalia induci possint consuetudine, contrarium tamen est orobabilins arg. c. De Trina. vbi Glo. de consecr. dist.4.& cap.2. cum Glo.Ver. Antiqua, de Temp.ordinat. Vnde consuetudo seruanda est,quoad ceremonias Sacramentorum, sicut & baptismus alijs verbis confertur à Græcis,alijs autem à Latinis, & idem apparet in celebrando matrimonio per Sacerdotes, & in conferendis ordinibus, in his enim varijs in locis diuersa est consuetudo extra substantialia. Quarè si adsit consuetudo in aliquo loco,Papa sciente, benedicendi secundas nuptias, nullum erit peccatum illas benedicere, & Sacerdos benedicens non incurret suspensionem,quamuis rationabilior sit illa cõsuetudo, ne benedicantur secundæ nuptiæ,quando Virgo contrahit matrimonium cum viro bigamo, quam si vidua nubat viro, qui aliam non habuerit vxorem ob rationem S. Thom. & adhuc minus esset rationabilis consuetudo si benedicerentur nuptiæ quando vterque coniux esset bigamus.

Quare quod ait B. Tho. licitum esse benedicere secundas nuptias si Virgo nubat bigamo, limitant aliqui si talis vigeat consuetudo. Sed Sylue.in summa Ver. Nuptiæ, putat verum esse quod dicit S. Tho. etiã si non adsit consuetudo, & respondet ad obiectiones, quæ contra afferri possunt, oppositum tamen est probabilius vt ex dictis probatur.

Quarto dubitatur,an Sacerdos benedicens secũdas nuptias in matrimonio contracto à bigamis, qui nunquam fuerunt benedicti, dicatur violare constitutionem Ecclesiæ & sit suspendendus.

Respondendum est hunc Sacerdotem non esse dignum vlla pœna,quia si duo transeunt ad bigamiam, qui nunquam fuerunt benedicti, possunt benedici, huius dicti fundamentum est, quoniam ratio propter quam Vrbanus Tertius in cap. Vir autem. de secund. Nupt.prohibuit benedictionem secundarum Nuptiarum fuit,vt in tex.dicitur. *Quia cùm alia vice benedicti sint eorum benedictio iterari non debet*; Ergo non vetat benedictionem secundarum nuptiarum, si contrahentes antea non fuerunt benedicti, quia tunc non iteratur benedictio, ita tenet Nauar. in dicto cap.22. num. 83 in fin. Bernar.Diaz.in pract. Canon.cap.74.nu. 1. Host.in Summa in Tit. de secund. Nupt.§.An licitum sit Vers.In aliquibus, Sylue.tamen Ver. Nuptiæ. §.4. vt cohærẽter loquatur ad ea quæ dixerat cum B.Tho. quod secundæ nuptiæ benedici possunt,si Virgo nubat bigamo,respondet ad hanc difficultatem dicens,non semper licere benedicere secundas nuptias, quamuis antea coniuges benedicti non sint, sed tunc solum si Virgo nubat viro,qui non fuerit prius benedictus, nõ autem si nubat mulier viro etiam qui non fuerat benedictus, assignat rationem huius diuersitatis, quoniam causa prohibitionis ne benedicantur secundæ nuptiæ ex parte mulieris est duplex impedimentum, primum est,quando prius fuit benedicta, secundum impedimentum, si non sit Virgo,quia iam contraxit, quamuis non fuerit benedicta, quia non seruatur misterium,vt sit vna vnius, ex parte autem Viri vnicum tantum consideratur impedimentum, idest primum, si in primo matrimonio fuit benedictus,& idcirco dãda erit benedictio in secundis nuptijs,si vir non benedictus contrahat cum Virgine non benedicta,non autem si contrahat cum muliere, quæ antea nupserat,

A quia in eo casu cessat vnum impedimentum sed remanet alterum,sed hæc opinio Sylue. est singularis,& reiecta ex his quæ hactenus dicta sunt.

Quinto dubitatur, an Sacerdos suspensus ob benedictionem præstitam secundis nuptijs, sit mittendus ad Sedem Apustolicam pro absolutione,nam in dicto cap. 1. de secund. Nupt. clarissimè dicitur de Capellano illo, qui secundas nuptias benedixerat *Cum literarum tuarum* scilicet Episcupi,*testimonio ad Sedem Apostolicam nullatenus destinare postponas*. Quibus verbis Summus Pontifex videtur sibi absolutionem reseruare, vnde Host. colligit in Summa in titulo de secund. Nupt. in §. An licitum sit, Vers. In aliquibus, super hac suspensione alium dispensare non posse præter Summum Pontificem.

B Couar.tamen in illo cap.8. citato §.11.n.2.meminit cuiusdam extrauagantis Io. Vigesimi Secundi,quę non habetur inter alias extrauagantes Iuris communis,per quam inquit, missionem Sacerdotis secundas nuptias benedicentis ad Romanam Curiam, omnino sublatam fuisse. Confirmat Salsedo apud Bern. Diaz. cap.74.super Ver. Ad Sedem Apostolicam; & hoc videtur probabilius, non enim tam graue est delictum, vt dicunt Doctores, quod tam dure & acriter sit coercendum.

CAPVT V.

C *De suspensione quæ incurritur à Sacerdote seculari, vel Regulari si non prohibeat matrimonia clandestina, vel eis interesse præsumat.*

PArochus vel quicumque alius Sacerdos Regularis,vel secularis, qui matrimonio clandestino interfuerit, triennio ab officio suspenditur, & eadem pœna mulctatur Parochus, quamuis non intersit, si sciens talia matrimonia non prohibuerit, ita definitum est in cap. vlt. §.fin. de Clandest.Desponf.Verba tex sunt *Sanè si Parochialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet,etiam Regularis,qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, grauius puniendus, si culpæ qualitas postulauerit.*

D Hæc triennalis suspensio non est ipso iure lata, sed ferenda à Iudice, quod ostendit verbum illud *Suspendatur*,quod est verbum futurum optatiui modi, respiciens hominis actum & Iudicis ministerium, & sic indicat sententiam ferendam, vt latissime præter alios tradit Tiraq. l. si vnquam C. de reuocan. donat. sic docet Palud.in 4.sent.dist.28.q.2. art.5 num.30. Salsedo apud Bernar. Diaz. in pract. Canon. cap. 73. super Ver. Suspenditur ab officio,qui plures alios citat in eandem sententiam.

Tempus autem triennij assignatum à Iure huic suspensioni, ministerio hominis imponendæ, potest ex iusta causa augeri,& minui,iuxta notata in cap.Cum

E sit Romana, de appella. Ad idem faciunt alia verba dicti cap.fin.§. fin. de Clandest. Desponsa. ibi *Grauius puniendus si delicti qualitas postulauerit* Et tenet Pręposi. ibi num. 11. Vers. 6. Bernar. Diaz. in sua pract. cap. 73. num.2.

Concilium Trident.sess.24 cap.1. de Reformat.inhærendo vestigijs sacri Concilij Lateranensis sub Innocentio Tertio,relatum in dict.cap. Cum inhibitio. de Clande. Despõsat.omnino prohibet coniugia clandestina, præcipiens vt antequam matrimonium contrahatur,à proprio Parocho ter fiant denunciationes, publicè in Ecclesia,diebus festiuis, inter missarum solemnia,

lemnia, matrimonia verò contracta non præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus, irrita, & nulla esse decernit; Deinde addit pęnam aduersus eos, qui in celebrandis matrimonijs hanc formam non seruauerint his verbis, *Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho, vel Sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.*

Ex his verbis Concilij oritur grauis difficultas, an Concilium voluerit corrigere, & derogare dictæ Cōstitutioni Concilij Lateranensis, quoad pœnam triennalis suspensionis impositam Parocho, assistenti matrimonio clandestino, nam Sinodus Tridentina decernit Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, quàm duorum, matrimonio clandestino interfuerit, esse grauiter arbitrio Ordinarij puniendum.

Nonnulli existimant pœnam suspensionis triennalis non esse sublatam, sed præter eam, licere Ordinario in illum alia pœna arbitraria animaduertere, ad eius temeritatem, & præsumptionem coercendam, vt alij magis in futurum caueant, id autem pluribus probare contendunt.

Primò, quia Concilium Tridentinum in eo cap. non derogat Iuri antiquo, immo expressè fatetur se velle inhærere vestigijs Concilij Lateranensis, vnde desumptum est illud cap. Cum inhibitio.

Secundo quia Innocentius Tertius in dicto c. Cum inhibitio, vltra suspēsionem, decernit Parochum grauius esse puniendum, si culpæ qualitas postulauerit, ergo præter suspensionem relinquitur locus pœnæ arbitrariæ, si id exigat iustitia pro criminis grauitate, sed hodie grauius est delictum contrahere matrimonium clandestinum, quam antiquitus esset, nam post Concilium Tridentinum clam contrahentes peccant in substantia, & in modo contrahendi, quia contractus est nullus, sed antea, delictum committebatur in modo tantum, nam quoad substantiam erat validum, ergo si olim Parochus vltra suspensionem dignus erat pœna arbitraria, multo magis hodie vtraque pœna licitè puniendus erit cum magis delinquat.

Tertiò ex communi sententia Doctorum, cum diuersæ pœnæ infliguntur diuersis legibus, contra idem delictum, nec apparet vtra earum alteram corrigat, vtraque seruanda est, vt docent Bart. l. 1. ad fi. ff. de vi. bono. rapto. Felin. cap. Quod olim num. 2. de Iud. Bertachinus in repert. lit. B, Ver. Pœna §. Pœnæ diuersæ. Ver. Pœna noua, Gomez qui varia iura & plures Doctores refert & testatur de communi Tom. 3. Varia. c. 1. num. 38. Vers. Quarta Conclusio, ergo cùm in casu de quo agimus, sint diuersæ pœnæ diuersis Canonibus impositæ, neque appareat, quod vna alterā destruat, & corrigat, vtraque erit valida, & contra transgressores infligenda, quare per impositionem pœnæ ex Concil. Trident. non excluditur pœna suspensionis lata in cap. Cum inhibitio §. fin. de Clande. Desponsa. sed vltra illam Parochus, vel alius Sacerdos, qui in hoc deliquerit, arbitraria pœna plectendus erit, vt in decreto Concilij Tridentini definitum est.

His ferè rationibus Salsedo apud Bernard. Diaz, in pract. Canon. cap. 73. Vers. Octauo non est obliuioni, hanc partem tuetur. Eidem opinioni adhærere videtur Maiol. lib. 3. de Irreg. cap. 25. num. 17. Ver. Hodie alius casus.

Contraria sententia est aliorum, qui putant hodie

A propter poenam arbitrariam impositam cōtra transgressores huius Constitutionis, cessare suspensionem triennalem, quæ habetur in dicto cap. Cum inhibitio, & probatur.

Primò, quia iuxta probabiliorem sententiam, quādo leuior poena fertur per legem nouam pro eodem delicto, quod lege antiqua acrius puniebatur cessare debet durior poena: Ergo cum per Concilium Tridentinum imposita sit mitior poena, nam ordinarius arbitrari poterit ferendam esse suspensionem breuiori tempore, vel aliam poenam leniorem esse iniungendam, cessabit suspensio triennalis, Iure antiquo imposita, vnde Gomez. 3. lib. variar. cap. 1 num. 38. pluribus probat legem posteriorem corrigere antiquam.

B Idem Iulius Clarus lib. 5. Receptorum pract. crimin. §. fin. quæst. 85. Vers. Debet etiam Iudex, loquens in statuto, & lege, inquit, quod poena statuti noui corrigit poenam legis antiquæ. Idem sentit Io. Anania cap. fin. de Collusione detegenda. Idem probat Nauar. Consil. 10. in tit. de Constitut. in fin. Vbi ait in poenis imponendis per Iudicem, qualis est hæc suspensio triennalis, antiquam poenam cessare imposita noua.

Secundò probatur nam licèt grauius sit delictum, hoc tempore, matrimonium clandestinum contrahere, quoad Deum, at propter damnum Ecclesiæ, & ob inconuenientia, quæ induxerunt Concil. Tridentinum vt matrimonia clandestina irritaret sess. 24. cap. 1. ibi *Grauia peccata perpendans, quæ ex clandestinis coniugijs*

C *ortum habent.* Non est tam graue delictum matrimonium clandestinum contrahere, quod est inualidum, ex eo enim non sequuntur inconuenientia, quæ olim quando validum erat, oriebantur, vt perpetuos concubinatus, vtq; Ecclesia approbaret matrimonium publice celebratum inualidum, propter clandestinū, quod erat validum, sed Ecclesiæ ignotum, ergo hoc crimen non est tam graui poena modo, sicut olim corrigendum.

Tertio quamuis illa suspensio triennalis non esset sublata per Concilium Tridentinum, adhuc non haberet locum, quando Parochus, vel alius Sacerdos interesset matrimonio, quod celebraretur absque duplici teste, quia post Concilium tale matrimonium

D est inualidum, quando autem matrimonium clandestinum est irritum, non habent locum poenæ quæ impositę erant olim stāte matrimonio clādestino valido.

Probatur ex l. 1. in fi. C. De Sepulchro violato, vbi habetur quod Notarius, qui conficit instrumentum falsum, non poena iuris ordinaria, sed extraordinaria puniendus est, ergo similiter quando Matrimonium clam contractum est inualidum, poenæ Iuris impositę contra clam contrahentes valide, non habebunt locū, l. Ea quidem C. Si mancipium, ibi *Nec tamē pœnæ exactio si qua addita est, conditioni non seruatæ iustam exigendi tribuit causam*, Vbi Glo. Vet. Causam, reddit rationem, quia effectum non habuit manumissio.

E Ex his duabus opinionibus prior mihi videtur probabilior, nimirum Concilium Tridentinum noluisse abrogare poenam suspensionis triennalis, impositam in cap. Cum inhibitio in Parochum, vel alium Sacerdotem, qui matrimonio clandestino interfuit, Idq. probari potest.

Primò ex verbis Concilij statuentis talem Parochum puniendum esse à Superiore, poena arbitraria, sub qua continetur suspensio triennalis, & etiam longioris temporis, & maior etiam poena si Superior ita iudicauerit, pro qualitate delicti; Ergo Concilium noluit tollere poenam suspensionis; Vnde in dicto

cap.

cap. Cum inhibitio Summus Pontifex inquit: *Per triennium ab officio suspendatur, grauius puniendus, si culpa qualitas postulauerit*. Et ita poena arbitraria est grauior poena, quam triennalis suspensio; Ergo per illam non excluditur suspensio.

Secundo licet matrimonium clam cõtractum post Concilium Tridentinum sit irritum, tamen pœnæ incurruntur etiam per actum inualidũ, quando lex considerat tantum, factum, & animum facientis, & nõ iuris effectum, sic docet Glo. l. Quid ergo §. Cum autem. Ver. Cum ex. ff. de his qui notan. infam. Card. in Clem. 1. oppos. 8. de consang. optimè Felin. multa citans, c. Tua nos. de Iure iur. num. 7. & cap. Ex tenore num. 9 Vers. Cæterum ad multa, de Rescrip. Quare cum Concilium Tridentinum prohibendo ne Parochus intersit matrimonio clandestino, considerauerit solum factum, quod per se malum est, ideo ita incurruntur hodie pœnæ, ob matrimonium clandestinum inualidum, sicut olim quando erat validum. confirmatur ex doctrina Card. in Clem. fin. in fi. quæst. 12. de elect. & Bartachini in Reperto. l. P. Ver. Pœna inualida Vers. Pœna imposita qui docent pœnam impositam contra aliquem actum habere locum, si actus attentetur, licet de Iure non sit validus, similiter Bart. in l. Quid ergo. §. Cum autem ff. de his qui notan. infa. in fi. ex illo textu infert, si testamentum falsum, testamenti formam habeat, liceat ob aliquam aliam causam nullum sit conficientem illud puniri falsi poena.

Tertiò post Concilium Tridẽtinum, matrimonium clandestinum contrahere grauius est delictum, quàm antiquitus; Tunc enim erat prohibitum, sed ratum, hodie est prohibitum, & irritum; ergo cum grauiori delicto graui or correspondeat poena. fortiori ratione poenæ sanci æ olim contra Parochum assistentem huiusmodi matrimonio, modo vigebunt.

Ex dictis infero multo magis asserendum esse, Parochum proprium, vel alium Sacerdotem Regularẽ, aut Secularem, de eius licentia Parochi assistentem matrimonio valido, sed clandestino, ob omissionem denunciationum, suspendendum esse triennio iuxta formam dicti cap. Cum inhibitio de Clande. Desponsa. nam clandestinum matrimonium dicitur tribus modis, vt notat Glo. in dicto cap. Cum inhibitio, Ver. Clandestina, vna cum Glo. in §. Seruum quoque, Ver. Postea, & Ver. Illicitas Instit. de nupt. Primò modo quando fit sine testibus, secundo cum omittuntur solemnitates, Tertio non prætermissis denunciationibus & in his casibus semper locus est poenæ suspensionis triennalis, de qua in cap. Cum inhibitio, vt ibi tradit Abb. nu. 8. ex sententia Host. eo magis cum Concilium Tridẽtinum prohibeat quidem celebrationem matrimonij non prætermissis denunciationibus, sed nullam præscribat pœnam aduersus Parochum transgressorem, ergo intendit tacitè confirmare poenam Concilij Lateranensis in dicto cap. Cum inhibitio, cuius vestigija inhærendo decretum illud de matrimonio edere expresse testatur. Et idem dicendum erit de Parocho, qui sciens ea matrimonia, impedire neglexerit, ita sentit Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 25. num. 17. in fin. & 18. Enriquez in summa lib. 11. de matrimonio cap. 5. num. 6. Tandem generaliter affirmandum est, Parochum auctoritatem prabendo non solũ matrimonijs clandestinis, sed quibuscunq; matrimonijs à Iure, vel à Iudice interdictis, puniendum esse suspensione triennali, vt asserit Maiol lib. 3. de Irregul. cap. 25. num. 17. in fi. & ante ipsum docet Abb. in dicto cap. Cum inhibitio num. 8. ex sententia Host. qui

A tradidit regulam vniuersalem, quod omne matrimonium celebratum contra prohibitionem Ecclesiæ generalem, vel specialem expressam, aut tacitam, vocatur clandestinum, & subijcitur poenis dicti cap. Cum inhibitio, & idem videtur sentire Sylu. Ver. Matrimonium. 6. §. 7. Vnde bene, & coh ærenter ex hoc principio Maiol. num. 17. Ver. Vagantes infert, Parochum, qui ex officio auctoritatem præbet matrimonio contrahendo inter personas vagantes, non seruata forma præscripta à Concilio Tridentino sess. 24. cap. 7. de reform. incurrere poenam dicti cap. Cum inhibitio, vt triennio sit suspendendus, eodem modo Ver. Iudicis interdictum rectè monet, quoties à Iudice emanauerit præceptum contra certas personas, ne matrimonium ineant, vel contra ipsum Parochum ne auctoritatem interponat, Parochum negligentem Episcopi

B præceptum, plectendum esse eadem poena suspensionia triennalia, quia interest matrimonio à Iudice interdicto.

Verùm difficultatem habet, quod asserit idem Maiol. eodem num. 17. Vers. Hodie alius casus, nimirum quod si aliqui contraxerunt semel matrimonium sine testibus, & Parocho, & ideo nu'lum, si postea velint aliud matrimonium inire seruata forma Ecclesiæ, Parochua non valeat huic coniugio auctoritatem præstare absque licentia Ordinarij, & idcirco incurrat poenam suspensionia dicti cap. Cum inhibitio, si secus faciat, ego oppositum censeo probabilius, scilicet non

C esse necessariam Ordinarij licentiam, vt qui ita contraxerunt inualidè à priori matrimonio recedant, non, uumq; contrahant, nisi illud esset nimis publicum, & timeretur scandalum, tunc enim ad illud sedandum, petenda esset Episcopi declaratio, verum tali declaratione non præmissa, Parochua assistens secundo matrimonio minime puniendua esset triennali suspensione, quia hæc suspensio imponitur Parocho assistenti matrimonio clandestino, vel alio modo interdicto, quale non est huiusmodi matrimonium in casu proposito, sed erit corrigendus poena arbitraria, atque ita sentit Salsedo contra Maiolum in c. 73. apud Bernar. Diaz Ver. Quarto est etiam, Vers. Illud tamen non diffiteor.

D Hoc autem quod dixi, suspendendum esse triennio ab officio, iuxta dispositionem capit. Cum inhibitio, proprium Parochum, vel alium Sacerdotem Regularem, aut Secularem, de eius licentia assistentem matrimonio, non præmissis debitis denunciationibus, nõ extenditur ad alium Sacerdotem Regularem, aut Secularem, qui sine licentia proprij Parochi intersit tali matrimonio, hic enim Sacerdos non incurrit poenam illius c. Cum inhibitio; Ratio est, quia Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. Vers. Quod si quis Parochus, decernit, vt si quis Parochus, aut alius Sacerdos Regularis, aut Secularis *etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio*

E *coniungere, aut benedicere, ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat absoluatur*. Quare in hoc casu manifestè correcta est suspensio illa triennalis, nam illa erat ferenda, non lata, vt dixi, & ad tempus definitum triennij, quo transacto ip so facto cessabat, nec poterat Episcopus ab ea absoluere, vt dicam postea; At suspensio lata à Concil. Trid. est lata, vt patet, non ad tempus certum, sed ad Episcopi nutum & potest Episcopus illam tollere, ergo cessat suspẽsio triennalis & ita tenet Maiol.

iol. lib. 3. cap. 25. num. 12. Vers. Clandestinum matrimonium, dicit enim olim fuisse suspendendum triennio, hodie esse suspensum ad nutum Episcopi: licet oppositum affirmet Enriquez, lib. 13. de excom. cap. 39. num. 3. Vbi ait Clericum, qui absque Parochi licentia assistit contrahentibus matrimonium, fieri suspensum triennio, & posse dicto tempore decurrente absolui ab Episcopo, ab hac autem suspensione Concilij Tridentini lata aduersus Parochum, vel alium Sacerdotem, matrimonio coniungentem sponsos alterius Parochiæ, sine illorum Parochi licentia, quælibet ignorãtia excusat, etiam crassa, dũmodo non si ita crassa vt sit supina, & possit dici ingens temeritas, & id ostendunt verba ipsius Concilij *Ausus fuerit*. Verbum Audacia, dicit temeritatem, vt notat Glo. l. si quis in tantam. C. vnde vi. vnde. Audax, coniungitur, cum præsumente, Auth. Habita Vers. Hæc igitur. C. ne filius pro patre, ibi, *Ut nullus de cætero tam audax qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre præsumat*. Temerarius autem non est, nec præsumens, ex ignorantia, etiam crassa, aliquid faciens, nam vere ignorans facit, deinde præsumere, dolum & temeritatem importat, vt docent Card. Clem. 1. q. 39. de priuileg. D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 54. Quærit idem; Rosella absolutio. 1. num. 46. Angel. excom. 5. casu 12. num. 15. Sylue. excommun. 7. casu 14. dub. 5. num. 34. Caiet. in summa Ver. excommunicatio cap. 81. Tabien. excom. 5. casu. 11. q. 6. num. 7. Nauar in Manua. cap. 27. num. 155. Non est autem dolus, & temeritas, quando est ignorantia crassa; Ideo quando Canon imponit pœnam præsumenti; vel ausu temerario facienti, excusatur transgressor ex ignorantia crassa, si non sit supina, vt notat Enriquez, in Summa lib. 13. de excom. cap. 23. num. 3. Quamuis tamen hæc sententia sit probabilis, mihi tamen probabilior videtur opposita, nempe pœnam latam contra præsumentes, vel ausu temerario aliquid facientes, non incurrere illum, qui bona fide & ex probabili ignorantia actum vetitum committit verum non excusari ab ea, delinquentem ex ignorantia crassa, & ita affirmandum esse, etiam in hoc casu de suspensione Concilij Tridentini, ita docet Innoc. in cap. 1. in fin. de senten. excom. lib. 6. dicens probabilem ignorantiam excusare posse, crassam autem & supinam reddere faciliorem dispensationẽ, idem tenet Nauar. in Manual. cap. 27. num. 73. Declarat. 1. & in Repetit. in cap. Accepta. oppos. 8. n. 32. de restit. spoliar.

Sed quæret quis de eadem suspensione Concilij Tridentini, an Regularis Sacerdos, auctoritatem præbẽs matrimonio, absque proprij Parochi licentia, incurrat vltra suspensionem Concilij Tridentini ad nutum Episcopi, excommunicationem Pontifici reseruatam in Clem. 1. de priuileg. in princ. ibi. *Matrimoniave solemnizare non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciale*, & deinde. *excommunicationem incurrant ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absoluendi*. An vero potius asserendum sit excommunicationem dictæ Clem. fuisse sublatam per suspensionem latam in Concilio Tridẽtino, pro parte affirmatiua facit quia pœna mitior legis posterioris, tollit duriorem latam antiqua lege, vt dixi superius, sed hæc suspensio leuior est, quam pœna lata á lege posteriori, scilicet Concilio Trid. ergo tollit excommunicationem Iure antiquo latam, tamen oppositum videtur probabilius, quod Concilium Tridentinum non corrigat pœnam excommunicationis impositam in dicta Clem. 1. de priuileg. contra Regularem, qui sine licentia Parochi auctoritatem præstet matrimonio, sed talis Regularis vtraque pœna afficitur excommunicationis, & suspẽsionis arbitrariæ, vt tradit Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 25. num. 12. §. Clandestinum matrimonium, & propositio illa quod leuior pœna legis nouæ, corrigat duriorem antiquæ Constitutionis, intelligenda est, vt inquit Io. Ananias cap. fin. ad fi. de Collusione detegen. & Nauar. consil. 10. in tit. de Constitut. in pœnia quæ ab ipso Iudice inferuntur, non in ijs, quæ ipso iure incurruntur, vt est excommunicatio illa Clem.

Secunda principalis quæstio occurrit dilucidanda de eadem suspensione triennali dicti cap. Cum inhibitio. de Clandest. Desponsa. Verum si Parochus alienus, vel Sacerdos, qui non sit Parochus, non assistat matrimonio, sed alteri Sacerdoti, licentiam assistendi concedat, sit suspendendus triennio iuxta dictum c. fin. de Clandest. desponsa. vel potius incurrat suspensionem arbitrio Episcopi, iuxta decretum Conc. Trid. dicto c. 1. sess. 24.

Aliqui censent in hoc casu dictum Parochum alienum, vel alium Sacerdotem, alterutram suspensionem incurrere, primo quia in cap. Cum inhibitio. §. fin. de Clandest. Desponsa. mandatur suspendi triennio Parochus clandestina coniugia nõ prohibens, sed in hoc casu tantum abest, vt alienus Parochus, vel alius Sacerdos prohibeat, vt potius licentiam tradat ad assistendum matrimonio verè clãdestino, quia defuit præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de veri Parochi licentia, ergo incurret pœnam illam.

Secundò si negemus in hoc casu locum habere suspensionem dicti cap. Cum inhibitio, saltem talis Parochus aut Sacerdos non effugiet suspensionem Concilij Tridentini latam in alienum Parochum assistentem matrimonio, absque proprij Parochi licentia, nam verè dicitur assistere, is cuius mandato & licentia alter assistit, ex cap. Mulieres de senten. excom. ibi, *Cum is committat verè cuius auctoritate vel mandato delictum committi probatur*, & cap. Nuper, Vers. In primo quidem articulo, ibi, *Cum facientem, & consentientem par pœna obstringat*, & Reg. Is damnum ff. de Reg. Iur. *Is damnum dat qui iubet damnum dari* l. Nihil interest. ff. Ad legem Corne. de Sicar. Nihil interesse dicitur, vtrum occidat quis, an causam mortis præbeat, & in cap. Ita quorundam de Iud. excommunicantur deferentes prohibita ad Saracenos, & tamen cap. Significauit eod. tit. definitum est, eodem modo incurrere excommunicationem mittentes eadem per Nuncios, ergo similiter incurret suspensionẽ Parochus assistens personaliter, & per se ipsum matrimonio alieni Parochi absque debita licentia, sed etiam assistens per alium concedens ei licentiam.

Tandem in cap. Nuper, & in cap. Si concubinæ de senten. excomm. excommunicantur participantes in crimine criminoso cum excommunicato, sed mandãs fieri delictum, cui est annexa excommunicatio, participat in crimine, ob quod incurrit excommunicationem admittens illud, ergo eadem obstringetur excõmunicatione; Similiter etiam hic Parochus dans licẽtiam assistendi matrimonio alieni Parochiani, cum particeps in crimine, ob quod Parochus assistens est suspensus, ipse quoque eadem suspensione ligabitur.

Oppositum tamen est tenendum, nempe talem Parochum ob licentiam datam assistendi huiusmodi matrimonio, non incurrere pœnam suspensionis.

Probatur; Nam Concilium Tridentinum in dicto capit. 1. sess. 24. solum suspendit Parochum, vel alium Sacerdotem, coniungentem vel benedicentem alie-

nos Parochianos & nullam menticnem facit de dante licentiam, mandante, vel consulente, ergo tales nõ incurrunt hanc suspensionem; Neque etiam erunt suspendendi suspensione triennali cap. Cum inhibitio. §. fin. de Clande. Desponsa. quia illa imponitur contra proprium Parochum, non prohibentem clandestina matrimonia; Hic autem Parochus qui dedit licentiam, de quo agimus, non est proprius Parochus ipsorum contrahentium, nam quidquid sit de illa quęstione, an poena legis lata in delinquentem, afficiat etiam mandantem, qua in re videtur recurrendum ad volũtatem legislatoris, vt late disputat Decianus Tractat. crimin. lib. 9. cap 32. si loquamur de Censuris, verior est opinio asserentium Censuram latam in committentem aliquod delictum, non obstringere mandãtes, consulentes, vel aliter consensum præstantes nisi in Canone id exprimatur, vt larius de excommunicatione disputaui lib. 3. Disp 2. cap. 2.

Ob eandem rationem dicendum est, quod si proprius Parochus det licentiam alicui non Sacerdoti assistendi matrimonio, similiter neutram suspẽsionem incurret: Nam cap. Cum inhibitio, de Clandest. desponf. suspendit Sacerdotem parochialem, qui non prohibet matrimonia clandestina, sed Parochus concedens licentiam non Sacerdoti assistendi matrimonio, non dicitur aliquo modo cooperari ad matrimonij clandestini celebrationem, nam licentia illa concessa non Sacerdoti est inualida, non obstringitur etiã suspensione Concilij Tridentini, quia tantum suspendit Parochum, vel alium Sacerdotem, qui sine licentia proprij Parochi, alienos Parochianos coniungit; At in hoc casu nec Parochus coniugit alienos Parochianos, & ille qui coniungit non est Sacerdos, nec coniũgit sine licentia Parochi.

Secundo quęret quis, an non Sacerdos, scilicet Diaconus, vel Subdiaconus, absque licentia proprij Parochi coniungens aliquos matrimonio, incurrat suspensionem; Pro ratione dubitandi facit, nam licet vtraque suspensio, idest cap. Cum inhibitio & Concil. Tridentini lata sit in Parochum, vel alium Sacerdotem absque licentia proprij, assistentem, tamen Nomine Sacerdotis, frequenter intelligitur Diaconus, vel Subdiaconus, & cæteri qui non sunt Sacerdotes, præsertim in materia fauorabili, matrimonium autem est causa fauorabilis, secus in odiosa ac pœnali, vt tradunt Anton. in cap. Si quisquam, num. 3. de Cohab. Cleri. & Mulie. Abb. ibi num. 2. Imol. num. 2. Angel. Ver. Sacerdos num. 1. Sylue. eod. Ver. initio Tabien. q. 1. num 2. Armilla. num. 1. Confirmatur quia Sacerdos assistens matrimonio non est minister Matrimonij ergo assistentia illius non est actus ordinis, & ideo committi potest non Sacerdoti.

Respondendum est, non Sacerdotem coniungentẽ aliquos matrimonio neutram suspensionem incurrere, quia vtraque fertur in Parochum vel Sacerdotem, talis autem non supponitur Parochus neque Sacerdos, igitur neutra suspensio illum afficiet. Et licet in materia fauorabili aliquando nomine Sacerdotis accipiatur Diaconus, vel Subdiaconus vt Doctores citati probant, nunquam tamen in materia pœnali, sicut hæc de qua modo agimus: Immò neque in omni materia fauorabili doctrina illa semper est admittenda, sed tantum vbi agitur de Clericorum absolutione, secus si tractetur de necessarijs ad Sacramentum, tunc enim verba accipienda sunt secundum propriam & vsitatam significationem propter periculum irritationis Sacramenti, & ita interpretandum est dictum cap. Cum inhibitio, & Concilium Tridentinum in quibus locis agitur de celebratione matrimonij, quia verba intelligenda sunt secundum communem intelligentiam c. Ex literis 1. de Sponsal. Et communiter nomine Sacerdotis intelligitur verus Presbyter: Quin etiam Concilium Tridentinum regulariter semper distinguit Sacerdotem à Diacono, & alijs ministris Altaris vt in sess. 23. cap. 2. & Canon. 2.

Quod si non Sacerdos assistens matrimonio Parochus esset, qui coniungeret alienos Parochianos, tunc non effugeret suspensionem Cõcilij Tridentini, quamuis non incurreret aliam dicti c. Cum inhibitio, quia Concilium Tridentinum respectu Parochi non postulat qualitatem Sacerdotij, suspensio vero triennalis dicti cap. Cum inhibitio hac in parte correcta est per Concilium Tridentinum vt superius dixi.

Tertio dubitari potest, an Parochus triennio suspensus, qui interfuit clandestino matrimonio, si eodem triennio durante iterum assistat alteri simili cõiugio, suspendaturque iterum triennio, hoc posterius triennium confundatur cum priori, vel incipiat completo priori triennio.

Quomodo computandum sit tempus suspensionis, quando quis iam suspensus committit delictum, cuius causa iterum suspensione obstringitur late pertractaui superius Disp. 7. cap. 6. dubitatione 4. & varias Doctorum opiniones proposui; Illa verò inter alias videtur communior & probabilior, quæ asserit tempus posterioris suspensionis incipere statim a die sententię Iudicis imponentis posteriorem suspensionem triennalem, in casu de quo agimus, aut quando suspensio incurritur ipso iure, statim à die commissi delicti, & ita confunditur cum priori tempore, nisi Iudex declaret in sententia vt incipiat finito priori tempore.

Quarto dubitatur, an Parochus suspensus ab officio, quod interfuerit clandestino matrimonio sit consequenter suspensus à beneficio, suspendere aliquem ab officio idem est quod eum suspendere ab executione ordinis, & officij Clericalis, suspendere verò à beneficio idem est quod suspendere à fructibus beneficij; Non enim sic suspensus remouetur ab illius administratione in temporalibus, quæ omnia copiosè explicata sunt propriu loco.

Quæstio illa, an suspensus ab officio consequenter suspensus maneat à beneficio valde ambigua est, & perplexa, vt ex pluribus, & diuersis responsionibus, quibus Doctores illam dissoluere conantur, quas recensui in cap. 3. Disp. 4. colligi potest, ex omnibus tamen opinionibus illam, tanquam probabiliorem amplexatus sum, quæ affirmat suspensum ab officio non esse suspensum à beneficio, nisi expresse id declaretur, vt pluribus rationibus ibi probaui, & præter alias facit, quia suspensus ab officio potest licitè gerere multa pertinentia ad beneficium, vt administrare temporalia, recitare horas canonicas, ergo per nudam suspensionem ab officio, non censetur aliquis absolutè suspensus à beneficio.

Si quis objiciat suspensus ab officio, non potest interesse in Choro diuinis officijs, igitur non potest lucrari distributiones quotidianas, quæ tantum dantur interessentibus; Quo verò ad alios fructus idem est dicendum, nam vbi duo ita se habent, vt vnum accedat alteri, sufficit vt quis amoueatur à principali, vt censeatur amotus ab accessorio, quia accessorium sequitur principale, sed beneficium est accessorium officio, capitul. Cum secundum, de præben. capit. fin. de Rescript. libro sexto. Ergo suspensus ab officio consequenter

quenter erit suspensus à fructibus beneficij.

Ad hanc obiectionem respondeo, & primum quantum ad distributiones quod diuinas dico suspensum ab officio non posse interesse licitè diuinis officijs, in illis ministrando, posse tamen interesse validè & ita lucrari distributiones, ratione enim suspensionis ab officio carere debet solum emolumento, quod percipere deberet ob personale ministerium, quod suspensus non valeret exhibere licitè, verùm si de facto ministerium illud præstet, licet peccet, non obstante tamen peccato, iuxta probabilem opinionem aliquorum, lucratur distributiones, ita sentit Nauar. lib. 2. de restitut. cap. 2. part. 2. difficultate 5. num. 243. Enriquez. lib. 13. de excom. cap. 3. num. 3. & cap. 14. num. 3. in fi. & cap. 32. num. 3. litera X. Et ratio est quia licet peccauerit in illo ministerio & seruitio, & idcirco in foro exteriori possit fructibus priuari, grauiori; pœna plecti, attamen certum est illud ministerium fuisse tam vtile Ecclesiæ, ac si exhibitum fuisset à ministro non suspenso, ergo ministerij stipendium percipere debet, ad aliã partem obiectionis de fructibus beneficij dicendum est, antecedens illud esse verum, quando omnino tollitur principale, verum suspensus ab officio multa potest beneficij ministeria obire, multis etiam priuatur, quæ si exerceat peccat, at fructus acquirit.

Ex his concludendum est ad propositam dubitationem de Parocho assistente matrimonio clandestino, quòd ob talem actum non est suspensus à beneficio, licet oppositum sentiat Bernar. Diaz. in sua pract. Canon. cap. 73. nu. 2. & Couar. in 4. lib. Decretal. par. 2. cap. 6. initio num. 15. quia tex. in cap. Cum inhibitio §. fin. de Clande. Desponsa. solum mandat suspendendum esse ab officio; ergo talis suspensio non est extendenda ad beneficia, vt probatum est, Concilium autem Tridentinum sess. 24. cap. 1. remittit vt arbitrio Ordinarij puniatur, & loquitur Concilium quando matrimonium clandestinum est nullum defectu numeri testium requisiti, quo casu posset Iudex hunc Parochum & ab officio, & à beneficio suspendere si culpæ grauitas hanc pœnam postularet.

Quinto dubitari potest an Parochus qui ab officio suspensus fuit, quoniam matrimonio clandestino interfuit possit ab Episcopo absolui.

Duæ sunt Doctorum oppositæ sententiæ in hac dubitatione. Aliqui affirmant talem Parochum triennio suspensum ab officio iuxta dispositionem dicti cap. Cum inhibitio. §. fin. de Clande. Desponsa. posse absolui ab Episcopo, probatur primò ex cap. Nuper, de senten. excom. ibi: *Quia conditor Canonis, eius sibi absolutionem specialiter non retinuit eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* Et quamuis ibi tex. loquatur de excommunicatione, quæ non reseruatur à Canonis conditore, tamen eadem videtur ratio de suspensione non reseruata, sed suspensio triennalis dicti cap. Cum inhibitio non est reseruata, ergo poterit ab ea Episcopus absoluere, secundo eius est absoluere, cuius est ligare, sed hæc suspensio non incurritur ipso iure, sed ministerio Episcopi imponenda est, vt diximus, ergo Episcopus imponens poterit ab illa absoluere, ita docet Host. in dicto cap. Cum inhibitio, Vers. Per triennium, & ibi Io. Andr. num. 11. præpos. num. 11. Immo idem dicunt de proprio Parocho quod possit ab ea suspensione absoluere.

Contra sententia est communior & verior, primò, quia licet Doctores communiter asserant, suspensum à iure, quod sibi absolutionem non seruauit, posse ab Episcopo absolui, id tamen est intelligendum, vbi

A suspenditur à iure indefinitè, nullo designato termino, secus vbi terminus suspensioni adijcitur, vt cõtingit in hoc casu, cum enim iure definitum sit tempus, Episcopus qui inferior est, non potest suspensionem relaxare antequam tempus prætereat. Confirmatur, quia illa constitutio cap. Cum inhibitio; edita est in Concilio Lateranensi, sed Episcopus nequit dispensare super Constitutione Concilij generalis vt Doctores notant in cap. Ac si Clerici, in §. fin. de Iudi.

Secundo tex. in dicto cap. Nuper. loquitur in specie de excommunicatione, cuius absolutio si non sit reseruata, permittitur Episcopo, & Parocho, quæ dispositio non videtur locum habere in hac suspensione, de qua tractamus, quia absolutio excõmunicationis de-

B bet necessario promitti ante absolutionem peccatorum, & ideo vt saluti animarum cõsuleretur, opus fuit facile concedere absolutionem excommunicationis, ideo dum non reseruatur censetur concedi Episcopo, & Parocho, quæ ratio in suspensione non militat, deinde ludibrio esset, pœna hæc suspensionis triennalis, si statim postquam illa Sacerdos esset obstrictus, à suo Parocho absolui posset; Immò si ipsemet Parochus illam incurreret, quomodo alium Parochum proprium habere posset à quo absolueretur, & iuxta sententiam Glo. in cap. Cupientes §. Cæterum. Ver. Suspensus, de elect. lib. 6. quæ affirmat tex. in cap. Nuper. de senten. excom. loqui tantum de excommunicatione talis Sacerdos suspensus non posset absolui ab Episcopo, &

C quamuis sequamur opinionem Glo. in Clem. 1. §. Verùm; Ver. Excommunicationis de hæret. quæ extendit dictum cap. Nuper ad suspensionem, quando non fuit lata ad tempus certum, & definitum, secus si sit ad tẽpus determinatum, adhuc contraria sententia non esset vera in casu suspensionis triennalis impositæ contra Sacerdotem assistentem matrimonio clandestino in dicto cap. Cum inhibitio, quia hæc suspensio est ad tempus determinatum. Tandem illa opinio Hostiensis aptari posset pro solutione huius dubitationis, in qua versamur, etiamsi omissis opinionibus vtriusq; Glo. sequeremur opinionem Pauli & Domin. quam refert Bernar. Diaz. in pract. Canoni. cap. 73. num. 3. qui distinguunt de suspensione lata à lege propter pœ-

D nam, aut propter contumaciam, & in primo casu negant Inferiorem posse absoluere, nisi ex causa vrgente. In secundo, admittunt locum habere dictum cap. Nuper, verùm suspensio triennalis dicti cap. Cum inhibitio, non est lata in contumaciam, sed imposita in pœnam; Quare hanc sententiam, vt non valeat Episcopus absoluere ab hac suspensione triennali, tradit Couar. in 4. lib. Decret. par. 2. cap. 6. in princip. num. 14. Bernar. Diaz. in dicto cap. 73. num. 3. Henriquez. lib. 13. de excom. & suspens. cap. 39. §. 3.

Neque etiam Episcopus ab hac triennali suspensione absoluere valet virtute decreti Concil. Tridentini sess. 24. cap. 6. de Reforma. quia hæc suspensio non

E incurritur ipso iure, sed per sententiam Iudicis, cognitione præmissa de delicto, vnde supponitur delictum deductum ad forum contentiosum, in quo casu nulla facultas conceditur Episcopo, in dicto cap. 6. sed solum quamdiu delictum manet occultum.

Ab illa verò suspensione, quæ ipso iure imposita est à Concil. Trid. sess. 24. c. 1. in Parochum, vel alium Sacerdotem coniungentem, aut benedicentem alienos Parochianos, absque licentia proprij Parochi, non solum Episcopus, sed etiam eius Vicarius generalis potest absoluere, vt constat ex illis verbis dicti cap. 1. *Ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordi-*

Ordinario eius Parochi qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur. Nomine aut Ordinarij comprahenditur Vicarius Epiſcopi, & quicumq; alius habens Iuriſdictionem ordinariam, Glo. in cap. Ordinarij, Ver. Locorum de off. ordin. lib. 6. Vbi Franc. nu. 3. Idem in c. 2. nu. 7. de Conſtitut. Vbi Domin. nu. 3. Abb. in cap. Cum olim n. 2. de præſcript. Immol. in cap. De Monachis nu. 5. Verſ. Idem aduerte, de præben. Dec. in cap. Poſt ceſſionem num. 1. & 6. de probat. Sylue. excommunicatio 9. caſu 47. num. 92. notab. 2. Verſ. Sed aduerte, Nau. lib. 4. conſ. in Tit. de ſponſal. conſ. 5. num. 2. & alij. Sed animaduer- A tendum eſt hunc Ordinarium non eſſe Iudicem Ordinarium ipſius Parochi ſuſpenſi, qui abſoluendus eſt, ſicut requiritur in alijs abſolutionibus, & diſpenſationibus; Regulariter enim abſolutio, aut diſpenſatio petenda eſt à proprio Ordinario, illius loci qui abſoluendus, ſeu diſpenſandus eſt; ſed in caſu hoc; Concilij Tridentini, Ordinarius cui committitur facultas abſoluendi à ſuſpenſione, eſt proprius Ordinarius illius Parochi, ad quem pertinebat matrimonium celebrare, aut benedicere, vt expreſſe habetur in eodem cap. 2. Concilij Tridentini.

DISPVTATIO DVODECIMA.

DE SVSPENSIONIBVS IVRIS IN CLERICOS DELINQVENTES

Contra dignitatem ordinis Eccleſiaſtici.



NON tantum Clerici poſſunt varijs modis delinquere violando conſtitutiones Pontificias in executione, & vſu ipſorum ordinum, & hac de cauſa incurrere ſuſpenſionem, vt explicatum eſt ſuperiori diſputatione, ſed etiam poſſunt plura peccata committere non ſeruando obligationes ab Eccleſia eis iniunctas, ex Eccleſiaſticis muneribus & ex decentia ſtatus Clericalis prouenientes, & ob huiuſmodi delicta Clericorum, aliquæ in Iure latæ ſunt ſuſpenſiones de quibus in præſenti diſputatione pertractandum erit.

CAPVT I.

De Suſpenſione aduerſus Clericos, qui vtuntur veſtibus Iure prohibitis.

QVoniam, vt rectè docet Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. oportet vt veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferant, vt per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant, cum autem tanta ſit aliquando hominum temeritas, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalē paruipendentes, veſtes etiam deferant publice laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus, propterea maxime opus fuit, vt huiuſmo- B di præſumptio, & indecētia poenis Eccleſiaſticis coerceretur à Sacris Canonibus, ideo latæ ſunt poenæ aduerſus Clericos deferentes quaſdam veſtes, quæ expreſſe, & in ſpecie illis interdictæ ſunt, de quibus poenis antequam incipiam tractare, antea breuiter declarare oportet, quæ veſtes dicendæ ſint honeſtæ, & clericales quatenus diſtinguuntur à laicalibus, quod non ſatis manifeſte in Iure reperitur definitum.

Glo. in cap. penult. Ver. Deauratis, de vi. & honeſt. Cleric. reſpondet eas cenſeri Clericis veſtes honeſtas & decentes, quę communi vſu deferuntur à Clericis in C ea prouincia vbi degunt, & ideo non dicitur Clericus veſtibus indecoris indutus, qui iuxta Regionis conſuetudinem, & morem veſtitus incedat ita Abb. ibi, num. 18. Ideo Alex. conſil. 149. num. 12 vol. 6. inquit omnem habitum honeſtum Clericis conuenire, dummodo non ſit à conſuetudine reprobatus, quia Clericis non eſt certa habitus forma à Iure præſcripta, vt eſt Glo. notab. in Clement. 1. in fi. de elect. quæ tenet Clericis ſecularibus non eſſe expreſſum certum habitum à Iure, quantum ad colorem & formam, liceat fateatur peculiares quaſdam formas, & colores fuiſſe eis D prohibitos Clem. Quoniam, de vita, & honeſt. Cleric. & cap. Clerici eod. tit. lib. 6. non tamen inde ſequitur certum habitum eſſe præfixum. Hoc idem confirmat Alex. conſ. 8. in fin. vol. 1 Glo. in c. Siquis virorū Verb. Veſte, diſtin. 30. clare affirmat ſatis eſſe, vt quis vtatur veſte ſecundum conſuetudinem Regionis non obſtante conſtitutione in cap. Clerici de vi. & honeſt. Clericorum, quia lex debet conuenire conſuetudini Abb. in cap. 1. num. 1. Verſ. Nota primo, de Apoſta. Couar. pluribus probat hanc concluſionem cap. 31. n. 8. Verſ. Quarto, illud eſt obſeruandum pract. quæſt. E & Bern. Diaz. in pract. Can. Crim. c. 75. & apud eum Salſedo, & in eandem ſententiam citat plures alios.

Sed quamuis Iure non ſit expreſſe definitum, quas veſtes debeat ferre Clericus ſecularis, tamen in ſpecie reperiuntur interdictæ Clericis veſtes ſub quibuſdam

formis, & coloribus. Nam in cap. Clerici de vita, & honest. Cleric præter alia, quæ prohibentur Clericis ab Innoc. tertio tanquam minus honesta, & decentia, de vestibus Clericalibus ita dicitur, *Clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate, vel longitudine non notanda; Pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis aut sotularibus consuticijs frænis sellis &c. non vtantur.* Quod primò dicitur de vestibus clausis videtur clarum quid velit Summus Pontifex significare, nimirum vt Clericus non deferat vestes externas apertas, nè intimæ videri possint propter maiorem honestatem, & prohibetur etiam ne nimis breuiores, aut longiores sint, sed vt ibi notat Abb. num. 4. debent vsque ad talos peruenire. Quod habetur de pannis rubeis, aut viridibus pertinet ad colores qui interdicuntur Clericis. Hi duo colores prohibentur Clericis, vt notat ibi Abb. eod. num. 4. & hæc colorum prohibitio extenditur à Clemente Quinto in Clement. 2. in fin. eod. tit. etiam ad Caligas his verbis. *Huic insuper adijcimus sanctioni, vt Clerici præsertim Beneficiati caligis scaccatis rubeis, aut viridibus publice non vtantur,* debent enim modestiam, & honestatem non tantum in indumentis sed in calceamentis quoque seruare vt notat Glo. ex cap. Clerici, dist. 23. & tradit Abb. vbi supra tenens hoc non esse consilium, sed præceptum, & idcirco peccare mortaliter Clericum qui vestibus viridibus, aut rubeis vtitur. Idem tenet Syluest. Verb. Clericus 2. §. 2. Vers. Tertio peccat mortaliter, & licet Card. in dicta Clement. 2. in fin. teneat non prohiberi caligas virides, aut rubeas, nisi sint scaccatæ, tamen oppositũ sentit Sylu. ex sent. Glo. Idem Summus Pontifex in eod. cap. interdicit Clericis quantum spectat ad vestes ne vtãtur manicis aut sotularibus consuticijs deauratis, & ne Sacerdotes gerant cappas manicatas, neque fibulas ferant, aut corrigias intertextas auro, aut argento, neque anulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Addit tamen Glo. in Verb. Deauratis, quod Clerici in vestibus debent sequi consuetudinẽ, & morem Regionis ne videantur hipocritę. Vnde in cap. Si quis virorum, dist. 30. damnatur sub pœna anathematis si quis putat ad continentiam ostendendam pertinere vsum pallij, tanquam ex eo iustitiam habiturus & reprehendat illos qui Birris vtuntur, id est veste vili & abiecta, & Glo. in Summa, Ver. Quod vero 21. quæst. 4. notat posse Clericos secundum consuetudinem Regionis vti pretiosis vestibus, vt se accommodent moribus eorum, inter quos viuunt & ne vilescat dignitas Clericalis arg. c. Episcopi, dist. 80.

Hanc prohibitionem, vt Clerici à quibusdam vestibus abstinere debeant, Clemens Quintus innouauit in Concil. Viennensi & habetur in Clem. 2. eodem tit. vbi præcipit, vt Clerici abstineant à veste diuersorum colorum, appositis pœnis contra eos qui eiusmodi vestes publice deferre tentauerint, vt per decentiam exteriorem honestas morum interiorum dignoscatur. Pœnæ verò latæ à Clem. V. contra transgressores sunt. Primò si Clerici sint beneficiati ipso facto remanent suspensi à perceptione fructuum beneficij ad sex menses; Secundo si beneficijs careant, sunt inhabiles per sex menses ad beneficium quodcunque obtinendum. Tertio, habentes dignitatem personatum seu beneficium cum cura animarum, nec non cæteri in Sacerdotio constituti ac Religiosi si talem vestem deferãt, aut infulam, seu pileum publice, Beneficiati eo ipso à perceptione fructuum suorum beneficiorum quæ obtinent per annum suspenduntur; Cæteri verò Sacerdotes, & Religiosi per idem tempus inhabiles ad

A quodcumque beneficium Ecclesiasticum redduntur. Quartò supradicti & cæteri quicumque Clerici & Religiosi administrationem habentes qui vtuntur Epithogio, seu Tabardo foderato, vsque ad oram, idest vsque ad finem, & extremitatem, & ita breui quod vestis interior notabiliter videatur, tunc ipsi Clerici seculares & Religiosi administrationem habentes teneatur infra mensem Epithogium ipsum pauperibus erogare; Alij verò Religiosi administrationem non habentes infra idem tempus illud debent suis Superioribus assignare in pios vsus conuertendum. Quinto Clerici præsertim Beneficiati probibentur vti caligis scaccatis rubeis, aut viridibus nulla tamen additur pœna.

B Hæc disponuntur à Clemente Quinto de indumentis Clericorum additis pœnis contra eos, qui illa non seruauerint ad quorum maiorem declarationem plura sunt annotanda.

Et primo loco occurrit animaduertendum quod licet omnes Clerici communiter atque etiam Religiosi delinquere possint violando hanc constitutionem, tamen pœna suspensionis non imponitur omnibus, sed *illis* tantum, qui beneficium obtinent. n. 3. vt ex verbis tex. aperte colligitur fertur suspensio à beneficio. Dicitur enim, *A perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet sit eo ipso suspensus*, & inferius, *sint eo ipso*, Beneficiati videlicet, *à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent suspensi per annum*: Quare hanc

C suspensionem incurrunt soli Beneficiati, Clerici autem non beneficiati in sacris ordinibus citra Sacerdotium constituti redduntur eo ipso inhabiles per idem tempus ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum.

Secundo annotandum est ad incurrendum has pœnas maximè considerandum, an Clerici gestantes vestes eiusmodi eis interdictas, ob hanc delationem peccent mortaliter contra dispositionem huius Clemen. nam si iudicio prudentis viri non iudicentur Rei culpæ lethalis, non existimarem illos incurrere pęnas adeo graues, idest suspensionis à beneficio, & inhabilitatis, vt si Clericus non vteretur vestibus interdictis, communiter, & assidue, sed semel aut iterum, & ex ali-

D qua causa, vt ob celebrationem nuptiarum, aut Docturatus, vel ob aliam solemnitatem, & festiuitatem cohonestandam, vt inquit Card. nu. 4. in dicta Clem. & confirmat Nauar. in Manu. c. 27. n. 157. quod pluribus rationibus ex ipso tex. desumptis probat Card.

Tertio affirmandum est multa in eadem Clem. minutatim distingui, quæ vel vsu communiter non videtur recepta, aut non sub ea ratione, vt existimetur mortale peccatum violatio cuiusque particula dictæ Constitutionis, sed ad summum, indecentia quædam venialis.

Quarto notandum est, vestem virgatam, vel partitam vocari illam, quæ habet diuersos colores, siue in

E ipsa textura panni, siue ex accidenti quando vestis artificiose ornata fuit, vt notat Glo. in dicta Clemen. in Verb. Partita, & tradit Card. num. 1. Vnde in cap. vlt. 20. q. 1. in fin. De vidua, quæ professionem viduitatis facit, dicitur quòd accipere debet vestem professioni conuenientem, de qua statuitur, vt nec diuersi coloris aut diuersa partis esse debeat, & in cap. 1. 21. quæst. 4. in fin. refertur quod antiquitus Homines vtebantur vestibus communibus, non diuersorum colorum, ibi, *Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitate vestimentorum.*

Quintò notandum est ex Glo. in eodem Ver. Partita, quòd licet in cap. Clerici de vita, & honest. Cleric. vestes rubei, & viridis coloris prohibitæ sint Clericis, pœnæ tamen huius Clem. afficiunt tantum illos qui gerunt vestes hic damnatas.

Sextò notandum est ex Card. in eadem Clem. nu. t. prohibere Clericis vsum harum vestium publicè, secus verò si illis vtantur secreto, & dicitur quis publice portare cum multitudini patet. In domo vero dicitur secretè quia domus rem secretam, non publicam denotat, vt probat Glo. in eadem Clem. Verb. Publicè. Bernard. Diaz. in Pract. Canon. capitulo 75. nu. 3.

Septimo annotandum est Clericum non incurrere pęnas huius Clem. si vtatur veste virgata aut partita ex rationabili causa, quando enim causa subsistit licitũ est ei gerere prohibitam vestem, vt inquit Card. vbi supra, Syluest Verb. Clericus 2. §. 2. Vers. Secundo peccat mortaliter. Rationabilis autem causa erit timor, vt si Clericus transiturus sit per loca Infidelium, aut Hæreticorum, vt dicunt Doctores citati & Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerdo. cap. 48. Vers. Decimaseptima habetur. Idque expresse probatur ex capit. Clerici de vita & honest. Cleric. ibi, *Nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformare*, & ibi Glo. in Verb. Causa, metus enim iustus, vt mortis seruitutis, verberum & similis excusat, vt probat Glo. in cap. 1. Verb. Non timore mortis de his quæ vi. metusue ca. fin. Similiter Glo. in cap. Vt periculosa Verb. Temere ne Cleri. vel Mona. lib. 6. affirmat ex causa iusta licere habitum transformare, & hanc causam esse Timorem. Idem asserit Glo. in cap Siquis de Clericis. Verb. Relaxauerit, de vita & honest. Cleric. vbi refert Distichon quod respondit quidam Clericus cum à Summo Pontifice reprehenduntur de habitu dimisso, & est sequens, *Tutius vt peterem Laici sub imagine Romam Fas fuit, vt sinerem luxuriare comam*. Idem tenet Abb. in cap. 1. num. 3. in fi. de Aposta. Io. de Anania in Rubri. Vers. Quartò circa prædicta eodem tit. Simon Maiol. lib. 5. cap 5. in fin. Vbi nulla pœna dignum esse dicit Clericum, qui habitum Sacerdotalem deposuerit ob hostium persecutiones præsertim transiturus ad alia loca exemplo Eusebij Samosaten. Episcopi, qui pertransiens per Thraciam vt confirmaret fideles, & Episcopalia munia perficeret, deferebat militarem habitum deposito Episcopali, Hist. Tripart. lib. 7. cap. 16. Verum sine rationabili causa prohibentur Episcopi habitu transformato vagari, à Ioanne 22. etiam sub pœna excommunicationis in extrauag. vt Prælatorum, & extrauag. Et si deceat. de maior. & obediẽt.

Immò non solum iustus timor potest esse rationabilis causa propter quam liceat Clericis sine peccato & pœna mutare habitum Clericalem, sed etiam legitima causa potest esse longinqua peregrinatio, vt inquit Syluest. Verb. Clericus 2. §. 2. Vers. Secundo peccat mortaliter, & probatur manifeste ex cap. Episcopi 21. quæst. 4. *Episcopi, Presbyteri, Diaconi secularibus indumentis non vtantur, nisi vt condecet, tunica Sacerdotali* & infra *præterquam si in itinere longo ambulauerint*, sed addit Syluest. quod in hoc casu longinquæ peregrinationis, fortasse non licet habitum omnino transformare, vt nullo modo iter agens appareat Clericus sed Laicus, si desit timor probabilis, cum hoc expresse sit interdictum sub priuatione communionis, in eodẽ cap. Episcopi 21. quæst. 4. Item hæc omnimoda mutatio vestimentorum, vt Clerici à Laicis non distinguantur, penitus prohibetur in capitulo Contingit, 2. de sententia excommunicationis. Possunt tamen Clerici in itinere gerere vestes breuiores, & expeditiores vt viget mos & consuetudo itaut tamen agnoscantur tanquam Clerici. Similiter causa legitima ad excusandũ Clericum si deferat vestes prohibitas posset dici paupertas, si enim propter paupertatem cogitur vti vestibus minus decentibus non incurrit pęnas Clement. vt tradit Bernard. Diaz in pract. Can. cap. 85. num. 4. ex scutent. Imo.

Octauò notandum est quoad pœnas huius Clem. quod Clericus Beneficiatus transgressor etiamsi solam primam tonsuram habeat per sex menses est a perceptione fructuum eo ipso suspensus, vt inquit Syluest. vbi supra. De quibos autem fructibus sit hoc intelligendum, an de Decimis, & oblationibus, vel de distributionibus quotidianis tractat Card. nu. 9. Fructus autem qui erant Clerico debiti tempore suspensionis applicantur Ecclesiæ vtilitati, nisi sint distributiones quotidianæ, quæ iure accrescendi acquiruntur ab alijs deseruientibus ita tenet Card. num. 6. Quod si non sit beneficiatus, sed in sacris citra Sacerdotium constitutus, per idem tempus redditur eo ipso inhabilis ad beneficium Ecclesiasticum, & si durante inhabilitate impetret literas ad beneficium, literæ reddũtur nullæ, itaut etiam transacto spatio sex mensium, vigore illarum non poterit beneficium obtinere. Quòd si literæ essent antea impetratæ, & tempore inhabilitatis vacauerit beneficium, si literæ non haberent clausulam ad beneficium acceptandum, redderentur nullę ratione inhabilitatis, sed si in eis esset apposita talis clausula tunc posset Clericus acceptare post sex menses beneficium, quod vacauit infra semestre inhabilitatis, ita tradit Cardin. in dicta Clementin. 2. Vers. Si vero numero quarto, & quinto. Quæ verò maior sit pœna vel priuari fructibus beneficij, vel inhabilitari ad beneficia Card. Vers. Dignitatem, nu. 5. concludit primam pęnam esse grauiorem, nam contingere potest, vt secunda pœna non habeat effectum, si Clericus tempore inhabilitatis non vocetur ad beneficium, quod si Clericus deferens vestes contra cõstitutionem dictæ Clem. habeat dignitatem personatam, seu beneficium, cui sit annexa cura animarum, & alij in Sacerdotio constituti, sunt Beneficiati per annum suspensi à perceptione fructuum, Sacerdotes verò per idem tempus inhabiles ad beneficium redduntur.

Præter poenas impositas in hac Clement. aduersus Clericos, qui vestibus ibi prohibitis vti præsumant, Concilium Constantiense sess. 14. tit. De Vita & honestat. Cleric. certam formam indumentorum præscribit additis grauissimis poenis, & transgressores aliquo modo appellari possunt Apostatæ, vt inquit Syluest. in Verb. Apostasia §. 5. & Abb. in cap. Tuæ. De Aposta. & postremò Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. De Reform. innouauit Constitutionem Clementis Quinti in Concilio Viennensi editam, statuẽs, vt omnes Ecclesiasticæ personę, etiam exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates personatus, officia, aut beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ipsorum beneficiorum coerceantur, & si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum, & beneficiorum puniantur; & sess. 24. capitulo decimosecundo, propè finem, de Reformat. iterùm hanc vestimentorum decen-

decentiam à Clericis requirit his verbis, *Vestitu insuper decenti, tam in Ecclesia, quàm extra assiduè vtantur*. Decens autem videtur habitus oblongus vsque ad talos, sicut communi consuetudine receptum est apud omnes nationes. Item idem Concilium, sess. 22. cap. 1. de Reform. monet Clericos ita vitam, moresque suos omnes componere, *vt habitu, gestu, sermone, alijsq; omnibus rebus, nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant*, & paulo post præcipit, *vt quæ alias à Summis Pontificibus, & à sacris Concilijs de Clericorum vita, honestate & cultu &c. copiosè ac salubriter sancita fuerunt eadem inposterum iisdem pœnis vel maioribus arbitrio Ordinarij imponendis obseruentur*.

Ex quibus omnibus aperte dignoscitur quàm exactè Antiqui Patres Clericorum modestiam, & grauitatem procurauerint etiam in vestibus deferendis, quod ex verbis etiam Concilij Matisconensis primi cap. 5. optime intelligitur, sicut refert Bernar. Diaz. in sua pract. Can. cap. 75. in fi. Vbi ita sancitum fuit, *Vt nullus Clericus sagum* est genus vestis breuioris, qua vtebantur Milites, *aut vestimenta, aut calceamenta secularia nisi quod religionem deceat induere præsumat quod si post hanc definitionem aut cum indecenti veste, aut cum armis inuentus fuerit à Seniore ita coerceatur: triginta dierum inclusione detentus aqua tantum & modico pane diebus singulis sustentetur*.

CAPVT II.

De suspensione quam incurrunt Clerici beneficium habentes, si illud alienis debitis grauare præsumunt.

PErtinet ad obligationem, quam habet Clericus obtinens Ecclesiam, vt non grauet illam alienis debitis, nam cum ex officio suo debeat Ecclesiæ iura, & bona ac reditus augere, si id negligit & aere alieno Ecclesiam premit delinquit contra debitum suæ administrationis & dignus est pœna. Vnde Gregorius Nonus in cap. 2. de solut. prohibet ne omnino Prælatus audeat Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis obligare, aut literas alicui seu sigilla concedere quibus possit Ecclesiam obligare. Quod si contra fecerit, declarat Summus Pontifex Ecclesiã ex tali obligatione non teneri ad solutionem debiti contracti, & addit Glo. Ver. Non teneri, nisi quatenus id quod receptum est versum est in vtilitatem ipsius Ecclesiæ c. Quod quibusdam de fideiussio. Tandem Gregorius imponit pœnam aduersus transgressores huius Constitutionis, his verbis, *Si quis autem contra præmissa de cætero venire præsumpserit ab administratione spiritualiũ & temporalium nouerit se suspensum*. Quare ob hanc actionem incurritur suspensio. Quod affirmant omnes Doctores tam Theologi quàm Canonistæ. Palud. in 4. sentent. distin. 18. quæst. 7. art. 2. casu 6. Summa Asten. part. 2. lib. 7. tit. 16. art. 7. casu 13. Ang. Ver. Suspensio 1. casu 10. Sylue. Ver. Suspensio §. 6. Vers. Decimo suspensus est, Tabien. eod. Ver. Vers. 6. casu 8. Abb. in eodem cap. 2. de solut. & ibi omnes. Sed ad clariorem cognitionem huius suspensionis nonnulla sunt animaduertenda ex Doctoribus.

Primò notandum hanc pœnam suspensionis non afficere Episcopos si grauant suas Ecclesias alienis debitis, sed tantum Clericos inferiores Episcopis vt notant Ang. & Sylue. citati & probatur ex c. Quia periculosum, de sent. excom. lib. 6.

Secundò notat Abb. in dicto capitulo, numero secundo, hanc suspensionem obstringere Clericum,

A qui grauat Ecclesiam pro alienis debitis, siue accipiat mutuum, siue alienam obligationem nomine suo, siue fideiubeat pro alio, nisi mutuum receperit ad sui sustentationem, tunc enim, inquit, Abb. non dicitur obligare Ecclesiam pro alienis debitis, sed proprij ipsius Ecclesiæ.

Tertiò notandum est cum in Tex. imponitur poena suspensionis contra eum, qui præsumit Ecclesiam sibi commissam alienis debitis grauare, *aut literas alicui, seu sigilla concedere quibus possint Ecclesiæ obligari*. Ex his verbis colligi quòd cum sigillo possit Ecclesia obligari, sed Hostien. tenet procurationem non posse probari ex sigillo, quod magis placet Abb. in eodem capitulo 2. numero 3. de solut. nisi sigillum sit deputatum ad procurationem constituen-

B dam. Quare Abb. ita interpretatur quod dicitur in Tex. de sigillo, vt intelligatur de sigillo impresso in charta, in qua nihil sit notatum, sed concessa facultas alteri describendi quicquid voluerit, vel vt detur sigillum, quo firmetur debitum soluendum nomine Ecclesiæ, quod non careret vitio falsitatis.

Quartò animaduertendum est quod Prælatus, qui hanc Constitutionem obligat Ecclesiam suam, aut literas, vel sigillum concedit ad illam obligandam incurrit ipso iure pœnam suspensionis, & nihilominus tenetur ad reficiendum Ecclesiæ quidquid damni ex huiusmodi obligatione pati potuerit, vt inquit

C Glo. Ver. Suspensum ex cap. Si quis Presbyterorum, de reb. Eccle. non alienan.

Sed hic quæri potest, an si Prælatus reipsa restituerit Ecclesiæ damnum, & reddiderit ipsam indemnem, remaneat adhuc suspensus ab administratione, & indigeat absolutione, vel intelligatur ipso iure restitutus.

Glo. in dicto cap. 2. Ver. Suspensum de solut. proponit difficultatem, & pro parte affirmatiua adducit iura in cap. Si qui sunt, dist. 81. Vbi Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi in fornicationis crimine iacentes suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ his verbis, *Interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, & S. Petri auctoritate Ecclesiæ introitum vsque dum poeniteant, & emendẽt*,

D & ibi Glo. Ver. Emendent, inquit, *Ex hoc videtur quod sicut tales ipso facto suspenduntur, sic ipso facto per contrarium restituitur eis officium*. Idem confirmat Glo. in c. Nullus Ver. Audit, dist. 32. vbi de notorio fornicario dicit quod ipso actu est suspensus sed per contrarium actum restituitur ei officium, vnde quam cito pœnitet posset celebrare licite, arg. cap. Nos Sanctorum, 15. quæst. 6. & cap. Si quis deinceps, vbi Glo. Ver. Interdicimus 16. quæst. 7. Ad idem optimè facit tex. in cap. Quod sicut, in fi. de elect. Vbi de persona cuiusdam electi contra quem plura opposita fuerant, ita habetur. *Quod autem tabulam argenteam dicitur vendidisse, dummodo Ecclesiam Armachanam reddas indemnem, æquanimiter poteris præterire, cum id de Cleri, & populi*

E *processerit voluntate*. Vbi Glo. Ver. Præterire, notat purgari pœnam criminis per restitutionem, & in cap. Si quis Presbyterorum, de reb. Eccle. non alien. Alienans rem Ecclesiæ excommunicatur, nisi rem restituat. Ergo si restituat cessat pœna excommunicationis. Idem in cap. Si quis qualibet 12. quæst. 2. Pro parte vero opposita quod Prælatus satisfaciens Ecclesiæ quam obligauit, non ideo sit restitutus administrationi, facit vt inquit eadem Glo. in d. c. 2. Ver. Suspensum de solut. ratio ipsa, quoniam talis Prælatus iam redditus est suspectus, cum obligauerit Ecclesia contra dispo-

dispositionem sacrorum Canonum, vnde propter satisfactionem non tollitur animus deprauatus Prælati, sicut dicitur de tutore quod satisdatio non immutat maliuolum animum Tutoris, Instit. de suspect. Tut. §. Nouissime, & l. suspectus. ff. eo. tit. & l. seq. Immò remouendus est de facto, si administrationem non dimisit, & probatur ex l. Non prodest ff. vt bono. Rapto. Vbi statuitur prodesse Raptori rem restituere ad euitandam pœnam simile habetur l. Qui ea mente ff. de furt. & l. 1. §. si in rem depositam ff. depositi.

In hac difficultate duæ sunt opiniones Doctorum, vt tradit Abb. in capitulo Quod sicut, numero 14 de elect. Prima affirmat Prælatum, seu Rectorem Ecclesiæ posse se liberare à pœna ipso iure imposita ob delictum iniustæ alienationis Rei Ecclesiasticæ, si velit Ecclesiam indemnem reddere, compensando illam ex proprijs bonis, vel aliunde, & probant hoc dictum ex Iuribus superius citatis, quod multo magis cogũtur affirmare de pœna suspensionis ab administratione spiritualium, & temporalium ob delictum obligãdi Ecclesiam alienis debitis, de qua quæstione modo agimus, maius enim est crimen, & Ecclesiæ maiorem affert læsionem, si bona Ecclesiastica omnino alienantur, quàm si obligatione grauentur, & similiter grauior est pœna Depositionis, quàm suspensionis; Quare si Alienans liberatur à pœna Depositionis restituendo, multo magis æquum videtur vt eximatur à pœna suspensionis liberando Ecclesiam ab obligatione. Hæc est prima sententia; Secunda verò est huic opposita quod licet Ecclesia reddatur indemnis non idcirco euitatur pœna Depositionis, aut suspensionis, quæ sententia placet Abbati, quam dicit fuisse Hostien. & Io. And. & esse communem. Facit cap. Monemus, & ibi Glos. Ver. Reddere 12. quæst. 2. Idem affirmat Glos. vltim. in Ver. Præterire in capitulo Quod sicut, de elect. dicens quod licet Prælatus restituat Ecclesiæ, non euadit pœnam Depositionis, aut Suspensionis, sed tantummodo euitat pœnam excommunicationis probat quod restituendo non liberetur à pœna Depositionis ex cap. Statuimus 12. quæst 2. Vbi refertur Constitutio Concilij Agathensis cap 22. qua definitum fuit venditionem rei Ecclesiasticæ factam à Prælato esse irritam, & ipsum remanere obstrictum ex proprijs bonis reddere Ecclesiam indemnem, & demum communione esse priuandum quarè propter restitutionem non liberatur à pœna. Simile habetur in cap. Diaconi ead. cau. & quæst. Alia ratio est de excommunicatione, quæ incurritur solum ob contumaciam. Ergo vbi Prælatus pœnitens facti celeri restitutione curet Ecclesiam seruare indemnem antequam læsionem aliquam patiatur ex alienatione, tunc non afficitur excommunicatione vt dicitur in cap. Siquis Presbyterorum, de reb. Eccle. non alienan. quia cessat contumacia. Ad id verò quod habetur in fin. cap. Quod sicut, de elect. de Prælato qui tabulam argenteam Ecclesiæ vendiderat, cui Summus Pontifex iubet vt pœna remittatur si Ecclesiam indemnem reddiderit his verbis: *Dummodò Ecclesiam Armachanam reddiderit indemnem æquanimiter poteris præterire, cum id de Cleri & populi processerit voluntate.* Respondet eadem Glo. ibi illud peculiariter in eo casu ex gratia, & benignitate Papæ concessum fuisse vt verba relata clarè indicare videntur, & idcirco fuit toleratio quædam Papæ, præsertim cum illa alienatio accedente consensu Cleri ac populi facta fuisset. Eodem modo intelligit eadem Glo. capit. Quod quis committit 35. quæst. 9. De eo qui ex

A misericordia tolleratur in officio suo.

Secundo quæri potest an in hac suspensione facultatem habeat dispensandi inferior à Papa.

Innocentius vt refert Abb. num. 5. afferit Inferiorem à Papa tollere posse hãc suspensionem quia Summus Pontifex eius absolutionem sibi non reseruauit; Quare videtur alteri concessisse, sicut dicitur de excõmunicatione à Canone lata in c. Nuper de sent. excõ.

Angel. Ver. Suspensio 1. casu 10. Sylue. Ver. Suspensio §. 6. Vers. Decimo suspensus est, tenent Episcopum dispensare posse, non tamen debere dispensare nisi antea indemnitati Ecclesiæ satisfactum fuerit iuxta c. Cum olim de verb. sign. Vbi Innocentius Tertius prohibet ne quis absoluatur ab excommunicatione nisi
B satisfacta parte, & eadem constitutio locum habet in Censura suspensionis.

Abb. in dicto cap. 2. nu. 5. de solut. oppositam sententiam sequitur, nimirum inferiorem Prælatum non posse tollere suspensionem illius cap. nisi in casibus in quibus potest dispensare, sed absolutionem pertinere ad Summum Pontificem. Ad hoc probandum in primis supponit distinctionem cuius meminit in c. Tam literis de testi. quod suspensio duobus modis ferri potest, seu duplicem rationem habere potest, aut per cõtumaciam per modum Censuræ, aut ob delictum per modum pœnæ. Si accipiatur primo modo vera est sententia Innocentij quod tolli possit per Episcopum, & inferiorem à Papa, quando non sibi specialiter illam
C reseruauerit sicut dicitur in dicto cap. Nuper, de sent. excom. qui eadem est vtriusque ratio arg. cap. Ex literis, de Constit. & quod tradit Innoc. in cap. 1. de excess. Prælat. Si autem suspensio sumatur secundo modo, idest imposita à Canone propter delictum sicut in dicto cap. 2. de solut. non patat posse illam tolli ab alio quàm à Papa, nisi in casibus concessis. Assignat Abb. rationem, quia pœna simpliciter lata propter delictum intelligitur perpetua vt in l. seruis. Cod. de Pet. & Ho. Sed inferior non tollit pœnam per Superiorem impositam §. Notandum 2. quæst. 3. nisi velit dispensare in casibus sibi permissis. Et hæc responsio Abb. est probabilior, & verior de qua copiosius egi supra in Disput. de Absolutione à suspensione.

D Tertiò dubitat Abb. in eodem cap. 2. nu. 8. de solut. Verum Prælatus obligans Ecclesiam sibi commissam alienis debitis contra dispositionem dicti capit. 2. & hac de causa incurrens suspensionem ab administratione spiritualium & temporalium, si ita suspensus celebrauerit, efficiatur Irregularis.

Abb. refert opinionẽ Host. & Io. And. opinio Host. est ob huiusmodi suspensionem ex celebratione contrahi irregularitatem arg. cap. 1. de Re Iudi. lib. 6. vbi suspensus ab executione officij celebrando, irregularitatis laqueo inuolutus declaratur, oppositum tenet Io. Andr ob eam rationem quia Prælatus grauans Ecclesiam alienis debitis non suspenditur ab ordine,
E sed tantum ab administratione Ecclesiæ, quæ non est actus peculiaris alicuius ordinis, & irregularitas incurritur tantum quando suspensus ab ordine exercet actum ordinis, vt inquit Innoc. in cap. Cum medicinalis num. 3. de sentent. excommun. lib. 6. & hoc est tenendum, vt inquit Abb. quia pœnæ non sunt ampliandæ.

Dubitat Io. And. An Prælatus mutuans pecuniam Ecclesiæ, incidat in hanc suspensionem.

Respondet non esse locum huic pœnæ si Prælatus mutuò det pecuniam Ecclesiæ, indigentibus, quando sine incommodo Ecclesiæ id fit quia fit diues & abun-

det pecunijs.& Abb. laudat dictum Io. And.quia Ecclesia tenetur ad eleemosinam erogandam pauperibus cap. Quoniam 16. q.1.ergo multo magis ad mutuandum,facit ad hoc id quod dicit Abb. in cap.2.n. 12. de fideiuss. vbi asserit Ecclesiam teneri ad soluenda debita contracta à Prælato ad sui sustentationem.

Ad argumentum eiusdem quæstionis de qua in hoc capite agitur pertinet scire pœnas ab ipso Iure latas contra alienatores, vsurpatoresq; bonorum Ecclesiæ, de quibus pertractat Bernard. Diaz.in sua pract. Cano.1. cap.71. quas distinctè enumerat apud eundem Diaz. in Annot. eiusdem cap. Salsedo; eas modo non prosequar & contra perperam alienantes bona Ecclesiarum Gugliel. Rodoan. duodecim pœnas conscripsit & declarauit in Tract. de Reb. Eccles.non alienan. quæst. 21. fol.447.

Postremò ad concludẽdum hoc caput non est omittendum in sacro Concilio Tridentino sess. 22. cap. 11. de Reform.graues pœnas statui aduersus tales bonorum Ecclesiasticorum, vel piorum locorum occupatores, vsurpatores, seu quouis quæsito, colore impedientes ne ab ijs ad quos de Iure pertinet percipiantur. Primò enim tam Clerici,quàm Laici anathemati subijciuntur, à quo non absoluuntur ab alio, quàm à Romano Pontifice, facta antea Ecclesiæ restitutione. Secundo si Clericus fuerit præter excommunicationem priuatur beneficijs, & ad quæcunque alia inhabilis redditur, & à suorum ordinum executione etiam post integram satisfactionem & absolutionem, sui Ordinarij arbitrio suspendi debet.

CAPVT III.

An occupans bona Ecclesiæ Sede vacante à Prælato defuncto relicta, Iuris suspensionem incurrat, & quam.

IN cap. Quia sæpè, de elect. lib. 6. fertur suspensio aduersus eos, qui vacante Sede Cathedralis Regularis aut Collegiatæ Ecclesiæ occupant bona, quæ ad Prælatum defunctum spectant, vel quæ tempore vacationis obueniunt, & in vtilitatem Ecclesiæ expẽdi,vel futuris deberent successoribus fideliter reseruari;hæc autem suspensio est ab officio & beneficijs, donec plenè restituerint quicquid de prædictis bonis acceperint,& afficit Capitulum, Collegia, & singulares personas,quæ huiusmodi bona occupant,inter se diuidunt, subripiunt, dilapidant,dissipant, & consumunt. Idem confirmant omnes Doctores in eodem c.Quia sæpe Palud. in 4.sent. distin.18. quæst.7.art. 2. casu 2. Angel. Ver. Suspensio num. 16. casu 1.Sylue. Ver.Suspensio. §. 6. Vers. Decimo sexto suspenduntur. Tabien. Ver.Suspensio num.7.Vers.6. casu 14.Nauar.in Manua. cap.27. num.156. Vers.Septima.Tolet.lib.5. Instruct. Sacerd. cap.15.

Primò quæri potest quid Bonorum nomine in hac Constitutione à Summo Pontifice intelligatur.

Respondeo ex communi & vsu recepta huius vocis significatione comprehendi vniuersaliter omnia bona,tam mobilia quàm immobilia,quæ à Prælato defuncto possidebantur, vel vacationis tempore ex fructibus Ecclesiæ proueniunt. Quod probari potest manifestè ex cap. Hæc huius, 12. q. 2. vbi sermo habetur in specie de hac subreptione bonorum remanentium post obitum Prælati, & exprimuntur mobilia, & immobilia illis verbis, *idest mobilis & immobilis rei Ecclesiasticæ conetur inuadere*, addenda sunt verba præcedentia ad sententiam perficiendam,scilicet, nullus

A Clericorum quidquam. Accedit quod cum in dicto cap. Quia sæpe, accipiatur verbum illud *Bona* indefinite,videtur explicandum generaliter vt notat Glo. in cap. Relatum 2. Ver. Bona,de Testam. tractat latè Couar. lib.1. Variar. Resol cap.13.

Glo. in Ver. Reseruari quærit an sub hoc nomine includantur fructus, & emolumenta illa quæ proueniunt ratione Iurisdictionis, quæ exercetur, puta ex pœna condemnationis alicuius,ex sigillo, & scriptura,& simili causa; Et respondet constitutionem illam in his fructibus locum non habere, assignat rationem quia hæc emolumenta pertinent ad eum, ad quem transit Iurisdictio, cum accessorium sequatur principale, sed Iurisdictio Sede vacãte deuoluitur ad Capitulum ex Iuribus per Glo.citatis, ergo & fructus B Iurisdictionis eidem competere debent nam fructus habent rationem accessorij ad iurisdictionem, quoniam mediante executione Iurisdictionis proueniunt. Quæ responsio Glos. intelligenda est ex dispositione Iuris Antiqui,cuius vigore, appellatione bonorum non videbantur comprehendi huiusmodi fructus; Verum hanc dubitationem sustulit Clemens Quintus in Cle. penult. de elect. vbi statuit vt statutum hoc Bonifacij Octaui editum super bonis dimissis à Prælatis Cathedralium,Regularium & Collegiatarum Ecclesiarum,aut super bonis obuenientibus tempore vacationis earum Ecclesiarum, reseruandis fideliter successoribus futuris, intelligeretur, & extenderetur ad om- C ne emolumentum, quod prouenit ratione iurisdictionis, aut ex sigillo vel alias vndecumque, quod ad Ecclesiarum Prælatos pertineret, si Ecclesiæ non vacarent, deductis expensis rationabilibus addita vnica limitatione, *Nisi vacante Sede iurisdictio cum eius emolumento ad aliquas singulares personas ex consuetudine, aut aliquo speciali priuilegio, aut titulo deuoluatur.*

Ex quibus verbis duo annotari possunt. Primum est Clementem Quintum nulla in re limitare dispositionem Bonifacij Octaui,vt bona à Prælatis dimissa ipsis decedentibus, vel tempore vacationis obuenientia, Prælatis successoribus reseruentur, quam dispositionem voluit vim habere non obstante quocunq; priuilegio,consuetudine contraria,Constitutione,& sta- D tuto,iuramento,confirmatione Sedis Apostolicæ, aut alio quocunq; modo vallatis, quæ omnia quoad hoc cassauit, irritauit & annullauit; Quare limitatio Clementis habet locum tantum in emolumentis prouenientibus ex iurisdictione & sigillo, extensio enim addita à Clemente coarctata fuit per prædictam limitationem.

Secundò notandum est dictam limitationem non esse intelligendam de priuilegijs personarum,vt tales sunt, sed ratione dignitatem quas obtinent, vt patet ex illis verbis dictæ Clement. *Cæterùm ad singulares personas,ad quas ratione dignitatum quas obtinent &c.* & Glo. in Ver. Singulares personas, & in Ver. Dignitatum,inquit Clementem loqui de singularibus perso- E nis Capitulorũ,Collegiorum,& Conuentuum,quę iure dignitatum quas obtinent,hoc sibi vendicant,nam Bonifacius in dicto cap. Quia sæpe, de elect. cassauit priuilegia cõcessa singularibus personis vt tales sunt.

Secundò quæritur, an si Prælatus malè administret bona communia Prælato defuncto, & Capitulo incurrat hanc suspensionem.

Gemin.in dicto cap.Quia sæpe num.6. De elect.lib. 6. tenet ex sententia Archid. non esse locum huic suspensioni ex mala administratione Prælati bonorum communium. Hoc dictum Archid. refert etiam Glo. in di-

in dicta Clem. penultima Ver. Dimissis De elect. & ad id confirmandum plura iura adducit. De hoc tamen dicto videtur Glo. valde dubitare propter clausulam, quæ habetur in dicta Clement. *Aut aliàs vndecumque*: Hæc verba indicant prohiberi generaliter vsurpationem omnium bonorum ad Prælatum pertinentium, quomodocumque ipsi competant: Ad idem facit ratio, quoniam Constitutio est generalis, de bonis relictis à Prælatis, & obuenientibus tempore vacationis sine vlla distinctione, & militat eadem ratio, siue sint bona Prælati distincta, siue communia cum bonis Capituli, si vsurpentur pro ea parte, quæ spectat ad Prælatum. Opinio tamen Archid. est communis, quam etiam Franc. sequitur in eodem c. Quia sæpè nu. 8. In Glo in Ver. Reseruari.

Hæc suspensio fertur contra singulares personas Ecclesiarum Cathedralium Regularium, seu Collegiatarum, vsurpantium bona dimissa à Prælatis ipsarum; Quare non habet locum in extraneis, qui non sunt de Collegio, si talem vsurpationem fecerint, vt inquit Glo. in Ver. Earundem, & tenet ibi Gemin. nu. 15. Anchar. num. 3. Franc. num. 1. nam vt ait Franc. contra alios extraneos alia remedia statuta sunt à Sacris Canonibus, de quibus in cap. Cum super de cau. possess. & per Innoc. in cap. Cum in officijs De Testa. Per singulares autem personas ipsarum Ecclesiarum non intelliguntur Episcopi, cum expressè non nominentur, vt probaui in cap. præcedenti sicut continentur in cap. Præsenti De off. Ordi. lib. 6. de quo statim dicam.

Incurritur autem hæc suspensio si personæ ipsius Collegij vsurpent huiusmodi bona non semper, sed vacantibus dictis Ecclesijs per obitum principalis Prælati, vt notat Glo. in Ver. Vacantibus, nam decedente principali Prælato Ecclesia dicitur vacare, & esse viduata cap. Ne pro defectu &c. Quia propter De Elect. Idem ait Sylue. Ver. Suspensio. §. 6. Vers. Decimo sexto suspenduntur.

Neque sub hac Constitutione includuntur Ecclesiæ nisi sint Collegiatæ, quia tales Ecclesiæ solum exprimuntur, ergo ad alias inferiores non extenditur, nam pœnæ non sunt ampliandæ, & notat Glo. in Ver. Collegiatis; Quæ verò dicantur Ecclesiæ Collegiatæ declarat Glo. in cap. Statutum. Ver. Collegiatas eodem tit. & libro.

Quare si Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu quiuis alij seculares, vel Regulares Prælati, aut Ecclesiasticæ quæcumque personæ vacantibus dignitatibus personatibus, prioratibus, vel Ecclesijs quibuscumque sibi subiectis occupauerint bona in ipsis inuenta morientibus earum Rectoribus, siue vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatem ipsarum Ecclesiarum expendi debent, vel futuris successoribus fideliter reseruari, non incurrunt suspensionem latam in dicto cap. Quia sæpe de elect. lib. 6. Sed aliam suspensionem impositam ab eodem Bonifacio Octauo in cap. Præsenti de off. ordi. eod. lib. Nam talium Ecclesiarum bona vsurpãtes si sint Episcopi, & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur, & si sic suspensi celebrant in Ecclesia irregulares fiunt, vt notat ibi Glo. Ver. Ecclesia ex cap. Is cui, de sent. ex com. eod. lib. Cæteri verò ab officio, & beneficio suspenduntur, & huiusmodi suspensiones incurruntur ipso facto quousque restitutionem fecerint de prædictis. Quamuis quod pertinet ad Episcopos aliqui censeant non ferri ibi Censuram Suspensionis, sed Interdicti; Episcopi enim suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ donec restituant, Suspensio autem ab ingressu Ecclesiæ propriè non est censura Suspensionis, sed Interdicti eum reuocari non possit ad aliquam pœnam Suspensionis, neque enim est ab officio, neque à beneficio; Vnde in cap. Exigit de Censi. lib. 6. eo quo loco alia similis Suspensio accipitur contra Episcopos, Summus Pontifex vtitur verbo Interdicti, non Suspensionis; Prohibet ibi ne Episcopus in visitatione, vel eius familiares recipiant procurationem in pecunia, neque munera, & si contra fecerint obligat Summus Pontifex Episcopum ad restituendum duplum eius quod receperit Ecclesiæ, à qua recepit, infra mensem, & subdit, *Alioquin ex tunc Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi duplum ipsum vltra prædictum tempus restituere differentes ingressum Ecclesiæ sibi sentiant interdictum*. Et similis pœna imponitur in Extrauag. Vni. de reb. Eccles. non alienan. Vbi Episcopus, vel Abbas Ecclesiæ bona alienans contra illam Constitutionem ab Ecclesia interdicitur, quæ propriè non potest dici Censura Suspensionis, sed Interdicti, sed additur ibi alia pœna, quæ habet ratione Suspensionis, nempe si quis in illa suspensione obdurato animo per sex menses perseuerauerit ab administratione suæ Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus suspenditur absolutè absque vlla temporis præfinitione.

Quod si totum Capitulum delinqueret contra constitutionem dicti cap. Quia sæpe, idest singuli capitulariter constituentes Capitulum, omnes sunt suspensi, neque tamen interim vacare debent diuina officia in Ecclesia, sed ex fructibus suspensorum conducendi sunt Clerici, qui suppleant vices illorum, & Ecclesiæ inseruiant, vt tradit Glo. in Ver. Officio num. 17. facit cap. Peruenit, & ibi Glo. Ver. Assignes. De appellat. cap. Cum ex eo §. Porro de Elect. lib. 6 & c. Cupientes. §. Cæterum & ibi Glo. Ver. Beneficij cod. tit. & lib.

Dubitatur de Suspensione, quæ fertur *à beneficiis quibuscumque* an intelligi debeat de omnibus beneficijs illius Ecclesiæ cuius bona vsurpantur, an verò ab omnibus alijs, quæ extra illam Ecclesiam possidet.

Glo. in Ver. Beneficijs quibuscumque proponit difficultatem, & adducit duo iura ad probandum Summum Pontificem voluisse ferre suspensionem tantum ab omnibus beneficijs, qua vsurpatur bonorum Ecclesiasticorum obtinet in Ecclesia cuius bona vsurpantur. Primò citat c. Cupientes Vers. Cæterum. De elect. lib. 6. Vbi ira imponitur suspensio *Ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia de cuius electione agitur obtinent* Vbi Glo. in verb. In ipsa Ecclesia notat suspensum à beneficio in sua Ecclesia, non idcirco esse suspensum in alia, secus verò ait dicendum esse in excommunicato, vel in suspenso ab officio. Deinde citat c. Si compromissarius eod. tit. & lib. vbi ita imponitur suspẽsio A beneficiis Ecclesiasticis *triennio iuxta Lateranense Concilium suspenditur ipso iure*, & paulo infra additur: *Restringitur etiam dicta pœna solum ad ea beneficia, quæ sic peccans in illa obtinet Ecclesia, quam taliter eligendo specialiter noscitur offendisse*, Vbi Glo. Ver. In illius beneficijs, Et eodem modo dicit esse interpretandum cap. 1. circa fi. eod. tit. & lib. vbi fertur suspensio à Beneficijs indefinitè, Nihilominus oppositum sentit Glo. de suspensione à beneficijs, quæ habetur in dicto cap. Quia sæpe; Nempe Vsurpatorem bonorum Ecclesiasticorum suspensum esse ab omnibus beneficijs, etiam illis, quæ obtinet extra illam Ecclesiam. Assignat rationem quarè in locis citatis suspensio fit à beneficijs vnius Ecclesiæ, & in cap. Quia sæpè à beneficijs cuiuscumque Ecclesiæ, quia in cap. Quia sæpe imponitur

nitur quoque suspensio ab officio, in aliis verò locis minime. Quare qui suspenditur ab officio, & beneficiis dicitur suspensus ab omnibus beneficijs. Probat ex cap. Eos etiam dist. 81. ibi, *Sicut se iustissimè ab officio alienos faciunt, ita beneficio Ecclesiarum priuatos esse adiudicamus.* & ex cap. Latores vbi Glo. Ver. Ab officio. De Cleri. Excomm. mini. & reddit rationem eadem Glo. cap. Quia sæpè cur grauior pœna apponatur in ea decretali, quàm in aliis iuribus citatis, dicens id fieri quoniam suspensus dicta Suspensione cap. Quia sæpè, potest statim sibi consulere restituendo; In aliis locis adductis fertur suspensio ad triennium; Vel vt dicitur in addit. ad Glo. ex Archid. imponitur grauior pœna in c. Quia sæpè, quàm in cap. Cupientes propter latrocinium, Vel secundum Io. And. quia hic peccat, vt Iudex, & administrator, ibi vt priuatus. Hanc Glo. sequuntur Gemin. num. 17. Anchar. num. 3. Franc. num. 2.

Pro solutione huius difficultatis primò dicendum est non esse probandam rationem Glo. quod ideo suspensio à beneficiis imposita in cap. Quia sæpe interpretanda est de omnibus beneficiis, quia sit coniuncta cum suspensione ab officio, quæ ex sui ratione infert suspensionem à beneficio; Hæc inquam ratio non placet, nam vt fusius pluribus rationibus probaui in Disp. 4. cap. 3. ex vi suspensionis ab officio non priuatur suspensus ipso iure fructibus beneficii, quia sunt duæ species distinctæ suspensionis, & vna non includitur in alia necessariò, & quando lex in pœnam alicuius delicti ita exigente eius grauitate delinquentium temeritatem coërcere intendit expressis verbis de vtraque loquitur, sicut videmus in hoc cap. Quia sæpè, in quo vtraque suspensio ab officio, & beneficio contra transgressores bonorum Ecclesiasticorum imponitur; Quamobrem non valet ratio Glossæ, quòd ideo talis suspensio à beneficijs intelligenda est de omnibus beneficiis, quia sit copulata cum suspensione ab officio, secus verò in aliis iuribus citatis.

Secundò dicerem suspensionem à beneficiis latam in dicto cap. Quia sæpe probabiliter intelligi posse de suspensione à beneficiis quibuscumque quæ obtinet Clericus etiam extra illam Ecclesiam, cuius bona vsurpat, sicut sentit Glo. & Doctores citati; Idque probari potest ex c. Præsenti. De off. ordin. vbi imponitur suspensio ab officio, & beneficio sub numero singulari, & tamen ibi Glo. Ver. Ab officio intelligit de omnibus beneficiis, ergo multo magis id sentiendum est de suspensione cap. Quia sæpe vbi profertur suspensio sub numero plurali, *A beneficiis.* Ratio verò cur in dictis locis sit interpretanda suspensio vniuersaliter de omnibus beneficiis in quacumque Ecclesia, non autem in cap. Cupientes, & in cap. Si compromissarius, De elect. lib. 6. non est illa, quam adducit Glos. quia priora iura contineant suspensionem ab officio, & beneficio, non autem posteriora, quæ causa reiecta fuit, sed potius affirmandum est rationem huius diuersitatis prouenire, quia in cap. Cupientes, & in cap. Compromissarius, ex ipsis verbis apparet suspensionem arctatam esse ad beneficia vnius Ecclesię, non ad alia, quæ limitatio non colligitur ex verbis, cap. Quia sæpe. de elect. & cap. Præsenti. de off. ordin. Si verò postules quam ob causam Summus Pontifex grauiori pœna punire voluit in cap. Quia sæpè, & capit. Præsenti, quàm in cap. Cupientes, & cap. Si Compromissarius. Responderi potest iuxta superius notata per Glos. ex Archid. Io. And. & ex aliis Doctoribus citatis fortassè id factum esse, Vel quia in cap. Quia sæpe, & c. Præsenti fertur suspensio ad tempus incertum. *Tamdiù maneant ab officio, & beneficiis quibuscumque suspensi, donec plenè restituerint.* Quare suspensus restituendo statim potest se ab huiusmodi poena eximere. In aliis locis imponitur suspensio ad certum tempus quo non elapso semper obstrictus remanet pœna suspensionis; Vel quoniam in prioribus casibus committitur latrocinium; Vel tandem quia illi peccant vt Iudices, & administratores; Alii verò vt Priuati, acrius autem puniendi sunt Iudices, & Superiores delinquentes, quàm priuati.

Tertiò censeo iuxta regulam, quam tradidi in cap. 3. Disput. quinta, ex sententia Abb. probabilius esse affirmare suspensionem à beneficiis cap. Quia sæpe. De elect. lib. 6. & cap. Præsenti, de off. ordi. eod. lib. interpretandam esse de beneficiis in illa Ecclesia, cuius bona vsurpantur, non in aliis Ecclesiis, est enim regula ad dignoscendum an suspensio sit ab vno beneficio, aut à pluribus, vel ab omnibus, vt inspiciatur causa suspensionis, & ad ratione causæ iudicetur de suspensione. Quare si causa suspensionis erit limitata ad certã, & determinatam Ecclesiam suspensio indefinitè lata a beneficiis intelligenda erit de beneficiis in illa Ecclesia, Verum cum causa suspensionis dicti cap. Quia sæpe, & cap. Præsenti sit limitata ad particularem Ecclesiam quæ læditur propter vsurpationem bonorum eius valde probabile esse mentem Summi Pontificis indefinite imponendo pœnam suspẽsionis à beneficiis contra vsurpatores huiusmodi, fuisse suspendere tantum à fructibus beneficii, vel beneficiorum, quæ ille qui dicta bona occupat, in eadem Ecclesia possidet, non de aliis beneficiis aliarum Ecclesiarum quibus non infertur iniuria præsertim cum in dubio pœnæ sint restringendæ. Et hęc dicta sint ad dubitationem pręsentem.

Dicet aliquis, Hęc suspensio fertur etiam contra Ecclesias regulares, & earum personas, sed Monachus caret beneficiis, quid igitur operatur in eo hęc suspensio.

Gemin. num. 11. Respondet ex sententia Innoc. & Host. in cap. Dilectus, 2. de Sim. Suspensionem à beneficio in Monacho parere hunc effectum, vt non debeat vocari ad tractatus Conuentus, nec vocem habeat in Conuentu, nec admittatur ad mensam cum aliis, sed subministretur ei victus in ergastulo, secundum Innoc. ibi, sicut etiam pœna restitutionis commutatur in corporalem, cum Monachus nihil possideat, quod restituere possit ita dicit Gemin. num. 15. ex mente Archid. quem sequitur Franc. nu. 2. Anchar. num. 3. Vers. Quid in Monacho.

Rursus alia dubitatio oritur ex illis verbis eiusdem cap. Quia sępe, *Tamdiù maneant ab officio, & beneficiis quibuscumque suspensi donec plene restituerint.* Duplex autem insurgit difficultas. Prima est, An facta restitutione rerum Ecclesiarum, quas surripuerunt huiusmodi vsurpatores, sint ipso Iure absque alia sententia ad officium, & beneficium restituti. Secunda difficultas est, an si modicum quid fuerit vsurpatum, necessariò sit restituendum ad plenam satisfactionem faciendam, & tollendam suspensionem, & an sufficiat cauere de restituendo, vel requiratur actualis satisfactio. Vtramque difficultatem tangit Glo.

Ad primam respondet Glo. Ver. Donec, huiusmodi vsurpatorem facta restitutione absque sententia ipso Iure absolutum esse à suspensione, & citat Glos. in cap. Si qui sunt 81. Dist. Vbi, Ver. Emendent, Notat quod sicut quis ipso facto suspenditur, ita ipso facto per cõ-

trarium

trarium restituitur ei officium. Idem in cap. Nullus, Ver. Audeat. dist. 32. in cap. Nos Sanctorum in fin. 15. q 6. in cap. Si quis deinceps, cum Glo. Ver. Interdicimus 16. q. 7. in cap. De Muliere. de Matrimo. contra. contra Interdictum Eccles. vbi excommunicantur, qui contrahunt tale matrimonium contra Interdictũ Ecclesiæ, *Donec tamdiù separentur quousque legitimè cognoscatur vtrum eorum matrimonium possit, & debeat iure stare.* Vbi Glo. Ver. Donec separentur, ita inquit, *Hæc sententia est ad tempus vnde ex tempore tollitur absque alia absolutione.* Licèt postea addat, *Sed tutius est quod etiam post legitimam separationem absoluantur saltem ad cantelam licet videantur excommunicati tantum dum simul manent.* Vbi Abb. num. 4. licet dissentiat à Glo. si loquamur de excommunicatione, ad quam relaxandam non solum ait tutius esse petere absolutionem, sed etiam necessarium ex c. Cum desideres & c. A nobis 2. de sent. excommun. tamen quoad suspensionem, & Interdictum sequitur sententiam. Glo. Si enim hæ duæ Censuræ ferantur ad tempus elapso tempore affirmat non esse necessariam aliam absolutionem, sed satis esse si constet de mente Iudicis, citat ad hoc Innoc. in cap. Cum bonæ de Æta. & quali. & citat ad hoc tex. in Clem. 1. de Deci. quem dicit esse expressum, cum Glo. Ver. Donec, *Sint, & tamdiù maneant ab officiis administrationibus, & beneficiis suis suspensi, donec destiterint, & satisfecerint, vt superius est expressum.* Ad idem facit Tex. in cap. Non est vobis cum. Glo. Ver. Donec, de sponsal. quæ concludit, quod quando est suspensio Iuris cum temporis diffinitione elapso tempore non indiget absolutione.

Gemin. in d. cap. Quia sæpe num. 17. Vers. Glo. super ver. Donte, videtur sentire cum ipsa Glo. quod non requiratur absolutio, sed sufficiat declaratio de satisfactione præstita. Idem ait Ancharan. nu. 3. Vers. Septimo nota, & Franc. num. 2.

Ad hanc difficultatem responsio desumenda est ex ijs, quæ late tractaui in cap. 2. Disput. 8. vt dicamus suspénsum ob vsurpationem bonorum Ecclesiasticorum præstita actuali satisfactione, de qua constet per Iudicis declarationem statim restitutum esse officijs, & beneficijs à quibus erat suspensus non ob eam rationem, quam affert Glo. & Doct. citati, quia suspensio lata ob contumaciam cum cõdictione ad tempus donec reus satisfecerit relaxetur absque absolutione præstita satisfactione, cum enim talis suspensio sit vera Censura necessariò requirit absolutionem, vt in futurum non obliget, sicut Excommunicatio, & Interdictum, sed ob aliam rationem, & est, quod in huiusmodi suspensione conditionata continetur virtualiter absolutio conditionalis, quæ conditio purificatur secuta satisfactione, & ita absolutio, quæ erat conditionalis euadit pura & absoluta, vt in dicto cap. 2. copiosè declaraui. Quæ tamen absolutio conditionalis non est sufficiens ad tollendam excommunicationem, sed requiritur noua absolutio, quia Excommunicatio priuat receptione Sacramentorum, suffragiis Ecclesiæ, & alijs bonis, quę incommoda non proueniunt ex suspensione, & idcirco ad spiritualem animæ salutem necessaria est absolutio noua, vt tollatur excommunicatio, etiam facta restitutione, & satisfactione præmissa, vt Glos. etiam affirmat in Clement. prima, Ver. Donec, de Decimis.

Quærunt Doctores, an si talis vsurpator bonorum Ecclesiæ innodatus suspensione dicti capit. Quia sæpe. de elect. lib. 6. vel suspensione cap. Præsenti de off. ordi. eod. lib. præsumat celebrare, vel immiscere se diuinis

A ante factam restitutionem efficiatur irregularis.

Archid. quem citant, & sequuntur Anchar. in cap. Quia sępe, num. 3. Vers. Septimò nota, & Franc. no. 2. censet non incurrere irregularitatem ob eam rationem, quoniam hoc non est expressum in dictis iuribus, & Irregularitas non contrahitur, nisi in casibus in Iure expressis c. Is qui de sent. excomm. lib. 6. Vnde propter hanc rationem incurritur in casibus c. 1. de sent. & re iud. lib. 6. & c. 1. de sent. excomm eodem lib. quia in illis locis fuit expressum. Quare cum in c. Quia sæpe. & in c. Pręsenti, ne verbum quidem habeatur de Irregularitate, non est affirmandum ex celebratione contrahi irregularitatem. Verùm hęc sententia Archid. non placet. Io. And. vt inquit Gemin. in c. 1. §. Sci-

B turus nu. 10. de sent. & re iudic. Quoniam suspensus ab officio iuxta Canonicas Sanctiones celebrando efficitur irregularis, vt dicitur expresse in c. 1. de sent. & re iudi. lib. 6. & c. 1. de sent. excomm. eodem lib. Sed in c. Quia sępe, & in c. Pręsenti citatis fertur suspensio ab officio: ergo si taliter suspensi celebrent erunt irregulares. Quare in c. 1. de re iudi. & in c. 1. de sent. excom. non statuit Papa tunc in illis casibus contrahi irregularitatem, sicut putat Archid. sed declarat tantum illos esse casus Irregularitatis, in quibus ex Sacrorum Canonum definitione Irregularitas locum habere potest. Referr igitur id, quod erat Iuris veteris, sed non statuit nouum ius; Quamobrem satis est Iure antiquo statutum esse excommunicatos, seu suspensos ab offi-

C cio incurrere irregularitatem licet species excommunicationis, vel suspensionis non exprimantur.

Alia est opinio aliorum, qui alia ratione vtuntur ad probandum, quod suspensus in cap. Quia sæpè De Elect. & cap. Præsenti. De Off. Ordin. ex celebratione non incurrit irregularitatem, quam refert Gemin in cap. 1. num. 10. Vers. Io. Andr & Io. de Sancto Geor. De Sent. & Re Iudi. lib. 6. Dicunt enim posse aliquem suspendi simpliciter, aut ad tempus certum, vel incertum: Si fuerit suspensus simpliciter, aut ad tempus certum illo decurrente, si interim celebretur incurritur Irregularitas, si verò fuerit suspensus ad tempus incertum, Donec satisfecerit, aut pœnituerit, Innoc. in cap. Si Celebrat de Cleri. excom. mini. vtramque partem

D videtur tueri, primò negatiuam, quod non efficiatur irregolaris, nam quando quis suspenditur ob crimen donec satisfecerit, illa suspensio nihil videtur noui addere, nam tenebatur satisfacere & poenitere, & ante poenitentiam est suspensus à Deo. cap. fin. De Cohab. Cleri. & Mulier. & sic suspensio lata à Canone nihil addit; Ex alia parte tenet, quòd contrahat irregularitatem, secus enim suspensio imposita à Canone vltra Dei suspensionem nihil operaretur, & tamen aliquid parere debet, quia Iudex pronunciare debet, an Reus satisfecerit nec ne. Ideo Gemin. vt concilier hæc contraria, inquit attendendam esse mentem Iudicis proferentis suspensionem, qui si

E extraiudicialiter diceret alicui diffamato de Crimine; Vide nè celebres nisi antea pœnitentiam egeris, & satisfeceris, tunc non videtur addere nouum vinculũ, sed est quædam quasi poenitentialis impositio, aut facit hoc iudicialiter proferendo sententiam suspensionis donec satisfecerit, & tunc imponit nouum vinculum, & hæc opinio locum habet in suspensione Hominis, si verò est à Canone, & imponatur sub conditione Donec satisfecerit, vel poenituerit, & prius lata non reperiatur simpliciter & absolute, hoc modo suspensus celebrando non efficitur irregularis, nisi in casibus expressis à Iure, & iuxta hanc sententiam su-

spensio

spensio in casu cap. Quia sæpe & cap. Præsenti non induceret irregularitatem.

Ad hanc dubitationem respõdeo iuxta ea, quæ per. tractaui in cap. 2. Disp. 6. Suspensum ab officio suspensione cap. Quia sæpe De elect. lib. 6. & capit. Præsenti, de off. ordin. eod. lib. Si exerceat actum proprium alicuius ordinis, contrahere irregularitatem, quoniam est vera, & propria Suspensio, ex cuius violatione incurritur irregularitas, sicut si esset suspensio lata simpliciter, aut ad certum tempus, vt probaui in dicto capit. 2. & videtur hoc idem asserere Glos. in cap. 2. Ver. Suspensos. De Censi. lib. 6. Vbi Gregorius Decimus statuit pœnas contra Prælatos recipientes munera in Visitatione, & contra Clericos Inferiores imponit pœnam suspensionis, his verbis: *Inferiores verò ab officio, & beneficio nouerint se suspensos quousque de duplo huiusmodi granatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant*. Hæc suspensio est ad tempus incertum apposita simili cõditione, donec satisfecerint, & tamen ibi Glo. notat, quod si suspensus interim celebrat, vt prius efficitur Irregularis à solo Papa dispensandus. Hæc de prima difficultate.

Ad secundam difficultatem de restitutione facienda, An sint omnia restituenda vsque ad integram, & totalem satisfactionem, ita vt nihil retineatur, ad tollendam suspensionẽ; Respondet Glos. in ca. Quia sæpè. ver. Plene. Omnia penitus reddẽda esse vsq. ad ouum. Probat ex cap. Redintegranda 3. q. 1. Quod manifestè significare videntur verba illa Tex. *Donec plene restituerint quidquid de bonis perceperint supradictis*. Ad idem facit cap. 2. 3. q. 2. Vbi præcipitur, vt qui bona, & possessiones Episcopi, aut Ecclesiæ detinet prius debeat omnia integraliter restituere, quam ipse audiatur super iure quod in dictis bonis habere prætẽdit. Clarius in cap. Si Episcopus ead. can. & quæst. ibi, *Antequam integerrimè omnia*, scilicet redintegrentur, & ita tenet Archid. in dicto cap. Quia sæpè cum Glo. Ancharan. circa fi. & Franc. nn. 2.

Si contra objicias, de re modica nõ esse curandum. l. omnino ff. De Impen. in re Dot. fac. l. Virum ff. de donat. inter vi. & vxo.

Respondet Gemin. in dicto c. Quia sæpe, statutum fuisse, vt in casu talis vsurpationis bonorum Ecclesiæ, tam exacta, & integra restitutio fieret, in odium delinquentium, ad coercendam hanc iniustam rapientium vsurpationem, quæ frequenter contingebat, vt patet ex primis verbis dicti cap. *Quia sæpe contingit*; Facit quod habetur in l. Idem ff. de dolo quod facilius in modicis committitur furtum quam dolus. Vnde concludit Gemin. quod vbi non interuenit voluntas dantis, sed tantum accipientis iniquè, etiam in modicis incurritur pœna, & est casus cap. Quia sæpè.

Postulabit aliquis: An si suspensus offerret idoneam cautionem de satisfaciendo, iustè absolui posset à suspensione, & restitui ad officium, & beneficia.

Glos. in Ver. Restituerint non credit cautionem sufficere ad obtinendam relaxationem à suspensione. Idem notat Glo. in cap. Præsenti, Ver. Restitutionem. De off. ord. lib. 6. nam si Summus Pontifex admittere cautionem voluisset, vtique declarasset, & non subticuisset, sicut in cap. 3. De Vsur. Vbi vel restitutio, vel cautio admittitur; Ita quoque respondet Gemin. nu. 17. & Anchar. in fi.

Quærunt etiam Doctores, An Prælatus possit remittere obligationem restituendi, & respondent non posse, quia Prælatus non potest remittere iniuriam Ecclesiæ illatam, vt notat Glo. vlt. in fi. in c. Conquestus, de

A Fo. Compet. citat cap. Si is qui. 23. q. 4. & c. Salonitanæ, Dist. 63. Tum, & est ratio quia hæc est pœna Iuris, quæ relaxari non potest ab alio, quam ab imponente, ita sentit Gemin. num. 18. ex sententia Innoc. & Archid. & idem tradit Anchar. in fi. & Franc. num. 2.

Tandem ad absoluendum hoc caput de occupantibus bona Ecclesiastica, quæri potest an huiusmodi vsurpatores præter Suspensionem incurrant etiam excommunicationem. Hanc dubitationem adducit Gemin. num. 13. dicens Archid. inclinasse in partem affirmatiuam ex hoc Tex. & ex cap. De Laicis 12. q. 2. Vbi excommunicantur, qui morientium Clericorum audent bona arripere. Verba Tex. sunt: *Contra quos commune totius Concilii anathema prolatum est, ipso Papa*
B *huiusmodi sententiam promulgante*.

Respondeo non haberi in Iure excommunicationẽ latam contra Clericos occupantes bona à Prælatis defunctis dimissa, vel tempore vacationis obuenientia, sed tantum contra huiusmodi vsurpatores impositam esse pœnam suspensionis in dicto cap. Quia sæpè. de elect lib. 6. & in cap. Præsenti, de off. ordi. eod. lib. possunt tamen excommunicari, si grauitas delicti id postulet, & Prælato expediens videatur, Quod probatur ex c. Conquestus de fo. compet. Vbi Glo. Ver. Inuasores inquit, *Sic patet quod inuasores rerum Ecclesiasticarum tanquam sacrilegi sunt vsque ad satisfactionem excommunicandi* Idem asserit Glos. in cap. Tua. Ver. Publicati. de sent. excomm. Vbi excommunicationem
C ibi latam restringit ad Incendiarios Ecclesiarum, & in cap. Conquesti. Ver. Excommunicatos eod. tit. Vbi coarctat excommunicationem latæ sententiæ ad violatores, & effractores Ecclesiarum, seu Incendiarios, sed alios, qui rapiunt bona sine effractione, dicit non esse excommunicatos, seu excommunicandos, ad cap. de laicis responderi potest, verba illa dicti c. *Anathema prolatum est*, interpretari posse, vt habeant hunc sensum, scilicet constitutum fuisse in illo Concilio Papa confirmante, vt contra tales anathema proferatur, & hic sensus colligi potest ex eodem cap. paulò infra, vbi de huiusmodi inuasore rerum Ecclesiasticarum dicitur, *Vsque ad satisfactionem excommunicetur*; Quare constat non esse sententiam latam, sed feren-
D dam.

CAPVT IV.

De Suspensione Clericorum, qui Ecclesias suas Laicis submittunt.

Est alia suspensio imposita in cap. Hoc consultissimo De Reb. Eccle. non alienan. lib. 6. quod editum est in Concilio Generali Lugdunensi à Gregorio 10. ad tollendum abusum, qui irrepserat contra libertatem Ecclesiasticam, cum personæ Ecclesiasticæ propter odium contra eas à Laicis conceptum, mirũ in modum opprimerentur, à qua oppressione vt Cle-
E rici se liberarent cogebantur asserere ipsos tenere possessiones, & prædia ab ipsis Laicis potentioribus, vt eorum auctoritate tuti ab alijs defenderentur. Hunc morem ab omni iure, & honestate alienum, qui Clericis ignominiam deferebat, & in graue Ecclesiasticæ libertatis dedecus vergebat; Gregorius Decimus cum vniuerso Concilio hac constitutione tollere curauit, pluribus & grauibus poenis appositis. Primò prohibet ne Clerici Ecclesias suas, vel earum bona immobilia, & iura Laicis submittant absquè consensu Capituli, & Summi Pontificis licentia; Secundo irritat

ritat Contractus etiam ioramento, vel qubcumque alia firmitate vallatos, qui impolterum contra hoc decretum fierent. Tertio adiicit poenas contra Prælatos aliter facientes, & Clericos non contradicentes, nec non Laicos, qui Prælatos ipsos ad hoc compellerent. Quarto mandat vt Laici virtute similium Contractuum aliquid vltra id quod eis debitum est, vsurpare non præsumant, & poenam addit contra eos, qui secùs fecerint.

Quare in hoc cap. Primò suspenduntur Prælati ipso iure ab officio, & administratione temporalium, si Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsarum laicis submittant sine consensu Capituli, & licentia Sedis Apostolicæ. Secundo loco suspenduntur Clerici triennio à perceptione beneficiorum illius Ecclesiæ, qui hoc scientes non denunciant superiori Tertio excommunicantur Laici, qui ad hanc submissionem faciendam per vim, & metum personas Ecclesiasticas compellunt, Nec non Laici subijciuntur Excommunicationi, qui ex Contractibus super dictis bonis immobilibus, & iuribus Ecclesiarum sine consensu Capituli, & licentia Papæ initis, vsurpant sibi aliquid vltra id, quod ex natura ipsorum contractuum permittitur, nisi legitimè moniti ab huiusmodi vsurpatione destiterint, restituendo ea, quæ taliter vsurparunt, & Terra ipsorum potest supponi Ecclesiastico Interdicto; In his omnibus consentiunt omnes Doctores Ange. Ver. Suspensio 1. casu 18. Sylue. eod. Ver. §. 6. Vers. Decimo octauo. Tab. Vers. 6. Casu 16. Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 7. arti. 2. casu 7. Canonistæ in dicto c. Hoc consultissimo. De reb. Eccles. non alien. lib. 6.

Quod spectat ad illas duas suspensiones de quibus modo agimus, ad maiorem earum declarationem primò annotandum est ex Glo. Ver. Immobilia, Has poenas non afficere illos, qui bona mobilia Ecclesiarũ alienant, quia Summus Pontifex expressè hic loquitur de Immobilibus, & ratio huius limitationis fuit, quia tales submissiones non consueuerunt Laicis fieri, licet tam mobilia, quàm immobilia prohibeantur alienari cap. 1. De reb. Eccles. non alienan. lib. 6. Extenduntur autem huiusmodi pœnæ ad eos, qui submittunt iura incorporalia Ecclesiarum, quia vt inquit Glo. Ver. Iura, annumerantur inter bona immobilia. Vnde Iura incorporalia præscribuntur sicut immobilia. l. vlt. C. De longi. temp. præscript. Liubemus 2. §. 1. C. De Sacrosanc. Eccles.

Secundò notandum est, Hunc tex. non habere locũ si tales submissiones fierent Clericis etiam intuitu personæ, quia Tex. exprimit Laicos, ergo illos solum comprehendere voluit, quia si ad Clericos extendere voluisset, Summus Pontifex id significasset, quamuis alias Clerici æquiparentur Laicis, quando aliquid est commune ratione personæ, vtrisque, vt inquit Gemin. ex mente Io. And. in dicto ca. Hoc consultissimo arg. tex. in cap. Cum dilectus. de iu. patro. & Franc. numero 2. io hn.

Tertiò notandum hoc in loco, Nomine Prælatorũ intelligi Episcopos, & omnes Superiores Prælatos, idest Patriarchas, Primates, Archiepiscopos; Quia tales propriè, & per se appellantur Prælati, & intelliguntur nomine Prælatorum, & ideo non obstat cap. Quia periculosum. de sent. excom. lib. 6. Vbi statutum est non includi Episcopos sub generali Constitutione continente suspensionis pœnam, nisi de illis facta fuerit mẽtio specialis, nam satis exprimuntur si Summus Pontifex loquitur de Prælatis, quod nomen propriè conueniat Episcopis, & eorum Superioribus.

nana

A Sed dubitari potest, An soli Episcopi, & illis Superiores contrahant hanc suspensionem, vel etiam inferiores Prælati quibus conuenit iurisdictio quasi Episcopalis, & cura Ecclesiarum Collegiatarum, vel Regularium est commissa.

Respondeo huiusmodi Prælatos inferiores si cõtra dispositionem dicti cap. agant incurrere hanc suspensionem, quia prohibitio dicti cap. non minus necessaria est in Prælatis inferioribus, quàm in Episcopis, militat, enim eadem ratio, & fortè maior, nam potius suspicandum est de Prælato inferiori, ne ad consequendam gratiam alicuius Laici potẽtioris Ecclesias suas illis submittat, quam de Episcopo, & forsitan ob hanc rationem Summus Pontifex vsus est nomine Prælatorum, non Episcoporum, vt omnes complecteretur.

B Si obijcias contra ex verbis dicti cap. *Vniuersos, & singulos Prælatos*, ergo Summus Pontifex voluit complecti omnes, & singulos cuiuscunque dignitatis, & gradus. Glo. in Ver. Vniuersos inquit voluisse illis dictionibus vniuersalibus etiam fœminas comprahendere. Idem notat Glo. latius in cap. Generali Ver. Vniuersos de elect. lib. 6. Vbi quærit quando masculinum concipiat fœmininum, & affert varias sententias, tandem concludit Verbum masculinum prolatum à Canone includere fœmininum, quod prubatur capit. Si quis suadente com. Glo. Ver. Si quis 17. q. 4. vnà cum cap. Mulieres, de sent excomm. quod dictum intelligitur, nisi eadem constitutione, vel alia excipiantur fœ-

C minæ capit. Indemnitatibus §. Sed cum eas, De Elect. lib. sexto.

Quartò notat Glo. in Ver. Speciali non sufficere generalem Sedis Apostolicæ licentiam ad submittendũ Ecclesias, & subijciendum bona immobilia, aut supponendum earum iura Laicis, quia cum in his submissionibus maius periculum immineat, quàm in alijs alienationibus, cautius est agendum. Dicitur licentia specialis, idest expressa quando Papa scit quare, & de quibus rebus licentia est concedenda, vt inquit Gemin. num. 6. Anchar. num 2. Franc. num. 6. Et ad hoc probandum plura iura citant. Quare non effugeret suspẽsionem, qui huiusmodi submissiones præsumeret obtenta aliqua licentia generali à Papa, nisi in supplica-

D tione exprimerentur distinctè omnes conditiones, & causæ submissionis faciendæ. Et hoc est ius nouum inquit Glo. innuctum ne Laici, qui sæpe vexabant Prælatos ad has submissiones faciendas, videntes illas sub pœnis grauissimis prohiberi, in futurum à molestijs desisterent.

Quintò notandum, non esse locum suspensionibus, & pœnis huius cap. Si Prælati bona ipsa immobilia Ecclesiarum, & iura earum concedant in Emphiteusim, seu alienent seruata forma, & in casibus à Iure permissis, qui notantur in Summa 12. q. 2. sed dictæ pœnæ solum afficiunt illos Prælatos, qui constituunt, seu recognoscunt, vel profitentur dicta bona se tenere à Laicis, tanquam à suis Superioribus, vel aduocatis,

E seu patronis, vel inuocant ipsos Laicos tanquam aduocatos, & patronos Ecclesiarum, vel bonorum ipsarum. Quare notat Gemin. nume. 9. Hanc constitutionem editam fuisse à Summo Pontifice, quia ante eam mos vigebat vbi Ecclesia habuisset aliquos infensos, & perturbatores, qui bona eius occupare tentarent, vel alio modo molestiam inferre, vt Prælatus inuocaret nobiles potentiores, qui eorum patrocinijs Ecclesiam, & bona eius tuerentur eosque tanquam Aduocatos, & defensores assumerent, & hoc modo Laici illi ius quoddam dominij, & aduocationis in Ecclesijs

defensis

defensis sibi vindicabant, Vnde Franc.num.6. in fine, infert quod licet Prælatus aliter consulere non posset Ecclesiæ, & liberare illam ab iniqua alicuius oppressione, nisi subijciendo illam nobili, & potentiori Laico, cuius patrocinio alterius vim repellere valeret, nihilominus si absque expressa Papæ licentia hoc modo Ecclesiam, aut bona eius Laico submitteret, suspensionem, & pęnas huius cap. incurreret, quia damnatur temeritas etiam in casu necessitatis, cap. Quanto. De Consuet. Idem in simili notat Glo. in cap fi. de Eccles. ædif. vbi super re necessaria petitur licentia Papæ. clarius in cap. Aduersus. De Immu. Eccle. Vbi prohibentur Clerici, ne necessitatibus Ciuitatum subueniant, etiamsi Laicorum facultates non suppetant, nisi consulto antea Romano Pontifice.

Requiritur etiam ad suspensionem incurrendam huius cap. *vt perpetuò, aut ad tempus non modicum*, Prælatos constituat Laicos patronos, vel aduocatos Ecclesiæ, aut bonorum eius. Hinc Glo. Ver. Non modicum infert Laicos ad modicum tempus posse vocari patronos, vel defensores, & consequẽter qui ita faciat, non erit suspensus, Et ratio est, nam vt inquit Glo. modico tempore non imminet periculum l. Si debituri in fin. ff. de iudi. Modicum autem tempus dicit vocari posse infra decem annos, vel debere relinqui Iudicis arbitrio, cum hic non sit definitum, qui id iudicare poterit inspecto statu Ecclesiæ, & imminenti periculo, & conditione personarum Glo. in Clemen. 1. in fi. Ver. Ad tempus modicum, de reb. Eccles. non alien.

Quare Prælatus, qui Ecclesiam, vel bona, aut iura Ecclesiæ supposuerit Laicis, recognoscendo eos tanquam patronos, siue aduocatos absque Capituli consensu, & speciali licentia Sedis Apostolicæ, ipso facto ab officio, & administratione suspensus remanet.

Glo in Ver. Officio, tenet ex sententia Io. Mon. & Archid. Prælatum incurrere quoque suspensionem à Beneficio, sed opinio Glos. non est probabilis, quia suspensio ab officio non includit necessario suspensionem à beneficio, vt latè probaui in cap. 5. Disput. 4 & quando Summus Pontifex ab vtroque suspendere intendit solet clarissimis verbis significare. vt in c. Quia sæpe, de elect. lib. 6. & in alijs pluribus locis, vt ostendi in cap. præcedente.

Sed quærunt Doctores de quo officio velit Summus Pontifex intelligere. Gemin. in eodem cap. Hoc consultissimo. §. Contractus num. 5. de reb. Eccles. non alien. lib. 6. Respondet intelligi debere de suspensione officij ordinis, non dignitatis. Idem ait Franc. num. 4. Similis suspensio ab officio fertur in Clem. 1. eod. tit. contra Regulares, qui bona suorum monasteriorum quouis modo alienant; nam in dubio quando Canon imponit suspensionem ab officio intelligitur de suspensione ratione ordinis, vt notat Gemin. in c. 1. §. si quis nu. 5. de sent. & re iudi lib 6. Glo. in Clem. 1. Ver. Officijs, de Deci. Abb. in c. 2. nu. 8. de solut.

Non tantum suspenditur ab officio, sed *ab administratione*, Glo. in Ver. Administratione, intelligit de administratione temporalium, quando enim Papa intendit suspendere à suspensione temporalium, & spiritualium, explicat, vt in cap. 2. de solut. Quare cum hic simpliciter dicat ab administratione, debet explicari de suspensione ab administratione bonorum temporalium Ecclesiæ, Prælatus igitur qui præsumit violare hanc constitutionem, suspenditur ab officio, idest ordine, & ab administratione temporalium, in Ecclesia, quæ sic grauata remanet.

Sed præter Prælatos talia præsumentes, Clerici

A etiam qui scientes Prælatos ita delinquere contra hãc constitutionem, si negligunt id superiori renunciare, suspenduntur triennio à perceptione beneficiorum suorum, quæ in Ecclesia obtinent sic grauata.

Coguntur igitur Clerici in hoc casu ad denunciandum suum Episcopum, & est casus specialis, vt inquit Glo. in cap. Quapropter 2 q. 7. Vbi statuitur pœna depositionis contra Clericos non curantes statim Romano Pontifici denunciare Episcopum delinquentem in distribuendis quartis reddituum Ecclesiasticorum iuxta formam cap. Quatuor 12 q. 2. Addit Glo. in dicto cap. Hoc consultissimo. Ver. Denunciare. de reb. Eccles. non alien. lib. 6. quod quamuis Clericus iure iurando se obstrinxisset non denunciare, adhuc teneretur, & omittens incurrit suspensionem, quia pactum

B etiam iuramento firmatum non valet, si quis paciscatur cum alio quod eum super nullo crimine accusabit, & iuramentum est temerarium, vt habetur in cap. Quemadmodum §. Illud autem. de iureiuran. & non obstante promissione qua Clericus spondet Episcopo obedientiam, potest illum accusare, sicut dicitur de Monacho, cui permissum est accusare Abbatem, quãuis emittat votum Obedientiæ, cap. Ex parte. De accusat. Et ratio huius dicti desumitur ex D. Thom. 2. 2. q. 70 art. 1. ad secundum arg. nam nemo potest se obligare ad non testificandum, vel denunciandum ea, quę possunt damnum, & præiudicium graue proximo afferre, vel sunt contra spirituale, aut corporale bonum

C commune, & ad hunc finem præcipit Summus Pontifex in dicto cap. Hoc consultissimo, vt Clerici denuncient suos Episcopos delinquentes contra illam Constitutionem.

Ex hoc loco, Gemin. nu. 6. infert Constitutionem imponentem pœnam delinquenti, non amplecti scientes, & non denunciantes nisi id exprimatur, sicut in hoc loco.

Sed contra obijci potest ex cap. Generali, de elect. lib. 6. Vbi Clerici, vel Monachi, ipso facto excommunicationi subijciuntur, qui procurant vt Laici vsurpent in Ecclesijs regalia, vel custodiam aduocationis, seu titulum defensionis, igitur non sunt tantum suspẽsi à perceptione beneficiorum vt hic dicitur.

D Respondent Gemin. nu. 6. & Franc. nu. 4. Constitutionem cap. Hoc consultissimo locum habere in Prælatis supponentibus Ecclesias vel bona immobilia ipsarum, aut iura incorporalia Laicis, constituendo eos patronos & aduocatos, non ad modicum tempus, simul etiam in Clericis scientibus tale crimen commissum esse à Prælatis, & non reuelantibus. Pœnam verò cap. Generaliter extendi ad Laicos vsurpantes regalia, aut custodiam aduocationis in Ecclesiis, vel occupantes bona Ecclesiarum vacantium, & similiter ad Clericos subditos procurantes, vt dicta regalia, vel custodia vsurpetur per Laicos, vel occupentur bona: Quare sunt diuersæ pœnæ respicientes diuersa delicta.

E Postulabit quis, an præsumendum sit Clericos scientiam habere si tale crimen commissum fuerit à Prælato. Respondet Gemin. num. 7. ex mente Archid. non esse præsumendam scientiam, nisi probetur, Reg. Præsumitur, de reg. iu. lib. 6. maximè si Prælatus tale crimen occultè commisisset, si autem factum fuisset publicum præsumeretur scientia, vt Glos. in dicta Reg. Ver. Præsumitur ignorantia.

Ad incurrendam autem hanc suspensionem requiritur, vt Clericis sufficienter innotescat delictum Prælati, & possint illud probare, & sine magno incommodo, & periculo graui illud denunciare valeant, alias enim

enim essent excusati ab obligatione huius præcepti, & consequenter à pœna, & ratio est, quia lex posita homana non obligat cum tanto discrimine, excepto casu publicæ necessitatis, communis boni, est communis opinio, vt patet ex Nauarro in Manua. cap. 17. num. 57. cap. 24. numero 12. cap. 25. num. 5. Domin. Sot. in Relect. De ratione regen. & detegen. Secre. Memb. 2. quæst. 6. Dub. 5. Cordub. in Sum. q. 63. & 64.

A Suspenduntur Clerici scientes, & non denunciantes à perceptione beneficiorum triennio, & declarat Summus Pontifex de quibus beneficijs intelligere velit, cum addit, *quæ in Ecclesia obtinent sic grauata*, Ergo non ab alijs beneficijs si habeant; ex quibus verbis confirmari potest quod dixi cap. præcedenti, quod vbi suspensio simpliciter fertur à beneficijs, intelligitur vniuersaliter de omnibus beneficijs, nisi ex verbis Canonis, vel sententiæ colligamus suspensionem coarctatam esse ad beneficia alicuius Ecclesiæ, vt in cap. Hoc consultissimo, similiter in capit. Cupientes prope fin. Vers. Cæterum si eligentes de elect. lib. 6. & c. Si Com: promissarius in fine eod. tit. & lib. & c. Si Canonici de off. ordin. lib. 6.

Hæc suspensio à perceptione beneficiorum afficit Clericos non denunciantes crimen Prælati, triennio, & ad idem tempus asserit Glo. in Ver. Triennio durare suspensionem Prælatorum ab officio, & administratione, quod puto verum esse, licet enim suspensiones sint diuersæ, latæ tamen sunt ad idem tempus, nam cum dictum tempus triennij ponatur in fine vnius, & eiusdem orationis continuatæ, imposita vtraque suspensione cōtra Prælatos, & Clericos, ergo ad vtramque referri debet, maximè cum in pronunciatione primæ suspensionis nulla fiat mentio de tempore, quo

B duratura sit suspensio, & clausula in vna parte dispositionis posita, siue in principio, siue in medio, siue in fine, censetur referri ad omnia contenta in illa dispositione, nisi appareat de diuersitate rationis, vt habetur in c. Secundò requiris De Appella. & ibi pulchrè declarat Dec. cum Glo. sentit Gemin. in eodem c. Hoc consultissimo §. Contractus, nu. 6. & Archid.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

DE SVSPENSIONIBVS, QVAE HABENTVR IN IVRE CONTRA CLERICOS Qui abutuntur facultate eis concessa eligendi Prælatos, & in faciendis electionibus varijs modis delinquunt.



LVRES leguntur Suspensiones latæ in Iure aduersus Clericos, qui vel vigore beneficiorum, quæ possident, aut ex priuilegio Sedis Apostolicæ, vel ex consuetudine legitimè præscripta, vel alia ratione gaudent facultate eligendi Episcopum, & Prelatum, si non seruent præscriptam formam Iuris, de quibus præsenti Disputatione pertractabimus, initium sumentes ab illa quæ fertur in cap. Cum in cunctis, §. fin. de elect. in Clericos eligentes scienter indignos ad Episcopatum, vel alias Prelaturas.

CAPVT I.

De Suspensione lata in eos, qui eligunt Episcopos, aut Prælatos Superiores non seruata forma cap. Cum in cunctis. De Elect.

QVoniam interdum eliguntur Episcopi, qui minus idonei videbuntur, vel ob defectum scientiæ, aut mores deprauatos, vel ætatem non maturam, Idcirco vt consuleret Ecclesiæ Catholicæ, & prouideret huic malo Alexander Tertius in Concilio Lateranensi, & refertur in dicto cap. Cum in cunctis, de elect. præscribit formam seruandam in his electionibus faciendis, & in §. fin. dicti cap imponit pœnam aduersus eligentes indignum contra formam ibi expressam, dicens; *Clerici sanè, si contra formam istam quemquam elegerint, & eligendi tunc potestate priuatos, & ab Ecclesiasticis beneficiis triennio nouerint se suspensos; Dignum est enim, vt quos Dei timor à male non reuocat, Ecclesiastica saltem coerceat seueritas disciplina.*

Ex quibus patet impositam esse hanc pœnam contra eligentes indignum ad Episcopatum, vel inferiora beneficia curam animarum habentia; Clerici autem sic eligentes priuantur potestate eligendi tunc, idest illa vice tantum, vt notat ibi Glo. Ver. Tunc.

Tunc ex cap. Cum Vintoniensis, eod. tit., Abb. num. 1. dicit priuatos esse potestate eligendi pro prima vice tantum, & in secunda electione recuperant ius pristinum; Secundo suspenduntur ad triennium ab Ecclesiasticis beneficijs. Quæ suspensio fertur in Clericos Episcopo inferiores, tum quia vt aliàs dictum est Episcopi non comprehenduntur sub generali suspensione, tum etiam quia in eod. tex. Episcopi in hoc delinquentes alia pœna puniuntur, scilicet potestate conferendi dictum officium, aut beneficium, his verbis; *Episcopus autem si contra hæc fecerit, aut consenserit fieri, in conferendis prædictis officijs, aut beneficijs potestatem amittat.* Et hæc pœna imponitur etiam in c. Nihil est. eod. tit. Vbi Prælatus qui per negligentiam confirmat indignum electum ad regimen animarum, perdit potestatem confirmandi primum successorem, & additur etiam suspensio à perceptione proprij beneficij, non lata, sed ferenda.

Et ex verbis relatis dicti cap. Si compromissarius, soluitur controuersia quædam, quæ erat apud Antiquos Doctores, vt notat ibi Glo. Ver. De Iure, nempe an cap. Quia periculosum De sentent. excommun. vbi statuitur sub generali constitutione continente pœnam suspensionis, non includi Episcopos, intelligenda esset tantum de suspensione ab officio, & cohærentibus officio, vt ab ingressu Ecclesiæ, & similibus, vel vniuersaliter etiam de suspensione à beneficio; sed Bonifacius Octauus in dicto cap. Si Compromissarius videtur abstulisse hanc difficultatem cum excludat Episcopos à suspensione generaliter lata à beneficijs, & Glo. reddit rationem, quia spiritualia sine temporalibus diù rectè administrari non possunt, & indecens videretur, vt Episcopi mendicare cogerentur.

De hac Suspensione tractant Doctores in dicto cap. Cum in cunctis Palud. in 4. dist. 18. quæst. 7. art. 2. Casu 1. S. Anton. 3. par. tit. 28. De suspens. cap. 4. Item suspensus à participatione Sacramentorum. Ange. Ver. Suspensio, 1. Casu 6. Sylue. eod. Ver. §. 6. Vers. Sexto suspensus est. Tabien. Ver. Suspensio, Casu 6. Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 155. Vers. Secunda, Enriquez lib. 13. De suspens. cap. 39. nu. 2. & alij plures.

Hæc suspensio non est simpliciter lata ab Alexandro Tertio contra Clericos, vel Canonicos, qui eligũt indignum quomodocumque ad Episcopatum, vel ad alia beneficia inferiora, quæ curam animarum annexam habent, sed in eos qui eligunt indignum quo ad conditiones, & qualitates illas, quas ipse Alexander in eodem Tex. exprimit necessarias in eligendo, quæque ab electoribus sunt attendendæ, quod colligitur ex verbis Tex. *Clerici si contra formam istam*, scilicet superius in eodem cap. explicatam, *quemquam elegerint.* Atque ita incurrunt hanc suspensionem tantum illi, qui eligunt non habentem conditiones ibi descriptas. Illæ autem sunt tres. Prima, vt nullus eligatur in Episcopum, *nisi qui iam trigesimum ætatis annum egerit.* ita legitur in Concilio Lateranensi, sub Alexandro Tertio par. 1. cap. 3. In tex. autem dicti c. Cum in cunctis habetur *Exegerit*, sed idem prorsus sonat. Secunda conditio, vt sit ex legitimo matrimonio natus; Tertia, quod vita, & scientia commendabilis demonstretur. Ad inferiora autem beneficia, vt ad Decanatum, Archidiaconatum, & alia curam animarum habentia, & tandem ad regimen Parochialis Ecclesiæ nullus admittatur, nisi qui vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & scientia, ac moribus commendandus existat; Quare qui indignum elegerit ob defectum alicuius ex his conditionibus, suspensionem hanc incurrit;

A Si verò alijs modis in electione delinquat non incurrit pœnas dicti cap. Cum in cunctis, sed alio modo puniri poterit arbitrio Superioris.

Sed notandum est has pœnas non incurri ab electoribus, nisi scienter elegerint indignum, vt notat Abb. in dicto cap. Cum in cunctis num. 2. & probat ex cap. Innotuit eod. tit. Vbi Innocentius Tertius declarat quosdam electores incidisse in pœnas dicti Concilij Lateranensis, nisi probauerint ignoranter personam illam, de qua ibi agitur elegisse, ergo vult ignorantiam posse excusare eligentes indignum ab his pœnis; Vnde infert Abb. quod si quis nominauit indignum, & deinde antequam perueniretur ad electionem, recessit ab illa nominatione, non subijcitur prædictis poenis, vt definitum est in cap. Perpetuo, eod. B tit. lib. 6.

Si obijcias, quod ignorantia debet præsumi in electoribus semper quando eligitur indignus, quia agitur de facto alieno iuxta Regulam. Præsumitur ignorantia, de reg. iur. lib. 6.

Respondeo in electoribus præsumendam esse scientiam, de ijs quæ spectant ad personam eligendam, ideo si volunt se excusare ex causa ignorantiæ, tenentur illam probare, vt dicitur in Tex. dicti ca. Innotuit. vnà cum Glo. ibi, Ver. Ignorantiam. de elect. l. Cum de in debito, & ibi Glo. Ver. Ignoranti. ff. de probat. Bar. in l. Si cui, §. 1. ff. de Accusat. cum Glo. in Ver. Doceat; Ideo inquit Abb. in dicto cap. Innotuit num. 9. quod C quando quis tenetur ex officio indagare, præsumitur habere scientiam facti alieni, & alleganti ignorantiam incumbit onus probandi, secus si non teneatur ex officio inquirere, quia tunc potest præsumi ignorantia facti alieni iuxta illam regulam. Præsumitur ignorantia. de reg. iur. lib. 6. Quamobrem si Prælatus contulit dignitatem, aut beneficium indigno, præsumitur sciuisse eius indignitatem, nisi probet ignorantiam, quia tenebatur prius inquirere de vita, & moribus illius, vt in cap. Postquam, & in cap. Nihil, De Elect.

Notandum est secundo, vt tradit Abb. in eodem cap. Cum in cunctis, §. Clerici sanè, num. 3. ex sentent. Io. Andr. Eligentes indignum non incurrere poenas D dicti cap. nisi electio sit perfecta, & sortiatur effectum suum, quia vbi poena imponitur à Iure ipso facto propter delictum, nunquam est locus tali poenæ, nisi illud delictum sit consumatum, quamuis sit inchoatum, Et multo minus non incurrit quis hanc poenam ex consensu in scrutinio scienter habito in indignum, si postea poenitentia ductus reuocauit nominationem, antequam sequeretur electio, vt definitum fuit in cap. Perpetuo. de elect. lib. 6. Glo. in cap. 1. Ver. Extorsit, Quod me, eod. lib.

Dubitatio oritur ex illis verbis tex. *Et ab Ecclesiasticis beneficiis triennio nouerint se suspensos*, Vtrum Summus Pontifex velit suspendere eligentes indignum, ab omnibus beneficijs simpliciter, quæ possi- E dent, vel solum à beneficiis illius Ecclesiæ, ad quam facta fuit electio.

Respondent omnes hanc suspensionem intelligendam esse ab illis beneficiis, quæ quis retinet in illa Ecclesia, ad quam facta fuit electio, non ab aliis; Et probant ex tex. in capit. Si Compromissarius, De Elect. libro sexto. Vbi Bonifacius Octauus loquens de poena huius suspensionis triennalis lata in Concilio Lateraranensi contra eligentes indignum inquit, *Restringitur etiam dicta pœna solum ad ea beneficia, quæ sic peccans in illa obtinet Ecclesia*,

quam

quam taliter eligendo specialiter noscitur offendisse. Idem A ibi notat Glo. Ver. In illius beneficijs; Vnde infert posse aliquem suspendi à beneficio in sua Ecclesia, non in alia; Sed obijcit Glo. quid si eligens non habeat in illa Ecclesia beneficium; Respondet tunc esse multandum pœna extraordinaria c. Super his. De Accusat. c. Ad liberandam. De Iud. l. vlt. in fi. C. De Sepul. viol. Hinc Abb. in dicto cap. Cum in cunctis. §. Clerici sanè nu. 1. de elect. colligit ex mente Io. And. verba Constitutionis aliquando non esse accipienda, tam late, sicut signi ficant, sed esse coarctanda, quando apparet aliqua ratio, seu æquitas ad coarctandum, sicut in hoc tex. vbi suspenduntur eligentes indignum simpliciter à benefi. cijs, & tamen hæc suspensio limitatur ad beneficia, quæ habent in eadem Ecclesia, quia ratio videtur hoc B suadere, nam eligentes indignum iniuriam faciunt illi Ecclesiæ, ad quam fit electio, ideo suspensio non debet extendi ad alia beneficia, quæ in alijs Ecclesijs habent.

Secundo dubitatur, An hæc pœna cap. Cum in cunctis contra eligentes indignum locum habeat in omnibus electionibus.

Respondetur ex communi consensu Doctorum hanc pœnam non incurri generaliter ab omnibus eligentibus ob quamcumque electionem, si eligatur persona indigna; Primò enim non habet locum in Cardinalibus eligentibus Papam, cum nullibi hoc est iure cautum, & cap. Cum in cunctis loquitur solum de Clericis eligentibus Episcopum; ita dicit Glo. in c. Si duo. Ver. C Contra fas 79. Dist. Nam pœnæ proprium casum legis non excedunt, vt habetur in cap. Pœnæ de poenit. dist. 1. & ibi Glo. Ver. Non excedunt, l. Interpretatione, ff. De Pœnis, ita sentit Abb. in dicto c. Cum in cunctis. num. 4. de elect. Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 155. Henriquez lib. 13. de suspensione cap. 39. nu. 2. Secundo non extenditur hæc poena, quando eligitur Prælatus indignus inferior, post Episcopum, sed tantum comprehendit electionem Episcoporum, & superiorū Prælatorum, vt probatur ex cap. Si compromissarius de elect. lib. 6. ibi, *Nec in aliorum, quàm Episcoporum, & Superiorum ipsorum, electionibus cum peccatur in ipsis, vendicat sibi locum*. Tertiò non habet locum in præsentationibus, & nominationibus, quia in pœnis, vt dixi D non fit extensio, quare non afficit Imperatorem, aut Reges, qui nominant vel præsentant indignum ad Episcopatum, vt tradit Nauar. dicto num. 155. & Henriquez num. 2. in fi.

Postremò, vt concludamus hoc caput, sciendum est similem suspensionem impositam esse in Extrau. vni. inter communes. De Postul. Prælat. in eos qui postulant ad Cathedralem Ecclesiam eum, qui vigesimum septimum ætatis annum non attigit, vel qui postulant religiosum mendicantem ad inferiorem Cathedrali Ecclesiam; Et contra attentatum irritum, & inane declaratur; Qui verò scienter ad eandem postulationem processerint illa vice postulandi, & eligendi potestate priuantur, & E beneficijs, quæ in Ecclesia possident ad quam huiusmodi postulationem fecerant triennio suspenduntur.

CAPVT II.

De suspensione lata in Compromissarium eligentem indignum.

IN Cap. Si Compromissarius, de elect. lib. 6. proponitur quæstio; Vtrum Canonicis compromittentibus potestatem eligendi in aliquos, qui sint negligētes in facienda electione infra tempus à Iure statutū, non solum ipsi Compromissarij, sed Canonici sint priuati potestate eligendi pro illa vice; Et respondetur affirmatiuè, quoniam sibi ipsis imputare debent Canonici, qui tales Compromissarius desides elegerunt, & potestas prouidendi Ecclesiæ deuoluitur ad proximum Superiorem; Quod si Compromissarij non fuerint negligentes in electione facienda, sed deliquerūt scienter eligendo indignum, puta qui patiebatur defectum natalium, tunc Canonici non remanent priuati potestate eligendi, immò electio, in hoc casu, deuoluitur ad ipsos Canonicos, qui poterunt alium in Prælatum eligeri, nisi Canonici scienter ratam habuerint electionem per Compromissarios factam, & in prædicto casu, soli Compromissarij incurrunt suspensionem à beneficijs triennio, non autem Canonici, nisi dictam electionem factam de Indigno ratificauerint, quia tunc, cum ratihabitio mandato comparetur, erunt etiam Canonici suspensi à perceptione fructuum triennio suorum beneficiorum, quæ obtinent in illa Ecclesia; Verum si Canonici compromitterent in Episcopum, vel Archiepiscopum, qui scienter eligeret indignum, talis Episcopus, vel Archiepiscopus non remaneret suspensus, quia cap. Cum in cunctis. de quo in superiore cap. tractaui nullam Episcoporum mentionem facit.

Ex his omnibus, quæ clarè statuuntur in dicto cap. Si Compromissarius, desumitur integra declaratio huius suspensionis, de qua agimus. Primò enim dicitur, hanc suspensionem triennalem à beneficijs intelligendam esse de beneficijs, quæ eligens indignum obtinet in illa Ecclesia, cui ob huiusmodi electionem iniuria infertur. Secundò imponitur hæc suspensio contra eligentes indignum Episcopum, aut Superiores Prælatos, sed non incurritur ab his qui peccant in electione inferioris Prælati indigni. Tertiò non afficit Episcopos, aut Superiores Prælatos, quando sunt Compromissarii, & similiter delinquunt ob huiusmodi electionem, quia generaliter fertur, & generalis suspensio non comprehendit Episcopos, cap. Quia periculosum. De sentent. excommunicat. lib. 6. Quartò extenditur hæc pœna ad eos, qui deficiunt in probatione, impugnando postulationem, electionem, aut prouisionem alicuius. Addit Angel. Ver. Suspensio, 1. numero vigesimo septimo, Compromissarium eligentem indignum incurrere hanc suspensionem, nisi compromittentes illam electionem ratam habuerint, quasi sentiat è contrario Compromissarium non subiici huic pœnæ, si compromittentes electionem ratificent; Verùm ex verbis dicti capit. non desumitur hæc explicatio; Nam dicta conditio ratihabitionis Compromittentium, apponitur ad aliam rem longe diuersam, nempe quando potestas eligendi ex culpa, & defectu Compromissarii, deuoluitur ad ipsos compromittentes, & quando contra ipsi etiam remanent hac facultate eligendi pro ea vice priuati; Nam si Compromissarius infra tempus à Iure assignatum eligit, sed indi-

gnum, tunc sine scienter id fecerit, cum dolus eius non debeat Compromittentibus, qui non sunt in culpa, imputari, siue ignoranter, cum suo functus sit officio, potestas eligendi reuertitur ad Compromittentes, Secus accidit, si ipsi ratam habuerint huiusmodi electionem, & poterant illam ratam habere, quia suo nomine erat facta, vt inquit ibi Glos. Ver. Ratam; Ratihabitio verò mandato comparatur. Talis igitur conditio apponitur in pœnam ipsorum compromittentium, qui scienter approbant electionem Indigni, factam à Compromissario, verùm non adijcitur ad liberandum Compromissarium à pœna suspensionis ob electionem indigni; Et probatur, quia postea cum Summus Pontifex imponit pœnam aduersus Compromissarium eligentem indignum, iterum repetit eandem conditionem, dicens, *Porrò eo casu, cum scilicet indignus eligitur ab eodem*, idest à Compromissario, *Compromittentes, quos illius odio non conuenit prægrauari, nequaquam, nisi sic, vt præmittitur ratum habuerint, puniuntur*, quæ conditio apponitur non ad liberandum Compromissarium à suspensione, sed ad subijciendum in tali casu ipsos etiam compromittentes eidem poenæ suspensionis, & merito, nam cum participes sint eiusdem criminis, conuenit, vt pari quoque pœna afficiantur; Quare conditio illa ratihabitionis non solum non eximit ipsum Compromissarium à poena suspensionis, sed facit, vt non solum ipse, sed etiam compromittentes eadem poena puniantur.

Sed ambigua sunt verba illa, *Nisi sic, vt præmittitur ratum habuerint*; Dubium enim est quem sensum habeant, ideò indigent declaratione, Glo. ibi Ver. Præmittitur. refert prædictam clausulam ad ea, quæ leguntur paulo ante in Tex. *Si verò eligat &c.* vbi Compromissario eligente indignum siue scienter, siue ignoranter, electio deuoluitur ad Compromittentes, nisi ipsi scienter talem electionem ratam habuerint; Deinde statim in §. *Porrò eo casu &c.* declarat Summus Pontifex in casu, quo à Compromissario eligitur indignus, non esse Compromittentes propter odium ipsius Compromissarij aliqua poena prægrauandos, *nisi sic, vt præmittitur ratum habuerint*, idest, quod factum fuit à Compromissario; Modo incertum est, an sicut in hoc casu incurritur poena à Compromissario ipso iure, siue scienter, siue ignoranter elegerit indignum, vt dicitur in Tex. ita quoque similiter incurratur à Compromittentibus ratam habentibus, talem electionem, siue sciant electum esse indignum, siue ignorent; Deinde dubium est, An eadem poena suspensionis lata sit in Compromissarium eligentem indignum, & in Compromittentes illud ratum habentes, vel sit diuersa poena.

Et quidem quoad primam difficultatem censeo aliter statuendum esse de Compromissario, quàm de Compromittentibus; Nam si Compromissarius eligit indignum ignoranter ignorantia inuincibili, quia adhibuit omnem diligentiam, quam tenebatur ex officio ad perquirendum de scientia, moribus, ætate, natalibus, ac alijs requisitis, vt dignum, & idoneum eligeret, in hoc casu, cum ratione ignorantiæ excusetur à culpa, si præter eius voluntatem eligatur indignus, decens est, vt à poena quoque sit immunis, nam hæc suspensio fertur tantum propter culpam, & poena solum auctorem culpæ tenere debet, vt in Tex. dicitur, qua in re eadem est ratio Compromissarij, & Compromittentis; Si verò ignorantia non sit inuincibilis, sed aliquo modo voluntaria, &

A culpabilis, tunc puto diuersam esse rationem de Compromissario, & de Compromittentibus; Compromissarius enim si indignum eligat ex graui negligentia, quia si adhibuisset diligentiam facile inuestigare potuisset indignitatem electi, & tamen minime curans præmittere, sicut tenebatur hanc diligentiam, ignoranter elegit indignum, quem temerè credebat esse dignum, incurrit poenam in tex. statutam, nempè suspensionem triennalem à beneficijs; Contra verò Compromittentes vt incurrant poenam contra ipsos latam ratificantes electionem indigni factam à Compromissario, necesse est, vt scienter id faciant; Quare quamuis sint negligentes in inuestiganda dignitate electi, & idcirco non excusentur omnino à culpa, tamen si de facto ignorant electum esse in-
B dignum ratificando electionem non subijciuntur poenæ appositæ in dicto Tex. Sic qui diuersa ratio est de Compromissario, & Compromittente, & hæc differentia expresse sumitur ex verbo illo *Scienter*. Vnde infertur ad incurrendam poenam, requiri in Compromittentibus scientiam, quod electio fuerit de indigno facta, & tamen ex dolo, & malitia ratificetur; Quarè vbi talis ratificatio fuerit ex ignorãtia etiam culpabili, cessat poena, alioquin dictio illa *Scienter* nihil operaretur, sed si loquamur de Compromissario Textus in eo non postulat vnquam, vt scienter eligat indignũ, ad incurrendam poenã, sed siue scienter, siue ignoranter pœnæ subijcitur, vt habetur in §. Si vero;
C Quarè non bene Glo. Ver. Eligitur, refert hanc dictionem *Scienter*, etiam ad Compromissarium; satis enim est si eligat indignum voluntariè, & culpabiliter, quia si adhibuisset diligentiam, cognouisset indignitatem personæ, & talis ignorantia sufficiens est ad incurrendam poenam, quia æquiparatur scientiæ; & ratio huius differentiæ inter Compromissarium, & Compromittentem, in eo videtur consistere, quia postquam alicui demandata est potestas eligendi, ad eum spectat de dignitate & conditionibus personæ eligendæ inquirere, & si hac in re culpabiliter negligens fuerit, dignus est poena; Compromittentes autem excusari possunt si electionem ratam habeant, non præmissa omni di-
D ligentia possibili, quia de Compromissarij diligentia, & auctoritate confidunt, & merito dignum, & idoneum debent reputare, quem ipse eligat, neque videntur teneri speciali obligatione inuestigandi de dignitate electi.

De secunda verò difficultate agentes, idest de poena, qua obstringuntur Compromittentes scienter consentientes electioni factæ per Compromissarium de Indigno, dico duos esse modos respondendi; Aliqui putant incurrere eamdem suspensionem triennalem à beneficijs, quam incurrit ipse Compromissarius eligens indignum; Idquè probari potest ex verbis Tex. *Porrò eo casu, cum scilicet indignus eligitur &c.*
E Vbi fertur poena suspensionis aduersus Compromissarium, à qua eximuntur Compromittentes, *quos illius odio non conuenit prægrauari, nisi sic, vt præmittitur ratum habuerint*; Ergo in hoc casu incurrunt eandem poenam suspensionis; Alij censent per illam exceptionem: *Nisi sic vt præmittitur ratum habuerint*, non significari, Compromittentes incurrere poenam suspensionis, si ratam habuerint electionem indigni, qua afficitur Compromissarius, sed exceptionem illam referri ad poenam paulo ante statutam in §. Si verò, contra Compromissarium, quod eligens indignum priuatur potestate iterùm eligendi, ita etiam

Com-

Compromittentes ratificantes eandem electionem scienter, vt explicatum est, remanere priuatos potestate eligendi, aut compromittendi. Et confirmari potest, quoniam in Tex. non dicitur de Compromittentibus, si ratam habuerint talem electionem *suspenduntur*, sed vtitur verbo *Puniuntur*, quod est generalius; Accedit quod potest assignari aliqua ratio, propter quam Summus Pontifex, præter priuationem facultatis iterum eligendi, si Compromissarius elegerit indignum, velit addere pœnam suspensionis contra eundem, Compromittentes autem ratificantes talem electionem priori tantum pœna puniat, quia in Compromissario non posse iterum eligere, non videtur pœna, sed cessatio à munere ei iniuncto, quia non eligebat ex officio, sed delegata erat ei hæc potestas; Meritò videbatur altera pœna coercendus ob delictum prauæ electionis, At in ipsis Compromittentibus est peculiaris pœna, quod facultate priuentur iterum eligendi post deuolutam potestatem ad ipsos eligendi ob ratificationem indignæ electionis factæ à Compromissario, ideo non opus erat aliam pœnam adijcere.

Vterque modus respondendi probabilis est, & substineri potest, & posterior comprobari potest ex cap. Quamquam eod. tit. & lib. Vbi Canonici scienter eligentes indignum priuantur pro illa vice à Bonifacio Octauo potestate eligendi, neque alia pœna additur. Verum prima opinio commodius aptari potest verbis Tex. & videtur probabilior, nempe Compromittentes scienter ratum habentes factum Compromissarij, eadem teneri poena, cui subiectus est Compromissarius: Probatur primò, quia ita Tex. communiter explicatur à Glo. & Doctoribus, qui tenent Canonicos scienter ratificantes electionem indigni factam per Compromissarium, remanere suspensos à perceptione fructuum suorum beneficiorum, quæ obtinent in eadem Ecclesia: Secundò, quia ratum habens æquiparatur mandanti, vt inquit Glo. in explicatione casus; ergo tenetur eadem pœna: Tertiò euidenter probatur & tollitur omnis difficultas, quia suspẽsio triennalis lata in cap. Si Compromissarius, est illa, quæ in Concilio Lateranensi sub Alexandro Tertio imposita est contra eligentes scienter indignum, sicut in Tex. notatur; Sed in Concilio Lateranensi, vt habetur in cap. Cum in cunctis. de elect. eligentes scienter indignum, duplici pœna puniuntur, idest eligẽdi potestate priuantur pro prima vice, & triennio à beneficijs suspenduntur; ergo ijsdem pœnis puniri debent, si scienter ratam habeant electionem indigni, factam per Compromissarium, quia tũc alienam culpam faciunt suam, vt inquit Gemin. in dicto cap. Si Compromissarius, §. Si vero, num. 4.

Ad quem autem deuoluatur potestas eligendi si electores indignum scienter elegerint, declaratur in cap. Quamquam, de elect. lib. 6. Vbi statuitur deuolutionem fieri ad Summum Pontificem in Ecclesijs Cathedralibus; In inferioribus autem ad proximum Superiorem. De qua re latè in Glo. Ver. Deuoluitur.

CAPVT III.

De Suspensione lata contra Electores si infra certum tempus electionem factam, non præsentauerint Electo.

IN cap. Cupientes, §. Cæterum, de elect. lib. 6. Nicolaus Tertius confirmat decretum Gregorij Decimi in Concilio Lugdunensi, cuius mentio fit in cap. A Quam sit. eod. tit. & lib. vbi præcipitur electoribus, vt quam cito commodè possunt, electionem Electo præsentent, & adiungit certum temporis moram ad hanc præsentationem faciendam, quod Gregorius omiserat, idest vt Electores teneantur infra octo dies, ex quo commodè poterunt talem electionem electo præsentare, quod si longius distulerint, qui culpabiles in hoc fuerint, à prosecutione electionis in totum sunt exclusi, & à beneficijs, quæ obtinent in ipsa Ecclesia triennio suspensi, quibus si infra illud tempus se temere immiscuerint, illis perpetuo priuati pronuncientur; Deinde Nicolaus, tempus statuit tam Electo, quàm Eligentibus, veniendi ad Sedem Apostolicam, & imponit pœnam aduersus Eligentes, qui non miserint ex eis B quos tenebantur, iuxta formam dictæ Constitutionis etiam si Electus, vel opponentes neglexerint accedere, nempe priuantur à totali causæ prosecutione, & prouentibus beneficiorum per triennium, quę habent in dicta Ecclesia. Quod habet locum, dummodo modicus numerus Eligentium, vel contradicentium ipsos non excusaret, seu alia causa non retardaret, & tunc tenerentur mittere procuratorem sufficienter instructum, & cessante impedimento tenerentur adhuc accedere; Quare summatim hæc pœna comprehendit eligentes, vel opponentes se electioni, qui iuxta tempus, & modum in eo tex. præscriptum, non præsentauerint electionem Electo, vel ad Sedem Apostolicam non accesserint per se, aut per procuratores, vel per certas C personas ad hunc finem destinatas ad reddendam totius Electionis rationem; Et tandem eadem pœna extenditur ad postulantes, si in postulatione non seruauerint eundem modum; Et hæc omnia latè enarrantur in d. cap. Cupientes, §. Cæterum.

Itaque hæc suspẽsio primo fertur contra *Eligentes, si electiones ipsas concorditer, vel in discordia celebratas, infra octo dies postquam commodè poterunt, electis præsentare distulerint.* Glo in Ver. Electiones notat hanc constitutionem intelligendam esse non solum in electionibus Cathedralium, & Regularium Ecclesiarum, quæ in Tex. exprimuntur, sed etiam in electionibus inferiorum Ecclesiarum, ob eam rationem, quia Nicolaus Tertius in princ. cap. confirmat, quod D statuerat Gregorius Decimus in cap. Quam sit eod. tit. & lib. Sed Gregorius agit de omni electione, ergo moderatio temporis addita per Nicolaum, locũ habere debet in omni electione. Quod etiam affirmat Gemin. ibi nu. 3. quantum ad terminum octo dierum assignatum eligentibus, ad præstandam electionem electo, sed quoad poenas latas aduersus eos, qui neglexerunt ad sedem Apostolicam mittere, & alia seruare, quæ in dicta Constitutione decernuntur, censet ex sententia Io. And. restringendas esse ad Cathedrales, & regulares Ecclesias.

Notanda sunt etiam verba illa *Infra octo dies, postquam commodè poterunt*, quibus apparet, hoc tempus non debere immediate computari ab instanti E factæ electionis, sed ab hora, quæ commode possunt significare electis dictam electionem, Gregorius Decimus indefinitè decreuerat, vt Electores, quàm citius commodè poterant Electo præsentare electionem, illiusque consensum petere, procurarent, Nicolaus terminum octo dierum, postquam commodè possunt, ad idem faciendum, assignat: Quando verò dicendum sit, Eligentes commode id facere posse, inquit Glos. in dicto capitulo Quam sit. Ver. Quam citius, id relinquendum est arbitrio boni Viri; Nam ille dicitur non posse, qui

commode non potest, vt notat Gemin. in cap. Cupientes, §. Cæterum, num. 1. de Elect. lib. 6. Glo. in cap. Faciat 22. quæst. 2. l. Nepos Procul. ff. de verb. signif.

Sed oritur dubitatio, quoniam in Tex. non puniuntur vniuersaliter omnes eligentes pœna suspensionis, si infra octo dies distulerint significare electis electionem factam, sed solũ illi, *qui culpabiles in hoc extiterint*, Si igitur ignorentur, qui culpabiles fuerint, erunt ne omnes eligentes suspensi à beneficijs. Glo. in Ver. Qui culpabiles, proponit hanc difficultatem, Et primo pro parte negatiua quod nullus eligentium in eo casu sit suspensus, probat ex l. Absentem in Criminibus, ff. de pœn. Vbi dicitur, *Sanctius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm Innocentem damnari*, Contra facit quia si plures percusserunt aliquem, & vnus solus lethale vulnus intulit, & ignoretur quis fuerit, omnes de occiso tenentur, vt habetur c. vlt. 23. q. 8. l. Item Mela. § Sed si seruum plures, ff. Ad legem Aquil Tandem respondet quod postquam elapsus est terminus octo dierum omnes sunt puniendi tanquam culpabiles, nisi aliqui probent non fuisse in culpa, idest adhibuisse diligentiam suam, vel misisse nuncium, & illum fuisse impeditum, vel negligentem; sed hoc vltimum de negligentia missi non videtur probari à Glosa, quod talis negligentia possit excusare ipsos eligentes ex cap. Si Compromissarius de elect. lib. 6. nisi alia ratio sit in casu dicti cap. Cupientes propter hanc dictionem, *Culpabiles*. Vnde sumi potest argumentum, quòd si eligentes non sint in culpa negligentia Nuncij non debeat eis nocere; Alij ad hoc distinguunt si Eligentes ab initio non deliquerunt, mittendo Nuncium, qui verisimiliter diligens existimabatur, quo casu excusantur si postea negligens reperiatur, Facit cap. Significante, de Pignor. Contra verò, non erunt digni excusatione, si talem miserunt, qui communiter ignauus reputabatur; Pro hac sententia Glosæ facit cap. Significasti, 2. Ver. Quod si discerni. de homic. Vbi hoc modo videtur Summus Pontifex ad similem casum respondere, Quare concludendo dicit Glo. quod aut constat omnes eligentes fuisse in culpa, & tunc omnes puniuntur, aut certum est, aliquos tantum culpabiles fuisse, & nõ ignoratur, qui fuerint tales, quo casu illi tantum pœnam incurrunt, quando verò dubitatur, qui fuerint tales culpabiles, nullus tunc videtur dignus pœna, quia minus malum est nocentem absoluere, quam innocentem condemnare iuxta sententiam, quę habetur in dicta l. Absentem, ff. de pęn, Hoc dictum Glos. dicit Gemin. in dicto cap. Cupientes, §. Cæterum num. 6. esse valde notandum, quoniam facit ad solutionem illius quæst. quam proponit Anchar. & dicit in facto habuisse, Nimirum si tres aggressi fuerunt quemdam, quem vnico vulnere percussum relinquerunt, ex quo ictu tãdem perijt; Dubitabitur quis ex illis tribus homicidij reus esset condemnandus, stante statuto, quod pro vnico homicidio vnus tantum pœna capitis sit multandus, cum non appareat quis eorum vulnus intulerit, & omnes pariter fuerint ex proposito, rixæ consortes, in quo casu ex doctrina huius Glo. inquit Gemin. videtur dicendum stante hac incertitudine omnes fore absoluendos. & ita tenet Io. Imol. Franç. in eod. §. Cæterum num. 3. Anchar num. 2. Sed quidquid sit de hac quæstione, de qua plenè Bartol. in l. Si rixa, ff. de Sicar. Quantum ad dubitationem propositam de eligentibus, qui infra dictum terminum octo dierum non pręsentarunt electionem electo probabilius est asserere solum lapsum termini reddere ipsos culpabiles, vt inquit Anchar. Quare singuli erunt puniendi, nisi aliquis

A probauerit diligentiam suam iuxta cap. Plerumque. De Rescrip. vbi statutũ est, si quis literas à Sede Apostolica impetrauit quibus infra annum ex malitia, vel negligentia non vtatur, ei esse imputãdum, & ibi Glo. Ver. Vel negligentia, quærit ad quem pertineat probare hanc negligentiam, & respondet negligentiam supponendam esse ex solo decursu anni, neque opus est alia interpellatione, nisi ille vellet probare contrariũ, sicut dicitur de anno appellationis c. Cum sit Romana in princip. de Appella.

Omnes igitur eligentes, qui culpabiles fuerant non præsentando electionem electo infra octo dies, duplici pœna multantur, idest excluduntur totaliter à prosecutione electionis, & suspenduntur ad triennium omnibus beneficijs suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cuius clero

B stiunc agitur obtinent; Et Glo. in Ver. Beneficijs, notat tales Electores non esse suspensos ab officijs, reddit rationem, nam si omnes essent culpabiles, nemo posset inseruire Ecclesiæ, debita officia in ea exhibẽdo, Quod si tales suspensi recusarent deseruire, Episcopus posset eos compellere, etiam priuando illos beneficijs, nisi haberent iustam causam excusationis, neq; tunc quando Ecclesiæ inseruiunt percipere debent fructus beneficiorum, sed satis est si subministrentur eis alimenta necessaria, vt inquit Franc. num. 4. Anchar. nu. 1. Vers. Item nota. in Ver. Omnibus &c. vel saltem si Episcopus ratione multitudinis permitteret, vt non tenerentur debita officia præstare Ecclesiæ, conducere alios

C deberet ex fructibus eorumdem beneficiorum, qui inseruirent Ecclesiæ, & ministeria suspensorum supplerent; idem tradit Gemin. num. 7. Addit Glo. ibidem quod si tali suspensione durante vacet Ecclesia, non sunt priuati quin eligere possint, & ratio est, quia non sunt suspensi ab officio, sed à beneficio, quod clarè probatur ex cap. Cum in cunctis. §. fin. de elect. Vbi Clerici eligentes contra formam ibi præscriptam suspenduntur à beneficijs, & simul priuantur potestate eligẽdi; Ergo suspensio à beneficijs non infert priuationem potestatis eligendi, alias frustra in dicto c. Cum in cũctis vtrumque fuisset expressum, licet autem non sint priuati tales suspensi actiua potestate eligendi, non possunt tamen durante suspensione eligi, saltem in illa

D Ecclesia in qua suspensi sunt.

Et hæc suspensio incurritur ipso facto, quoniam est latæ sententiæ, vt notat Glo. Ver. Suspensos, & si Episcopus vocem haberet in electione Metropolitani, & in ea delinqueret non seruando hanc constitutionem Nicolai Tertij in dicto cap. Cupientes non incurreret hanc suspensionem cum in dicto cap. nulla Episcopi mentio expressa habeatur, sicut eadem Glo. notat, & vt Episcopus comprehendatur sub generali suspẽsione alicuius Constitutionis opus est, vt in ipsa Constitutione expresse nominetur, vt pluries monui, ex c. Quia periculosum. de sent. excomm. lib 6. & c. Si Compromissarius §. Huiusmodi. de elect. eod. lib. Non euitabit tamen Episcopus ob talem electionem Metropolita-

E ni contra formam dicti cap. Cupientes, aliam pęnam ibi latam, nempè vt totaliter excludatur à prosecutione electionis.

Quærit Glo. in eodem Ver. Suspensos, An Episcopus valeat absoluere ab hac suspensione à beneficijs, & respondet negatiuè ex cap. 1. ibi Nullam, de elect. lib. 6. & cap Tam literis ibi. Donec nostram mereantur. &c. de Testi. cap. Si quem §. Notandum 2. quæst. 3. Non obstat, cap. Nuper de sent. excom. vbi permittitur ordinario facultas absoluendi ab omni excommunicatione non reseruata, respondet enim Glo. c. Nuper,

per, esse intelligendum de excommunicatione vbi ma- A ius imminet periculum, & ideo facilius remoueri debet, quia nullus vsque ad certum tempus excommunicatur, sed donec satisfaciat vel caueat, cap. Ex parte in Christo, de verbo. signif. quia propriè loquendo ibi pœna non remouetur, sed quod ius statuit adimpletur.

Verùm pro responsione ad cap. Nuper, de senten. excom. nō est adducenda differentia inter excommunicationem, & suspensionem, vt inquit Gemin. num. 7. Vers. In eadem, Glo. ibi adimpletur, nam dictum cap. Nuper locum habet etiam in suspensione, vt alias probaui, sed potius distinguendum est de forma suspēsionis, an lata sit ad certum tempus, vel ad incertum, & indefinitum, sicut distinguit Glo. in Clem. 1. Ver. B Excommunicationis, de Hæret. Aut enim quis suspenditur perpetua suspensione, & non potest absolui ab Ordinario, quia talis suspensio parit effectum priuationis, aut est ad certum tempus lata, vt in hoc capit. Cupientes ad tres annos, & currente tempore non potest impendi absolutio ab Episcopo; Aut simpliciter & absolute suspenditur ex contumacia, vel ob aliā causam, & tunc potest à proprio Ordinario absolui, vt in dicto cap. Nuper. Idem confirmat Franc. num. 4. Vers. In eadem Glo.

Præter hanc suspensionem impositam in dicto cap. Cupientes contra eligentes si infra spatium octo dierum electionem non præsentauerint electo, fertur ibi alia similis priuatio *à prouentuum beneficiorum, quæ in* C *Ecclesia ipsa obtinent per triennium continuum perceptione*, contra eosdem eligentes, si infra tempus assignatum, non miserint duos ex ipsis sufficienter instructos, ad Sedem Apostolicam, vt certior reddatur de toto negotio electionis, quo casu præter hanc pœnam priuantur etiam à totali causæ prosecutione, sicut in superiori casu; Et hæc quæ dicuntur de eligentibus, repetuntur cum suis pœnis in postulantibus. Hæc autem suspensio incurritur ipso facto, quia non est latæ sententiæ, vt colligitur ex illo verbo quo vtitur Summus Pontifex, scilicet *Priuentur*, quod ostendit sententiam ferendam, vt notat Glo. super eodem Ver. Et hanc sententiam poterit ferre Episcopus, qui curare debet vt Canones à suis subditis obseruentur, & est sacro- D rum Canonum minister.

Quod si eligentes suspensi ob non intimatam electionem electo, durante suspensione, propria temeritate, vel alio quæsito colore, se ingesserint ad beneficia, à quibus fuerunt suspensi, ipso iure eisdem beneficijs remanent priuati, ita quidem vt si Episcopus denuò vellet eisdem conferre, non posset, vt inquit Glo. Ver. Perpetuo, sicut idem tradit Bald. in l. si Manumissus. C. de lib. & eorum lib. de Notarijs & Doctoribus, ex delicto priuatis, sed indigent dispensatione Papæ. Idem ait Franc. num. 5.

Quam tamen pœnam perpetuæ priuationis beneficiorum non incurrunt eligentes, suspensi ob secundum delictum, nempe quia non miserunt duos ex ipsis instructos ad Sedem Apostolicam, quamuis durante tempore suspensionis se ingesserint in administratione eorumdem beneficiorum, à quibus sunt suspensi, & ita notat Glo. Ver. Priuentur, quia hæc conditio priuationis posita in primo casu, non est repetita in secundo, nam vt tradit Franc. num. 5. in Materia pœnali, præcedentia non trahuntur ad sequentia, nec è contra, alias pœnæ extenderentur, & faciunt ad hoc quæ tractat Bart. in l. Prætor. ff. Vi. bono. rapto. & l. In repetendis. ff. de lega. 3.

Tandem eadem priuatio triennalis à fructibus beneficiorum, & exclusio à prosecutione processus imponitur contra opponentes recusantes venire ad Sedem Apostolicam, quando electio in discordia celebratur, sed non est Canon latæ sententiæ, quia text. vsurpat Verbum *Plectenda*, vt ibi notat Glos.

CAPVT IV.

De suspensione contra deficientem in probatione eorum, quæ contra electum opposuit.

Hæc suspensio habetur in cap. 1. §. Adijcientes, de elect. lib. 6. Vbi statuuntur pœnæ in opponentes contra electionem factam, & deficientes in probatione oppositionum, nam non probans id quod contra formam electionis factæ opponit, condemnatur in expensis, quod si non probat quod opposuit in personam electi, est à beneficijs triennio suspensus, & si se interim ad illa miscuerit, perpetuo censetur priuatus; Quæ pœnæ locum non habent si legitimè puteat eum calumniosum non fuisse.

Quantum spectat ad hanc suspensionem, illud ante omnia est præmittendum, in eo tex. non esse, sermonē de quacumque electione, ad quodcumque beneficium Ecclesiasticum, sed solummodo ad dignitates, personatus, & Canonias, vt expresse habetur in eodem cap. in §. Sed si pars in fin. *Hæc autem in Dignitatibus personatibus, & canoniis, obseruari volumus, & mandamus*, sed in cap. Si Compromissarius eod. tit. & lib. ibi, *Nec in aliorum, quàm Episcoporum, & Superiorum ipsorum, electionibus cum peccatur in ipsis, vendicat sibi locum*, videtur idem definitum etiam in electionibus Episcoporum, & meritò cum magis sit punienda calumnia objicientis temerè contra personam Episcopi, quàm alterius qui ad inferiorem dignitatem eligitur.

Glo. in dicto §. sed si pars, Ver. Dignitatibus, notat hic æquiparari hæc tria, Dignitas, Personatus, Canonia, cum alibi diuersimodè hant huiusmodi beneficiorum comparationes, & addit quoad Dignitates Cathedralium, & Regularium Ecclesiarum, quarum cōfirmatio ex immediata subiectione, vel ex appellatione, ad Papam spectat, tenendum esse id quod statutum est in cap. Cupientes de elect. lib. 6.

Secundo notandum est ex principio dicti cap. 1. & ex cap. Si Compromissarius de elect. lib. 6. has pœnas, scilicet refectionem expensarum parti, & suspēsionem triennalem à Beneficijs, habere locum non solum in electione, sed etiam in postulatione, & quacunq; prouisione, itaque quacunque ratione sit quis prouisus ad aliquod ex dictis beneficijs Ecclesiasticis, & aliquid opponatur in personam eius, si opponens defecerit in probatione, dictam suspensionem incurrit.

Tertiò notandum est, vt monui, oppositionem fieri posse contra electionem duobus modis. Primo modo contra formam electionis; Secundo contra personam electam. Vnde duæ pœnæ statutæ sunt, alia E in opponentem contra formam electionis, non simpliciter quia opposuit, sed si non probauit oppositionem illatam, & hæc pœna est condemnatio reficiendi expensas ipsi electo, secunda pœna est suspensio triennalis contra opponentem in personam, si deficiat in probatione, & maior pœna fertur contra opponentem in personam, quàm in formā, quia grauius delinquit propter periculum infamiæ, & calumniæ suspicionem.

Quæritur Glo. Ver. Personam, an eadem suspensio incurratur ab eo, qui aliquid opposuerit contra personas eligentium, & oppositionem non probauerit, pro par-

parte affirmatiua facit, vt inquit Glo. quia vitium eligentium reddit electionem nullam, sicut vitium personæ electæ; Ergo opponens, si suscepit onus probandi oppositionem, & defecerit eadem poena est dignus, sicuti si defecisset in probatione contra Electũ, & probat ex cap. Cum in cunctis. cap. Cum Vintoniensis eod. tit. cap. Cum Dilectus. De Consuet. Oppositum tamen concludit cum Innoc. & probat. quia in tex. dicitur: *In formam obiiciens aliquid, vel personam* in singulari; Nec valet argumentum; Vitium Eligentium reddit electionem nullam, ergo eadem pœna tenetur, quia defectus etiam formæ reddit irritam electionem, & tamen non est imposita æqualis poena contra opponentes in formam, si non probent, qua tenentur, deficientes in probatione oppositionis contra personã, & hæc pœna locum habet vt notat Glo. Ver. Defecerit, siue obijciatur crimẽ, siue defectus: & si plura opponat & vnum solum probet, quod ad cassationem electionis sufficiat, opponens euitat pœnam cap. Inter cætera, de Rescrip. quia hæc pœna est imposita in odium illorum, qui temerè electionem impugnant, sed cũ vnum probauerit opponẽs, quod verè reddit electionem nullam, patet euidenter non opposuisse fraudulẽter, & dolose ad calumniandum, sed vt significaret electionem minus canonicè factam, & propterea declarandam esse irritam.

Et licet Tex. simpliciter & absolute imponat pœnam suspensionis à beneficijs, Ecclesiasticis neque declaret à quibus, tamen Glo. in Ver. Beneficijs, intelligit de Beneficijs, quæ in illa Ecclesia obtinet, ex cap. Si Compromissarius in fi. de elect. lib. 6. quam suspensionem non incurret simpliciter appellans ab electione, sed qui probandi onus suscepit, vt inquit Glo. Ver. Defecerit, quia licitum est ab appellatione recedere cap. Ei qui. §. Appellatore cessante, 2. q. 6. & l. Quamuis. §. Si quis libellos. ff. de in ius vocan. Et sic recedendo euadet pœnam suspensionis à beneficijs, sed non euadet pœnam expensarum in fine litis si victus fuerit vt notat Butr. Hæc enim imponitur non tanquam pœna, sed veluti interesse appellati licet respectu soluentis sit pœna, vt tradit Franc. num. 4 Gemin. in dicto §. Adijcientes num. 9.

Quærit Glo. Ver Qui verò in probatione, an requiratur plena probatio ad euitandam hanc pœnam, vel sufficiat semiplena, & primo inquit intelligendum esse de plena probatione, deinde cum Host. interpretatur saltem de semiplena, censeo probabilius, vt intelligamus textum de plena probatione, primo quidem quia in eodem §. Adijcientes in princ. dicitur *Adijcientes si qui plenè non probauerit*, Requirit igitur Summus Pontifex plenam probationem ad euitandã pœnam expensarum contra eum qui opponit in formam electionis, ergo de eadem pœna probationis accipiendum est, quod statim adijcitur sub eadem serie sermonis. *Qui verò in probatione defecerit eius quod obijcit in personam*, scilicet, defecerit à plena probatione, cum grauius sit delictum, opponere contra personam, quam contra formam electionis, vt dicebam; Secundo quoniam appellatione probationis semper intelligitur de plena, non de semiplena, vt notat Glo. in Clem. Constitutionem Ver. Fides de elect. nam semiplena probatio non est probatio, Alex. cons. 170. lib 2. Tertiò idem probari potest euidenter ex verbis cap. Vt circa in fin. eod. tit. & lib. *Illa sanè quæ fel. record. Innocentius Quartus contra non plenè probantes ea, quæ in formam vel personam obiecerant, statuit, in suo volumus robore permanere*, Ergo ad euitandã suspensionẽ

A requiritur plena probatio, & ita sentit Gemin. num. 5. & citat Archid. & Io. And. idem tenet Anchar. nu. 6.

Postulabit quis, an deficiens in probatione incurrat hanc suspensionem ipso iure, vel sit expectenda sententia iudicis.

Respondet Gemin. n. 7. ex sent. Io. Mona. & Archid. esse suspensionem latæ sententiæ, & incurri ipso iure; sed contra obijcit ex verbis Tex. ibi, *A beneficijs Ecclesiasticis triennio nouerit se suspensum*. Nam iungitur participium præteriti temporis verbo subiunctiui modi, quod potest esse præteritum & futurum, tunc autem quia iuxta regulam vulgatam, in pęnis mitior pars est eligenda, potius erit accipiendum sub significatione futuri temporis, quàm præteriti, atque ita B erit Canon ferendæ sententiæ, non latæ, verum respõdendum est regulam habere locum quando ex verbis Canonis non constat de mente statuentis, quod voluerit ferre sententiam latam, sicut manifestè apparet de suspensione, quæ imponitur in dicto §. Adijcientes, sic enim post latam suspensionem statim additur, *Ad quæ si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit eo ipso iure perpetuo sit priuatus*. Quare cum Summus Pontifex puniat illum propter administrationem sequitur voluisse esse Canonem latæ sententiæ, non ferendæ.

Quærit Gemin. eodem nu. 7. An qui opposuit contra personam electam, & defecit in probatione, sicquẽ remanlit suspensionis vinculo obstrictus, debeat in expensis C condemnari. Respondet affirmatiuè ex cap. Accedens in fi. De Accusat.

Quærit etiam Gemin. eodem nu. 7. Vtrum si suspensus à beneficiis ob defectum probationis abstineat ab administratione beneficij toto tempore triennij, & vltima die dicti triennij immisceat se ad ea beneficia, à quibus est suspensus, incurrat dictam poenam priuationis beneficiorum. Respondet affirmatiuè, quia oportet, vt tota vltima dies sit completa ad euitandam poenam priuationis, sed termino elapso absolutus est ab ipsa suspensione, absque alia absolutione hominis, vt notatur in cap. Cum bonæ De Eta. & Qualit.

D Glo. in Ver. Priuatus, petit, nunquid ille ad quem collatio illorum beneficiorum pertinet, iustè valeat illa statim conferre, postquam suspensus se immiserit in eorum administrationem, & respondet iuxta ea quæ notat in cap. Commissa. Ver. Iusto impedimento eod. tit. & lib. Vbi ait quod licet beneficium elapso tempore possit alteri conferri, tamen tutius est, & conuenientius, vt priuatus citetur, & per sententiam declaretur priuatus, si non ostendat dispensationem, vel aliquam iustam excusationem adducat, nam si secus fieret collatio, & ipse postea adduceret dispensationem, vel aliam iustam causam, tunc redderetur nulla collatio; Addit tamen, quod cum illi ad quos E collatio spectat, nolint se aduersarios constituere, & multo minus illi, quibus conferuntur beneficia, nisi ante omnia ius habeant in re, ideò communiter eligitur altera via, vt absque alia pronunciatione collatio fiat.

Nullam super hoc de misericordia spem, aut fiduciam habiturus, Imponitur dicta pœna absque vlla spe remissionis, aut dispensationis, sed perpetuò remanet priuatus beneficiis, quibus erat suspensus.

Nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calumniæ vitio causa probabilis & sufficiens excusaret.

Hæc est exceptio ad ea quæ proximè dicta erant; Imponitur suspensio contra opponẽtẽ in personã electi, ad trien-

triennium & si durante suspēsione se immiserit in administratione eorundem beneficiorum, priuatur perpetuò d.ctis beneficijs, & tam suspensio, quàm priuatio feruntur absque spe restitutionis, & relaxationis, nisi in casu, quo manifeste pateret, opponentem probabiliter obiecisse in personam sine vitio calumniæ, dat exemplum, Glos. in Verb. Sufficiens. Vt si testes, qui testificari promiserant, deficiant, vel si probauit electum esse excommunicatum, qui tamen latenter absolutionem obtinuerat, quare in his casibus licet incurratur suspensio ipsu facto, tamen concedenda erit dispensatio, & pro ratione excusationis, tempus suspensionis coarctandum, immo talis esse posset probabilis excusatio, vt deceret, Summum Pontificē iustè, & merito tollere totam suspensionem, & fructus amissos restituere, quin etiam in foro conscientiæ talis esse posset causa excusationis, vt non incurreretur suspensio, quia cessante culpa, cessat & poena.

Dubitat Gemin. num. 7. in fi. An hæc exceptio causæ probabilis locum habeat in eo, qui excipit contra formam electionis. ita vt si talis deficiat in probatione eorum, quæ obiecerat, sit liber à poena solutionis expensarum, & respondet ex sententia Host. non excusari ab huiusmodi poena, quia hæc exceptio referēda est ad proxime dicta; Quarè opponēs contra formam electionis ex quacunque causa moueatur, si plenè non probauerit oppositionem, erit indistinctè in expensis condemnandus, sed Io. And. censet dictum Host. procedere, quando excipiens contra formam electionis errauit in Iure, & sic habuit errorem improbabilem, secus esset, si erraret in facto, obijciens cōtra formam electionis, quare in hoc casu esse posset error probabilis, qui excusaret à condemnatione expensarum. Quæ sit causa probabilis, & quæ verisimilis declarat Innoc. in cap. Bonæ memoriæ, num. 3. de appella.

CAPVT V.

De suspensione lata in eum, qui consentit electioni de se factæ per Potestatis secularis abusum simulque de ea, qua puniuntur eligentes.

IN cap. Quisquis, de elect. imponitur primo loco poena suspensionis in eum, qui consentit electioni de se factæ per abusum potestatis secularis, nempe quia Princeps Laicus voluit interesse tali electioni, quia hoc est contra libertatem Ecclesiasticam: Qui enim hoc modo electus fuerit si electioni de se factæ, *consentire præsumpserit contra canonicam libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem.* Secundo imponitur poena electoribus, qui ab officijs & beneficijs per triennium suspenduntur, & illa vice potestatem eligendi amittunt: Verba Tex. sunt: *Qui verò electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus præsumpserint celebrare, ab officijs & beneficijs penitus suspendantur per triennium, eligendi tūc facultate priuati.*

Sed de prima suspensione contra ipsum electum, consentientem huiusmodi electioni, dubitari potest, an illa propriè & verè vocari possit suspensio, nam quod aliquis reddatur inhabilis ne possit eligi ad dignitatem, seu beneficium, propriè non suspenditur ab aliquo beneficio, quod habeat, neque ab officio, ergo non potest dici vere suspensio; vnde Abb. ibi num. 1. hanc poenam appellat irregularitatem, quoad dignitates obtinendas, quia talis accipiens per abusum potestatis secularis dignitatem, non potest amplius ad aliquam dignitatem promoueri absque dispensatione, verùm censeo hanc poenam latam contra ipsum electum consentientem huiusmodi electioni, esse propriè suspensionem, duo enim dicuntur de electo, nempe quod electionis commodo careat, & quod ineligibilis fiat, absque dispensatione ad quamcumque dignitatem; quare licet non posse eligi non habeat rationem suspensionis ab officio, vel à beneficio, quia non est priuare aliquem actione, tamen efficere, vt quis careat commodo electionis est suspēdere illum, vel etiam dici potest, cōdemnare aliquē vt sit ineligibilis, esse illum suspendere, non actiue, vt non possit aliquid agere sicut prius, sed passiuè ne valeat aliquid recipere spectans ad genus rerum Ecclesiasticarum.

Similis suspensio habetur in cap. Si quis deinceps, 16. quęst. 7. Vbi Gregorius Septimus inquit, *Si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicuius Laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos, vel Abbates habeatur, nec vlla ei vt Episcopo, vel Abbati audientia concedatur. Insuper ei & gratiam B. Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus.* Idem confirmatur in sequenti c. Quoniam, vbi in fine hæc habentur, *Quod si præsumpserit, recognoscat inuestituram illam Apostolica auctoritate irritam esse, & se vsque ad condignam satisfactionem excommunicationi subiacere.* Et ibi Turrecrem, nomine excommunicationis, intelligit suspensionem ab introitu Ecclesię, & Sacramentorum participatione, sicut in dicto cap. Si quis deinceps, ex sententia Archidiac.

Primo quęri potest quid intelligi debeat illis verbis *Electioni de se factæ per secularis potestatis abusum* Glo. in Ver. Abusum, inquit significari, vt Laicus Princeps intersit electionibus, scilicet cum Clerici sponte Laicos admittunt, secus si per vim ita elegerint, quia tūc non puniuntur cap. Cum Vintoniensis, de elect. Sed aliud est electionem fieri à seculari potestate, aliud à Clericis per abusum secularis potestatis, in dicto cap. Quisquis, agitur de hoc modo posteriori, quia suspēduntur Electores ab officijs & beneficijs, ergo supponuntur Clerici, ille autem modus prior recipiendi dignitatem & beneficium de manu Laici est casus peculiariter damnatus, in dicto cap. Si quis deinceps 16. q. 7. Sentit tamen Abb. num. 1. in fi. fortiori ratione poenam dicti cap. Quisquis, locum habere in illo, qui dignitatem Ecclesiasticam immediatè recipit de manu Laici, nam talis modus est maior abusus, verùm in poenalibus argumentum à simili, vel maiori ratione non est efficax.

Vnde infert Abb quod recipiens dignitatem à Laico, quamuis eam postea impetret à Superiore Ecclesiastico, sine dispensatione tacita vel expressa, iniuste illam retinet, quoniam ex illa receptione de manu Laici, factus est inhabilis ad dignitatem obtinendam, sed si Papa scienter prouideret alicui de dignitate cui se intrusit recipiendo illam à Laico, videtur secum tacite velle dispensare, iuxta ea, quæ idem Abb. notauit in cap. Diuersis fallacijs de Cleri. coniug. secus esset dicendum de alio Superiore citra Papam, quia ille non censetur velle dispensare, nisi cognoscat super causa dispensationis.

Poenæ igitur dicti cap. Quisquis, incurruntur quoties electio fit per abusum potestatis secularis, idest quando conueniunt quidem Ecclesiasticæ personæ ad eligendum, sed simul cum eis assistit Princeps secularis, vel aliquod officium in ea præstat, vel si Princeps Laicus requirat Clericos super personis eligendis, vt inquit Innoc. vel aliis modis, & hic abusus euertit libertatem Ecclesiasticam, vt dicitur in text. & notat Glo.

Glo. Ver. Libertatem, quia si admitterentur Laici in electionibus, maximè potentiores, assumerent sibi hoc ius imposterum, & non relinquerent electoribus libertatem, vt votum possent proferre sine formidine, atque ita periret libertas Ecclesiastica; Duæ tamen afferuntur limitationes à Doctoribus ad hunc casum, prima est si Laici habeant hoc ius eligendi ex priuilegio à Papa, Secunda est, si illud habeant ex consuetudine: ita Innoc. In eodem tex. & Abb. num. 4. qui primam limitationem de priuilegio admittit non enim dicitur abusus, si Laici ea priuilegio ius eligendi haberent cap. Adrianus, dist. 63. Secunda limitatio, quæ fundatur super consuetudine, non probatur ab Abbate; reddit rationem, quia non potest Laicus etiam vigore consuetudinis longissimi temporis, de cuius initio non extet memoria, acquirere ius eligendi, etiam vt simul cum Canonicis eligat; Quare talis vsus, est potius vocandus abusus, & corruptela, vt ea pressè statutum apparet in his terminis de electione Episcopi, per quosdam Laicos cum Canonicis facta, vigore cõsuetudinis antiquæ, à Gregorio Nono in cap. Messana, de elect. *Edicto perpetuo prohibemus, nè per Laicos cum Canonicis, Pontificis electio præsumatur, quæ si præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela.* Vbi Glo. Ver. Consuetudine talem consuetudinem esse contra Ecclesiasticam libertatem, neq; vlla temporis longitudine defendi posse, & ad hoc plura iura citat. Idem tradit Io. And. in cap. 2. de præben. lib. 6. & hæc sententia Abb. est communiter recepta.

Secundò dubitat Glo. super Verb. Fiat. An hæc suspensio, quæ imponitur in illo cap. Quisquis, de elect. contra electum consentientem electioni de se factę per abusum potestatis secularis incurratur ipso iure, vel post sententiã hominis. Quòd non incurratur ipso iure, sed per sententiã talis electus sit suspẽdendus, videtur indicare illud verbum *Fiat*, futuri tẽporis, & facit c. Præterea, de Iure patronat. ad idem facit theorica, Glo. similis in regula in pœnis, de Reg. Iu. lib. 6. & in cap. Si diligenti, de foro compet. Contra verò quod incurratur ipso iure demonstrant verba sequentia, *Nec absque dispensatione ad aliquam eligi valeat dignitatem*, igitur supponitur suspensione iam obstrictus. Respondet, Glo. ipso iure per talem consensum electioni præstitum, electum fieri ineligibilem, sed suspẽsionem durare, quousq; dignitatem taliter adeptam dimiserit, nam sicut per suum actum suspensus fuit, ita per actum contrarium restituitur.

Sed rursus dubitat ibi Glo. An Episcopus cum tali electo dispensare valeat, & credit posse; probat ex cap. Nuper, de senten. excom. Nam cum auctor Canonis illam sibi non reseruauerit, videtur voluisse alijs facultatem cõcedere, Præscriptum hoc delictum sit minus adulterio, in quo Episcopus dispensare potest, cap. At si Clerici, de Iudi. Hoc dictum Glo. nõ placet Abb. num. 8. Vers. In eadem Glo. ibi, addens communiter Doctores affirmare Episcopum in hoc casu dispensare posse, licet fundamentum pro nititur Glo. desumptum ex cap. Nuper, de senten. excom. non sit validum, & firmum, vt bene notat Abb. quia dictum cap. Nuper, loquitur de potestate absoluẽdi ab excommunicatione, quare non potest inde inferri ad potestatem dispẽsandi, militat enim diuersa ratio; Facit Glo. in cap. Cupientes, §. Cæterum. Ver. Suspensos, de elect. lib. 6. Quoad facultatem enim dispensandi opposita regula attenditur, quod vbi Canon expressè non concedit facultatem dispensandi, videtur illam prohibere

A Inferiori, vt in cap. Dilectus, de Temp. ordin. Si contra obijcias, hæc prohibitio est Constitutio Concilij, ergo censetur dispensatio super ea prohibita Episcopo, vt notat Glo. in cap. Cum Dilectus, Ver. In ætate, de elect. Respondet Abb. Episcopum non posse dispensare regulariter super Constitutione Concilij generalis, & ob hanc causam non haberet facultatem Episcopus dispensandi super suspensione, qua electus consentiens electioni de se factæ per abusum potestatis secularis fit ineligibilis ad aliam dignitatem, nisi in eod. cap. Quisquis specialis mentio haberetur de dispensatione, ibi, *Nec absq; dispensatione ad aliquam eligi valeat dignitatem*. Nisi enim Summus Pontifex his verbis voluisset potestatem dispensandi concedere
B Episcopis, frustra locutus esset de dispensatione: Neque enim dubium esse poterat Papam posse in eo casu dispensare; & est regula, quam tradit Innoc. in cap. Dilectus, num. 2. de Tempor. ordinat. Vbi pertractans hanc difficultatem quando liceat Episcopo dispensare, varijs modis respondet, & probabilius esse inquit affirmare Episcopum semper dispensare posse, vbi ius concedit dispensationem; & contra si dispensatio non conceditur à Canone, nunquam dispensare posse, quamuis in Canone non exprimatur, quod dispensatio ad Papam pertineat, quia cum Episcopi teneantur Canones seruare, non debent aliquid tentare, quod ab ipsis Sacris Canonibus permissum non fuerit.

C Quarto dubitari potest, an hæc pœna locum habeat in electione cuiuscunque dignitatis, vt electus fiat ineligibilis, si consentiat electioni de se factæ per abusum potestatis secularis, Host. quem refert Abb. num. 2. inquit solum compræhendere electionem ad dignitatem Episcopalem, Innocentius verò vniuersaliter interpretatur de quacumque dignitate, & hanc opinionem dicit esse communem Abb. cum Tea. indefinitè loquatur. Iterum quærit Abb. An qui consentit in sui electione hoc modo possit promoueri ad Canonicatum, vel beneficium, quid non sit dignitas, Respondet posse, quia c. Quisquis; solum efficit inhabilem ad quamlibet dignitatem, sed nunquid possit promoueri ad beneficium habens curam animarum,
D Respondet ibidem Abb. minimè posse, quia tale beneficium æquiparatur dignitati cap. Dudum, de elect. licet hanc responsionem non videatur approbare, quia in pœnis verba sunt proprie, & strictè interpretanda, non in latiori significatione, cap. Statutum, de elect. lib. 6. cap. Odia, de Reg. Iur. eod. lib. sed Ecclesia Curata non est propriè dignitas, cum non habeat iurisdictionem fori contentiosi, iuxta ea quæ idem Abb. notauit in cap. De Multa. de præben.

Quinto dubitatur ex his quæ habentur in cap. Præterea, 4. de Iur. Patro. Vbi Clerici, qui institutionem Laicorum recipiunt communione priuantur. Verba
E Tex. sunt, *Clericus autem, qui Ecclesiam per Laicos sine proprij Episcopi auctoritate receperit, communione priuetur, & si persliterit à ministerio Ecclesiastico, & ordine deponatur.* Quare si hoc delictum pœna debita est correctum, quomodo in cap. Quisquis de elect. fertur alia pœna, idest vt electus fiat ineligibilis ad quamcunque dignitatem.

Abb. in dicto cap. Quisquis num. 7. inquit tres Canones haberi diuersos, in quibus agitur de hoc delicto, & de pœna, quæ illius causa incurritur, primus est in cap. Si quis deinceps 16. q. 7. Vbi interdicitur ingressus Ecclesię recipientibus dignitatem de manibus Laicorum, donec resipuerint. Secundus habetur in cap.

cap. Præterea, 1. de Iu. Patro. Vbi hoc modo recipientes dignitatem, communione priuari debent. Tertius est in dicto cap. Quisquis de elect. Vbi ob idem crimē declarantur inhabiles ad dignitatem consequendam; quæ iura non sunt contraria, sed vnum per alterum suppletur. Nam cap. Si quis deinceps ab Innoc. intelligitur de excommunicatione Minori, sed Abb. inquit non posse interpretari de excommunicatione, cum Tex. apertè loquatur de Interdicto ab ingressu Ecclesiæ, his verbis, *Insuper ei & gratiam B. Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus quousque locum, quem sub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ cepit, resipiscendo non deserit.* Hinc dubitat Abb. An talis celebrando, antequam dimittat dignitatem efficiatur Irregularis. Nam ex cap. Is cui, de senten excom. lib. 6 Is, cui interdictus, est ingressus Ecclesiæ, si in ea celebrat, incurrit irregularitatem, & Glo. ibi notat id locum habere in Interdicti Canonis & Hominis Abb. respondet dictum cap. Si quis deinceps propriè non loqui de suspensione neque de Interdicto Canonis, sed potius esse quandam Dei suspēsionem per Canonem approbatam iuxta regulam traditam ab Innoc. in c. Si celebrat, in fi. de Cler. excom. mini. dicens, quoties quis suspenditur à Canone donec resipuerit potius dici debere suspensionem à Deo, quàm a Canone. Dicitur autem suspensus à Canone per approbationem, & si hoc modo sentiremus non incurreretur Irregularitas propter celebrationē, quia propriè non esset suspensio Canonis inducentis pœnam, sed potius consulendum esset huic suspenso, vt abstineret à celebratione, donec dimitteret dignitatem ita acquisitam. Sed de hoc Tex. dicam in materia de Interdicto, Disp. 12. cap. 2. Deinde dictum cap. Præterea, de Iu. Patro. statuit sic delinquentem debere communione priuari, idest excommunicari. Tandem cap. Quisquis, de elect. addit inhabilitatem ad alias dignitates. Quamobrem prædicta iura simul iungendo, ita Abb concludit, quod consentiens electioni factæ per abusum secularis potestatis, est ipso facto suspensus saltem quoad se, cum sit in peccato, deinde debet excommunicari nisi dimittat dignitatē sic acquisitam, tandem sine dispensatione non potest ad aliquam dignitatem promoueri, & hoc modo omnia iura sunt consona absque vlla discrepantia.

Sed Glo. in dicto cap. Præterea, 1. Ver. Communione priuetur, in fin. de Iu. Patron. obijcit contra, nempe quod electus consentiens electioni per abusum potestatis secularis, non fiat ineligibilis, quia non videtur prohibitam, habere Ecclesiam à Laico, si adsit titulus legitimæ præscriptionis, vel accedat consensus Episcopi, vt colligitur ex cap. Cura, de Iure. Patro. ibi, *Nisi legitima fuerit præscriptione munitus, aut Diœcesani Episcopi habuerit postea consensum.* Glo. ibi Ver. legitima; diuersimode respondet ad hanc difficultatem, primò dicit tolerari huiusmodi præscriptionem propter scandalum, quia illæ Ecclesiæ, de quibus agitur, non poterant reuocari sine scandalo, secundo inquit illos qui Ecclesias receperunt de manu Laicorum, non potuisse præscribere, quia contra dispositionem Canonum illas receperūt, sed eorum successores præscripsisse, quia ignorantiam probabilem, & bonam fidem habuerunt, quia qui in locum alterius succedit, iustam habet ignorantiæ causam, l. Qui in alterius. ff de Reg. Iur. & hanc Glo. dicit ibi singularem Abb. in suo effectu.

Post pœnam impositam electo si consentiat electioni de se factæ per abusum potestatis secularis, fertur pœna in electores, & est suspensio ab officijs & beneficijs, his verbis, *Qui vero electionem huiusmodi quam ipso iure irritam esse censemus præsumpserit celebrare, ab officijs & beneficiis penitus suspendantur per triennium, eligendi tunc potestate priuati.* Glo. in Ver. Abusum, notat hanc pœnam habere locum, quando ipsi electores voluntariè in sua electione admittunt hunc abusum secularia potestatis, nam si per vim, & metum cogantur ad hoc, effugiunt pœnam, neque ipsa electio erit ipso iure irrita. Quod probari potest ex verbo illo. *Præsumpserint*, quod indicat operationem prouenientem ex actu voluntatis mere libero, sed oppositum videtur sentire Innoc. ibi, ponens exemplum inter alia, quando hæc pœna locum habeat, si electio sit facta minis alicuius Principis secularis, licet idem Innoc. in cap. Quod sicut. de elect. dicat electionem factam per metum, non esse ipso iure nullam, Respondet Glo. in Ver. Libertatem, electionem factam per metum esse ipso iure nullam, quia licet adsit consensus, non est tamen liber, idem notat Glosa quarta in cap. Bonæ 1. de elect. & Abb. in dicto cap. Quisquis, num. 6. citat alia iura, quare idem Abb. in cap. Licet num. 12. de elect. pro solutione huius dubitationis, vtitur distinctione, vel electores compelluntur per metum eligere certum aliquem, quo casu ipso iure irrita est electio, quia spectat ad rationem intrinsecam electionis, eligere vnum ex pluribus voluntariè, vt ipsum vocabulum electionis significat; Nam eligere est vnum ex pluribus voluntarie capere, Tex. valde notabilis in c. Vbi periculum. §. Cæterum, de elect. lib. 6. Aut cogūtur electores eligere ex certo corpore & genere personarum, & talem electionem putat Abb. esse validam quia non admitur omnino libertas eligendi, sed coarctatur, sicut in simili dicitur de consuetudine, quæ potest coarctare libertatem eligendi ad certum genus personarum, sed non potest tollere libertatem, remanente potestate eligendi, vt probatur in cap Cum terra, de elect. & hoc modo conciliari possunt diuersæ opiniones quantum ad validitatem, & inualiditatem electionis, si verò loquamur de pœna suspensionis lata in dicto cap. Quisquis contra electores, qui eligunt per abusum potestatis secularis, dicendum est electores hanc pœnam euitare, si compelluntur ad talem electionem metu graui inducente moralem violentiam, tunc enim cum electio sit valde inuoluntaria, non videntur digni electores tam graui pœna, sed tātum incurritur talis suspensio ab electoribus, quando voluntarie admittunt in electione talem abusum secularis potestatis, & cum Innoc. ad oppositum ponit exemplum, quando electores mouentur minis potestatis secularia, fortasse intelligit vbi minæ non sunt tales, quæ sufficiant ad inducendum metum grauem, vt actio moraliter dici possit inuoluntaria.

Quærit Glo. in Ver. Suspendantur, an hæc suspensio ab officiis, & beneficijs ad triennium incurratur ipso iure vel post sententiam, & inquit incurri per sententiam Iudicis arg. cap. Quia propter, & cap. Cumana in fi. de elect. & idē ostendit verbum, *Suspendantur.*

Sed contra obijcit ex cap. Cum in cunctis, eodem tit. Vbi eligētes indignū à beneficijs Ecclesiasticis ad tres annos suspendūtur, Glo. tradit duas responsiones; prima est quod in dicto cap. Quisquis, imponitur duplex pœna, scilicet suspensio ab officijs & à beneficijs; At in cap. Cum in cunctis vnica pœna, idest suspensio à beneficijs, ideo non est mirum, si hæc incurritur ipso facto, illa vero post sententiam, vt hinc inde compensatio fieret; secunda responsio, quam dicit esse veriorem,

rem est quod hi duo textus loquuntur in diuersis casibus, ideo diuersa pœna imponuntur. In cap. Cum in cunctis, agitur de Clericis scienter indignum eligentibus, qui suspenduntur ipso facto à beneficijs per triennium, in cap. Quisquis tractatur de illis qui elegunt idoneum, sed per abusum potestatis secularis, quibus imponitur maior pœna, quia magis delinquunt, nam offendunt libertatem Ecclesiasticam, ideo statuitur pœna triennalis suspensionis ab officijs & beneficijs, sed per sententiam ferenda & ita sentit Abb. in fi. dicti cap. Quisquis, quæ pœna locum habet in omnibus electoribus, sicut prior in omnibus electis, nisi fortasse excipiantur Episcopi, ob illam rationem sæpè adductam ex cap. Quia periculosum, de senten. excom. lib. 6. quia eorum mentio expressa non habetur in dicto B cap. Quisquis.

Tandem durante triennio electores sic suspensi, remanent eligẽdi potestate priuati, vt ibidem statuitur, vnde Glo. Ver. Tunc, notat, quod si durante triennio iterum vacaret Ecclesia, Canonici suspensi non possunt eligere, quia dictio illa *Tunc* respicis totum triennium, quod est verum, quando omnes Canonici sunt suspensi, quia omnes deliquerint, sed si aliqui tantum deliquissent, alij possant eligere, vt ibi notat Glo.

Neque necessaria est alia sententia Iudicis, per quã tales electores priuentur potestate eligẽdi, sed statim post sententiam suspensionis, remanent ipso facto priuati à Canone, potestate eligendi, si quis contra obijciat ex cap. Quia propter §. 1. in fin. de elect. ibi, *Qui* C *verò cantra præscriptas formas eligere attentauerint, eligendi ea vice potestate priuentur.* Vbi Glo. Ver. Priuentur, inquit, *per sententiam non ipso Iure*; Idem in cap. Cumana in fi. eod. tit. Respondet Glo. in dicto capit. Quisquis in fin. Verb. Priuati, eligentes per abusum potestatis secularis, ideo ipso iure non expectata alia sententia priuatos esse durante triennio suspensionis, potestate eligendi, vt in dicto cap. Quisquis, quia grauius delinquunt, cum offendant libertatem Ecclesiasticam, quàm illi, qui eligunt non seruata forma dicti cap. Quia propter, qui priuantur tali potestate per sententiam Iudicis; Quare cum sint diuersi casus, diuersa etiam pœna imponitur vt latius declarat Glo. D ibi in cap. Cumana, de elect.

CAPVT VI.

De suspensione, quam incurrunt Clerici inferiores Episcopis, vel eorum familiares non seruantes in visitationibus Ecclesiarum, Constitutionem Innocentij Quarti in cap. Romana de Censi. lib. 6. similiter de alia suspensione, qua obstringuntur Conferentes vel recipientes beneficia commorantium in Romana Curia pro suis negotijs.

INnocentius Quartus in cap. Romana, §. Procurationes, de Censi. lib. 6. statuit vt exigentes procurationem pro visitatione in pecunia, etiam à volentibus, vel in victualibus à locis non visitatis, teneantur E restituere duplum illius quod acceperunt sub pœna maledictionis æternæ, a qua absoluendi non sint, nisi antea restituto duplo rei acceptæ, verùm quia plures parui faciebant maledictionem illam comminatam, ideo Romanus Pontifex Gregorius Decimus in Concilio generali Lugdunẽsi, refertur cap. Exigit eod. tit. & lib. adiecit pœnam aggrauando decretum Innocẽtij Quarti, & statuit, vt exigentes procurationem in pecunia numerata, etiam à volentibus, vel in victualibus restituant duplum illius quod receperũt intra mensem, alias elapso mense interdicti, & decedentes A durante Interdicto sint sepeliendi in loco profano; non in cœmeterio, & hæc pœna compræhendit Episcopos, & Archiepiscopos, alij vero suspenduntur ab officio & beneficio, donec restituerint illud duplum, ad quam restitutionem obligantur, quamuis qui dederunt munera, velint ea remittere dictis donatariis.

Quare tria prohibentur, primum est quod procuratio accipiatur tantum à locis visitatis; Secundum quod recipiatur solum in Victualibus, non in pecunia etiam à sponte tradente; Tertium quod visitantes aut familiares munera non recipiant, & contrafacientes si sint Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & infra mensem duplum eius Ecclesiæ à qua id receptum fuerit, non restituerint, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, si autem fuerint inferiores Clerici ab officio, & B beneficio suspenduntur.

Primo notandum est ex Glos. in dicto cap. Exigit. Ver. Visitationis, hanc Constitutionem & poenam in ea appositam habere locum solummodo, quando aliquid accipitur non seruata hac forma ratione Visitationis, nam in aliis procurationibus, quæ debentur Legatis, vel Nunciis Apostolicæ Sedis, vel in his quæ debentur ratione consuetudinis, vel pacti in fundatione appositi, non incurritur hæc pœna, de quibus causis agitur cap. Quanto, cap. Procurationes & cap. Cum nuper, de Censi. & cap. Eleutherius 18. q. 2.

Secundo notanda sunt verba illa, *Qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere.* C In hoc casu vt inquit Glo. Ver. Volente æquiparantur hæc duo exigere, & à volente recipere, & est casus specialis, nam exigere est ab inuito extorquere, l. fidei commissa. §. si rem. ff. si lega. 3. Sæpius autem licitum est recipere, quod non licet exigere. cap. De Eulogiis, dist. 18. cap. Dilectus de Simo. l. 2. §. est quidem. ff. de va. & extraord. cog.

Tertio notandum est hanc Gregorij Decimi Constitutionem, quatenus interdicebat ne procuratio in pecunia etiam à volente recipi posset, correctam fuisse à Bonifacio Octauo in cap. Felicis, eod. tit. & lib. licet in reliquis in suo robore maneat, Bonifacius enim Octauus, videns quod illa Cõstitutio Gregorij X. vergebat in graue detrimentum Prælatorum, atque etiã D soluentium procurationem, vt experientia ipsa compertum erat teste eodem Bonifacio, ideo statuit vt quis conuenire possit cum Prælato, si velit, vt pro procuratione recipiat certam pecuniarum summam, sed volens procurare Prælatum visitantem, non teneatur dare pecuniam.

Hic dubitari potest, an Visitatores Ecclesiarum possint licitè absque poena, præter procurationem recipere pecuniã ex alia causa; Nam Glo. in Ver. Pecuniam, notat ex sententia Innocentij in cap. Procurationes, de Censi. pecuniam recipere posse si indigeant pro vecturis, & ferraturis equorum; sed hæc responsio Glo. non approbatur à Geminiano in dicto cap. Exi- E git num. 8. Vers. Glosa in Verb. Pecuniam, quia pro vecturis, & ferramentis equorum non potest pecunia recipi, nam illa omnia continentur appellatione victualium, vt tradit idem Gemin. in cap. 1. §. Procurationes num. 5. eod. tit. nec obstat dictum Innoc. quia loquitur de Legatis, & Nunciis Apostolicis, dicit tamen Io. And. dictum Glo. fortasse admitti posse in eo casu, quo talis occurreret necessitas, & indigentia visitanti, vt nisi pro dictis vecturis reciperet pecuniã, impediretur à visitatione, cap. Quod non est, de reg. Iur. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

Neq; solum dictæ poenæ incurruntur si recipiatur ab Epi-

A ab Episcopis, & alijs, quibus ex officio competit visitare, procurationes in pecunijs, ab illis Ecclesiarum Rectoribus, qui recusant pecuniam soluere, sed potius volunt victualia ministrare, sed etiam si recipiantur munera à dictis visitaotibus, vel eorum familiaribus, nomine munerum, accipiuntur dona, vocantur munera, vt inquit Varro, ab eo quod qui mutuo animo sunt, ea dant officij gratia; nonnulli auctores dicunt munus dari ex merito, donum conferri ex gratia, vnde versus, *Dat meritum munus, sed confert gratia donũ.* Ideo bene inquit Gemin. in cap. 1. §. Procurationes, n. 6. de elect. lib. 6. Quod si interdicta est receptio muneris, quod datur ex causa, multo magis receptio doni, quod fit sine causa l. Inter donum. ff. de verb. signi. idem notauit Io. Andr.

B Sed quæri potest, an teneatur Visitator recusare quodcunque genus doni, seu muneris ex quacunque causa ad euitandas has pœnas.

Glo. in dicto cap. Exigit, in Verb. Munera, primo inquit Visitatorem consultius facere si abstineat se ab omni munere, & probat ex cap. Sanè nulli 1. quæst. 1. ibi, *Unde bene cum iustum virum describeret Propheta ait* Esa. 33. *Qui excutit manus suas ab omni munere, neque enim dicit qui excutit manus suas à munere, sed adiunxit ab omni &c.* Clarius idem videtur statutum in dicto cap. 1. §. Procurationes, de elect. lib. 6. ibi, *Caueat insuper ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus, quodcumque sit, & qualitercunque offeratur, præsumat recipere.* C Et loquitur de Visitatore ex causa visitationis, secundo ait Glosa quod recipiens modicum esculentum, vel poculentum, quod verisimiliter ipsum mouere non valeat à recto, neque donantem pauperiorem facere, non incurrit pœnas dicti cap. Exigit, arg. cap. Et si quæstiones, de Simo. & l. Plebis scito ff. de Off. Præsid. cum alijs iuribus citatis ibi per Glo. quia talia non trahuntur ad munera, & quod dicitur in dicto §. Procurationes, Visitatorem non posse recipere aliquod munus, intelligendum est de muneribus, quæ non sint esculenta, vt inquit ibi Glo. Ver. Aliquod munus, nã de esculentis, quæ paucis diebus consumi possint, alia ratio est, prætertim de esculentis quæ dantur Visitatori, vt secum asportet, nam de illis quæ exhi- D benetur in actu Visitationis edenda, & bibenda, nulla esset dubitatio, quia tunc esset procuratio, & ita dicit Io. And. & confirmat Gemin. in dicto §. procurationes num. 7.

Quarè qui recipit procurationem ratione Visitationis non in Victualibus, sed in pecunia, vel exigit in victualibus, sed à locis non visitatis, vel accipit munera, si non restituerit duplum eius, quod acceperat, Ecclesiæ, à qua id receptum fuit infra mensem. Qua in re tenetur etiam pro familia elapso dicto mẽse, si sit Episcopus, est ei interdictus ingressus Ecclesiæ, & Glos. Ver. Interdictum, addit, quod si durante tali Interdicto decesserit, non sepelitur in Cœmeterio, & celebrãs interim in Ecclesia in suo officio, sicut prius, irregula- E ris efficitur, quòd si non sit Episcopus, sed inferior, ab officio & beneficio suspenditur, quousq; de dicto duplo grauatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendat, atq; ita vt notat Glo. Ver. Inferiores, magis punitur minor, quàm maior, & hæc suspensio incurritur ipso iure: vnde si suspensus interim celebret, est irregularis, nec potest ab alio, quàm à Papa absolui. Facta autem dupli restitutione, per huiusmodi suspensum statim intelligitur absolutus sine alia sententia absolutionis, cap. Si qui 81. dist. cap. Non est, de sponsa. & patet ex dictione illa *Quousque*, quæ habetur in

A tex. sed sufficit sola declaratio propter dubium satisfactionis, vt tradit Glos. in Clem. 1. ad fi. Vers. Donec, de Deci.

Et ab hac obligatione restituendi duplum eius, quod dicti Visitatores receperunt, non liberantur, si is, qui dedit, vel illam remittere, & ex consequenti sequuta tali remissione minime effugiunt dictas pęnas, vt demonstrant postrema dicti cap. Exigit, *Nulla eis in hoc dantium remissione, liberatione, seu gratia valitura*, vbi Glos. Ver. Valitura, notat dari casum, in quo rem suam, vel ei debitam remittere non potest quamuis nihil sit tam naturale, quàm voluntate Domini rem suam in alium transferri §. Per traditionem Institut. de Rer. Diuis. Tandem illud quoque annotandum B videtur, à Benedicto XII. in extrau. Vas electionis, de Censi. inter communes taxatam esse quantitatẽ procurationis dandæ Visitatori, siue in Vectualibus, siue à sponte volentibus in pecunia, quæ diuersa est pro diuersitate Prouinciarum, vbi etiam distinguitur, si per se ipsos, vel per alios visitent, quæ omnia latius in ea Constitutione explicantur, in qua etiam taxantur pabula Charitatis & subsidium charitatiuum, & imponuntur pœnæ contra transgressores & eorum familiares. Nec plura de hac suspensione, quæ habetur in cap. Exigit de Censi. lib. 6 contra Prælatos inferiores Episcopis delinquentes in recipienda procuratione ratione visitationis contra dispositionem cap. Romana de Censi. eod. lib.

C Alia est suspensio lata ab Eugenio IV. & habetur in Extrau. de priuileg. Vbi Ordinarij locorum, qui conferunt beneficia eorum, qui pro suis negocijs Romam proficiscuntur, aut ibi manent ob eundem finem, vel inde recedunt, & illi etiam, qui dicta beneficia recipiunt, excommunicationis, suspensionis, & interdicti latis sententijs obstringuntur, quas ipso facto incurrunt.

Primo loco notandum est hic ferri ab Eugenio IV. aduersus transgressores huius Constitutionis omnes tres Censuras excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & aliquid difficultatis esse posset, de qua specie suspensionis, & interdicti velit Summus Pontifex intelligere, si id non exprimat, & vniuersaliter loqua- D tur, & quod spectat ad suspensionem, de qua modo agimus, nam de Interdicto tractabimus suo loco, putarem, cum neque ex verbis Tex. neque ex materia, de qua agitur, neque ex alia ratione limitari possit, suspensionem hanc vniuersalem esse, & complecti vtramque speciem suspensionis, scilicet ab officio, & beneficio.

Secundo loco notandum est hanc suspensionem latam esse contra omnes Ordinarios & Commissarios, & Delegatos eorum qui officiales Sedis Apostolicæ quocunque nomine nuncupatos dictę Sedis obsequijs interuenientes, vel alios quoscunque pro suis negocijs apud eandem Sedem commorãtes, aut venientes, vel recedentes pertusbant, priuando eos dignitatibus ac E beneficijs Ecclesiasticis quibuscunque, vel priuatos decernendo & declarando, illaq; personis alijs conferendo, vel quomodolibet in eis se intromittendo.

Ex quibus inferuntur duo, primum est, hanc suspẽsionem comprehendere Episcopos, quamuis sub generali constitutione suspensionis non includãtur Episcopi, cap. Quia Periculosum de sent. excom. nam voce Ordinarij, quæ vsurpatur in Tex. primo significatur Episcopus, qui in Diœcesi est primus de Iure Ordinarius, præsertim cum Textus dicat *Et nihilominus in omnes & singulos Ordinarios*, Illæ enim voces *omnes*

& singuli, omnes complectuntur absque vlla exceptione. Secundo infertur Summum Pontificem ferre has censuras contra Ordinarios perturbantes prædictos in suis beneficijs, quæcunque illa sint, & cuiuscunque generis, qua vtitur verbis generalibus absque vlla limitatione, *Qui*, idest Ordinarij, *se de dignitatibus ac beneficijs Ecclesiasticis quibuscunque*, ergo omnia includuntur, siue sint simplicia, siue curata.

Tertiò notandum est ferri suspensionem & alias cēsuras non tantum contra Ordinarios conferentes beneficia officialium Sedis Apost. aut aliorū apud dictā Sedem pro suis negocijs prosequendis commorātium, sed etiā contra ipsos recipientes huiusmodi beneficia.

Quartò notandum est præter has censuras, quibus obstringuntur Ordinarij, si conferunt beneficia officialium & commorantiū apud Sedem Apostolicam pro suis negocijs, declarari irritas sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aut priuationis officiorum vel beneficiorum, vel quascunque alias pronūciatas per eosdem Ordinarios cōtra huiusmodi officiales & commorantes apud Sedem Apostolicam.

Hæc habentur in illa extrauag. Eugenij IV. quæ hodie non videntur locum habere in Ius, qui beneficia curata habent, & commorantur in Romana Curia vltra tempus eis permissum ex decreto Conc. Trid. & non seruata eius forma. Conc. enim Tridentinum sess. 23. de Reform. cap. 1. prope finem decernit, vt habentes beneficia curata non possint ab eis abesse nisi ex iusta causa ab ipso Ordinario cognita & approbata, & ab eo licentia in scriptis obtenta. Quòd si secus fecerint, & citati etiam per edictum non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinario compellere eos per censuras Ecclesiasticas & sequestrationem ac subastationem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsque ad priuationem, & declarat hanc executionem suspendi non posse vigore cuiuscunque priuilegij, licentiæ familiaritatis &c. *vel vigore Eugenianæ Constitutionis*, & intelligit hanc Extrauag. vnde desumpta est hæc suspensio, de qua modò tractamus.

A Quare si Ordinarius vocaret ad residentiam Clericum subditum, qui degeret apud Sedem Apostolicam vel pro negociis suis prosequendis, vel quia esset officialis, & ille recusaret parere, & ita persistens in contumacia sua excommunicaretur, vel alia pœna eius culpa coerceretur, non incurreret suspensionem, neque alias pœnas dictæ extrauag. cum expresse concessum sit Episcopo compellere curatos per censuras, & alia iuris remedia ex dicto decreto Concilij Tridentini, quod confirmatum est à Papa non obstante dicta extrauagante Eugenij Quarti. Item idem Concilium sess. 24. cap. 11. prope finem, non tantum de habentibus beneficia curata, sed vniuersaliter de omnibus

B habentibus beneficia Ecclesiastica decernit remanere subiectos Ordinarij iurisdictioni, quamuis sint residētes in Romana Curia, & declarat priuilegium Eugenij Quarti non esse intelligendum de his, qui huiusmodi beneficia obtinent, verba Concilij sunt, *Quæ verò priuilegia residentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere solent ea in ys, qui beneficia Ecclesiastica obtinent ratione prædictorum beneficiorum, minimè intelliguntur, sed Ordinarij iurisdictioni subiecti permaneant, non obstantibus quibuscunque inhibitionibus.* Quamobrem ex vtroque loco Concilij apparet hoc priuilegium Eugenij

C Quarti nullo modo suffragari Clerici beneficiarijs residētibus apud Sedem Apostolicam, quò minus subiecti sint suis Ordinarijs in ijs, quæ respiciunt dicta beneficia, & hanc ob causam posse pœnis & censuris coerceri absque periculo violandi dictam Constitutionem Eugenianam, vel pœnas in ea contentas incurrendi, & vt inquit Abb. in cap. Cum Capella in fi. de Priuileg. non inconuenit, vt eadem persona sit subiecta alterius iurisdictioni ratione alicuius tituli, & ratione alterius sit exempta, sic in hoc casu qui commoratur apud Sedem Apostolicam pro negocijs suis, vt talis gaudet priuilegio, quatenus verò obtinet bene-

D ficium, & tenetur ad residentiam, est subiectus iurisdictionis Ordinarij, & potest per eum puniri.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

DE SVSPENSIONIBVS LATIS CONTRA IVDICES ECCLESIASTICOS, TAM Seculares quàm regulares in Iudicio delinquentes.



TRACTANDVM est in hac Disputatione de illis suspensionibus, quæ in iure habentur contra Prælatos, & alios superiores Ecclesiasticos, qui in administranda iustitia, & pronuncianda sententia, atque iudicio ferendo non seruant Constitutiones & decreta sacrorum Canonum, & hanc ob causam incurrunt suspensionem ab eisdem impositam. & primo loco agam de suspensionibus, quæ in Iure pronunciantur aduersùs Iudices Ecclesiasticos, qui in ferenda sententia excommunicationis, vel alterius Censuræ delinquunt non seruantes modum, & ordinem à iure præscriptum.

CAPVT I.

De suspensione, quam incurrunt Iudices & Superiores Ecclesiastici, qui in pronuncianda sententia excommunicationis, vel alterius censuræ formam & modum præscriptum à sacris Canonibus non seruant.

IN cap. Sacro, de sent. excom. refertur decretum Innocentij Tertij, in Concil. Lateranensi cap. 43. quo statutum fuit, vt Iudex Ecclesiasticus teneretur præmittere competentem monitionem factam præsentibus idoneis personis, quarum testimonio probari posset, si necesse esset, antequam sententiam excommunicationis ferret, quòd si contra præsumeret, etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & de hac suspensione mentionem faciunt omnes Doctores, Palud. 4. sent. dist. 18. q. 7. art. 2. casu 12. Angel. Ver. Suspensio 1. casu 14. Antoni. 3. par. tit. 28. cap. 4. Sylue. Ver. Suspensio §. 6. Vers. Decimo quarto suspenditur, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 156. Vers. Quinta in cap. Sacro, Henriq. in Summa lib. 13. cap 39. de excom. & suspen. §. 4. qui eandem monitionem indifferenter asserunt seruandam esse ante suspensionem, & iudicem Ecclesiasticum ferendo sententiam suspensionis ea prætermissa, incurrere dictam suspensionem menstruam ab ingressu Ecclesiæ, sicut pronunciando sententiam excommunicationis, & ita tenet Felin. in dicto cap. Sacro, de sent. excomm. ex his, quæ habentur in cap. Reprehensibilis, de appell. Deinde ait Henriquez, non includi Episcopum sic excommunicantem, aut suspendentem, quia in dicto cap. Sacro, nulla fit specialis mentio de Episcopo iuxta decretum cap. Quia periculosum, de sent. excom.

Pro declaratione huius suspẽsionis, qua innodatur Iudex pronuncians sententiam excommunicationis, aut suspensionis sine competenti monitione notandũ est, vt inquit Felin. in eodem cap. Sacro num. 5. hanc pœnam non incurrere Prælatum Ecclesiasticum, si excommunicet Monachum subditum nulla præcedente monitione.

Notandum est secundo ad euitandam hanc pœnam non satis esse, vt Prælatus moneat eum, quem vult excommunicare quouis modo, sed requiritur competẽs monitio, vt dicitur in Tex. Competens autem monitio, vt inquit Glo. Ver. Competens, est trina monitio, cap. Contingit, de sent. excom. & cap. De illicita 24. q. 3. Clarius, quæ sit competens monitio, habetur in cap. Constitutionem, & c. Statuimus, de sent. excom. lib. 6. Non est autem necessarium, vt hæc monitio fiat in scriptis, ideo Summus Pontifex postulat teste Abb. num. 3. *vt fiat personis præsentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio.* sunt tamen aliqui casus, in quibus si omitteretur monitio, non esset locus huic pœnæ, quos enumerat Felin. in dicto cap. Sacro num. 4. 5. & 6. tamen ex dictis iuribus difficultatem habent, sed fusius de illis tractaui in primo lib. de excommunicatione.

Tertiò notandum est, quòd quamuis Abb. in c. Reprehensibilis num. 3. & 4. de appella. & Tabiena Ver. Suspensio nu. 8. Vers. Septimo, dicant simpliciter, & absolute ad ferendam sententiam suspensionis necessariam esse monitionem, tamen probabilius esse quod asserit Innoc. in cap. Ad hæc quoniam de appella. & in c. 1. de excess. Prælat. & in cap. 1. de sent. excom. lib. 6. Sylue. Ver. Suspensio §. 4 & Nauar. in Man. cap. 27. n. 59. & 164. qui hanc conclusionem limitant ad eam suspensionem tãtum, quæ fertur ob contumaciam; quare non intelligitur de suspensione, quæ imponitur pro crimine, & delicto commisso, quæ ferri potest absque monitione. Differt enim monitio à citatione: monitio enim præmittitur, vt quis obediat, & sic fugiat pœnam, sicut nomen ipsum significat. Citatio verò fit, vt innotescat parti, quid Iudex sit facturus. Quamobrem licèt ante omnem sententiam requiratur citatio, non tamen monitio. Quando igitur suspensio fertur in pœnam delicti, sine monitione imponi potest. Ad hoc facit cap. Tam literis de Testibus; & de Interdicto idem affirmat Innoc. & Sylue. arg. c. Statutum de sent. excom. lib. 6. Vbi Interdictum ponitur ex causa sine culpa, vel in pœnam pro culpis præsentibus aut præteritis arg. c. Romana. §. sed nec in specie de sent. excom. lib. 6. Quare ante Interdictum debet præmitti monitio, quando imponitur ob contumaciam, sicut in suspensione, excommunicatio verò, quia nunquam pronunciatur pro delicto præsenti aut præterito, sed tantum pro futuro, quod habeat annexam cõtumaciam; ideo nunquam potest ab homine licitè pronunciari nõ præmissa monitione, quãdo verò fertur à Iure, incurritur absque alia monitione, quia ipsa lex semper monet subditos, vt caueant à transgressione, ne obstringantur à cẽsura excommunicationis, Palud. in 4. sent. dist. 18. quæst. 7. art. 3. concl. 10. Ex his sequitur non incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesię per mensem Iudicem Ecclesiasticũ, qui profert sententiã suspẽsionis in aliquem ob crimẽ ab eo commissum prætermissa monitione, nisi habeat annexam contumaciam.

An verò teneat excommunicatio, vel suspensio non præcedente monitione, dixi in tractatu de excom. & tradit Abb. in eod. c. Sacro nu. 9. de sent. excom. & Felin. n. 3. Idem Abb. in c. Reprehensibilis nu. 3. & 4. de Appell. qui dicunt validam esse, & idem dicunt de excommunicatione, & Interdicto.

Glo. in ver. Interdictum proponit difficultatẽ quid si iniuste excommunicatus statim petat absolui ab ipso Iudice qui excommunicationem tulit, an talis absolutio sit valida: Ratio dubitandi est, quoniam cum ipse Iudex sit suspensus ob eam causam quòd excommunicationem tulerit non præmissa monitione, ab ingressu Ecclesiæ non videtur posse per absolutionem alium Ecclesiæ reconciliare.

Nihilominus Glosa affirmatiue respõdet huiusmodi Iudicem suspensum absolutionem impendere posse ab excommunicatione, & probat ex tex. eiusdem cap. Sacro ibi, *Qui*, scilicet Superior ipsius Iudicis qui excommunicauit, *si absque periculo moræ potest ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittere*, si Pontifex mãdat vt iniuste excommunicatus remittatur ad ipsum excommunicatorem pro absolutione, ergo supponit illum valide absoluere posse. Secundo respondet Glo. ex sententia aliorum excommunicatũ non posse absolui ab excommunicatore tempore suspensionis, quia cũ sit suspensus alium reconciliare nequit arg. c. Sãctum est de consecr. dist. 4. & ad verba tex. citata respõdet esse intelligenda quãdo monitio pręcessit & excõmunicatio iniusta fuit ex alio capite, puta quia lata sine rationabili causa; sed alia ratio est quãdo nõ præcessit monitio, quo casu incurritur suspẽsio, tunc enim Summus Pontifex non remittit excommunicatum ad ipsum Iudicem suspensum pro absolutione petenda, & in his terminis intelligitur prima pars dicti c. Sacro. Tertiò respondet Glos. quod licet talis Superior qui excommunicauit non præmissa monitione sit priua-

tus ingressu Ecclesiæ per mensem, nihilominus retinet iurisdictionem suam, quia non est suspensus ab ipsa iurisdictione, neque est excommunicatus, ideo potest absoluere ipsum excommunicatum, cap. Ab excommunicat. de Rescript. cap. Si celebrat, de Cleri. excom. Mini. Glo. in cap. Duobus, Ver. Non expirat, de senten. excom. Hanc vltimam responsionem Glo. videtur approbare Abb. ibi, num. 10. & dicit eandem sequi Innoc. qui tamen addit, quòd licet talis Superior suspensus ab ingressu Ecclesię valeat excommunicatum absoluere, non potest tamē per se ipsum, sed per alium eum in Ecclesiam inducere, argum. cap. Suffraganei, de elect. vbi Archiepiscopus, qui non recepit pallium, potest committere alteri consecrationem Episcopi. Idem tenet Felin. in eodem cap. Sacro, num. 6. qui ex eodem Innoc. notat, quòd talis, qui est suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si celebret extra Ecclesiam, non fit irregularis; immo si sit interdictus ab ingressu vnius Ecclesiæ, & celebret in alia, nullam incurrit pœnam, & in eandem sententiam citat alios Doctores; & hæc de prima suspensione contra Iudices Ecclesiasticos, qui non seruant formam præscriptam à Iure, in pronuncianda sententia excommunicationis, aut suspensionis, nempe quia non præmittunt competentem monitionem.

Alia suspensio fertur in cap. Cum medicinalis de sent. excom. lib. 6. contra eosdem Iudices Ecclesiasticos, qui suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs per mensem, si sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti proferunt sine scriptis, aut sine causæ expressione, vel requisiti non tradunt copiam sententiæ infra mensem. De hac suspensione tractat Palud. in 4. senten. distinct. 28. quæst. 7. art. 2. cas. 4. Sylue. Verb. Suspensio, §. 6. Vers. Decimo quinto suspenditur, Tabien. Ver. Suspensio num. 7. vers. 6. casu 13. Nauar. in Manual. capit. 27. numero 156. Vers. Sexta, Henriquez lib. 13. de excommun. & suspen. cap. 39. §. 4. B. Antoni. 3. part. sum. tit. 28. de suspens. cap. 4.

Primo loco vnum occurrit notandum ex Palud. in dicta quæst. 7. art. 3. conclus. 10. hanc suspensionem latam contra Iudices non seruantes dictas solennitates in pronuncianda sententia excommunicationis, suspensionis & Interdicti locum habere solum, quando Iudex suspendit ab illo actu, qui iure suo competit ipsi suspenso, non autem si suspendit ab actu ei competente iure ipsius suspendentis, scilicet ex commissione ipsius suspendentis, quo casu Iudex non seruans dictas solennitates non remaneret suspensus, neque incurreret alias pœnas latas in dicto cap. Cum medicinalis, exemplo iam explico, simplex Sacerdos non habens curam animarum caret potestate audiendi confessiones iure suo, si Episcopus concedit illi facultatem, vt valeat confessiones audire, & deinde eum ab huiusmodi facultate suspendit sine scriptis, tunc Episcopus neque peccat, neque suspēsionem, aut alias pœnas incurrit. Cuius dicti ratio est, quoniam hæc suspensio non est propriè suspensio, quæ est censura; sed inhibitio, & reuocatio concessionis antea factæ. Quare sicut Episcopus simplici verbo potuit hanc facultatem audiendi confessiones impertiri, ita quoque valuit illam simplici verbo reuocare penitus, vel ad tempus, & ex parte ab illa suspendere arbitrio suo. Alia ratio esset de Parrocho, nam si Episcopus Parrochum ab audiendis confessionibus suspenderet sine scriptis, & non seruatis alijs solennitatibus dicti capit. Cum medicinalis, incurreret pœnas in eo

A contentas: quia esset vera, & propria suspensio, cum actus audiendi confessiones competat Parrocho ex officio.

Secundo loco notandum est Abbates & alios Superiores regulares propter eandem rationem proximè explicatam non incurrere suspensionem, & alias pœnas, si solo verbo suspendant suos Religiosos subditos ab audiendis confessionibus eorundem Religiosorum: quia hanc potestatem, audiendi confessiones Religiosorum, habent ex commissione suorum Superiorum, qui sicut possunt illam delegare nudis verbis, ita etiam reuocare omnino, vel ex parte, aut ad tempus suspendere. Sed maior difficultas est, quando Superior suspendit Religiosum subditum à potestate B audiendi confessiones quorumcunque confitentium etiam Laicorum: quia talis potestas audiendi confessiones Laicorum non conuenit Religioso ex commissione sui Superioris, sed ex delegatione Summi Pontificis, Palud. in 4. sentent. distinct. 18. quæst. 7. art. 3. conclus. 10 dubitat, an Superior incurreret illas pœnas, si ab hac facultate suspenderet suum Religiosum sine scriptis, licèt potius inclinet in eam partem, vt dicit etiam in illo casu non incurrere suspensionem, aut alias pœnas; & hæc Palud. sententia videtur esse probabilis: quia licèt Religiosus accipiat potestatem audiendi confessiones à Summo Pontifice, non tamen simpliciter, & absolutè, sed cum subordinatione ad Superiorem Religionis; immo post Concil. C Trident. sess. 23. de Reformat. cap. 15. etiam cum relatione ad Episcopum. Nullus enim Religiosus potest audire confessiones Secularium, nisi per Episcopum approbatus fuerit, & nullus ab Episcopo approbatur, nisi antea testimonium à suo Superiore de vita, & moribus ostenderit. Quare cum talis facultas pendeat etiam quodammodo à commissione Superioris, poterit ipse Superior huiusmodi Confessarios solo verbo suspendere.

Tertio notandum est, quòd si Superior, qui ob non seruatas huiusmodi solennitates in ferendis sententijs censurarum incurrit dictam suspensionem, exequitur diuina officia, vel actum proprium alicuius ordinis, incidit in irregularitatem, cuius dispensatio est reseruata D Papæ, vt notat B. Antoni. 3. par. tit. 28. de suspensione cap. 4. & Henriquez lib. 13. de suspens. cap. 39. §. 4. & habetur in eod. cap. Cum medicinalis in fine, de sent. excom. lib. 6.

Obiiciet quis, si hæc suspensio durat ad mensem tātum, ergo mense elapso ipso iure restitutus erit cap. Si quis amodo dist. 81. cap. Non est nobis de sponsa.

Respondet Glos. ibi in addit. ex sent. Host. hoc esse verum, si sententia suspensionis Iudex durante mense seruauerit, alias semper remanet suspensus quoad se, cap. fin. de cohab. Cleric. & Mulier.

Secundò obijciet aliquis, quoniam non videtur verum, quòd suspensus ab ingressu Ecclesiæ si celebret, efficiatur irregularis: quia non suspenditur ab officio E qui suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, cum officium diuinum extra Ecclesiam quoq; celebrari possit.

Respondet Glos. in addit. irregularitatem incurri, si officium diuinum celebretur in Ecclesia ab eo, qui suspensus est ab eius ingressu; sed in casu dicti ca. Cum medicinalis, de sent. excom. lib. 6. Iudex non seruans solennitates ibi præscriptas, non tantum ab ingressu Ecclesiæ suspenditur, sed etiam à diuinis officijs, igitur irregularitatem contrahit non tantum si celebret in Ecclesia, sed etiam extra.

Tertiò quæri potest, an ad incurrendam hanc suspensionem

A spensionem necesse sit, vt Iudex ex dolo omittat dictas solennitates, vel satis sit, vt id faciat scienter, vel ex ignorantia culpabili. Ratio dubitandi sumitur ex illa voce *Temerarius*, qua vtitur Summus Pontifex in Tex. ibi: *Si quis autem Iudicum huiusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator*, arg. l. 2. §. Doli mali. ff. vi bono. rapto.

Respondet Glos. Verb. Temerarius, Iudicem omittentẽ dictas solennitates in pronunciandis sententijs censurarum incurrere suspensionẽ & alias pœnas, etiã si absq; dolo malo id faciat; sed ex negligentia, stultitia, vel fatuitate, facit ad hoc l. eum qui temere, ff. de Iudi. quare temerarius violator dicitur ille, qui sine iusta causa transgreditur Constitutionem, arg. c. 2. ne Cleri. vel Mona. iuncta Glo. Ver. Temere. Idem dicũt B Gemin. in eod. c. Cum medicinalis §. si quis, num. 2. & Franc. n. 3. Quare, vt inquit Glos. in eod. Ver. Temerarius, si Iudex, qui excommunicauit, omisit dictas solennitates sine culpa sua, non incurrit suspensionem, puta protulit sententiam excommunicationis sine scriptis: quia non erat, qui subministraret necessaria ad scribendum, & periculum erat in mora, si sententia differebatur, l. Aequissimum ff. de vsufruct. & cap. Indemnitatibus in fi. de elect. lib. 6.

Quartò dubitari potest, vtrum dictæ solennitates sint seruandæ ab omnibus, qui proferunt aliquam sententiam censurarum, itaut si omittant, innodati remaneant vinculo suspensionis.

Respondeo, dictas solennitates ab omnibus seruan- C das esse, & id patet ex verbis Tex. cum ait: *Quisquis igitur excommunicat*, & deinde, *Si quis autem Iudicum*, vbi Glos. Ver. Iudicum addit, *Quorumcunque vt etiam Sacerdotes excommunicantes hoc seruare debeant.* idem ait Host. & cum eo Io. Mona. & Archid. similiter, Philip. Franc. num. 2. licèt de Regularibus dubitet, & magis inclinet in partem affirmatiuam, præsertim quando ob obseruationem dictæ Constitutionis non immineret aliquod periculum ratione moræ, cap. Cum ab Ecclesiarum de off. Ordi. Quamobrem hanc Constitutionem cap. Cum medicinalis, vbi traditur forma seruandam in imponendis censuris, obligat Episcopos & alios omnes Prælatos habentes iurisdictionem proferendi censuras in suos subditos, quamuis, vt in- D quit Glo. Ver. Iudicum poena suspensionis in Episcopis locum non habeat, si Constitutionem violent: quia eorum mentio expressa non habetur iuxta cap. Quia periculosum, de sent. excom. sed nihilominus alias pęnas ibi impositas non effugient.

CAPVT II.

De suspensione lata contra Iudicem Ecclesiasticum, qui ex odio vel amore, aut muneribus contra iustitiam, & conscientiam iudicauerit in damnum, & iniuriam partis.

E

IN c. 1. de sent. & Re Iudi. lib. 6. Innoc. IV. in Conc. Lugdunen. imponit pœnam contra Iudices Ecclesiasticos, qui contra iustitiam & conscientiam aliquid in Iudicio fecerint in grauamen partis per gratiam, vel per sordes. Pœna autem est, quòd per annũ ab executione officij remanet suspensus, & cõdemnatur parti læsæ ad æstimationis litis, & si medio tempore ingesserit se diuinis, irregularitatem incurrit, à qua non nisi per Summum Pontificem poterit liberari præter alias pœnas à legibus latas contra Iudices perperam enarrato modo in iudicio se gerentes.

Notat Glo. in explicatione casus sex cõditiones requiri, vt Iudex inique iudicans obstringatur vinculo suspensionis, & incurrat alias pœnas dicti cap. Primo, necesse est, vt ferat iudicium contra iustitiam; secundo, vt id facit contra conscientiam; tertio vt scienter, & voluntarie id agat; quarto vt ad id moueatur in grauamen partis; quinto vt causa id faciendi fuerit, quia ad hoc ducatur per sordes, idest per pecuniam, aut gratiam, vel preces alterius, aut fauore, vel odio; sexto, vt hoc grauamen partis sequatur ex actione aliqua ipsius Iudicis, secus vero, si huiusmodi incommodum parti oriretur ex negligentia Iudicis. De his conditionibus magis distinctè discutiendum est, vt dubitationes occurrentes dissoluantur, & res magis elucidetur.

Primò igitur quæri potest de primis duabus cõditionibus, an ad incurrendã suspensionẽ requiratur, vt vtraq; existat copulatiue, idest vt Iudex contra iustitiam & conscientiam faciat, vel sufficiat altera tantũ.

Respondeo vtrunque copulate esse necessarium, vt locum habeat pœna, vt notat Glos. Ver. & cõtra, quia Iudex nõ debet iudicare simpliciter secundũ consciẽtiã; sed debet illam informare ex allegatis & probatis c. Iudicet 3. q. 7. c. Pastoralis, §. quia verò de off. deleg.

Quare si Iudex ex odio procederet, & sic faceret cõtra conscientiam, tamen si grauamẽ illud, quod affert alteri parti re vera non est contra iustitiam, sed studet contra latitudinem iustitiæ grauare semper illam nolens, cum illa vllo fauore aut gratia vti in his, quæ legitimè posset, non incurreret hanc suspensionem. E contra si Iudex ex ignorantia probabili, vel incõsideratione partem læderet vltra iustitiæ æquitatem similiter non innodaretur suspensione: quia non ageret contra conscientiam, & ex consequenti non ageret formaliter contra iustitiam, sed tantum materialiter & decet, vt cessante culpa, cesset quoque poena.

Secundo quæritur, an necesse sit, vt scienter faciat contra conscientiam, itaut si ex ignorantia id ageret, suspensionem non incurreret.

Respondeo requiri scientiam & voluntatem; nam si Iudex suspenditur, quia faciat contra consciẽtiam, ergo scienter & voluntariè. Si autẽ ex imprudentia, inconsideratione, vel ignorantia malè iudicauerit, putans bene iudicare, non incurret suspensionem, quamuis teneatur ad æstimationem litis iuxta illud, quod habetur l. vlt. ff. de var. & extraord. cogni. & Institut. de oblig. quæ ex quasi delic. nasc. circa princ.

Tertiò quæri potest, vtrum si Iudex procedat in Iudicio contra iustitiam & contra conscientiam sine læsione alicuius partis, sed cum damno alterius tertij, vel sine vlla læsione, incurrat suspensionem.

Glos. in explicatione casus respondet negatiuè, quia opus est ad incurrendam hanc pęnam, vt Iudex procedat contra iustitiam & contra conscientiam in læsionem partis; quòd si non lædatur pars, non incurritur suspensio, & nomine partis intelligitur actor, vel reus, vt notat Gemin. n. 5. & Franc. eod. n. 5. Quare si Iudex grauaret Notarium, aut Nuncium, vel alias similes personas in iudicio conuenientes, ex quo grauamine pars non læderetur, suspensio locum non haberet, Franc. exemplum affert de Iudice, qui procedat die feriata sine grauamine partis.

Quartò dubitatur, an Iudex, qui malè agit contra iustitiam simul etiam contra conscientiam in grauamen partis extraiudicialiter incurrat suspensionem. Respondet Gemin. numer. 6. non incurrere suspensionem, quia Tex. inquit: *In iudicio quicquam fecerit*.

A Sed nunquid sit locus suspensioni, si Iudea non faciat aliquid, sed omittat agere, vnde sequatur grauamen partis.

Gemin. n. 7. refert duas sententias, altera est negatiua, quia Tex. vtitur verbo *fecerit*, atq; ita intendit punire facientem non omittentem aut negligentem; altera est Host. & Io. Andr. contraria, quam sequitur Gemin. quòd si Iudea omittat aliquid in Iudicio per sordes vel gratiam, & ex illa omissione pars grauetur, suspensionem, & alias pœnas incurrit, & probatur ex Glo. in cap. Legitima, Ver. odium in addit. de appel. lib. 6. quia Iudex ita potest delinquere omittendo, sicut faciendo, & ille dicitur facere, qui omittit, quod agere tenebatur, vt notat Glos. in cap. 1, Ver. Contrafecerint, de vsur. lib. 6.

B Quinto dubitatur à Glo. Ver. In Iudicio, an hæc pœna locum habeat in arbitro, vel in Auditore, & mero executore.

Respondet primo de Arbitro, quòd ad illum non extenditur, quia Tex. loquitur de Iudicibus Ordinarijs & delegatis; *Si quis autem Iudex Ecclesiasticus Ordinarius, aut etiam delegatus*, & cum tractetur de pœna, non est extendenda, & citat Io. Mona. Archid. Gofre. Ber. & Host. quòd dicunt verum esse, quando est Arbiter compromissarius, secus si in locum Ordinarij, vel Delegati succedit; & de Auditore ac mero executore idem credit Host. cum hi non sint Iudices, idem ait Gemin. in eod. §. si quis num. 13. & Franc. num. 4. C Addit tamen Franc. hanc pœnam comprehendere mixtos executores, licèt assumant partes meri executoris, & citat Glo. in Clem. 1. de off. Deleg.

Sed contra opponi potest ex Glos. in cap. 1. Ver. Iudices de confessis lib. 6. vbi explicans, qui in Tex. intelligantur numine Iudicum, inquit esse intelligendos Ordinarios, Delegatos, & Arbitros; respondet Franc. dicto num. 4. interpretandam esse Glos. dicti cap. 1. de sent. & re Iudi. lib. 6. in pœnis & odijs, aliam verò Glo. cap. 1. de Confessis eod. lib. in alijs omnibus.

Seató quæritur, quid sit iudicare per gratiam vel per sordes.

Respondet Glo. Ver. Vel per sordes, quod dicitur fieri per sordes, si prece, precio, timore, vel odio Iudex corruptus iudicet contra conscientiam. D Quare hæ conditiones requiruntur copulatiue ad incurrendam suspensionem, & altera deficiente cessat pœna arg. l. Si quis ita stipulatus ff. de verb. oblig. Glo. in dicto cap. 1. Ver. Vel per sordes in Addit. de sent. & re Iudi. lib. 6. Gemin. ibi num. 13. Franc. n. 5. in fi.

Quòd si Iudex in iudicio processerit violando hanc Constitutionem, suspenditur per annum ab officio, & condemnandus est ad æstimationem litis parti læsæ, verba tex. sunt, *Ab executione officii per annum nouerit se suspensum ad æstimationem litis parti, quam læserit nihilominus condemnandus.*

Quærit Gemin. in dicto §. si quis num. 8. de qua suspensione officij intelligat Summus Pontifex, verú ab E executione ordinis, vel ab administratione beneficij.

Respondet esse accipiendum non tantum de officio iudicandi, vel administrandi, sed de diuinis officijs, quod probatur ex eodem tex. quia statim subiungit, quòd si talis Iudex ingesserit se diuinis, sicut antea, laqueo irregularitatis se inuoluet, ergo supponit esse suspensum è diuinis officiis; nam suspensus ab officio iudicandi vel administrãdi, si se diuinis officijs immisceet, non incurrit irregularitatem. Quare intelligi debet de suspensione ab officio simpliciter tam ordinis quàm iurisdictionis.

A Item quærit Glo. in Ver. Officij, quid dicendum de beneficio. Respondet ex mente Host. hanc suspensionem non esse extendendam ad beneficia: quia pœnæ sunt coarctandæ, & si Papa voluisset intelligere etiam de suspensione à beneficiis, id expressisset arg. cap. Ad audientiam de Deci. & hæc responsio Glo. vera est, de qua difficultate fusius pertractaui in Dispnt. . . . cap. . . Nam suspensio ab officio diuersa species est à suspensione à beneficio, & vna non includit aliam; & eadem ratio est, si suspensio imponatur à lege, siue feratur ab homine.

Deinde Glo. in Ver. Annum dubitat, si contingat hæc suspensio in anno bixestili, quot dies debeat continere, vt sciat suspensus, quamdiu debeat abstinere.

B Respondet in Addit. ex mente Host. & Io. Mona. hanc suspensionem in anno bixestili duraturam fore 366. diebus, quia agitur de poena spirituali, quæ animam attingit; idcirco sequendam esse partem tutiorem, citat cap. Iuuenis de sponsa. & cap. Illud de Cleri. excom. Mini. Idem inquit Gemin. num. 13. & ad l. Cum hæres §. stichus ff. sta. lib. . ex qua oppositum probatur, respondent Io. And. & Io. Mona. vt inquit Gemin. illam esse interpretandam, vbi lex indistinctè loquitur de anno; sed modo agitur de anno distincto, idest de illo, in quo quis incurrit suspensionem, ideo computandi sunt tot dies, quot in illo anno continentur.

Præterea quæri potest, an dictam suspensionem in-C currant omnes Iudices Ecclesiastici tam superiores quam inferiores sine vllo discrimine, procedentes in Iudicio contra iustitiam & contra conscientiam.

Respondetur, hanc Constitutionem esse vniuersalem, & complecti omnes Iudices Ecclesiasticos Ordinarios siue Delegatos, vt probatum est, exceptis Episcopis, qui non subiiciuntur suspensioni generaliter latæ, nisi in lege fuerint nominati, vt sæpe probatum est iuxta priuilegium, quod habetur in cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Glo. in dicto cap. 1. Ver. Ordinarius de sent. & re iudi. lib. 6. cap. Si Compromissarius §. Huiusmodi de elect. lib. 6. vnde Gemin. num. 11. inquit, quòd licèt Episcopi grauius peccent, si in Iudicio procedant violando hanc Constitutionē, D non tamen sunt suspensi, cap. Quidam de Iureiur.

Rursus dubitatur, an præter pęnas, quas incurrunt Iudices ita procedentes in Iudicio, etiam sententia per ipsos eo modo lata remaneat nulla & inualida, an potius dicenda sit valida & firma.

Gemin. nu. 8. respondet ex sententia Archid. quòd si sententia lata fuerit ad preces alicuius, debet retractari: si vero accepto precio, est nulla, l. venales. Cod. quando pruuo. non est neces.

Item quærit Gemin. in dicto §. si quis numero 10. vtrum Episcopus possit ab hac suspensione absoluere durante anno suspensionis, & respondet non habere facultatem absoluendi taliter suspensum, quamuis sit suus subditus, & ad hoc citat l. si Apius C. de poen. E Clem. 1. de Hæret. & per Glos. in cap. Cupientes, §. Cæterum Ver. Est ergo de elect. lib. 6. quia vbi adiicitur ab ipsa Constitutione tempus suspensionis, non valet Ordinarius absoluere, Glo. in Clement. 1. Ver. excommunicationis de Hæret.

Tandem dubitari potest, an Iudex suspensus ab officiu ob violationem huius Constitutionis ingerendo se diuinis officiis, sicut prius incurreret irregularitatem, si Summus Pontifex id non declarasset in textu,

Archid. tenet partem negatiuam: quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus in Iure expressis, c.

Is qui

lis qui, de sent.excom. lib.6. quare ideo Iudex suspensus ab officio ingerens se diuinis officijs, laqueo irregularitatis innoluitur, quia ita expressè declaratur in dicto c.1. de sent.& re iudic.lib.6. Similiter in c.1.de sent. excomm. eod.lib.

Verum probabilius est affirmare ex mente Io.And. quod Iudex suspensus ex celebratione diuinorum officiorum contrahit rec impedimentum, quamuis in dicto cap.1. de sent.& re iudi. lib.6. nihil exprimeretur. quod satis probari potest ex verbis eiusdem textus: *Sciturus, quòd si suspensione durante damnabiliter ingesserit se diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet secundum canonicas sanctiones.* & eadem habentur in cap.1. De sent.excom.lib.6. Quare vtrobique Summus Pontifex non pronunciat irregularitatem incurri ob huiusmodi celebrationem, sicut si diceret, volumus irregularitatem incurrere; sed tantum indicat sequi irregularitatem ob talem celebrationem *secundum canonicas sanctiones*, quare potius declarat rem antea definitam à Sacris Canonibus, nempe quòd suspensus ab officio, celebrando, efficitur irregularis. idque vniuersaliter affirmandum est de quocunque suspenso ab officio, vel simpliciter, vel ad certum, & determinatum tempus, nam illo currente si celebret, contrahit irregularitatem. De suspenso verò ad incertum tempus, donec satisfecerit, donec pœnituerit &c. est aliqua controuersia apud Doctores. Probabilius autem est affirmare etiam in hoc casu, quando quis suspenditur ab officio iudicialiter, donec satisfecerit, si celebret non impleta conditione irregularitatem contrahere. De qua quæst. latius pertractaui in Disp... Cap...

CAPVT III.

De suspensione contra Conseruatores, qui de aliis causis, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis scienter cognouerint.

IN c. fin. Vers. Vt autem Conseruatores, de off.deleg.lib.6. Bonifacius Octauus imponit pœnam aduersus illos Conseruatores, qui de facto excedunt fines potestatis suæ, nam præterquam quòd processus est nullus, suspensionis vinculo innodantur his verbis: *Vt autem Conseruatores limites sibi tradita potestatis, quos frequenter excedunt metu pœna diligenter obseruent, decernimus, vt si de aliis, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, qua iudicialiter indaginem exigunt, suam extendrint potestatem, eo ipso per vnum annum ab officio sint suspensi.*

Conseruatores sunt Iudices delegati à Romano Pontifice, vt defendant, & tueantur Religiosos, & alios exemptos à potestate Iudicis Ordinarij, & receptos sub custodia, & tutela Sedis Apostolicæ à manifestis iniurijs. Quare non possunt se intromittere, quãdo iniuria non est manifesta, sed requirit plenam causæ cognitionem, tunc enim recurrendum est ad Ordinarium, nisi in priuilegijs dictorum exemptorum aliud haberetur, sicut communiter in dictis priuilegijs apponi solet clausula, vt Conseruatores valeant cognoscere de iniurijs, & alijs causis, etiamsi requirerent iudicialem cognitionem. Iure verò communi hac potestate carent, sed tantum eorum iurisdictio extenditur ad manifestas iniurias. Quod si controuertatur, vtrum manifesta sit iniuria, ad ipsos Conseruatores spectat huiusmodi cognitio, vt inquit Glos. in c.1.eod. titu. & lib. aliter quilibet impedire posset iurisdictionem ipsorum Conseruatorum, sicut quando dubitatur de iurisdictione alicuius Iudicis, ad eundem pertinet cognoscere, an talis cognitio ad eum spectet, l. si quis ff. si quis in ius voca. non ierit.

Tales Iudices Cõseruatores esse possunt solummodo Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesijs obtinentes. & hæc est vna differentia inter Conseruatorem, & Delegatum, vt notat Glos. in eod.cap.fin. Ver. Obtinentes, de off.deleg lib.6. quia Canonicus Ecclesiæ Cathedralis potest esse delegatus, non autem Conseruator. Qua in re immutata fuit Cõstitutio Alexandri, vt inquit Glos. Ver. Hac Constitutione, quæ permittebat, vt Canonicus Ecclesiæ Cathedralis posset deputari Conseruator, vt notat Speculat. tit. De Iudice delegato, §.fin. num.4 prope fin. Aliæ quoque differentiæ ex eodem c.fin. de off. deleg. lib. 6. desumuntur inter Delegatum, & Conseruatorem, vt ibi notat Glos.

Quare Conseruator est Iudex datus ad tuendum aliquos contra manifestas iniurias omnes, vel certas, & determinatas non vtens iudiciali indagine, qui generaliter per solum Rom. Pontificem ex æquitate dari solet, vt inquit Glos. in eod cap.fin. §.Conseruatores num.4.de off deleg. lib.6. & tale officium Conseruatoris quoad non inchoata negocia per obitum concedentis ipso iure expirat, vt dicitur in eod. cap. fin. Ver. Officium autem. Addit Gemin. in §.Circa, limitationem, nisi tempus ipsius Conseruatoris per ipsum concedentem determinetur, vt hodie seruari solet.

Dubitat Gemin. ibi in §.Officium, si detur Conseruator ad certum tempus, puta ad quinquennium, an eo finito durei iurisdictio quoad cœpta. videtur enim durare iurisdictionem, si aquiparare velimus terminum temporis assignati cum morte Concedentis, sicut enim ex verbis dicti cap. fin. argumento sumpto à contrario sensu per obitum Concedentis non expirat iurisdictio Conseruatoris quoad causas cœptas, ita adueniente termino temporis assignati, non videtur dicta iurisdictio expirare quoad eadem negocia cœpta. Nihilominus inquit Gemin. ea sententia Io. And. oppositum esse probabilius, quia cum iurisdictio sit limitata ad certum tempus, eo elapso expirat iurisdictio iuxta notata in capit. De causis De Off. Deleg. & facit, quod notatur in cap. Si propter tua debita super ver. Quinquennium De Rescript. lib. 6. & ex contraria sententia sequeretur, quod si concederetur iurisdictio Conseruatori ad quinquennium, eo elapso si causa iam cœpta esset, posset ad aliud quinquenniũ durare contra expressam mentem concedentis, quia volui illam tradere ad quinque annos tantum.

Tales Conseruatores si limites fines iurisdictionis de facto excedant, idest si de aliis causis, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromiserint, per annum ab officio suspenduntur; Quæ suspensio non est tantum ab officio muneris Conseruatoris, sed simpliciter ab officio clericali, vt dixi in cap. præcedenti, & plenè probaui supra, cum agerem de hac specie suspensionis ab officio, Glos. in Ver. Officio inquit, & à beneficio, quia tenet cum illis, qui censent ex suspensione ab officio sequi suspensionem à beneficio. in qua difficultate sunt variæ opiniones, quas refert Glos. magna, Nota nouam in fine in Clemen Cupientes de Pœn. & ego copiosè illam pertractaui in tractatu de Suspensione in genere, & in Disp... Cap... & contraria opinio videtur probabilior, vt locis citatis probaui. Nam si Papa voluisset suspẽdere etiam à beneficio, vtique

vtique non fuisset adeò parcus verborum, vt ad tollēdam ambiguitatem, sicut suspendit ab officio, non expressisset quoque à beneficio, sicut alibi fecit, cum ab vtroque suspendere v luit, vt ostendi locis citatis.

Sed de hac suspensione dubitari potest, Primò, vtrū Episcopus, qui datus fuerit Conseruator à Papa, si contra dictam Constitutionem deliquerit excedendo potestatem Conseruatori competentem, & intromittendo se ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, illam ipso facto incurrat. Difficultatem verba dicti c. fin. de off. deleg. lib. 6. vbi in princ. enumerantur personæ, quæ possunt deputari Conseruatores, & primo loco recensentur Episcopi; *De cætero deputari non possint, nisi Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes.*

Respondeo, quod licèt Episcopi possint deputari Conseruatores, non tamen incurrunt suspensionem, si transgrediuntur constitutionem dicti cap. fin. quia non fit eorum mentio specialis, sicut dictum est superiori capite. Quare quamuis Episcopi, vel eorum Superiores maioris culpæ rei sint ob insigniorem gradum, & excelsiorem dignitatem, qua præfulgeat, si violet cōstitutionem Papæ, & digni sint acriori animaduersione, non innodantur tamen suspensione, quæ obstringit tantum omnes alios Prælatos inferiores exercentes officium Conseruatoris, si in exequendo tali munere suæ potestatis limites modo prædicto excedant.

Secundò dubitatur de modo excedendi limites potestatis Conseruatoris ad contrahendam suspensionem; nam in textu additur dictio illa, *Scienter*, Vnde videtur inferri posse necessariam esse actualem scientiam, & voluntatem in ipso Conseruatore transgrediendi limites suæ potestatis, ita vt volens, & sciens non posse se immittere, nisi super manifestis iniurijs, & violentijs, adhuc sponte de facto se intromittat negligens hanc prohibitionem, & iuxta hanc interpretationem ignorantia excusaret illum, & eximeret à dicta suspensione.

Respondeo ad hanc dubitationem; & primo censeo ad incurrendam dictam suspensionem requiri, vt Cōseruator excedat limites suæ potestatis culpabiliter, & enim graui peccato. Idq; probatur primò, quia hæc suspensio fertur in pœnam peccati, vt indicant verba illa; *Vt autem Conseruatores limites sibi tradita potestatis, quos frequenter excedunt metu pœnæ diligenter obseruent.* Pœna verò supponit culpam, & peccatum. Secūdò probatur ex illa dictione, *scienter*, quæ vt minimū significat volontatem in ipso faciente committendi in legem, & excludit omnem causam, quæ illum excusare posset, id autem contingere non potest absque peccato.

Secundò dico dubitari posse, quando Conseruator ex ignorantia culpabili exercet munus suum contra formam huius Constitutionis, vtrum in hoc casu sit locus suspensioni. nam ignorantia crassa, & culpabilis æquiparatur scientiæ.

Aliqui censent ita necessarium esse, vt Conseruator sciat acta, & consideret denegatam sibi esse potestatē intromittendi se, nisi vbi agitur de manifestis iniurijs, & violentijs, vt si in casu aliquo particulari contra huiusmodi decretum ex ignorantia etiam affectata, & culpabili audeat se immiscere, non remaneat suspensioni obnoxius. & mouentur ratione, quoniam Summus Pontifex postulat, vt scienter se intromittāt. si enim complecti voluisset delinquentes per ignorā-

A tiam, non addidisset verbum illud, *scienter*, sed locutus esset cum distinctione, idest scienter, vel ignoranter, vel simpliciter, non apponendo vocem illam, *scienter*.

Glos. tamen ibi verb. *scienter*, tenet idem esse, si ignorantia esset iuris vel facti, crassa, & affectata in vtroq; enim casu vult locum esse huic pœnæ, & probat ex regula Ignorantia de reg. iur. lib. 6. ignorantia facti non iuris excusat ex cap. Eos, de temp. ordin. lib. 6. vbi ordinans Clericum alienum scienter, vel affectata ignorantia, à collatione ordinum per annum est suspensus. Sed ex his verbis potius probari potest contrarium; idcirco enim subijciuntur suspensioni ordinantes Clericum alienum ex ignorantia affectata, quoniam Sūmus Pontifex expressis verbis id declarauit, cum loquatur cum distinctione, *scienter, vel affectata ignoran-*

B *tia.* Ergo vbi tantum subijcit pœnæ suspensionis scienter aliquid facientem, non intendit comprehendere agentes ex ignorantia, sicut in casu dicti capit. fin. De off. deleg. lib. 6. Citat etiam Glo. cap. Cum inhibitio, §. si quis, de Clande. dispen. Vbi contrahentes matrimonium in gradu prohibito etiam ignorantes impedimentum acquirunt filios illegitimos. Sed ex hac etiam auctoritate nihil probari posse videtur, quoniam poena extenditur expresè ad ignorantes.

Ex his duabus opinionibus hæc posterior Glosæ mihi videtur probabilior, quam sequuntur Gemin. ibi §. Vt autem Conseruatores num. 2. Franc. num. 2. In Glo. Ver. Scienter, Roman. Cons. 506. Et probatur pri-

C mò, quoniam sicut ignorantia crassa nō excusat à culpa, ita neque debet à pœna excusare, Reg. Ignorantia De reg. iur. lib. 6. Et quamuis Summus Pontifex in textu addat dictionem illam, scienter, non tamen ita requirit actualem scientiam, vt velit eximere ab hac pœna illos, qui habent ignorantiam crassam, & affectatā, qui possunt dici scientes, saltem potentia proxima, quia possent scire, si vellent, sed nolunt scire, ideo digni non sunt excusatione. Secundò probatur ex Clem. vni. de consanguin. & affin. vbi excommunicatur contrahens scienter matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis probibito. vbi Glo. Ver Scienter mouet difficultatem ex illo verbo, scienter, quòd ignorantes non obstringantur illa Constitutione, &

D respondet esse intelligendum verbum, *scienter*, quatenus opponitur probabili ignorantiæ facti, non affectatæ, Præpos. in cap. Non debet circa fi. nu. 21. Vers. Pro complemento quæro, de consang. & affin. & in specie quòd ignorantia crassa, & affectata non excuset à pœna, habetur expresè in cap. Apostolicæ, De Cleri. excom. mini. & ibi notat Glos. Ver. Probabilis.

Vtrum verò præsumatur quis sciens, vel ignorans; Respondet Card. in dicta Clem. vnica num. 5. Vers. Septimo quæro, de consang. & affin. regulariter in facto alieno præsumi ignorātiam probabilem, nisi probetur scientia, vel affectata ignorantia, quæ habetur pro scientia, licèt hæc regula patiatur limitationem, puta si quis tenetur in facto aliquo adhibere diligen-

E tiam; Item vbi periculum imminet in arduis; In alijs verò, quæ spectant ad factum alienum non debet quis esse minus diligens, vel minus negligens, l. Nec supina, ff. de iur. & fac. ignor.

Quomodo verò sit probanda ignorantia in casibus, in quibus illa probari debet an standum sit iuramento, vel alio modo sit comprobanda, tractat Card. in dicta Clemen. vni. num 6. Vers. Octauo quæro, Gemin. in cap. Eos, num. 5. De Temp. ordin. num. 6. & ibi Franc. nu. 3.

Tertiò dubitatur, an annus suspensionis ab officio,

quam

quam incurrit Cõseruator, si exerceat iurisdictionem suam aliter quàm defendendo eos, quibus datus est Conseruator à manifestis iniurijs, & violentijs, debeat esse continuus.

Glos. in cap. Eos qui, Ver. Per annum, de tempo. ordin. lib. 6. inquit intelligi debere de anno continuo, quando enim poena imponitur ad annum, semper intelligitur de continuo, quia in dubio tempus semper accipitur continuum Glos. fin. in Rubrica, ff. de diuer. & temp. præscrip. Quòd si durante anno suspensionis, Conseruator iterum excederet limites suæ potestatis contra Constitutionem dicti cap. fin. De off. deleg. lib. 6. tunc statim inciperet currere secundus annus, vt notatur in cap. Cum in cunctis in fine, de elect. & melius in Clem. Cum sit, & ibi Glo. Ver. Sequentes De Magistr. tradit Franc. in dicto cap. Eos, num. 5. de tempor. ordin. lib. 6. & ibi Gemin. num. 5. vltra med. vers. Glo. super ver. Per annum. E contra obijcias, vbi crescit contumacia, debet etiam ad eius mensuram intendi pœna; ergo si iterum talis Conseruator committet delictum simile priori, pari etiam suspensione erit obstrictus. quare initium anni secundi suspensionis inchoandum erit à fine primi anni, vt æquale delictum pari etiam pœna plectatur.

Ad hanc obiectionem respondet Card. in dicta Clement. Cum sit, Vers. Si quis, num. 2. de Magi. & primò ait in dicto iam pœnam augeri, quia annus secundæ suspensionis protrahitur aliquandiù post finem anni primæ suspensionis. Secundò inquit, quòd si contingeret, vt dispensaretur super suspensione primi anni, adhuc remaneret alligatus vinculo secundæ suspẽsionis.

CAPVT IV.

De suspensione, quam incurrit is, ad quem spectat Doctoratum, vel Magisterium conferre si non seruat Decretum Clement. Cum sit, De Magistr.

POtest etiam ad hanc Disputationem reuocari hęc Suspensio, de qua in hoc Capite pertractaturus sum; quia fungi auctoritate tribuendi doctoratus, & magisterij insignia, videtur actus quidam iurisdictionis. fertur enim iudicium de doctrina ipsius graduãdi.

In Clem. Cum sit de Magi. suspenditur ad sex menses à collatione Doctoratus, & Magisterij quicumque habens potestatem tribuendi magisterium, vel Doctoratum, etiam si sit Episcopus, si ad hunc gradum aliquem promoueat, nisi ab eo prius iuramentum receperit, quòd in sua solennitate recipiendi Doctoratum non expendet vltra summam trium millium Turonẽtium argenteorum. Hanc suspensionem ponit etiam Sylue. Ver. Suspensio, §. 6. Vers. Trigesimo quarto.

Quanta sit hæc pecuniarum summa, quæ sub hac clausula includitur, *Ne vltra tria millia Turonen. expendant*, colligere possumus, si videamus, cuius valoris fuerit argenteus Turonensis, de quo tractat Couarr. in Tract. de veterum collat. Numis, cap. 3. §. 2. num. 7. vbi interpretatur hunc locum Clem. 2. De Magi. vers. Percussi etiam olim fuere, & ex his, quæ tradit constat argenteum Turonensem minorem esse fere quarta ex parte nummo argenteo regali Castellano, qua ratione vndecim ferme argentei turonenses efficiunt vnam argentei integram vnciam, & ideo quiliber Turonensis argenteus æstimatur viginti quinque æreis Marancdonis Hispanis. Quamobrem, vt inquit Couar. si ita affirmemus de valore Turonensium argẽteorum,

A concludendum erit iuxta illam cõstitutionem Clem. 2. De Magi. neminem posse in doctorali gradu, aut honore adhipiscendo expendere vltra ducentos aureos, quorum quilibet vndecim nummis argenteis æstimatur; Præcipit igitur Summus Pontifex sub pœna suspensionis à facultate conferendi magisterium, seu Doctoratum eo ipso incurrendæ ad sex menses sequentes, nè quis audeat præfatum honorem alicui tribuere, nisi antea iuramentum ab eo exegerit, vt in solemnitate huiusmodi gradus recipiendi non sit expositurus vltra præfatam summam pecuniarum.

Primò videndum est, quid nomine Doctoratus, vel magisterij intelligat Summus Pontifex Glo. Ver. Doctoratus notat ex sententia aliquorum Doctores vo-
B cari, qui promoti sunt ad gradum in Iure Canonico, vel Ciuili, Magistros verò, qui eundem gradum tenẽt in Theologia, & artibus. Dicitur Magister quasi maior in statione, sicut Minister quasi minor, & quamuis Magistri nomen ad omnes transferri possit, quibus præcipua cura rerum incumbit. Hinc magistri Societatum Collegiorum, similiter dicitur magister Equitum, cui summa potestas erat in equites, magister militum eodem modo, magister populi, magister domus, & tandem omnes, qui regimen habent præ cæteris, vt l. 1. §. Magistrum, ff. de extraord. act. Et generaliter quicumque alios instruit, meritò magister vocari debet. Vnde hoc nomen, vt notat Host. in Sum. in tit. De Magist §. 1. competit Carpentarijs, Tutoribus, & om-
C nibus consimilibus: ideo inquit Doctores legum dedignantur Magistri vocari, sed ineptè, cum sic vocentur ab Imperatore in Proœmio Digestorum, ante med. vbi Glo. in Ver. Magistri legum, notat Doctores dici magistros Quinimmo ipsemet Christus ita à Discipulis appellabatur, Io. cap. 3. quam denominationem etiam ore suo approbauit Io. cap. 13. cum inquit, *Vos vocatis me, Magister, & bene dicitis, sum etenim.* Sed hodie & Magisterium, & Doctoratus contemnitur, præsertim in Italia: quoniam omnes passim ad hanc dignitatem promouentur, & dignitas ex numero iam habentium vilescere solet, vt inquit Abb. in cap. 1. nu. 4. de Priuileg.

Hoc posito dicendum est Clementem Quintum in
D dicta Clem. loqui de priuilegio Doctoratus, seu Magisterij, quod conceditur ijs, qui in scientia aliqua sublimem, & eximium gradum sunt consecuti, & intelligit indistinctè de quacumque scientia liberali; ergo illi, ad quos pertinet huiusmodi Doctoratus insignia tribuere, à facultate illa conferendi ad sex menses suspenduntur, si à graduando non exegerint iuramentum de non exponenda in hac solennitate recipienda vltra summam trium millium Turonensium argenteorum.

Primò quæri potest, an transgressor huius Constitutionis remaneat tantum suspensus à priuilegio, seu potestate conferendi Doctoratum in illa scientia, cuius insignia tradidit non recepto prædicto iuramento, an
E simpliciter à facultate tribuendi doctoratum in quacunque scientia.

Glos. in dicta Clem. Ver. Cuiuslibet tenet suspensionem hanc intelligendam esse vniuersaliter à potestate tribuendi gradum in quacunque disciplina, & scientia, & probat ex simili, quod habetur in cap. Vel non est, de tempo. ordin. Vbi ordinans puerum ad ordinem Diaconatus, suspenditur simpliciter à collatione Ordinum. Ad idem facit cap. Eos qui, cod. titu. lib. 6. vbi ordinans scienter Clericum, per annum à collatione Ordinum suspenditur, & Glos. ibi Ver. Ordinum explicat

explicat illam suspensionem simpliciter à collatione omnium Ordinum, non tantum ab ordine malè collato, & probat, quoniam si Papa voluisset illum priuare tantum à collatione ordinis malè collati, expressisset, vt in capit. Literas, & capit. fin. De Tempot. Ordin.

Card. in dicta Clem. Cum sit, Vers. Si quis num. t. De Magistr. refert In. Mona. & Archid. pro contraria sententia, quia pœna non debet excedere culpam, cap. Quæsiuit de his quæ fiunt à maio. par. cap. debet enim vnusquisque puniri in eo, in quo deliquit, & potius mitius, Reg. In pœnis, de reg. iur. lib. 6. Et licèt in cap. Eos de temp. ordin. lib. 6. suspendatur Ordinarius indefinitè ab ordinibus, debet coarctari ad ordines malè collatos. Et similiter responderi potest ad cap. Vel non est compos eod. tit. Extra.

Opinio tamen Glosæ probabilior est, quam sequitur ibi Card. quia non apparet verisimilis ratio, propter quam suspensio ab Ordinibus simpliciter à lege imposita limitari debeat ad vnum ordinem magis quàm ad alium, præsertim cum in pluribus locis, in quibus Summus Pontifex voluit tantum ab aliquo certo ordine in specie suspendere, id expressis verbis significauit. Accedit præterea, quod quidquid sentiendum esset de alijs locis, in quibus suspensio fertur indistinctè ab ordinibus, certè cessat omnis ambiguitas quo ad suspensionem dictæ Clem. Cum sit, de qua agimus, cum ibi, qui honorem Doctoratus, non recepto iuramento tribuit, suspendatur non indistinctè à collatione magisterij, sed addito signo vniuersali, idest *à collatione magisterij, seu Doctoratus cuiuslibet*, & sic comprehenditur Doctoratus, & Magisterium cuiuscunque disciplinæ.

Secundò quærit Glos. in dicta Clem. Verb. Sequentes, vers. Sed nunquid, Vtrum si hoc modo suspensus à facultatē conferendi Doctoratum, de facto tentet insignia magisterij alicui tribuere, an doctoratus collatus sit validus, & teneat.

Respondet Glo. quòd cum per traditionem honoris doctoratus, non imprimatur aliquis character, neque etiam attribuendum hūc honorem requiratur aliquis character in ipso concedente, sed proueniunt ex potestate officij, quasi sit quædam auctoritatiua declaratio, qua pronunciatur quis dignus huiusmodi gradu, & tribuitur eidem facultas, vt alios docere valeat. Idcirco inquit Glos. quando suspensio concedentis gradum est occulta, doctoratus traditus erit validus, neq. necesse erit illum iterare, secus si suspensio esset publica, citat cap. Ad probandum, de sentent. & re iudi. vbi reuocatur sententia Iudicis publicè excommunicatus, & ibi Glos. notat in Ver. Innodatus. Ad idem facit, quod notatur in cap. Si aduersus de hæret. vbi Ab-

A bas num. 3. ex senten. Host. ait instrumentum celebratum à Notario suspenso non valere, & notat Specul. in tit. de instrum. edit. §. Restat. vers. Quid si Tabellio. Sententiam Glos. sequitur Card. in dicta Clem. Cum sit, num. 3. & confirmat pluribus iuris auctoritatibus, quæ tamen loquuntur de excommunicatione, non de suspensione, sed ex alia ratione nititur probare, nempe quòd in dicta Clement. interdicatur potestas doctorandi, sequitur gestum cōtra non tenere, tanquam contra ius factum. Quando autem suspensio est occulta, quia toleratur in officio, valet Doctoratus.

Dubitat etiam Glos. Ver. Suspensum, Pendente suspensione, ad quem deuoluatur potestas doctorandi, &
B plura notat, concludens, quòd vbi hæc facultas competit alicui ex priuilegio Apostolico, tunc eo suspenso deuoluitur ad Papam, nisi ex priuilegio alteri fuerit concessa. Si autem hæc potestas conueniat alicui iure communi, vel ex consuetudine, tunc stante suspensione supplet superior.

Tertiò quærit Glo. in eodem Ver. Suspensum, an violans hanc suspensionem, incurrat irregularitatem, & respondet non incurrere; quoniam non est suspensio ab ordine, vel ab officio diuino, quod requiritur ad incurrendam irregularitatem, & hoc dictum Glo. puto verum esse, eò magis, quia hæc suspensiu propriè non videtur ecclesiastica censura, quia non est pro-
C pria Clericorum, præsertim quoad gradus Doctoratus in Iure Ciuili, in Medicina, & artibus, cum hæc potestas conferendi tales gradus regulariter resideat penes laicos, quare talis suspensio non est ab officio Ecclesiastico.

Tandem Glo. vltima in fine notat, quod si officialis Archidiaconi Bononiensis, cui concessa est potestas à Papa conferendi doctoratum, violauerit hanc Clementinam, ipse solus remanet suspensus, non obstat tamen Archidiacono, quominus ipse valeat doctoratus insignia conferre, nisi ratum habuisset factum Officialis. Verum non sequitur è contra, quia suspenso Archidiacono absolutè prohibetur, nè eius officia-
D lis huiusmodi potestate vti valeat. Idem tradit Card. in dicta Clement. in fine.

Illud quoque non videtur prætereundum, Constitutionem dictæ Clem. hodie non esse vsu receptam in omnibus Vniuersitatibus & Gymnasiis publicis, in quibus tale iuramentum ab ipsis promouendis non exigitur, & extant proprię consuetudines in aliquibus locis approbatæ, ex quibus permissum videtur, vt cū celebrantur solennia pro recepto gradu, longæ maiores fiant expensæ, quàm quæ taxatæ sunt in ipsa Clement. nec propterea superiores suspensionem incurrere credunt: ideo has in re consuetudini standum est.



DISPV-

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

DE SVSPENSIONIBVS, QVAS INCVRRVNT CLERICI PROPTER ALIA Peccata communia cum alijs hominibus.



VAEDAM ſunt peccatorum genera, quæ committuntur à laicis, & à Clericis, ſed ob eorum grauitatem ac turpitudinem, ſimulque ob dignitatem atque decorem ordinis Eccleſiaſtici adeo videntur in Clerico deteſtanda, vt præter alias pœnas ſacri Canones Clericos, qui aliquo ex illorum genere ſe ipſos maculare non erubuerint, cenſura ſuſpenſionis coercere voluerint. In quibus caſibus id ſtatutum fuerit tractant Doctores, & à nobis de eiſdem in hac Diſputatione diſcutiendum eſt. Primo loco examinandum erit in communi de quocunque peccato in genere; Vtrum omne peccatum, præſertim graue ſi publicum fuerit & notorium, reddat Clericum ſuſpenſum, quam difficultatem pertractabo in primo capite, deinde in aliis agam de quibuſdam ſpeciebus peccatorum.

Caput Primum, An Clericus aliquam iuris ſuſpenſionem incurrat, ſi peccatum graue cuiuſcunque generis publicum, & conſequenter ſcandaloſum committat.

Caput Secundum, Vtrùm Clericus publicus fornicarius ſeu concubinarius ſit ipſo Iure ſuſpenſus.

Caput Tertium, De Suſpenſione Clerici propter vitium contra naturam, ſiue peccatum Sodomiæ.

Caput Quartum, De Suſpenſione, quæ contrahitur per Clericum ob vitium ſimoniæ in ordine recipiendo.

Caput Quintum, De Suſpenſione ob ſimoniam commiſſam.

Caput Sextum, De nonnullis aliis criminibus, quorum cauſa Clerici ſuſpenſionis cenſura innodati remanent.

CAPVT I.

An Clericus aliquam iuris ſuſpenſionem incurrat, ſi peccatum graue cuiuſcunque generis publicum & conſequenter ſcandaloſum committat.

NOnnulli Doctores ſentire videntur iure antiquo Clericum in ſacris conſtitutum ob crimen notorium depoſitione dignum fieri irregularem, vt innuit Nauar. in Manua. cap. 25. num. 73. & in cap. Statuimus nu. 28. 19. q. 3. & in cap. Non dicatis nu. 99. 12. q. 1. In Comment. de Regular.

Idque comprobari poteſt ex cap. fin. de temp. ordi. vbi habetur non eſſe impediendum Sacerdotem notatum peccato adulterij, periurij, aut falſi teſtimonij, quominus poſt peractam pœnitentiam liberè non va-
A leat in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, vel ad ſuperiores aſcendere, niſi talia crimina notoria fuerint; ergo videtur inde inferri poſſe à contrario ſenſu, quod argumentum in Iure eſt validiſſimum l. 1. §. Huius rei vbi omnes, ff. De off. eius, cap. Cum Apoſtolicum, De his quæ fiunt à Prælat. ſine conſen. Cap. Afflict. deciſ. 66. num. 3. mentem Summi Pontificis fuiſſe, ſi talia crimina ſint notoria, Clericum, qui talia crimina committit, ſuſpenſum eſſe ab executione ordinis, & ad ſuperiores ordines, quos non habet, aſcendere non poſſe.

Nauar. ex hoc tex. in Manna. cap. 25. num. 73. deducit peccare mortaliter, qui notatus aliquo peccato
B notorio ſuſcipit ordines ante diſpenſationem etiam poſt peractam pœnitentiam. Quare videtur ſentire ob talia delicta notoria incurri aliquam inhabilitatem, & impedimentum Eccleſiaſticum, alias non opus eſſet diſpenſatione, neque qui notatus aliquo ex illis criminibus eſſet, ſi aſcenderet ad ordines, vel in ſuſceptis miniſtraret poſt peractam pœnitentiam peccati mortalis, reus eſſet, ſicut ipſe aſſerit. Hoc autem impedimentum Eccleſiaſticum aliud eſſe non poteſt, quàm ſuſpenſio. Idem in c. Si quando, excep. 17. num. 7. verſ. Secundum peccatum.

C Verùm non apparet in corpore Iuris locus, vnde deſumi poſſit validum fundamentum ad probandum generaliter omne peccatum graue etiam publicum, & ſcandaloſum commiſſum à Clerico habere annexam cenſuram ſuſpenſionis vi ſua abſque alia Eccleſiæ conſtitutione peculiari, quamuis enim Sacerdos exiſtens in peccato mortali non poſſit licitè celebrare, & ideo dicatur ſuſpenſus quo ad ſe, tamen eſt improprius modus loquendi, quatenus ſuſpenſio dicitur de quolibet impedimento, non autem ad ſignificandam cenſuram Eccleſiaſticam. Idque patet primò, quia ſi de facto audeat celebrare, non efficitur irregularis; ſecundò, quoniam peracta pœnitentia ſui pec-
D cati non indiget abſolutione à cenſura, vt legitimè celebrare poſſit. & idem aſſerendum eſt de peccato publico. Impedimentum enim, quod oritur ex vi peccati publici, eſt ratione culpæ, non propter aliquam cenſuram ſuſpenſionis, quam habeat annexam. nam graue ſacrilegium eſt res ſacras miniſtrare, in peccato præſertim publico propter ſcandalum aliorum, quod primò locum habet in Sacerdote. & probabile eſt idem aſſerere de Diacono, & Subdiacono, qui in peccato mortali actus proprios ſuorum ordinum ſolenniter exercent. Alia tamen ratio eſt de minoribus ordinibus. Quare peccatum publicum inducit

quidem

quidem impedimentum suspendens executionem ordinis. verùm non est propriè censura, tum quia, vt dixi de peccato occulto, si Sacerdos huiusmodi peccato maculatus celebraret, nõ fieret irregularis; tum etiam quoniam si talis peccati pœnitentiam egerit, non indiget alia absolutione à censura. necesse est solum, vt illa pœnitentia, quam agit, sit æque nota ac fuit peccatum, vt cesset scandalum, quod non peculiariter requiritur in pœnitentia Clerici, sed commune est cum Laico. Laicus enim publicus peccator non potest ad Eucharistiam accedere, nisi præmissa publica pœnitentia, vt sit commensurata culpæ ad tollendum scandalum.

Ita tenet Sylue. Ver. Irregularitas quæst. 27. vers. Si autem Clericus est suspensus, vbi vniuersaliter affirmat Clericum propter peccatum mortale non esse propriè suspensum, sed solum largè, & quoad se, & celebrando non fieri irregularem, & in Ver. Clericus, 2. §. 5. eod. modo sentit Couar. in Clem. si furiosus, de homic. par. 1. §. 1. num. 5. ad idem citans plures Doctores. eiusdem opinionis videtur Abb. in dicto cap. fin. num. 5. de temp. ordin. vbi licèt vtatur pluribus distinctionibus, & de quibusdam peccatis enormibus videatur concludere ex illis oriri irregularitatem, aut suspensionem, quale est crimen homicidij, hoc tamen non affirmat generaliter de omnibus peccatis, et clarius idem asserit in cap. Vestra, num. 7. de cohab. Cleri. & Mulie. dicens propter peccatum adulterij, vel fornicationis contrahi suspensionem, cum in Iure hoc sit expressum, & Tolet. lib. 1. Instruct. Sacer. cap. 47. assignat rationem peculiarem in hoc peccato, potius quàm in alijs; quoniam maiorem habet distractionẽ à deuotione, & irreuerentiam ad Sacramenta, & loquitur de alijs peccatis notorijs, quæ si occultè fiunt, non inducunt suspensionem, nam de homicidio, hæresi, & aliis delictis, quæ censuras habent, aut irregularitates, etiamsi occulta sint, modò non agitur.

Atque ita potest explicari Nauar. in dicto num. 73. cap. 25. cum ait ex peccato notorio prouenire aliquã inhabilitatem Ecclesiasticam in ipso peccatore, vt nõ possit ministrare in Ordinibus, nec ad superiores ascendere. Nauar. enim non loquitur vniuersaliter de omnibus peccatis publicis, & notoriis, sed de quibusdam grauioribus, & depositione dignis. Deinde illa inhabilitas ex mente Nauar. non suspensio, sed irregularitas, vt expressè declarat in Manua. cap. 27. n. 154. & 248. sed modò agitur de Suspensione, non autem de irregularitate.

Ad textum verò ex cap fin. de Temp. ordin. respondendum est ibi assignari distinctionem inter peccatorem publicum, & occultum; & publicum dicimus, qui est in Iudicio deductus, vel omnino notorius, & dicitur non esse prohibendum ab administratione Clericum occultum peccatorem post pœnitentiam peractam, igitur supponitur non ligatus aliqua censura suspensionis, aliàs celebrare non posset etiam post pœnitentiam non impetrata absolutione à suspensione. Quòd si non egerit pœnitentiam, quamuis cogi non possit, vt abstineat ab administratione, si crimen non sit deductum in Iudicio, vel res sit omnino notoria; monendus est tamen sub interminatione diuini iudicii, vt cesset ab administratione. Nihil autem in eo textu statuitur de publico peccatore, solum potest sumi ex his, quæ dicuntur de occulto peccatore, argumentum à contrario sensu, vt dixi, quòd talia publicus peccator sit suspensus. quod tamen argumentum non est efficax ad inferendam pœnam, & est vna inter alias

A fallentias, quas enumerant Doctores tractantes, de vi huius formę argumentãdi à contrario sensu, quamuis enim Ius non prohibuerit per censuram Ecclesiasticam Clericum publicum peccatorem à celebratione, poterit tamen huic malo prouideri à Iudice, vel im posita suspensione, vel alia via, vt magis expediens fore iudicauerit, sicut Conc. Trident. sess. 22. in decreto de obseruandis in celebratione Missæ monet Episcopos, vt curent, ne quis publicus, & notorius peccator, si sit Clericus, altari ministret, si Laicus, ne sacris intersit, vbi Concilium non imposuit suspensionem ipso iure, sed instruit Episcopos, & Prælatos, quo pacto gerere se debeant ad coercendam publicè peccantium improbitatem, & impudentiam.

Hæc sententia hoc tempore videtur communiter
B ab omnibus recepta. & est probabilior, quamuis forsan antiqui auctores de hoc dubitauerint. quare concludendum est, non omne peccatum etiam graue, si publicum sit & notorium, afferre veram censuram suspensionis. An verò sit aliqua crimina enormia, quæ ab ipso iure sub hac censura interdicta reperiantur discutiendum superest, & primo loco se offert peccatum publicæ fornicationis, seu concubinatus.

CAPVT II.

Vtrum Clericus publicus fornicarius seu concubinarius sit ipso Iure suspensus.

C

CLericus Concubinarios, seu fornicarius propriè is dicitur, vt notat Bernar. Diaz in sua Pract. Cano. cap. 79. qui solutam mulierem, & corruptam nullo sibi spiritualis, vel carnalis cognationis vinculo coniunctam domi retinet, cum qua consueuit carnaliter commisceri. Requiritur autem aliqua consuetudo, vel vt aduertit Sylue. Ver. Concubinarius §. 1. Differt Concubinarius, & fornicator. Concubinarius enim est, qui abutitur certa aliqua fœmina siue soluta, siue non soluta, vt satisfaciat suæ libidini; tanquam si esset vxor. Fornicarius est, qui vagatur abutens hac, vel illa, & quantum ad suspensionem eadẽ est ratio vtriusque. Idem tenet Nauar. in Manua. capit 25. num. 77.
D Bernar. Diaz in sua Pract. Cano. cap. 79. Tolet. in lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 47.

Quando autem Clericus dicatur publicus Concubinarius declaratur in cap. fin. De cohab. Cleri. & Mulie. nempe quando delictum est notum per confessionem factam in Iudicio, aut per sententiam, aut per facti euidentiam, quæ tergiuersatione aliqua celari nõ possit. affert exemplum Abbas in cap. Vestra, num. 7. eod. tit. De Clerico, qui domi illam retinet. & eam tractat tanquam vxorem. & quando factum est adeo notorium, non requiritur citatio, neque declaratoria ex communi sententia, licèt de consuetudine fiat, vt testatur Tolet. iuxta mentem Couar. in dicto c. 47. lib. 1. Instruct. Sacerd. Concilium Basiliense sess. 20. in princ.
E vbi ait publicos Concubinarios intelligendos esse non solum illos, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in Iure factam, seu per rei euidẽtiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari, notorius est; sed qui mulierem de incontinentia suspectam & infamatam tenet, & per suum superiorem admonitus ipsam non dimittit.

De Clerico igitur hoc modo peccato publicæ fornicationis, seu concubinatus infecto quæritur, an sit ipso Iure suspensus, & certè videtur ratione huius criminis suspẽsionis vinculo innodatus, ita vt si celebret irregu-

irregularitatem incurrat. Idque videtur primo colligi posse ex cap.fin. De cohab.Cleri. & Mulic. vbi proponitur quæstio,an officium Clerici fornicarij, priusquàm pœniteat, audiendum sit, & respondet Gregorius Nonus, quòd & si quilibet pro peccato mortali quo ad se ipsum suspensus sit,non debet in officijs euitari, *quia quantum ad alios etiam in casu proposito*, scilicet fornicationis,vt notat Glos.Ver.Proposito,*suspensus non est, nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in Iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit*; Ergo Summus Pontifex vult significare, quando tale delictum est publicum aliquo ex dictis modis, Clericum esse suspensum,& quo ad se,& quo ad alios,quod nunquam contingit, nisi per censuram suspensionis. Idem confirmatur ex cap. Si qui sint Presbyteri Dist. 81. Vbi Gregorius Septimus Clericis in crimine fornicationis inuentis Ecclesiæ introitum interdicit, quousque pœniteant: *Si qui verò in suo peccato perseuerare maluerint,nullus vestrum officium eorum audire præsumat.* Idem habetur in cap.Nullus, & cap.Præter,distinct. 32. *Nullus missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere.* Similiter in cap.vlt.15. quæst.octaua,quæritur, vtrum à Sacerdote,qui sit deprehensus in adulterio communionem recipere liceat, & respondetur recipi posse, neque abstinendum esse ab eius communicatione,nisi sit damnatus per sententiam, Vbi Glo. Ver. Sciscitantibus in fi. notat Sacerdotem in mortali peccato existentem esse suspensum quo ad se, sed non quo ad alios, nisi sit præcisus, vel notorius fornicarius,aut Simoniacus. Hoc idem clarioribus verbis videtur expressum in cap.Sacerdotes distinc.50.*Sacerdotes si in fornicationis laqueum ceciderint,& criminis manifestus siue ostensus fuerit actus Sacerdotis, non possunt habere honorem secundum canonicæ institutionis auctoritatem*. Ex his igitur iuris auctoritatibus, & alijs similibus proposita conclusio videtur deduci,& comprobari.

Eandem tenent quamplures auctores citati à Couar.in Clem.Si furiosus par.1.§.1. numero quinto, de homic.& Nauar.in Manua.cap.25. num.73. & capit. 27.numero 154. Palud.in 4.sentent. distinc.22. quæst. quarta,numero 6. B.Antonin.3.par. titu.27.cap.3. & refert S.Tho. Abulen.in tract. de Cleri.concub. concl. 7.Sylue. Ver.Concubinarius §.4. & Ver.Suspensio, §. 6.Vers.Quartò suspensi sunt, & in Ver.Clericus 2.§.4. Vers.Quæritur secundò, Angel. Ver.Suspensio casu 4. Tabie.eodem ver. Vers.Sexto casu 4. Maiol.lib.quinto,de irregul.numero secundo,& seq.Bernard.Diaz in Pract.Cano.cap.79.Tolet.lib.primo,cap.47. Instruct. Sacerd.

Non desunt tamen quidam Doctores, qui censent publicum Concubinarium Iure antiquo quidem esse suspensum, vt ex auctoritatibus Iuris adductis probatum est. hanc tamen suspensionem modò non esse in vsu,sed hodie huiusmodi Concubinarium solummodo esse suspendendum, ita disertè tenet Domin Sot. in 4. lib.sentent.dist.prima,quæst.quinta,artic.sexto. Vers. In contrarium autem militare videtur, quam sententiam ante ipsum habuit Innoc. in cap. Si celebrat tu. tertio,de Cleri.excommun.mini.Io.Imo.in cap.Sicut colum.1.in fi.de cohab.Cleri.& Mulie. Anchar.in cap. primo,de sent.& re iudi. lib.6. Henriquez in Sum.lib. 13.de Excommunicat.& Suspens.cap.trigesimo sexto. Salse.super Pract.Cano.Bernard.Diaz cap.79.Ver.Irregularis, Couarr.etiam videtur protendere in hanc

A partem, in dicta Clem.si furiosus, par.1.§.1. numero quinto, de Homicid. licèt consulat, vt impetretur dispensatio, seu absolutio ad cautelam à Romano Pontifice, Medi.in sua Summa lib.primo, cap. vndecimo, §. octano, & alij idem asserunt, quos refert Salse. loco citato.

Si autem quæras ab his auctoribus, quale sit hoc Ius nouum,quo dicunt correctum esse antiquum,nullum certè proferunt; sed aiunt ius antiquum, vel per non vsum, vel per contrariam consuetudinem sublatum fuisse.

Quamobrem in dissoluenda hac difficultate valde dissentiunt inter se Doctores in multis. Primo aliqui tenent Clericum publicum Concubinarium non esse suspensum, sed suspendendum fore, sicut censent Do-
B ctores,quos proximè citaui. Communis tamen sententia est opposita,vt testatur Couar.loco citato,licèt illam dicat esse duram.

Secundò quidam dicunt hanc suspensionem esse talem, vt si ea durante Clericus celebret, fiat irregularis, & est communior sententia. Ita sentit Sylue. Ver. Irregularis §.15.quæst.27.prope fi.Vers.Tamen de rigore,dicens solum pœnitentiam non tollere suspensionem Canonis in notorio fornicatore. idque definitum fuit expresè in cap.Peruenit,distinc.quinquagesima, vbi hæc habentur, *Peruenit ad nos quosdam de sacris Ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante ad ministerij sui officium reuocari, quod omnino prohibemus, & in*
C *hac re sacratissimi quoque Canones contra dicunt, qui iubent post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, vt ad altaris ministerium vlterius non accedat.* Scilicet vt notat Glos.nisi Episcopus cum eo dispensasset,ca. At si Clerici de Iudi. Idem ait Abb.in cap Quia circa numero quinto,de Bigam. Couar.in dicto §.primo, numero quinto, Vers.Eaque tatione,in Clem.Si furiosus,de Homic.vbi testatur de communi, Tolet.lib.primo Instruct. Sacerd. cap.quadragesimoseptimo, Vers.Aduerte quintò, & addit in hac irregularitate solum Papam dispensare posse,quia licet in cap.Si qui sunt dist.81. tales fornicarij suspenduntur, quousque pœnitentiam egerint, & emendati fuerint, non ideo excluditur absolutio à censura, & in
D cap.Quæsitum,de cohab.Cleric.& mulier.simpliciter notorius Concubinarius,& fornicator, Maiol.idem testatur referens alios in eandem sententiam lib.5.ca. 37.num.2.de irregul. Alij putant,quòd etiamsi ob tale delictum Clericus maneat suspensus, non tamen fit irregularis celebrando, & hanc dicit esse veriorem sententiam Couar. in dicta Clem. Si furiosus par.1.§. primo, numero quinto, de homic. Citat in eandem Innocent.Io.And.Card. & alios,ac etiam Nauar. in cap.si quando, except.decima septima, numero septimo, Vers. secundum peccatum, de Rescript. qui declarans hoc dictum ait Clericum notoriè criminosum non esse Irregularem irregularitate, quam solum crimen inducit, & propriè, ac in rigore vocatur
E irregularitas, licèt possit dici irregularis ea irregularitate,quam infamia criminis gignit iuxta communem sententiam Doctorum; & vt est irregularis, ita nec celebrare potest,nec promoueri ante dispensationem Papæ, vel saltem ante dispensationem Episcopi. immo si celebrat, contrahit nouam irregularitatem iuxta communem,licèt Innoc.& alij auctores secundæ sententiæ hoc negent,quod ex eo validissimè cõfirmat Nauar. quoniam Doct. communiter tenent eum, qui propter delictũ est irregularis, non incurrere nouam irregu-

irregularitatem celebrando ante diſpenſationem. idque colligi poteſt ex ſtilo Curiæ Romanæ, quæ cum diſpenſat ſuper defectu, non conſueuit ſeparatim diſpenſare ſuper alia noua irregularitate contracta ex celebratione, & ad idem probandum aliam rationem adducit Nauar. in Manua. cap. vigeſimoſeptimo, num. 194.

Si qnis contra hanc opinionem Nanar. & aliorum objiciat, Fornicator notorius ſuſpenſus eſt ipſo Iure quo ad ſe, & quo ad alios, ſed iure definitum eſt ſuſpenſum irregularem fieri, ſi ſuſpenſionis tempore celebrauerit in cap. primo, de ſentent. & re iudic. libro ſexto, & cap. primo, De ſentent. excommunica. eodem libro, ergo falſum eſt id, quod Doctores huius ſententiæ affirmant.

Reſpondet Couar. in dicto §. primo, numero quinto, Verſ. Dices ſtatim, illud verum eſſe de ſuſpenſione, quæ directè à Iure indicta eſt propter delictum in eius pœnam, non de ea, quæ ratione cuiuſdam honeſtatis ab ipſo Canone imponitur potius ob decorem, quam in pœnam directam criminis, & ipſius delinquentis, ſicut dictum eſt de corpore vitiatis, & idem eſt de illegitimis.

Tertiò in hac quæſtione alij cenſent talem ſuſpenſionem tolli peracta pœnitentia ipſo facto abſque alia abſolutione, ita vt licitum ſit Clerico ita ſuſpenſo poſt pœnitentiam in ſuo ordine miniſtrare. ad hunc modum ſentit Couarr. dicto numero quinto, cum aliis, qnos citat, Sed Palud. in 4. ſentent. diſtinct. vigeſimaſeptima, quæſt. quarta, numero ſexto, exiſtimat huiuſmodi notorium Concubinarium non poſſe à ſuſpenſione abſolui, niſi per Epiſcopum, qui poſſet ob tale crimen illum deponere, & ex conſequenti diſpenſare, nè deponatur, & ſi celebret ante talem abſolutionem, inquit fieri irregularem, citat cap. penultim. de Biga. vbi dicitur Clericos habentes plures concubinas non contrahere irregularitatem bigamiæ, ideo Epiſcopum cum eis diſpenſare poſſe quoad executionem Sacerdotalis officii, tanquam ſimplici fornicatione notatis; Vbi ſupponitur propter hanc notam eſſe ſuſpenſos ab executione officii, & ad eam ſuſpenſionem tollendam neceſſarium eſſe diſpenſationem Epiſcopi, nam ſi non eſſet neceſſaria, vanum eſſet dicere poſſe Epiſcopum diſpenſare, aut enim poteſtatem haberet diſpenſandi ante actam pœnitentiam, vel poſt. Primum dici non poteſt, cum duret cauſa ſuſpenſionis, & ideo talis diſpenſatio inutilis eſſet, & inualida. Si autem dicatur ſecundum, iam ſequitur poſt pœnitentiam durare impedimentum ſuſpenſionis, alias fruſtra requireretur diſpenſatio Epiſcopi.

Inter has duas opiniones extremas Nauarr. mediam quandam viam amplectitur. tenet enim Clericum publicum fornicatorem adhuc peracta pœnitentia non poſſe celebrare abſque diſpenſatione iuxta cap. fin. De tempo. ordin. non tamen propterea incurrere nouam irregularitatem, quæ propriè ſit irregularitas, vt paulò ante dicebam. Quare ex ſententia Nauarri Clericus publicè concubinarius eſt ſuſpenſus propria cenſura ſuſpenſionis, & irregularis, ſuper qua irregularitate Epiſcopus diſpenſare poteſt, & per pœnitentiam tolli cenſura ſuſpenſionis, quia eſt lata donec pœnitentiam agat iuxta cap. Si qui ſunt diſtin. octuageſima prima. ſed irregularitatem non auferri per ſolam pœnitentiam abſque diſpenſatione, & ideo peccare grauiter poſt pœnitentiam celebrando non accepta diſpenſatione, non tamen contrahere nouam irregularitatem; quia iam ablata eſt cenſura, & ſola irregularitas, quamuis cum illa celebretur, non inducit nouam irregularitatem. Ita Nauar. in Manua. cap. vigeſimo quinto, numero 77. Cum Nauarro videtur ſentire Tolet. lib. primo, cap. quadrageſimo ſeptimo, Verſ. Aduerte ſextò, de Inſtruct. Sacerdot. Qui dicit, quòd ſi talis publicus concubinarius celebret, ſit irregularis alia irregularitate ab ea, quæ eſt propter crimen, nam in hac ſolus Papa diſpenſat, in illa Epiſcopus diſpenſare poteſt, at ſi poſt pœnitentiam, & abſolutionem celebret, non incurrit irregularitatem hanc, in qua Papa diſpenſat: quia non celebrauit ſuſpenſus, tamen peccauit mortaliter, quoniam exiſtens irregularis celebrauit ante diſpenſationem, ſed ſi prius abſolutionem, & diſpenſationem obtinuiſſet, liceret illi celebrare.

Quartò differunt etiam Doctores; nam aliqui hanc ſuſpenſionem non ſolum extendunt ad Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, ſed vniuerſaliter ad omnes Clericos etiam in minoribus ordinibus conſtitutos. ita expreſſè tradit Nauarr. in Manua. capit. vigeſimo quinto, numero 76. Beatus Antonin. 3. par. tit. 27. cap. tertio. Sylue. Ver. Concubinarius, §. 4. Bernard. Diaz in Pract. Cano. cap. 79. numero ſecundo. Io. Imo. in c. Sicut, colum. tertia, in princ. Verſ. Si autem quæritur, de cohab. Cleri. & Mulie. Maiol. libro quinto, cap. 37. numero primo, de irregul. Et hanc opinionem probat B. Antoni. loco citato ex cap. Miniſtri 81. diſt. & ex ca. Veſtra de cohab. Cleric. & Mulier. Alii verò cenſent hanc ſuſpenſionem comprehendere ſolos Clericos in ſacris conſtitutos, quod probatur ex cap. Præter, diſt. trigeſimaſecunda, ibi: *Quicumque Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus poſt conſtitutum ſanctæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri Sanctiſſimi Papæ Leonis, & Nicolai de caſtitate Clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, vt Miſſas non cantet, nec Euangelium, aut Epiſtolam ad miſſam legat &c.* Et hoc idem ibi notat Turre Crem. quæſt. 4. numero 13. idem habetur in cap. Si qui ſunt diſt. 81. in quibus locis de inferioribus Clericis nulla fit mentio, & in dicto capit. Miniſtri diſt. 81. vbi legitur: *Neque ſine maioris data auctoritate minora gerant officia, Vrceum ſanè ad altare, vel calicem ne ſuggerant.* Senſus illorum verborum eſt Subdiac. nō ſeruantem continentiam etiā cū propria vxore remouendū eſſe ab officio altaris. permitti verò poſſent in functionibus minorum ordinum, his præſertim, quæ extra altare fiunt, miniſtrent, ad capit. Veſtra de cohab. Cleric. & Mulie. dici poteſt, quòd licèt ibi agatur de Clericis, & Presbyteris, nomine autem Clericorum non conſtat voluiſſe ſignificare Clericos inferiorum ordinum, quia eſt nomen genericum, ſub quo continentur etiam conſtituti in ſacris, immo in illo loco euidenter patet pertractaui de his, qui diuina officia peragere & ſacramenta miniſtrare poſſunt, quales non ſunt Clerici in minoribus ordinibus conſtituti.

Quintò controuerti poteſt, de qua ſuſpenſione intelligant Iura, cum ſtatuunt publicum fornicarium eſſe ſuſpenſum, cum de ſuſpenſione officij, vel beneficij, vel de vtraque aliqui tradant Clericum notorium fornicatorem eſſe ſuſpenſum ipſo Iure ab officio, & beneficio; id videtur colligi, ex capitulo Præter, diſtinct. trigeſimaſecunda, vbi huiuſmodi Clericis interdicitur, ne diuina officia adminiſtrent, quod oritur

ex

ex suspensione officii, *Neque ab Ecclesia suscipiant*, & est effectus suspensionis à beneficio. Idem habetur in cap. Si quis amodo, distin. octuagesima prima, in fi. *Neque aliquam portionem de rebus Ecclesiasticis habeat*. Ita tenet Abb. in cap. Vestra, num. 7. de cohabi. Cleri. & Mulie. ex illis verbis dicti cap. Præter. *Ex auctoritate Dei, & B. Petri sibi interdicimus, vt Missam non cantet*, &c. Probat suspensiooem ab officio, dicens nihil differre, si dicatur: Suspendo te ab officio, vel interdico tibi officium, sed ex vi priorum verborum infligitur suspensio ab officio, ita vt si hoc modo suspensus celebret, efficiatur irregularis; ergo idem dicendum est de posterioribus verbis: quia æquipollent arg. cap. Licet ex quadam, de Testibus, de Suspensione à beneficio probat ex eodem capit. Præter, cum etiam quia si non potest celebrare officium ex culpa sua, non debet percipere fructus beneficij, qui conceduntur propter officium. Idem sentit Archid. in dicto cap. Præter, Bernard. Diaz in Pract. Cano. cap. 79. numero secundo. & apud eum Salse. super ver. Ab officio, & beneficio, qui alios citat. Tolet. lib. primo Instruct. Sacerd. cap. 47. Vers. Aduerte quartò, qui addit de hoc suspenso ita affirmandum esse quantum ad fructus, & beneficium, ac de excommunicato, nempe vbi est in mora petendæ absolutionis, non esse tali subministranda alimenta ex fructibus beneficij, vt notat Archid. in dicto capit. Præter, distinct. trigesima secunda. Idem etiam affirmat Turre Crem. quæstinne quarta, Vers. Ad rationes in dicto cap. Præter, distinct. trigesima secunda, qui licèt asserat suspensum ab officio simpliciter, non ex vi suspensionis à beneficio suspensum esse, quod verum est, vt alias probaui, tamen id locum non habet, vbi in Iure, vel sententia hominis exprimitur, sicut expressum est de Concubinario notorio in dicto c. Præter.

Ex his controuersijs, & difficultatibus, quæ proponuntur à Doctoribus, in quibus dissoluendis dissentio, & varietas non modica in eis reperitur, huius quæstionis ambiguitas oritur. Quid tamen probabilius sit, & hodie communi Doctorum consensu magis receptum, explicabo.

Primo loco sciendum est Concilium Trident. sess. 25. cap. 14. De Reform. plura statuisse aduersus Clericos concubinarios, & fornicatores, & seueris pœnis in eos animaduertisse. Primò prohibet Sancta Synodus quibuscunque Clerici, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus suspicio haberi possit, in domo, vel extra detineant, aut cum ijs vllam consuetudinem habere audeant, & si secus fecerint, vult, vt pœnis à Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur.

Deinde si à Superioribus moniti ab ijs non se abstinuerint, mandat, vt tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum, ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur.

Item si in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina perseuerantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittunt, qui prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quo ad Ordinarius etiam vti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspenduntur.

Præterea si ita expensi eas nihilominus non expellant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, por-

A tionibus, ac officijs, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò priuentur, atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Ex his pœnis prima, quæ consistit in priuatione tertiæ partis fructuum, si Clericus post monitionem Superioris ab hoc vitio non se abstinuerit, incurritur ipso facto. aliæ verò, puta suspensio, priuatio, inhabilitas non imponuntur ipso facto à Concilio, sed imponendæ sunt per Iudicis sententiam, vt patet ex verbis, quibus vtitur Concilium, & affirmat Tolet. libro primo Instruct. Sacerd. cap. 47. Vers. Tertiò si in delicto in fi.

B Vlterius statuit Concilium, vt Clerici, si postquam concubinas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur, scilicet per Iudicis sententiam, prohibens, nè vlla appellatio, aut exemptio prædictam executionem impedire, aut suspendere valeat. & hanc cognitionem non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad ipsos Episcopos pertinere, qui sine strepitu, & figura Iudicii, & sola facti veritate inspecta procedere possint.

Item Clerici beneficia Ecclesiastica non haben- C tes, iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatem ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsve modis iuxta Sacros Canones puniantur. quæ pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ.

Postremò Concilium coercet Episcopos, qui propriæ dignitatis obliti ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi, & si perseuerent etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, si opus fuerit, in eos animaduertat. Hæc disposita fuerunt à D Sacro Concilio aduersus Clericos concubinarios. hac enim pœnarum seueritate coercere illos voluit, & cohibere ab hoc vitio, quod in Clerico valde perniciosum est, & sibi, & alijs.

Dico secundò ex hoc decreto Concilii Tridentini aliquos inferre, quòd licèt probabile sit in Iure antiquo latam fuisse suspensionem in publicos fornicarios propter auctoritatem Sacrorum Canonum, quos supra citauimus, tamen hodie post Concilium ex hoc crimine fornicationis, quamuis sit notorium, non incurri ipso iure suspensionem.

Probant primo hanc opinionem, quoniam Concilium imponit pœnas gradatim aduersus Clericos huiusmodi vitio notoriè maculatos, si beneficia ob- E tinent, vt dictum est, & antequam illas incurrant, postulat præmitti monitionem. Primò enim debent moneri à suis Prælatis: quòd si post monitionem perseuerent in vitio, tunc priuantur ipso facto tertia parte fructuum suorum beneficiorum. Deinde, si secundæ monitioni non paruerint, tunc fructus omnium beneficiorum, aut pensionum ipso facto amittunt, & suspendendi sunt ab administratione beneficiorum, non sunt suspensi ipso facto. Tertiò si adhuc pertinaces sunt, beneficiis perpetuò priuantur, & ad alia indigni

declarantur, tandem, si opus fuerit, excommunicatione plectuntur. Quare quantum spectat ad Clericos beneficiarios nulla fertur suspensio ab ordine, vel ab officio ipso facto incurrenda. Quoad Clericos verò non habentes beneficia, aut pensiones, mandat Concilium, vt iuxta delicti, & contumaciæ moram, & quantitatem puniantur pœna carceris, suspensione ab ordine, inhabilitate ad beneficia obtinenda, & aliis modis iuxta sacros Canones. ergo cum Concilium præcipiat, vt tales Clerici suspendantur ab Episcopo, non suspensi ipso Iure, quod probare intendunt.

Eandem sententiam confirmant etiam, & maxime ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ: quoniam hoc tempore nullus est Clericus, qui notatus hoc vitio, si egerit poenitentiam, non exerceat actus suorum ordinum, sicut prius absque vllo periculo incurrendi irregularitatem, etiamsi nullam acceperit absolutionem à censura suspensionis; signum igitur est hoc tempore suspensionem illam Iuris antiqui fuisse sublatam, & ex hac communi consuetudine sumitur optimum argumentum, præsertim ad probandas similes conclusiones in rebus moralibus.

Tertiò idem probari potest ex cap. 2. de cohab. Cleri. & Mulie. vt Clericus in sacris constitutus de crimine fornicationis suspectus post tertiam monitionem mandatur excommunicari. Similiter in cap. 3. mandat Summus Pontifex, vt Episcopus per suspensionis, & interdicti sententiam compellat Clericos in sacris Constitutos, qui publicè tenent Concubinas, vt illas à se remoueant. Item in cap. quarto statuitur, vt si Clerici ab ordine Subdiaconatus, vt supra moniti concubinas non dimiserint, suspendantur à beneficijs, quòd si se non correxerint, deponantur. In cap. 5. dicitur quidem de quodam Presbytero, qui propter hoc crimen fornicationis suspensus fuit ab officio suo; sed est intelligendum ab Episcopo suo, vt bene ibi notat Glo. in capit. 6. præcipit Papa, vt Clerici in sacris ordinibus, vel etiam in inferioribus post secundam, aut tertiam monitionem si non dimiserint fornicarias mulieres, quas detinent, per Episcopum Ecclesijs, vel earum portionibus, appellatione postposita, spolientur. ergo in his iuribus supponit Summus Pontifex tales Clericos non esse ipso Iure suspensos, interdictos, vel excommunicationis vinculo irretitos.

Hanc sententiam sequuntur plures recentiores Doctores, Domin. Sot. in 4. sent. distinc. 1. q. 5. art. 6. ad secundum, & dist. 13. q. 1. art. 9. in fi. Simanc. de Cathol. Institut. cap. 9. num. 207. Medi. lib. 1. Instruct. cap. 11. §. 8. Henriquez lib. 13. de Excommunicat. & Suspens. cap. 36. Suarez de Censuris, Disp. 31. sect. 4. §. Secundus casus.

Dico tertiò, quòd quamuis hæc opinio sit valde probabilis, præsertim propter auctoritatem Doctorum, qui illam tuentur, tamen contraria sententia mihi videtur magis Iuri consona, & ideo probabilior, & tutior, nempe Clericum in sacris constitutum notorium concubinarium, scilicet per sententiam Iudicis, aut propriam confessionem, vel per euidentiam facti incurrere censuram suspensionis ipso iure etiam ante nouam Iudicis monitionem. Huius opinionis sunt etiam omnes antiqui Doctores, & plures ex recentioribus. ita tenet Goffred. in Summ. in titu. De cohab. Cleric & Mulier. numero sexto, dicens Clericum occultè fornicarium esse suspensum quo ad se tantum, publicum autem quo ad se, & quo ad alios, quomodo sunt suspensi etiam Simoniaci occulti. Sed Simoniacus est verè suspensus ipso iure ante monitionem Iudicis, ergo & fornicator, Io. à Capistrano in cap. Clericos, num. tertio, de cohab. Cler. & Mulie. vbi ex verbis textus sumit argumentum distinguendi inter publicum fornicarium, & inter eum, qui notoriè est talis. publicum dici potest, vt idem notat, ex sola fama, vt cap. Tua nos, eodem titu. Notorium autem non ex sola fama, sed ex confessione in iure facta, vel ex sententia, aut tanta rei euidentia, quòd non possit aliqua tergiuersatione celari, vt in capit. fin. eodem titu. & capit. Vestra. vnde inquit Clericum publicum fornicarium non esse suspensum ipso Iure, sed à Iudice suspendendum, sed si est notoriè fornicator, ipso iure indubitanter est suspensus. Idem plenius confirmat, & explicat in cap. fin. num. quinto, eodem titu. vbi asserit Clericum notorium fornicatorem esse ipso iure suspensum quo ad se, & quo ad alios, sicut Hæreticus, simoniacus, Schismaticus, & Excommunicatus, secus est de alijs criminibus, quæ quamuis sint notoria, non inferunt suspensionem ipso iure, sed expectanda est sententia Iudicis, cap. fin. 15. quæst. vlt. Abb. in cap. Vestra, num. 7. dicto titu. de cohab. Cleric. & Mulie. tenet Clericum notorium fornicatorem per sententiam, vel confessionem sponte factam esse suspensum ab officio quo ad alios. Similiter si habeat operis euidentiam indubitatam, & in capit. fin. numero secundo, eodem tit. inquit notorium fornicatorem esse suspensum quo ad se, & quo ad alios, & indigere dispensatione, sicut sentit Innocent. in capit. Sicut, eodem titu. Felin. videtur idem sentire in cap. At si Clerici, numero tertio, & sequen. De Iudi. vbi plura de hac materia tractat, & quando Clericus propter crimen deponi possit. Turre Crem. in capit. Præter. distinct. 32. ad 4. quæst. numero 13. qui dicit Clericum notoriè concubinarium esse ipso iure suspensum, neque celebrare posse sine dispensatione, & absolutione, Sylue. Ver. Concubinarius, §. 4. primò inquit Sacerdotem concubinarium occultum celebrando non effici irregularem, secus si sit manifestus, vt omnibus pateat, & nullo modo negari possit. tunc enim erit suspensus ab officio, & celebrando fit irregularis. Secundò ait plures Doctores sentire dictos concubinarios non incurrere ipso iure suspensionem, sed requiri antea monitionem, minusq; celebrando fieri irregularem, sed concludit primam opinionem esse veriorem. Tertiò dicit ab hac irregularitate solum Papam dispensare, quòd si suspensus non exequatur actum ordinis, indiget absolutione à suspensione, sed illam tradere potest Episcopus. Idem confirmat Ver. Luxuria, §. 3. Vers. Simplex fornicatio in Clerico, Bernard. Diaz in sua Pract. Cano. capit. 79. numero secundo, in eandem sententiam citat B. Antonin. 3. par. tit. 27. cap. 3. Maiol. lib. 5. de Irregul. cap. 37. num. primo, & sequen. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 47. Vers. Aduerte secundò, vbi affirmat contrariam sententiam esse contra communem opinionem Doctorum, & de hac communi opinione testatur etiam Nauar. in cap. Si quando, Excep. 17. num 7. Vers. Secundum peccatum, & Couarr. in Clem. Si furiosus, par. 1. §. 1. numero 5. Et licèt censeat hanc sententiam esse duriorem, consulit, vt absolutio, aut dispensatio impetretur à Romano Pontifice.

Hæc autem opinio videtur manifestè colligi posse ex pluribus Iuris auctoritatibus; Et primò ex capit. fin. De Tempor. Ordina. vbi de Sacerdote occulto crimine notato dicitur, quòd secluso homicidio, si illi,

qui

qui commiserunt crimen adulterij, periurij, & falsi testimonij, de qoibus ibi agitur, non habentur tanquam notorij criminosi, idest, vt ibi notat Glo. Ver. Notoriam, per sententiam, per confessionem in Iudicio factam, vel per rei euidentiam, non debent post pœnitentiam peractam in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri, ergo sequitur euidenter à cõtrario sensu, quod argumentum in Iure est validissimum l. 1. §. Huius rei vbi omnes, ff. De officio eius, cap. cum Apostolicum, de his, quæ fiunt à Prælat. sine consen. Capit. Afflict. decis. 66. numero tertio, quòd vbi crimen fornicationis erit notorium aliquo ex illis tribus modis, reus criminis etiam peracta poenitentia erit suspensus, & irregularis, vt non possit ministrare in ordinibus susceptis, nec ad altiores ascendere, secundo ex cap. Vestra De Cohab. Cleri. & Mulie. in fin. *sine dubitatione itaque teneatis, quod à Clericis, & Presbyteris quamquam fornicarijs, quandiu tolerantur, nec habent operis euidentiam licitè diuina misteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica*; Ergo si delictum est notorium, Clericus erit suspensus quo ad se, & alios; tertio idem legimus repetitum in cap. vltim. eodem tit. vbi Ioan. de Capistrano num. quarto, ex eod. textu infert notorium fornicatorem esse suspensum quo ad se, & quo ad alios, quod dicit speciale esse in crimine fornicationis, & in quibusdam alijs, vt in hæresi, cap. Sanè 24. q. 2. Schismate c. Quia diligentia, de elect. Simonia in ordine cap. Verum distin. 82. Nam in aliis criminibus, qoamuis sint notoria, inquit expectandam esse sententiam, cap. fin. 15. quæst. vlt. quod consentire videtur eum tex. in cap. De his distinct. 50. vbi de Clericis, qui post sacrum ordinem capitali aliquo crimine se contaminare non erubuerint, cum distinctione ita respondetur, *Vt hi, qui deprehensi, vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atque fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus secundum Canonum Sacrorum instituta, à proprio gradu decidant: quia scandalum est populo Dei tales personas supra se positas habere, quas vltra modum vitiosas esse constat.* Secunda pars distinctionis habetur paulò post: *Qui autem de prædictis peccatis abscondite à se admissis per occultam confessionem coram oculis Dei, præsente etiam Sacerdote, qui eis indicturus est pænitentiam, confitentur, & semet ipsos grauiter deliquisse quæruntur, &c. His etiam gradu seruato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.* Eadem conclusio clarè desumitur ex capit. Præter, distinct. trigesima secunda, & ex capit. Si qui sunt, distinct. 81. & ex cap. Sacerdotes distinct. quinquagesima. Cuius verba videntur id manifestè significare, sic enim loquitur: *Sacerdotes si in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifestus, siue ostensus fuerit actus Sacerdotis, non possunt habere honorem secundum Canonicæ institutionis auctoritatem.* Vbi Glo. Ver. Non possunt, inquit sine dispensatione. Sed vbi crimen est occultum, possunt absque dispensatione post pœnitentiam. Et aliæ plures auctoritates reperiuntur in Iure, ex quibus confirmari potest hæc opinio. Vnde Henricus in cap. Si celebrat. de Cleri. Excomm. mini. quem refert Turre Crem. in cap. Præter hæc, quæst. prima in fi. dist. 38. inquit, quòd notorij fornicatores, quantumuis pœnitentiam egerint, nunquam celebrare debent ante obtentam à Sede Apostolica dispensationem, alioquin irregularitatem contrahunt, & ideo neminem sibi blandiri debere, aut quauis alia opinione decipere.

Firmata hac conclusione iuxta communem opi-

A nionem Doctorum non erit difficile explicare, quid sit respondendum ad illas difficultates propositas, de quibus controuertunt Doctores.

Et primò quod spectat ad irregularitatem certum esse debet irregularitatem incurrere ex celebratione Clericum notorium concubinarium. nam si ob tale crimen incurritur vera censura suspensionis, consequenter ob administrationem in ordine orietur irregularitas iuxta dispositionem cap. 1. de senten. & re iudic. lib. 6. & capit. primo, De sentent. excommunic. eodem libro. ita tenet Ioan. à Capistrano in capit. fin. numero 38. & 40. De cohab. Cleri. & Mulie. & in hac sententia citat Butrium, Io. Andr. Calderin. & Innoc. Idem ait Turre Crem. in capit. Præter ad 1. quæst. distinct. vigesima secunda, Abb. in cap. Vestra, num. 7. de B cohab. Cleri. & Mulie. Sylue. Ver. Concubinarius §. 4. Nauar. in Manua. cap. 26. numero 76. Vers. Decimo quintò peccat, & in cap. Si quando Except. 17. num. septimo. vers. Secundum peccatum, de rescript. Maiol. lib. 5. cap. 37. num. secundo, de irregul. Couar. in Clem. Si furiosus, par. 1. §. 1. numero quinto, Vers. Ego quidem, vbi fatetur hanc opinionem communem esse, licèt censeat eam duram, tamen consulit, vt in tali casu absolutio, aut dispensatio impetretur à Romano Pontifice, Bernard. Diaz in Pract. Cano. cap. 79. num. 2. citans alios, Tolet. in Sum. lib. 1. Instruct. Sacerd. nu. 47. Vers. Aduerte quintò.

Ad hanc conclusionem confirmandam facit, quod C refert Maiolus lib. quinto, cap. 37. num. tertio, de Irregular. de quodam Sacerdote fornicatore, cuius caput adeo ingenti dolore ob celebrationem Missarum correptum fuisse tradit, vt pene moreretur, at vbi iussu Macarii Alexandrini Iureiurando se obstrinxit, non amplius celebraturum, illico sanatus est, & deinceps sponte depositus, tanquam laicus vixit.

Similiter ex eodem fundamento responderi potest ad aliam difficultatem, nempe hanc suspensionem etiam peracta pœnitentia non tolli absque absolutione. si enim est vera censura, indiget absolutione, vt auferatur, quia quamuis lata sit, donec reus resipiscat, aut pœniteat, necessaria tamen est absolutio iuxta ea, qua dixi superius de suspensione in D genere.

Ad quartam difficultatem respondendum est probabiliorem esse sententiam illorum, qui censent hanc suspensionem afficere tantum Clericos in sacris constitutos, minimè autem solis ordinibus minoribus initiatos. id enim clarè confirmare videtur ex iuribus citatis, nempe ex cap. Præter, distinct. trigesima secunda, vbi interdicitur Sacerdoti, Diacono, & Subdiacono manifestis concubinariis, nè officia suorum ordinum exerceant. Hoc idem legitur in c. Si qui sunt, & in c. Ministri dist. 81.

Tandem ad quintam dubitationem putarem respondendum fore hanc suspensionem, quam incurrunt notorii fornicarii esse ab officio, & beneficio, vt E tradunt Doctores superius citati, & probatur ex cap. Præter, distinc. trigesima secunda, ibi: Nec partem ab Ecclesia suscipiant, quod intelligitur ex dispositione Iuris antiqui.

Sed quærere posset aliquis, an notorius concubinarius Iure antiquo ita amitteret omnes fructus beneficii, vt ex eis neque alimenta necessaria assumere possit. vnde Glo. in cap. Studet. Ver Et sui dist. 50. inquit Clerico suspenso ab homine, vel à Canone relinquendum esse ex fructibus beneficii tantum, vnde se & suos substentare possint.

Respondet Turre Crem. in cap. Præter dist. 32. Ad tertiam, ad hanc difficultatem cum distinctione, nempe si Clericus sit suspensus ob contumaciam, sitq; in eius potestate à contumacia recedere, & parere, atque ita absolutionem à suspensione obtinere, & negligit ita facere, sed obstinatus persistit in crimine, atque in hoc casu sunt ei subtrahendi omnes fructus, vt non habeat alimenta necessaria, nisi in periculo mortis, siue in extrema necessitate, tunc enim ei subueniendum esset, cap. Non satis, cap. Pasce, dist. 96. Eiusdem distinctionis meminit Salse. apud Bernar. Diaz in sua Pract. Cano. cap. 79. Super Ver. ab officio, Vers. Nec huic Clerico, & citat plures Doctores.

Hoc idem confirmat Glo. in cap. Pastoralis, Ver. Subtrahantur in fi. De Appell. dicens suspensum ab officio nihil percipere posse ex fructib. beneficij, alias deponendum fore, Qua in re æquiparantur Excommunicato, quòd si suspensio imposita fuerit in pœnam delicti, nec est in potestate suspensi eximi à vinculo suspensionis, tunc prouidendum erit ei ex fructibus beneficij, vt inde recipiat, quæ necessaria sibi sunt ad sufficientem vitæ substentationem, & ad hunc modum intelligenda est Glosa in dicto cap. Pastoralis circa princ. de appella. & Glos. in dicto cap. Studeat dist. 50. vbi autem notorius fornicator fructus suorum beneficiorum reciperet, non faceret illos suos, sed teneretur restituere, vt absolutionem consequi posset, vt tradit Io. à Capistr. in dicto c. Præter, dist. 32. nu. 36. vers. Decima octaua conclusio.

Hodie verò post Concilium Trid. sess. 25. cap. 14. de Reform. Clerici prohibentur concubinas, aliasque mulierculas, de quibus sinistra suspicio haberi possit, domi vel extra retinere. quòd si moniti à tali consuetudine non destiterint, quamuis non sint notorij, tertia parte fructuum beneficiorum, & quarumcunque pensionum ipso iure sint priuati, quæ pars fabricæ Ecclesiæ, aut loco pio arbitrio Episcopi est adiudicanda. & si pertinaciter in eodem delicto cum eadem fœmina permanserint, vel cum alia idem scelus commiserint, non solum fructus omnes beneficiorum, & pẽsionum amittunt, sed à suorum beneficiorum administratione arbitrio ordinarij tanquam Sedis Apostolicæ Legati suspendi debent. Tandem si ad talem impietatis, & turpitudinis gradum peruenerint, vt his pœnis deterriti adhuc non resipiscant, sed obstinati in profundum maiorum inciderint, tunc beneficijs, & pensionibus quibuscunq; Ecclesiasticis priuandi sunt perpetuò, & inhabiles iudicantur, nc ad alia aspirare possint absque dispensatione.

Si autem Episcopi huius sceleris labe maculati fuerint, & à Prouinciali Synodo admoniti in tali fœditate sordescerent, ipso facto suspensi sunt, & si in crimine perseuerauerint ad Pontificem Romanum ab eadem Prouinciali Synodo sunt deferendi, à quo pro culpæ qualitate sunt coercendi, & si opus fuerit priuandi. Et quàm graue sit crimen in Clerico, & multò magis in Episcopo, & maxime pernitiosum vti familiaritate, & consuetudine frequenti fœminarum, & præsertim earum, quæ suspectæ habentur, pluribus exemplis nititur demonstrare Maiol. lib. 6. cap. 37. de irregul. Hæc itaque erat pœna, à Sacris Canonibus antiquitus lata in Clericos notoriè fornicationis vitio inquinatos. Qua in re differt Constitutio Iuris communis à decreto prohibitionis Concilii Trident. Pœnæ enim à Concilio impositæ non solum comprehendunt notorios concubinarios, sed etiam Clericos concubinarios non notorios vna ex dictis tribus speciebus, quibus ali-

A quid dicitur notorium, dummodo sint tales, qui admoneri possint. Et quamuis tales notorii Concubinarii sint suspensi Iure communi, tamen à Concilio iterum suspenduntur. Nam sicut à Iure Excommunicatus potest simul ab homine excommunicari, ita suspensus à Iure potest ab homine suspẽdi, vt notat Præpos. in cap. Reperiuntur 1. q. 1. Io. à Capistr. in cap. Sicut num. 10. in fi. de cohab. Cleri. & Mulie. Tolet. in Summa Instruct. Sacerd. libro 1. capit. 47. Vers. Sextò Episcopi.

Adduut Doctores hunc notorium fornicarium præter pœnam suspensionis, alia quoque graui pœna à sacris Canonibus affici, nimirum si contingeret in hoc statu peccati absque pœnitentia vltimum vitæ
B diem claudere, eius corpus non esse sacræ sepulturæ tradendum, vt tenet Turre Crem. in cap. Præter ad 2. quæst. dist. 32. & probat ex illis Iuribus, in quibus omnis notoriè in peccato mortali existens si decedat, prohibetur in Cœmeterio sepeliri, vel vt censent ex c. Omnes, de poenit. & remiss. quia talis peccator non videtur impleuisse præceptum confitendi peccata sua, & recipienda alia Sacramenta, vt tenebatur. Idem tradit Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 80. vers. Tertium quod scientes.

Sed Præterea à sacris Canonibus interdictum erat fidelibus, vt horum Clericorum communionem vitarent in audiendis Missis, & alijs diuinis officiis. Nam in cap. Vestra, de cohab. Cleri. & Mulie. dicitur in fi. si-
C ne dubitatione, *itaque teneatis, quod à Clericis, & Presbyteris quamquam fornicarijs, quamdiu tolerantur, nec habent operis euidentiam, licitè diuina misteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica*. Vbi Glo. Ver. Operis euidentiam notat, quando factum est notoriũ, & quando Clericus confessus est in Iudicio suum crimen, vel per sententiam Iudicis est condemnatus, officia ipsius respuenda esse, & ibi Abb. nu. 1. Idem clarius definitum habetur in cap. fin. eod. tit. *Verùm etsi quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum constet esse suspensum non debet tamen in officiis euitari, quia quantum ad alios etiam in casu proposito*, scilicet de fornicatione, vt ex initio Capitis patet, & ibi notat Glo. *Suspensus non est, nisi peccatum huiusmodi, vt notorium per senten-*
D *tiam, seu per confessionem factam in Iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit* Vnde Io. à Capisteano ibi num. 17. & 18. inquit interdictum esse sub poena peccati mortalis à notorijs fornicatoribus recipere Sacramenta, vel eorum Missas, aut diuina officia audire, & num. 22. tenet minus malum esse die festo non audire sacrum, quàm Sacerdotis notorij fornicatoris Missæ assistere, si alius non sit celebraturus. Idem inquit Sylue. Ver. Missa 2. §. 3. in fi. in cap. Præter, dist. 32. *Præter hoc autem præcipiendo mandamus, vt nullus missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter, vel subintroductam mulierem.* Eadem verba habentur in cap. pręceden. Nullus, &
E idem probat Turre Crem. in dicto cap. Præter, §. Verum principia, Glos. in c. De homine Ver. Peccet grauiter, de celebr. Missa.

Hæc conclusio communiter ab omnibus Doctoribus approbatur tam Theologis, quàm Canonistis, ita sentit Beatus Tho. in 4. sent. dist. 13. q. 1. ar. 3. quæstiuncula 3. dicens non licere fidelibus communicare in diuinis scienter cum simoniacis, Schismaticis, Excommunicatis, & Concubinarijs; quoniam id ab Ecclesia prohibitum est. quòd si contra quis faciat, grauiter peccat. Discrimen autem ponit inter tres priores, & concubinarios; quia illorum trium interdicta est communi-

municatio in diuinis etiam occulta, sed Clerici fornicarij non sunt vitandi, nisi sint notorij. Asserit autem B. Tho. omnes excommunicatos etiam occultos euitari debere secundum antiqua Iura, quæ suo tempore in vsu erant, vt tradit Domi. Sot. in ead. dist. 13. quæst. 1. art. 9. Vers. Verum tamen primam conclusionem, qui ideo tenet voluisse Ecclesiam magis prohibere communionem Sacerdotum in publica fornicatione iacentium, quamuis sint alia peccata fornicatione grauiora: quia ad peccatum fornicationis proniores sunt homines, atq; etiam quoniam inter alia scelera hoc potissimum peculiari quadam turpitudine Sacramentorum & diuinorum officiorum ministerium commaculant, Sylue. Ver. Missa 2. §. 3. Io. Maior. in 4. sent. dist. 9. dub. vlt. Gabri. q. 1. dub. 4. B. Antoni. in 2. part. Sum. tit. 9. cap. 10. Vers. Sextum dubium, Io. à Capistr. in cap. fin. num. 17. de cohab. Cleri. & Mulie. Nauar. in Man. cap. 25. 79. vbi asserit peccare mortaliter audientes Missam notorij fornicarij, si sciant, aut scire teneantur id vetitum esse à sacris Canonibus, Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 2. num. 1. de sent. excom. lib. 6. Salsc. apud Bernardinum Diaz in pract. Cano. cap. 79. super Ver. Audire diuina, Maiol. lib. 5. cap. 37. n. 3. de Irregul.

Animaduertendum est, cum Iura vetant, ne publici concubinarij, Clerici Missa, vel diuina officia audiantur, intelligi debere de Clerico, qui publicè denunciatus fuerit talis, vel peccatum ita sit euidens, vt nulla possit tergiuersatione celari iuxta dispositionem Concilij Constantiensis & Basiliensis, vt docet Couar. & alij Doctores citati. Quare qui audiunt Missas Sacerdotis, qui ab Ecclesia toleratur, non peccant; neque etiam peccant fideles audientes sacrum Sacerdotis notoriè fornicarii, si talis criminis pœnitentiam egerit, ipse tamen Sacerdos etiam post peractam pœnitentiam ante dispensationem, seu absolutionem, non potest celebrare, Io. à Capistr. in cap. Sicut n. 9. de cohab. Cleri. & Mulic. & ibi Abb. num. 2. ad idem citans Innocent.

Immo addunt culpæ mortalis reum esse illum, qui Sacerdoti, quem scit lethalis peccati vinculum irretitum esse, iniungit actum aliquem Ecclesiasticum faciendum, si exequatur opus iniunctum, Turrecrem. in cap. Nullus num. 3. dist. 32. & est sententia S. Tho. in quodlib. 11. art. 8. qui ait ideo tunc committi peccatum mortale, quia prouocatur aliquis ad peccatum mortale, quod est contra ius naturale. Ius autem positiuum addit adhuc amplius non solum malum esse inducere talem Sacerdotem ad celebrandum, sed minimè licere sub reatu similiter culpæ mortalis eius Missam audire, idq; statutum esse in pœnam Sacerdotis fornicarii, si publicus sit, tenet autem propriè publicum vocari debere, quando iudicio, & sententiæ Ecclesiæ talis declaratur, Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 78. Salsc. apud Bernard. Diaz in pract. Cano. c. 79. super Verb. Audire diuina, ad hoc adducens verba D. Hieroni. in Epistola B. Eusebii ad Damasum Episcopum Portuensem, sic enim ait: *Qui iura scit, & vitam Presbyteri agnoscit, & eum pro se celebrare facit, sit eiusdem peccati conscius, nec non & pœna particeps*, ex quibus colligimus ab hoc peccato excusari, qui probabiliter dictam legem positiuam ignorat, quia probabilis Iuris positiui ignorantia excusat, vt inquit Abb. in dicto n. 78. & cap. 2. de Constit.

Ecclesia itaque omni tempore seuerissimè in Clericos fornicatores animaduertere studuit: quoniam valde turpe, & clericali honore indignum iudicauit in impuditia sordibus, immundoq; concubinatu versari, immo quod maius est non solum existimauit Clericos ab huius vitii crimine prorsus immunes & alienos esse debere, sed eis interdixit etiam familiaritatem & consuetudinem fœminarum, quę maximè periculosa est, & occasionem ruinæ frequenter præbere solet, vt multis exemplis declarat Maiol. lib. 5. cap. 37. num. 4. de Irregul.

Multo autem acrius Clericos punire consueuerunt sacri Canones, qui adulterii crimen commiserint, siue enim manifestum sit illud siue occultum, deponendi sunt, cap. Si quis Diaconus dist. 50. cap. Si quis Clericus 81. dist. Differt autem occultus adulter à manifesto, quòd manifestus restituit non debet, occultus verò peracta pœnitentia restitui potest, cap. Sacerdotes cum Glo. dist. 50. latius de hoc tractant Bernard. Diaz in pract. Cano. cap. 85. num. 2. & Maiol. lib. 5. cap. 38. num. 2. de Irregular. Et hanc opinionem, quòd Clericus propter adulterium sit deponendus, testatur esse communem Couar. in 4. lib. Decretal. 2. par. cap. 7. §. 7. num. 19. sed Host. in Sum. in tit. de cohab. Cleri. & Mulie. §. qualiter imponatur ad fi. putat posse Iudicem ex causa non seruare hunc rigorem Iuris, sed illum remittere & dispensare vt Clericus adulter suspensionis pœna & non depositiones sit puniendus, quæ opinio tanquam æquior & humanior potest sustineri, vt notat Salsc. apud Bernar. Diaz super Ver. Detruditur in fi. licèt alia contraria sit communior, à qua absurdum sit recedere, vt idem Salsc. notat.

CAPVT III.

De suspensione Clerici propter vitium contra naturam, siue peccatum Sodomiæ.

Sicut de fornicatione, ita de peccato Sodomiæ dubitatur, an ipso iure incurratur pœna suspensionis à Clericis, qui in hoc crimine prolapsi fuerint.

Qua in re diuersimode loquuntur Doctores, aliqui affirmant contrahi suspensionem ipso iure à Clerico huius nefandi criminis reo, quamuis occulto etiam peracta pœnitentia, & si interim celebret, fieri irregularem ea irregularitate, quæ à solo Papa deleri possit. In hanc opinionem inclinat Couar. in Clemen. Si furiosus par. 1. §. 1. num. 6. ita tenet Specul. in tit. de dispensat. §. Iuxta nu. 17. Vers. Octauò Sodomita, Bellenzinus in Apostillis ad Abba. in cap. Clerico de excess. Prælat. Anton. in cap. Nisi cum pridem circa fin. de renuncia. & in eandem sententiam alios citat Couar. vbi supra, quam dicit esse communem, Lamberti. in Tract. de Iure patron. 1. par. 2. lib. q. 9. art. 18. nu. 4. Maiol. lib. 5. cap. 43. de Irregular.

Ad hanc opinionem probandam citatur, cap. Nisi cum pridem §. 1. de renunc. & cap. vlt. de Temp. ordin. Sed in cap. Nisi cum pridem non agitur in specie de crimine Sodomiæ, sed in genere de causis, ex quibus Episcopi petere possunt licentiam à Papa cedendi, & inter alias enumeratur conscientia criminis non cuiuslibet, sed illius duntaxat, propter quod ipsius officii executio post peractam poenitentiam impeditur, vbi Glo. in Ver. Sed duntaxat vltra med. dicit huiusmodi crimina esse Sodomiam, Homicidium, quæ expressè in Iure recensentur, & præterea omne peccatum, quod ipso iure irrogat infamiam, quia licèt culpa per poenitentiam tollatur, infamia tamen nō abolitur. Quare ex hoc textu nihil videtur posse expressè desumi ad confirmandam hanc sententiam. Similiter in cap. fin.

de

de Temp. ordin. habetur tantum non impediri executionem ordinis propter occulta crimina adulterij, periurij, falsi testimonij, sed tantum ob crimen homicidij, vbi Glo. Ver. Homicidij, asserit de homicida tantum, quòd etiam si occultus sit, non potest administrare; quare ibi nulla mentio fit de Sodomia.

Specul. in cit. §. Iuxta num. 17. affert ad idem probandum cap. Clerici de excess. Prælat. quod magis accomodatum esse ad rem, de qua agitur. Tractat enim de vitio contra naturam, & Clericum, qui in hoc incontinentiæ vitium prolapsus fuerit, deponendum esse statuit, & in Monasterium detrudendum, verba textus sunt: *Si Clerici fuerint, deijciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in Monasterijs detrudantur*. Verum, neque ex hoc texto argumentum aliquod firmū desumi potest pro eadem sententia, quia non imponitur pœna suspensionis, sed depositionis, & quod maius est, non est pœna ab ipso iure lata, sed declaratur pœna imponenda in Clericis in hoc crimine deprehensos ab homine per sententiam. Potest afferri quoque in confirmationem eiusdem opinionis cap. Vt Clericorum, de vit. & honest. Cleri. vbi similiter de hoc peccato in specie tractatur, & præcipitur Clericis, vt ab omni libidinis peccato caueant, & subditur, *Maximè illo, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ*. Deinde statuitur, vt contrafacientes pro grauitate delicti seuerè puniantur, & additur: *Si quis igitur hac de causa suspensus præsumpserit celebrare diuina, non solum Ecclesiasticis beneficiis spolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuò deponatur*. Sed ex his etiam verbis non desumitur suspensio ipso iure, sed potius pœna suspensionis ferēda per Iudicem, vt patet ex illis verbis: *Prout magis et minus peccauerint, puniantur*, & cum postea subditur, *si quis autem suspensus*, intelligendum est de suspensione, qua punitur à Iudice.

Aliorum est sententia, qui affirmant quidem incurri suspensionem propter vitium contra naturam Sodomiæ, si tamen publicum sit non occultum. Ita videtur sentire Nauat. in Manua. cap. 27. nu. 248. & 249. vbi ad incurrendam irregularitatem ratione criminis inquit duo requiri, nempe vt crimen sit enorme & notorium, & primum sine secundo non sufficere, crimina autem enormia tenet esse ea, quæ depositione digna sunt, & inter hæc enumerat Sodomiam. Huic autem irregularitati locum non esse, si crimen Sodomiæ sit occultum, probat pluribus rationibus. Verum Nauar. non loquitur de suspensione, sed de irregularitate, quæ contrahitur propter quodlibet enorme crimen publicum, quod si occultum sit hoc vitium, non incurri irregularitatem aut suspensionem: quia ratione illius nullibi inuenitur in Iure lata.

Quòd si contra obijciatur hoc crimen esse grauius & detestabilius pluribus alijs, quibus coercendis imposita est suspensio ab ipso iure, etiam si occulta fuerint, vt de homicidio habetur in c. fin. de Temp. ordin.

Respondent aliqui, qui tuentur hanc sententiam, in legibus pœnalibus argumentum à simili, vel etiam à fortiori non esse efficax ad concludendum: quia attēditur tantum voluntas legislatoris, & sæpe contingere potest, vt Princeps ex aliqua iusta causa ducatur ad maiorem pœnam inferendam aduersus eos, qui leuiora delicta commiserint, quàm contra eos, qui grauius deliquerint, vel quia frequētius cōmitti solēt, vel quia maius damnum afferunt, vel ob alias rationes.

Tandem sunt nonnulli, qui negant simpliciter propter hoc crimen Sodomiæ incurri ipso iure suspensionem, siue sit publicum siue occultum, & de occulto iā

A probatum est, de publico autem confirmari potest ex illo principio communiter à Doctoribus admisso, nimirum ob nullum crimen incurri ipso facto irregularitatem aut suspensionem, nisi id in Iure expressum reperiatur. At verè non potest ex aliquo testimonio Iuris colligi ob crimen Sodomiæ suspensionem contrahi non solùm in specie sub ratione talis vitij, neque etiam in genere sub aliqua ratione communi, ergo re uera talis censura non incurritur, & cap. fin. de Temp. ordin. dicunt non esse intelligendum de censura lata, sed ferenda.

Ex his tribus opinionibus prima, quæ communi Doctorum consensu recepta est, mihi videtur tenenda, quam amplectuntur non solum Doctores citati su-
B perius, sed pluries alij, vt Archid. Domi. & Præpositus in c. De his 2. dist. 50. Marian. Soccin. in c. Ad audientiam num. 27. de Homicid. Iulius Clarius in practic. Crimin. §. Sodomia, Vers. Item Clericus, Salsc. apud Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 86. Vers. Illud tamen huic loco, & hanc opinionem Lambertin. & Couar. supra relati communem esse testantur.

Quamobrem iuxta hāc sententiam dicendum erit Sodomitam etiam occultum & peracta poenitentia iure communi suspensum esse ab ordinum executione, & si durante suspensione celebret, irregularem fieri ea irregularitate, quæ iure communi à solo Romano Pontifice deleri potest.

Probatur primò ex illo cap. fin. De Temp. Ordin.
C vbi Gregorius Nonus permittit, vt criminosi occulti post pœnitentiam in susceptis ordinibus administrēt, & ad superiores ascendant, præter reos homicidij, ergo, vt ibi notat Glo. in Ver. Homicidij, Clericus homicida etiam occultus post peractam pœnitentiam administrare nequit; quare propter homicidium Clericus incurrit suspensionem ipso facto, ergo etiam propter vitium sodomiæ, nam inter ea delicta grauia, quę post pœnitentiam peractam impediunt executionem ordinis, sicut facit homicidium, connumeratur sodomia, vt tradit Abb. in cap. Nisi cum pridem nu. 7. De Renunc.

Secundò omne peccatum, quod ipso iure irrogat infamiam etiam peracta pœnitentia impedit execu-
D tionem ordinis cap. Infames §. Porrò 3. q. 7. & notat Glo. in eod. cap. Nisi cum pridem Ver. Sed duntaxat in §. De Renunc. & Abb. ibi num. 7. & ratio est, quia culpa potest quidem tolli per pœnitentiam, sed infamia non aboletur cap. Euphemium §. Hinc colligitur 2. q. 3. At vitium sodomiæ maximam infert infamiam, vt expressè habetur in Authen. Non luxur. §. Quoniam, & docet Archid. in dicto cap. Infames; Igitur propter hoc vitium incurritur suspensio ipso iure.

Tertiò quamuis hæc sententia non possit vllo iuris Pontificij loco apertè confirmari, tenenda tamen est, tum ob tanti criminis grauitatem, tum ob communem plurium & clarissimorum Doctorum auctorita-
E tem ita asserentium, quos superiùs citaui, præter alios, quos refert Couar. vbi supra, vnde Petrus Rebuff. in Tract. de Pacif. possess. num. 208. inquit Sodomitam non posse eligi ad Ecclesiasticum beneficium, nec validam esse beneficij collationem, eidem factam.

Iure antiquo, vt moui super hac suspensione, seu irregularitate solus Romanus Pontifex dispensabat, hodie verò si crimen occultum fuerit, Episcopi possunt dispensare ex decreto Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de Reform. Concilium enim permittit, vt Episcopus super omni irregularitate prouenientem ex crimine occulto, præterquam ex homicidio dispensare valeat.

Tan-

Tanta est igitur huius vitij contra naturam turpitudo, vt probabilissimum sit asserere Clericum hoc nefando scelere, licèt occulto inquinatum eo ipso suspẽsionis censuram contrahere, quamuis hæc suspensio expressis verbis ex aliquo iuris testimonio non desumatur, multa verò de huius criminis detestatione tra duntur à Diuo Tho. 2. 2. q. 154. art. 11. & alijs, quos refert Salse. apud Bernard. Diaz in sua Pract. Canon. cap. 86. in princ. & Maiol. lib. 5. cap. 43. in princ. ex sententia D. Augustini lib. de Adulter. coniug. & habetur, cap. Adulteri 32. q. 7. in quo dicitur, hoc delicti genus omnium criminum grauissimum esse, & memorabile est, quod scribit S. Hieronymus, & Iaco. de Voragine in lib. de Natiu. Domini, quos refert Salsedo vbi supra, quod illa nocte, qua Christus Redemptor noster natus fuit omnes Sodomitæ mortui sunt, & Virgilius, qui, vt fertur, illo vitio laborabat, eadem nocte decessit; immo adeo hoc vitium abominabile est, vt Diabolus postquam hominem ad sic peccãdum induxerit, statim fugit, quasi tam horrendum crimen cernere nequeat, vt scribit alios citans Matth. de Afflict. in Constit. Neapol. lib. 3. Rub. 42. num. 11.

Quod si alicui videatur potius probanda secunda sententia tanquam mitius, vt velit suspensionem ipso facto incurri propter hoc vitium, si crimen publicum sit & notorium, non autem vbi est occultum, non inficior, & est improbabilis sententia.

Quando verò dicendum sit notorium, declaraui Superiori capite. Maiol. in dicto cap. 43. Vers. In quo numero lib. 5. de Irregul. addit duo, quod durius mihi videtur, nimirum suspensionem, & alias Iuris pœnas latas cõtra Sodomitas locum habere etiam, vbi quis attentat & conatur ad committendum hoc crimen, quamuis actuali peccato non delinquat: quia in atrocioribus delictis conatus puniatur æque ac verus effectus, & consummatus, oppositum tamen est probabilius: nam censuræ locum non habent, nisi in delictis consummatis, vt docet Felin. in Tract. De Conatu, de qua re copiosè tractaui in lib. 3. Disp. 2. cap. 2. & lib. 5. Disp. 8. cap. 4. Alterum est, quod si quis hoc crimine fœdatus fuerit, antequam baptizetur, notoria infamia, quamuis omnem infamiam baptismus diluat, non esse tamen promouendum propter memoriam tantæ turpitudinis mentibus fidelium infixam, confirmat testimonio Sozoman. lib. 4. cap. 23. col. 2. Hiscor.

Sed præter suspensionem aliæ plures seuerissimæ pœnæ in tanti criminis detestationem tam iure Ciuili, quàm Canonico latæ sunt, quas prosequitur Salse. apud Bernard. Diaz in sua pract. Cano. cap. 86.

Hoc in loco quæri potest, an pœnæ iure communi contra Sodomitas latæ comprehendant omnes quoque, qui muliebria patiuntur.

Maiol. eod. lib. 5. cap. 44. asserit idem prorsus de ijs, qui muliebria patiuntur, statuendum esse propter participationem delicti, quod iure cautum est de Sodomitis, nam infames efficiuntur, ideo ordinari prohibentur, & susceptos ordines exercere, & quamuis qui muliebria per vim passus sit impetu hostium, & prædonum, non imputetur ei crimen ad pœnam, vt est textus, & ibi Archid. in cap. Infames 3. quæst. 7. argum. tex. in l. vim passam ff. de Adult. & cap. Illæ 32. q. 5. tamen hæc excusatio iuuat eos, ne de iure infames efficiantur, & sic in Iudicio puniantur, sed nihil facit quantum ad ordines, à quibus sola infamia facti excludit, si notoria res sit; & idcirco non decet admittere eum, qui muliebria passus est etiam per vim, ad

A ordines ob scandalum eo in loco, vbi de hoc crimine diffamatus est.

Accessit postremò ad ea, quæ iure communi ad homines ab hoc nefando contra naturam vitio longius retrahendos statuta reperiuntur Bulla Pij Quinti Sãctissimi Põtificis anno 1568. 3. Cal. Septembris edita Pontificatus sui anno tertio, qua decretum est Clericum Sodomitam degradandum esse, & Iudici seculari tradendum, verba Constitutionis sunt: *Omnes, & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos seculares & regulares, cuiuscunque gradus & dignitatis tam dirum nefas exercentes omni priuilegio Clericali, omniq; officio, dignitate & beneficio Ecclesiastico præsentis Canonis auctoritate priuamus, ita quòd per Iudicem Ecclesiasticum degra-*
B *dati potestati statim seculari tradantur.*

Ad hanc Constitutionem Pij Quinti intelligendam primo loco notandum est, pœnas omnes in ea latas locum habere, vbi hoc vitium committitur simpliciter, idest siue sit publicum & notorium, siue occultum si tamen probatum fuerit; nam lex, quæ per se ipsam pœnam infert, factum solum requirit, non aliam notitiam aut famam, nisi ipsamet lex postularet, vt factum esset notorium, sicut habetur in aliquibus locis, quod in hac Bulla non legitur.

Secundò animaduertendum est hanc Bullam comprehendere vniuersaliter omnes Clericos, cuiuscunq. ordinis, status, ac conditionis, quod declarant verba illa: *Omnes & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos*
C *seculares, & regulares cuiuscunque gradus, & dignitatis.* Quare quamuis in cap. Quia periculosum De Sent. Excom. lib. 6. definitum sit sub generali lege imponente pro delicto suspensione, aut interdictum, non includi Episcopos, sub hac tamen Constitutione cõprehenduntur, idque confirmari potest pluribus rationibus, primò, quia illa verba, *cuiusque gradus & dignitatis* possunt aptari Episcopis, secundo & probabilius, quia hæc pœna propriè non est suspensio, sed irregularitas, vel depositio verbalis, vt norat Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 249. Vers. Sextò dico.

Tertio notandum est ad incurrendam pœnam dictæ Constitutionis necessarium esse, vt tale vitium contra naturam sit consummatum, & perfectum in sua
D specie, quare non sufficit quælibet collutio, & immunditia carnalis, nisi intercedat copula intra vas ordinarium illius delicti, quia in illo actu cõsummatur tale delictum, vt tradit D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 11. & lex puniens aliquod crimen, præsertim censuris & pœnis Ecclesiasticis exigit actum completum, & perfectum in illa specie, maximè quando simpliciter & absolutè loquitur de delicto illo, idque fuisse ex mente Summi Pontificis indicant verba illa, quibus explicat turpitudinem huius vitij contra naturam, cum inquit; *Horrendum illud scelus, quo polluta fœdataq. Ciuitates à tremendo Dei iudicio conflagrarunt etc.* Ita sentit
E Nauar. in Manna. cap. 27. num. 250. Vers. Quinto dico, & Salse. apud Bernar. Diaz in Pract. Cano. cap. 86. in fi. facit ad hoc cap. fin. De Sponsa. vbi habetur non consummari copulam nisi intra vas naturale semen effundatur, & cap. Extraordinaria 35. q. 2. quod ait ex tali pollutione non gigni affinitatem.

Sed dubitari potest, an pœnæ huius Constitutionis incurrantur statim à crimen Sodomiæ à Clerico commissum fuerit, etiam si semel tantum, & vnico actu se commaculauerit, vel ad contrahendas illas pœnas requiratur repetitio, & frequentatio illius criminis.

Nauar. in Manua. cap. 27. num. 249. Vers. Tertiò dico,

dico, Maiol. lib. 5. cap. 43. n. 3. de Irregul. censent non esse locum poenis illius Constitutionis, si semel aut iterum vitium illud committatur, sed necessariam esse frequentiam, vsum, seu consuetudinem illius vitij. Probat Nauar. primo quoniam Summus Pontifex vtitur verbo exercentes, ibi: *Tam dirum nefas exercentes.* Sed verbum exercere ex sui propria & vera significatione demonstrat eum, qui ex consuetudine & solito more frequenter ita operatur, non eum, qui semel aut iterum prolabitur in hoc vitium arg. l. Sciendum §. Illud ff. de Aedi. edic. pro testimonio Bart. in proœm. ff. nu. 10. quem sequitur Abb. in cap. 1. nu. 24. de Iudi. asserit non posse appellari artificem aut mercatorem, qui semel aut iterum artem & mercaturam exercet, sed qui toties, vt communi opinione pro tali habeatur. Eodem modo inquit de Clerico committente crimen Sodomiæ sentiendum esse quoad pœnas dictæ Bullæ, vt dicatur illas incurrere, præsertim in foro cõscientiæ; quoties ita hoc nefandum crimen commiserit, vt arbitrio boni viri dici possit illud exercere; Secundo idem probat testimonio Summi Põtificis Gregorij XIII. à quo inquit accepisse de industria illud verbum, *Exercentes*, vsurpatum fuisse, vt comprehenderentur tantum illi, qui ex habitu & praua consuetudine tam execrando vitio operam darent.

Hæc interpretatio Nauar. non approbatur à Salse. apud Bernardinum Diaz in dicto cap. 86. Vers. Vnum tamen, qui censet certissimum esse Clericum, qui vnicum tantum crimen Sodomiæ commiserit, poenis Constitutionis Pij Quinti puniendum esse. Ad hoc asserendum mouetur, Primo quoniam verbum illud *Exercentes*, non videtur ex sua propria significatione necessariò postulare actuum frequentiam & iterationem, & Summi Pontifices in suis Constitutionibus nõ adeo exquisitam & exactam vocabulorum vim & proprietatem attendere solent. Deinde si vnicus lapsus non sufficeret, vt locus esset dictæ poenæ, sed frequentia actuum desideraretur, Summus Põtifex claris verbis id explicasset, nec sub ambigua vnius vocis proprietate rem incertam & dubiam reliquisset, præsertim cum ageretur de pœna grauissima. Tertiò hoc idem confirmari potest alia Constitutione eiusdem Summi Pontificis Pij Quinti anno eius primo edita, in qua hoc leguntur: *Si quis crimen nefandum contra naturã propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauit, Curiæ seculari puniendus tradatur, et si Clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili pœnæ subijciatur.* In hac Constitutione Pius Quintus vsus est verbo *Perpetrauit*, quod in vnico actu verificatur, & tamen agitur de eodem crimine contra naturam, & imponitur pœna grauissima, immo Bulla illa, in qua positum fuit verbum illud, *Exercentes*, posterior & prædicta Constitutione; promulgata enim est anno tertio sui Pontificatus, in qua mens fuit Summi Pontificis non solum confirmare ea omnia, quæ antea statuerat anno primo in alia Constitutione, sed amplificare pœnas contra committentes tale vitium contra naturam, & acrius eosdem coercere, vt patet ex illis verbis *Itaque quod nos in ipso Pontificatus nostri initio de hac re decreuimus, plenius nunc, & fortius prosequi intendẽtes, &c.* Quare nulla ratio persuadere potest, vt supplicium, & pœnæ impositæ aduersus huiusmodi nefandos delinquentes in prima Constitutione moderatæ sint in posteriori Bulla. Postremò addamus committentes hoc crimen etiam semel poena vltimi supplicij afficiendos esse, neque esse expectandam iteratam sępius eiusdem frequentationem, omni enim tempore hoc scelus ita punitum fuisse tradit idem Salsedo eod. cap. 86. Vers. Fuit semper crimen, ergo pariter asserendum est eandem esse rationem aliarum poenarum, nempe locum habere, vbi per actum perfectum & cõpletum tale vitium patratum est, quamuis sæpius repetitum non fuerit; Propter has rationes potius adhæreo huic opinioni, quàm sententiæ Nauar. præsertim si agatur in foro exteriori.

Itaque existimo ad incurrendas poenas illius Constitutionis solùm requiri, vt tale crimen detectum fuerit per sententiam, vt publicè pateat, quod voluit significare Summus Pontifex verbo illo, *Exercentes*, quasi exercitium eius criminis requirat, vt probari possit, & Iudex probato delicto tenetur ad præscriptũ dictæ Constitutionis reum damnare, sed ante sententiam puto reũ occultũ non obligari in conscientia ad exequendum in se ipsum poenas dictæ Bullæ, saltem si non præcessit sententia criminis declaratoria: quia nemo tenetur se ipsum punire poenis exterioribus, & temporalibus, sed prolata sententia, qua declaratus sit quis Sodomita, credo illum in cõscientia teneri ad poenas dictæ Constitutionis. Papa enim potuit ad id obligare, & hanc intẽtionem eius fuisse ex verbis Bullæ apertè colligimus, cum inquit, *Præsentis Canonis auctoritate priuamus*, quibus significatur poena ipso facto incurrenda.

CAPVT IV.

De suspensione, quæ contrahitur per Clericum ob vitium Simoniæ in ordine recipiendo.

SEquitur aliud peccati genus non inferioris turpitudinis, & prauitatis, quàm sint fornicatio, & vitium contra naturam; vnde Goffred. in tit. de Simon. num. 18. reddens rationem, quam ob causam Ius Canonicum fornicationẽ, & Simoniam adeo acriter insequatur. Respondet causam huius rei esse, quia hæc duo vitia, & enormia sunt & communia, atq; vsitata mala, vt de Simonia dicitur in cap. Reperiuntur 1. q. 1. & de fornicatione in cap. Quia tua Sanctitas in fin. dist. 50. & ideo acerbitate poenarum erant homines ab illis retrahendi l. Aut facta §. vlt. ff. de poen. Quare cum extrauag. 2. Pauli II. de Simon in cap. 4. Disp. . . pertractatum sit de suspensione, quæ incurritur ab eo qui ordinatur ab Episcopo Simoniaco, modò disputandum est de suspensione, quam incurrit Clericus, si prolabatur in vitium Simoniæ. Multis autem modis potest Clericus simoniam committere ob diuersitatem rerum, circa quas versatur. Duo verò sunt præcipua genera rerum, in quibus pertractandis, si intercedat simonia, contrahitur suspensio ab ipso iure lata. Aut enim committitur simonia in ordinibus sacris, aut in beneficijs Ecclesiasticis. De vtroque genere simoniæ agendum est quantum pertinet ad suspensionem incurrendam.

In hoc capite tractabitur de suspensione ob simoniam commissam in ordine, in sequenti vero de simonia in beneficio.

Et ante omnia supponendum est simoniam committi, quando ex pacto per modum emptionis & venditionis recipit quis ordinem, aut consequitur beneficium. In hoc enim consistit ratio formalis huius vitij, de qua fusius agitur in materia de simonia. Quare si detur aliquid vel recipiatur non tanquam precium rei, sed ratione eleæmosyna aut stipendij, non dicitur simonia, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 4. Quamobrem

obrem necessarium est, vt formale, aut virtuale pa- A ctum intercedat. Hoc posito fundamento modò de vtraq; specie agamus.

Et primo simonia in ordine potest considerari quo ad tres personas, quæ in ordinum collatione simoniæ labe infici possunt, scilicet ratione conferentis ordines, præsentantis alterum, vt ordinetur, tandem ipsiusmet, qui ordinatur.

Itaq; quoties intercedit pactum dandi aliquid tãquam precium ordinis conferendi ex parte alicuius ex tribus his generibus personarum, committitur simonia. An verò omnes ob huiusmodi crimen efficiantur suspensi ipso iure, quærimus in hoc capite.

Quantum ad eum, qui ordines confert per simoniã, nemo est, qui dubitet; B quia ob tale vitium incurratur suspensio ipso iure, quæ efficit ipsum irregularem, si diuinis se immiscuerit. Probatur id pluribus testimonijs Sacrorum Canonum, nempe ex cap. Præter §. verum, Vers. officium simoniacorum dist. 32. vbi hæc leguntur: *Officium simoniacorum, & in fornicatione iacentium scienter nullo modo recipiatis, & quantum potestis, tales à sanctis ministerijs, vt oportuerit, prohibeatis.* Vbi Glo. Ver. Officium notat occultum etiam simoniacũ in ordine suspensum esse quoad se & quoad alios, & ab eodem non esse recipienda Sacramenta ex cap. Si quis ordinauerit de simon. *Si quis ordinauerit, seu ad ordinem præsentauerit aliquam promissionem vel iuramẽtum ab illo recipiens, quod super promissione sua non inquietet eundem ordinator,* C *à collatione, præsentator verò ab executione ordinum &c. nouerint se suspensos,* ex Extrauag. Pauli Secundi in tit. de simon. vbi confirmantur omnes & singulæ excommunicationis, suspensionis, priuationis, & interdicti sententiæ contra Simoniacos quomodolibet latæ.

Sed dubitant Doctores, an ita conferens ordines per simoniam sit ab omnium ordinum collatione suspensus, vel ne possit conferre illum ordinem tantum, quem per simoniam tradidit. Rursus an debeat manere perpetuò suspensus, donec cum eo dispensetur, vel solùm sit suspensus ad certũ tempus; puta ad triennium. Et hæc difficultas tractatur de propria suspẽsione ob vitium simoniæ, non de illa suspensione, quę oritur ex excommunicatione, & veluti materialiter in D excommunicatione includitur; nam Paulus Secundus in Extrauag. 2. de simon. contra eum, qui confert ordines simoniacè, excommunicationis censuram imponit. Vnde si huiusmodi Collator est excommunicatus, ratione excommunicationis manet suspensus ab omni officio, & beneficio, donec absoluatur à Romano Pontifice, vel ab alio habente facultatem à Sede Apostolica, quia hæc excommunicatio est illi reseruata, at modò non disputamus de excommunicatione, sed de propria suspensione ratione simoniæ.

Abb. in cap. Per tuas, 2. num. 7. de simon. circa hanc difficultatem, an conferens ordinem simoniacè, E sit suspensus, & quomodo, inquit Doctores varios esse, nam Goffred. voluit talem collatorem non esse suspẽsum quoad alios, Innoc. in eod. cap. Per tuas, sentit manere suspensum, sed ad certum tempus, scilicet ad triennium ex cap. penult. de simon. Vnde ex sententia Innoc. inquit Abb. magis punitur recipiens ordines simoniacè, quàm ita conferens, quoniam ordinans suspenditur ad triennium, ordinatus verò, donec dispensationem à Sede Apostolica obtinuerit, vt dicitur in dicto cap. penult. de simon. & potest huius diuersitatis ratio assignari, quia recipiens habet ordinem infectum, quem simoniacè adeptus est, non sic conferens, licèt peccauerit conferendo indignè, quanquam ipsemet Innoc. oppositum videatur sentire in eod. cap. penult. teste Abb. idq; verum esse censet, nimirum conferentem ordinem simoniacè ipso facto suspensum esse ab omnibus ordinibus perpetuò, nisi super tali suspensione dispensatus fuerit.

Hæc opinio Abb. est probabilior, quare illam amplectentes, si loquãtur de collatore, qui simoniacè ordines tradidit, dicendum est huiusmodi Collatorem manere ipso Iure suspensum non tantum à collatione ordinis simoniacè collati, sed simpliciter à collatione ordinum; ita tenet Sylue. Ver. Suspensio §. 7. Probatur primo ex dicto cap. Per tuas 2. de simon. vbi Glo. in Ver. Securè ministret in fi. dicens nõ posse aliquem recipere ordines ab eo, quem scit esse simoniacum: quia talis ordinator non habet executionem, ergo est suspensus simpliciter; Deinde ex cap. Tanta eod. titul. vbi Glo. in Ver. Omnis peccator inquit omnem peccatorem celebrare posse, nõ autem simoniacum, quia simoniacus in ipso sui initio commissionis suspensus est, qui etiam post peractam poenitentiam celebrare nequit, nisi cum eo dispensetur, quod non contingit in alijs criminibus ex cap. Si qui à simoniacis 1. q. 1. Vbi idem plenè tradit Glo. in Ver. Si qui, ex cap. Reperiuntur ead. cau. & quæst. vbi Glo. Ver. Perpetuò ex §. Verùm dist. 32. ait, non posse recipi à simoniaco, quantumuis occulto, neque Sacramenta, nisi Baptismum, & Eucharistiam tempore necessitatis. Tandem clarè probatur ex cap. penult. de simon. Vbi de suscipiente ordinem à simoniaco ita dicitur: *Et ordinatus ab ordine sic suscepto,* scilicet nouerit se suspensum. De ipso verò conferente quòd, *ab executione ordinum*, manet suspensus; Ergo apertè colligimus suspẽsionem ipsius conferentis esse vniuersalem ab omnibus ordinibus, cum diuersimodè loquatur de ipso, & de recipiente ordines; quare hæc pars videtur clara.

De duratione verò huius suspensionis est aliqua difficultas, an sit perpetua, aut ad certum tempus, & oritur dubitatio ex verbis dicti c. penult. de simon. ibi: *Ordinator à collatione, præsentator verò ab executione ordinum per triennium &c.* Dubium enim esse potest, an illa clausula, *per triennium*, referatur ad collatorem, & præsentatorem, an verò sit coniungenda cum Præsentatore tantum, de quo proximè, & immediatè fit mentio. Si enim interpretantur illa verba priori modo, ita vt referentur ad vtramque personam, tunc suspensio Collatoris esset triennalis, si autem posteriori modo, suspensio Collatoris esset absoluta, & sine temporis determinatione; sed prior sensus videtur verior & magis consonus Glosæ & Doctoribus, & colligitur ex ipsamet textura verborum, quæ non determinantur, nisi per illam clausulam, *per triennium.* Quare est communis tam ad Collatorem, quàm ad Præsentatorem; ideo ex hoc textu potius desumi posset suspensionem, quam incurrit Simoniacus Collator, esse temporalem ad triennium, quàm perpetuam.

Nihilominus communis videtur sententia Doctorum Collatorem ordinum simoniacè remanere suspẽsum ipso facto à collatione omnium ordinum perpetuò, nisi dispensatus fuerit à Sede Apostolica, & ad citatum cap. penult. de simon. duplex responsio desumitur, ibi Glo. Ver. Ab executione per triennium iuxta duplicem lectionem tex. vt inquit Abb. nu. 5. Prima est, quòd in eod. cap. penult. non agitur de vera & propria simonia commissa in ordine, ideo fertur suspensio temporalis ad triennium, nullum enim ibi interuenit precium, neque remissio obligationis præexistẽ-

tis,

tis, & ideo non est propriè simonia; & ita tenet Innoc. qui putat ibi non fuisse simoniam commissam in ordine, sed in consecratione ad ordinem, nam ordinator intendebat ordinare nulla re accepta; sed quando committitur vera simonia in ordine, Collator est perpetuò suspēsus à collatione ordinum, & ordinatus etiam non tantum remanet suspensus ab ordine simoniacè accepto, sicut dicitur in dicto cap. penult. sed etiam ab aliis, cap. Reperiuntur 1. q. 1. & notat Abb. in dicto cap. Per tuas 2. num. 5. de simon. Secunda responsio est, quòd cap. penult. sit intelligendum, quando crimen est occultum, tunc enim incurritur suspensio tantummodo ad tres annos, secus est, si crimen sit manifestum, quo casu collator semper esset suspensus, & ita tenet Host. & Innoc. quamuis postea mutauerit sententiam, & Archid. §. Verum dist. 32. Prima tamen responsio magis placet Abb. quia reuera ordinator in casu dicti cap. penult. non recusabat ordinem conferre, quia intenderet turpe lucrum consequi, sed potius, quia voluit se indemnem conseruare, ideo suspenditur ad tres annos; Sed vbi committitur vera & propria simonia in ordine, Collator efficitur perpetuo suspēsus, nisi absolutionem impetrauerit. Idque probari potest ex cap. Si quis Episcopus 1. q. 1. *Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & sub precio redigerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinationemq; per pecuniam Episcopum, Choepiscopum, Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet de his, qui connumerantur in Clero, &c. pro sua turpissimi lucri commodo, is qui hoc attentasse probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebat, &c.* Ita sentit ibi Turrecrem. Præpositus in cap. Statuimus, 1. q. 1. D. Tho. in 4. sent. dist. 25. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 3. Speculat. in tit. de Dispensat. §. Iuxta Vers. Item Simoniacus, Sylue. Ver. Suspensio. §. 7. Nauar. in Manna. cap. 23. 111. Vers. Ad decimum quartum, Simon Maiol. lib. 5. de Irregul. cap. 45. num. 1. Bernard. Diax in pract. Cano. cap. 91. & apud eum Salsedo, Couar. in Clement. Si furiosus par. 1. §. 1. n. 7. Idem affirmant omnes alij, & reuera grauitas huius criminis in collatione ordinis est æquali pœna coercenda, sicut in receptione, neque vlla ratio oppositum persuadere potest; quare si recipiens simoniacè est perpetuo suspensus, erit quoque conferēs: quilibet enim simoniacus est infamis & reus læsæ Maiestatis, vnde rectè inquit Maiol. dicto cap. 45. n. 1. citans Palladium Episcopum Henepolitan. in vita S. Io. Chrisostomi, & habetur apud Lypoman. in vitis Sanctorum Tom. 2. in vita S. Io. Chrisostomi num. 39. Quisquis simoniæ delictum ausus est committere, præsertim in ordine, facile creditur omnia crimina perpetraturus.

Et licet talis simoniacus in collatione ordinis tentans exequi ordinem grauiter peccaret, nouam tamē irregularitatem non incurrebat, vt tradit Specul. in tit. de Dispensatione §. Iuxta, Vers. Quod autem dixi de excommunicato. Verùm Iure nouo, Extrau. Pauli Secundi, cum detestabile de Simon. cum simoniacus sit ipso facto excommunicatus, sequitur, vt administrando ordinem nouam incurrat irregularitatem, sicut alij omnes excommunicati administrantes; quare erit tunc suspensus, seu irregularis quia simoniacus atq; etiam ob violatam censuram administrādo.

Hac suspēsione potissimum obstringuntur Episcopi, si ita simoniace ordines conferant, licet in Iuribus citatis non exprimantur nomina Episcoporum expresse, sufficit enim, vt nominentur sub ratione Collatorum ordinum; Ad Episcopos enim propriè ex officio pertinet conferre ordines, quare satis nominātur, si designantur ex proprio officio. Quòd si nonnulli Abbates ordines conferant, eis hæc potestas ex priuilegio competit, qui tamen si simoniacè illos conferāt, & suspensionem, & alias Iuris pœnas similiter incurrunt, nam Canones generaliter loquuntur de conferentibus ordines modo prædicto; & de persona conferentis ordines hæc sufficiant.

Alia persona erit Præsentans aliquem ad ordinem, qui si in hoc actu committit simoniam, similiter efficitur suspensus, vt clarè patet ex eod. cap. penul. de simon. *Si quis ordinauerit, seu ad ordinem præsentauerit aliquem*, & postea, *Collator à collatione, Præsentator verò ab executione ordinum per triennium*. Et hæc suspensio est absoluta ab omnibus ordinibus, vt verba significant, sicut diximus de Conferente simoniacè. Dubitant Doctores, an sit perpetua suspēsio, an vero triennalis, vt textus indicat, & aliqui affirmant in simonia publica suspensionem esse perpetuam, in occulta triennalem, sicut loquitur dictum cap. pen. & idem dicunt de Collatore. Sed vt notat Abb. vbi supra, potius asserendum est suspensionem triennalem incurri, vbi nō est commissa propria simonia, sicut in casu cap. penult. Sed quando interuenit propria simonia Præsentatorē remanere perpetuo suspēsum, sicut dictū est de Collatore, quod consonum videtur ijs, quæ habentur sub nomine mediatoris in c. Si quis Episcopus in fi. 1. q. 1. *Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis vel receptis extiterit, & ipse siquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat, si verò Laicus, aut Monachus anathematizetur*, vbi imponitur poena simpliciter absque vlla temporis determinatione, quamuis Turrecrem. intelligat hanc pœnam de depositione, & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. vlt. sed nomen depositionis interdum latius sumitur pro suspensione, alij autem alio modo distinguunt de publico & occolto simoniaco, vt censeant occultum simoniacum in hoc casu præsentationis ad ordines manere suspensum quoad se tantum, non quoad alios, publicum verò esse suspensum vtroque modo, & quoad se & quoad alios. Ita videtur sentire S. Tho. in dicto art. vlt. ad 1. & 2. & Turrecrem. in dicto cap. Si quis Episcopus 1. q. 1. Sed simoniacus siue occultus, siue publicus incurrit poenam suspensionis: quia in dicto cap. penult. de Simon. absque vlla distinctione suspenduntur Collatores & Præsentatores ad ordines per simoniam, & vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, nisi fortè dicatur à Doctoribus occultus Præsentator per simoniam suspensus quoad se tantum, non quoad alios, vel quia nō tenetur euitare alios se prodendo & declarando simoniacum, vel quia alij non obligentur ad ipsum euitandum, vel omnino si eius simoniam ignorent; vel publicè si nouerint illum simoniacum occultum iuxta dispositionem Iuris antiqui, sed hodie ex priuil. extran. Ad euitanda, occultus simoniacus ante denunciationem nullo modo esset euitandus.

Tertio loco sequitur, vt de suspensione illius, qui ordines suscipit per simoniam agamus. Certum est ordinatum simoniace suspensionem ab executione ordinum incurrere, in hac enim conclusione conueniūt tam Theologi, quàm Canonistæ. In primis B. Tho. 2. 2. q. 100. art. vlt. ad primum dicens recipientem ordinem simoniace, recipere quidem Characterem ordinis propter efficaciam Sacramenti, non consequi tamen gratiam, neque ordinis executionem, & ideo ipso iure esse sospensum, & quoad se, vt ad executionem sui ordinis se intromittere nequeat, & quoad alios, vt nullus ei communicare debeat in ordinis executione,

siue

Suspensio §. 7. Abb. in cap. Per tuas 2. nu. 5. de simon. vbi inquit simoniacum in ordine recipiendo esse suspensum ab executione ordinum, & ex consequenti ab administratione temporali suorum beneficiorum. Idem Abb. in cap. Tanta, numero quinto, & in cap. penult. numero 5. de Simon. & in cap. Nisi numero 7. de Renunc. Innocen. in cap. Tanta numero 1. in cap. Per tuas 2. num. 3. & in capit. penult. de simon. Nauar. in Manua. cap. 23. nu. 111. Vers. Ad decimum quartum, Cooar. in Clem. Si furiosus de Homic. par. 1. §. 1. numero 7. qui plures citat in eandem sententiam, Maiol. lib. 5. cap. 45. num. 1. de Irregul. Bernar. Diaz in Pract. Cano. cap. 91.

Probant hanc conclusionem ex pluribus locis Sacrorum Canonum, ex cap. Præter §. Verùm distinction. 32. cap. Reperiuntur 1. quæst. 1. cap. Eos, dist. 81. cap. Tanta, cap. Per tuas, 2. & 3. cap. penultim. de simon.

Controuertitur tamen de hac suspensione, cuius conditionis, & qualitatis sit, idest an ordinatus simoniacè sit suspensus ab executione omnium ordinum, an verò tantum ab ordine ita suscepto, D. Thom. vbi supra videtur sentire hanc suspensionem ordinati simoniacè interpretandam esse ab executione ordinis ita suscepti, & hæc opinio probari potest ex capit. Per tuas 3. de simon. vbi de quodam, qui simoniacè Subdiaconus ordinatus fuerit, dicitur: *Quòd nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad Superiores ascendere, nec in suscepto debet ordine ministrare.* Non prohibetur igitur executio omnium ordinum, sed tantum ordinis simoniacè suscepti. Clarius idem confirmari potest ex cap. penul. eod. tit. vbi præsentans aliquem simoniacè ad ordines declaratur suspensus indefinitè, & absolutè ab executione ordinum, ipse verò ordinatus dicitur suspensus ab ordine sic suscepto. Diuersimode igitur loquitur textus de Præsentante & de ordinato.

Communior verò est contraria opinio, vt sic ordinatus incurratur suspensionem absolutam omnium ordinum, quos habet, non tantum ordinis simoniacè suscepit. Ita expressè sentit Innocent. in cap. Tanta, numero primo, de simonia, dicens simoniacum in ordine suscipiendo, siue crimen sit occultum, siue manifestum, incurrere ipso iure suspensionem omnium ordinum, non tantum ordinis simoniacè suscepti, Abb. in cap. De simoniacè, numero quinto, de simo. inquit ordinatum scienter simoniacè non solum esse suspensum ab ordine simoniacè recepto, sed etiam ab omnibus ordinibus, quòd si simonia fuit commissa eo ignorante, putat ex sententia Innocent. eo casu non esse suspensum ab omnibus ordinibus, sed solum ab ordine simoniacè recepto, & alios ordines legitimè receptos exequi posse, & beneficia retinere, & alia de nouo consequi. Reddit rationem, quia talis non est simoniacus, sed non potest promoueri ad superiores ordines, nisi dispensatio in ordine simoniacè recepto sequatur, alias videretur per saltum promotus. Idem confirmat in cap. Per tuas 2. numero quinto, eodem tit. & in cap. penult. numero 5. Sylue. Ver. Suspensio. §. 7. in princip. Nauar. in Manua. cap. 23. numero 111. Vers. Ad decimum quartum, Host. in Sum. in tit. de simon. §. qua pœna, nume. 3. Couar. in Clem. Si furiosus par. 1. §. 1. n. 7. de Homic. Archid. in cap. Ordinationes 1. q. 1. Bernard. Diaz in Pract. Cano. cap. 91. vltra med. Vers. Item nota, Turrecrem. in cap. Ordinationes nu. 17. 1. q. 1.

Probant hanc sententiam præcipuè ex capit. Repe- A riuntur 1. quæst. 1. ibi: *Decernentes omnino, vt quicunq; deinceps propter accipiendam Sacerdotij dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Christi corporis & sanguinis alienum, &c.* & Turrecrem. explicat per anathema non intelligi excommunicationem, sed suspensionem ab officio, & separationem à corpore & sanguine Christi; & idem videtur notare Glosa in Ver. Anathematis, quare simoniacus est suspensus simpliciter ab executione omnium ordinum ipso iure, & si de crimine quouis modo Iudici constiterit per inquisitionem vel denunciationem, punitur etiam depositione & infamia, vt habetur in eodem cap. Reperiuntur, & ibi notat Tur- B recrem.

Sed ex noua Constitutione Pauli Secundi in Extrauag. 2. de simonia inter communes difficultas omnis sublata est, nam Paulus Secundus apertè declarauit Clericum simoniacè ordinatum suspensum esse ab executione omnium suorum ordinum his verbis; *Apostolica auctoritate declaramus, vt omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.* Et similis Constitutio Martini sub eisdem ferè verbis habetur in Concil. Constantiensi sess. 43. & circa hanc extrauag. Pauli Secundi nonnulla notat Salsc. apud Bernard. Diaz in Pract. Cano. dicto cap. 91. præsertim quòd pœnæ dictæ Extrauag. non incurrantur ex sola simonia mentali, sed tantum C ex reali, & completa. Quare si quis dederit aliquid pro ordine, sed ordinem minimè receperit, non incurrit pœnas, Nauar. in Manua. cap. 23. num. 102. quare ad incurrendas has pœnas, necesse est, vt ad opus dandi temporale, & recipiendi ordinem peruentum sit. Deinde notat prædictam pœnam hodie incurri, si aliquid detur pro collatione quorumcunque ordinum etiam clericalis tõsuræ, aut pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, vel pro sigillo, vel alia quacunque de causa Episcopi, & alij ordinum Collatores, aut eorum ministri etiam sponte oblatum recipiant iuxta dispositionem Concilij Trident. sess. 21. cap. 1. de Reform. Tertio animaduertit, vt sit locus pœnæ prædictæ Constitutionis, opus esse, vt datio rei temporalis præcedat collationem ordinum, neque sufficeret, si seque- D retur, argum. Glo. in cap. Emendari 1. q. 1. & tradit Nauar. in Manua. cap. 25. num. 68. Hæc de suspensione ob simoniacam ordinum receptionem.

CAPVT V.

De suspensione ob simoniam commissam.

Nullus Simoniacus, præterquam in ordine & beneficio, incurrit ipso Iure censuras, vt notat Sylue. in Sum. Ver. Simonia §. 19. & Salsc. apud Bernard. Diaz in Pract. Cano. cap. 91. Vers. Tertiò quod nullus. E Quare cum de simonia commissa in ordine pertractatum sit in cap. præcedenti, sequitur, vt loquamur in hoc capite de simonia in collatione beneficij.

Quæritur igitur de suspensione, quæ incurritur ob simoniacam beneficij collationem, D. Tho. 2. 2. quæst. 100. art. vlt. in resp. ad primum tenet simoniacum tam dando, quàm recipiendo beneficium, vel tanquam mediatorem, si crimen sit occultum, esse ipso iure suspensum quoad se, & quoad alios, sed si sit occultum esse suspensum ipso iure quoad se tantum, non quoad alios. Sed non declarat, qualis sit hæc suspensio, an ab ordinibus, vel à beneficio, sequitur Do-

Dominic. Sot. libro nono, de Iust. & Iure, quæstione A octaua, artic. 1. ad prim. qui ex hac sententia D. Thom. notat differentiam, quæ ex hac parte intercedit inter Collationem beneficiorum simoniacum, & Collationem ordinum eodem modo factam, nimirum quòd in collatione beneficiorum nec dans nec recipiens, quando delictum est occultum, est suspensus quoad alios, sed tantum quoad se in collatione autem ordinum, licèt conferens, si crimen sit occultum, non sit suspensus nisi quoad se. Tamen recipiens existente crimine occulto vtroq; modo est suspensus, idest quoad se & quoad alios, & citat in hanc sententiam Abb. in cap. Tanta, de simon. Syluest. Ver. Suspensio §. 7. Vers. Secundum qui beneficium, quòd recipiens beneficium simoniacè, si est occultus, est suspensus quoad B se tantum, idem si non constat per sententiam, aut per facti euidentiam sine vlla tergiuersatione, sed est suspendendus quoad alios, vnde si renunciat beneficio taliter acquisito potest vti ordine suo post pœnitentiam, & alijs beneficijs licitè acquisitis, non autem beneficio, in quo simonia commissa est. Si verò simonia est manifesta, suspensus est ipso iure quoad se & quoad alios, & quamuis beneficio renunciet, indiget dispensatione, sed Episcopus dispensare potest, nisi sit ille Episcopus, cum quo simonia commissa est, si tamen ipse hoc ignorauit, non est suspensus, nisi à beneficio sic suscepto. Secundò respondet Sylue. ex aliorum opinione, quod magis approbare videtur, quòd suspensio incurratur quoad se & quoad alios in C collatione beneficij simplicis, si simonia sit manifesta, & etiam suspensio ab administratione temporalium. In beneficio verò habente curam animarum, vel in dignitate incurri suspensionem, etiam si simonia sit occulta, sicut de recipiente ordinem simoniacè, qui est suspensus ab omnibus ordinibus & ab administratione temporali, & solus Papa dispensat. Sed contra hoc dictum obijcit Sylue. cap. Ex tuæ, de simon. vbi statuitur non esse compellendum simoniacum in ordine occultum, vt abstineat ab officio eius, Respondet hoc ideo dici, quia ibi non poterat probari simonia, ille tamen, qui commiserat simoniam, tenebatur abstinere, vt ibi innuit Glo. quæ ita distinctè D desumpsit ex Abb. in cap. Tanta num. 5. de simon. & in cap. Accusatum num. 4. eod. tit.

Hæc sententia, licèt ambigua videri posset, si Iuris antiquioris dispositionem tantum inspiceremus, tamen hodie post Extrau. Pauli Secundi de simo. sublata est omnis difficultas, vt inquit Couar. in Clem. Si furiosus par. 1. §. 1. num. 7. de Homic. Paulus enim Secundus inflixit excommunicationem ipso iure aduersus simoniacum in beneficio acquirendo, ex consequenti irregularitatem incurrit, si in ordinibus ministrauerit, quæ à solo Papa deleri potest.

Sed tota dubitatio est, si loquamur de censura suspensionis secundum se seclusa excommunicatione, nam iure antiquo ante Constitutionem Pauli Secundi, & Martini Quinti simoniacus non erat ipso iure E excommunicatus, vt dicit Salsedo ex sententia Sylue. apud Bernardinum Diaz in pract. Canon. capit. 91. Vers. Tertiò quòd nullus, quare si de sola suspensione tractemus, vnum colligi potest certum ex his, quæ modò attulimus ex communi consensu Doctorum, occultum simoniacum in beneficio acquirendo non incurrere ipso iure veram suspensionis censuram, quamuis enim omnes affirment talem esse suspensum quoad se, non tamen intelligunt de vera censura suspensionis, sed de impedimento, quod secum affert quodlibet peccatum mortale, & idem debet intelligi de suspensione à ministerio ordinum, non à collatione beneficiorum: quia peccatum mortale non impedit, vt non possit conferri beneficium absque nouo peccato, sient & alij actus iurisdictionis, maximè vbi peccatum est occultum. Eodem modo explicat Abb. in cap. Accusatum, numero quarto, in fin. de simon. dicens simoniacum occultum in beneficio suspensum esse quoad se, non quoad alios, sicut quilibet peccator, idest ipse pecc it celebrando, sed alij non peccant ipsum audiendo, Glo. in fi. in eod. cap. Accusatum. Illa enim depositio, de qua ibi est sermo, non videtur propriè, & in rigore intelligi posse, nisi pro suspensione: quia in vera & propria depositione, nunquam potest Episcopus dispensare, cum rarò ipse Summus Pontifex dispensare consueuerit. Sed dubium esse potest, quando crimen simoniæ est publicum, & notorium, verum in tali casu incurratur suspensio ipso iure, Abb. in dicto capitulo Accusatum, numero 4. videtur innuere talem simoniacum esse suspensum ab vtroque, primùm ab ordine, quia non potest exequi ordinis actum, etiam si renunciet beneficio, sed eget dispensatione, sicut quilibet notorius criminosus, ex cap. fin. de Temp. ordin. quæ dispensatio concedi potest per Episcopum, dummodo non sit ille, cum quo commissa fuit simonia. Deinde talis simoniacus suspensus erit à beneficio; nam Abb. proponit dubium de eo, qui accepit beneficium per simoniam ipso ignorante; quia Pater vel alius pecuniam dederit inscio eo, qui beneficium obtinuerit, & respondet in hoc casu non incurrere suspensionem, sed post habitam notitiam simoniæ obligatum esse dimittere beneficium, ergo eo sciente suspensioni locus erat; idem inquit in cap. Tanta num. 5. eod. tit.

Ad hanc dubitationem ita censerem probabiliter respondendum esse. Primò dicerem publicum simoniacum in beneficio suscipiendo esse ipso iure suspensum ab ordine quoad se, & quoad alios, itaut etiam post peractam pœnitentiam sine dispensatione celebrare nequeat. Quam conclusionem probant iura citata, & Glo. in cap. fin. Ver. Proposito de cohab. Cleri. & Mulie. & id non accidit, quia peccatum sit notorium. Nam regulariter pro nullo peccato notorio Clericus est suspensus quoad alios, nam talis euitandus non est, quamdiu ab Ecclesia præcisus non fuerit, vt inquit Abb. in eod. cap. fin. numero tertio, & pluribus iuris auctoritatibus probat, sed huiusmodi simoniacus idcirco est suspensus, quia est reus criminis simoniæ in specie. Nam vt inquit Glo. in eodem cap. fin. Ver. Proposito, est peculiare in crimine fornicationis, & simoniæ, vt propter illa incurratur suspensio ipso iure. Hoc confirmari potest ex cap. 1. prima quæst. 3. Vbi de eo, qui dat pecuniam, vel recipit pro beneficio Ecclesiastico, ita habetur: *Iuste enim vterque corrigendus est, & à Sanctæ liminibus Ecclesiæ submouendus, & qui pro Ecclesia ambitu munera clargitur, & qui vt Ecclesiam adeat, quicquam præsumit accipere*; idem repetitur in c. 2. Secundò si loquamur de suspensione à beneficio, is qui beneficium consecutus est per simoniam, suspensus est ab huiusmodi beneficio, vel potius nullum acquisiuit ius in tali beneficio: quia collatio, & prouisio fuit nulla & irrita, vt habetur in citatis constitutionibus Pauli Secundi inter Extrauag. de Simon. & Martini Quinti in Concilio Constantiensi, & ex consequenti fructus talis beneficij non facit suos, sed tenetur eos in conscientia restituere vt ibi statuitur, & notat Caiet. in Sum.

Sum. Ver. Excommunicatio cap. 72. id non solum locum habere in beneficijs, qui habent annexos fructus & redditus, sed in omnibus etiam prælationibus Ecclesiasticis, quibus nulla sunt annexa beneficia, aut fructus, quales sunt dignitates, & prælationes in Religionibus, qui enim illas consequitur per simoniam, remanet non tantum suspensus à dignitate adepta, sed omnino ea priuatus; nam huiusmodi electiones declarantur irritæ, & nullæ à dictis Summis Pontificibus, immo etiam si per ignorantiam probabilem Simoniæ commissæ per mediatorem consequatur quis beneficium, habita notitia simoniæ, non potest beneficium retinere, sed tenetur illud dimittere, vt dicitur in cap. Sicut tuis de simonia, dummodo qui obtinuit beneficium non solum consensum minimè præstiterit, sed etiam antea aliquam habens notitiam de simonia committenda, expressè contradixerit.

Tertiò dico, si quæritur de alijs beneficijs, quæ licitè quis adeptus est vel ante, vel post simoniam commissam, valde probabile est huiusmodi simoniacum suspensum esse etiam ab illis beneficijs non solum ratione excommunicationis, quam incurrit iuxta extrauag. Pauli Secundi, hoc enim caret omni difficultate, quia excommunicatus non potest percipere fructus beneficij, sed præcisè ratione suspensionis iure antiquo impositæ.

Probatur primo quoniam sicut qui commisit simoniam in receptione ordinis suspensus est non solùm ab ordine simoniacè recepto, sed ab omnibus ordinibus. vt superius demonstrauimus, ita quoque dicendum videtur de suspensione à beneficio, vt illa intelligenda sit non tantum de beneficio per simoniam recepto, sed de omnibus beneficijs.

Secundò committens simoniam in beneficio consequendo, dicitur suspensus à beneficio, vt omnes fatentur, ergo ab omnibus beneficijs: quia suspensio lata simpliciter à beneficio intelligitur de omnibus, vt suo loco probatum est; & ita sentiunt Syluest. Ver. Suspensio §. 7. Angelus Ver. Simonia, 6. Abb. in capitulo Tanta, numero quinto, & in cap. Per tuas 2. numero 5.

Non est tamen improbabile, si dicamus iuxta aliam sententiam simoniacum in receptione vnius beneficij manere solum suspensum ab illo, non ab alijs licitè receptis, & non videtur eadem ratio de suspensione ab ordine cum ea, quæ est à beneficio. Idcirco enim recipiens vnum ordinem simoniacè suspenditur ab omnibus ordinibus; quia cum omnes ordines constituant vnicum Sacramentum ordinis, qui committit simoniam in vno, inficit totum Sacramentum, ex consequenti remanet suspensus ab executione omnium ordinum, vt probat Abb. in cap. Per tuas, 2. numero 5. de simon. Sed hæc ratio non habet locum in beneficio; quia vnum beneficium non dependet ab alio, nec ad illud relationem habet, & idcirco conuenienter potest esse suspensus à beneficio, quod per simoniam consecutus est, quamuis non sit suspensus ab alijs licitè receptis.

CAPVT VI.

De nonnullis alijs criminibus, quorum causa Clerici suspensionis censura innodati remanent.

Qvædam alia sunt delicta, quæ si à Clericis committantur, reddunt ipsos delinquentes eo ipso suspensos. In primis Clerici, qui sponte iuramentum præstant de retinendo schismate, à sacris ordinibus, & dignitate suspenduntur ex cap. 1. de Schism. *Illos verò, qui sponte iuramentum de tenendo schismate præstiterint, à sacris ordinibus, & dignitatibus decernimus remanere suspensos*. De hac suspensione nihil aliud occurrit notandum, nisi quod ad incurrendam hanc suspensionem non sufficit tantum Schismati adhærere, & illud tenere, nisi duæ conditiones accesserint. Prima est, vt præstetur iuramentum de Schismate tenendo, secunda vt id sponte fiat, hoc est non ignoranter, neque ex timore, vel ex alia simili causa, & vtraque conditio expressè desumitur ex prædictis verbis textus.

Secundus casus, in quo ex sententia aliquorum incurritur suspensio ipso iure, est, si Clericus prouocat alium ad duellum, vel acceptat ob huiusmodi delictum, Sylue. Ver. Suspensio, §. 6. Vers. Vndecimò suspensus est, Angel. eod. Ver. 1. casu vndecimo, Tabien. Ver. eod. Vers. Sexto casu. 10. asserunt Clericum manere ipso iure suspensum, posse tamen cum eo dispensare Episcopum, si mors aut mutilatio non sit secuta; & probant ex cap. 1. de Cleri. pugnan. in duello, verba textus sunt: *Porrò si Clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatum susceperit, siue victor, siue victus fuerit, de rigore iuris est merito deponendus &c.*

Verùm Nauar. in Manua. cap. 22. numero 156. Vers. Quarta quæ est, tenet contra Sylue. & Tabien. ex dicto cap. 1. non posse desumi hanc suspensionem in iris: quia ibi dicitur talem Clericum deponendum esse solùm, ergo designatur poena per Iudicem imponēda, quamuis nomine depositionis intelligeretur suspensio, & ita tenet Henriq. lib. 1. de excom. & suspen. cap. 39. §. 3. & hæc opinio mihi videtur probabilior, quia verba textus videntur clara, vt non admittant aliam interpretationem. Quare iure antiquo Clericus, qui sponte ad duellum prouocabat, vel illud acceptabat, erat suspendendus à Superiore, & poterat etiam super hac pœna Episcopus dispensare, vt in tex. habetur, nisi ex ipso duello homicidium, vel membri mutilatio secuta fuerit; nam tunc oritur irregularitas, in qua solus Papa dispensat, vnde fit, hanc suspensionem seu depositionem imponendam non fore ex vi illius cap. 1. propter solam prouocationem seu acceptationem duelli, nisi deuentum sit ad realem pugnam; idq; manifestè patet ex illis verbis, *siue victor, siue victus fuerit*.

Hæc verò locum habent ex dispositione Iuris antiqui; nam hoc tempore post Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reform. huiusmodi Clerici pugnantes in duello excommunicationis gladio feriuntur, & hac ratione ab officio & beneficio remanent suspensi; & pœnæ in Concilio latæ incurruntur etiam ob duellum priuatum, idest vbi inter duos priuatim offertur sponte pugna aut singulare certamen; neque requiritur, vt publicè fiat, vt censuit Sacra Congregatio Cardinalium super Concilia.

Hoc Concilij decretū interpretandum est de duello illicito, quoniam qui iustum duellum ingreditur, non peccat, & ex consequenti non est dignus pœna, quale

A quale est illud, cui per sententiam iniustam vita aut membrum eripiendum est, nisi cum accusatore id singulare certamen descendat, vel vbi Rex aut Dux, qui videns se fouere iustitiam, esse tamen inferiorem viribus aduersario, duellum eligit ad dirimenda dissidia iuxta sententiam Caietani 2.2.q. 95. art.8. ad 3.& ita sentit Nauar. in Manua. cap. 11. num.39. & cap. 15. num.9. Hentiq. lib.13. de excom.& suspens. c.39.§.3.

Animaduertit queq; Salsedo apud Bernardinum Diaz cap. 100. Vers. Circa verò caput nostrum poenas statutas à Concilio contra duellantes non habere locum in quibuscunque singularibus certaminibus etiam illicitis, nam si duo prouocent se ad duellum, etiam si percussio, vel mors cõtigerit, dummodo duel- B li forma non seruetur, non incurrũt dictas pęnas, nempe si certus locus præfixus non fuerit, armorum genus præfixum, patrini, & spectatores deputati, & alia intercesserint, quæ in his impijs spectaculis ex Diaboli suggestione introductis adhiberi consuetum est. Cũ Constitutio enim Concilij sit pœnalis, & loquatur expresè de duellis, non est extendenda ad alias pugnas, idque colligit ex ipsomet Concilio, vbi tractatur de duello cum ijs solennitatibus, & conditionibus, quas antiquitus ex more communi adiunctas habere solebat. Vnde pœnam infligit contra locorum Dominos, si duella permiserint, item contra patrinos, quorum ope tam immane scelus perpetratur. Tandem contra eos, qui in causa duelli tam in iure, quàm in fa- C cto consilium præstiterint.

Hæc annotatio, quam ponit Salsedo, videtur mihi satis probabilis, & declarationi Sacræ Congregationis Illustrissimorum Cardinalium consentanea, si respiciamus solummodo Ius antiquum, vel etiam decretum Concilij Tridentini, cum eis verba valde consona videantur. Verùm attendamus alias Constitutiones Summorum Pontificum post ipsum Concilium, & præsertim Bullam Clementis Octaui, cuius initium est: Illius vices, anno 1592. 16. Cal. Septembris edita, prædictæ pœnæ Concilij afficiunt omnes prætendentes vel suscipientes duellum, quamuis non seruentur omnes solennitates, & cæremoniæ, quæ ex communi consuetudine adhiberi consueuerunt, & ab excom- D municatione ob huiusmodi crimen, solus Papa dispensat.

Tertium genus delicti, propter quod incurritur suspensio, est crimẽ raptus mulierũ, quod omnibus legibus seuerè quasi capitale delictũ semper punctũ fuit, & propterea suspensione & irregularitate raptor huiusmodi afficitur, cuius pœnæ nonnullas affert rationes Maiol. lib. 5. cap.42. de Irregul. Prima est, quia Raptores publica pœnitentia coercẽtur cap. Raptor, & cap. Statutum 27. quæst. 2. Quare sicut cæteri publicè pœnitentes non solum ad altiores ordines ascẽdere prohibentur, sed à susceptis abstinere, cap. Maritum distin. 33. Secunda quia Raptores infames sunt cap. Consanguineorum 3. quæst.4. & quæst.5. c. Con- E stituimus.

Raptor mulieris Iure ciuili capite plectebatur, & eius bona Raptæ applicabantur, si mulier honesta erat, secus si meretrix, l. vni. in princ. C. de Rap. Virg. & l. verum ff. de fur. Iure Canonico Raptor efficitur seruus raptæ, nisi velit se redimere, cap. De Raptoribus 36.q. 1. Item excommunicantur cum fautoribus & dantibus auxilium cap. 1. & cap. De puellis 36. q. 2. tradit Goffred. in Summa tit. De Rapto. num. 7. & sequen.

Clericus verò, qui mulierem rapuerit, vel auxiliũ, consilium, aut fauorem præstiterit, proprio gradu deijcitur, ita expresè statutum est in Concilio Calcedoniensi cap. 27. & refertur dicto cap. 1. 36. quæst. 2. his verbis, *Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, aut cooperantes, aut conniuentes raptoribus decreuit sancta Synodus, vt si quidem Clerici sunt, decidant proprio gradu, si verò Laici, anathematizentur*. Idem repetitur in c. De Puellis ead. cau. & quæst. & alibi. Quod tandem innouatum & confirmatum fuit à Concilio Trident. sess. 24. cap. 6. in fi. de Reform. matrimon. & licèt verba illa: *Si quidem Clerici sunt, decidant proprio gradu*, quæ repetuntur etiam à Concilio Tridentino, significare possint depositionem, & suspensionem, tamen hoc in loco potius suspensionem, quàm depositionem indicant, quia depositio non incurritur ipso iure, pœna autem hæc, de qua agitur in dicto cap. 1. & in Conc. Trid. ipso iure contrahitur, sic enim loquitur Concilium: *Raptor ac omnes illi auxilium, consilium, & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati &c.* Et quamuis dubitari possit, an clausula illa, *Ipso iure*, sit continuanda cum verbo immediatè sequenti, idest, *excommunicati*, aut cum alijs, quæ postea adduntur, scilicet, *Perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant*, tamen dicendum est iuxta propriam significationem clausulam illam repetendam esse quoad omnes poenas, ibi enumeratas, nam clausula in principio posita refertur ad omnia sequentia sub eadem sermonis textura, nisi appareat aliqua ratio diuersitatis.

Notat Salsedo apud Bernardinum Diaz in pract. Canon. cap.78. Vers. Clemens autem, hac pœna eiectionis ex proprio gradu cohiberi Clericum tunc solum, quando rapuerit mulierem causa ineundi matrimonij cum aliquo, vel auxilium, consilium, aut fauorem ad id præstiterit, si verò ob non matrimonium contrahendum, sed alia causa ductus rapuerit, poena illa non illaqueatur, sed plectendus erit alia poena pro modo culpæ. Quæ explicatio confirmari potest, primò ex cap. 1. & cap. De Puellis 36.q. 2. vbi puniuntur raptores, *Qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi*, scilicet coniugali vinculo, secundo ex initio illius cap 6. Conc. Tridentin. quod loquitur de matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam, & deinde subijcit poenas aduersus transgressores, dicens, *Et nihilominus raptor ipse & omnes*, igitur poenæ referuntur ad eum raptorem, de quo in principio verba fecerat. Tandem tertiò addi potest, quòd cap. illud tex. Concilij collocatur sub titulo de Reform. & Matrimo. ergo ad hunc finem interpretandum est, quod in eo continetur, vnde ob eandem rationem dicendum erit Laicos minimè incidere in excommunicationem ipso iure ibi impositam, nisi raptus matrimonij causa fuerit perpetratus.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

DE SVSPENSIONIBVS QVAS INCVRRVNT IPSO IVRE EPISCOPI, Et alij Prælati, & Ecclesiarum Capitula.



POstquam de suspensionibus Clericorum inferiorum egimus, quibus innodantur, si committant quædam crimina à sacris Canonibus damnata, modò de suspensionibus latis in Episcopos, & alios Prælatos, atq; Ecclesiarum Capitula pertractandum est. A Qua in re illud primò notandum est, quod superius sæpe monui, Episcopos & Prælatos Superiores nunquam incurrere ipso iure suspensionem ratione cuiusuis generalis Constitutionis, sententiæ, aut mandati, nisi eorum specialis & expressa B mentio facta fuerit, vt definitum habetur in cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. & ibi Glo. in Verb. Constitutionis, in Ver. Sententiæ, & in Ver. Mandati, & in cap. Si Compromissarius §. Huiusmodi quoque pœna, de elect. lib. 6. & ibi Glos. in Ver. de Iure, & in cap. Cupientes §. Cæterum, in Verb. Suspensos eod. tit. & est communis sententia omnium Doctorum. Huius rei ratio illa affertur, ne hac occasione pontificalis officij executio facilè impediretur, vt Innocentius Quartus in dicto cap. Quia periculosum, significauit, cum enim officium Episcoporum sit commu- C nius & generalius, plures grauarentur, si illud frequēter impediri contingeret, quare Summus Pontifex ita statuendo non tantum honori, & dignitati Episcopali, quàm subditorum vtilitati ex commodo spirituali consulere voluit; quod multò magis locum habet in Episcopis, Patriarchis, & Primatibus, vt inquit Glo. in eod. cap. Ver. Superioribus, & idem dicendum est de Cardinalibus, non solum si Episcopi sint, verùm etiam si Episcopi non sint, Gemin. ibi numero 4. Anch. & Philip. Franc. quoniam Cardinales in suis Ecclesijs Titularibus exercent officium Pontificale, vt patet ex D cap. His quæ de maio. & obed. & Superiores etiam sunt Episcopis non ordine sed dignitate. Cum verò sacri Canones postulant specialem mentionem Episcoporum ad incurrendam suspensionem, non est intelligendum necessariam esse expressionem sub nomine Episcopi, sed sufficere, vt ex verbis & textura constitutionis, aut sententiç colligatur comprehendi Episcopos, sicut in cap. Si quis ordinauerit de Simo. Fertur suspensio contra eum, qui ordinauit aliquem sub promissione de non petendo ab ipso prouisionem; hæc suspensio afficit Episcopos, quamuis illos non nominet, quoniam ordinare est actus pertinens ad officium Episcopi.

CAPVT I.

An Episcopus remaneat suspensus, quoties ob illicitam promotionem ordinatus ab eo incurrit suspensionem.

EPiscopi ob illicitam ordinationem illaqueati remanent ipso iure censura suspensionis, vt si promoueant ad ordines ante tempora, seu ante legitimā ætatem alienos subditos sine licentia Ordinarij, vel ordinent indignum, irregularem, illegitimum, aut illiteratum, aut qui publicam pœnitentiam egit, vel in alijs similibus casibus, vt ex Iuribus varijs colligitur.

Et primò de suspensione, quæ contrahitur ob ordinationem ante tempora constat ex cap. vlt. de Temp. ordin. lib. 6. vbi Episcopus suspenditur per annum à collatione clericalis Tonsuræ duntaxat, si infanti conferre præsumat Clericalem tonsuram, additur, seu illiterato & non subdito sine licentia proprij Superioris, aut coniugato.

Quare suspensus remanet Episcopus, & quiuis alius conferens primam tonsuram infanti à collatione primæ tonsuræ per annum, infantis nomine intelligitur quicunque non peruenit ad septimum annum, vt notat ibi Glo. in Ver. Infanti; quare si illam tradat habenti septem annos, non dicitur violare hanc legem, neq; suspensionem incurrit, vt inquit Glo. cap. De his dist. 28. & cap. In singulis dist. 77.

Sed additur limitatio in tex. *Nisi fortè Religionem intraret*, scilicet infans, tunc enim qui illi conferret primam tonsuram, euitaret suspensionem, quæ exceptio videtur repugnantiam includere, nam si infans est, qui septimum annū nō attingit, qui in ea ætate est constitutus, ingredi nequit Religionem; Sed respōderi

potest, prioris illis Ecclesiæ temporibus vsu receptum fuisse, vt infantes à parentibus ante illam ætatem Religioni offerrentur, & dicarētur, & hoc significare voluit Summus Pontifex illis verbis, præsertim si in ea ætate habitum Religionis suscepissent, licèt ante legitimam ætatem non emitterent professionem. Vnde B. Tho. 2. 2. q. 189. art. 5. in corp. prope fi. notat, quòd etsi pueri ante pubertatis annos emittere non possint professionem, posse tamen ex voluntate parentum in Religione recipi, vt in ea educentur, sicut de Ioanne Baptista legitur Lucæ cap. 1. Quod puer crescebat & confortabatur spiritu, & erat in desertis, sicut Greg. inquit lib. 2. cap. 3. in fi. Dialog. Romanos nobiles suos filios Beato Benedicto dare cœpisse nutriendos Omnipotenti Deo. Voluit igitur Summus Pontifex fauore Religionis, vt posset quis prima tonsura initiari, si habitum Religionis susciperet, excepto hoc casu si prima tonsura conferatur infanti, Episcopus, siue alius, qui illā confert, ipso iure suspensione innodatur.

Secundò eadem suspensio incurritur, si conferatur clericalis tonsura illiterato, & non additur aliqua exceptio, vt habetur in eod. cap. Nullus de Temp. ordin. lib. 6. & in cap. Illiteratos dist. 36. *Illiteratos aut aliqua parte corporis vitiatos nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere*; vbi Glo. id intelligit de penitus illiteratis in cap Præcipimus distin. 34. *Præcipimus ne vnquam illicitas ordinationes facias, nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus vxorem, aut ignorantem literas &c. non audeas promouere*. Vbi similiter Glo. inquit de ignorantibus prorsus literas. Item in § Ecce si Clericus Vers. Non solum 1. q. 1. Quare penitus illiteratus est incapax dignitatis & ordinis ipso iure, sicut infans, furiosus, & similes, Innoc. in cap. Cum nostris in princ. de fo. compet. Gemin. in dicto cap. Nullus nu. 5. de Temp. ordin. lib. 6. Felin. in cap. Si quando nu. 30. Vers. & ibi Innoc. declarat de rescrip. Turrecrem. in dicto cap. Illiteratos dist. 36. vbi distinguit de illiterato, vtrùm sit penitus illiteratus, qui omnino nesciat literas, & hic non est ordinandus, vel dicatur illiteratus, quia sit parum sciens, & hunc dicit promoueri posse ad ordines inferiores, si spes probabilis existat, quòd proficere possit in literis, secus non est idoneus ordinationi. Tandem Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. de Reform. ita statuit: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei erudimenta edocti non fuerint, quiq; legere & scribere nesciāt*, & hodie hoc Concilij decretum ad vngem obseruandum est, vt inquit Saise. apud Bernard. Diaz in pract. Cano. cap. 21. super Ver. Dispensare Episcopi, an verò penitus illiteratus dispensari possit, vt licitè promoueatur, [illegible] quo casu, & ad quem pertineat dispensatio, an ad Papam, vel ad Episcopum tractant latè Felin. in cap. Si quando num. 30. de rescript. Turrecrem. in cap Si in Laicis, dist. 48. Bernard. Diaz in pract. Can. c. 21. Marol. lib. 1. cap. 32. n. 13. de Irreg.

Tertiò incurritur suspensio, si initietur prima tonsura homo alienę Diœcesis sine licentia sui Superioris ex eod. cap. Nullus de Temp. ordin. lib. 6. & Glo. in Ver. Homini, intelligit per hominē Laicum, nam text. loquitur de promotione ad primam tonsuram, vnde infert falsam esse opinionem illorum, qui asserūt Episcopū posse promouere Laicum alienæ Diœcesis absque periculo suspensionis non Clericum, idq; intelligendum est, vt Glo. notat de Laico, qui non transtulerit domicilium.

Quartò eadem suspensio locum habet, vbi prima tonsura confertur coniugato, nisi velit ingredi Religionem aut ad sacros ordines promoueri, sicut definitum ex sacris Canonibus, vt habetur in eod. cap. Nullus de Temp. ordin. lib. 6. idest nisi fuerit absolutus ab vxore, quæ continentiam profiteatur, vt dicitur in cap. Coniugatus de conuers. coniug. Hi igitur quatuor casus exprimuntur in dicto cap. Nullus, in quibus ob prohibitam collationem primæ tonsuræ ordinans suspenditur à collatione primæ tonsuræ tantummodo per annum, scilicet quando confertur infanti, illiterato, homini alienæ Diœcesis, & Coniugato.

Sed hoc in loco dubitari potest, an hæc suspensio extendatur ex paritate rationis, quando conferuntur ordines personis habentibus aliqua impedimenta, scilicet vt ordinans sit suspensus per annum à collatione illius ordinis, quem ita contulerit.

Sylue. Ver. Suspensio §. 6. Vers. Nono sunt suspensi, & in Ver. Ordo 3. §. 8. D. Antoni. 5. par. tit. 28. cap. 4. Domi. Sot. in 4. sent. dist. 25. q. 1. art. 2. circa finem, cēsent suspensionem incurri ab eo, qui ordines cum aliquo ex dictis impedimentis contulerit, sicut statutum est de prima tonsura. Quod persuaderi posse videtur ex'to, quia similis ratio, immo maior videtur militare, vt remaneat illaqueatus suspensione, qui violat legem in collatione ordinis, quàm si tradat primam tonsuram, quæ non est ordo, sed initium & præparatio ad ordines suscipiendos, ergo si suspenditur per annū, qui confert primam tonsuram personis habentibus impedimenta, multò magis, si ad ordinem promoueat, debet per annum remanere suspensus à collatione illius ordinis, nam prohibita collatione primę tonsura intelligitur prohibita collatio ordinum, qui recipi non possunt sine tonsura arg. cap. Cum concupiscentiam, de Constit. & ibi Glo. & Doct. & in c. Translato eod. tit. vbi Abb. num. 1. asserit legem recipere interpretationem extensiuam ex similitudine rationis, & addit id quoq; procedere, quamuis Constitutio sit pœnalis, text. in l. 1. ff. ad Tertul. tex. cum Glo. in cap. Si postquam in fin. de elect. lib. 6. & in cap. 1. in Glo. penult. de postulat. Prælat.

Sed contra obijci potest, quia in pœnis debet fieri extensio ab vno casu in alium, etiam supposita eadē, vel maiori ratione, quia poena fertur in delictum ex voluntate legislatoris, quæ non rectè colligitur ex sola paritate, vel proportione criminis, vt ita asserit Abb. in cap. fin. nu. 8. de Iure Patron. dicens pœnam à lege ipso iure impositam non debere extendi propter identitatem rationis.

Ad hanc difficultatem ita responderem: Primò certum esse Episcopos incurrere pœnam suspensionis vnius anni, si contra Canones promoueant Clericos ad quoscumque ordines, quia id definitum habetur in c. Eos qui de temp. ordin. lib. 6. Vbi suspenduntur Episcopi, qui Clericos alienæ Diœcesis sine licentia sui Ordinarij scienter per affectatam ignorantiam, aut quocumque alio figmento quæsito ordinare præsumpserint. Quare si id faciant bona fide, vel etiam ex ignorantia, vel negligentia culpabili, dummodo non sit affectata, effugiunt pœnam suspensionis, & verbis illis, *Et quocumque alio figmento quæsito*, quæ habentur in tex. significantur variæ causæ, quas effingere posset Episcopus ad se excusandum, si ordinasset Clericum alienum, vt notat Glo. in Ver. Figmento, quas omnes recitat Summus Pontifex. & hæc suspensio est ad annum cōtinuum à collatione omnium ordinum, vt notat Glos. Ver. Ordinem. Si enim voluisset Summus Pontifex priuare tantum ab ordine collato, id expressisset.

Se-

Secundò dicendum est pœnam suspensionis latam in dicto cap. Nullus non extendendam esse ad Episcopum promouentem Clericum ad aliquem ordinem, quia ibi tractatur de Laico, vt tradit Glo. Ver. Homini, & de promotione ad primam tonsuram, ergo non comprehendit promotionem Clerici ad ordines propter rationem adductam: quia in pœnis non debet fieri extentio ad similia, nisi constet de voluntate Superioris pœnam imponentis. De inde pœna contra Episcopum Ordinantem Clericum lata est in dicto c. Eos qui, vt dixi, ergo nulla ratio persuadere potest mentem Summi Pontificis fuisse comprehendere in cap. Nullus, promotionem Clerici, sed tantum Laici, de quo nihil dictum erat in cap. Eos qui. Vnde optimè dubitari poterat, An Laicus alienæ Diœcesis initiari posset prima tonsura, ideo voluit hoc prohibere Summus Pontifex in cap. Nullus, & Episcopum in eo delinquentem suspendere à collatione primæ tonsuræ, At in cap. Eos qui, suspenditur Episcopus à collatione omnium ordinum, si Clericum ad quemcumque ordinem promouerit, etiam ad ordines minores, neque talis pœna excedit culpam, quia licèt videatur excessus, quatenus Episcopus priuatur collatione omnium ordinum; tamen dicitur commensurata, quoniam in eo punitur, in quo deliquit, sicut dicitur in cap. Vel non est compos, de temp. ordin. vbi Episcopus, qui ordinauit puerum 13. annorum in Diaconum, suspenditur simpliciter à collatione ordinum, & Glo. ibi in Ver. Suspendentes inquit, vt puniatur in quo peccauit, suspenditur à collatione omnium ordinum. Et idem sentit Glo. in cap. Eos qui, Vet. Per annum de tempo. ordin. lib. 6. Nam si Papa voluisset ab ordine male collato tantum suspendere, id expressisset, neque indefinitè locutus esset, Domi. tamen oppositum tenet, nempe suspensionem coarctatam esse ad illum ordinem, quẽ perperam contulit, arg. cap. Si Compromissarius, de elect. Io. Mona. & Archid. quos refert Franc. in dicto cap. Eos qui, num. 4. Tandem quòd pœna dicti cap. tantum comprehendat ordinantem Clericum ad ordines, & similiter cap. Nullus, loquatur de promouente laicum solum ad primam tonsuram tenent, Gemin. in dicto c. Eos qui, nu. 5. Vers. In fine Glo. De temp. ordin. lib. 6. & Franc. ibi nu. 4.

Sed rursus oritur alia difficultas, vtrum sicut fertur suspensio ipso iure in Episcopum ordinantem Clericum alienæ Diœcesis sine licentia sui ordinarij in dicto cap. Eos qui, de sent. excomm. lib. 6. ita quoque reperiatur in Iure suspensio lata contra ordinantem aliquem habentem alium defectum ex tribus enumeratis, scilicet vel ætatis, vel scientiæ, vel quia sit coniugatus.

In cap. 2. de temp. ordin. ordinantes extra tempora videntur suspensi à potestate ordinandi, sic enim ibi habetur in fine. *& ordinantes priuarentur auctoritate ordinandi.* quæ verba potius indicant suspensionem ferendam, quàm latam ipso iure. Eodem modo in cap. Vel non est compos eod. tit. cum dicitur: *Discretioni vestra mandamus, quatenus si rem inueneritis ita esse, prædictum Episcopum à collatione ordinum suspendentes*, significatur suspensio ferenda, non lata. Pius Secundus in Extrauag. de qua superius tractauimus, suspendit male promotos, sed de ordinantibus non loquitur. Concilium verò Tridentinum sess. 14. cap. 2. in specie suspendit Episcopos titulares, qui ad aliquem ordinem, vel primam tõsuram promouent aliquem absq. proprij Episcopi expresso consensu, aut literis dimissorijs prætextu cuiusuis familiaritatis, priuilegij &c.

A & in sess. 23. cap. 8. De reform. extendit sermonem ad omnes Episcopos, quos suspendit à collatione ordinũ per annum, si ordinauerint non subditum, nisi testimonium de vita, & moribus ab eius Ordinario acceperint. Sixtus Quintus Summus Pontifex in sua Constitutione, cuius supra memini, generalius in huiusmodi ordinantes eos, qui aliquo impedimento notantur, suspensionem tulit, sed illa Constitutio reuocata fuit per Clementem Octauum, ideo res videtur ambigua. Quare, vt magis elucidetur, sigillatim, & distinctè percurremus non solum tria prædicta impedimenta, sed nonnulla etiam alia, & quid in singulis sit statuendum de Episcopo, qui quempiam cum aliquo ex impedimentis recensendis ordinauerit, aperiemus.

B Primus casus est de Episcopo exercente pontificalia in alterius Dioecesi sine expressa licentia Ordinarij loci, & in personas eidem ordinario non subiectas, qui suspenditur ab exercitio Pontificalium ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. Et quoniam aliqui Episcopi Ecclesiarum, quæ in partibus Infidelium consistunt, cleto carentes, & alienas oues in suo proprio Pastore quærentes, quia ex dicto decreto Concilij se prohibitos videbant pontificalia officia exercere, nisi de loci ordinarij licentia in legis fraudem Episcopalem Cathedram in loco nullius Dioecesis erigebant, & quoscunque aduenientes ordinabant, & idcirco, vt huic incommodo prouideret Concilium in sess. 14. cap. 2. dictam Constitutionem extendit ad Episcopos titulares, ne in loco etiam exempto pontificalia exercere
C valeant, & contrafacientes ab exercitio pontificalium per annum ipso iure suspenduntur. Fuerat hoc idem olim definitum in Concilio Aurelian. 3. cap. 15. & refertur in cap. Episcopus 7. q. 1. vbi prohibetur, ne vllus Episcopus in aliena Dioecesi Clericos audeat ordinare, vel altaria consecrare, & Episcopus in hoc delinquens suspenditur per annum à Missarum celebratione, & hanc poenam inquit Glo. Ver. Vno anno suspensione afficere Episcopum ita delinquentem, quoniam regulariter pro tali culpa deponitur iuxta dispositionem Concilij Anthiocheni cap. 13. & refertur in cap. Nullum Episcoporum 9. q. 2. his verbis; *Ipse*
D *verò scilicet Episcopus huius indisciplinati natus, & irrationabilis cœpti dignus causas expendat tanquam depositus à Sancta Synodo, & propter huiusmodi præsumptionem &c.* Idem habetur in cap. seq. Episcopum ex eod. Conc. Antiocheno, cap. 22. Vnde Maiol. lib. 3. cap. 23. nu. 10. De irregul. refert exemplum Io. Chrisostomi, qui ægrè tulit, quòd Epiphanius ipso inscio in Ecclesia sua ordinationem fecisset.

Secundus casus de Ordinante Sacerdotem indignũ & minimè idoneum, nam talis Episcopus suspenditur à collatione ordinum ex c. Si qui Episcopi 1. q. 1. *Si qui Episcopi talem consecrauerint Sacerdotem, qualem non liceat &c. ordinationis tamen ius vlterius non habebunt.* Vbi Glos. in Ver. Illi, notat hanc poenam dupliciter
E intelligi posse, nẽpe vel quod non possit illum eundem ordinem conferre, sed bene maiorem, vel minorem, arg. cap. Literas, de temp. ordin. Vel secundum alios, quod est probabilius, suspenditur simpliciter à collatione omnium ordinum, quæ suspensio incurritur, si conferatur ordo Presbyteralis, vt ostendunt verba illa: *Talem consecrauerint Sacerdotem*, ergo non habet locum in consecratione Diaconi, vel Subdiaconi, vel ad ordines minores.

Tertius casus Episcopus ordinans aliquem eodem die, vel duobus continuato ieiunio ad duos ordines sacros, suspensus est à collatione vtriusque, quousque à Sede

à Sede Apostolica absolutionem, & dispensationem impetrauerit, ita habetur in cap. Literas prope fi. De temp. ordin. *Præfatum itaque Bonon. Episcopum, vt puniatur in quo deliquit, à collatione ordinum, Diaconij scilicet & Presbyterij.* quamuis etiam id de mandato Archiepiscopi, vel Metrapolitani fecisset cap. Dilectus eod. tit. Id quoq; locum habet in ordinatione Regularium ex Conc. Trident. sess. 23. cap. 13. vbi priuilegia omnia de hac re reuocantur.

Quartus casus, suspenditur Episcopus, qui ordinat eum, quem scit solennem pœnitentiam peregisse, per annum à celebratione, vel ordinet, quem scit esse bigamum cap. Nullus dist. 55. *Nullus pœnitentem, nullus bigamum &c. audeat ordinare*, & post pauca: *Et ideo quicumque ab hac die contra ea, quæ superius sunt comprehensa, Clericum ordinare præsumpserit, ab ea die, qua ei potuerit hoc approbari anno integro missas facere non præsumat.* Ita dicunt Sylue. Ver. Suspensio, num. 6. Vers. Secundò suspenditur, & Ver. Pœnitentia, §. 3. vbi tradit effectum publicæ pœnitentiæ esse impedire, vt talis pœnitens, si sit laicus, post eam non possit ad ordines promoueri, si sit Clericus, non valeat ad Superiores ascendere, citat cap. Illud distin. 50. *Illud quoque nos par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere cuique conceditur Clericorum, ita & post pœnitentiam, ac reconciliationem nulli vnquam laico liceat honorem Clericatus adipisci*; Episcopus tamen, vt inquit Sylue. potest dispensare ad minores, non autem ad sacros cap. Placuit dist. 50. Reijcitur verò pœnitens ab ordine, quia efficitur infamis non ratione pœnitentiæ publicæ, sed propter crimen diffamatum. quod Host. in c. 2. De officio Archipresb. intelligit vbi publica, & solennis pœnitentia imponitur per sententiam Iudicis, secus si quis ex deuotione, sponte, & voluntariè illam suscipit, S. Tho. in 4. sent. dist. 14. q. 1. art. 5. quæstiuncula 1. ad tertium, docet peccatorem post publicam pœnitentiam non posse assumi ad Clericatum, & Episcopum talem ordinantem priuari potestate ordinandi, nisi fortè necessitas Ecclesiæ id exposceret, aut talis consuetudo vigeret, quo casu cum dispensatione ad minores ordines admittitur, non autem ad sacros, cuius prohibitionis quatuor assignat causas, nempe propter dignitatem ordinum, propter timorem tecidiui, propter scandalum ex memoria preteritorum scelerum, tandem quia propter ruborem, & verecundiam anteactæ vitæ minus liberè alios peccatores subditos corrigere auderet, idem ait Palud. in ead. distin. q. 6. B. Antoni. 3. par. tit. 14. cap. 17. §. vlt. Couar. in Clem. Si furiosus par. 1. in princ. nu. 10. de Homic. refert nobile testimonium Hormisdæ Papæ in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & refertur in cap. Non negamus dist. 61. in qua exponit potissimam causam, propter quam pœnitêtes post peractam solennem pœnitentiam efficiuntur irregulares, verba sunt: *Sed nec de poenitentibus quidem nusquam ad huiusmodi gradum profanus temerator aspiret, satis illi postulanti sit venia, qua conscientia absoluat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum. Quis enim quem paulò ante vidit iacentem, veneretur Antistitem? perferens memorandi criminis labem non habet lucidam Sacerdot. dignitatem* Hæc autem solennis pœnitentia non iniungebatur, nisi causa grauissimi, & publici criminis, nec Clericis ab Episcopo, etiam olim cum in vsu erat, infligi poterat cuiuscunque reatus causa, Henriq. lib. 13. de excomm. & suspens. c. 38. §. 3. Vers. Tertiò si ordinet.

Quintus casus ordinans inuitum suspensus est per annum à celebratione Missæ, cap. 1. dist. 74. *Episcopus,*

A *qui inuitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentia subditus Missas facere non præsumat*, Syluest. Ver. Suspensio §. 6. Vers. Tertiò suspenditur, Ang. eod. Ver. num. 4. & Ver. Ordo 1. num. 24. Tabie. Ver. Suspensio num. 7. Vers. Sextò, casu 3. Henriquez lib. 13. de excomm. & suspen. cap. 38. Vers. Decimò si inuito.

Sed contra obijci potest ex cap. Si qui Clerici, & cap. Placuit dist. 74. In quibus locis permittitur Episcopis, vt possint Clericos inuitos ad superiores ordines promouere, igitur excusantur à poena, si ordinent inuitos.

Sylue. Ver. Ordo 3. §. 10. quærit, vtrum Prælatus possit coercere Clericũ ad ordines suscipiendos, & distinguit ex sententia communi in cap. Quæris, de æta.
B & qualit. Vel Clericus habet beneficium, aut dignitatem, cui annexus sit ordo, sicut si esset Abbas, Archipresbyter, Præpositus, quæ dignitates requirunt ordinem Presbyteralem, & talis Clericus posset compelli ad receptionem ordinis Sacerdotalis. Similiter Archidiaconus ad recipiendum Diaconatum, quòd si monitus recusaret parere, possent ei subtrahi fructus beneficij, & rursus si adhuc contumax persisteret, beneficio priuari deberet. Ita definitum fuit in cap. Innonamus dist. 60. ibi: *Archidiaconi verò, Decani, vel Præpositi, qui infra ordines prænominatos existunt, si inobedientes ordinem contempserint, honore suscepto priuentur*, & in cap. Cum in cunctis §. Inferiora de elect. Im-
C mo si sit Ecclesia Parochialis post lapsum annum absque aliqua monitione priuatur ipso iure, cap. Licet Canon de elect. lib. 6. si Sacerdos ordinatus non fuerit, nisi iustum impedimentum habuerit, & in tali casu subdistinguendum est, an ex culpa, vel sine culpa remanserit impeditus. Si ex culpa priuandus est beneficio iuxta cap. 1. de Aeta. & Quali. si verò absque culpa factus sit irregularis, nempe quod manum perdiderit, vel quid simile, tunc non esset spoliandus beneficio. Quòd si non habeat beneficium Ecclesiasticum, vel dignitatem, non potest compelli, vt suscipiat ordines; Et in hoc casu Episcopus ordinans inuitum suspẽditur à celebratione Missæ per annum, quod etiam verum est, si possideat beneficium, vel dignitatem, cui
D non sit ordo annexus, nisi necessitas aut vtilitas Ecclesiæ id postularet, tunc enim esset cogendus quibusdam distinctionibus adhibitis, quas latè prosequitur Sylue. dicto §. 10. Turrecrem. in cap. 1. dist. 74. ad 1. quæst. & Abb. in cap. Quæris num. 9. & seq. de Aeta. & quali.

Sextus casus de Episcopo ordinante Religiosum non professum, siue ex Religione, quæ solet emittere professionem, siue ex alia, quæ non solet illam emittere, siue ex quocumque Ordine, aut Congregatione Clericorum Secularium viuentium in communi more Religiosorum, talis Episcopus per annum à collatione illorum Ordinum, quos huiusmodi personis cõtulit, suspensus est ex Bulla Pij Quinti 74. in ordine
E inter Constitutiones eiusdem Pontificis, in qua decretum Concilij Trident. sess. 21. De reform. cap. 2. De non promouendis Clericis secularibus sine titulo, & beneficio, extenditur ad Religiosos, vt tradit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 158. Vers. Decima sexta. Hæc Bulla edita fuit à Pio Quinto anno 1568. cuius initium est, Romanus Pontifex Sacrorum, à qua excipit Gregorius XIII. anno 1582. per aliam Bullam Clericos, & Religiosos Societatis Iesu non emissa professione, & declarauit non comprehendi sub Bulla Pij V. si ordinarentur ad titulum sufficientis literaturæ.

Septi-

Septimus casus, Episcopus ordinans aliquem accepto ab eo iuramento, vel promissione de non inferendis molestijs super eius prouisione, per triennium à collatione ordinum est suspensus, ca. Si quis ordinauerit, de simon. de hac suspensione superius pertractaui. De eadem agit Nanar. in Manua. cap. 27. num. 158. Vers. Decima quinta.

Octauus casus est, De Episcopo ordinante Monachum sine licentia proprij Abbatis ipso iure dicitur alienus ab aliorum communione contentus communione suæ Diœcesis, & aliqui exponunt à communione aliorum Episcoporum. quod videtur ad quandam suspensionem pertinere. Desumitur ex cap. fin. dist. 58. tradit Sylue. Ver. Suspensio §.6. Vers. Quintò suspensus est, Angel. Ver. Suspensio 1. num. 6. Tabie. eod. Ver. nu. 7. Vers. Sexto, Casu 5. Henriquez lib. 13. de excom. & suspen. cap. 38. §.1.

CAPVT II.

De suspensionibus latis in iure contra Episcopos ob prauum vsum muneris Pastoralis in Dispensationibus, Electionibus, Confirmationibus, aut in actibus iurisdictionis, vel in aliis similibus ad officium Episcopi pertinentibus.

PRæter suspensiones enumeratas superiori capite, quas incurrunt Episcopi propter illicitam promotionem ad ordines, reperiuntur aliæ in eosdem inflictę ob prauum vsum iurisdictionis, & muneris Episcopalis quæ in hoc capite distinctè, & sigillatim sunt explicandæ.

Primo loco poni potest suspensio, quam incurrit Episcopus confirmans indignum ætate, scientia, & moribus, qui priuatur potestate confirmandi successorem illius, & à perceptione fructuum proprij beneficij suspenditur, quousque restitutus fuerit, & habetur in c. Nihil, de elect.

Circa quam suspensionem primò animaduertendũ est illam locum habere solum, quando confirmatur indignus ad beneficium curatum, vt ex verbis illius cap. in princ. patet, *quatenus cum quisquam ad regimen animarum fuerit electus.* & in cap. Cum in cunctis, §. Clerici, vers. Episcopus eod. tit. & c. Quia nonnulli, de Cleri. non resid. cap. Graue nimis, de præben. Conc. Trid. sess. 7. de Reform. cap. 3.

Secundò Episcopi, qui post Concilium Prouinciale celebratum infra sex menses non conuocant omnes Abbates, Presbyteros, Clericos, & vniuersam Plebem suæ Diœcesis, eisque omnia gesta in Concilio Prouinciali non referunt, bimestrem excommunicationem, idest suspensionem duorum mensium ab officio incurrant. Ita habetur in cap. vlt. dist. 18. in fi. *Quòd si quispiam hac paruipendenda crediderit sententia excommunicationis duorum mensium curriculo persistat vsquequaq; multatus.* Vbi Glo. Ver. Excommunicationis notat, id. est suspensionis ab officio duorum mensium, Excommunicato enim non imponitur ad tempus. Atque ita exponit Sylue. Ver. Suspensio, §.6. Vers. Primo enim, Ang. eodem Ver. 1. casu 1. Tabie. num. 7. Vers. Sextò casu 1. Henriquez lib. 13. de excom. & suspens. cap. 38. §. 3. Vers. Quartò si Episcopus. Neque singularis est hic modus loquendi in dicto cap. vlt. dist. 18. cum in alijs etiam locis significetur suspensio nomine excommunicationis ad tempus latæ, vt in cap. Tanta, distin. 86. ibi: *Eos verò, quorum consilio hoc egisti, in duobus men-* A *sibus excommunicatos esse decernimus.* Similiter in cap. Vni. in fi. 10. q. 3. *Si quis sanè Episcoporum hanc nostram Constitutionem paruipenderit, spatiis duorum mensium se nouerit excommunicatione multari.*

Tertiò suspenduntur Episcopi in cap. Prouida de elect. lib. 6. per annum non seruantes Constitutionem Concilij Lugdunensis, quæ refertur in cap. Quamuis, eodem tit. qua prohibetur, ne Episcopi, vel Archiepiscopi in causis spectantibus ad electionem Episcoporum postquam ad Sedem Apostolicam appellatum est se intromittant, etiam si partes ab appellatione voluntariè recedant, nisi constiterit eis post adhibitam diligentiam nullam fraudem, vel prauitatem in tali negocio intercessisse. Ad maiorem declarationem B huius casus, prænotandum est id, quod statutum fuit in dicto cap. Quamuis de elect. nempe quòd si appellatum esset in causa electionis ad Papam, appellans renunciare poterat suæ appellationi, & renunciatio erat valida, dummodo renunciasset sine prauitate simoniaca, & Superior, ad quem pertinet confirmatio inquirere debet, an fuerit recessum ab appellatione sine prauitate simoniaca. Sed dubitatio oriebatur, si Superior confirmat electionem sine tali inquisitione, an valeret consecratio secuta, & respondet Summus Pontifex in dicto cap. Prouida, non valere, quia talis ordo est substantialis ipsius confirmationis. illa enim inquisitio est necessaria, & ille qui confirmat, & consecrat non præmissa tali inquisitione, punitur censura C suspensionis per annum continuum à confirmatione, & consecratione Episcoporum suorum suffraganeorum, & annus suspensionis, vt ibi notat Glo. incipit cõputari à cõfirmatione, annus verò suspensionis à consecrationibus, à die consecrationis.

Secundò animaduertendum est, quòd licèt in dicto cap. Prouida numquam exprimantur Episcopi, sed *Inferiores Iudices*, negari tamen minimè potest nomine Superiorum Iudicum ibi significare velle Episcopos, vel eorum Superiores, scilicet Archiepiscopos, & Patriarchas, quoniam de facultate cognoscendi, an interuenerit prauitas simoniaca, si quis renunciauerit appellationi interiectæ ad Sedẽ Apostolicam in causa electionis ad Episcopatum. nam electio Episcopo- D rum est res grauissima, & causæ pertinentes ad ipsam electionem inter maiores annumerantur, vt dicitur in cap. Quamuis, de elect. ergo cognitio ordinaria de illis non potest nisi ad Episcopos pertinere, qui dicuntur inferiores in Diœcesi comparatione Summi Pontificis, licèt sint superiores post Summum Pontificem quoad omnes alios Prælatos, si nomine Episcoporum comprehendamus Archiepiscopos, Patriarchas, & alios Superiores. Secundò idem confirmari potest ex alijs verbis eiusdem tex. ibi: *Verùm cum nonnulli concessione huiusmodi abutentes suam, inquisitione præfata omissa, cognitionem in eisdem negocijs interponant ad confirmandas electiones, & consecrandos electos temere procedendo.* Sed confirmare electum Episcopum, aut illum E consecrare est munus solius Episcopi, ergo textus loquitur de Episcopis. Tertiò idem probari potest ex forma suspensionis ibi lata; *Et confirmantes, & consecrantes eosdem, vt in eo in quo peccauerint, puniantur, sub Episcoporum confirmatione, ac consecratione per annum continuum ipso iure fore suspensos.* Hæc autem suspensio tantummodo locum habere potest in Episcopis.

Tertiò notandum est hanc suspensionem non incurri, si solum violetur constitutio Concilij Lugdunensis in cap. Quamuis, de elect. si Episcopus non confirmet electionem, & non cõsecret electum. Quare licèt Epi-

scopus

scopus post appellationem interpositam in tali causa cognoscat non seruata forma præscripta in dicto cap. Quamuis, non incurrit tamen suspensionem dicti cap. Prouida, donec confirmet electionem, & cõsecret electum: quia vt ex verbis dicti cap. patet, suspenduntur confirmantes, & consecrantes eosdem, ergo non suspensi, qui cognoscunt causam tantum, si ad prædictos actus confirmationis, & consecrationis non deueniãt, sed gesta in tali causa solum erunt irrita, & inualida, vt in eod. tex. dicitur. Quidquid dicat Sylue. Ver. Suspensio §. 6. Vers. Duodecimò suspenditur, & Angel. eodem Ver.

Sed quæri potest de Episcopo, qui vltra cognitionem causæ confirmat electum, sed non consecrat, & è contra, an suspensionis vinculo illaqueatus remaneat? nam textus inquit, *Confirmantes, & consecrantes*, neque ita videtur requirere vtrumque actum, signum est dictio copulatiua, quæ ibi ponitur.

Respondeo probabilius esse asserere ad incurrendam hanc suspensionem sufficere alterutrum actum, scilicet vel confirmationem, vel consecrationem, vt Episcopus remaneat suspensus ab vsu, & exercitio, vel confirmandi, vel consecrandi, sicut deliquit contra formam cap. Prouida, vt puniatur, sicut in tex. dicitur, in quo peccauit. Vnde si non confirmauit, neque consecrauit à neutra actione erit suspensus, ita notat Glo. Ver. In quo, ex sententia Io. And. & tradit Gemin. nu. 6. Franc. num. 2.

Rursus dubitari potest de duobus Episcopis, qui assistunt Episcopo consecranti, an incurrant hanc suspensionem.

Respondent Gemin. num. 4. & Anchar. hanc suspensionem minimè afficere Episcopos assistentes; Primò quia vnus solus Episcopus est, qui consecrat, cap. 1. in princ. de Sacr. Vnct. & in cap. Prouida suspenduntur tantum consecrantes; Secundò constitutio, loquitur de eo cuius erat cognitio, si appellatio non fuisset interposita, sed Episcopi assistentes non sunt ordinarij, ergo in illis cessat dispositio legis, cum non teneantur hanc inquisitionem facere. Addunt etiam Gemin. Io. Andr. & Franc. quòd si Archiepiscopus committeret consecrationem alicui Episcopo sine illa inquisitione requisita, an renunciatum sit appellationi nulla interueniente simoniaca prauitate ipse Archiepiscopus erit suspensus, non Episcopus consecrans. Debent tamen cauere Episcopus, cui committitur consecratio, & alij duo assistentes, vt Doctores citati animaduertunt, ne audeant consecrare, vel assistere, si sciant appellatum fuisse ab electione, & postea recessum, & nullam factam fuisse inquisitionem, quia participarent in crimine damnato.

Quartò suspenduntur Episcopi, qui in causis alienationis rerum Ecclesiasticarum in detrimentum Ecclesiarum vtuntur potestate eis commissa; Habetur Constitutio Pauli Secundi, cuius initium est; Cum in omnibus in Bullario, & est secunda in ordine inter Bullas Pauli Secundi, Vbi Episcopus deputatus Commissarius in causa alienationis rerum Ecclesiasticarum, si per gratiam, timorem, aut sordes in detrimentum Ecclesiæ vtatur potestate sibi commissa, ab executione officij per annum suspenditur, quòd si damnabiliter se ingerat diuinis suspensione durante, irregularitatem incurrit, quam solus Papa potest auferre. In eadem Extrauag. contra dictos Commissarios fertur excommunicatio, sed non est reseruata Papæ. Ad incurrendam autem tam excommunicationem, quàm suspensionem, duas conditiones postulat Summus Pontifex. Altera est, vt decretum, seu sententia, aut consensus sit in detrimentum Ecclesiæ: Altera, vt Episcopus ad id moueatur per gratiam, timorem, vel sordes. Quare licèt alienare non sit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & ideo sit contra formam rescripti Pontificij permittentis alienationem, si in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cedat, si tamen non sit in detrimentum Ecclesiæ, aut grauamen, sed seruetur æqualitas, censuræ inflictæ locum non habent ex defectu primæ conditionis. Eodem modo si Commissarius consentiat alienationi in detrimentum Ecclesiæ ex culpabili negligẽtia, non incurrit censuras, quia cessat dolus, fraus, aut scientia, & nomine sordium significantur iniquæ donationes, vel promissiones.

Alia suspensio adiungi potest hoc in loco ex eodem Paulo Secundo contra eandem alienationem rerum Ecclesiarum, & habetur in corpore Iuris in Extrauag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienan. qua prohibet Summus Pontifex alienationem bonorum Ecclesiasticorum, omneque pactum, & contractum de eisdem bonis contra dispositionem eiusdem Constitutionis factam, & alienanti ingressus Ecclesiæ penitus interdicitur, si Episcopus, aut Abbas fuerit, & si per sex menses immediatè sequentes in Interdicto animo indurato perseuerauerit, lapsis eisdem mensibus, à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsidet, in spiritualibus, & temporalibus est eo ipso suspẽsus. Quòd si fuerit Prælatus inferior Commendatarius, vel alterius Ecclesiæ Rector, priuatur ipso facto officijs, Canonicatibus, alijsq; Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura beneficijs, quorum res, & bona alienarunt duntaxat Nomine autem alienationis certum est hoc in loco Summum Pontificem velle comprehendere omnem contractum, quo transfertur in alium vsufructus ad dominium vtile rei etiam temporale vltra tempus in eadem Constitutione permissum. Atque ita omnia pacta ibi enumerata esse species quasdam alienationis. Affirmat autem Sylue. excomm. 7. §. 83. Constitutionem illam in multis locis non seruari, neque vsu receptam fuisse.

Quintò Pius Quintus in Bulla, quæ incipit, Quanta Ecclesiæ, edita Kal. Aprilis anno 1568. Pontificatus sui anno 3. & est in ordine quinquagesima octaua, statuit vt Episcopi, & alij ab eis facultatem habentes resignationes eorum beneficiorum recipere, & admittere possit, qui aut senio confecti, aut corpore impediti, aut censuris Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inseruire &c. *Qui vero contrafecerint, vt in eo, in quo deliquerunt, puniantur, à beneficiorum, & officiorum collatione &c tandiù suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere*. Quòd si nihilominus sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere voluerint, excommunicationis sententiam, ipso facto incurrant, cuius absolutio, vel relaxatio reseruatur Romano Pontifici, præterquam in mortis articulo.

Hæc suspensio primò fertur in Episcopos, deinde extenditur ad quoscunque beneficiorum collatores, siue sint singulares personæ, siue Capitula. Et ratio incurrendi huiusmodi suspensionem est admittere resignationes beneficiorum contra formam ibi præscriptam. Suspensio verò est à collatione, vel institutione beneficii, quæ tali personæ conuenit.

Sextò in cap. 1. de Vsur. lib. 6. suspenduntur ipso facto Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, si domos suas locent, vel sub alio titulo concedant ad fœnus vsurarum exercendum hominibus alienigenis, & aliis

non

non oriundis ex terris ipsorum, aut illicitam negociationem exercentibus, vel etiam si eos in Terris suis habitare permittant, Minores verò personæ singulares excommunicantur, Collegium, vel alia Vniuersitas interdicti sententia obstringitur, quas pœnas si animo indurato sustinuerint, Terræ ipsorum, quandiu in eis ijdem vsurarij commorantur, Ecclesiastico subijciantur Interdicto.

Ad declarationem huius Constitutionis nonnulla sunt perpendenda. Primum est hanc prohibitionem non extendi ad omnes vsurarios, sed ad alienigenas tantum, qui non sunt oriundi ex illis Terris, in quibus commorantur, ideo non comprehendit Indigenas, sed illi erunt alijs pœnis contra vsurarios latis coercendi, vt notat Glo. Ver. Alienigenas. Quare si quis locet domum publico fœneratori, indigena non incurrit censuras huius Canonis. quidquid sit de peccato, de quo hic non agitur, notat Glo. in Addit. ad Verbum, Alienigenas, oriũdum de Ciuitate dici illum, qui in ea ortus est, vel cuius Pater originem inde duxit, non sic in Auo, l. Assumptio, §. Filius, C. Ad Municip. & l. Filios. C. lib. 10. De Municip. & Orig. Glo. 2. in cap. Is qui, de sepult. lib. 6.

Ratio verò, propter quam Gregorius X. in Concilio Lugdunensi hanc prohibitionem coarctauerit in ordine ad alienigenas, assignatur ibi à Glos. Primò quoniam maius scandalum esse inquit, si alienigena exerceat vsuras, quàm indigena. Secundò quoniam extranei non verentur in alienis Terris impium scelus exercere sicut indigenæ ob verecundiam, & ideo magis erat in primo casu prouidendum, quàm in secundo. Leges autem præsertim ad quæ prospiciunt, quæ vt plurimum accidere solent. Tandem visum est Summo Pontifici cohibere extraneos in primis ab hoc scelere, cum indigenæ facilius alijs pœnis corrigi possent.

Sed quærit Glo. an comprehendantur alienigenæ, si sint Ciues, & Incolæ, & respondet affirmatiuè. Quare censuræ locum habent, si locentur domus Vsurarijs alienigenis, siue sint Ciues, & Incolæ, siue aduenæ, & peregrini. Quare aliud est esse Ciuem, aliud esse genitum in Ciuitate, & hic textus considerat ciuilitatem ex parte originis tantum, vt tradit Gemin. num. 6. Anchar. nu. 4. Franc. nu. 3.

Dubitat Gemin. quid dicendum de eo, qui est oriũdus de Terra alicuius Domini, & se transfert ad habitandum in aliam Terram eiusdem Domini, vt vsuras exerceat; Respondet talem fœneràtorem non includi sub dispositione dicti textus, & probat ex illis verbis; *Alienigenas, & alios non oriundos de Terris ipsorum*, & postea, *De Terris suis expellant*, quibus significatur, quòd licèt Terra originis sit alia Terra ab ea, in qua vsurarij habitant exercentes fœnus, dummodo sint sub eodem dominio immediatè, non est locus huic Constitutioni, quæ cum sit pœnalis, non debet extendi, vt in cap. Statutum, de elect. eod. lib.

Notat Glo. eod. Ver. Alienigenas, oriundum de Ciuitate vocari eum, qui in vico Ciuitatis illius ortus est. quod animaduertit Gemin. num. 6. occasione statutorum, quæ concedunt priuilegia natis in Ciuitate, quibus gaudent etiam nati extra Ciuitatem. Sed in vico Ciuitatis legendus est Bald. Cons. 146. lib. 1.

Secundò notandum est Censuras huius Canonis non incurri, quoties alicui alienigenæ locatur domus, nisi sit publicus, & manifestus vsurarius, & desumitur ex verbis textus, ibi: *Publicè fœneratorem pecuniam exercentẽ*, & deinde. *Sed huiusmodi vsurarios manifestos.*

A Manifesti dicuntur illi, inquit Glo. Ver. Manifestus, de quibus notorium est de iure, quod talem artem exerceant, vel quia habeant operis euidentiam, quæ nulla tergiuersatione celari possit, vel quia manet publicè expositus ad mutuandum cum lucro, vel si promulgẽtur tales ab Episcopo, quia confessi sint eorum crimen, vel conuincantur per testes, vel sint certa argumenta cum fama. Et hoc sufficit ex sententia Archid. quoad hanc Constitutionem. Simile est in Hæresi cap. Excommunicamus §. 1. de Hæret. & in adulterio cap. Maritus de Adulte. idem ait Gemin. num. 6.

Tertiò notandum est non incurri censuras huius Canonis, si domus locentur publicis vsurariis ad aliũ vsum, quàm exercendi vsuras, Respondet Gemin. nu. B 4. negatiuè, nempe in aliis casibus non contrahi. Probat ex verbo illo, *An hoc*, scilicet domos in Terris suis habere permittant. Coarctatur enim dispositio ad illum actum tantummodo. Quare si vsurarius vellet cõducere ad solam habitationem, vel ad aliquam honestam negociationem, non esset huic pœnæ subditus, quoniam hic prohibetur habitatio ad exercendas vsuras, quod apertè patet ex verbis textus; Nemo illis ad fœnus exercendum domos locet.

Quærit Glo. quòd si aliquis locauit alicui vsurario domum, quem vsurarium esse ignorabat, vel non locauit ad exercendum fœnus, respondet, quòd probabilis ignorantia illum excusat; l. Si quis ignorans, ff. locati, cap. Si verò 2. & cap. In audientia, de senten. ex- C comm. Sed in dubio locator videtur domum locasse ad eum vsum, quem consueuit exercere is, cui domus locata fuit, Roman. Cons. 178.

Sed cum ex hac Constitutione prohibitum sit domos locare vsurariis manifestis, potuisset quis existimare censuras huius Canonis non habere locũ, quando domus non locaretur, sed aliis titulis concederetur. Ad hoc excludendum Summus Pontifex addidit; *Vel sub alio titulo quocumque concedat.* Vbi Glo. Ver. Titulo, inquit, *Puta pignoris commodati, depositi, precario, & huiusmodi, & idem si sine vllo titulo illum ibi sinat esse.*

Postulabit aliquis, an eadem esset ratio, si Episcopus alicui vsurario manifesto domum venderet, aut D donaret, vel permutaret, aut alio titulo traderet, quo dominium transferret in vsurarium.

Glo. in eod. Ver. Titulo duas tradit responsiones. Prima est, quòd in casibus enumeratis Episcopus non incurrit Censuras Canonis: quia vtitur textus verbo, *Concedat*, quod solius vsus permissionem, non dominii translationem significare videtur. Secunda opposita, quòd nullum sit discrimen, si sciat manifestè illum accipere domum ad exercendum fœnus, quia præsumitur fraus. Verbum autem, Concedo, est generale ad omnes contractus, citat Glo. Archid. Io. And. Idem tenet Gemin. num. 8. Franc. num. 8. Nec obstat, vt inquit Io. And. quòd Summus Pontifex dicat, Vel sub alio titulo concedat, atque ita illa dictio, *Alius*, impli- E cet de titulo simili locationi, quia potius videtur amplificare, cum iungatur cum verbo, *Quocumque*, ad includendum omnem titulum.

Quartò sciendum est duo prohiberi in dicto Canone sub pœna censurarum; Primum est, ne alienigenis manifestis vsurariis locentur domus ad vsum fœneris, & si locata fuerint, non permittantur in eis habitare: Secundum, ne tales tolerentur Terrare, sed ab illa expellantur. Primum respicit non solum publicas personas, sed etiam priuatas: Secundum autem ad personas publicas in specie, ad quas pertinet regimen

Reipub.

Reipub nam priuatæ nequeunt vsurarium eijcere ex Ciuitate.

Quintò prohibitio hæc continet tam personas singulares, quàm Collegia, & Vniuersitates, sed pœnæ sunt diuersæ. nam singulares personæ, si sint Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, suspenduntur simpliciter, omnes alij inferiores tam Clerici, quàm Laici excommunicantur, Collegia, & Vniuersitates interdicuntur.

Sed meritò hic dubitari potest de specie, & forma huius suspensionis, cum Summus Pontifex simpliciter loquatur sine vlla declaratione, de qua suspensione intelligere velit, an ab officio, vel beneficio, aut iurisdictione, vel de alia.

Respondeo valde probabile esse affirmare hanc suspensionem intelligendam esse de suspensione ab officio, & beneficio, quia cum textus simpliciter loquatur, de vtraque accipi debet iuxta regulas superius traditas, cum de suspensione in genere tractaremus, quia non est maior ratio de vna, quàm de altera, ergo est suspensio ab officio, & beneficio. Secundò in eod. textu personæ Ecclesiasticæ inferiores, & Laici excommunicantur Collegia, & Vniuersitates interdicuntur.

Excommunicatio autem, & Interdictum sunt censuræ grauissimæ, ergo verisimile est in Episcopos latam fuisse pœnam adequatam supradictis, atque ita suspendi non solum ab officio, sed etiam à beneficio.

Sextò in Clem. 1. §. Verum, de Hæret. Episcopi, & eorum Superiores suspenduntur per triennium ab officio, *quòd odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu contra iustitiam, & conscientiam suam omiserint contra quemcumque procedere, vbi fuerit procedendum super huiusmodi prauitate, scilicet Hæresis, aut obtentu eodem prauitatem ipsam, vel impedimentum officij sui, scilicet inquisitionis alicui imponendo præter alias pœnas &c. Episcopus suspensionis ab officio per triennium, alii verò excommunicationis censuras eo ipso incurrant.*

Quoad personas hæc constitutio est generalis, & comprehendit non tantum Episcopos, sed etiam alios Inquisitores, qui non sunt Episcopi, quod patet ex ipso textu, Nam postquam dixerat Episcopus, aut Superior &c. addit, *Alii verò*, Vbi Glo. in Ver. Alij, inquit, *scilicet Inquisitores, vel substituti ab eis, vel ab Episcopis, vel Capitulis vacante Sede*. sed varijs pœnis puniuntur Episcopi, & alij Episcopi suspenduntur, alij excommunicantur, vt notat Card in eadem Clemen. numero 2. quod ait factum esse, vt deferatur dignitati Episcopali.

Sed contra hoc opponi potest id, quod legitur in c. Nouit ante fin. De Iudic. *Sed forsan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum aliis est agendum. cæterum scriptum nouimus in lege diuina: Ita magnum iudicabis, vt paruum, nec erit apud te acceptio personarum.*

Respondet Card. in ead. Clem. 1. §. Verum num. 4. De Hæret. quòd vbi agitur de pœna spirituali, ita punitur nobilis, sicut ignobilis, diues sicut pauper in dignitate constitutus sicut priuatus, cap. Homo Christianus dist. 40. cap. Præcipuè 10. q. 3. quòd si oppositum inueniatur, est quid speciale, vt hoc in loco. Si verò tractetur de pœna temporali, magis punitur ignobilis, quàm nobilis, pauper quàm diues, nisi oppositum seruetur ex aliqua peculiari causa. Hac eadem distinctione vtitur ad soluendam hanc difficultatem Glo. in cap. Cum quidam, Ver. Dignitate, de iureiur. & ad vtranque partem plures refert textus ex Iure Canonico; Abb. in eodem cap. Cum quidam, num. 1. & seq.

A hanc eandem Glossæ distinctionem clarius explicat dicens posse pertractari de quantitate peccati quoad pœnam imponendam duobus modis, vel in foro contentioso. Primo modo non consideratur immediatè dignitas delinquentis, sed quantitas contemptus. & in dubio, vbi non constat de contemptu, qui in maiori dignitate est constitutus, præsumitur magis contemnere, si delinquat, quia Deo magis est ingratus, & ideo magis pœna dignus. Vnde dignitas personæ propriè non aggrauat delictum, sed potius ipsum delinquentem. Sed quia Ecclesiæ non constat, quomodo quis peccet, an ex contemptu, vel alio modo, idcirco per circumstantias, veluti per quasdam præsumptiones indicat, ideo magis animaduertit in Clericum, quàm in laicum, quia magis præsumit eum ex contemptu delinquere, vt inquit Glo. in cap. Homo Christianus Ver. Cadit dist. 40. Si verò loquatur de quantitate peccati in foro contentioso, tunc quoad pœnam pecuniariam acrius punitur nobilis, & in dignitate constitutus, quoad corporalem autem pœnam magis priuatus, & ignobilis. Abb tamen concludit ex sententia Host. & Io. And. *Hominis in dignitate constituti peccatum grauius dici posse, quàm si ab inferiori committeretur*, tres ob causas, & exemplum ponit de Religioso, & Laico; nam si vterque fornicetur Religiosus turpius agit, quàm Laicus, primò quia peccat contra votum continentiæ; Secundò quia est magis ingratus propter contemptum; Tertiò propter scandalum, quia eius exemplo alij prolabuntur in peccatum.

S. Tho. par. 2. quæst 73. art. 10. proponit eandem difficultatem, & soluit dicens peccata, quæ ex subreptione proueniunt propter infirmitatem humanæ naturæ minus imputari ei, qui est maior in virtute, quia minus negligit huiusmodi peccata reprimere. Contra verò peccata, quæ ex deliberatione procedunt magis illi imputari: Primò quia maiores facilius resistere valent peccato, cum excellant in scientia, & virtute. Secundò propter ingratitudinem. Tertiò propter peculiarem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ. Quartò propter scandalum, vt inquit S. Greg. in Pastorali par. 1. cap. 2. Re sic se habente ad propositam dubitationem respondendum videtur, verum non esse in dicta Clem. 1. de Hæret. leuiori, & minori pœna coerceri Episcopos delinquentes in eam constitutionem, quàm inferiores Clericos, cum illi suspendantur, isti verò excommunicentur, tum quia suspensio est ad triennium, cum ab excommunicatione statim possint absolui parati obedire, & satisfacere, tum quia suspensio est ab officio, quæ est grauissima poena in Episcopo.

Rursus quæret quis, quomodo hic feratur censura excômunicationis, & suspensionis propter peccatum internum cordis, cum Ecclesia non iudicet de interioribus, quòd quis enim ex odio, aut amore ad aliquid agendum ducatur, ab homine dignosci nequit. Sed de hac quæstione copiosè pertractatum est in materia de excommunicatione, vt inquit Glo. in eadem Clem. 1. Ver. Excommunicationis sententia. legendus est Abb. qui plenè hanc difficultatem dissoluit in cap. Tum literis, num. 3. de Testib. & probat, quando inferior relaxare possit suspensionem, aut excommunicationem latam à Papa.

CAPVT III.

De alijs suspensionibus Iuris contra Episcopos ob similes defectus, & delicta.

OCtaua Suspensio lata contra Episcopos, & Prælatos Ecclesiæ habetur in Clem. 2. de pęn. vbi Prę lati Ecclesiæ, qui procurant, vt Clerici capiantur à Dominis Temporalibus, vt beneficia renuncient, vel vt citati ad Apostolicam Sedem ab homine, vel à Iure ad ipsam ire non possint, suspenduntur à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum ad triennium, verba tex. sunt: *Statuimus, vt præter sententiam Canonis, quam facientes, & fieri procurantes præmissas incurrere dignoscuntur, Procurantes ipsi personæ Ecclesiasticæ existentes à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, si fuerint Prælati, triennio sint suspensi, quòd si inferiores extiterint, eo ipso obtinentis beneficijs sint priuati.*

Explicemus hunc casum, vt clarior, & manifestior reddatur hæc censura. Obtinet quis ex iusto titulo beneficium Ecclesiasticum, Aduersarius eius procurat, vt capiatur, & in carceres conijciatur à Domino temporali loci, donec renunciet suo iuri in manibus Collatoris, vt beneficium sibi conferatur, quo casu indubitatum est procurantem, & capientem esse ipso facto innodatos vinculo excommunicationis c. Si quis suadente Diabolo; sed præter excommunicationem decernit Summus Pontifex in dicta Clem. 2. de poen. si sint Prælati, fore suspensos à beneficijs ad triennium, alij verò non Prælati, sed inferiores, ipso facto sint priuati beneficijs, & easdem pœnas statuit in eos, qui capiunt citatum ad Romanam Curiam, ne ad diem designatum comparere possit; Atque etiam de ipsumet citato, qui procurat capi, ne possit comparere ad diem suæ assignationis; Et resignatio sic facta non tenet, etiam si per Prælatos recepta fuerit, & ratificata. Quæ pœna non habet locum, si capiantur laici ad impediendam citationem ipsis factam ad Curiam, vt inquit Glo. Ver. Ecclesiasticos. Item si personæ Ecclesiasticæ capiantur non ad finem resignationis beneficij, vel ad citationem impediendam, sed ob alias causas, licèt excommunicatio incurratur, non tamen suspensio lata in dicta Clem. vt notat Glo. Ver. Captosque. Rursus ipsi citati ad Curiam Romanam, qui se capi procurant, fingentes legitimam habere excusationem, si non compareant, non afficiuntur pœnis Clem. si procurant se capi per potestatem Ecclesiasticam, cum dicat tex. *à potestate seculari se capi &c.* & notat Glo. Ver. Seculari.

Sed hic dubitari meritò potest, quomodo asseramus hanc suspensionem latam esse contra Episcopos, cum in dicta Clement. Episcopi non nominentur, sed tantum generaliter exprimantur Prælati sub illis verbis, *si fuerint Prælati,* sed constitutio continens pęnam suspensionis non comprehendit Episcopos, nisi fuerint expressè nominati c. Quia periculosum, de sent. excom. lib. 6.

Respondeo probabilius esse affirmare hic nomine Pręlatorum maximè intelligi debere Episcopos; Primò quia Episcopi primò, & principaliter vocantur Prælati, & hæc vox absolutè prolata refertur ad Episcopos, nisi aliud dicendum sit, vel ratione materiæ, de qua agitur, vel colligatur ex verbis præcedentibus, aut sequentibus. Secundò quia collatio, & resignatio beneficiorum, de quibus tractatur in dicta Clement. pertinent proprie ad Episcopos. Tertiò quia alia pœna imponitur pro inferioribus Clericis, scilicet priuatio omnium beneficiorum, ergo suspensio respicit Episcopos.

Sed rursus dubitari potest, an nomine Prælatorum significentur tantum Prælati superiores, idest Episcopi, vel simpliciter omnes tam Episcopi, quàm inferiores, ita vt Prælati inferiores committentes hoc crimen incurrant pœnam suspensionis à perceptione fructuum beneficiorum suorum, vel potius includantur sub illa clausula, *Quòd si inferiores extiterint*, & incurrant pœnam priuationis beneficiorum. Et pro hac posteriori interpretatione facit, quia inferiores Pręlati, si comparentur ad Episcopos, vocantur inferiores, Episcopi enim simpliciter dicuntur maiores; secūdò quia tex. non ait cum additione, *Inferiores Clerici*, sicut alibi habetur, sed simpliciter *Inferiores*, ergo intelligi debent comparatiuè ad eos, de quibus dixerat, idest ad Prælatos. Quare comparatio fit inter Prælatos superiores, & inferiores.

Probabilius tamen existimo oppositum, nempe vt dicamus nomine Pręlatorum comprehēdi Episcopos, & Superiores Prælatos in dignitate constitutos tam regulares, quàm seculares, & maximè eos, qui gaudēt dignitate quasi Episcopali, & voce illa, *inferiores*, includi omnes alios Clericos iurisdictione carentes, qui in dignitate non sunt constituti; Primo quoniam Prælati propriè sunt omnes, qui habent iurisdictionem ordinariam, vt tradit Abb. in cap. 2. nu. 16. de Iudi. & patet ibi ex tex. manifesto, vbi prohibetur, ne Laici Ecclesiastica negocia tractare præsumant, *Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alij Ecclesiarum Prælati,* & ibi Glo. Ver. Ecclesiarum; Similiter Superior Religiosorum dicitur propriè Prælatus, vt notat Felin. in cap. Insuper in princ. De Testi. Quare cum verba Constitutionis sint accipienda secundum propriam significationem, dicendum est Summum Pontificem nomine Prælatorum comprehendere voluisse tam Episcopos, quàm alios habentes iurisdictionem ordinariam. Secundò si Summus Pontifex verbis illis, *quòd si inferiores extiterint,* intelligere voluisset inferiores Prælatos, sequeretur sub illis verbis non includi alios Clericos, qui minimè sunt Prælati, quare pœna priuationis beneficiorum non haberet locum in alijs Clericis, qui non essent Prælati, quod videtur absurdum, quia nulla esset pœna imposita in huiusmodi Clericos.

Quo in loco id quoque annotari potest, quod in superiori quoque casu pertractatum fuit, vt notat etiā Card. in ead. Clem. n. 8. Nimirum in pœnis imponendis distinguendum esse inter maiores, & minores personas, vt animaduertit Glo. Ver. Inferiores. Idem habetur in c. Qualiter 2. Vers. Licèt autem, de accusat. & in c. Qui contra 24 q 1. & ibi Glos. Ver. Ignobiles, & in c. Aut facta, de Pœnit. dist. 1. ibi: *Aliter enim puniuntur ex eisdem facinoribus serui, quàm liberi &c.* & ibi Glo. Ver. Eius, & l. Capitalium, §. vlt. ff. de pœn.

Quædam autem conditiones necessaria sunt attendendæ, vt incurrantur Censuræ huius Clem. quas recensuit Cardin. ibi numero decimo sexto. Primo, vt personæ captæ sint Ecclesiasticæ, non Laicales, ex tex. *Vnos sæpe Ecclesiasticos capere*, & notat ibi Glo. quia hoc grauamen infertur personis Ecclesiasticis, vt cogantur renunciare beneficia, quæ possident; Laici verò non sunt capaces beneficiorum. Secunda conditio, vt capiantur ob causam aliquam ex tribus expressis in text. idest, vt Clericus resignet beneficium, vel ne citatus ad Sedem Apostolicam accedere valeat; Vel tandem si citatus ad Sedem

Apostolicam procurat, vt ipsemet capiatur, ne possit venire. Tertia conditio, vt reuera sequatur captura, & Clericus compellatur resignare, & patet ex illis verbis, *Sanè resignationes beneficiorum modo supradicto factas*, arg. l. 1. §. Hæc verba, ff. Quod quisque Iuris, &c. Relatum, de Cleri. non resid. Quarta conditio, vt quis procuret capi, secus enim est, si per se ipsum capit Clericum, quia magis videntur delinquere procurantes, quàm facientes arg. cap. Athletas §. Pomponius, de his qui notan. infam. Quinta conditio, vt tales procurantes sint Ecclesiasticæ personæ.

Quamobrem duæ personæ concurrere possunt ad crimen damnatum in dicta Clem. nempe capiens Clericum, seu carceri trudens iniustè, & id procurans per potestatem laicam; Pœnæ verò, & censuræ Clem. non feruntur contra temporales Dominos capientes huiusmodi Clericos, sed contra procurantes, & non omnes, sed tantum Ecclesiasticos viros; laici enim possunt etiam procurare hanc capturam, & tamen non afficiuntur aliqua speciali pœna, sed solum incurrunt excommunicationem Canonis, si quis suadente. Item necesse est, vt ista captura procuretur per virum Ecclesiasticum apud Dominum Temporalem. Quare si Episcopus procuret Clericum carceri tradi ab alio Episcopo vtente iurisdictione sua spirituali ob easdem causas, vt renunciet beneficium, vel ne citatus accedat ad Sedem Apostolicam, non incurrit hanc censuram, quæ fertur in eum, qui hoc procurat per potestatem secularem, ibi; *à potestate seculari se capi.* Sed si Episcopus, qui inducitur ad capiendum, esset etiam Dominus Temporalis, & tali dominio vteretur, non iurisdictione Ecclesiastica, tunc Episcopus eum prouocans ad capturam Clerici incideret in suspensionem, vt inquit Glos. Ver. Dominium. Et ratio est, quia Summus Pontifex simpliciter loquitur de Dominis temporalibus; ideo quamuis accidat aliquando, vt in eadem persona coniugatur vtrumque Dominium Spirituale, & Temporale, non idcirco illa persona verè non debet appellari Dominus temporalis.

Sed quid dicendum esset de ipsomet Episcopo, qui simul est Dominus temporalis, qui non procurat apud alium Dominum, vt Clericus capiatur, sed ipsemet, vt Dominus temporalis illum in carceres trudit ob prędictas causas, an remaneret hac suspensione obstrictus.

Difficultas oritur ex ijs, quæ diximus, & ex verbis textus, nam pœnæ Clement. feruntur contra *procurantes ipsi personæ Ecclesiasticæ existentes*. Accedit, quòd eædem censuræ imponuntur contra personas Ecclesiasticas, vt ex eisdem verbis citatis constat. Ille autem Episcopus in casu proposito non se gerit, vt Ecclesiastica persona, sed vt Dominus Temporalis, ideo non videtur locus censuris dictæ Clement.

Oppositum tamen est verius, nam Dominus Temporalis, qui Clericum capit, & detinet cõtra formam huius Constitutionis, necessariò procurat, vt capiatur, iubendo, & mittendo ministros ad illum finem, quæ omnia sub verbo, Procurant comprehenduntur. neque opus est, vt semper hæc procuratio fiat apud Dominum, & Superiorem Temporalem. Neque obstat, quòd mandet Clericum capi vtens potestate temporali, quia satis est, quòd ipse sit persona Ecclesiastica, quoniam non requiritur, vt procuret vt Episcopus formaliter, sed solum vt ille, qui procurat, sit Episcopus, aut persona Ecclesiastica. immo hanc suspensionem incurreret Episcopus, qui simul esset Dominus temporalis, quamuis per se ipsum, & non per ministrũ detineret ob dictas causas prohibitas: quia tunc quoque procuraret hanc capturam apud Dominum temporalem, cum ipse esset talis.

Tandem, vt finem imponamus huic suspensioni, dubitari potest de tertia conditione, quam diximus requiri ad contrahendam hanc suspensionem, nimirum non satis esse apud Dominum temporalem procurare, vt Clericus capiatur, nisi sequatur actualis carceratio, immo & finis carcerationis, nempe resignatio beneficij: nam videtur contracta suspensio statim secuta carceratione; & probari potest ex illis verbis Clem. *Statuimus, vt præter sententiam Canonis, quam facientes, & fieri procurantes præmissas dignoscuntur &c. triennio sint suspensi.* Sed per incarcerationem statim nullo alio expectato effectu incurritur excommunicatio. ergo eadem ratio militat de suspensione.

Tamen affirmandum est, sicut dixi, non esse locum huic censuræ suspensionis, nisi postquam effectum intentum sortiatur carceratio illa, idest postquam Clericus vi talis carcerationis renunciet beneficium iuxta mentem illius, qui carcerationem procurauit, Aut nisi ob eam causam cesset comparere ad Curiam, sicut tenebatur tempore præscripto. Quod probari potest primò ex regula, quam in tractatu de excommunicatione sæpe citaui. quòd censura non incurritur, nisi delictum fuerit plenè perfectum, & consummatum. Secundo confirmatur ex verbis Clem. cum inquit. *Viros sæpe Ecclesiasticos capere, captosque donec sua renuncient beneficia, aut ne citati ad Apostolicam Sedem venire valeant, ausu sacrilego detinere non verentur.* Et personæ Ecclesiasticæ, quæ supradicta procurant, suspenduntur. Igitur ad incurrendam suspensionem non sufficit tantum procurare, vt Clericus capiatur, sed requiritur, vt detineatur, quousque resignet beneficium intentum, vel quousque transeat tempus assignatum comparendi ad Sedem Apostolicam. Quare si capiatur Clericus ad hunc finem, vt compellatur resignare beneficium, si tamen cum effectu non resignauerit, non incurritur suspensio, Vel si captus fuit, vt non valeret ad Curiam Romanam citatus debito tempore comparere, tamen adhuc comparuit, vel si non accessit, manifestè probari possit detentionem non fuisse causam non eundi. Similiter non erit locus suspensioni. ita tenent Card. in dicta Clem. nu. 13. & Bernard. Diaz in Pract. Canon. cap. 104.

Nona suspensio annumerari potest illa, quæ habetur in Bulla Sixti Quinti de visitandis liminibus Apostolorum, edita Anno 1585. 13. Cal. Ianuarij, Pontificatus sui anno primo, In qua decernit, vt omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi per vniuersum Orbem constituti, etiamsi Cardinalatus honorem perfulgeant, statutis quibusdam temporib. personaliter, ac per se ipsos beatissima Apostolorum Petri, & Pauli limina visitent, & si impediti legitimè, siue per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem de gremio suorum Capitulorum, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem Ecclesiastica dignitate, & personatu prędictum non habeant, per Diœcesanum Sacerdotem, & si Clero careant omnino, per aliquem alium Presbyterum secularem, aut regularem spectatæ probitatis, & Religionis bene de omnibus instructum, hoc ipsum adimpleant. Tempus verò, quo hoc visitationis debitum officium fieri debet, in eadem Bulla assignatur maius, & minus pro diuersitate longioris, & breuioris distantiæ ab Vrbe, & recensentur distinctè omnes Prouinciæ, in quibus

Catho-

Catholica fides viget in qualibet mundi parte, scilicet Europa, Africa, & Asia, & quoto anno Episcopus ex qualibet dictarum Prouinciarum ad limina Apostolorum visitanda accedere debeat: Quare viciniores tertio quoque anno; Alij verò pro maiori, & minori distantia quarto, quinto, vel decimo anno iter suscipere, & (Deo concedente) perficere debent. Et successiuè eisdem temporibus transactis repetere teneantur.

Decima suspensio habetur in Extrauag. 2. de elect. Io. 22. vbi suspenditur Episcopus à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ, si non seruauerit ea, quæ in dicta extrauag. statuta sunt, quoad perceptionem fructuum Episcopatus primi, & secundi anni. Hæc eadem legitur in Extrauag. Suscepti Regiminis, inter communes, Ne Sede vacante: Vt clarius intelligatur hæc suspensio, sciendum est Papam in dicta Extrauag. prouidere voluisse diuino cultui, & ministris eiusdem, & occurrere dispendijs, quæ ipsis quotidie imminent propter occupationes vacantium Ecclesiarum primi anni; & idcirco statuisse, quòd quando talis occupatio imminebit in beneficijs, quæ consueuerunt in decimæ solutione taxare, Collectores ipsorum annalium sint contenti, ipsa summa, pro qua consueuit decima dari, totali residuo penes eum, cui collatum est beneficium, remanente iuxta formam ibi præscriptã: In non taxatos autem fructus decimabiles illius anni diuidi debere per medium, & medietatem vtriq; eorum tribui; Et si quis quidquam contra dictam ordinationem receperit: *Illudq; his, ad quos pertinebit infra mensem non restituerit cum effectu, eo ipso si Episcopus, vel Superior Prælatus fuerit, à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ sit suspensus. Si autem Capitulum, Vniuersitas, vel Collegium, Interdicto se nouerint, donec prædicta cum integritate restituerint, subiacere. Si verò aliqua singularis persona Ecclesiastica, vel mundana id fecerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, à qua sine restitutione præmissa, præterquam in mortis articulo, minimè absoluatur.*

Quare hæc suspensio incurritur, nisi infra mensem facta fuerit restitutio ad præscriptum dictæ Constitutionis, quod est intelligendum, si possit restituere; si enim per ipsum non steterit, quominus restituerit, tunc habendus est pro restituente, vt inquit Glo. Ver. Non restituerit.

Non sufficit autem obligatio verbalis facta de restituendo, vt patet ex verbo, *Cum effectu*, restituerit, quasi realiter, vt notat Glo. dicto Ver. Cum effectu. nam vbi opus est facto, sola voluntas non sufficit, quod etiam denotat verbum, *Restituerit*, quod de sui natura plenam habet significationem. l. Videamus, §. In flauiana, ff. de vsu.

Hac suspensione afficiuntur Episcopi, & superiores Prælati, & per Superiores Prælatos significantur Archiepiscopi, & Patriarchæ, vt inquit Glo. Ver. Superior, vbi etiam notat Glo. quod in superiori casu examinauimus, supposita delicti paritate mitius in pœnis agendum est cum Episcopis, & Superioribus, quàm cum alijs propter dignitatem Pontificalis officij cap. Quia Pontificali, de off. Deleg. lib. 6. cap. Pastoralis, de Off. Deleg.

Quæret aliquis, quid intelligi debeat per suspensionem à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ.

Respondet Glo. Ver. A pontificalibus, & Ver. Et ingressu Ecclesiæ, primò per suspensionem à pontificalibus significari suspensionem ab his, quibus potest dici Pontifex. Quare sic suspensus celebrare non pote-

A rit Missam cũ mitra, & baculo. Similiter ab ordinum collatione, Chrismatione in fonte Basilicarum, & Virginum consecratione, nõ priuatur autem ab alijs, puta à Missæ celebratione absque Pontificalibus ornamentis non prohibetur baptizare, pœnitentias dare, & alia peragere, quæ competunt ratione ordinis Sacerdotalis, quæ non permittuntur, quando Episcopus suspenditur à Sacerdotali officio cap. Sanè 2. De offic. Deleg.

Quærit Glo. dicto Ver. A pontificalibus, an Episcopus suspensus ab officio Sacerdotali possit vti pontificalibus, & alibi, quàm in Missa, & respondet non posse, quia prohibito vno, censentur omnia interdicta, quæ sine alio exerceri nequeunt, cap. Cum quid prohibetur De reg. iur. lib. 6. Sed Episcopus non potest pontificale B munus sine Sacerdotio implere cap. Ex literis in fi. de excess. Prælat.

Per suspensionem verò ab ingressu Ecclesiæ prohibetur Episcopus ab his, quæ referuntur in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. idest ne in Ecclesia possit celebrare diuina, & si Interdicto durante decedat, non potest in Ecclesia, aut Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnitentiam egerit sepeliri. Itẽ si diuina in Ecclesia celebrat, contrahit irregularitatem Glo. in c. Quia pontificali, Ver. Ingressu, de off. Deleg. & addit, quod suspensus à pontificalibus tantum in illis celebrando, non fit irregularis, citat Guil. in Spec. de leg. §. Iuxta, Vers. Quid si quis Episcopus.

C Quare Episcopi, & Superiores suspenduntur à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ, Capitulum autem, Vniuersitas, & Collegium subijciuntur Interdicto Ecclesiastico, idest vt inquit Glo. Ver. Interdicto per talem sententiam ligati sunt singuli de Capitulo, Vniuersitate, & Collegio, vt alicubi audire diuina non possint, nec Ecclesiastica recipere Sacramenta, cap. Si sententia §. Cum verò, de sent. excomm. lib. 6. *Donec prædicta cum integritate restituerint.* quare à contrario sensu videretur dicendum, quòd facta integrali restitutione talis suspensionis, & interdicti sententia relaxata esset. Oppositum tamen est verum, vt probat Glo. Ver. Donec prædicta, quòd etiam post restitutionem est necessaria relaxatio sententiæ. nam dubitari D potest, an reuera restitutio integraliter facta sit, vt notat Innoc. in c. Cum bonæ, de æta. & qualit.

Si verò aliqua singularis persona Ecclesiastica, vel mundana violauerit prædictam Constitutionem, excommunicationis sentẽtiam incurrit ipso facto, à qua sine restitutione præmissa, præterquam in mortis articulo minimè absolui debet. Quæ excommunicatio afficit omnes personas absque vlla exceptione tam Ecclesiasticas, quàm Laicales post Episcopos, & Superiores Prælatos, vt notat Glo. Ver. Aliqua idest quæcunque. est enim locutio indefinita, cap. Quia circa, de Priuileg. cap. Romanorum distin. 19. Et cum agatur de incurrenda excommunicatione, quæ in dubio, vt tutior pars eligitur, præsumi debet lata in quem- E cumque, cap. Illud, §. Licet, de Cleri. excomm. minl. à qua excommunicatione facta restitutione infra mensem, vt dictum est, poterit absoluere Ordinarius, cum Papa sibi illam non reseruauerit.

Dubitat Glo. ver. Minimè absoluatur, si ordinarius absolutionem impendat non facta restitutione, an talis absolutio prosit ipsi Excõmunicato; Respõdet negatiuè talem absolutionem non præmissa restitutione nõ valere, cum ita expressè ibi disponatur, quia factũ contra legis prohibitionem non tenet, quamuis in ipsa lege non addita sit clausula Irritans, vt inquit ibi Glo.

& probat ex l. Non dubium, C. De legi. cap. Imperiali 22. quæst. 2.

Vndecima suspensio habetur in Extrau. 1. de elect. inter communes, vbi Episcopi, Abbates, vel Prælati Religionum, qui ab Apostolica Sede confirmationem recipiunt, aut ab ea promouentur, si absq; literis authenticis eiusdem Sedis ad ministrationem suarum Ecclesiarum recipiant, suspenduntur ab administratione fructuum earumdem Ecclesiarum. Capitula verò, Conuentus Ecclesiarum, & Monasteriorum, & alij quicumque, ipsos absque huiusmodi Sedis literis recipientes, vel obedientes eisdem, tamdiù à beneficiorum suorum perceptione suspenduntur, donec super hoc eiusdem Sedis gratiam meruerint obtinere. Rursus Episcopi, Prælati, Abbates, & alij Monasteriorum regimina exercentes prædicti solito fidelitatis, & obedientiæ iuramento non præstito, vel illi Pontifices, quos apud prædictam Sedem pallium contingit recipere absque literis traditionis pallij, nequaquam ab ea discedere possint; Discedentes verò quousque huiusmodi iuramenta præstiterint, & literas obtinuerint, nihil de ipsarum Ecclesiarum, & Monasteriorum prouentibus percipere debent, & quidquid interim per eos actum fuerit, nullius erit roboris.

Inter has suspensiones, quæ habentur in Iure contra Episcopos, recenseri potest illa, quæ legitur in c. Habuisse dist. 33. vbi si Episcopus accedat ad mulierem, quam ante Episcopatum carnaliter cognouit, suspendatur ab ordine his verbis, *Sacerdotij honore deposito ad ministrandum nullo modo præsumas accedere.* Vbi Glo. Ver. Deposito, vocem depositionis accipit pro suspensione ad tempus.

Cum hac suspensione coniungi potest alia similis spectans ad idem genus, & habetur in Concil. Triden. sess. 25. cap. 14. De reform. vbi Episcopus ipso facto suspenditur, si concubinarius sit, & à Synodo Prouinciali admonitus non se emendauerit, Verba Concilij in dicto cap. 14. in fin. hæc sunt: *Episcopi quoque, quod absit si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi, & si perseuerent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat.*

Sufficit vnica admonitio ad incurrendam hanc suspensionem, & hæc est necessaria, ideo nisi illa præcesserit, non contrahitur suspensio. Et quia rarò Concilia Prouincialia congregantur, idcirco rarò locus erit huic suspensioni.

Dici autem potest tunc Episcopum non se emen-

A dare, vt incurrat hanc suspensionem, si admonitus statim, & absque alia dilatione morali non tollit occasionem delicti, & scandali; Quæ suspensio cum sit simpliciter prolata, & sine vlla temporis determinatione, accipi debet vniuersaliter pro suspensione ab officio, & à beneficio.

Decima tertia suspensio legitur in cap. Pessimam 23. q. 8. contra Episcopum, qui condonauerit pœnam ibi contentam aduersus Incendiarios, qui, vltra obligationem restituendi damnum de incendio illatum, per annum ab officio Episcopali suspenditur. Textus ita loquitur: *Si quis autem Archiepiscopus, vel Episcopus hoc relaxauerit,* B scilicet pœnam ibi statutam contra incendiarium, *damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat.*

Decima quarta habetur in cap. Quidquid 1. q. 1. ex Concilio Toletano, vbi imponitur pœna suspensionis contra Episcopum, qui sciens Sacerdotem subditum suum pro Sacramentis administrandis aliquid præmij accipere, nisi fuerit sponte & voluntarie oblatio, si negligit illum corrigere. Et hæc suspensio est ad duos menses, vbi textus vtitur nomine suspensionis, & sic ait: *Idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat pro eo, quod vita mala contraxit, & correptionem* C *necessariam non adhibuit.* Vbi Glo. Ver. Excommunicationi, nomine excômunicationis suspensionem interpretatur. idque patet, quia fertur ad duos menses, sed excommunicatio non infligitur ad tempus certum, vt in materia de excommunicatione probatum est, eadem pœna imponitur Episcopo negligenti denunciare suis Ecclesiis infra sex menses, quæ in Concilio Prouinciali statuta fuerunt. *Quòd si quispiam hæc paruipendenda crediderit, sententia excommunicationis duorum mensium curriculo persistat vsquequaque multatus,* & Glo. Ver. Excommunicationis declarat, idest suspensionis ab officio duorum D mensium. Eadem pœna excommunicationis duorum mensium lata reperitur in Episcopum in cap. Vni. in fi. 10. q. 3. Probabile quoque est, vt nomine excommunicationis intelligatur separatio à Sacramentorum perceptione, vt in cap. Tanta dist. 88. *Eos verò, quorum consilio hæc egisti in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus.* & ita explicat ibi Turre Crem. nu. 6.



DISPV-



DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

DE SVSPENSIONIBVS, QVAE REPERIVNTVR IN IVRE ADVERSVS Religiosos specialiter, & eorum Capitula, aut Conuentus.



SVPEREST, vt imponamus finem suspensionibus variis, quæ in Iure habentur in diuersa delicta, vt recenseamus breuiter suspensiones, quas incurrunt ipso facto Religiosi diuersimode delinquentes in sacros Canones, & Constitutiones Summorum Pontificum. Colligemus, autem præcipuas, & quæ frequentiores sunt, & magis notandæ.

Caput Primum, De Suspensionibus contra Prælatos Religionum.

Caput Secundum, De Suspensionibus Iuris aduersus Religiosos inferiores latis.

CAPVT I.

De Suspensionibus contra Prælatos Religionum.

PRimo loco enumeretur suspensio lata in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 10. qua suspenditur Abb. etiam regularis ab officio, & beneficio per annum, si subditis laicis primam Tonsuram, aut minores ordines conferat, aut eisdem literas dimissorias concedat, vt ab aliis ordinentur. At suis regularibus primam Tonsuram, & minores ordines conferre potest in suo Monasterio, & Ecclesia propria, vt indicant manifestè verba illa Concilij, *Cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram & minores ordines conferre*, Ergo illi Abbates, & alij Prælati, quibus Iure, vel priuilegio conceditur minores ordines conferre, hac facultate vti possunt tantummodo erga suos subditos regulares, & tantummodo in propria Ecclesia, vt habetur in c. Quoniam, & ibi Glo. Ver. Lectoris dist. 69. & in c. Cum contingat, de ætа. & qualit. & in c. Abbates, de Priuileg. lib. 6. Vbi Alexander Quartus declarat priuilegium concessum Abbatibus de populo benedicendo, intelligendum esse de benedictione elargienda super populum in Ecclesijs, quæ ad eos pertinent pleno iure, sicut etiam Abbatibus eisdem non est licitum alijs, *quàm Monasteriorum suorum conuersis, & qui ad eos conuolauerint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinēt, primam clericalem conferre tonsuram.* Possunt tamen dicti Abbates in Claustris aliorum exemptorum inuitati iure suo tonsuram, & minores ordines conferre, & non incurrent hanc pœnam, etiam non requisito Diœcesano. ita dicit Gemin. in dicto c. Abbates, nu. 6. de priuileg. lib. 6. ex sententia Host. quos sequitur Maiol. lib. 3. cap. 23. nu. 12. de irregular.

Animaduertendum tamen est Abbatem non posse conferre Tonsuram Monacho subdito suo nouitio infra annum probationis, quia dicto anno probationis decurrente Monachus non reputatur subditus, quoad ordines suscipiendos, Gemin. in dicto c. Abbates nu. 8. in fi. quod inductum fuit, ne fieret fraus legi, quia certum est, quòd Monachus etiam post ordinem receptum exire potest, vt inquit Glo. in Ver. Conuolantrit ex mente Io. And. fraus autem est præcauenda.

Sed dubitari potest, si Abbas conferat primam tōsuram Nouitio maneat obstrictus hac suspēsione. Certum est peccare Abbatem, si tonsuram conferat Nouitio, Gemin. in c. Abbates n. 8. in fi. de Priuileg. lib. 6. Sylue. ver. Religio 5 §. 10. citat c. Monasterijs 19. q. 3. & quod in dicto c. dicitur expectādum esse biennium, antequam ordinetur Nouitius, putat fuisse sublatum contraria cōsuetudine, qua inductum est, vt facta professione statim possit ordines recipere iuxta dispositionem c. Gonsaldus 17. q. 2. & ibi Glo. Ver. Vnius anni. idem sentit Maiol. lib. 1. cap. 31. n. 6. & lib. 4. cap. 2. nu. 11. in fi. de irregul. & Henriq. lib. 13. de excomm. & suspens. cap. 38. §. 2. prope fin. Abbatem ordinantem Nouitium non fieri suspensum, & ita probabiliter affirmari potest: quia Nouitius debet dici subditus Abbati, quandiu habitum Religionis retinet, & ab ea nō exiuit; Ideo si conferantur minores ordines Nouitio, non est locus suspensioni, quæ incurritur, quoties non subditus ordinatur. Committitur tamen peccatum, si ordinetur, quia non est plenè, & perfectè subditus, vt dixi, quia liberum est currente anno mutato proposito discedere ab ipsa Religione, & redire ad vitam secularem.

Quod dictum est de Abbate exempto, cui competit Ius, & priuilegium conferendi ordines minores in suo Monasterio suis subditis, idem affirmant de Cardinali non Episcopo erga subditos suæ Parochiæ, vt tradunt Gemin. supra, Iacob. in Tractat. de Concil. lib. 1. art. 12. Maiol. dicto cap. lib. 4. c. 2. nu. 11. Henriq. vbi supra, qui addit hoc ius speciale non fuisse reuocatum per Concil. Trid. sess. 23. cap. 10. iuxta notata in c. 1. de Constit. lib. 6.

Secunda suspensio habetur in Clem. 1. §. Si quis autem, de sta. Mona. vbi suspenduntur Abbates, & Priores, qui non habent superiorem Abbatē in Religione

Monachorum nigrorum, si delinquant in habitu, & pertinentibus ad honestatem vestitus, idest si titulares con corrigiatos & altos, aut caputia non fissa portare præsumpserint. Suspensio hæc est à collatione beneficiorum per annum. Huius suspensionis meminit Syluest. Ver. Suspensio, §. 6. Vers. Trigesimo tertio, & Tabie. eod. Ver. num. 7. Vers. Sexto, casu 31. & alij, & notat Glo. in princ. dictæ Clemen. Ver. Nigrorum. Hanc Constitutionem solum habere locum in Monachis nigris, & rationem distinctionis assignat, quia alij Monachi communiter habent corpus, & caput maius, vt Cistercień. Camaldoleń. & similes, quo cum careant nigri, minus in eis viget correctio. Ex quibus colligimus Monachos nigros vocari illos, qui vtrunque habitum gestant nigrum superiorem scilicet, & inferiorem, cum nomine nigrorum non comprehendantur Cistercienses, vt notat Glo. qui habitu superiori nigro tantum vtuntur, inferiorem verò album induunt, & ita ait Tabien. loco citato.

Duplex itaque suspensio legitur in hac Clem. Prima est à beneficiorum collatione, quam incurrunt Abbas, & Prior non habens Abbatem proprium, si prædictam Constitutionem violauerint. Secunda, quæ fertur in alios, qui non sint Abbates, vel Priores non habentes Abbatem, suspenduntur per annum ab administratione, quam habent, quòd si nullam habeant administrationem, eo ipso per annum redduntur inhabiles ad administrationem, & beneficium Ecclesiasticum obtinendum.

Card. in ead. Clem. §. Si quis, nu. 3. quærit quos effectus pariant hæ duæ suspensiones, & quæ differentiæ existant inter beneficium, & administrationem; & respondet administrationem non significare titulum beneficij, sicut denotat beneficium, sed tantum denotare perceptionem fructuum temporalium nō spiritualium officiorum. Quare suspensio ab administratione est substractio fructuum temporalium, quod optimè inquit Card. accommodari potest ad hos Monachos, qui habent multa loca, in quibus nihil spiritualitatis exercent, nisi ex accidenti per modum accessorij ratione oratorij, vel Cappellæ in dictis locis existentis. At verò suspensio à collatione id significant, quod sonant verba; Nimirum Abbas, & huiusmodi Prior non possunt per annum beneficia conferre; non tamen suspenduntur, ne possint recipere beneficia, & ideirco interim gaudebunt suis beneficijs, & poterunt alia acquirere.

Sed vtrum si durante anno conferant beneficia, efficiantur irregulares; Respondet Card. non fieri irregulares, quia suspensio à beneficio non inducit irregularitatem, sed tantum suspensio ab officio, vt notauit etiam Innoc. in c. Nisi, num. 9. de Renunc. & durante hoc anno suspensionis, collatio beneficiorum, quę erāt conferenda ab Abbate, vel Priore, deuoluitur ad Priorem claustralem cum consilio, & assensu Conuentus, vel maioris partis ipsius, vt habetur in eodem §. Si quis, eiusdem Clem. Vbi Glo. Ver. Præmittitur notat hanc prouisionem coarctari ad prædictos casus, nam in alijs seruandum est, quod disponitur in cap. vnic. Ne Sede vacan. lib. 6.

In eadem Clemen. 1. in dicto §. Si quis, de statu Monac. legitur eadem duplex suspensio contra easdem personas lata, si venationi, aut aucupationi clamosæ, vel alias cum canibus, aut auibus ex proposito interfuerint, idest si Abbates, vel Priores, qui non habeant supra se Abbatem ex eodem ordine Benedictinorum, suspenduntur à collatione beneficiorum ad biennium,

A alij verò ab administratione, si quam obtinent ad idem tempus, quòd si nullam habeant, eo ipso redduntur inhabiles ad administrationem, & beneficium obtinendum, durante biennio, Sylue. Ver. Suspensio §. 6. Vers. Trigesimo tertio.

Glo. in cap. Qui venatoribus dist. 86. distinguit triplicem venationem, cuius distinctionis meminit Cardin. in dicta Clem. t. §. Porrò, & Sylue. Ver. Venatio, Turre Crem. in dicto cap. Qui venatoribus dist. 86. in 1. quæst. num. 2. quam tradit Glo. in eod. cap. Qui venatoribus. Quædam est venatio oppressiua hominum, quæ semper prohibetur, de qua intelligi potest id, quod dicitur Genes. Cap. 10. quod cœpit Nembrot esse robustus venator coram Domino, i. hominum
B oppressor tirannice. Quædam est arenaria, cum quis pugnat in arena cum bestia dentata, locans ad hoc operas suas, quæ similiter est damnata, qui exercet hanc venationem, peccat mortaliter, & efficitur infamis, qui verò ostendendæ suæ agilitatis, & roboris gratia cum bestia pugnaret, licet peccaret, sicut primus, non tamen efficeretur infamis. Vbi verò cogeretur quis ad hanc pugnam, vt in aliquibus Prouincijs viget hic abusus, in quibus damnatur ob crimen poena mortis, vel occiditur, vel cogitur pugnare cum bellua dentata, vel cornuta, tunc pugnans ad tuendam vitam, vt euaderet mortem, non videtur peccare, quia facie necessitate coactus ad se defendēdum contra bestiam ad eius necem immissam, vt tueatur
C vitam. Tertia tandem est venatio, quæ fit in siluis, & nemoribus, quæ licita est, cap. Non est in potestate, de Decī. Redditur tamen illicita, vt notat prædicta Glo. vel ex tempore, vt diebus Quadragesimæ, & Ieiuniorum, vel ex persona, quia non licet Clerico, & Religioso, si fit cum clamore, & strepitu, sed illa, quæ exercetur sine tumultu, & scandalo, seruata honestate, & decentia, gratia recreationis, vel vtilitatis per se, nisi ob alias causas, non prohibetur, vt omnes Doctores citati asserunt. De qua venatione, quando laicis sit licita, aut illicita, tractant Doctores, & præsertim Turre Crem. loco citato, & Alexan. in capit. 1. de Cleric. Venat.

D Quare in Clem. 1. de sta. Mona. imponitur poena suspensionis Monachis nigris, si huiusmodi venationi, aut aucupationi clamosæ cum canibus, aut auibus ex proposito interfuerint iuxta præmissam personarum distinctionem.

Nauar. in Commentario quarto, quæst. 9. nu. 26. de Regular. tenet hanc Constitutionem ligare non solum Monachos nigros, sed omnes etiam Canonicos regulares, nam licèt Glo. in dicta Clem. in prin. Verb. Nigrorum, & in §. sane, ver. Mensibus, & in §. Quia verò Ver. Canonici, quam sequuntur Card. & Imol. vt superius annotaui, asserat Clement. illam locum habere tantum in Monachis nigris, hoc est intelligendum quoad ea, quæ ibi primum statuuntur, quæ antea non reperiebantur disposita. Verum quantum
E ad illa, quæ erant antea definita, Constitutio illius Clemen. seruanda est ab omnibus Monachis. Venatio autem, & aucupatio cum canibus, & auibus antea interdicta erat etiam Clericis secularibus cap. 2. De Cleri. Vena. *Omnibus seruis Dei venationes, & vagationes cum canibus, & accipitres, aut falcones interdicimus.* Vbi Glo. Ver. Omnibus seruis exponit pro Clericis peculiariter appellantur serui Dei, idest in sortem Domini ad eius obsequium specialiter assumpti.

Et in cap. 1. eod. tit. imponitur pœna suspensionis Episcopo Presbytero, & Diacono, si canes aut accipitres,

tres, ant huiusmodi ad venandum habuerit, idest Episcopus suspenditur à communione tribus mensibus, Presbyter duobus, Diaconus ab omni officio, si voluptatis causa sæpius venationi vacauerit, vbi Glo. Vet. Voluptate, inquit non esse peccatum Clericis venari necessitatis gratia, vel recreationis, excepto Episcopo, cui omnino id non licet, modò non inducant consuetudinem, diuersa ratio est de piscatore, vt notat Card. in dicta Clem. 1. §. Porrò num. 3. Vers. Secundo quæro de sta. Mona. quæ permittitur Clericis, quia fit sine clamore.

Quarta suspensio desumi potest ex Clem. 1. §. Quibus, Vers. Cæterum de priuileg. lata in Prælatos Religiosorum, ad quos occasione excessuum suorum Religiosorum aliquid quoquomodo peruenerit, nisi de eo satisfecerint Ecclesijs, & personis, quæ passæ sunt damnum infra mensem, postquam requisiti fuerint, & suspenduntur vsque ad debitam satisfactionem.

In dicta Clem. 1. §. Quibus recensentur septem peccata Religiosorum, à quibus eos præcipit abstinere, sub certis pœnis, quas eis imponi iubet, quorum occasione eorum Prælati suspenduntur, nisi de his, quę causa dictorum excessuum ad eos peruenerint, integrè satisfecerint. Primum peccatum est, si Religiosi in suis Concionibus Ecclesiarum Prælatis detraxerint; secúdo si retrahant Laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia; tertio si indulgentias pronuncient indiscretas; quarto si impediant liberam Testatoris voluntatem, maximè ne Legatum faciat Ecclesiæ Matrici, aut Parochiæ, licèt non prohibeantur inducere Morientes, vt sponte legent aliquid suo Monasterio, dum indiget, aut reuocare ad memoriam proprias necessitates; quinto, si legata, vel debita, aut malè ablata incerta Fratribus, vel Conuentibus, aut sibi ipsis in alterius præiudicium applicari procurent; sexto si absoluant sine priuilegio à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, aut locorum Ordinarijs; septimo, si præsumant personas Ecclesiasticas, præsertim coram Iudicibus Delegatis indebitè vexare aut ad loca plura, & præsertim multum remota conuenire.

Hæc sunt peccata Religiosorum, quorum causa Prælati non facta legitima satisfactione suspenduntur, & Glo. ibi Ver. Suspensionis intelligit de suspensione ab officio, licèt Summus Pontifex id non expresserit iuxta regulam alias notatam in materia de suspensione, quòd vbi Constitutio vel sententia imponit pœnam suspensionis indefinitè & absoluta, est accipienda pro suspensione ab officio & administratione. Quæ suspensio non fertur contra omnes singulares Religiosos, qui excessus enumeratos commiserint, sicut putant Sylue. Ver. Suspensio §. Sexto, Vers. Trigesimo sexto, & Ang. eod. loco, nam Religiosi ob hãc causam in dicta Clem. excommunicantur; at suspensio fertur tantum in Prælatos delinquentes modo prædicto.

Vt verò Prælati hanc suspensionem contrahant, plura conuenire debent ex parte causę. Primum, quòd isti Prælati aliquid acceperint vel pro Monasterio, aut pro personis priuatis, quia verba sunt generalia. Secundum, vt accipiant ob excessus & culpas enarratas Religiosorum subditorum; Tertium, vt huiusmodi Prælati, ad quos bona hoc modo vsurpata peruenerint, requirantur ab illis, in quorum præiudicium bona vsurpata fuerunt, vt ea restituant; Quartum, vt postquam requisiti fuerint, persistant in contumacia & mora restituendi per mensem, & mens pertransierit non facta integra satisfactione.

Quærit Card. in dicta Clem §. Cæterum numero 1. cum dictum sit requirendos esse Prælatos ad incurrendam hanc suspensionem, an sufficiat vnica requisitio, & respondet satis esse, quam facere debent illi, quorum interest.

Quærit secundò, an hæc suspensio ab officio includat suspensionem à beneficio; Respnndet, quòd suspensio ab officio, vel est perpetua, vel ad tempus, vel simpliciter lata, primo casu suspensus ab officio est suspensus à beneficio, quia talis suspensio habet vim priuationis, vt alias dixi, quare id non sequitur ex vi suspensionis ab officio, quæ non infert suspensionem à beneficio, vt alias latius declaraui. Sed quia cum perpetuò sit suspensus ab officio, non potest Ecclesiæ inseruire, sicque non debet fructus beneficij percipere, si secundo modo, & sit beneficium, quod requirat seruitium & præsentiam, ab huiusmodi etiam beneficio suspensus erit, cum careat executione officij, secus erit in alijs beneficijs, à quibus non erit suspensus, nisi id fuerit expressum in sententia. Tertio modo suspensus simpliciter, & absolutè ab officio, non erit suspensus à beneficio, sicut est dicendum in casu huius Clement. de quo tractamus.

Tertiò quærit Card. num. 8. cum hæc suspensio imponatur vsque ad satisfactionem, an Prælatus præstita integra satisfactione desinat esse suspensus; Respõdet non sufficere satisfactionem ex sent. Innoc. in cap. Cum bonæ, de Aeta. & Qualit. sed necessariam esse absolutionem, vt notat Glo. in Clem. 1. Vet. Sic suspensi de Deci. vbi Card. in quæst. 30.

Tandem quærit Card. an manente hac suspensione, si Prælatus celebrauerit, fiat irregularis, & ad soluendam difficultatem vtitur distinctione, vel est aliquis suspensus à Canone per modum sententiæ, & in hoc casu ex celebratione incurritur irregularitas, vel non suspenditur per modum sententię, & tunc per executionem ordinis non contrahitur irregularitas, sicut dicitur de fornicario, & simoniaco in Canone, quòd sunt suspensi.

Verùm hæc responsio Card. mihi non probatur, tum quia distinctio illa caret fundamento, & exemplum, quod refert de fornicario & simoniaco non admittimus, vt probatum est in Disp. . . cap. . . tum etiam quoniam non declarat, an in casu, de quo tractamus, Prælatus modo prædicto suspensus celebrando efficiatur irregularis. Quare dicendum est ad dubitationem Prælatum sic suspensum administrando actum Ordinis fieri irregularem, vt ex ijs, quæ dixi in Disp 6. cap. 2. manifestè probatur, vbi ostendi ex violatione suspensionis ob administrationem alicuius actus proprij Ordinis contrahi irregularitatem, siue suspensio lata habeat vim censuræ, siue pœnæ.

Quinta suspensio in Religiosos Monasterijs, Prioratibus Ecclesijs, seu quibusuis administrationibus Præsidentes, iura, redditus, vel possessiones administrationum, quibus pręsunt ad vitam, vel ad certum tempus, concedentes suspenduntur ab officio, & habetur in Clem. 1: de Reb. Ecc. non alien. Excipiuntur autem duo casus, scilicet nisi necessitas aut vtilitas Ecclesiæ id exposcat, & tunc etiam cum consensu Cõuentus sui, aut si Conuentum non habent, Prælati proprij; Secundus casus, si fiat locatio, vel venditio fructuum, aut reddituum ad modicum tempus.

Primo loco illud animaduertendum est, hanc Constitutionem, non comprehendere Prælatos seculares, vt notat Glo. Ver. Religiosus, nam contra Clericos seculares huiusmodi concessiones bonorum Ecclesiastico-

sticorum prohibitas facientes. Aliæ habentur dispositiones Iuris cum pœnis & censuris, quas eadem Glo. citat idem ait Card. ibi, n. 10. qui num. 11. Vers. Quintò quæro, addit Constitutionem huius Clem. locum habere in omni Religioso præsidente Monasterijs, Prioratibus Ecclesiæ, seu administrationi perpetuæ, seu temporali, quare concessio facta per eum, qui caret administratione, est inualida, sed non induett pœnam huius Clem. quæ minus quoque afficit Religiosorum, qui præsidet Ecclesiæ seculari quasi Clericus secularis, vt inquit Glo. Verb. Cuivis, & Card. numero duodecimo, qui addit secus dicendum esse, si secularis ex dispensatione præest Ecclesiæ regulari. Ille enim incurret pœnas huius Clem. ex eius violatione, sicut si esset Religiosus. Hæc enim Constitutio cõsulere voluit administrationi rerum, non personæ.

Dubitat Card. num. 15. vtrum hæc Clem. locum habeat quoad illos Religiosos, qui ex consuetudine antiqua legitimè præscripta Ius habebant concedendi possessiones ad vitam vel ad certum tempus, & tenet supposita cõsuetudine rationabili & legitimè præscripta non esse sublatum Prælato tale Ius concedendi per Constitutionem huius Clement. nam Papa non intendit tollere particulares consuetudines rationabiles per contrariam Constitutionem, nisi hoc exprimat cap. 1. de Constit. lib. 6.

Dubitat secundò Card. num. 20. si Prælatus Religiosus concedat Colono seu Partiario prædium ad tempus determinatum, & solitum pro consueta pensione, an incurrat pœnam huius Clement. & respondet negatiuè, quia Clem. loquitur de concessione præiudiciali, qualis non est illa, qua locantur fructus, aut vẽduntur ad tempus breue.

An hac pœna excusant duæ conditiones, nempe si Religiosus iura, redditus, seu possessiones Monasterij concesserit propter necessitatem aut vtilitatem eiusdem, cum consensu tamen Conuentus, aut si Conuentu careat, cum assensu Prælati proprij, & sufficit vtilitas aut necessitas, quæ duo frequenter dispensationem inducunt, vt notat Glos. in cap. Exposuisti, Vet. Necessitas, de præben.

Si postulet quis, an occurrente summa necessitate, quæ non permittat, vt possit adiri Prælatus pro obtinenda licentia & consensu, si fiat huiusmodi concessio prætermisso consensu, ille, qui præest Monastrio, incurrat pœnas huius Clem. Respondet Card. num. 27. quando talis est necessitas, quæ requirat summam celeritatem, non incurri pœnas Clem. si non seruetur hæc solennitas. Ad hoc probandum citat iura. Nam cum Summus Pontifex postulat in casu necessitatis assensum Prælati proprij, intelligit de illa, quæ non requirit summam celeritatem, quæ ex pluribus causis oriri potest. Altera causa excusans ab hac suspensione est, si concessio fiat ad modicum tempus, de qua inferius tractabo.

Nomine Prælati proprij vel intelligitur Episcopus in non exemptis in exemptis Papa, vt inquit Glo. Ver. Proprij, de qua re legendus est Felin. in cap. Auditis, de præscript. & Abb. in cap. Et si Clericis, §. de Adulterijs de Iudi. & in cap. Statuimus de Transac. vel vt eadem Glo. notat, intelligitur Abbas, qui habet Ecclesias ad se pertinentes pleno iure, qui possunt in illarum alienationibus auctoritatem præstare, cum habeant quasi Episcopalem iurisdictionem, idem ait Card. num. 31.

Verùm cum textus Clem. dicat consensum Prælati requiri, cum ille Religiosus, qui præest Ecclesiæ, concedit bona eiusdem propter necessitatem, aut vtilitatem, meritò quæri potest, an si Ecclesia habeat Conuentum, sufficiat assensus ipsius Conuentus, vel etiam sit necessarius consensus dicti Prælati.

Glo. Ver. Non habeat, tenet non requiri consensum Prælati, si Ecclesia habeat Conuentum, sed sufficere, vt requiratur Conuentus ad euadendas pœnas huius Clem. non tamen ad validandum contractum, ad cuius valorem necesse est, vt omnis solennitas alienationis fuerit adhibita, & consequenter consensus Episcopi, aut Prælati proprij, Card. num. 30. Quòd si Abbas moraretur in vna Diœcesi, & bona sita essent in alia, tunc inquit Card. petenda est licentia ab Episcopo, in cuius Diœcesi posita sunt bona; Exceptis his duabus conditionibus incurritur pœna suspensionis ab officio, si violetur hæc Constitutio, de qua poena possunt quæri nonnulla.

Primò quæritur, an debeat interpretari hæc suspensio ab officio diuino, vel ab officio administrationis Ecclesiæ, quod gerit ille Religiosus, qui præest administrationi.

Respondet Card. in dicta Clem. §. Si quis, num. 8. quòd cum Summus Pontifex indefinitè loquatur, voluit intelligere de suspensione ab officio diuino; ego censerem, cum verba sint vniuersalia, vniuersaliter accipienda esse de omni officio absque vlla distinctione.

Secundò quæritur, an hæc suspensio sit perpetua; Respondet Card. num. 3. esse perpetuam, tum quia nullum tempus adijcitur, tum quia est pœna imposita propter delictum. Omnis autem poena ex sui genere est perpetua.

Tertiò quæritur, quis possit ab hac suspensione absoluere, Card. n. 4. concludit Episcopum posse ab ea absoluere, cum sibi Papa specialiter non reseruauerit, & in non reseruatis censetur ipso iure tradita potestas Episcopo absoluendi cap. Nuper de sent. excom. Quod etiam verum est, quamuis Constitutio dictæ Clemen. edita fuerit in Concilio Viennen. & confirmata à Sũmo Pontifice, quoniam non est maioris roboris confirmatio Papæ, quàm ipsius concessio. Immo cum hæc suspensio sit perpetua, vt dictum est, habet vim priuationis, & idcirco illius relaxatio potius vocanda est dispensatio, quàm absolutio, vt annotauit Card. num. 7. ex sententia Specul. & aliorum, sed oppositum videtur verius: nam hæc suspensio non habet vim priuationis, si enim ita sensisset Summus Pontifex, vtiq; non tacuisset, & alias Ordinarius non posset illam tollere. Quare probabilius est asserere aliam esse suspensionem, quæ ab Episcopo tolli potest, & si non relaxetur, perpetuò durabit, sicut in materia de suspensione latius declaraui.

Quartò dubitatur, nam videtur repugnantia in verbis dictæ Clem. In principio enim prohibentur huiusmodi concessiones ad vitam seu ad certum tempus, & in fine permittuntur locationes, & fructuum ac redditunm venditiones ad modicum tempus. Respõdendum est prohibitas esse huiusmodi concessiones ad tempus longum, licèt enim id non exprimat, patet tamen ex verbis sequentibus, quibus permittit, vt licitè fieri possint ad tempus modicum, ergo prohibitio intelligenda est de tempore longo, & sic tollitur omnis repugnantia. Sed controuersia est, quid dicatur modicum tempus, Glo. in dicta Clem. Ver. Ad tẽpus refert varias opiniones Doctorum, & nihil determinat, ego crederem in casu huius Clem. vocari tempus modicum, si non excedat triennium iuxta extrau. Pauli Secundi Ambitiosæ de Reb. Eccl. non alienan.

Sexta

Sexta suspensio potest enumerari inter prędictas, A quæ habetur in cap. Non solum de Regul. lib. 6. vbi Alexander Quartus præcipit Fratribus Ordinis Prædicatorum & Minorum, ad quos spectat recipere Nouitios ad professionem in virtute obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, idest sub comminatione excommunicationis, ne præsumant ante annum probationis lapsum quempiam ad professionem illorum Ordinum, quod si contra dictam prohibitionem aliquem receperint; Receptus nullatenus est ordini alligatus, & ipsi recipientes ipso facto suspenduntur à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis. Et insuper mandat eosdem subijciendos fore pœnæ, quæ Fratribus ipsius Ordinis pro culpis grauioribus infligi consueuit. Hanc Constitutionem de- B inde Bonifacius Octauus in cap. Constitutionem eod. tit. & lib. extendit ad omnes Ordines Mendicantium.

De hac suspensione tractat B. Antoni. 3. par. tit. 28. de suspensione cap. 4. Ang. Ver. Suspensio 1. casu 28. Sylue. eod. Ver. §. 6. Vers. Vigesimo octauo, Tabie. nu. 7. Vers. Sexto, casu 26. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 157. Vers. Duodecima, Henriq. lib. 13. de excom. & suspens. cap. 40. §. 3. & alij plures.

De qua dubitari potest, an infligatur contra Capitulum, vel potius in singulas personas, & dubitatio oritur ex eo, quoniam potestas recipiendi ad professionem regularem regulariter in Religionibus, residet penes Capitulum, quamuis professio emittatur in manibus Superioris, tamen ad recipiendum est in to- C to Capitulo, idcirco cum hæc suspensio feratur immediatè in eum, qui habet hanc potestatem, videtur primò, & per se ferri in ipsum Capitulum. Attamen in materia de suspensione in genere propter suspensionem Capituli non suspendi personas, nisi ea ratione, quatenus sunt membra Capituli, ipsumq; constituũt, atque ita accidere posset, vt licèt Capitulum vnius Monasterij ex hoc capite sit suspensum, si tamen personæ, quæ tunc commorabuntur in Monasterio, ad aliud transferantur Monasterium, possent ibi ferre suffragium pro admissione alicuius ad suspensionem, quoniam tales personæ non essent suspensæ, nisi quatenus membra illius prioris Monasterij, quod iam reliquerunt, cum ad aliud translatæ fuerint. D

Respondendum est ad hanc difficultatem, probabilius esse Prælatos, & alios Religiosos, qui contra formam dictæ Clem. admiserunt aliquem ad professionem, remanere suspensos, quamuis dimiserint Monasterium, in quo admiserunt ad professionem, & ad aliud se contulerint.

Probatur ex verbis Clem. quæ non ad Capitulum, sed ad singulares personas diriguntur, ibi, *Vosq; ad receptionem quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis fore ipso facto suspensos*. Confirmatur, quoniam eisdem antea præcipit, ne admittant aliquem ad professionem sub pœna excommunicationis, quæ non fertur in Vniuersitatem & Capitulum, vnde sumitur argu- E mentum pœnam etiam suspensionis, quæ immediatè in eosdem infligitur, respicere personas singulas, non Capitulum, secundariò verò ad Capitulum, quatenus ex illis constat.

Potest secundò dubitari de illis ordinibus Mendicantium, qui tempore Bonifacij Octaui adhuc instituti non erant, an comprehendantur sub dicta Constitutione.

Respondeo illam habere locum in omnibus Ordinibus, qui inter Mendicantes verè comprehenduntur, quamuis eo tempore non essent instituti, nam lex, quæ perpetua est, non tantum obligat eos, qui nati erant, quando fuit promulgata, sed omnes etiam nascituros, quamdiu lex non fuerit reuocata, Constitutio, autem dictæ Clem. est perpetua, ergo potest obligare omnem Religionem Mendicantium, licèt postea fuerit instituta.

Tertiò dubitari potest, an recipientes contra formam huius Constitutionis ad professionem, & hanc ob causam suspensi à receptione quorumlibet, incurrant irregularitatem, si præsumant recipere aliquem ad professionem.

Respondet Gemin. in eod. cap. Non solum, in eo casu non incurrere irregularitatem, quia recipere aliquem ad professionem non est actus conueniens certo Ordini Ecclesiastico, alias Abbatem non posset recipere Moniales, ad incurrendam verò irregularitatem requiritur executio actus proprij alicuius Ordinis.

Postremò non est prætermittendum Concil. Tridentinum sess. 25. de Regular. & Monial. cap. 15. circa professionem emittendam, statuisse, vt in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum professio non fiat ante 16. annum expletum, & post annum à die suscepti habitus ob professionem aliter factam declarat nullam, nullamq; inducere obligationem ad alicuius regulæ, vel Religionis obseruantiam, vel ad alios quoscunque effectus. Quare Concilium loquitur de omni Religione tam virorum quàm mulierum, cum cap. Non solùm, & cap. Constitutionem tantum tractent de Religionibus Mendicantium. Secundò Concilium agit de viris, & mulieribus, textus illi antiqui simpliciter sine expressione virorum, aut mulierum. Tertiò Concilium requirit decimum sextum annum expletum, antequam emittatur professio. Dicti Textus iuris antiqui non loquuntur de hoc tempore, immo in cap. 1. eod. lib. & tit. professio facta anno 15. completo anno probationis iudicatur valida. Tandem Concilium declarat professionem aliter emissam inualidam & nullius roboris nulla alia addita poena. Quare suspensio & alię pœnæ Iuris antiqui remanent in sua validitate.

CAPVT II.

De suspensionibus Iuris aduersus Religiosos inferiores latis.

ANteqnam aggrediamur recensere suspensiones, quæ in Iure habentur contra Religiosos inferiores, discutiẽdum esse duxi, vtrum suspensiones, quæ ab ipso iure infliguntur generaliter contra Clericos, afficiant quoq; Regulares, si ea committant, quorum causa incurritur suspensio.

Gemin. in cap. Si sententia num. 3. de sent. excom. lib. 6. tractans de Interdicto tenet interdicto Clero esse interdictos Clericos tam seculares, quàm regulares, quia appellatione Cleri intelliguntur Clerici seculares, regulares, Conuersi & Conuersæ, quia sunt ad Ecclesiã translati, & propriè de populo dici nequeunt. Oppositum tamen mihi videtur probabilius, nempe regulares non incidere in suspensiones simpliciter latas in Clericos; Primò quia ex communi modo loquẽdi non vocantur Clerici, & in sermone vsus vniuersalis est seruandus arg. cap. Cum dilectus de Consuet. Quòd autem regulares communiter non intelligantur nomine Clericorum, probari potest ex Clem. 1. in princ. de priuileg. vbi ita legitur: *Religiosi qui Clericis aut Laicis*, vbi distinguuntur tres ordines seu status hominum,

minum, & Religiosi non comprehenduntur sub genere Clericorum. Secundò quoniam aliud vitæ genus seruant Religiosi, aliud Clerici, longeq; vnum ab altero distat, de quibus in diuersis titulis Iuris agitur, nempe in titulo de Regular. & de Stat. Monach. de Religiosis & in tit. de vi. & Honestate Clericorum, de ipsis Clericis. Tertia in dicta Clem. 1. Ver. Religiosi in fin. de priuileg. inquit, *Nota per hoc principium hanc Constitutionem cum suis pœnis ita locum habere in Religiosos, quòd seculares Clericos non includat*, ergo è conuerso neque Regulares in pœnas Clericorum incidere debent, ne sint deterioris conditionis, militat enim eadem ratio, & Nauar. in Manua. cap. 25. num. 142. Vers. Tertiò peccat, explicans eandem Clem. 1. de priuileg. asserit quidem ita peccare Clericos seculares, sicut Religiosos, si concionando Prælatis Ecclesiæ & Sacerdotibus detrahant, non incurrere tamen pœnas in dicta Clem. statutas. Quartò vbi Ius intendit Religiosos sub Cõstitutione generali Clericorum amplecti, illud exprimere solet, quod manifestè patet ex Clement. Quoniam de vi. & honest. Cleri. vbi puniuntur Clerici vtentes publicè virgata aut partita veste. Deinde eadem prohibitio extenditur ad Religiosos, ibi, *Ac Religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, &c.* Hac difficultate explicata, aggrediamur enarrare suspensiones Iuris contra Religiosos.

Prima suspensio recenseri potest, quæ habetur in Clem. 1. §. Si quis autem de Sta. Monach. vbi Monachi nigri, specialiter, & de alijs ordinibus ibi nulla fit mentio, non vtentes habitu & vestitu ad formam ibi præscriptam, si fuerint Abbates & Priores non habentes Abbatem proprium, puniuntur pœna, de qua dictum est capite præcedenti, alij verò Monachi suspenduntur per annum ab administratione, si quam habent, quòd si nullam habent, redduntur inhabiles ab administrationem & Ecclesiasticum beneficium obtinendum. De hac suspensione nihil aliud occurrit dicendum, quoniam ex cap. superiori desumi possunt, quæ declaraui ad intelligentiam eiusdem prohibitionis quoad Abbates & Priores.

Secunda suspensio in Monachos inferiores eiusdem Ordinis habetur in eod. §. Si quis autem, si intersint venationi ex proposito, qua suspenduntur per bienniũ ab administratione, si quam habent, sicut in casu superiori, & non habentes redduntur inhabiles per biennium ad administrationem seu beneficium obtinendum. Hæc etiam suspensio non indiget alia declaratione, cum in superiori cap. declarauerim, quæ erant annotanda, cum agerem de suspensione lata in Abbatem & Priorem ob eandem causam.

Tertia suspensio sumitur ex Clem. 1. de Deci. vbi Religiosi appropriantes, vel iniquè vsurpantes decimas ad se non attinentes, vel in hoc defraudãtes quouis modo Ecclesias ex ijs, qui ibi enumerantur, si intra duos menses non satisfecerint, ab officij & beneficij administratione suspenduntur, donec restituant. Quòd si officia aut beneficia non habeant, ipso facto excommunicantur, itaut absolui nequeant, donec satisfecerint.

Pro declaratione huius suspensionis annotandum est primò, quòd licèt Religiosi cuiusq; Ordinis teneãtus soluere decimas de fructibus suarum possessionum sunt tamen aliqui exempti à decimis soluendis ex terris, quas proprijs manibus excolunt, vel excoli faciunt suis proprijs sumptibus.

Notandum est secũdò prędictos Religiosos exemptos nonnunquam cõsueuisse in hac materia decimarum committere fraudes, coniungendo animalia suorum villicorum cum suis, vt fraudarent Ecclesias Parochiales à decimis, vel fingebant emere animalia, & sic empta dimittebant apud venditorem; id verò minimè licuisse pronunciat Summus Pontifex in dicta Clemen. & ita facientes punit poena suspensionis, sicut dixi.

Notandum tertiò hanc suspensionem esse generalem & comprehendere quoscunque Religiosos, vt inquit Glo. Ver. Quicunque etiam foeminas, confirmat Card. num. 7. non autem Clericos seculares, vt notat Glo. Ver. Religiosi in fi. & Card. nu. 6.

· Notandum quartò hanc suspensionem obstringere illos, qui noualium, aut alias decimas ad eos non spectantes appropriare sibi præsumunt. Hac voce noualium, vt asserit Innocentius Tertius in cap. Quid per nouale de ver. signific. declarans priuilegium, de Deci. Noualium non soluendis, intelliguntur agri de nouo ad cultum redacti, de quibus non erat memoria, quòd aliquando culti fuissent, nisi antea ex illis terris Ecclesia Parochialis magnus percepisset ratione decimarum prouentus. Quare vt notat ibi Abb. num. 1. tria requiruntur, vt tale priuilegium locum habeat, nempe quòd terra de nouo sit redacta ad culturam, secundò quòd non extet memoria, quòd culta fuerit aliquando; Tertio quòd Ecclesia Parochialis ex tali terra prius nullum, vel modicum percipiebat fructum; nam quandoque ex siluis & terris incultis Ecclesia nunquam percipit vtilitatem, & in cap. vlt. de Priuileg. Gregorius Nonus statuit terram de nouo redactam ad culturam per Religiosos de noualibus decimas non soluentes perpetuò censendum esse noualem; Quare Summus Pontifex in hac Clem. de Deci. puniens Religiosos præsumentes sibi appropriare decimas Ecclesijs debitas, mentionem facit de noualibus, de quibus magis dubitari poterat, an essent soluendæ decimæ à Religiosis, cum multi gauderent quoad noualia priuilegio immunitatis à Sede Apostolica, vt ostendat multò maiori ratione incurrere suspensionem & alias pœnas huius Clem. si defraudẽt Ecclesias, vsurpantes sibi decimas illis debitas ex alijs possessionibus, & bonis, ratione quorum nullum solet concedi priuilegium à Sede Apostolica, quod significatur illa clausula, *Aut alias decimas*, & quia loquitur de Religiosis fraudantibus decimas debitas Ecclesijs, ideo inquit Glo. Ver. Ecclesijs, & Card. num. 9. non habere locum hanc Cõstitutionem, si illæ decimæ deberentur priuatis; quo casu agendum esset via ordinaria. Neque etiam si illas retineant ex causa legitima, quæ potest excusare Religiosos à solutione decimarum, & à pœnis huius Clem. causa legitima est, vt inquit Card. num. 12. pura si sint noualia, quæ Religiosi suis manibus & sumptibus incolunt. Similiter de pascuis animalium de Hortis. Item si acquisierunt hoc ius ex consuetudine & præscriptione, & aliæ similes. Cessante vero causa legitima, decimæ debentur à religiosis siue ex terris, siue ex animalibus in omnibus casibus expressis in dicta Clem. quas si vsurpauerint, incurrunt pęnas suspensionis, & alias ibi impositas.

Quintò notandum est, neminem incurrere hanc suspensionem ob id solum, quia non soluat decimas, nisi sibi illas appropriet, vsurpet, retineat, aut prohibeat eas solui, quoniam Summus Pontifex vtitur his verbis, quæ ex propria significatione non dicunt simpliciter non soluere, sed sub ea ratione quasi non sit debitum,

bitum, vel si censeatur debitum adhuc prohibeatur solutio, idq; oriatur non ex ignorantia & simplici negligentia, puta quia Religiosus credat se habere priuilegium, vel excusari ex antiqua consuetudine, vel ob aliam causam probabilem, sed ex mera scientia & voluntate retinendi dictas decimas, quod significat verbum, *Præsumpserint*, & ita tenet Sylue. excom. 9. §. 22. Vers. Secundò quæritur, & reddit rationem, nam alias Religiosi essent deterioris conditionis, quàm Laici, qui ob simplicem negationem soluendi decimas non incurrunt pœnas dictæ Clem. Idem ait Nauar. in Manua. cap. 22. num. 138. Vers. Tertia, & notat Glo. in eadem Clem. Ver. Prohibuerint.

Sextò notandum est hanc suspensionem non ferri simpliciter, sed sub conditione, si Religiosi prohibuerint solutionem decimarum, vel illas non permiserint solui, *Post requisitionem per eos, quorũ intererit super hoc eis factam à præmissis destiterint infra mensem, aut sic de ijs, quæ contra præmissa vsurpare vel retinere præsumpserint infra duos menses damnificatis Ecclesijs emendam nõ fecerint competentem*, ergo necesse est, vt requisitio fiat ab ijs, quorum interest, scilicet vt inquit Glo. Ver. Intererit, à Prælatis & Ministris illarum Ecclesiarum, quibus debentur decimæ, & sufficit vnica requisitio, vt inquit Glo. Ver. Factam, & Card. num. 23. quomodocunq; de hac requisitione constet per testes, aut publica documenta. Quare Religiosus, qui tenetur Ecclesiæ decimas soluere, si super hoc requisitus à Prælato Ecclesiæ infra mensem prohibuerit, aut non permiserit illas solui, aut de ijs, quæ indebitè vsurpare aut retinere præsumpserit infra duos menses damnificatæ Ecclesiæ emendam competentem non fecerit, incurrit dictam suspensionem. Datur vnicus mensis, vt religiosus desistat, duo autem ad faciendum emendã, quoniam, vt notat Glos. Ver. Duos menses, quia durius est restituere, quàm desistere, Glo. ibi ait hos duos menses ex sententia aliorum incipere ab initio vsurpationis, & retentionis, licèt vnius mensis incipiat à requisitione, sed putat verius requisitionem respicere vtrumque casum, & ita tenet Card. num. 24. quia clausula posita in principio respicit sequentia cap. Secundò requiris de appella. & alias sequeretur contingere posse longè maiorem terminum habere Religiosum ad desistendum, quàm ad reddendum contra rationem assignatam, puta si Prælatus caruisset opportunitate & commoditate à die prohibitionis decimarum faciendi requisitionem; Quæ requisitio necessaria est ad constituendum Religiosum contumacem, ad incurrendam excommunicationem, & suspensionem, vt inquit Card. n. 1. Vers. Quintò nota.

Sed primò quæritur, cum Summus Pontifex in pœnam huiusmodi Religiosorum decimas vsurpantium, si habeant administrationem, & beneficium, infligit pœnam suspensionis his verbis; *Ab officijs, & administrationibus, & beneficijs suis*, si verò careant administrationibus & beneficijs, *Eo casu alij supradicti suspensionis ipsi sententiam excommunicationis incurrant*, A quibus officijs intelligantur suspensi, vtrum à diuinis officijs, vel ab alijs, puta si Religiosus sit Sacrista, Cellarius, Camerarius, Eleemosynarius, vel alij similes, Glo. in Ver. Officijs proponit sententiam ad vtramque partem, sed non soluit, Card. nu. 25. refert plures opiniones, & magis approbat, vt intelligatur hæc suspensio ab administratione temporalium, si habent administrationem, quòd si habeant diuina officia tãtum, suspensio intelligitur à diuinis officijs. Idem sentit Sylue. excom. 9. §. 22. Vers. Tertio, à quibus si obijcias ex hac interpretatione sequi Religiosos non habentes administrationem, & beneficium ob dictam vsurpationẽ decimarum grauius puniri, quàm alios habentes administrationem, tales enim suspenduntur ab administratione tantummodo, illi verò excommunicantur; nulla autem maior pœna est excommunicatione; Respondet Card. num. 25. in fi. Idcirco non habentes beneficia, & administrationem excommunicari, quoniam non est alia pœna, quæ possit eis infligi. Et quamuis excommunicatio sit grauissima pœna, est tamen medicinalis cap. 1. de sent. excom. lib. 6. à qua excommunicatus eximi potest, quandocunque voluerit, si paratus sit obedire, & satisfacere.

Secundò quæritur, an Religiosi ita suspensi præstita satisfactione ad tempus in Clem. præscriptum, indigeant absolutione, Glo. Ver. Donec, tenet necessariam esse absolutionem, quoniam quando quis suspẽditur ad tempus incertum, hoc modo, donec satisfecerit, potest semper dubitari, an verè satisfecerit, nisi constet de absolutione. Secus est, quando suspenditur ad tempus determinatum, vt mẽsem, & annum, & addit sufficere Iudicis declarationem super satisfactione sine alia absolutione. In excommunicatis verò necessaria est absolutio post satisfactionem, Sylue. sequitur Glo. Ver. excommunicatio 9. §. 72. in fi. Card. dicta Clem. nu. 26.

Quarta suspensio habetur in Clem. Cupientes de Pœn. vbi ipso facto suspenduntur ab officio prædicationis omnes Religiosi, qui in sermonibus, vel in confessionibus proferunt aliqua, vt retrahant à solutione decimarum, verba Clem. sunt: *Qui verò scienter proposuerint Confitentibus non facere conscientiam de soluendis huiusmodi decimis, ab officio prædicationis tandiu remaneant suspensi ipso facto, donec Confitentibus ipsis, si hoc ipsum sibi dicendi commoditatem habuerint, conscientiam fecerint.*

Referunt hanc suspensionem B. Antoni. 3. par. tit. 28. De suspen. cap. 4. Ang. Ver. Suspensio 1. casu 32. Tabien. num. 7. Vers. Sexto Can. 30. Sylue. §. 6. Vers. Trigesimo secundo, Henriq. lib. 13. de excom. & suspens. cap. 4. §. 3. In cap. 1. de Deci. lib. 6. Gregorius Nonus præcipit Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ne prædicent aliqua, quibus populus retrahatur à solutione decimarum, sed ad illarum solutionem suadeant & moueant, sed Clemens Quintus in dicta Clement. Cupientes, hanc prohibitionem extendit ad omnes Religiosos etiam non mendicantes, vt inquit ibi Card. nu. 6. & contra transgressores addit pœnam excommunicationis ipso facto.

Deinde in eadem Clemen. omnibus Religiosis præcipitur sub obtestatione diuini Iudicij & interminatione maledictionis æternæ, vt requisiti ab Ecclesiarum Rectoribus, aut eorum Vicarijs studeant, quoties populo prædicabunt in prima Dominica Quadragesimæ, & in alijs diebus ibi expressio ipsum informare, nec non eis, quorum confessiones audiunt, conscientiam faciant, quòd decimas soluere nõ omittant. Quòd si supradictis diebus suadere scienter omiserint, per Superiores eorum grauiter arguantur. Quo in loco animaduertendum est, quod si Concionatores Religiosi sic requisiti scienter omiserint hoc populo suadere, non fertur suspensio contra eos, vt nonnulli existimant, sed solùm præcipitur eorum Prælatis, vt eos puniant, & statuta pœnalia contra eosdem faciãt, & per ea sic acriter in transgressores animaduertant, quòd pœnæ eorum sit cæteris exemplum.

Sed postea ab officio prædicationis suspenduntur

Re-

Religiosi qui scienter postponunt conscientiam facere Confitentibus de soluendis decimis, donec Confitentibus ipsis, si id commodè poterunt, de dictis decimis conscientiam fecerint. Et postquam omiserint, cum potuerint conscientiam Confitentibus facere, excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, si prædicare præsumpserint, prædicta negligentia non purgata. Excipiuntur tamen ab his pœnis Religiosi Monasteriorum, vel Rectores Ecclesiarum decimas percipientium. Qua in re animaduertendum est, quod cum hoc delictum sit ex negligentia in confessione, suspensio non fertur ab officio audiendi confessiones, sed concionandi, non enim necessarium est, vt pœna sit in eodem genere materiæ, in qua fuit commissum delictum, sed in alijs generibus iuxta voluntatem legislatoris, & fortasse Summus Pontifex voluit suspendere hos Religiosos à munere concionandi, nõ audiendi confessiones, vt valerẽt in eodem officio audiendi confessiones supplere id, quod negligẽter omiserant; quod onus eis iniungitur à Summo Pontifice, nempe hortari pœnitentes ad solutionem decimarum, quod implere non possent, si suspenderentur ab officio audiendi confessiones.

Ad incurrendam hanc suspensionem aliquæ conditiones requiruntur. Prima, quòd Religiosi fuerint requisiti à Rectoribus Ecclesiarum, secunda, vt scienter omittant id, quod eis præcipitur in dicta Clem. Tertia quòd omittant circa pœnitentes in confessione, nempe si pœnitens aliquid narret, vnde Religiosus intelligere possit eum renitentem esse ad decimarum solutionem, vel si pœnitens nullam præberet cautionem, quoties requisitus fuerit à Rectore Ecclesiæ, vt hanc diligentiam adhibeat. Quarta conditio ex parte personarum, idest limitatio vt hæc prohibitio & pœna locum non habeat in ijs Religiosis Monasteriorum, & Rectoribus Ecclesiarum, qui decimas percipiunt; Summus enim Pontifex voluit comprehendere prædictos tanquam in re propria delinquentes.

His conditionibus positis incurritur suspẽsio, quòd si Religiosus hoc modo suspensus concionari audeat, non purgata negligentia eo ipso excommunicatur, vt superius explicatum est.

Quæret aliquis, quo titulo Religiosi possint percipere decimas, cum spectent ad Ecclesiam Parochialem, cap. Cum contingat de Deci. Respondet Card. in dicta Clement. Vers. Ad Religiosos num. 1. ad Religiosos pertinere decimas aliquando de iure, si habeant populum cap. Moderamine cum duobus seq. 16. q. 1. & tunc Religiosi habent Parochiam; si autem carent populo, possunt decimas recipere ex priuilegio vel consuetudine.

Secundò quæret quis, an suspensus Religiosus suspensione huius Clem. si celebret, efficiatur irregularis, Respondet Card. Vers. Quod si num. 9. non contrahere irregularitatem, quia suspensus à diuinis, celebrando incurrit irregularitatem cap. Tanta de excess. Prælat. secus si ab alio officio, vt hoc in loco ab officio prædicationis. Si autem Religiosus celebraret, postquam innodatus esset excommunicatione, vtique fieret irregularis.

Quarta suspensio ex cap. vlt. de Apost. vbi suspenduntur Religiosi Apostatæ, qui in Apostasia perdurãtes ordinem sacrum suscipiunt, ab ordine sic recepto. Verba Honorij Tertij, qui ob hoc crimen suspensionem imposuit in dicto cap. hæc sunt: *Monachus aliquem sacrum ordinem in Apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in ordine sic suscepto.*

Notandum est primò Monachum Apostatã à Religione propriè vocari illum, vt notat Sylue. Ver. Apostasia §. 9. Vers. Igitur collige, qui post professionem sine licentia exit, cap. Monasterio, animo & voluntate non redeundi, neque aliud Monasterium ingrediendi, sed viuendi extra Religionem, puta clericali, aut Laicali vita, vel absque obedientia Superioris. Quare si quis egrediatur è Monasterio, in quo professionem emisit, sed intret aliud Monasterium laxius, non dicitur propriè Apostata secundum Glo. in cap. fin. de Apost. Quòd si exeat à Monasterio retento habitu, & tonsura, sed non ingrediatur aliud Monasterium, nec subijciat se alterius obedientiæ, est propriè Apostata ex sent. Innoc. in cap. fin. de Renunc. & in cap. Intelleximus de Aeta. & Qualit. nam ad euitandam Apostasiam oportet ingredi Monasterium, cap. Ex parte, de Temp. ordin. c Ioannes, de Regular.

Quare vt Religiosus Apostata incurrat suspensionem ob receptionem ordinis sacri in apostasia, requiritur vt verè sit apostata, idest vt manens extra Religionem ordinem recipiat, si enim Religiosus è sua Religione egressus ad aliam transijsset etiam laxiorẽ in qua ordinem susciperet, non esset suspensus, vnde si postea rediret ad suam primam Religionem, in ordine sic suscepto, ministrare posset, dicto cap. Ex parte, & ibi Glo. Ver. Ad Nigros de Temp. ordin.

Notandum est secundò quòd hæc pœna suspensionis, quam incurrit Religiosus recipiens ordinem sacrum in Apostasia iuxta cap. fin. de Apost. non oritur ex aliqua priori censura, qua sit innodatus Religiosus ratione Apostasiæ, sed immediatè & præcisè fundatur in ipso Apostasiæ crimine, cui eo ipso est annexa ex Constitutione Honorij Tertii in dicto c. fin. de Apost. Hæc inhabilitas seu irregularitas facit vt Religiosus in apostasia ordinatus absque dispensatione Romani Pontificis in ordine sic suscepto ministrare nequeat; hinc sequitur, cum Apostata à Religione sit etiam excommunicatus, si habitum dimiserit, cap. Vt periculosa de Cleri. & Mona. lib. 6. vt talis Religiosus, si in apostasia recipiat ordinem, duplicem contrahat suspensionem, alteram, quoniam iam est excommunicatione obstrictus, alteram ratione apostasiæ, & non est ab altera distincta, neque vna excluditur ab alia; vnde quamuis ab excommunicatione esset absolutus si tamen antequam rediret ad Religionem, sacro ordine initiaretur, eo ipso suspensus remaneret ratione apostasiæ.

Occurrunt modo quædam dubitationes discutiendæ & primo dubitari potest, an hæc suspensio incurratur solum ex susceptione sacrorum ordinum, an verò extendatur ad ordines minores.

Abb. in dicto cap. vlt. num. 1. de Apost. tenet, quod Religiosus Apostata recipiendo etiam ordinem minorem tantum, careat executione ordinis, sed Episcopum in hoc casu dispensare posse, cum Papa reseruet sibi dispensationem solum ratione ordinis sacri, B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 27. de suspensione c. 4. Vers. Apostatæ à Religione vniuersaliter loquitur, asserens religiosos in apostasia ordines recipientes esse suspensos, & irregulares absque vlla distinctione ordinis sacri, vel minoris, Sylue. Ver. Apostasia §. 11. prope fi. Vers. Si in Apostasia, cum Abbate tenet Religiosum in Apostasia recipientem ordinem sacrum non habere executionem eius etiam peracta pœnitentia, & solum Papam cum eo posse dispensare, sed si minorem ordinem

dinem recepisset dispensationem permitti Episcopo, quod inquit intelligendum esse, si non sit exemptus in exemptos enim Episcopus nullam habet auctoritatem, nisi fortasse in foro conscientiæ ob carentiam Prælati, & secundò si Religiosus non deposuerit habitum, quia dimisso habitu, quoniam excommunicatione esset innodatus, solus Papa dispensaret. Sed idem Sylue. Verb. Abbas §. 5. Vers. Et quartò potest, hanc facultatem dispensandi eum Monachis super irregularitate contracta ex receptione ordinum, tribuit Abbati in quibusdam casibus. Idem sentit quantum ad receptionem ordinum indistinctè, Henriquez in Summa, libro decimo tertio, de excomm. & suspens. capitulo quadragesimo, §. 1. & Maiol. libro secundo, capitulo primo, numero decimoquinto, & libro quinto, capitulo trigesimoquarto, numero primo, de Irregular. vniuersaliter loquitur de ordinibus, & reseruat dispensationem Papæ citat Specul. in Titul. de Dispens. §. Iuxta, numero decimosexto, enumerans sigillatim casus, in quibus irregularitas incurritur Vers. Decimo tertio Apostata. Eodem modo loquitur Glos. in dicto cap. fin. de Aposta.

Ad hanc dubitationem respondendum esse existimo, vt dicamus primo Religiosum apostatam recipiendo ordines minores non incurrere suspensionem, seu irregularitatem ratione apostasiæ. Probatur, quia poena suspensionis in huiusmodi Religiosos in dicto capitulo fin. fertur in Monachum, *aliquem sacrum ordinem in apostasia*, recipientem, ergo hæc suspensio non incurritur ob receptionem minorum ordinum: quia lex pœnalis non extenditur, præsertim vbi non militat eadem ratio. Longè enim maius peccatum est ordinem sacrum, quàm minorem in Apostasia recipere propter maiorem irreuerentiam. Neque aliud testimonium in Iure reperitur, in quo lata sit suspensio ipso facto ratione huius criminis.

Secundò dicendum est Apostatam à Religione suscipiendo ordines etiam minores remanere suspensum, seu irregularem propter excommunicationem, qua est innodatus exeundo ab ipsa Religione, & dimittendo habitum Religionis, quo casu oritur suspensio, quia ordo recipitur in excommunicatione, tuncque quoad dispensationem distinguendum esse inquit Abbas iuxta distinctionem, cap. Cum illorum in fi de sent. excom. scilicet vt si scienter in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ ordines receperit, maneat suspensus ab executione suscepti ordinis, si verò id faceret ex ignorantia probabili facti aut Iuris post peractam pœnitentiam, à Superiore dispensationem recipere potest.

Secundò dubitatur de effectibus huius suspensionis, qui, & quales sint. Respondeo primò ob hanc suspensionem Religiosum impeditum esse, ne possit administrare in ordine suscepto in apostasia. Ita enim expressè habetur in dicto capitulo fin. De Apostasia, vnde inferri potest ratione huius suspensionis Religiosum non prohiberi ab administratione aliorum ordinum, quos legitimè ante Apostasiam assumpserat, quoniam textus apponit hanc limitationem, *ministrare non poterit in ordine sic suscepto*; si ab omnibus ordinibus suspendere voluisset Summus Pontifex, vniuersaliter locutus fuisset absque vlla limitatione.

Secundò hæc suspensio impedit, ne Religiosus ad superiores ordines ascendere valeat, nam si prohibet administrationem in susceptis, multò magis promotionem ad Superiores, vt inquit Abb. in dicto capitulo fin. numero secundo, de Apostat. & est regula generalis, quòd prohibitus administrare, prohibitus est quoque ordinari, quod est maius.

Tertiò dubitatur de eo, qui dimisit Religionem, & transiuit ad aliam illicitè, & inique, an possit dici apostata, itaut si interim ordinem recipiat, maneat suspensus, puta si Religiosus dimittens habitum suæ Religionis transgrediatur ad aliam, in qua iuxta institutionem, & indulta Apostolica non possit permanere, & professionem emittere, debeat dici Apostata, & incurrat dictam suspensionem, si recipiat ordinem.

Glo. in dicto capitulo fin. in fine Apost. vniuersaliter ait Religiosum, si ad aliam Religionem transeat, & ordinem ibi suscipiat sine dispensatione, posse in suscepto ordine ministrare ex capitulo Ex parte, de Temp. ordin. quia non suscepisset ordinem in apostasia, Abb. in eodem capitulo fin. numero quarto, idem asserit, nempe Religiosum ingredientem aliud Monasterium in casu non permisso non apostare, quamuis secundum monasterium laxius, quia non transgreditur substantialia Religionis, qualia sunt tria vota, Castitatis, Paupertatis, & obedientiæ, cap. Cum ad Monasterium in fin. de Sta. Regul. Vnde Innocent. in cap. fin. de renunc. & in cap. Intelleximus de Aeta. & Qualit. & Abb. in cap. 1. numero secundo, de Apostat. inquiunt Religiosum dici Apostatam, qui recedit à Monasterio sine licentia sui Superioris, & non subijcit se alterius obedientiæ, quia non ingreditur aliud Monasterium, quantumuis retineat habitum, & tonsuram, quia recedit à regula Superioris vnum ex tribus substantialibus, facit enim contra votum obedientiæ, cap. 1. de Sta. Regul. Maiol. lib. 2. cap. 1. numero decimoquinto, de Irregular. declarans capit. fin. de Apost. Religiosum apostatam ordinatum in apostasia in suscepto ordine ministrare non posse, & hoc verum esse de apostata à fide; nam si vnam Religionem absque licentia discedat, & ad aliam transeat, non prohibetur ordinari, nec ordinatos ministrare iuxta cap. Ex parte de Temp. ordin. vbi Abb. in fine hoc idem affirmat, vt latius declarat posita distinctione nimirum Apostatam à fide, vel quia dimittat omnino Religionem, & si talis ordinetur in apostasia, caret executione, & nequit dispensari ab alio, quàm à Papa.

Apostatam verò in latiori significatione, qui illicitè transit de Religione in Religionem, si factum est publicum, non posse ministrare, in ordine sic suscepto absque dispensatione, quam elargiri potest Abbas, si autem occultum, non opus est dispensatione.

Postremò si Religiosus licitè discedat ab vna Religione, & aliam ingrediatur, non indigebit aliqua dispensatione, vt in ordine sic suscepto executionem habere possit. Hæc Abbas, quare videtur communis sententia Canonistarum, Religiosum transeuntem ex vna Religione in aliam etiam iniustè, & illicitè absque licentia non esse verè, & propriè apostatam, quia non deficit à

Religione simpliciter, & consequenter in tali Apostasia ordinatum posse exequi actus ordinis absque dispensatione, saltem si factum sit occultum, quia non incurrit suspensionem, aut irregularitatem, Idem Abb. in cap. Sanè de Regular. affirmat huiusmodi Religiosum non esse verum Apostatam, neque incurrere pœnas Iuris latas contra apostatas. Idem tenet Innocent. in dicto cap. Ex parte, ex quo Angel, Verb. Excommunicatio 7. casu 27. talem Religiosum non affici ea excommunicatione, quæ irrogatur in cap. 2. ne Cleric. vel Mona. libro sexto, dimittentibus temere suæ Religionis habitum, tradit, quod idem asseruerunt Io. Andr. Lapus, Gemin. in eodem capit.

Sed objiciet quis Glo. in dicto cap. Ex parte, Ver. Liberè, asserit transeuntem ad aliud Monasterium arctioris Religionis non peccare, & in ordine suscepto non ministrare, ergo non est vniuersaliter verum non incurri suspensione, si Monachus relicta priori Religione transeat ad aliam illicitè & sine licentia, & in tali apostasia promoueatur, quia est verè apostata. Idque ratione confirmari potest. Nam Religiosus, qui relinquit priorem statum, in quo professionem emisit, licèt alium assumat, sed inualide, dicitur propriè dimittere absolutè statum Religionis, & ideo est verus apostata.

Idcirco alij Doctores tuentur contrariam sententiam, vt Sylue. excommunicatio 9. §. 54. Vers. Sextò quæritur, & Verb. Apostasia §. 2. Vers. Quod intelligo, & Nauar. in Manuali, capitulo 27. numero 131. in fin. & Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio, casu 61.

Mihi ex his duabus opinionibus vtraque videtur probabilis, prima tamen videtur probabilior, tum quia communior est, tum etiam quia & si eiusmodi Religiosus dimittat suæ Religionis habitum, non tamen dimittit, vt liberè euagetur, sicut dicitur in dicto capitulo secundo, ne Cleric. vel Monach. libro sexto, & fuit ratio, & causa illius Constitutionis. Nec sufficit, si dicas eum illicitè transire ad laxiorem Religionem, quoniam satis est, si se ad Religionem transferat, in qua tribus erit Religionis votis obstrictus.

Postremò dubitari potest, An Religiosus qui prius apostata fuit deserendo Religionem, si reconcilietur, & à Superiore absolutionem obtineat, & deinde promoueatur ad ordines, incurrat hanc suspensionem, Difficultas oritur ex illis verbis cap. fin. de Apost. *Quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam*. Statuit igitur Summus Pontifex, vt Religiosus quamuis per reconciliationem suo Abbati absoluatur à peccato apostasiæ, & etiam ab excommunicatione, vel alia censura, tamen manet quasi irregularis & inhabilis, vt absque dispensatione ordines assumere nequeat, & si assumat, eo ipso suspensus sit.

Respondendum tamen est in eo casu non incurri suspensionem, nam eo ipso, quòd Religiosus est liber ab apostasia, & ab alijs censuris, potest ordinari absque alia dispensatione, & ordinis executionem haber; & probatur ex illis verbis text. *Ordinem in Apostasia recipiens*. Ad incurrendam igitur suspensionem requiritur, vt ordo in apostasia recipiatur, verùm qui ab illa est absolutus, & à censura, qua illius ratione obstrictus erat, non dicitur in apo-

A stasia ordines recipere. Quæ verò pro ratione dubitandi afferuntur, interpretanda sunt, vt sensus sit, quòd qui receperit ordines eo tempore, quo in apostasia manet, antequam de illa pœnitentiam egerit, & reconciliatus fuerit, incurrit suspensionem, à qua non liberatur, si postea reconcilietur, & pœnitentiam agat de apostasia, nisi etiam dispensationem à suspensione impetrauerit.

Sexta suspensio desumi potest ex Extrauag. 1. de election. lata à Bonifacio Octauo in Capitula, & Collegia Ecclesiarum, ac Monasteriorum, & alios quoscunque, Episcopos, & Prælatos alios, Superiores, necnon Abbates, Priores, & cæteros Monasteriorum regimina exercentes, quocunque nomine

B censeantur, in Romana Curia, & apud Sedem Apostolicam promotos, aut qui Confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus obtinuerunt, recipiunt absque dictæ Sedis Apostolicæ literis, vel eis obediunt, qui tandiu à beneficiorum suorum perceptione suspensi sunt, donec super hoc eiusdem Sedis gratiam meruerint obtinere; Huius Extrauag. meminit Abb. in cap Qualiter in princip. de elect. dicens nullum, antequam habeat literas Apostolicas super sua promotione, debere administrare, neque recipi ab Ecclesia tanquam Prælatum, alias recipientes, & recepens incurrere pœnas dictæ Extrauag.

Septima suspensio ab Vrbano Quinto lata in Ex-

C trauagant. Sanè, de simon. in Conuentus, & Capitula pastus, prandia, pecunias, iocalia, aut rem aliam etiam ad vsum Ecclesiasticum, seu quemuis alium pium destinatum directè, vel indirectè petentia, aut exigentia pro Religionis ingressu. In his enim omnibus casibus suspenduntur ipso iure, & absolutio à solo Pontifice est petenda. Singulares autem personæ excommunicationis vinculo innodantur, sicut etiam ipsi dantes, cuius etiam absolutio Papæ reseruatur.

De hac Extrauagant. mentionem faciunt plures auctores, B. Antonin. 3. par. titul. vigesimo quarto, capitulo sexagesimo septimo, Sylue. excommunicatio 7. §. 81. Vers. Quadragesima quarta est, Caie-

D tan. in Summa, Ver. Excommunicatio, capitulo septuagesimotertio, Felin. in cap. De simoniacè, numero septimo, de simon. & in cap. Quoniam, numero octauo, eod. tit. Nauar. in Manuali, capitulo 27. num. 106.

Primo loco notandum est ex communi sententia horum Doctorum hanc Extrauag. non comprehendere Moniales pro datis in ingressu ad Monasterium, neque ob hanc causam illas censuram aliquam incurrere, & ita declarasse Martinum Quintum asserunt B. Antoni. Syluest. & Nauar. locis citatis, sed Glos. in dicta Extrauagan. & Felin. referunt ita voluisse ipsummet Vrbanum Quintum. Idem confirmat Felin. in capitulo Quoniam in fin. de simon. dicens Bea-

E tum Antoninum in Summa, de Censuris affirmasse Vrbanum Quintum post editam illam Extrauagan. declarasse illam non extendi ad Moniales. Mihi magis placet, vt hanc declarationem tribuamus Adriano Quinto non de mente Vrbani comprehendentis etiam mulieres expresè constat ex verbis dictæ Extrauagant. Prohibet enim, ne aliquid recipiant pro huiusmodi ingressu Religionis, *Vniuersi Abbatibus &c. nec non Abbatissis, & Priorissis*, &

infra

infra, *Ne tam à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, &c.* Quare intentio Vrbani fuit comprehendere etiam Moniales, & eodem modo refert hanc Constitutionem Caietan. in Sum. capitulo 73. & videtur ita concordare cum capit. Non satis, de simon. Vbi Alexander Tertius generaliter absque vlla sexus distinctione prohibet, *Ne ab his, qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur*, sed Felin. in eodem cap. De simoniacè, de simon. citat ad idem aliam Extrauagan. Martini Quinti, quæ incipit: Multæ, & aliam eiusdem, quæ incipit: Damnabile, & Extran. Eugenij Quarti. Cum detestabile, & est eadem, quæ sub nomine Pauli Secundi legitur inter Extrauag. communes, vt tradit Redoa. in Tractat. de simon. parte quarta, capitulo nono, numero decimonono, & addit in Felin. in dicto cap. De simoniacè, quas omnes inquit esse reuocatas.

Notandum secundò pœnas huius Extrauag. non incurri per solam rei acceptionem aut dationem absque pacto, idque patet primo ex verbis dictæ Extrauagant. vltra medium, quibus excipiuntur personæ sponte dantes & recipientes absque vllo pacto, *Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes pure & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante dare, vel offerre &cat. voluerunt cum gratiarum actione licitè recepturi*, & cap. Veniens, de simon. ibi, *Abbas, & Fratres S. Benedicti noluerunt eum in Monasterium recipere quousque triginta solidos solidare conuenit, conuentione autem facta sequenti die cum monasticum habitum induerunt*, Glos. in capit. Non satis, Verb. Requiratur eodem tit. prohibitum esse inquit pro ingressu Religionis aliquid recipere ex pacto, sed si quis sponte absque vlla conuentione, & pura intentione dare voluerit; non prohibetur. Secundò quia simonia, quæ pœnis, & censuris Iure Ecclesiastico punitur, est simonia realis, vt est communis Theologorum, & Canonistarum sententia Realis autem simonia non dicitur nisi pacto, & conuentione intercedente, ergo si quid recipitur pro ingressu in Religionem absque pacto, non inducit suspensionem, nec alias pœnas iuris. Tertiò quia ita sentiunt omnes Doctores, Caietan. in Summa Verb. Excommunicatio, cap. 73. B. Antoni. 3. part. titul. 24. capitulo sexagesimo septimo, Felin. in capitulo Non satis, & capit. Quoniam, de simon. Armilla excommunicatio, numero sexagesimo, Dominic. Sot. libro 9. de Iust. & Iur. quæst. 6. artic. 2. ad quartum. Nauar. in Manual. cap. 27. numero 106. Guido Papa, Decis. 80. & alij omnes. Quare quoties aliquid mere, sponte datur in ingressu Religionis, & recipitur, nulla incurritur censura, quia hoc non est per se malum, neque vlla lege prohibitum, immo potius permissum.

Notandum tertiò, quòd licèt omnis simonia iure diuino puniatur, non tamen omnis finis punitur Ecclesiastico Iure. Et quamuis Doctores dubitent, vtrùm pro simonia in quacunque materia commissa aliqua pœna, aut censura incurratur; Communis tamen sententia est ex parte materiæ pœnas, & censuras latas contra simoniacos locum tantum habere in tribus casibus, nempe cum committatur simonia in ordine, Beneficio Ecclesiastico, & ingressu Religionis; de qua re latius disputatur in tractatu de simonia, & tradit Nauar. in Manua. capi-

A tulo vigesimo secundo, numero 111. Vers. Sexto, & septimo.

Modò elucidandæ sunt dubitationes quædam; & primo dubitari potest, an si aliquid detur, & recipiatur in ingressu Religionis praua, & sinistra intentione, dandi scilicet & recipiendi pro ipso ingressu sine vllo pacto tamen tacito vel expresso, incurratur suspensio, & aliæ censuræ, & pœna dictæ Extrau. Difficultas oritur ex verbis dictæ Extrauag. *Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes purè, & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante dare, vel offerre voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.* Ergo non videtur satis esse ad euitandas pœnas dare, vel recipere absque pacto, vt
B dixi, sed præterea ex parte dantis postulatur, vt purè, sponte, & plena liberalitate id faciat. At qui dat intentione obtinendi habitum Religionis, non purè nec merè liberaliter dicitur id facere, ex parte recipientium exigitur, vt licitè recipiant; sed non licitè facit, qui praua intentione recipit temporale pro spirituali.

Respondeo omnes illas conditiones de actu dandi, vel recipiendi, quas requirit Summus Pontifex, intelligendas esse quantum ad actum externum dandi, & recipiendi, idest, vt dans purè, & liberaliter det, non ductus aliqua externa circumstantia, quæ reddat illum actum simoniacum; nam lex humana si expresè non requirit ad aliquid faciendum
C aliquam conditionem puré mentalem, semper est explicanda de externa circumstantia; & licèt Ecclesia punire possit actum exteriorem, quatenus à praua intentione interiore procedit, etiam si pacto, vel alio signo non manifestetur intentio, non solet tamen ita punire, sicut in dicta Extrauagan. punitur tantummodo actio simoniaca ex reali pacto dandi, vel accipiendi aliquid temporale pro spirituali admissione ad statum, & habitum Religionis; quare actio, propter quam hæc poena infertur non ideo mala est, quia ibi prohibetur, sed potius in dicta Extrauagant. specialiter punitur, quia vel secundum se mala est & simoniaca, vel Iuribus antiquis prohibita, vt in cap. De Regularibus, & cap. Quoniam,
D de simon.

Secunda dubitatio oritur ex communi vsu, quem in omnibus Prouincijs, & Regnis legimus obseruatum fuisse, & hoc tempore viget in recipiendis monialibus ad habitum Religionis in Monasterijs, quæ non recipiũtur, nisi cum promissione & pacto expresso persoluendi certam summam pecuniarum pro dote, vel nomine dotis, immo cum obligatione tradendi alia iocalia, vel res aut nummos ad communem vtilitatem Monasterij, vel singularium Sanctimonialium, quæ omnia è directo aduersantur constitutioni dictæ extrauag.

Baldus in l. Si quemquam Cod. de Episcop. & Cleric. tractat hanc quæstionem ad vtramque partem.
E pro parte affirmatiua, quòd sit licitum, facit, quòd sicut dos datur pro oneribus matrimonij, ita videtur posse dari Monasterio, vt valeat supportare onera circa educationem, & habitum suscipientis. Concludit tamen Baldus pro parte negatiua, quòd id non sit licitum, & quamuis Monasterium suscipiat onera ingredientium, non tamen pro ipso ingressu pacisci potest de dote recipienda, hoc enim fieri nequit sine vitio simoniæ. Et hęc pars videtur definita in c. Quoniã

De Simon. Nec valet constitutio contraria, quia est inductiua peccati, vt in cap. Non satis, in cap. Cum in Ecclesia, cum ibi notatis per Glo. Innocen. Hostien. & Henri. de Boh. De Simon. tex. in cap. vltimo in fin. cum sua Glo. 1. quæst. 3. & ita concludit Guido Papa Decis. 80. & in dicta Extrauag. 1. De Simon. tollitur omne statutum, quo permitteretur aliquid dari posse pro ingressu in Religionem, & omnis consuetudo, quam Summus Pontifex dicit potiùs vocandam esse corruptelam, & in cap. Non satis in fi. De Simon. Consuetudo recipiendi aliquid pro ingressu Religionis & similibus, dicitur potius aggrauare peccatum, quàm minuere. Vbi Glo. Ver. Consuetudine, inquit esse penitus reprobatum, quod aliquid exigatur pro consuetudine.

B

Caiet. tamen in Sum. Ver. Simonia cap. 73. censet excusari à censuris illos, qui exigunt ratione consuetudinis antiquæ, putantes se piè agere pro illis seruandis, non vendentes ingressum Religionis. Quare Moniales petentes solitas dati dotes, vt lectisternia, vestes, & huiusmodi, & instantes ad hoc, vt parentes puellæ faciant, sicut alij, siue Monasterium sit diues, siue indigeat, non incurrunt censuras, quia nulla hic interuenit pactio, sed instantia, vt faciant, quod communiter fieri solet. Nauarru. in Manual. cap. 27. numer. 106. Vers. Tertia, est eiusdem opinionis.

C

Si dicas Iura citata, quibus hæc consuetudo declaratur nulla & inualida, & potiùs vocanda corruptela, quàm consuetudo, responderi potest ex Caietano reprobari consuetudinem, qua petuntur, & exiguntur aliqua contra iura antiqua: nam sæpe in dicta Extrauag. 1. De Simon. repetuntur iura edita contra huiusmodi pensiones, quare si exigantur aliqua, quæ non fiunt contra iura antiqua, censuræ latæ locum non habent, tales sunt exactiones quæ fiunt non ex pacto, sed vt seruentur laudabiles consuetudines.

Ad eandem sententiam confirmandam rationes afferuntur à Felin. in cap. Quoniam num. 8. De Simon. Prima est, quoniam hodierna consuetudo Monialium introducta fuit antiquitus ex titulo simplicis oblationis spontaneæ, cui lex non resistit; Idcirco talis consuetudinis obseruatio deduci potest in pactum ratione principij, quod præsumitur fuisse bonum cap. Ad Apostolicam, De Simon. Vbi consuetudo inducit id, quod non potest pactum frequentatum. Secunda ratio est propter expressam Papæ tolerantiam, & permissionem Ecclesiæ vniuersalis, quæ operatur tacitam dispensationem; cap. Quòd dilectio De Consangu. & Affin. Tertia ratio, quia consuetudo est optima legum interpres cap. Cum dilectus De Consuet. Sed hæ rationes non videntur vim habere supposita dicta Extrauag. 1. De Simon. cuius vigore tollitur omne statutum, & consuetudo opposita; Nisi dicamus fuisse quidem sublatam consuetudinem inductam, non eam, quæ post dictam Extrauag. communi, & continuo vsu semper seruata fuit.

D

E

Quare ad hanc dubitationem ita videtur respondendum ex communi sententia; Vt dicamus, si loquamur de Religiosis viris inusitatum esse, vt aliquid petatur pro ingressu Religionis ex pacto expresso, vel tacito, ita vt denegetur habitus, nisi soluatur id, quod petitum fuit. Quoad Moniales verò aliqui Doctores illas excusant, quia id, quod recipitur, ex titulo necessariæ sustentationis exigi solet, præsertim quo ad dotes, quæ verè petuntur ob communem vsum Monasterij aut Sacristiæ, vel ad proprium commodum singularium personarum, quia non petitur ex pacto ita vt denegetur ingressus, si illa non soluantur, sed potiùs liberaliter donantur ad seruandam consuetudinem vniuersalem, ne inferioris gradus existimentur quæ ingrediuntur Monasterium aliis Monialibus antea receptis.

Si dicas ratio illa, & titulus recipiendi dotem pro sustentatione, & victu necessario Monialis, quæ habitum religiosum suscipit, locum habere potest in ijs Monasterijs, quæ indigent, quorum temporales sunt redditus. Verùm cessat in dictionibus, & pingues redditus habentibus. Quare Domin. Sot. lib. 9. De Iust. & Iu. quæst. 6. art. 2. ad 4. ait non sine scandalo exigi dotes, eò magis quia petuntur ab omnibus, ab illis quoque, quæ pauperrimæ sunt, & non habent, vnde soluant. Et ob hanc causam multæ fœminæ priuantur habitu & statu Religionis, quæ idoneæ essent, & ex redditibus Monasterij ali possent.

Respondendum est ratione huius tituli, nempe sustentationis sufficienter hanc dotium receptionem cohonestam fuisse, quoniam rarissimè inueniuntur Monasteria Monialium, quæ non indigeant his subsidiis ad illarum sustentationem. Consuetudo quoq. post hanc Extrauag. tolerata potuit contra illam præualere.

Quare videtur illud posse simpliciter, & absque vlla formidine concedi non incurri suspensionem, & alias Censuras dictæ Extrauagant. primæ, De Simon. quoties aliquid datur, vel accipitur in ingressu Religionis, non pro ipso ingressu, & receptione, sed in sustentationem eius, qui ingreditur Religionem, etiamsi pactum intercedat, si Monasterium non habeat sufficientes redditus ad illum alendum. Ita tenet Nauar. in Manua. capit. vigesimo septimo, numero centesimo sexto. Caietan. in Summa, Ver. Excommunicatio, cap. septuagesimo tertio, & in 2. 2. quæstione centesima, articulo tertio. Ratio Caietani est, quia sustentatio est de iure naturæ, Sot. libro nono, de iusti. & iur. quæstione sexta, articulo secundo, ad quartum, assignat aliam rationem, nimirum non esse simoniam, cum non petatur spirituale pro temporali, sed pro re licita, idest pro sustentatione. Vnde infert non solum licere Monasterio pauperi, & egenti petere aliquid ad sustentationem eius, qui vult ingredi, sed etiam diuiti, quia si talis petitio non habet rationem simoniæ in paupere loco, erit talis in diuite: Nam in vtroque casu idem pro eodem petitur, ergo si in vno non petitur temporale pro spirituali, neque in alio, quoniam quamuis Monasterium sit diues, non tenetur bona sua expendere ad alendum eum, qui habitum suscipere intendit, maximè si secum afferre potest, vnde alatur.

Hæc ratio Sot. licèt videatur satis apparens, tamen

men aduersatur testimoniis Sacrorum Canonum, & communi Doctorum doctrinæ, primò in capitulo Quàm pio 1. quæstione 2. & citatur à D. Thom. 2. 2. quęst. 100. artic. 3. ad 4. prohibentur omnes huiusmodi exactiones, permittitur tantum aliquid dari posse, quasi subsidij gratia, cessante omni pactione, & conuentione. In capitulo Quoniam, de simon. prohibetur aliquid recipi etiam sub paupertatis prætextu, quia, vt notat ibi Glo Ver. Paupertatis, non debet quis prætextu paupertatis malum operari, sed ad euitandum peccatum quodlibet, potius incommodum est sufferendum. Addit tamen Glo. si ita pauperes sunt, vt non possint victum subministrare recipiendo, tunc illum recipere possent sub hac forma. *Non habemus, quid demus tibi pro victu, nisi tu portes tecum, vnde viuas, dummodo hoc non dicatur in fraudem, & fiat sine aliquo pacto*, ergo secluso titulo paupertatis talis receptio est prohibita.

Quamobrem licèt ratio Dominici Sot. sit probabilis secluso Iure positiuo, tamen eo supposito non videtur efficax, quia cum bona Religionum sint Ecclesiastica ad Summum Pontificem pertinet de illis disponere, qui statuit, vt illa liberaliter exponantur in alendis Religiosis. Ideo si Monasterium sit opulentum, non poterit aliquid petere ab his, qui postulant admitti. Si autem tenues habeat redditus, tunc certum est illud peti ad sustentationem ingredientis, quod est de iure naturæ. Neque à sacris Canonibus damnatum fuit, & ad hunc modum sentiunt etiam Doctores, D. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 3. ad quartum, qui firmata prius conclusione, nempe non licere pro ingressu Monasterii aliquid accipere quasi precium, statim subiungit, *licet tamen, si Monasterium sit tenue, quòd non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere; sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipiendus, si ad hoc non sufficiant in Monasterii opes &c.* & in 4. sent. post. 25. quæstione 3. artic. 2. quæstiuncula 2. ad septimum post eandem limitationem addit. *Si autem sine grauamine Ecclesiæ potest recipi, simoniacum est aliquid pro receptione exigere*, Sylne. Verb. Simonia §. 15. fusè prosequitur hanc quæstionem, & ex communi sententia affirmat, licitum esse exigere aliqnid ad sustentationem in Monasterio tenui, non autem in diuite, & respondet ad Canones, qui contrarium statuere videntur.

Itaque cum in hac sententia omnes conuenire videantur illam absque vllo periculo tueri possumus, nimirum nullam esse simoniam recipere aliquid pro ingressu Religionis, si tenue sit Monasterium, & non valeat recipiendum sustentare, & multò magis certum est, quod spectat ad censuras dictæ Extrauag. 2. de simo. iam non habere locum in Monialibus, etiam si illicitè, & contra dispositionem illius Extrauag. aliquid recipiatur in ingressu Monialis, quia vt superius monui ex B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 67. & Felin. in capitulo Quoniam in fin. de simon. Martinus Quintus ita declarauit, & Nauar. in Manua. capitulo vigesimoseptimo, numero 106. refert Innocentium Septimum declarasse Moniales non incurrere has censuras, nisi ob receptionem cum pacto, vel si recipiatur aliqua minus idonea ob largitionem, & deinde Clementem Septimum concessisse, vt Moniales nullam simoniæ pœnam incurrerent propter

A pacta, & connentiones circa dotes earum, quæ recipiuntur, vt commodius viuere possint, ex compendio priuilegiorum Ver. Montales nu. vlt.

Aduertendum est etiam ad maiorem eiusdem difficultatis declarationem, hoc tempore extare decretum Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 16. de Reform. Regular. *Ne ante professionem, excepto victu & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatis, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, recuperare possit*, idque prohibet sub poena anathematis, Idem Concil. B eadem sess. capitulo tertio, decernit, vt in Monasterijs, & domibus, tam virorum, quàm mulierum, *is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleæmosynis commodè possit sustentari*. Quibus verbis Concilij videtur tacitè declarari statutum Bonifacii Octaui in capitulo primo, §. sanè de Sta. Regul. libro 6. prohibens, ne in Monasteriis non in mendicantibus recipiantur aliquæ in sorores, nisi quot possint de ipsorum Monasteriorum bonis sine penuria sustentari, & Glo. ibi Ver. Absque penuria notat, non dixisse commodè sustentari posse, sed absque penuria, nam aliquando fructus sufficere possunt, vt quis absque penuria sustentetur, non C tamen commodè. Duo igitur addit Concilium primum, vt ex redditibus, *commodè sustentari posint*, non solum inquit, *absque penuria*, vt Bonifacius; Secundum est, quòd non tantum affirmat Religiosos esse alendos ex proprijs redditibus Monasterii, sed adiecit, *Vel ex consuetis elaemosynis*, & sub hoc genere nos dicimus comprehendi dotes & alia bona, quæ Moniales ingredientes Monasteria secum afferre solent, quæ subsidia exiguntur ad supplendum sustentationem ingredientium, idcirco ex hoc capite non incurruntur censuræ dictæ Extrauag.

Tandem, vt absoluam sermonem de hac suspensione dubitari potest de genere huius suspensionis, idest D à quibus suspendatur Capitulum aut Conuentus, si dictam Extrauag. non setuauerint, verba enim textus id non exprimunt, sed simpliciter dicitur: *Nos enim qui secus egerint & cæt. si Capitulum, vel Conuentus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subiacere*.


Respondendum est, cum Summus Pontifex apertè non declaret, de qua suspensione loquatur, sed verba sint vniuersalia, mentem Pontificis colligendam esse ex regulis generalibus, traditis superius, in Disput. . . .

Ex quibus probabiliter asserere possumus Summum Pontificem voluisse suspendere Capitulum, seu Conuentum ab omni actu seu officio capitulari, E & communi, quod iurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam requirit, nam capitulum in communi non est capax alterius suspensionis, maximè quia hæc censura respondet excommunicationi maiori, quæ fertur contra singulares personas, cuius Capitulum non est capax, ideo non est interpretanda pro suspensione à sola receptione Monialium, quia non esset commensurata excommunicationi, & Summus Pontifex nimis absolutè loquitur absq; vlla limitatione.

Aa 3 Possent

Possent præter enumeratas suspensiones recenseri A nonnulli aliæ, quæ suot communes Religiosis, & aliis Clericis sęcularibus, vt quæ eirca honestatem habitus fertur in Clem. 2. De Vi. & Honest. Cleri. & quæ fertur circa mattimonij benedictionem fertur in Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. De Reform. & nonnullæ aliæ, quæ raro accidere possunt, & ideo consultò omittimus. Similiter multas alias præterire voluimus, quæ latæ sunt contra Clericos, & habentur in Conciliis, præsertim Tridentino, & in particularibus Constitutionibus Summorum Pontificum non contentis in corpore Iuris, quoniam non proposueram recensere omnes suspensiones, quæ leguntur in Iure, vel à Summis Pontificibus latæ sunt, sed potiores, & quæ longiori examine, & maiori explicatione indigerent quas hactenus explicamus, quarum cognitio plurimum etiam conducere posset, vt facilius aliæ intelligerentur, sicut etiam fecimus io materia de Excommunicatione, & de Suspensione; quæ hactenus dicta sunt, sufficiunt. Iam transeamus (Deo fauente) ad tractatum De Interdicto.

LAVS DEO AC BEATISSIMÆ VIRGINI,
nec non B. Petro Apostolorum Principi Gloriosissimo.



DE



DE TERTIA CENSVRARVM SPECIE, IDEST DE INTERDICTO.





HÆC Censura qua fidelibus A vsus quorundam sacramentorum interdicitur, & rerum diuinarum, non est noua ac recenter ab Ecclesia instituta, sed antiquissima, quam Summi Pontifices, ex teriq. Episcopi omni tempore exercuerũt, cum necessitas postulauit, & ad publicam Ecclesiæ vtilitatem expedire iudicarunt. Huius censuræ gladio vsus est Alexander Tertius ante annos 440. aduersus Regem Angliæ detinentem filiorum, vxores B ob quasdam contentiones, & controuersias inter ipsum & filios subortas. & hanc ob causam mandat Summus Pontifex Archiepiscopis atq. Episcopis per Angliam constitutis, vt si Rex infra terminum ei præfixum vxores filijs non restituerit, illico in quacunq; Terra aut Prouincia detineantur, donec ibi fuerint, nulla diuina officia celebrentur præter Baptisma paruulorum, & pœnitentias morientium, refertur in cap. Non est vobis de Sponsal. & Matrim. Item centum annis ante Alexandrum Tertium Gregorius Septimus, & legitur in vita Sancti Stanislai Episcopi Cra- C couien. apud Surium die 8. Maij ob immanem necem à Rege Boleslao illatam viro Sanctissimo Stanislao vniuersum Poloniæ Regnum Interdicto subiecit, quod tribus annis continuò perdurauit, neque ipse Gregorius primus fuit huius Censuræ auctor, sed illa vius est tanquam antiqua & frequenti in Ecclesia, cum eam ferendam moueatur exemplo S. Augustini, qui interdicendum fore statuit Comiti cuidam Bonifacio, vniuersæq; eius familiæ Sanctissima Corporis Christi cõ- D munione, & ne eius oblationes ad altare reciperẽtur, vt legitur in Epistola 187. & refertur cap. Miror 17. q. 4 Et licèt hæc auctoritas S. Augustini non valeat ad probandum vsum Interdicti localis, sufficit nihilominus ad ostendendum, quod intendimus Interdictum personale fuisse in vsu in Ecclesia Dei ante mille, & du centos annos. Quòd si S. Basilius serm. 1. de Ieiunio probauit ieiunium non minoris antiquitatis censeri debere, quàm sit ipse Mundus, sed vtrunque eodem tempore initium habuisse ob eam rationem, quoniam primum præceptum à Deo primo omnium parenti in Paradiso traditum fuit ieiunium, seu abstinentia ab arbore scientiæ boni, & mali; Mihi quoque licere arbitror ostendere interdictam fuisse primam pœnam à Deo homini propositam pro peccato, cum primis Parentibus vetuit, ne in futurum in Paradisum Terrestrem ingredi auderent. Paradisus autem Terrestris fuit simbolum & figura Ecclesię, & commedere ex fructibus Arboris vitæ significabat esum Sanctissimi Sacramenti. Negari igitur non potest Interdictum Ecclesiasticum annumerandum esse inter Censuras, & pœnas alias quæ ab Ecclesia ad scelera coercenda institutæ fuerunt, & tanquam arma, quibus Pastores, & Rectores populorum se ipsos, Ecclesiarumq; suarũ iura, libertatemque tueri possent ab impiorum fidelium iniquis conatibus.

De Interdicto Ecclesiastico itaq; aggredimur tractationem, in qua explicanda eundem prorsus methodum, & ordinem seruabo, quem hucusq; in alijs duabus censuris, idest excommunicatione & suspensione retinui, nempe vt primo loco disputetur de natura, & essentia Interdicti, deinde de differentijs & conueniẽtiis eiusdem cum alijs Censuris, & cum cessatione à diuinis, & violatione, & quid sit vtrunq; declarabitur. Præterea tractabitur de effectibus Interdicti, tum de eius causis, demum de relaxatione Interdicti. Postremo

mo loco de pluribus solennioribus Interdictis, quæ reperiuntur ipso in quibusdam casibus lata; Quibus absolutis finis erit huius Tractatus de Interdicto.

DISPVTATIO I.

QVID SIT INTERDICTVM, AB ALIIS Censuris quomodo differat, & quæ sint eius species seu modi.

Caput Primum, *De Definitione Interdicti Ecclesiastici.*
Caput Secundum, *In quibus conueniat Interdictum, & differat ab aliis censuris.*
Caput Tertium, *Quotuplex sit Interdictum.*
Caput Quartum, *Explicantur dubitationes quædam de Interdicto locali.*
Caput Quintum, *Dissoluuntur dubia de Interdicto personali.*
Caput Sextum, *Vtrùm posito Interdicto locali censeatur positum personale, vel è contra posito personali, positum sit locale.*

CAPVT I.

De Definitione Interdicti Ecclesiastici.

VT clarius, & facilius naturam, & essentiam Interdicti Ecclesiastici intelligamus antea ipsius nominis significationem inuestigare inutile non erit, cũ ad ipsius rei notitiam, præsertim in moralibus plurimum conducere possit nominis interpretatio. Quare Interdictum, si vocem ipsam inspiciamus, idem valet, quod prohibitio ex vocabuli proprietate, vt Instit. de Interd. §. Sunt tamen. cap. Miror 17. q. 4 cap. Sunt enim 28. q. 1. cap. Significasti, de off. Archid. & probatur expresse ex verbis cap. Cum illorum, de sent. excomm. *Quibus etiam est absolutio talium interdicta, cum maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora.* Et ex rubrica, de Matrim. contra. con. Interd Eccles. quod idem significat, ac si diceretur contra prohibitionem Ecclesiæ, vt ex tribus cap. illius Tit. patet. Quare hæc duo vocabula Interdictum, & Prohibitio, siue Interdico, & Prohibeo idem prorsus sonant apud bonos Auctores. Persona interdicta exprimi solet per Datiuum casum, Res autem per ablatiuum, nonnunquam per accusatiuum. Exemplũ prioris modi apud Ciceronem pro Cæ. *Si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuuentuti putet*; Posterioris verò apud Sueton, De Nerone, *Et cum interdixisset vsum Amethystini &c.*

Quod si Interdictum, seu Interdico accipiatur, vt verbum compositum ex dictione, *Inter*, & *Dico*, tunc idem significat, quod inter duos aliquid dicere. Hinc Iure Ciuili Interdicta dicebantur formulæ, & conceptiones verborum, quibus Prætor, aut iubebat aliquid fieri, aut vetabat, quod tunc maximè fiebat, cum de possessione, vel quasi possessione inter duos, Actorem scilicet & Reum contendebatur, vt ait Iustin. in tit. De Interdict. in princ. Quo alludens Cic. ad Volumnium, *Vrbanitatis aut possessionem amabo quibusuis Interdictis defendamus.* Diuiditur autem in iure Interdictum tripliciter, vt aliud sit prohibitorium, aliud exhibitoriũ, aliud restitutorium, vt cum Prætor prohibet construi ædes in loco, in quo petebat Actor, vel cum mandat

A exhiberi filios, aut seruos, qui ab alijs detinentur, & impediuntur contra voluntatem Parentum, & Dominorum, Aut cum præcipit aliquid restitui, quod Reus recusabat. Alij putant Interdictum dici, vt censet Isidorus lib. 5. Ethimo. cap. 24. quod à Iudice non in perpetuum, sed pro reformando interim ad tempus sit impositum. Mihi tamen probabilius videtur à prohibitione, vt dicebam, quæ prætorijs Interdictis plerũque comprehendebatur. Interdicta appellata, quàm quod interim, vel inter duos dicerentur, §. Sunt tamen instit. de Interd. Quare interdicti vocantur relegati, quibus Vrbe, Patria, Regione aliqua interdictum est. Vnde est interdictio quædam aquæ, & ignis, est & rei certæ interdictio, idest negociationis, professionis, ad-
B uocationis, l. 9. ff. de Pœn l. vlt. l 6. §. penult. ff. de extr. crim. l. 1. §. vlt. ff. de off. Præf. Vrb.

Quamobrem Interdictum Ecclesiasticum, vt est vna ex tribus Censuris Ecclesiasticis, de quibus in cap. Quærenti, de Verb. signific. iuxta propriam huius nominis acceptionem iure Canonico accommodatam vocatur prohibitio iuris, vel Prælati Ecclesiastici, qua interdicuntur diuina quædam, vel hominibus, vel locis; iamque vsu communi receptum est, cum agitur de interdicto apud professores Sacræ Theologiæ, & Iuris Pontificij significari quandam pœnam, & censuram peculiarem, cuius causa homo, vel locus priuatur quibusdam bonis Ecclesiasticis.

C Vt autem clarius, & distinctius huius interdicti Ecclesiastici vis, & efficacia intelligatur, descriptio eius explicanda est. Plures traduntur à Doctoribus definitiones interdicti, quæ licèt in eundem finem ferè concidant, non tamen penitus in omnibus conueniunt, Sylue. Ver. interdictum 1. in princ. ita illud describit, *Est separatio à Iure, vel à Iudice facta à certis Sacramentis, & omnibus diuinis officiis, & Ecclesiastica sepultura*, ex c. Non est vobis in fi. de Sponsal. c. Quod in te, de Pœnit. & remiss. eandem descriptionem affert, Dom. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. Henriquez lib. 13. De Excomm. & Interd. cap. 41. §. 1. sed Nauar. infra citandus, Henriq. & Sot. addunt, *Actiuè, & Passiuè*, quæ definitio licèt explicet effectus interdicti, vt ex ijs, quæ dicentur, manifestum erit, non tamen vide-
D tur posse dici definitio interdicti, cum integra illa descriptio aptetur Excommunicationi, quamuis non sit adæquata; Deinde illa non amplectitur omne interdictum, sed conuenit tantum personali, non locali, ideo Nauar. in Manua. cap. 27. num. 164. ait interdictum *esse censuram Ecclesiasticam, qua prohibentur diuina officia, Sacramenta, & Sepultura actiuè, & passiuè*, Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 1. num. 2. aliam tradit definitionem, idest interdictum *est suspensio à diuinorum officiorum, Sacramentorumque actiua, & passiua celebratione respectu alicuius loci, vel personarum facta Ecclesiastica etiam prohibens sepultura.* Eodem modo
E definit interdictum Io. Calder. in suo tractatu de interdicto nu. 2. Probat Couar. interdictum esse suspensionem ex dicto cap. Non est vobis, de sponsal. & cap. Quod in te, de pœnit. & Remiss. & multa alia iura citat Calder. Accipiunt autem suspensionem in hanc definitione, non vt est censura distincta ab excommunicatione, & interdicto, sed in latiori significatione, vt est genus quoddam ad omnes tres censuras, & Calder. id probat ex Rubr. de Cleri. excomm. deposito, vel interdicto celebrante, non dicit peculiariter de suspenso, quia Excommunicatus, Depositus, & interdictus sunt suspensi, sed non è contra. Item probat ex Ethimologia nominis interdicti, nam præpositio illa, *Inter*, ex qua

ex qua componitur secundum Grammaticos, est suspẽsiua alicuius temporis, vel Ordinis, vel actus, quod maximè competit Interdicto, quo potentia ad agendum suspenditur actu, & detinetur habitu. Sed hęc definitio præter alia patitur hoc incommodũ, quod accipit nomen suspensionis pro priuatione, seu prohibitione non sine æquiuocatione, quod vitium reputatur in tradenda definitione, quæ debet esse clara, & manifesta omnem ambiguitatem excludens. Deinde is, cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, dicitur suspẽsus ab ingressu Ecclesiæ, & tamen propriè non est ligatus censura interdicti, quia extra Ecclesiam celebrare poterit, & iurisdictionem Ecclesiasticam vbicumque exercere poterit, etiam ingredi Ecclesiam, & in ea orare tempore, quo diuina officia non celebrantur; ergo Interdictum propriè non potest dici Suspensio, sed ad hanc rationem respondent aliqui rationem interdicti positam esse in hoc, quod prohibitio eius non directè fertur in personas, sed ad locum, in quo prohibetur vsus, & ministerium rerum sacrarum, & hac ratione differre ab alijs censuris, & personæ non prohibentur, nisi vel ratione loci, vel in ordine ad locum, sicut quando alicui interdicitur ingressus Ecclesiæ, vel celebratio in ea. Verùm licèt in nonnullis interdictis id locum habere possit, in quibus assignari posset differentia inter interdictum, & alias censuras, tamen non est vniuersaliter verum, quia datur interdictum personale, cuius vi interdicitur per se persona non tantum in ordine ad locum.

Quamobrem breuius, & clarius interdictum ita describi posse videtur, est *Censura Ecclesiastica prohibens per se vsum quorundam Sacramentorum, diuinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, qui communis est fidelibus.* Dicitur primo, *Censura Ecclesiastica*, quoniam interdictum est vna ex tribus censuris, & comprehenditur sub censura tanquam species sub genere, *prohibens vsum quorundam Sacramentorum, diuinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ.* Prohibere vsum rerum sacrarum est commune omnibus censuris. Excommunicatio interdicit vsum omnium rerum sacrarum, omniumque Sacramentorum tam actiuum, quàm passiuum; Suspensio ex sui ratione non impedit vsum omnium rerum sacrarum, sicut Excommunicatio, neque determinatè quarundam, sed modò prohibet vsum harum rerum, modò illarum, sicut iuri, aut Iudici magis expediens videtur pro qualitate criminis. At interdictum priuat præcisè quibusdam rebus sacris, quę in iure expressæ sunt. Dixi *per se*, nam Sacramenta, diuina officia, & aliæ res sacræ possunt tribus modis considerari, primo secundum se ipsa, vt sunt quædam Ecclesiæ bona, secundo vt pertinent ad fidelium communionem, & participationem communem, nam omnes fideles in his communicant; Tertiò vt sunt actus alicuius ordinis, vel officij, aut vt reducuntur ad talia principia. & iuxta hanc triplicem considerationem desumitur ratio propria priuationis horum bonorum vnicuique censuræ conueniens. Si enim considerentur simpliciter, vt bona quædam Ecclesiæ, sic virtute interdicti Ecclesiastici prohibetur illorum vsus, ne possint exerceri in aliquo loco, vel à quibusdam personis. Si secundo accipiantur, vt sunt fidelium communiones, sic quando Ecclesia per Excommunicationem proijcit aliquem à fidelium communione, priuat eum consequenter huiusmodi bonis. Si tandem attendantur hæc bona, vt actus prouenientes ab homine, vt ordine, aut potestate Ecclesiastica fungitur, sicq; Ecclesia per suspensionem impedit horum bonorum A vsum. Hinc fit, vt quia per Excommunicationem hæc bona impediuntur titulo communionis, plura tolli bona per excommunicationem, quoniam ratione communionis multa conceduntur bona, nempe suffragia Ecclesiæ, Sacramenta, officia diuina, conuentus fidelium, & alia, & per suspensionem, vt actus officij, & ideo non impediuntur hæc bona recipi, quia sic nõ sunt actus officij. Vnde suspensos potest recipere Sacramenta. Et quia in Interdicto hæc simpliciter prohibentur, ideo vtroque modo impediri possunt tam actiuè, quàm passiuè. Est quoque annotandum interdictum ex sui ratione posse prohibere vsum omnium Sacramentorum, sed ex particulari indulgentia, & priuilegio Ecclesiæ, ne ex vinculo huius censuræ oriatur alicui occasio damnationis conceduntur tempore B Interdicti quædam Sacramenta, vt Baptismus, & Pœnitentia, sicut loco suo fusius declarabimus. Tandem additur, *qui communis est fidelibus*, vt distinguatur à suspensione, quæ priuat aliquo vsu, non quatenus est communis omnibus, sed quatenus proprius est Clericis, & personis Ecclesiasticis, quia spectet ad officium Clericorum, qui Ecclesiastica potestate funguntur. Et hæc est ratio propria interdicti, per quam differt ab alijs duabus censuris, licèt in multis effectibus materialiter conueniat. Non opus est addere, sicut alij faciunt ad hanc descriptionem interdicti, quod prohibeat vsum actiuum, & passiuum rerum sacrarum, quoniam interdictum per se ab hoc præscindit, & inter- C dum, vt dixi, vtroque modo nonnumquam altero solo imponi potest. Similiter nulla facta est mentio de loco, vel personis, quoniam ab hoc abstrahit interdictum in genere sumptum. Sed hæc definitio manifestior reddetur, si distinctius, & peculiarius declarauero, quomodo interdictum cum alijs duabus censuris conueniat, & quomodo ab illis differat. quod in sequenti Capite absoluam.

CAPVT II.

In quibus conueniat Interdictum, & differat ab alijs censuris.

D De communionibus, & differentijs quibusdam accidentalibus omnium censurarum pertractatum est supra lib. 1. Disp. 2. cap. 4. & in cap. 4. eiusdem lib. egi de communione, & differentia formali, & quasi essentiali earundem censurarum, & in cap. 3. quomodo differant ab impedimentis Ecclesiasticis. In tractatu verò de Suspensione Disp. 1. cap. 2. dictum est de proprijs differentijs suspensionis ab Excommunicatione, & Interdicto. Quare in hoc capite proponendæ sunt quædam propriæ conditiones, & qualitates, quibus distinguuntur ab alijs Censuris.

Io. Cald. in suo tractatu de interdicto par. 1. num. 3. plures iuris auctoritates adducit, ex quibus ait posse desumi multas communiones, & differentias interdi- E cti ab alijs Censuris. Deinde recolet ex Host. in cap. 1. de sent. excomm. de quibus agit etiam Innoc. in c. Ad hæc quoniam, & Abb. ibidem n. 3. de appell. lib. 6. alias communiones, & differentias in specie, quæ considerari possunt inter interdictum, & alias Censuras, & primò inquit conuenire sub nomine Censuræ, cap. Quærenti, de verb. signif. omnes enim tres censuræ propter delictum, & nulla ex illis ferri potest etiam interdictum, nisi præcesserit aliquod crimen. Secundò quia præcedens appellatio suspẽdet illarum effectum, cap. Ad hæc quoniam, cap. Præterea, & cap. Dilectus,

De

De Appel. & cap. Pastoralis 2. Responso eod. tit. Tertio in omnibus prædictis prohibetur celebratio diuinorum, cap. Si quis Episcopus in Concilio 11. q. 3. c. 2. 3. & c. Postulasti, de Cleri. excomm. mini. Quartò conueniunt, quoniam in illis ferendis seruanda est forma Sacrorum Canonum, cap. Reprehensibilis, de appell. cap. Sacro de sent. excomm. cap. 1. eod. tit. lib. 6. Quintò obstricti his censuris non debent absolui, nisi antea præstito iuramento de parendo. Sextò hæ censuræ seruandæ sunt tam per Superiores, quàm per inferiores, cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. ordin. vbi definitum fuit Episcopum debere seruare censuram latam ab ordinario inferiori in suum subditum, neque illam relaxare posse, nisi satisfactione, & conscientia proferentis. Sed si Episcopus irrequisito Prælato illam relaxaret, absolutio teneret, vt notat Glo. vlt. quia est ordinarius totius Diœcesis, & superior, sed malè faceret, nisi periculum esset in mora, cap. Sacro, de senten. excomm. Quo casu posset Superior absoluere recepto iuramento iuxta formam dicti cap. Sacro. Septimò dictis censuris impositis, antequam tollantur, nemo potest eligere, aut eligi, vel testificari cap. Cum dilectus, de Consuet. cap. Veniens in fi. de Testi. cap. Apostolicæ, de sent. excomm. Octauò Superior non potest de illis aliquid disponere non vocatis partibus, cap. Romana, §. pen. De Appell. lib. 6. & c. Romana in princ. de sent. excomm. Nono recepti in speciales filios Sedis Apostolicæ non possunt ab Inferiori per sententiam vllam harum trium censurarum obstringi, cap. 1. De Verb. signific. Decimò Interdictum, sicut etiam Excommunicatio, & Suspensio ferri possunt in pœnam contumaciæ. In his communicat Interdictum cum alijs Censuris, sicut etiam tradit Silue. ver. Interdictũ, §. 4. Nonnullas etiam ex illis refert Dom. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. quæst. 3. art. 1. in princ. Vers. Conueniunt enim omnes, & aliam conuenientiam assignat, quæ non ponitur à Calder. ratione causæ efficientis, quia omnes decerni possunt à Iure, vel ab homine. Easdem enumerat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 164. Tabie. Ver. Interdictum in princ. B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 26. cap. 1. Vers. Conueniunt autem.

Ex altera parte rursus in pluribus differt ab alijs censuris. quas differentias Calder. & Syluc. locis citatis, & Beat. Antoni. 3 parte tit. 26. cap. 1. enumerant. Et primò differt ab Excommunicatione, quoniam Excommunicatio ferri tãtum potest propter peccatum, quod annexam habeat contumaciam. quare non pronunciatur ad tempus certum, sed quousque perdurauerit contumacia, & illa recedendo est relaxanda. hac de causa non habet rationem solius pœnæ, sed est censura, & pœna medicinalis, cap. 1. de sent. excomm. lib. 6. At Interdictum, quamuis sit censura, & possit imponi propter contumaciam, vt dixi, potest tamen ferri etiam sub ratione solius pœnæ ad tempus certũ, sicut suspensio, ideo remanet recedente contumacia, licèt suppositus interdicto parere velit, quia tunc habet rationem solius pœnæ, quæ ex sui natura est perpetua. Secundò non est damnata participatio cum interdicto, neque cum suspenso, sicut prohibito est cum excommunicato, nisi talis participatio esset specialiter interdicta, l. Moris. ff. de Pœn. l. Cui peccato, ff. de ser. Expor. cap. Episcoporum, de Priuileg. lib. 6 cap. Cum excommunicato 1. q. 3. Ideo Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 1. num. 10. inquit Excommunicationem maiorem priuare communione fidelium tam interiori, quàm exteriori. Interdictum autem solum exteriori diuinorum officiorum auditione, & celebratione, perceptione Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura, sicq; excommunicatio minor ab interdicto differt, cum illa non priuet auditione diuinorum officiorum, nec omnino illorum celebratione, nec sepultura Ecclesiastica iuxta textum in cap. si celebrat. de Cleri. excom. mini. Tertiò excommunicatio, & suspensio quoque feruntur contra singulares personas, licèt suspensio contra Clericos tantum. At interdictũ, vt plurimum contra Vniuersitates, & Collegia, & cõtra loca, interdum contra singularem personam, sed non ita propriè cap. Cum dilectus, de Relig. Domi. c. Postulasti in fi. de Cleri. excom. mini. Ratio vera huius differentiæ adducitur à Couar. lib. 2. Variar. Resolut. cap. 8. nu. 9. Vers. Fortassis, ea est, de qua egi latè lib. 3. Disp. 10. cap. 6. Quia excommunicatio ferenda non est in aliquem, nisi ob actum verè proprium culpa mortalis criminis perpetratum, ita quoque suspensio, qui quidem actus, & si ab Vniuersitate processerit, ad quemlibet peculiariter referendus est quoad pœnam excommunicationis, suspensionis, & similes, ne si Vniuersitati tribuatur, absurdum sequatur, scilicet quod puniantur hi, qui verè sunt innocentes. At interdictum ferri potest in aliquem absque actu proprio, & culpa ipsius propter culpam alterius, vt declarabitur suo loco.

Quartò effectus Excommunicationis latæ suspendi non possunt, sicut effectus interdicti, & suspensionis. Quintò Episcopi non incurrunt aliquam sententiam suspensionis, aut interdicti prolatam à iure, vel ab homine, nisi fuerint expressè nominati, cap. Quia periculosum, de sent excomm. lib. 6. Quo priuilegio carent quoad Excommunicationem. Sexto interdictum generale relaxari non potest, vel non debet ad cautelam cap. Præsenti, de sent. excom. lib. 6. Sed ab excommunicatione, aut suspensione potest quis absolui ad cautelam. Septimò interdictum generale in locum proferri non potest absque speciali Papæ licentia pro debito pecuniario, vt in Extrauagan. Bonifacij Octaui, Prouidè attendentes de sent. excomm. secus est de speciali, idest singulari interdicto contra aliquam Ecclesiam. Verùm excommunicatio, & suspensio ferri possunt, cap. Præterea, de appell. Octauò interdictum est censura communis Clericis, & Laicis. per se enim & directè interdicuntur, sicut excommunicantur Laici, vt Clerici, sed suspensio fertur solum in Clericos, quia per suspensionem impeditur vsus potestatis, seu officij Ecclesiastici, cuius Clerici tantum sunt capaces, ideo Clerici, non Laici suspendi possunt. de qua differentia latius dictum est supra in tractatu de suspensione. Nonò interdictum promulgatur aliquando aduersus personas, quæ non deliquerunt propter peccatum alterius, sed excommunicatio, & suspensio non pronunciantur in quempiam, si culpæ mortalis, aut saltem venialis sit omnino expers. Rationem huius differentiæ assignat Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. num. 4. quoniam licèt interdicti pœna sit Ecclesiastica, non tamen propriè est spiritualis, cum animam non afficiat, nec priuet communione suffragiorum Ecclesiæ, sed tantum suspendat diuinorum officiorum, & Sacramentorum celebratione, quæ suspensio directè animam non ligat, quamuis Glo. in cap. si sententia Ver. Interdici, de sent. excomm. lib. 6. eam spiritualem appellauerit. Decimò interdictum impedit ipsas actiones Ecclesiasticas secundum se, vt tales sunt, sicut dictum est, ideo non solum prohibet, ne celebrari possint ab ijs, quibus id ex officio conuenit, sed ne ab alijs audiantur. quare in re differt à suspensione, quæ impedit

solum,

solum, ne Ministri Ecclesiastici actiuè exerceant suas functiones. Non prohibentur autem audire diuina officia. Accedit, quòd suspensio non priuat suspensum ab vsu omnium diuinorum officiorum, sicut interdictum, sed ab alijs tantummodo, à quibus suspensus fuit. Et in his potissimum differt interdictum ab alijs Censuris, quæ ex dicendis clarius innotescent. & eædem differentiæ ab omnibus Doctoribus paulò ante citatis admittuntur.

CAPVT III.

Quotuplex sit Interdictum.

PLures à Doctoribus recensentur species Interdicti, siue modi, quibus Interdictum Ecclesiasticum imponi solet. Primò diuiditur ratione subiecti, quod Interdicto supponitur, & duæ sunt generalis interdicti species, locale, & personale. & assignari potest ratio, quoniam Sacramenta officia diuina, & sepultura, quę suspenduntur virtute Interdicti, possunt prohiberi, ne in aliquo loco fiant, sicque oritur locale, aut ne administrentur, vel recipiantur à Ministris Ecclesiæ, & fidelibus, vt dicitur Interdictum personale. Hæc diuisio desumitur ex cap. Si Ciuitas, & cap. Præsenti, de sent. excomm. lib. 6. & ab omnibus Doctoribus communiter admittitur, Ang. Ver. Interdictum 1. num. 1. Tabie. num. 3. Sylue. §. 6. Dom. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. Conclus. 1. Conar. in cap. Alma par. 1. §. 1. num. 6. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 166. Maiol. lib. 3. cap. 20. de irreg. Henriq. lib. 13. De excomm & interd. cap. 41. §. 3. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 51. Vers. Primò dicitur, Cald. in Tractatu de Interdicto par. 1. num. 9. & alij omnes. Nonnulli addunt etiam tertium membrum, idest interdictum mixtum continens locale, & personale, vt Tabie. Sylue. Tolet. Nauar. locis citatis. Alij verò hanc tertiam speciem omittunt, vt Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 4. arg. 3. Ang. Domin. Sot. vbi supra, quia mixtum sub alijs includitur, sed hæc distinctio triplex iuuat solum, vt intelligamus, quando est interdictum simplex, & quando est mixtum.

Locale interdictum dicitur, quod directè fertur ad locum, cum scilicet prohibentur diuina officia celebrari in aliquo loco iuxta modum, & formam à sacris Canonibus præscriptam. Interdictum verò personale immediatè dirigitur ad personam, cui prohibetur certus quidam vsus diuinarum rerum, & tunc illæ personæ nullibi poterunt audire diuina cap. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. & differt à præcedenti, quoniam non circumscribitur certo loco, nam si persona simpliciter interdicta est, non potest alicubi diuina exercere, secus si tantum alicui interdiceretur ingressus Ecclesiæ, tunc prohibetur ei administratio diuinorum in Ecclesia tantum, non alibi, cap. Is cui, de sent. excommun. lib. 6.

Nauar. in Manua. cap. 27. n. 166. Henriquez lib. 13. De excom. & interdic. cap. 41. §. 3. Tolet. lib. 1. Instruc. Sacerd. cap. 51. Vers. Mixtum est, affirmant tertiam illam speciem mixtam Canonistas vocare deambulatoriũ. huius speciei est Interdictum latum in ca. Non est vobis. de sponsal. Vbi interdicuntur Prouinciæ, in quibus detinebantur, vel in quas transferebantur à Rege Anglorum vxores filiorum eius, donec ibi fuerint. Similiter in cap. Dilectis filijs post princ. de appell. ibi, *Verum Decanus post modicum tempus Interdictum huiusmodi promulgauit, vt Episcopo in Ciuitate præsente à diuinis in Ecclesia Altosiodorensi cessaretur.* & modus imponendi hoc interdictum in locum, & personam solet esse huiusmodi: Interdicimus Titium & locum, vbi fuerit, quamdiu ibi manserit. Verum hoc Interdictum potest dici locale, non quidem ratione certi loci, sed successiuè erga plura loca, sicut talis persona interdicta mutat loca, sed includit etiam personã. & de hoc interdicto, quatenus est locale, iudicandum erit iuxta conditiones, & regulas Interdicti localis, & quatenus personale, vt de personali, vt tradit Nauar. dicto num. 166.

Postulabit quis, cum diuina officia, & Sacramenta non tantum requirant locum, sed etiam tempus, cur sicut inuentum fuit interdictum locale, non datur quoque temporale, quo tempus per se primò interdicatur.

Respondeo non esse eandem rationem de tempore, sicut de loco. nam sacræ functiones postulant directè certum locum ex dispositione sacrorum Canonum, nempe Ecclesiam, & alibi, exerceri nequeunt. Vnde gaudet pluribus immunitatibus, & priuilegijs. & idcirco in Ecclesia propter eius reuerentiam plura prohibentur fieri. Tempus autem necessarium est tamquam conditio sine qua. Et licèt aliqua prohibeantur fieri in aliquo tempore propter specialem circumstantiam, semper talis prohibitio directè ordinatur , personas.

Sed hoc in loco occurrit dubitandum, quomodo locus, cum sit res inanimata, censuræ interdicti sit capax, quæ videtur propria pœna hominum.

Respondendum est primò locum sacrum eo modo, quo capax est sanctitatis cuiusdam, interdici posse, quia benedicitur, consecratur, & reuerenter in eo diuina officia exerceantur, nefasque sit in Ecclesia communia negotia, & profana peragantur, ideo Christus eiecit ementes, & vendentes in Templo, ita quoque capacem esse cuiusdam inhabilitatis, & quasi suspensionis, ne sacra, & diuina in eo administrentur, sicut accidit, quando Ecclesia polluitur & ad hunc modum locus potest dici capax interdicti. Secundo dicendum est melius interdictum locale ita appellari, quia versatur circa locũ, & in eo continetur. illam tamen prohibitionem dirigi ad homines, quibus vetitum est, ne in loco interdicto diuina audiant, & recipiant, aut faciant, vel alijs administrent. Sed dicitur Interdictum locale, quia prohibitio non fertur absolutè, & simpliciter, sed in tali certo loco interdicto. Quare vocatur interdictum locale, quia directè versatur circa locum, & ratione loci refertur ad personas, quæ tali censura alligantur, & primò & per se fertur in poenam eorum, qui deliquerunt; secundario verò etiam in alios innocentes, quibus talis locus est interdictus.

Secũda principalis diuisio interdicti est, quòd tam locale, quàm personale; Aliud est generale, aliud speciale, siue aliud est vniuersale, aliud particulare. Hæc distinctio desumitur ex modo imponendi interdictũ. Prima dici potest desumpta ratione patientis interdictum, vt inquit Io. Calder. in suo tractatu par. 1. nu. 9. Hæc diuisio probari potest ex cap. Cum in partibus, de Verb. signific. *Cum in partibus vestris sæpe contingat diuersa loca Interdicto supponi quando generale, vel particulare dici debeat interdictum,* & ex c. Præsenti, de sent. excom. lib. 6. ibi, *Quoad Interdicti sententias in Ciuitates, Castra, vel qualibet alia loca, siue Terras generaliter promulgatas locum aliquatenus non habere* Et licèt fiat mẽtio de solo generali interdicto, ex verbis tamen colligitur, quando dici debeat particulare interdictum.

Ean-

A Eandem diuiſionem tradiderunt omnes Doctores ſuperius citati.

Interdictum ergo generale loci eſt, quod in locum generalem fertur, plura alia loca particularia complectentem, vt cum interdicitur tota Prouincia, totũ Regnum, vniuerſa Ciuitas, Caſtellum, Diœceſis, & huiuſmodi. Particulare Interdictum eſt, cum vnius Ciuitatis vna, vel plures Eccleſiæ, non omnes interdicuntur. Per Eccleſiam intelliguntur etiam loca priuata, in quibus celebrari poteſt, & Cappellæ annexæ cum ipſa, & Cœmeteria, cap. Cum Ciuitas, de ſent. excom. lib. 6. Similiter etiam per Ciuitates accipiuntur ſuburbia. Eodem modo Interdictum generale perſonale dicitur, cum interdicitur vniuerſaliter populus totius B Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, Caſtri, Villæ. Speciale autem eſt, quoties in vnam, vel plures perſonas fertur certas, aut incertas, puta cum imponitur contra particulare Collegium, Capitulum, Vniuerſitatem alicuius Academiæ, & ſimilia.

Quamobrem animaduertendum eſt in vtraque ſpecie huius diuiſionis poſſe dari latitudinem, quia vnũ Interdictum erit magis generale, quàm aliud, ſicut vnum magis ſpeciale, quàm aliud, ſi vnum comparetur ad aliud. Tamen ſimpliciter, & abſolutè appellanda ſunt generalia, aut ſpecialia ſecundùm rationem propriam Interdicti generalis aut ſpecialis, quæ eis conuenit, quia magis, & minus non inducit differentiam ſpecificè; Vnde licet Prouincia latius pateat, quã C Ciuitas, vtrumque tamen erit Interdictum generale, quia tam Prouincia, quàm Ciuitas ſunt loca quædam generalia, quæ complectuntur plura loca partialia. Similiter licèt Interdictum impoſitum vni Eccleſiæ ſit magis ſpeciale, quàm ſi feratur contra duas, tamen vtrumque eſt ſpeciale, quia non fertur ſub ratione alicuius totius loci, ſed partialis, & ſeruata ſimili proportione dicendum eſt de Interdicto perſonali.

Aliqui Doctores, nempe Antoni. 3. par. tit. 27. De interdicto cap. 2. Angel. Ver. Interdictum 1. num. 1. & num. 11. & Ver. Interdictum 2. in princ. addunt tertium membrum, ſcilicet particulare, ſeu ſingulare interdictum vt hoc diſtinctum ſit à ſpeciali. Quare cenſent interdictum generale loci eſſe, cum interdicitur D Regnum, Prouincia, aut Diœceſis: ſpeciale, cum interdicitur Ciuitas, Caſtrum, Villa: Singulare, cum interdicitur certa Eccleſia, vel Cappella, aut quædam Eccleſiæ, vel Cappellæ. Similiter interdictum generale perſonale eſſe, cum vniuerſaliter interdicitur populus totius Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, Oppidi, aut Villæ: Speciale cum interdicitur pars aliqua populi, & Collegium certum, aut aliqua Vniuerſitas incluſa in populo, aut Capitulum: ſingulare, cum interdicitur certa, aut incerta perſona; Certa vt proprio nomine, aut circumſcripta ſuis qualitatibus; Incerta, vt cum interdicitur quiſquis hoc, vel illud fecerit.

Verum hoc tertium membrum non habet funda- E mentum in iure, quoniam duplex tantum eſt interdictum, generale, & ſpeciale, ſeu particulare. Generale, quo interdicitur Regnum, Prouincia, Ciuitas, aut Caſtrum. Speciale quo interdicitur aliquis locus ſpecialis, vt aliqua Eccleſia, vel aliquæ Eccleſiæ, & nullibi in iure reperitur interdictum particulare diſtinctum à generale, & ſpeciali. Et licèt detur magis, & minus ſpeciale ſecundum maiorem, & minorem latitudinem, omne tamen huiuſmodi eſt generale, vt dixi, ita tenet Sylue. Ver. interdictum 1. § 7. Domi. Sot. in 4. ſent. diſt. 22. q. 3. art. 1. Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. n. 9. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 166. & alij multi.

Probatur hæc concluſio, primò ex cap. Cum in partibus, de verb. ſignif. Vbi Innocentius Tertius vocat interdictum generale non ſolum, quando interdicitur Regnum, vel Prouincia, ſed etiam cum interdicitur Ciuitas, Villa, vel Caſtrum, & quodcumque aliud interdictũ intelligit ſpeciale, ſic enim inquit in fine cap. *Nomine Terræ non ſolum Regnum, vel Prouinciam intelligi volumus, verum etiam Villam, & Caſtrum, vt & in his locum habeat, quod de generali dicitur interdicto.* Secundo, vt inquit Sylue. in iure non reperitur Interdictum ſingulare, ſed vocatur ſpeciale id, quod Angel. appellat particulare, aut ſingulare, & quod dicit ſpeciale, vocatur in iure generale, & dicitur generale, quia totum aliquid ſine exceptione comprehendit, vt tradit Glo. in dicto cap. Cum in partibus, ver. Nomine Terræ in fi. & ibi Abb. & ſpeciale, quia non comprehendit totum, ſed partem; Ideo ſi interdicatur Ciuitas, Caſtrum, Villa, vocandum eſt Interdictum generale, quia omnis locus includitur. Quòd ſi interdicatur vna quædam, vel plures Ciuitates; Interdictum dicendum eſt ſpeciale, quia remanet aliquis locus non interdictus. immo, vt inquit Sylue. ex ſẽtẽtia Archid. poſt Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 17. Interdictum ſpeciale erit, ſi interdicantur omnes Eccleſiæ vnius Ciuitatis, aut Prouinciæ, quia quamuis in illis Eccleſijs non ſit permiſſa celebratio, tamen in alijs locis eiuſdem Ciuitatis extra Eccleſias poſſunt celebrari, & audiri diuina ab hominibus illius Ciuitatis, vult eſſe ſpeciale interdictum, quia non comprehendit omnia loca, nam vt inquit Calder. idem valet Interdico omnes Eccleſias huius loci, ac ſi diceret, Interdico hanc, vel illam Eccleſiam, quæ ſunt in tali loco, atque ita ſignum illud vniuerſale diſtribuitur in plura ſingularia, ſicut è contra ſi interdicitur Caſtrũ, in quo vnica tantum ſita ſit Eccleſia, Interdictum erit generale, vt notat Calder. nu. 12. quia comprehendantur omnia loca, in quibus poteſt celebrari, & virtute Interdicti in omnibus prohibetur celebratio.

Eodem modo de interdicto perſonali dicẽdum eſt, in quo ſolum ſunt neceſſaria duo membra, quæ differunt circa obiecta, nam generale interdictum reſpicit aliquod corpus, ſeu collectionem hominum primò, & per ſe, ſecundario ſingulas perſonas illius corporis, vt ſunt membra illius, & partes, cap. Si ſententia in fine de ſent. excomm. lib. 6. *Cum verò alicuius Terræ populus interdicto nodatur, ſingulares ex eo perſonæ, quas interdictas eſſe conſtat, ne ſententia effectu careat &c.* Vbi Glo. Ver. Non competunt, inquit interdictas eſſe ſingulares perſonas Vniuerſitate interdicta, quia in Vniuerſitate, vt res eſt inanimata, cadere non poteſt interdictum. Speciale verò interdictum eſt, quod in determinatam, aut determinatas perſonas fertur, vt ſingulares ſunt. Nihil enim refert, ſi ad vnam, vel plures perſonas referatur, dummodo ad ſingulas per ſe, & ad omnes, vt dicitur per modum plurium dirigatur, ſicut dictum eſt de locali. Plurimum autem refert, vt intelligamus iura, & priuilegia; An Interdictum ſit generale, vel ſpeciale, & quando vocari debet hoc, vel illo modo, quia huiuſmodi interdicta diuerſas requirũt cauſas, & diuerſos effectus producunt, vt declarabimus. Et præter alias differentias differt interdictum generale à ſpeciali.

Primò quod propter debitum pecuniarium non poteſt ferri interdictum generale ſine ſpeciali licentia Papę, ſicut ſpeciale, vt colligitur ex Conſtitutione Bonifacij Octaui in Extrauagan. Prouide, de ſentent. excommunic.

Secundò

Secundò interdictum generale relaxari non potest A ad cautelam c. Præsenti, de sent. excomm. lib. 6. secus de speciali, in quo interdictum conuenit cum excommunicatione, Gemin. in dicto c. Præsenti prope finem, & Anchar. & Franc.

Tertia principalis diuisio Interdicti, quia aliud est Interdictum totale, & aliud partiale; Totale erit, quan do tam locale, quàm personale simpliciter fertur quo. ad omnes effectus Interdicti, quale erit, quando profertur absq; vlla determinatione. Nauar. in Manua. c. 27. nu. 170. Quare interdicto simpliciter Petro, vetitum est illi omne id, quod interdictum prohibet; Partiale autem, quando solum pronunciatur, quoad vnũ, aut alium effectum, quod ita iudicandum erit, quando verba iuris, aut sententiæ ita illud limitauerint; ideo B interdicto Petro quoad ministerium Altaris, reliqua omnia ei permittuntur; Vel si interdicatur ab ingressu Ecclesiæ iuxta cap. Is cui, de sent. excom. lib. 6. omnia diuina officia ei prohibentur in Ecclesia, & nulla ei sunt vetita extra illam, quare potest domi celebrare, aut in Sacello non erecto auctoritate Episcopi, ac si nulla re esset interdictus, Glo. in dicto c. Is cui, S. Antoni. 3. par. tit. 29. cap. 2. §. 2. Calder. de interdicto par. 1. nu. 12. poterit etiam transire per Ecclesiam, quando celebrantur diuina officia, vt tenet Nauar. quia transire non est audire. Et ratio est, quia prohibitio ingressus Ecclesiæ respicit solum diuina officia, ne ea faciat, vel audiat dicto c. Is cui, cum annot. c. Præsenti 5. q. 2. Eodem modo si interdicatur Ecclesiastica sepultura C alia omnia permittuntur, & idem est in similibus. Itaque manifestum est interdictum posse ferri totaliter, & partialiter quoad certum actum, aut quoad certam peculiarem actionem ordinis, vt tradit etiam Conar. in cap. Alma par. 2. §. 1. nu. 3. ad fi. Qua in re simile est interdictum suspensioni, cum interdum suspendatur quis totaliter ab officio quoad omnes effectus, nonnũquam ab vno actu, vel duobus, aut tribus determinatis, & est partialis suspensio, vt explicaui suo loco in materia de suspensione. quæ omnia clarius elucidabuntur, cum de effectibus interdicti agemus.

Quarta diuisio interdicti communis cum excommunicatione, & suspensione, quod aliud imponitur à iure, aliud ab homine, sicut excommunicatio, & suspẽ- D sio à iure, & ab homine ferri possunt; ideo omnes conditiones, quæ conueniunt excommunicationi, & suspensioni, si latæ sint à Iure, de quibus suis locis tractatum est, accomodandæ sunt suo modo interdicto. Et similiter conditiones earundem censurarum, si ferantur ab homine, conueniunt interdicto, quod imponitur ab homine. Et similiter differentia vnius modi ab alio eædem sunt in interdicto, sicut in excommunicatione, & suspensione. Quæ omnia ex dicendis clariora apparebunt, & de interdictis peculiaribus iuris dicemus suo loco.

Quinta, & postrema diuisio addi potest, quòd interdictum ferri potest per modum Censuræ propter E contumaciam, vt monui in cap. 2. & tanquam pœna. qua in re differt ab excommunicatione, & conuenit cum suspensione, quæ etiam vtroque modo pronunciatur. Plurimum autem refert, vtrouis modo imponatur interdictum, vt cognoscamus causas, quarum gratia fertur, & modum, quo possit tolli, & relaxari. Hæc breuiter de speciebus, & modis ferendi interdictum. Sed, vt, quæ dicta sunt clarius innotescant, nonnullæ dubitationes sunt proponendæ, & dissoluendæ.

CAPVT IV.

Explicantur dubitationes quædam de Interdicto locali.

PRimò dubitatur, An Interdictum positum in tota Parochia Ciuitatis, vel Oppidi, in quo sunt plures Parochiæ, dicendum sit generale, vel speciale. In qua difficultate sunt variæ opiniones, Couar. in dicto §. 1. nu. 9. censet dicendum esse particulare, seu speciale interdictum, & citat Abb. Calder. Plouium, & alios. Et probari potest hæc sententia ex dicto c. Cum in partibus, Vbi videtur requiri ad interdictum generale, quod saltem in totum Oppidum, vel Castrum latum fuerit, non est autem tale, quod in vna tantum Ecclesia Parochiali ponitur, contra verò in c. Cum inter, de Consuet. solum habetur, generale interdictum esse, quod in Ciuitate ponitur, sed ibi non affirmatur necessarium esse ad generale interdictum, vt in Ciuitatem, aut Oppidum feratur, ita vt latum in vniuersam Parochiam non possit dici generale, fauet huic parti Felin. in c. Sane 2. num 3. de off. Deleg. vbi tradit non posse ferri propter debitum pecuniarium interdictum generale, quia non potest interdici tota Terra; secus verò de speciali Interdicto, quia propter debitum alicuius interdici potest Parochia, ergo tenet esse Interdictum speciale.

Ad hanc dubitationem primum dico duobus modis posse Parochiam interdici; Primo vt nomine Parochiæ intelligatur sola Ecclesia Parochialis, in qua celebrantur diuina officia, & administrantur Sacramenta, & si hoc modo interdicatur Parochia, certum est absque ambiguitate tale interdictum vocandum esse particulare; nam interdictum speciale loci est illud, quo interdicitur aliquis locus particularis, non continens in se alia loca sacra, & profana. Si enim contineret tantum intra se loca sacra, erit Interdictum speciale, Vt si interdicatur Ecclesia, sunt etiam interdictę Cappellæ intra Ecclesiam, & tamen dicitur interdictum speciale. Immo quamuis interdicantur plura loca sacra tantum, non profana, vt plures Ecclesiæ, vel, quod maius est, omnes Ecclesiæ Ciuitatis; tamen semper erit interdictum speciale, quia semper licitum erit celebrare diuina extra Ecclesias Ciuitatis, licèt id fieri non debeat absq; necessitate, vt notat Calder. in Tractatu de Interdicto par. 1. nu. 12. Et in hac sententia sunt omnes Doctores. Quare si accipiatur Parochia pro Ecclesia interdictum impositum Ecclesiæ Parochiali absq; controuersia erit particulare, non generale. Secundo modo potest interdici Parochia, non accipiendo Parochiã pro sola Ecclesia, sed pro toto ambitu, & distinctu, vbi degunt subditi, quorũ cura spiritualis, & regimen exercetur ab vno Parocho, qui est Rector illius Ecclesiæ, & de hoc interdicto intelligitur sensus quæstionis, An interdictũ latum in Parochiã sit vniuersale, vel particulare, & de hoc est difficultas.

Dico secundò sententiam illorũ, qui asserunt interdictũ latum in Parochiam esse generale, non particulare probabilem esse. ita tenet Calder. par. 1. num. 12. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 166. Henriquez lib. 13. de excommunicatione, & interdicto cap. 41. §. 3. Vgolin. De interdicto Rub. 5. cap 6. in princ. Probatur, quia interdictum dicitur vniuersale, quoties interdicitur locus aliquis vniuersalis continens in se plura loca particularia ex Palud. in 4. distin. 18. quæst. 8. §. Circa Quartum principale, Vers. Quantum ad tertiam, sed interdictum Parochiæ est huiusmodi, quia continet aliquem locum generalem, in quo possunt esse plures

Ecclesiæ regulares, & seculares, ergo erit generale Interdictum, non speciale. Secundò, quoniam vt notat Abb, in cap. Cum in partibus, de verb. signific. & Tabie. Ver. Interdictum 1. nume. 4. Vers. Tertio nihil refert, an locus interdictus sit magnus, aut paruus, vt Interdictum sit generale, dummodo contineat partes, quæ separatim interdici possint, & nulla ex partibus remaneat non interdicta. Ita accidit, cum interdicitur tota Parochia, ergo est Interdictum generale. Tertiò virtute Interdicti generalis duo genera locorum interdici debent, scilicet Ecclesia, siue locus sacer, & profanus; Et ob hanc causam Interdictum Parochiæ erit generale, quoniam ex vi talis Interdicti non solum prohibetur celebratio diuinorum intra Ecclesiam, sed etiam extra eam in tota Parochia.

Hæc autem sententia probabilis est, si interdicatur tota Parochia in aliquo loco, Oppido, vel Castro, vbi vnica tantum est Parochia. Rationes enim adductæ confirmant hanc partem, quando vnica est Parochia, tunc enim eandem vim videtur habere, si interdicatur Castrum, vel Oppidum, aut Villa, in qua esset Parochia. Quare sicut Interdictum Castri, & Villæ est generale, vt expresse habetur in cap. Cum in partibus de verb. signific. & cap. Præsenti, de senten. excomm. lib. 6. erit quoque generale Interdictum Parochiæ, quia est quoddam totum collectiuum habens plures partes. Secus tamen dicendum esset, si interdiceretur nominatim illa Ecclesia, etiam si vnica esset, tunc enim esset Interdictum speciale, non generale, vt inquit Couar. in cap. Alma pat. 2. §. 1. num. 9. Calder. num. 12. Abb. in dicto cap. Cum in partibus, de verb. signific. Syluc. Interdictum 1. §. 7. quia extra illam Ecclesiam celebrari possunt diuina. Quare cum Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 4. Vers. Quantum ad tertium, dicat Interdictum esse generale, si Ecclesia vnica, quæ est in Castro, aut Villa, supponatur Interdicto, hoc dictum sano modo est accipiendum, idest Palud. accepisse nomine Ecclesiæ totam Parochiam.

Dico tertio Interdictum vnius Parochiæ, quando sunt plures in eodem Oppido non esse generale, sed speciale. Huius opinionis est Calder. membro 1. numero 12. Couar. in cap. Alma par. 1. §. 1. num. 9. Probatur interdictum locale generale ideo dicitur, quia per illud totum aliquod sine exceptione comprehenditur, Parochia verò, quando sunt plures in Oppido illo, non potest dici totum, sed pars, nec locus Parochiæ deputatus potest dici locus vniuersalis, sed particularis, ergo non est Interdictum generale, sed speciale, quia interdictum generale debet referri ad locum generalem, vt inquit Genin. in cap. Præsenti nu. 1. de sentent. excommun. lib 6. locus autem generalis, vt ibi notat Franc. num. 1. est Ciuitas, Castrum, Regnum, Prouincia, Comitatus, Villa. idem ibi notat Anchar. Itaque cum Parochia, quando sunt plures in eodem Castro, & loco, non sit totum quoddam, sed pars Castri, aut loci, ideo interdictum Parochiæ in eo casu non erit Interdictum generale, sed speciale.

Secunda dubitatio est, an si interdicatur vniuersa Ciuitas excepta, vel altera particulari Ecclesia, dicendum sit interdictum vniuersale, an particulare. Difficultas oritur ex verbis Glosæ in dicto cap. Cum in partibus Ver. Nomine Terræ, de verb. signit. vbi ait: *Et sic generale dicitur Interdictum, ex quo tota Terra subricitur interdicto, siue sit Ciuitas, Prouincia, vel Villa, quia generale dicitur quantum ad locum illum, cum nullus ex-*

A *cipiatur*. Idem tradit ibi Abb. & Sylue. Ver. Interdictũ 1. §. 7. Vers. Vnde dicitur, inquit: *Dicitur Interdictum generale, quia totum aliquid sine exceptione comprehendit*. Et Nicolaus Plouius in Tracta. de Interdicto in princ. num. 2. dicit interdictum generale esse, in quo aliquæ Ecclesiæ non excipiuntur.

Respondendum est tale interdictum dicendum esse vniuersale non particulare. Probatur, quia interdictũ particulare locale est, quando interdicitur locus aliquis particularis, vt aliqua Ecclesia, vel aliquæ Ecclesiæ. Ita Sylue. Sot. Couar. Nauar. locis citatis, sed quando interdicitur Ciuitas tota, quibusdam particularibus Ecclesijs exceptis, non intelligitur modo prædicto aliquis particularis locus, ergo non est speciale Interdictum. Præterea interdictum latum sub prædi-
B cta forma habet generale obiectum, quod per se plura loca collectiuè complectitur, ergo est generale, nã exceptio, & priuilegium concessum quibusdam particularibus non tollit, quin illud Interdictum latum sit generaliter in Ciuitatem, & ita sit generale. Neq; oppositum sentiunt Doctores, cum dicunt interdictũ generale extendi ad omnia loca contenta sub totali loco interdicto sine vlla exceptione, nam his verbis significate voluerunt tantum ex vi, & propria virtute generalis interdicti nullum excipi locum; Idcirco enim vocatur generale. Nolunt tamen negare non posse excipi aliquem locum ex accidenti ex voluntate, & priuilegio Superioris. hæc tamen exceptio non prouenit ex
C ipso iure, & ideo non mutat naturam Interdicti, sicut simili modo, si interdicatur Castrum, in quo vnica sit Ecclesia, est interdictum generale, quoniam accidit, vt in eo loco non sint plures Ecclesiæ, quæ si darentur, suppositæ essent per se interdicto. Interdictum autem speciale est, cum Ecclesia aliqua particularis interdicitur, ita vt in alijs per se absque vlla exceptione diuina celebrari possint.

Tertia dubitatio, Vtrum interdictum, quo non interdicitur tota Ciuitas, neque aliqua Ecclesia particularis, aut duæ, vel tres, sed vniuersaliter interdicuntur omnes Ecclesiæ Ciuitatis, sit appellandum interdictum generale, an speciale.

Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. artic. 2. conclus. 1. Vers. Et
D vtrunque istorum, putat interdictum esse generale, quando nulla Ecclesia excipitur, idest cum omnes Ecclesiæ interdicuntur. Fundamentum Soti esse potuit, quia ad generalitatem interdicti non est accipiendus locus materialiter, sed in ordine ad officia Ecclesiastica, quorum solemni, & publicæ celebrationi deputatæ sunt Ecclesiæ, ideo si interdicantur omnes Ecclesiæ alicuius loci, videtur generaliter interdictus omnis locus quoad functiones Ecclesiasticas, & ita erit interdictum generale, non speciale.

Opposita tamen sententia est communis, à qua nõ est recedendum; omnis enim asserũt interdictum, quo interdicuntur omnes Ecclesiæ Ciuitatis, aut Regni, immo totius Mundi esse interdictum speciale. non ge-
E nerale, B. Antoni 3. pat. tit. 26. cap. 2. §. 1. Sylue. interdictum 1. §. 7. Philip. Franc. in cap. Præsenti, num. 5. de sentent. excommunic. lib. 6. Nauar. in Manna. cap. 27. num. 166, Henriquez lib. 13. de Excommun. & interdicto cap. 41. §. 3. Couar. in cap. Alma par. 1. §. 1. num. 9. fusè Calder. in Tractatu de Interdicto par. 1. num. 17. Vers. Sed quæro si interdicantur, & hanc sententiam dicunt Nauar. & Couar. esse communiter receptam. Probatur ex cap. Cum in partibus, de verb. signif. ibi, *Dicentes Interdictum generale duntaxat, cum Regnũ, vel saltẽ Prouincia tota subijcitur Interdicto, et infra*, nomine

Terræ

Terræ declaratur intelligi debere non solum Prouinciam, & Regnum, sed Villam, & Castrum; Si igitur Summus Pontifex statuit interdictum locale generale tantum dici, cum interdicitur Prouincia, Regnum, Ciuitas, Castrum, aut Villa, & interdictis Ecclesijs Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, Castri, aut Villæ, non est interdictum Regnum, Prouincia, Ciuitas, Castrum, aut Villa, ergo non est interdictum generale, quia in eodem Regno, Prouincia, Ciuitate, Castro, aut villa possunt extra Ecclesiã celebrari diuina officia, sicut prius in domibus priuatis. Nec aliquid facit, quod in tali Ciuitate &c. non sit aliqua domus, vel sacellum priuatum habens priuilegium, vt in eo celebretur Missa, quoniam hoc est per accidens, satis est enim, quòd possit celebrari in domibus priuatis, si habeant priuilegium. Secundò eadem cõclusio probatur, sicut enim interdicta vna Ecclesia interdictum est speciale, ita cum interdicuntur omnes Ecclesiæ talis loci, interdictum debet dici speciale, quia, vt inquit Calder. talis Vniuersitas distribuitur in singularitates, quoniam eundem sensum habet, si dico Interdico omnes Ecclesias talis Prouinciæ, ac si dicerem Interdico hanc, illam, & illam, quæ sunt in tali Prouincia. Quare cum hoc interdictum non feratur per se, & directè in totũ aliquem locum generaliter, sed in plures particulares determinatos, erit vnũ particulare interdictum actu virtute continens plura particularia interdicta, etiam si interdicerentur omnes Ecclesiæ totius Vniuersi.

Quartò dubitatur, quis locus censeatur interdictus per interdictum generale, & quis per speciale interdictum. In qua difficultate vnum videtur esse certum, & sine controuersia interdictum locale generale, aut speciale non posse operari effectus suos, nisi in locis singularibus, quia actiones, quę interdicuntur in loco singulari, non in vniuersali generaliter, & confusè sumpto, sicut de interdicto personali dicemus postea. Nã interdicto Collegio, censentur interdicti singuli constituentes Collegium, quia actiones, quæ prohibentur, exerceri debent à personis singularibus eiusdem Collegij. Actiones enim sunt suppositorum, eadem igitur est ratio de interdicto locali. Hinc sequitur, si interdicatur generaliter aliqua Ciuitas, remanere interdicta omnia ædificia, Ecclesias, domos, & loca quęcunq; intra ambitum Ciuitatis contenta. Similiter si interdicatur speciali interdicto aliqua Ecclesia, censentur interdictæ Cappellæ Chorus distinctus ad canendum officium, in quibus sacrificia celebrantur, & alia loca particularia, quæ intra illam Ecclesiam comprehenduntur, nisi enim ita intelligeremus, sententia Interdicti nullum effectum pareret, neque seruari posset. Ita Sylue. Interdictum 1. §.5. Nauar. in Manua. cap. 27.num.167. in fin. Couar. latissimè in cap. Alma par. 2.§.1.num.8. Vers. Septimò patet, Calder. in Tract. de interdicto par. 1.num.23. Tolet. lib.1. Instruct. Sacerd. cap.51. Ver. Rursus secundo, & alij omnes.

Obijciet quis, si hoc modo explicemus interdictũ, distruitur diuisio illa posita de interdicto generali, & speciali quia iuxta declarationem traditam omne interdictum erit particulare, aut generale, quia vtrunque interdictum est circa locum communem, & solum erit differentia secundum magis, & minus communem, atque ita speciale interdictum erit, quod respicit locum minus communem.

Respondeo primò hanc distinctionem interdicti localis in generalem, & specialem non esse accipiendã phisico modo, vt intelligatur pro loco superficies corporis ambiẽtis, sicut locus definitur ab Arist. sic enim

A non reperitur locus vniuersalis, sed omnis locus est particularis. At verò pro loco intelligimus morali modo, vbi situm, vbi degunt homines. & in iure locus communis vocatur ille, qui plura complectitur, vel cõplecti potest loca totalia, quæ interdici possunt per se particulariter. at verò locus particularis erit, cuius partes interdici non solent. Itaque iuxta hanc significationem interdictum generale erit, cum interdicitur Ciuitas, Villa, Castrum, Prouincia, Regnum, quia sub his omnibus continentur plura loca particularia, quę per se, & separatim interdici possunt, & sub Regno, & Prouincia comprehẽduntur plures Ciuitates, Castra, Terræ, quæ per se possunt interdici: sub Castro, & Villa plures Ecclesiæ sunt, vel esse possunt, quæ similiter separatim, & per se subijci possunt Interdicto. Eodẽ modo locus particularis in Iure appellatur in ordine ad Interdictum, cuius partes per se separatim interdici non solent, vt est Ecclesia aliqua particularis, quæ habet Cappellas, Altaria, & alia partialia loca, quæ separatim nõ interdicuntur, sed vt minimũ Ecclesia interdicitur particulari interdicto, atq. hoc modo accipitur interdictũ vniuersale, & particulare, optimè differũt inter se, sicut dixi. De his igitur nõ cõtrouertitur.

Tota difficultas consistit, vt declaremus, quæ loca partialia intelligi debeãt sub Interdicto generali, aut speciali comprehensa. Qua in re primò tradenda est regula vniuersalis, nimirum vt sciamus, quousq; se extendat sententia interdicti, recurrendum esse ad dispositionem iuris, vt interpretemur interdicti sententiam plura, vel pauciora loca complecti, sicut ab ipso Iure definitum esse reperimus, & si casus occurrens non sit omnino idem, desumenda est interpretatio ex simili ordine rationis. quòd si ex iure nihil desumi possit ad intelligendum, quàm latè se extendat interdictum per sententiam Superioris latum, tunc recurrendum est ad significationem verborum, & intelligendum erit interdictum iuxta magis communem, & vsu receptam verborum interpretationem, quæ in rebus moralibus magnifacienda est. Hæc regula elucidabitur ex his, quæ obijciam quorundam casuum particularium.

Primò igitur quæri potest, quæ loca maneant supposita interdicto interdicta ciuitate, an solum sint interdicta, quæ ambitu murorum inclusa continentur, vel etiam loca extra mœnia Vrbis. Ratio huius dubitationis oritur ex eo, quoniam appellatione Ciuitatis minime suburbia intelliguntur; Neq; interdicta Ciuitate erunt interdicta suburbia, & loca extra mœnia Ciuitatis, l. Nam quod liquide, §. Si ita, ff. de penu. legat. l.2. ff. de verbor. signific. Siquidem nomine Ciuitatis propriè id significatur, quod ambitu murorum continetur, & Bald. in l.1. ff. de off. Præfec. Vrb. dicit, quòd si Testator vtitur proprio nomine loci dicens: lego frumentum, quod habeo Romæ, vel Florentiæ, continetur in legato huiusmodi frumentum, quod habebat Testator in continentibus ædificijs, sicut sunt suburbia coniuncta Ciuitati, nullo extraneo loco mediante. Via autẽ publica nõ facit mediũ, quia est eiusdem iuris publici. quòd si Testator vtatur nomine appellatiuo, vt si dicat: lego frumentum, quod habeo in Ciuitate, non intelligitur de frumento, quod habetur in suburbijs, & continentib ædificijs. Si autem vtatur vtroq. vocabulo: lego frumentũ, quod habeo in ciuitate Perusij, cõcludit Bal. quòd si talis ciuitas nominata esset Roma, intelligũtur continẽtia ædificia per l.1. §. Cũ Vrbem, ff. de off. Præfec. Vrb. Secus de alijs ciuitatibus, nam sub tali legato non includeretur frumentũ, quod habebat Testator in suburbijs, nisi Testator ha-

buisset tantum frumentum in suburbijs, quia illud continceretur, ne legatum redderetur elusorium per l. Fundus qui, ff. de fun. instr.

De hac difficultate, Vtrum nomine Ciuitatis veniant suburbia latius disputat Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. nu. 8. vers. Septimò patet, & ante ipsum Abb. & Felin. in cap. Rodulphus, de rescript. neque opus est, vt ad dissoluendam propositam dubitationem, quæ in ea quæstione traduntur à Doctoribus, hoc in loco referantur.

Sed satis est, quod ad rem nostram spectat, si breuiter aliqua ex pluribus colligamus, quæ ad rationem Interdicti, de quo agimus, intelligendam facere possunt. Et primò quamuis propriè Vrbs locum, & ædificia significet, Ciuitas autem ipsorum Ciuium collectionem, l. Pupillus §. Vrbis, ff. de verb. signif. Tamen quandoque Ciuitas accipitur, vt significet locum, & ædificia muris circundata, Textus optimus in c. Si Ciuitas, de sent. Excom. lib. 6. Secundo appellatione Vrbis, aut Ciuitatis id solum intelligitur propriè, quod murorum ambitu cingitur, ita vt continentia ædificia minimè comprehendantur. idque probatur ex eodem cap. Si Ciuitas. Tertio communi etiam omnium iudicio concessum est nomine cuiuslibet Vrbis expresso nomine substantiuo, & proprio suburbia, & continentia ædificia significari, vt si dicatur Vrbs Roma, Bononia, & è contra, appellatione cuiusque Vrbis nomine adiectiuo expresso non contineri suburbia, sed tantum quod muris cingitur, l. Vt Alphenus, ff. De Verbor. signific. Quartò in re dubia illud certum esse debet, vt intelligamus, quid nomine Ciuitatis intelligendum sit, considerandam esse subiectam materiam, & finem loquentis, vt percipiamus eius mentem, an intellexerit sub Ciuitate suburbia, an tantum id, quod muris finitur, vt dicunt Abb. & Felin. in dicto cap. Rodulphus, de Rescript. His præmissis iam respondere, possumus ad propositam difficultatem,

Sit igitur conclusio indubitata, quæ ab omnibus admittitur, quando interdicitur aliqua Ciuitas, etiam intelligantur interdicta suburbia, & ædificia continentia, si Ciuitas illa habeat, Ita Nauar. in Manua. cap. 27. num. 167. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. numero 8. Vers. Decimo ex his, Sylue. Interdictum 2. §. 5. Angel. Interdictum 2. num. 3. Tolet. lib. 1. Instruc. Sacerd. capit. 51. Vers. Rursum secundò, Abb. in cap. Rodulphus, numero 4. de Rescrip. & ibi Felin. num. 6. Anchar. in cap. Si Ciuitas, num. 4. de sent. excom. lib. 6 Franc. ibi num. 6. Gemin. num. 14. Calder. in Tractatu de Interdicto par. 1. num. 23. Vers. Viso, de speciebus Interdicti.

Probatur Conclusio ex dicto cap. Si ciuitas, vbi ita expressè definitum fuit, *Si Ciuitas, Castrum, aut Villa subijciantur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia, & continentia ædificia eo ipso intelligi volumus interdicta*, reddit rationem Summus Pontifex, *Nam licèt prædicta*, idest Ciuitas, Castrum, & Villa ex propria significatione, *videantur alias murorum ambitu terminari, hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia Interdicti, quod fieret, si posset in ipsorum suburbijs, vel continentibus ædificijs licitè celebrari &c.* Ex quibus apparet appellatione Ciuitatis, Castri, & Villæ, ac similium vocabulorum tantum contineri id, quod muris cingitur, & non venire suburbia, & continentia ædificia, nisi in septem casibus, quos refert Franc. in dicto capit. Si Ciuitas, numero secundo, Vers. Quod tamen limita primò, tamen interdicta Ciuitate censeri,

A & suburbia interdicta, ne Interdicto Ecclesiastico facillimè fiat illusio, quæ contingeret, si interdicta Ciuitate possent diuina officia in suburbijs celebrari, sicque violaretur neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, quod est cauendum, vt notat Glo. in cap. Si sententia, Ver. Careat, de sent. excomm. lib. 6. ex cap. Cum inter vos, de Consuet.

Si petas, quid intelligatur per suburbia, & continentia ædificia, quod attinet ad rem, de qua agimus, idest vt sciamus, quousque se extendat interdictum Ecclesiasticum.

Respondet Couar. in dicto §. 1. num. 8. in fine. Ver. Quæ verò, Iudicis ac boni viri arbitrio iudicandum esse, quæ vocanda sint suburbia Ciuitatis, & continentia ædificia, qui hoc ipsum ex situ loci ex commu- B ni loquendi vsu, & ex alijs adiacentibus. Ita dixit Glo. in eodem capit. Si Ciuitas, Ver. Continentibus. & hæc regula intelligenda est, quando dubitatur, quàm latè pateant suburbia, & continentia ædificia, quia possunt plura, vel pauciora loca amplecti. Sed ex communi vsu loquendi suburbia, quæ Italicè *li Borghi* vocantur, intelliguntur ædificia extra muros Ciuitatis, aut quæ sunt muris contigua, aut prope. quare sunt collectiones plurium ædium prope post Vrbem existentium. Per continentia verò ædificia significantur ædificia, siue domus, quæ sunt extra Ciuitatem à muris separatæ, & non contiguæ ipsis, nec suburbijs. Ita explicat Beatus An- C tonin. in Summa 3. par. titulo vigesimo sexto, capit. tertio, prope fin. vel aliter inquit suburbia dicuntur ea, per quæ iter est rectum ad Ciuitatem, continentia verò ædificia, quæ non præparant rectum iter ad Ciuitatem, Syluest. Interdictum 2. §. quinto, inquit suburbia esse, quæ sunt intra vltimam portam. & faciunt cum Ciuitate publicas functiones, & vocantur ad Concilia, & Conciones. Vel secundum Gemin. sunt Burgi extra, & prope Ciuitatem, in quibus domus sunt contiguæ, vel secundum Archidiac. dicuntur domus, per quas est iter rectum eundi ad Ciuitatem, & concludit Syluest. omnes has explicationes in idem incidere, & eodem modo alij Doctores interpretantur huiusmo- D di vocabula, vt Franc. & Archidiac. in cap. Si Ciuitas in fine. Nauar. in Manua. cap. 27. numero 168. in fin. Calder. in Tractat. de Interdicto par. 1. numero vigesimo tertio.

Quanta autem distantia, vt censeantur ædificia continentia, Glo. in dicto cap. Si Ciuitas, Ver. Continentibus tenet, vt dixi, hoc iudicandum esse arbitrio prudentis viri, quam sequuntur Nauarr. & Couar. vbi supra, Angel. verò, & Sylue. Interdictum 2. §. 5. dicunt id cognoscendum esse ex illa ratione dicti capit. Si Ciuitas, idest ne vilipendatur Interdictum, Vnde si sit talis distantia, vt possit populus commodè illuc confluere ad audienda diuina, sunt ædificia continentia, & consequenter E interdicta. Verùm si tanta sit, vt non possit populus sine incommodo, & difficultate illuc se conferre, ponit exemplum Syluest. vt si distent per vnum miliare non dicuntur ædificia continentia. Sed nullum est fundamentum pro Syluest. de distantia vnius milliaris, sed dicenda sunt ædificia continentia, quæ sunt prope mœnia, & frequentari solent ab hominibus Ciuitatis sine magno labore,

Sed aliquis postulare potest, nunquid suburbia, & continentia ædificia dicantur interdicta Interdicto

juris,

iuris, vel hominis, si positum est interdictum in Ciuitate ab homine. Archid. in dicto cap. Si Ciuitas censet interdicta Ciuitate ab homine suburbia manere interdicta à iure, quia comprehenduntur sub Ciuitate, per quandam consequentiam, & iuris extensionem; Ideo interdictum Suburbiorum, & continentium ædificiorum est interdictum iuris causatum ab interdicto hominis. Eodem modo Cæmeterium, & Cappella sunt interdicta à iure Ecclesia interdicta.

Oppositum tamen sentiunt Io. Andr. Gemin. num. 11. in fi. Franc. nu. 6. Anchar nu. 1. in fi. & hoc est probabilius, quare vtrunque interdictum tam Ciuitatis, quàm suburbiorum, & continentium ædificiorum ex vi verborum comprehenduntur in casu interdicti. B Alia ratio esset, quando extentio fieret non ex vi verborum, sed ex culpa subsequenti, vt in Communicante cum Excommunicato in crimine, tunc enim incurritur excommunicatio lata à iure, quæ parit effectum suum occasione sententiæ hominis, vt in cap. Nuper, de sent. excomm. quare in hoc casu est duplex culpa, & duplex sententia. Sed quando interdicitur Ciuitas, & Suburbia, est vnica sententia proueniens ex eadem culpa.

Si petas, an id, quod firmatum est de suburbijs, & ædificijs continentibus, habeat locum etiam, si suburbia, & ædificia continentia Ciuitatis interdictæ non sint subiecta temporaliter illi Domino, propter cuius culpam Ciuitas est interdicta. C

Solus Anchar. in dicto cap. Si Ciuitas, num. 1. in fi. tenet textum in eodem cap. quòd interdicta Ciuitate sint interdicta suburbia, & continentia ædificia, intelligendum esse, quando prædicta pertinent ad iurisdictionem eius, cuius est Ciuitas interdicta. & probat, quia vt plurimum, & frequentius ita accidit, vt suburbia, & continentia ædificia pertineant ad eandem iurisdictionem, & oppositum, quod sint alterius iurisdictionis rarissimè contingit. Iura verò aptantur ad ea, quæ frequentiora sunt l. Nam ad ea, ff. de legi. Secundò probatur ex illo verbo textus, *Illorum suburbia*, & infra, *In ipsorum* suburbijs, vel continentibus ædificijs, ergo Summus Pontifex intendit interdicta Ciuitate, Castro, aut Villa esse quoque interdicta subur- D bia, & continentia ædificia ad ipsam Ciuitatem, Castrum, aut Villam spectantia. talia non dicuntur, quæ sunt alterius iurisdictionis, l. a. §. Alterius, ff de relig. & sump. fune.

Hæc expositio Anchar. est singularis, contraria opinio est communis omnium Doctorum, nimirum suburbia, & continentia ædificia Ciuitatis interdictæ esse interdicta, quamuis non sint subiecta temporaliter illi Domino, propter cuius culpam Ciuitas est interdicta, ita Franc. in eodem cap. Si Ciuitas nume. 6. Sylue. Interdictum 2. §. 5. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. numero octauo. Vers. Est tamen intelligenda, quia militat eadem ratio, quæ in dicto capit. Si Ciui- E tas est expressa, nempe ne illudatur sententia interdicti, Felin. in cap. Rodulphus numero octauo, Vers. Secunda Regula, de rescript. Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. nume. vigesimo tertio, Vers. Circa quod quæro, & omnes ad id afferendum ducuntur ex illa ratione, quoniam si in hoc casu non essent interdicta suburbia, & continentia ædificia, facilè sententia interdicti lata in Ciuitatem illuderetur, & fine suo careret. Et quemadmodum si Ciuitas pertineret ad duos Dominos, media pars ad vnum, & media ad alterum, & nihilominus si interdicatur propter delictum alterius Domini tantum, tota intelligitur interdicta, ita dicendum est de suburbijs, & continentibus ædificijs, quamuis sint alterius iurisdictionis, quia Interdictum complectitur etiam Innocentes. Quare cum militet eadem ratio, siue suburbia, & continentia ædificia pertineant ad eundem Dominum, cuius est Ciuitas, siue ad diuersum, eadem quoque dispositio locum habere debet, argum. capit. Cum dilecta, de Confirm. vti. vel inuti. & l. Illud, ff. Ad leg. Aquil. & ab hac opinione non est recedendum. Non obstant, quæ afferuntur ab Ancharano, nam primò licèt Legislator respiciat ad ea, quæ frequentius eueniunt, tamen verum est etiam ab vno casu ex numero illorum, qui frequentiores sunt in lege, expresso inferri posse ad alios non adeo solitos, & frequentes, si eadem prorsus ratio in illis appareat, vt probatur in l vnò. & ibi Glo. in Ver. Sponsam, C. De Rapt. Virg. Ad aliam rationem desumptam ex dictione, *Illorum, aut ipsorum suburbia*, quasi secus sit, si alterius sint surburbia. Simili modo dicimus voluisse Summum Pontificem exprimere casum frequentiorem, non exclusisse autem alios, quibus eadem ratio conuenit.

Secundò postulabit quis, an suburbia, & continentia ædificia sint interdicta Ciuitate interdicta, si non sint eiusdem Diœcesis cum Ciuitate, nec subiecta sint eidem Episcopo, & Ecclesiastico Iudici, à quo Ciuitas interdicta fuit.

Omnes Doctores asserunt, interdicta esse suburbia, & continentia ædificia in hoc casu, quamuis non pertineant ad iurisdictionem spiritualem, & Ecclesiasticam Ciuitatis, sed sint subiecta alteri Episcopo, quod accidere potest, nam aliquando fines vnius Episcopatus attingunt muros alterius Ciuitatis.

Sed dubium est, à quo ponatur Interdictum in suburbijs, & continentibus ædificijs, quando non sunt subiecta spiritualiter Prælato interdicenti Ciuitatem.

Respondeo, quòd ponitur à Iure communi in dicto cap. Si Ciuitas, ita Palud. in 4. dist. 18. q. 8. concl. 3. B. Antoni. in Summa 3. par. tit. 26. cap. 3. ad fi. Vers. Si autem non habebat iurisdictionem, Sylueft. Interdictum 2. §. 5. Calder. in Tractatu, de Interdicto par. 1. num. 24. Henriq. lib. 13. De excom. & Interdicto cap. 42. §. 4. in Glos. cit. 1. Hoc igitur discrimen est, quando suburbia, & continentia ædificia subijciuntur eidem Prælato, cui subiecta est Ciuitas interdicta, & cum sunt alterius iurisdictionis spiritualis; nam in priori casu prædicta censentur interdicta ab homine, vt dixi per eandem sententiam, qua Ciuitas supponitur Interdicto. In posteriori verò Ciuitas erit interdicta ab homine per sententiam, suburbia autem, & continentia ædificia per sententiam latam à Iure in dicto capit. Si Ciuitas, ne interdictum Ciuitatis contemnatur.

Ob eandem rationem fit, si Episcopus imponit Interdictum locale generale in aliqua Ciuitate, aut Villa omnes Ecclesias etiam exemptas à iurisdictione Episcopi, vt sunt Ecclesiæ Religionum Regularium, & Ordinum Militarium, manere interdictas, Henriquez in lib. 13. de excommunic. & Interdicto cap. 42. §. 4. Et hodie hoc est certum stante decreto Concilij Trid. sess. 25. de regular. cap. 12. quo ita sancitum est: *Censuræ, & Interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur atque seruentur*. & in capit. 22. idem Concilium præcipit omni-

omnibus Regularibus Monachis etiam Militibus S. Ioannis Hierusolymitani, vt omnia, & singula in præcedentibus capiribus contenta seruare teneãtur. Hoc tamen dictum intelligendum est seclusis priuilegis particularibus, ad hunc finem concessis. Nam si aliqua Ecclesia Regularium sit specialiter exempta ex priuilegio Papæ, vt non intelligatur interdicta, interdicta Ciuitate ab Episcopo generaliter, tunc illo titulo immunis erit. Regulariter tamen Episcopus non potest ponere interdictum locale speciale in huiusmodi Ecclesijs exemptis. Quare licèt speciali interdicto Episcopus interdicat omnes Ecclesias Ciuitatis, tale Interdictum non extenditur ad Ecclesias exemptas, Henriquez dicto §. 4. quia illæ specialiter interdici nequeũt, nisi ab illis Prælatis, quibus Ecclesiæ illæ subiectæ sunt, quia alius non habet directam iurisdictionem in illas.

Ex eodem principio infertur, quando generaliter interdicitur Terra alicuius Domini, intelligi Interdictum de Terra, in qua ille habet propriè dominium, & iurisdictionem temporalem, quamuis illam possideat ex titulo feudi, aut Emphiteusis, vel habuerit in dotem ab vxore, vel alio modo, & quamuis vendat, & alienet Terram, adhuc perseuerat Interdictum, quia transit cum suo onere. Sed hæc sola causa sufficiens esset, vt Iudex deberet Interdictum relaxare. & hæc omnia locum habent, siue Terræ omnes ad eundem Dominum pertinentes essent simul coniunctæ, & contiguæ, siue positæ in diuersis locis, & inuicem distantes. quæ tamen regula non intelligitur de Terra, quamuis retineret pro pignore, quia non haberet dominium, nec vsum fructum talis Terræ; Nisi Iudex diceret; Interdico quamcumque Terram quauis ratione à tali domino detentam. Neque etiam dicta regula intelligitur de Terra à tali Domino acquisita post positum interdictum, nisi Iudex proferret sententiam interdicti in omnes Terras, quas tũc haberet talis Dominus, vel posset habere durante tempore interdicti. Et in his omnibus conueniunt omnes Doctores, B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 3. ad med. Vers. Item cum interdicitur Terra, Syuest. Interdictum 2. §. 3. Calder. in Tractatu, de Interdicto par. 1. nu. 29. Franc. in cap. Si sententia §. Cæterum, num. 5. de sent. excom. lib. 6. & ibi Gemin. num. 5. Henriquez lib. 13. de excomm. & interdicto cap. 42. §. 2.

Addũt Gemin. Franc. & Calder. locis citatis, quod si Dominus, cuius Terræ interdicuntur, habet Terras in diuersis Prouincijs, vel Terram vnam spectantem ad duas diuersas Prouincias, tunc si illas habet diuisas, quamuis sint in diuersis Prouincijs, omnes illę partes erunt subiectæ Interdicto, secus si possedit illas pro indiuiso cum alio, ne innocẽs puniatur, & dicunt fuisse sent. Io. And. & Lapi, & probant ex cap. Sacris, de sepult. cap. 1. de Concess. præben. lib. 6. l. Illud ff. de rit. Nuptia l. Quintus, ff. de au. & arg. lega. Sed quia interdum verba sententiæ sunt ambigua, & incerta, ex quibus non possit apertè cognosci, quam Terram voluerit Iudex supponere interdicto, ideo solent assignari quædam regulæ, ex quibus inuestigari possit sensus, & mens ferentis interdictum. Prima regula est, si locutio sit in singulari, & sine signo distributiuo, nunquam intelliguntur plures Terræ, quæ vnum corpus politicum non componunt, quod sub propria significatione talis vocis complecti, intelligi possit. Ratio est, quia terminus in singulari numero non potest comprehendere multa numero, nisi copulatiuè, si distribuatur, vel collectiuè, si in ea significatione sumi possit, vt dico

A vnum Regnum, vnam Prouinciam. Secunda regula, quando dicitur Terra, vel Ciuitas Marij &c. in rigore significatur illa, cuius ipse Marius est Dominus, si plures habeat Terras, sumitur pro principaliori, vt quæ est caput status, vel in qua solet residere, & habet Palatium, vel in qua commissum fuit delictum, pro quo fertur Interdictum. Et si nulla adesset circunstantia, ex qua colligi posset intentio ferentis, interdictum seu sententia esset omnino ambigua, & incerta ratione incertitudinis redderetur nulla. Tertia regula est, si interdicitur Terra illius singulariter, qui plures Terras possidet pluribus, & inæqualibus titulis, de illa est intelligendum, quæ potiori titulo ab illo possidetur, & magis est sua, idest cuius est Dominus absolutus, si alias retineat in Emphitensim, vel in eis vsumfructũ

B habeat. Hæc autem omnia clariora reddentur ex his, quæ fusius pertractabo in Disput. De Relaxatione Interdicti. Et hæc dicta sint ad declarationem interdicti generalis, quando interdicitur tota Diœcesis, an intelligatur Ecclesia etiam Cathedralis interdicta, nam de alijs Ecclesijs nõ est dubitatio. de Carhedrali verò controuerti potest ex cap. Quamuis, de Præben. lib. 6. Vbi statuitur in odiosis nomine Ecclesiarum non cõprebendi Ecclesiam Cathedralem propter hanc auctoritatem Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. nu. 4. vers. Sed ob vnius priuari culpam, putat non censeri interdictam Ecclesiam Cathedralem, etiam si in totam Diœcesim, & in omnes Ciuitatis Ecclesias sit inrerdi-

C ctum decretum. Confirmari id potest ex eo, quoniam quæ sunt digna speciali nota, non comprehenduntur sub generali sermone, vt inquit Abb. in cap. Cum super in secundo notando, de sepult. Felin. in cap. In nostra Corol. 39. de rescript. Quare propter excellentiam Ecclesiæ Cathedralis inductum videtur, vt non intelligatur sub generali interdicto totius Diœcesis. & Couar. citat stapilen. de literis gratiæ, & iustitiæ fol. 136. & alios scriptores. Ergo licèt ex propria significatione vocabuli sub nomine Ecclesiarum includatur Ecclesia Cathedralis, tamen propter eius excellentiam sub nomine generali in odiosis non comprehenditur, secus in fauorabilibus.

Ad hanc dubitationem primum dico interdicta

D Ciuitate vtique remanere interdictam Ecclesiam Cathedralem vnà cum alijs omnibus Ecclesijs. & hoc mihi videtur certum primò quando interdicitur Ciuitas est interdictum generale, vt declaraui superius, & interdictum generale fertur in omnia loca particularia, quæ intra fines, & terminos totius loci interdicti clauduntur; Ecclesia autem Cathedralis est primaria pars, immo caput Ciuitatis, ergo censenda est interdicta, si Ciuitas interdicatur. Secundo si in hoc casu Ecclesia Carhedralis non esset interdicta, contemneretur interdictũ latum vniuersaliter in Ciuitatem, quia diuina officia audiri, & Sacramenta administrari possent in Ecclesia Cathedrali. Ne igitur interdictum Ecclesiasticum ludibrio sit, dicendum est sub tali inter-

E dicto Ecclesiam Cathedralem contineri iuxta dispositionem cap. Si Ciuitas, de sentent. excommunicat. libro 6.

Secundò dico, si interdicatur tota Diœcesis, non manere interdictam Ciuitatẽ, & ex consequenti, neq; Ecclesias, quæ sunt in Ciuitate, & multò minus Ecclesiam Cathedralem. Probatur, quia licèt Ciuitas sit caput Diœcesis, & ideo tanquam pars in toto comprehendi debeat appellatione Diœcesis, capit. 1. de Off. Ordin. & in cap. vni. de rer. permut. lib. 6. id tamen locum non habet in odiosis, sicut in casu, de quo agimus,

mus, vt inquit Abb. in cap. Rodulphus, num. 5. de Rescript. Nam & si nomen Dioecesis in genere sumptum comprehendat Ciuitatem, vt in iuribus citatis, tamen, cum accipitur in sua specie, differt à Ciuitate tanquam relatiuum à suo correlatiuo. Vnde in iure habetur omnes, qui degunt in Dioecesi, debere confluere ad Ciuitatem tempore Synodi Episcopalis, ideo, quando verbum potest capi in genere & in certa specie, sumitur in specie in odiosis, non in genere, secus fauorabilibus. Idem tradit in eod. cap. Rodulphus, Felin. num. 16. ad hoc citans plures alios Doctores, quare Glo. in cap. Accepimus in fin. Ver. In maiori Ecclesia de Aetat. & Quali. tenet, si Papa dicat: Prouideas Mario in aliqua Ecclesia Dioec. Bonon. nõ posse ei prouideri in aliqua Ecclesia Ciuitatis, quia B per clausulam illam, in aliqua Ecclesia Dioec. Bononiensis, non significantur Ecclesiæ Ciuitatis Facit ad idem textus in cap. fin. de præben. ibi: *Cum olim Priori Sanctæ M. decreuimus in mandatis, vt G. Diacono in aliqua Ecclesia Ciuitatis, vel Dioecesis Lucen. &c.* Vbi Glo. in Ver. Dioecesis, notat, quòd si Summus Pontifex non adiunxisset illam alternatiuam, non poterat ei prouideri, nisi in Ciuitate. Hoc idem ibi asserunt Imo. & Abb. Idem ait Card. in Clem. 2. §. Sanè num. 6. Vers. Septimò quæro de elect. & in Clem. 1. notan. 6. de Renunc. Gemin. in cap. Felicis §. fin. num. 6. & ibi Franc. num. 5. Anchar. nu. 11. Vers. Tertiò quæro, & in dicto §. fin. cap. Felicis agitur specialiter de Interdicto lato in Ciuitatem, quod prędictum negant C extendendum esse in Dioecesim, neque è contra si latum esset in Dioecesim, comprehendere Ciuitatem.

Sed contra dicta obijciet quis Glos. in cap. vni. Ver. Dioecesi de Rer. Permut. lib. 6. Vbi explicans textum ibi, in quo statuitur, non obstantibus expectationibus in Dioecesi beneficiorum permutationes fieri posse, inquit, *non excludit, immo includit Ciuitatem*, ergo Glo. vult appellatione Dioecesis contineri Ciuitatem.

Gemin. in eod. cap. nu. 12. Vers. Sed dic, tollit hanc obiectionem, dicens mentem Glo. non fuisse, quòd rescriptum sub verbo Dioecesis includat Ciuitatem, sed solum, quod si impetretur rescriptum super beneficio vacaturo in Ciuitate, illud sit eodem modo in- D terpretandum, sicut Summus Pontifex declarauit intelligendum esse rescriptum obtentum in Dioecesi, ita vt quod dicitur in illo textu de Impetrante in Dioecesi, aptetur quoq; ad impetrantem in Ciuitate. Atq; sit verbum Dioecesis positum in tex. non excludat Ciuitatem, si idem casus impetrationis accideret in Ciuitate, & hanc fuisse mentem Glosæ patet ex verbis, quæ statim addit, cum dicat in rescriptis ad lites, quoniam odiosa sunt, nomine Dioecesis non intelligi Ciuitatem, neque Ecclesiam Cathedralem, eodem modo interpretatur Glo. Franc. ibi num. 5. Vers. In Glosa secunda.

Tertiò dico probabilius mihi videri, si interdican- E tur omnes Ecclesiæ Ciuitatis, non censeri interdictam Ecclesiam Cathedralem, nisi aliunde appareat de intentione Iudicis. Hæc conclusio primo probari potest ex adductis in confirmationem secundæ conclusionis. Sicut enim Ciuitas est pars, immo Caput Dioecesis, & hoc modo comprehenditur sub nomine generali Dioecesis, & tamen id verum non est in odiosis, & ideo sub Interdicto Dioecesis non comprehenditur Ciuitas, vt probatum est, ita ob eandem rationem, quamuis Ecclesia Cathedralis sit pars præcipua & caput aliarum Ecclesiarum Ciuitatis, & sub genere

A Ecclesiarum contineatur, tamen in odiosis & poenalibus, sicut in materia, de qua tractamus, non venit sub nomine communi Ecclesiarum, nam iuxta regulam Abb. in cap. Rodulphus num. 5. de Rescrip. Quando aliquod verbum sumi potest sub generali significatione, & sub speciali in odiosis accipitur specialiter, non generaliter, ideirco interdictis Ecclesijs Ciuitatis simpliciter, non videtur interdicta Ecclesia Cathedralis.

Confirmatur, sicut appellatione Clericorum in priuilegijs & fauoribus comprehenduntur etiam Canonici Cathedralis Ecclesiæ, immo omnes in dignitate constituti & Episcopus, vt habetur in cap. Cum tibi, de verb. signif. & ibi Doctores, & tamen in poe- B nis, & odiosis nomine Clericorum non intelliguntur Canonici Cathedralis Ecclesiæ, vt notat Abb. in dicto cap. Cum tibi num. 4. & in Rub. nu. 4. de vi. & honest. Cleri. quia in Canonicis Cathedralis Ecclesię est qualitas quædam dignitatis, & honoris, quæ non reperitur in alijs Clericis simplicibus. Facit ad hoc cap. Statutum de elect. lib. 6. Vbi declarat Summus Pontifex Statutum pęnale editum de Ecclesijs Parochialibus, non debere extendi ad Ecclesias Collegiatas etiam Parochiales, quia cum sit poenale, est potius restringendum. Ex his colligitur argumentum, quòd si interdicantur omnes Clerici Ciuitatis, non censentur interdicti Canonici Cathedralis Ecclesiæ, ergo pari ratione interdictis omnibus Ecclesijs, non erit inter- C dicta Ecclesia Cathedralis. Secundo probatur ex cap. Quamuis de præben. lib. 6. Vbi à Bonifacio Octauo definitum fuit in literis ad beneficia Ecclesiarum Ciuitatis non contineri Ecclesiam Cathedralem appellatione Ecclesiarum. Et licèt illa lex loquatur in specie in casu impetrationis literarum ad beneficia, tamen, vt dicunt Staphileus de literis gratiæ & iustitiæ, & Couar. locis citatis in qualibet dispositione odiosa locum obtinet ob identitatem rationis. Ita sentit etiam Oldrad. cons. 185. Felin. in cap. In nostra num. 106. Vers. Trigesimum nonum, Corol. de Rescript. Tertiò Ecclesia Cathedralis propter eius honorem, & excellentiam, vt dicitur in dicto cap. Quamuis, digna est speciali nota; quæ verò talia sunt, non D veniunt in materia odiosa sub generali sermone, licèt ex propria significatione verborum comprehendantur, Felin. dicto num. 106. Abb. in cap. At si Clerici de Iudi. Quartò quando interdicuntur omnes Ecclesiæ Ciuitatis, Interdictum dicitur speciale, non generale, vt pluribus confirmatum est superius, ideo nullum est absurdum, vel inconueniens, si asseramus non remanere interdictam Ecclesiam Cathedralem, quia cessat ratio cap. Si Ciuitas de sent. excom. lib. 6. idest ne contemnatur censura Ecclesiastica, si aliquis locus relinquatur non interdictus, vbi diuina celebrari possint. Nam quando Interdictum est speciale, plura extare possunt loca, in quibus administrentur diuina absque peccato, & sine vllo vilipendio interdicti.

E Animaduertendum tamen est hanc conclusionem non habere locum, cum interdicuntur omnes Ecclesiæ Prouinciæ, tunc enim tali interdicto & Metrapolitana Ecclesia, & aliæ Cathedrales Ecclesiæ ipsius Prouinciæ supponuntur, nam appellatione Ecclesiarũ Prouinciæ etiam in materia odiosa includuntur omnes Ecclesiæ Prouinciæ, & Metropolitana, & Cathedrales, vt expresè habetur in dicto cap. Quamuis, de præben. lib. 6. & ibi Gemin. in §. Quamquam num. 4. Franc. num. 1. Anchar. num. 4. Ratio autem diuersitatis, cur non militet eadem Iuris dispositio in Ecclesia

Ecclesia

clesia Metropolitana, si fiat mentio Prouinciæ, sicut in Ecclesia Cathedrali, si exprimatur Ciuitas, redditur à citatis Doctoribus, & refertur in Glo. vltima in Addit. ex Host. in cap. Pro illorum post princ. de præben. & in Summa in Tit. de verb. signific. §. A quo fieri Vers. Quod si præcipiatur, & est talis, quòd Ciuitas & Diœcesis sunt correlatiua, atq; ita fit, vt vnum non sit alterum, sed Prouincia non est correlatiua Ciuitatis, sed est collectiua Ciuitatum, & sic etiam includit propriam vnitatem. Ego huius diuersitatis causam censeo nullam aliam assignandam esse præter voluntatem Summi Pontificis, qui ita statuit, vt in dispositione odiosa appellatione Ecclesiarum Ciuitatis non contineatur Ecclesia Cathedralis, secus autem nomine Ecclesiarum Prouinciæ. Ratio verò, cum ad id statuendum ductus fuerit, assignatur in textu dicti cap. Quamuis de præben. lib. 6. quoad impetrationem literarum ad beneficia vacatura, & est, quòd videtur Papæ vberiorem gratiam facere voluisse impetranti literas ad beneficia vacatura in Prouincia, quã obtinenti literas ad beneficia Ciuitatis. Pariter in casu Interdicti dici potest grauitatem culpæ, cuius causa imponitur magis generale Interdictum in omnes Ecclesias vniuersæ Prouinciæ, indicare intentionem Prælati esse non excludere Ecclesiam Metropolitanam, aut Cathedralem ab Interdicto, secus verò, quãdo fertur in Ciuitatis solius Ecclesias. Iam dixi de Interdicto locali generali, venio ad nonnullas dubitationes de Interdicto speciali.

Primò dubitari potest de Interdicto locali speciali, quousq; se extendat, & an interdicta Ecclesia speciali Interdicto, sine interdicta Sacella, seu Cappellæ eiusdem Ecclesiæ, & Cœmeterium contiguum.

Respondendum est ex communi sententia omnium Doctorum, huiusmodi Interdictum includere omnes Cappellas & Cœmeterium contiguum, non tamen aliam Ecclesiam, & Coemeterium, quæ ei interiecto muro cohæret, sicut quando violatur & polluitur Ecclesia, hæc eadem loca remanent polluta; quare in illis neque diuina officia celebrari, neque corpora defunctorum Ecclesiasticæ sepulturæ tradi possunt Palud. in 4. sent. dist. 18. quæst 8. art. 1. §. Quartum ad tertiam conclusionem, Angel. Ver. Interdictum 2. num. 7. Sylue. Interdictum 2. §. 6. Calder. in Tractatu de Interdicto par. 1. num. 27. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 167. in fi. Henriquez lib. 13. de excom. & Interdicto cap. 42. §. 4. Vers. Quinto, Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 41. Vers. Rursus secundo. Hoc autem intelligitur, vbi Cappellæ & Coemeterium sint cõtigua Ecclesiæ interdictæ, secus enim dicendum est, si non sint contigua, tunc enim non censentur interdicta; & hæc conclusio definita est in dicto cap. Si Ciuitas in fi. de sent. excom. lib. 6. *Ratione quoque simili*, scilicet ne vilipendatur Interdictum, quod facilè accideret, si interdicta Ecclesia in Cappella celebrari posset, *si sit Ecclesia Interdicto supposita vel subiecta, nec in cappella eius celebrari, nec in Cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ cõtiguis poterit sepeliri, secus si ei contigua non existant*, & ibi Gemin. Franc. Anchar. & alij. Sic etiam habetur de pollutione Ecclesiæ in cap. 1. de Consecr. Eccles. quia vitium rei principalis afficit rem accessoriam ei connexam & contiguam. Ad idem Sylue. Cõsecratio 2. §. 5. Nauar. in Manu. cap. 27. numero 253. sicut è contrario absolutio, & relaxatio facta in re principali prodest rei accessoriæ & contiguæ, idcirco reconciliata Ecclesia censetur reconciliatum Cœmeterium argum. cap. 1. de Reg. Iur. tenet Franc. iuxta mentem Archid. & Io. Andr. in dicto cap. vni. nu. 1. de Consecr. Eccles. lib. 6. Quare cum Cappellæ & Coemeterium sint partes Ecclesiæ interdictæ, sequitur, vt tota Ecclesia interdicta maneant interdicta illa tãquam partes. Et è contra si non sint contigua, cum non sint partes, neque accessoria ad Ecclesiam, non censentur interdicta, si sola Ecclesia interdicatur, licèt sint vicina, & cohærentia, quia non afficiunt locum cum Ecclesia, quæ determinatè interdicitur. Neque etiam in hoc casu aptari potest ratio illa dicti cap. Si Ciuitas, quod Interdictum contemneretur, quia in dictis locis vicinis & cohærentibus diuina celebrari possent. Nam cum Interdictum sit particulare, Iudex noluit, vt maiorem vim haberet, quàm sit illa, quæ cõsequitur ex prohibitione vnius loci, ideo locus distinctus, quamuis sit vicinus, non comprehenditur sub tali interdicto, Interdicto tamen Cœmeterio contiguo non censetur interdicta Ecclesia, vt habetur in cap. vni. de Consecr. Eccles. lib. 6. *Non sic quoque in casu conuerso sentimus, vt videlicet polluto Cæmeterio, quamuis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta, ne minus dignum maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur*. Et ob eandem rationem Cappella interdicta, non esset interdicta Ecclesia, si cappella interdici soleret, quæ tamen per se & separatim non conuenit interdici, cũ in Iure locus ille censetur proprius & particularis in ordine ad Interdictum, quia non solet per partes interdici, sed secundum se totum, vt est particularis Ecclesia, etiam si includat alia loca magis particularia phisicè, in quibus sacra peragi possunt, sed ita sint partes loci totalis, vt moraliter nullam habeant rationem totalis loci; nisi esset aliquod Sacellum contiguum Ecclesiæ separatim consecratum ab Ecclesia, de quo probabiliter dubitari posset, an ita esset pars Ecclesiæ, vt etiam rationem alicuius totius loci particularis admittere videretur; ideo si polluatur Cappella dicitur violata Ecclesia, quoniam Cappella non habet, nisi rationem partis, & nullo modo ei conuenit aliqua ratio totius distincta ab Ecclesia. Itaque licèt polluto Coemeterio non sit polluta Ecclesia, tamen polluta Cappella remanet polluta Ecclesia.

Postulabit quis, quæ loca dici debeant contigua ad effectum, de quo agimus, vt intelligere valeamus, quę non sint contigua.

Glo. in dicto cap. Si Ciuitas Ver. Contiguæ inquit, contigua dicuntur, quorum extrema se contingunt, idem ait Glo. in cap. vni. Ver. Contiguum de consecr. Ecclesiæ eod. lib. & ita declarantur contigua ab Arist. 1. lib. Phis. tex. 26. contigua sunt, quorum extrema sunt simul, quod idem est, ac dicamus, ad inuicem contingunt, vt sic contiguum differat à continuo, cuius extrema ex eodem Aristot. sunt eadem. Vnde aqua in vase dicitur vasi contigua, & in se continua. Quare inter Ecclesiam, & Coemeterium, vel Cappellam nullus alius locus vel interiaceat nisi solus paries dicuntur contigua, quia extrema sunt simul. Paries enim intermedius terminat extremitates Ecclesiæ & Cappellæ secundum superficiem vnam est terminus Ecclesiæ secundum alteram Cappellæ, seu Coemeterij. Quòd si inter paretem Ecclesiæ & parietem Coemeterij aut Cappellæ intercederet locus aliquis medius vacuus vel plenus, quantumuis exiguus, non essent contigua sed vicina, & adhærentia, quia non se tangerent, atque ita interdicta Ecclesia illa non essent interdicta.

Dubitatur secundò, an si sint duo Coemeteria contigua

tigua

tigua intermedio pariete distincta, & alterum sit contiguum Ecclesiæ, vtrum interdicta Ecclesia & consequenter Cœmeterio contiguo, alterum etiam Cœmeterium, quod est post parietem, intelligatur interdictum; Similiter, an interdicto vno Coemeterio, sit aliud interdictum.

Respondeo interdicta Ecclesia remanere interdictum vnum Coemeterium ei contiguum, non ambo, quamuis sint contigua solo pariete intermedio distincta. Probatur, quoniam illa Coemeteria cum se iungantur medio pariete, non habentur tanquam vnum, sed sunt duo, etiamsi habeant portam intermediam pro accessu ex vno in alterum, vt tradunt Anchar. in dicto cap. vni. num. 2. Gemin. numero 3. Franc. num. 3. de Conseer. Eccles. lib. 6. ergo cum sint, duo, B alterum tantum dicetur contiguum Ecclesiæ, illudq; remanebit interdictum Ecclesia interdicta, non aliud, quod est ei coniunctum post parietem, quia in separatis non fit illatio ex vno in alterum. Idem est dicendum, si per se interdicatur vnum Coemeterium, quia alterum non intelligitur interdictum, quamuis sit contiguum, quia contiguitas nō tollit distinctionem, & tale Interdictum supponitur ferri in vnum determinatum Coemeterium. Secundo probatur ex cap. Si Ciuitas de sent. excom. lib. 6. vbi duo requiruntur, vt aliquis locus maneat interdictus per Interdictum speciale latum in Ecclesiam particularem, primò vt ille locus sit pars Ecclesiæ tanquam Cappella, vel Cœmeterium eius secundò vt sit Ecclesiæ annexus, & C contiguus, & sic vtraque conditio est necessaria, vt vna sine altera non sufficiat. Quare licet illa duo Coemeteria possint dici contigua Ecclesiæ, tamen vtraque non sunt pars Ecclesiæ, sed vnum ergo illud manet interdictum, secus esset, si illa ita se haberent, vt vnum esset pars alterius, & ad eandem Ecclesiam pertinerent, tūc enim vtrunq; esset interdictum, quia vtraque conditio verificaretur. Similiter si Ecclesia haberet duo Coemeteria, alterum contiguum, alterum distans, interdicta Ecclesia, ex consequenti esset interdictum Coemeterium contiguum, non distans, quia & si hoc distans supponatur pars & membrum Ecclesiæ, deest tamen secunda conditio, quia non est contiguum. D

Dubitatur tertiò, si sint duæ Ecclesiæ contiguæ solo pariete intermedio, vel interiacente Coemeterio communi, vt vna non sit pars, aut Cappella alterius, sed sint omnino distinctæ, an si vna ex illis speciali Interdicto interdicatur, remaneat consequenter altera interdicta.

Ex his, quæ dicta sunt ad dissoluendum dubium præcedens, intelligi potest, quid sit respondendum ad hanc difficultatem, si enim dentur duæ Ecclesiæ ita contiguæ, vt distinguantur solo Coemeterio intermedio, certum est, si feratur Interdictum in vnam Ecclesiam, illam solam esse interdictam, nō aliam, & parietem quoque Coemeterij communis remanere suppositam Interdicto, E quæ est pars Ecclesiæ interdictæ, nō aliam partem, quæ est alterius Ecclesiæ quia quamuis sit contigua, non pertinet tamē vt pars ad Ecclesiam interdictam, sicque deest altera conditio. Quòd si vna Ecclesia ita esset alteri contigua vt tanquam pars & Cappella alterius haberetur vtique principali interdicta, cēseretur altera interdicta quia accessorium sequitur naturam sui principalis; Immo si huiusmodi Ecclesiæ pertinerent ad diuersos Prælatos habentes distinctas iurisdictiones, quod moraliter contingere nequit, tamen si ita fingamus, tunc etiam inter- A dicta principali Ecclesia alia esset interdicta propter rationem superius assignatam de Interdicto generali, quæ vera est, & locum habet suo modo in Interdicto particulari, sicut è contra moraliter accidere non potest, vt Interdictum speciale feratur directè in Ecclesiam accessoriam alteri, quæ sit tanquam pars & Cappella alterius, quia Interdictum ferri non solet in partialem locum, sed in totalem. Si tamen ponamus posse ita ferri, adhuc ex vi huius Interdicti Ecclesia principalis quamuis contigua, non esset consequenter interdicta, quia principale non sequitur accessorium, sicut si fingeremus vnum altare, vel Cappellam posse interdici, non propterea tota Ecclesia interdicta esset.

B Dubitari potest quartò, si augeatur Ecclesia interdicta, an pars, quæ addita est, sit interdicta.

Respondeo totam remanere interdictam, etenim id, quod additur, est pars totius corporis præcedentis, nam augumentum eiusdem naturæ est cum re, quæ augetur, vt probat Phil. Prob. in Addit. ad Io. Mona. in cap. Quamquam num. 4. cum seq. de elect. lib. 6. & idem cēsendum est, si paulatim per partes refecta sit, adeo vt nulla pars præexistens superstes sit, sed tota renouetur arg. l. Proponebatur. ff. de Iud. & l. Quid tamen §. Planè si per partes, & §. In nauis ff. qui mo. vsus fructus amit. ibi enim si ædes per partes refectæ sint vel totæ nouæ factæ, sicut etiam & nauis eædem existimantur, atque idcirco vsusfructus earum non amit- C titur, ergo idem asserendum videtur etiam in hac re, de qua agitur ob eandem rationem arg. cap. Cum dilecta de Confirm. vti. vel inut. & l. Illud. ff. ad leg. Aquil.

Ex solutionibus harum dubitationum non erit difficile explicare alias, quæ in similibus casibus difficultatem afferre possent, tam ad cognitionem Interdicti generalis localis, quam specialis.

CAPVT V.

Dissoluuntur dubia de Interdicto personali.

Dictum est de locali Interdicto, modò de personali, quod est aliud membrum diuisionis tam ge- D nerali, quàm speciali, agendum est. Et primo loco proponitur discentiendum, quæ personæ intelligantur interdictæ per Interdictum generale vel speciale, an interdicatur totum corpus politicum, vt tale est conflatum ex pluribus personis, quæ sunt partes & membra talis corporis, vel ipsæ particularea personæ. Oritur difficultas, quia totum corpus non videtur esse capax Interdicti, nam effectus Interdicti sunt actiones & passiones circa diuina officia, Sacramenta, & Sepulturam Ecclesiasticam, quæ competunt personis singularibus, non toti corpori mistico è conuerso si ipsæ singulares personæ interdicuntur, nullum erit discrimen inter Interdictum personale generale, & inter speciale, quod in plures personas fertur, nihil enim E interest si interdicantur plures personæ sub nomine collectiuo Collegij aut Vniuersitatis, siue sub nominibus proprijs, quoniam quantum ad rem singulares personæ interdicuntur.

Respondeo per Interdictum generale personale singulares personas, quæ sunt partes illius Collegij, aut Communitatis, quæ interdicitur, & non alias personas, vinculo censuræ remanere obstrictas, idem est, ac si dicamus manere interdictum totum illud Corpus in singulis partibus, vt tales sunt. Colligitur hæc conclusio expressè ex cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6.

lib. 6. his verbis definita, *Cum verò alicuius Terræ populus Interdicto nodatur, ſingulares ex eo perſonæ, quas interdictas eſſe conſtat, ne ſententia effectu careat, cum diuinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo aut vniuerſis non competant, non debent alicubi caſibus expreſſis à Iure duntaxat exceptis audire diuina, vel Eccleſiaſtica recipere Sacramenta.* Sed non extenditur tale Interdictum in aliquam perſonam, quæ non ſit pars illius corporis miſtici interdicti, & non comprehendatur ſub illo, quia ſententia non extenditur præter illum, in quem fertur, & idcirco rectè in eodem cap. Si ſententia, dicitur ex vi Interdicti prolati in Clerum, niſi aliud in ſententia fuerit expreſſum, non intelligi populum, nec etiam è conuerſo, quia populus non eſt pars Cleri, neque Clerus cenſetur pars populi.

In hoc dicto conueniunt omnes Doctores, Anchar. in dicto cap. Si ſententia num. 3. Gemin. ibi §. Cum vero num. 2. Franc. n. 2. Palud. 4. ſent. diſt. 18. q. 8. art. 1. principali §. Quantum ad ſecundum, concluſ. 1. B. Antoni. in ſum. 3. par. tit. 26. cap 3. Item cum promulgatur Interdictum, qui addit ideo vocari Interdictum generale, quia totam Vniuerſitatem vel populum complectitur, cap. Cum in partibus de verb. ſignif. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 167. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 1. num. 7. Verſ. Tertio eſt notandum, vbi fusè proſequitur hanc difficultatem, & ait nomine populi, quando interdicitur, propriè aſſumi nomen populi non pro ipſo loco, nec pro perſona, quæ ſub hac voce repreſentatur, ſed pro ipſis ſingulis loci habitatoribus, nam licet alias ſinguli de Vniuerſitate non faciant, nec conſtituant Vniuerſitatem, nec quod competit Vniuerſitati competat omnibus, vt ſingulis, l. Sed ſi hac §. Qui manumittitur, ff. de in ius vocan. cap. Qui manumittitur 12. q. 2. tamen, inquit Couar. recedendum eſt ab hac propria vniuerſitatis ſignificatione ratione propoſitæ materiæ, ne Interdictum in Vniuerſitatem inane ſit, & abſque vllo effectu, vt dicitur in dicto cap. Si ſententia §. Cum vero de ſent. excom. lib. 6. Nam vbi pœnalis diſpoſitio inutilis eſſet, ſi verba propriè acciperentur, impropriè intelligi debent, ne effectu careat, Abb. in cap. Paſtoralis de appell. Idem conſ. 32. & conſ. 62. lib. 2. Calder. in Tract. de Interd. par. 1. nu. 22. & 31. Dom. Sot. in 4. ſent. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. concluſ. 1. Maiol. lib. 3. cap. 20. in princ. de Irregul. Henriquez lib. 13. cap. 42. §. 2. Verſ. Interdicto populo de excom. & Interdicto. Itaq; omnes concludunt, quod quamuis interdicto Populo Interdicto generali, non interdicantur ſinguli tanquam perſonæ ſingulares, ſed tanquam pars populi tantum alias interdictum perſonale generale non differret, à ſpeciali, tamen prohibentur ſinguli, vt tales, intereſſe diuinis, & recipere Sacramenta, quia per Interdictum prohibentur quædam actiones vel paſſiones, quæ ſunt ſingularium perſonarum, & non Vniuerſitatis. Et idcirco licèt Interdictum perſonale generale reſpiciat ſingulos, quatenus conueniunt vt partes ad conſtituendam Vniuerſitatem, tamen hoc ipſo impedit eos, vt ſinguli ſunt, ab actionibus prædictis prohibitis, vt inquit Calder. d. n. 31.

Sed obiiciet quis, quæ ſit cauſa, propter quam interdicta hominum Vniuerſitate, ſinguli ex ea interdicti cenſeantur non autem id ſequatur in ſuſpenſione, vt ſuſpenſo Collegio ab officio aut beneficio, ſinguli ſuſpenſionis vinculo obſtricti maneant.

Reſpondeo huius diuerſitatis rationem eſſe, quoniam ſententia ſuſpenſionis lata in Collegium non eſt inutilis, nec caret effectu ſuo, ſicut in Interdicto, nam

A Capitulum aut Collegium Eccleſiaſticum optimè ſuſpendi poteſt ab officio aut beneficio, vt in cap. 1. Ne Sede vacan. lib. 6. ſuſpenditur ab officio. in Extrau. Iniunctæ nobis de elect. à beneficio aliquando ab vtroq; in cap. Quia ſæpe de elect. lib. 6. Quoniam Vniuerſitas ſeu Collegium Eccleſiaſticum officium & beneficium habere poteſt, quod in Capitulo Cathedralis Eccleſiæ conſpici poteſt, quòd mortuo ſuo Epiſcopo eius vices in multis, quæ ad iuriſdictionem & ordinem pertinent, obire poteſt, vt de iuriſdictione conſtat in cap. 1. & ibi Gloſ. fin. de Inſtit. lib. 6. & in cap. vni. vbi quoque Glo. in Verb. Impertiri de maio. & obed. eodem lib. & in cap. 1. Ne Sede vacan. eod. lib. & in c. Ad abolenda de Hæret. & in c. Cum olim, & ibi Gloſ. **B** de maio. & obed. De ordine verò in cap penult. & ibi Glo. in Ver. Spiritualibus, & in cap. fin. de ſupplen. neglig. Prælat. & Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 16. de reform. mandat, vt infra octo dies à morte Epiſcopi Capitulum ad res adminiſtrandas Oeconomum, & ad iuriſdictionem exercendam Vicarium conſtituat, alioquin hoc iure priuatum ſit, & ad Metropolitanum deuoluatur. Igitur Capitulum habere poteſt officium & beneficium Eccleſiaſticum, & hac ratione ſuſpendi poterit. At verò interdici hoc modo non poteſt, ſed vniuerſitate hominum Interdicto ſubiecta, ſinguli ex ea Interdicto ſubiiciuntur, non autē ipſa Vniuerſitas.

Obijcies ſecundò, quoniam ex dictis ſequi, ſicut ſupra innuebam, nullam differentiam intercedere inter **C** Interdictum perſonale generale & inter ſpeciale, ſi ex vi generalis Interdicti ſingulæ perſonæ, vt ſingulares ſunt, ſubijciantur Interdicto, quod proprium eſſe videtur particularis Interdicti.

Reſpondeo hoc differre inter interdictos generaliter & ſpecialiter, ſeu particulariter, quòd generaliter interdicti, licèt quamdiu ſunt de populo interdicto, non poſſint intereſſe diuinis & recipere Sacramenta alicubi, ideſt non ſolum in locis ipſius populi interdicti, ſed neque in aliis locis, itaut quocunque proficiſcantur, ſecum deferant ſuam ſententiam, niſi ita in alium locum ſe transferant, vt animum habeant mutandi domicilium, & non redeundi ad priorem locum voluntate ibi permanendi, tunc enim cum primum **D** deſinant eſſe pars illius populi, deſinunt quoque eſſe interdicti ob eam rationem, quia interdictum generale cadit ſuper ſingulos, quatenus faciunt Vniuerſitatem. Sed ſpeciale interdictum afficit ſingulos, vt tales ſunt, ideo qui ſpecialiter ſunt interdicti, in quēcunq; locum ſe transtulerit mutando domicilium animo non degendi amplius apud priorem Vniuerſitatem, ſed inter alias gentes, ſemper manent interdicti, quouſque abſoluantur, quia interdictum particulare afficit perſonas ſecundum ſe ipſas, non vt ſunt aliquid populi. Hinc fit in Interdicto ſpeciali nihil referre, ſi interdictus mutet locum aut populum, quia vbicunque manet interdictus. Verùm in interdicto generali, licet mutatio loci nihil faciat, quia non tollit in**E**terdictum, mutationem autem populi plurimum operari, quia tranſiens in alium populum non manet interdictus, & hæc omnia communi conſenſu citati Doctores admittunt; ſed vt clariora reddantur, nonnullas difficultates particulariter proponamus.

Secunda igitur dubitatio principalis erit, an interdicto populo alicuius Ciuitatis vel Collegio aliquo, aut Capitulo Canonicorum, vel quacunque Vniuerſitate, ſi poſtea quis de nouo euadat ex priuilegio Ciuis illius Ciuitatis, aut admittatur ad Collegium, vel capitulum, maneat interdictus.

Re-

Respondeo durante interdicto, quicunque incipiat A esse pars Ciuitatis, aut Capituli, vel Vniuersitatis, interdicto ligatur sine noua sententiæ prolatione. Probatur, quoniam, sicut definit esse de populo mutando domicilium, animo non redeundi ad primum domicilium, non cēsetur amplius interdictus, vt dixi, ob eam rationem, quia suppositus erat Interdicto generali, quia erat membrum & pars populi interdicti, ergo cum definit esse pars populi, non comprehenditur sub interdicto, ita è contra huius corporis collectiui subijcitur interdicto, Calder. in Tractatu de Interdicto par. 1. num. 33. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 3. vltra med. Vers. Item si non existens, & citat ad hoc cap. 1. dist. 12. Ang. Ver. Interdictum 1. num. 1. in fin. Sylue. Interdictum 2. §. 10. Henriquez lib. 13. cap. 42. §. 2. B Vers. Si alij nouo veniant de excom. & Interd. Palud. in 4. dist. 18. q. 8. artic. 1. §. Quantum ad secundum in fi. Populus enim comparatur aquis fluuij cōtinuè decurrentibus, & sibi inuicem succedētibus cadem enim aqua numero, est quæ accedit in fluuium diuersa, cum ab alueo fluminis recesserit, ita sentiendum est de populo, Addit Palud. quòd mortuis omnibus primis, ex quibus constituebatur populus, cum interdictus fuit, si alij subrogentur, interdicti censentur, quia etiam filij nati ex primis interdictis similiter intelliguntur interdicti, sicut si iam nati essent, quando populus ille fuit interdictus. Et huius dicti illa sola ratio assignatur, quia Vniuersitas, vt talis est, interdicitur, non personæ particulares, vt singulæ sunt per se, sed ex ac- C cidenti, quia actiones & passiones sunt suppositorum, & quia Vniuersitas manet eadem mutatis etiam personis, ideo semper personæ quæcunque constituant illam Vniuersitatem durante interdicto erunt eidem subiectæ.

Dices, in cap. Si sententia in fi. de sent. excom. lib. 6. dicitur: *Non debent alicubi*, scilicet singulares personæ etiam populi interdicti, *alicubi casibus expressis à Iure duntaxat exceptis audire diuina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta*. Ergo ex his verbis colligitur, quòd etiam si desinant esse de populo, adhuc subijciuntur Interdicto.

Respondeo hæc verba tex. intelligenda esse de illis, qui discedunt, & aliò progrediuntur animo redeun- D di, & non mutandi domicilium. In hoc enim casu nullibi admitti possunt ad diuina, quia non desinunt esse de eodem populo interdicto, & ideo ipsi sunt interdicti, vbicunq; maneant, etiam in loco non interdicto, vt inquit Glo. ibi Ver. Alicubi.

Dices secundò non videri probabile, quòd interdicto populo alicuius Terræ vel Ciuitatis, si omnes personæ illius populi deseruerint locum, & alij aduenian incolæ, vt isti supponantur Interdicto, cum non sint partes populi interdicti, neque interdicto ligantur ratione loci, cum supponamus locum non esse interdictum.

Respondeo, cum dicimus Vniuersitate, & Populo E interdicto, etiamsi omnes tunc præsentes abierint, eos qui successerint in locum illorum, remanere interdictos iuxta notata per Glos. in cap. Si sententia Verb. Non competunt de sent. excom. lib. 6. hoc dictum intelligendum esse, quando singuli ex populo per partes, & successiuè discesserint, & alij similiter successiuè admittantur; tunc enim semper remanet eadem Vniuersitas & populus, quamuis omnes immutentur exēplo aquæ fluentis, quæ cum continuè innouetur, priore per partes recedente, & noua subsequente, idem tamen fluuius numero dicitur. Et quòd asserimus de Interdicto personali, de locali quoque suo modo est affirmandum, interdicto enim vniuersaliter loco, non solum prohibetur celebratio diuinorum in Ecclesijs tunc constructis, sed etiam in illis, quæ postea durante Interdicto ædificantur, vt tradit Abbas in c. Cum in partibus num. 1. Vers. Et est ratio de verb. signific. Quòd si vniuersus Populus interdictus simul extinguatur, vel abierit, qui postea eò ad habitandum conuenerint, vtique interdicti non erunt, Abb. in capit. Quoniam num. 1. de off. ordi. & ratio est, quia noui illi Incolæ ex eo populo & Vniuersitate non sunt, quæ iam perijt, sicut si Nauis per partes reficiatur, eadem nauis reputatur, sed si tota dissoluatur, & iterum reficiatur, non erit eadem, sed alia nauis dicetur. Similiter si domus ex parte collapsa restauretur, eadem domus existimatur. Verùm si omnino destructa sit, & renouetur, non eadem, sed alia domus dicitur, vt habetur in l. Quod tamen §. in Nauis ff. quibus mo. vsusfruc. amit. Glo. in l. Sicut §. fin. Ver. Nomen Vniuersitatis, ff. Quod cuiusq; vni. nom. & in l. Inter stipulantem §. sacram Vers. Sicut de ædibus, & ibi notat. ff. de verb. oblig.

Tertiò quæret quis, an interdicta Vniuersitate, & populo alicuius Terræ non tantum censeantur interdicti singuli, qui tanquam membra constituunt Vniuersitatem illam, & ibi habent domicilium, vel etiam alij, qui non sunt ex illo populo, nec pertinēt ad illam Vniuersitatem, sed tantum sunt inhabitantes ad tempus animo redeundi ad suos aliquando.

Respondent communiter Doctores, huiusmodi habitantes non esse suppositos Interdicto, Calder. de Interdicto num. 39. Vers. Sed quæritur, B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 3. Vers. Item si talis, Sylue. Ver. Interdictum 2. §. 14. Vers. Decimum tertium, qui addit ex Calde. prædictos habitantes posse in eodem loco audire diuina, nisi locus sit interdictus, tunc enim non liceret, nisi extra dictum locum interdictū, Ang. Ver. Interdictum 1. num. 4. Henriquez lib. 13. cap. 42. §. 3. in princ. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 167. Vers. Quando interdicitur, Maiol. lib 3. cap. 20. numero 2. Vers. E contra verò illi de Irregular. Idque probari potest ex eodem cap. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. *Cum verò alicuius Terræ populus Interdicto nodatur, singulares ex eo personas, quas interdictas esse constat*, si singulæ personæ ex eo populo interdicuntur, ergo qui non spectant ad illum populum, interdicto non subiacebunt, vt notat Anchar. ibi num. 3. in fi. Vers. Vlterius quæritur, nisi tamen essent culpabiles in eo delicto, cuius gratia latum esset interdictum, illi enim essent interdicti, quamuis essent solummodo habitatores in eo loco, non Ciues. Ratio est, quoniam cum interdicitur populus aut Vniuersitas generali interdicto, illi, qui sunt in culpa, habentur tanquam specialiter interdicti, argum. cap. fin. §. Illis etiam, de sent. excom. lib. 6. & cap. Quod nonnullis, de priuileg. & cap. penul. §. fin. eod. tit. lib. 6. Et quando quis est interdictus specialiter, nihil refert, an sit ex illo populo, vel ex alio. Quando verò non sunt culpabiles, generaliter interdicuntur, & generale interdictum ligat vniuersos, idest singulares personas, non vt tales, sed vt partes totius Vniuersitatis. Et quoniam qui nō sunt ex eo populo, & Vniuersitate, non sunt partes illius, quamuis inhabitent in eod. loco, ideo non censentur interdicti.

Ex dictis sequitur interdicto populo Ciuitatis, scholares Academiæ, & Vniuersitatis, qui non sunt ibi oriundi, nec habent domicilium, non intelligi interdictos,

dictos, nisi in tali Ciuitate sit statutum, quòd scholares habeantur tanquam Ciues. Nam vt quis comprehendatur Interdicto populi, requiritur, vt sit Ciuis, & pars illius populi, vt habetur in cap. Si sententia. Vt autem prædicti Scholares dicantur Ciues, opus est, vt tale statutum extet, vt tradit Sylue. Ver. Ciuitas in fi. Angel. & Tabie. Ver. Ciues, maximè quia cum Interdictum ponatur ob alienam culpam, non est extendendam.

Tertiò principaliter dubitatur, vtrùm si interdicatur Collegium, quod est pars alicuius Vniuersitatis se populi sit Interdictum generale, vel particulare.

Sylue. Interdictum 1. §. vlt. in fin. affirmat esse Interdictum speciale, si interdicatur tota aliqua Vniuersitas, quæ sit pars alicuius populi. Vel si interdiceretur Studium Ticinense aut Bononiense, non esset Interdictum generale, sed speciale, seu particulare, ita dictum inquit Sylue. à parte alicuius Terræ. Nauar. sentit oppositum in Manua. cap. 27. num. 166. Vbi ait interdictum personale speciale esse illud, quod fertur in personas, vnam, aut plures certas, vel incertas.

Vtraque sententia est probabilis, sed mihi magis placet, & probabilior videtur secunda opinio Nauarri, vt tale interdictum latum in Collegium vocari debeat generale, non speciale. Ratio est, quia interdictum speciale fertur in determinatam personam certam vel incertam; sed illud, quod fertur in Collegium, non est in personam determinatam, sed in quoddam corpus collectiuum, habens in se plures partes, ergo non est interdictum speciale, sed generale ex vi sui obiecti. Quòd enim Collegium sit pars totius populi, est ex accidenti, quia vnum corpus totale potest esse pars alterius corporis politici magis vniuersalis. Confirmatur ratione sumpta ex Interdicto locali. Interdictum enim latum in Ciuitate est Interdictum generale, eiusdem rationis, sicut est illud, quod fertur in Prouinciam, quia Ciuitas est quoddam corpus politicum, continens sub se plures partes, licèt sit pars Prouinciæ. Eodem modo interdictum latum in Collegium erit generale personale, quamuis Collegium sit pars totius populi, & Communitatis. Tertio idcirco Collegium excommunicari nequit, sicut probatum est in materia de excommunicatione, quia est corpus quoddam vniuersale, & excommunicatio fertur in personas singulares, ergo si Interdictum fertur in Collegium, erit interdictum generale.

Vt sciamus autem, quando personæ sint generaliter interdictæ, aut specialiter, annotandæ sunt aliquæ regulæ. Prima sit; omnes illi, qui sunt partes & membra populi, vniuersitatis, vel Collegij interdicti, & causam interdicti non dederunt, censentur interdicti generaliter, nam si sint criminis socij in eo delicto, propter quod latum est Interdictum, tunc vocantur interdicti specialiter, non generaliter. Secunda regula, quando interdicitur familia, dicitur interdictum speciale, quia familia non facit Vniuersitatem, nec propriè vnum corpus, sicut Collegium. Ita Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 1. in princ. §. Quantum ad primum conclus. 9. in fi. & §. Quantum ad secundum conclus. 4. in fi. Tertia regula illi dicuntur interdicti specialiter, seu singulariter, qui in proprijs personis interdicti sunt, idest qui nominibus proprijs expressis interdicuntur, aut circumlocutione & demonstratione sufficienter demonstrante personam, vt habetur in cap. Licet ex quadam, & ibi Glo. Ver. Demonstratione de Testi. aut si indicijs æquipollentibus demonstrantibus personam, exprimuntur, arg. cap. Tua, & ibi Glo. Ver.

A Aequipollentibus, de Consanguinit. & Affinit.

Quarta dubitatio, quæ personæ censeantur interdictæ per interdictum personale generale, vel speciale, & quia de multis in specie inquiri potest, ideo singula sunt proponenda.

Et primò quæri potest de Innocentibus, an subijciantur interdicto, quando populus interdicitur.

Respondendum est omnes illius populi personas esse interdictas, quamuis non dederint causam culpabilem interdicto, neque in ipsa Ciuitate, nec alibi possunt audire diuina, nisi transferant domicilium ad aliam Communitatem non interdictam, tunc enim si non dederunt causam culpabilem Interdicto, cessat interdictum talium personarum, secus si dederunt, vt

B superius dixi. Probatur ex cap. Si sententia §. Cum vero de sent. excom. lib. 6. Ita tenent Sylue. Interdictũ 2. §. 10. Henriq. cap. 42. nu. 2. Vers. Interdicto populo lib. 13. de excom. & interdi. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. num. 6. in fi.

Sed quid dicendum primò de illis Ciuibus, qui erãt absentes, quando populus fuit interdictus propter delictum Domini.

Respondeo etiam absentes cẽseri interdictos, quia interdicitur vniuersus populus, & isti Ciues sunt pars populi, etiam si extra Ciuitatem habitent. Ita Calder. num. 40. Sylue. Interdictum §. 13. Maiol. lib. 3. cap. 20. nu. 1. de Irregular. Henriq. vbi supra, B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 3. vltra med. Vers. Item de

C absente.

Item idem est dicendum de præsentibus & non cõsentientibus, immo expresse contradicentibus culpæ aliorum, propter quam latum est interdictum, quod maius videtur, & ita tenet Sylue. dicto §. 13. & citat Ioannem And. & Calder. n. 38. Vers. Item præsentes, & Caliquez cap. 42. §. 2. lib. 13. de excom. & interd.

Sed contra opponi potest, cap. Vt animarum, de Constit. lib. 6. Vbi Summus Pontifex inquit, *Vt animarum periculis obuietur sententijs per statuta quorumcunq; Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes.* Si Summus Pontifex declarat non ligari ignorantes, ergo neque absentes atque contradicentes obstricti erunt vinculo interdicti lati propter Dominum. Con-

D firmatur ex cap. fin. qui malef. accusare pos. & l. fin ff. Deo decr. ab ord. fac.

Ad hæc varijs modis respondent Gemin. §. Cæterum num. 10. Franc. nu. 2. Anchar. nu. 2. Vers. Item propter delictum vnius, Calder. in suo Tract. num. 37. Vers. Sed dubitatur de absentibus; sed præsertim dicunt, quòd cap. Vt animarum de Constit. lib. 6. & alia iura intelligenda sunt de sententia statuti punientis futuras culpas in delinquentibus tantum, quæ sententia non obligat ignorantes, nec etiam extra Diœcesim delinquentes; At verò sententia Ordinarij, quæ punit culpam præteritam in delinquentibus, & alijs etiam innocentibus, ligat omnes etiam generaliter expressos, vt si puniat Ciues propter culpam Domi-

E ni, vel etiam, & dici potest melius, vt tradit quoque Gemin. in fi. dicti num. 10. quod peculiare est quoad sententiam Interdicti, vt ea obstringi possint etiam innocentes.

Sed ad hæc quæri potest, si pronuncietur interdictum propter delictum Cõsiliariorum regentium Ciuitatem, vel propter delictum Vniuersitatis generaliter in ipsos Consiliarios vel Vniuersitatem, an illi ex Vniuersitate, vel ex Consilio, qui tunc erant absentes, vel expresè contradixerunt, interdicti sint.

Gemin. in eod. cap. Si sententia §. Cæterum nu. 18.

notat

notat ex Io. And. pro parte affirmatiua ad propositã dubitationem adduci posse omnia illa Iura, quæ probant factũ maiori parte corporis à toto corpore factũ videri, c. 2. & 3. dist. 65. c. Hoc ius 10. q. 2. c. Cum inter Canonicos in princ. c. Quia propter, & c. Ecclesias 2. de elect. c. 1. de his quæ fi. à maio. par. Cap. & alibi. E contra pro parte negatiua plura alia Iura affert, ex quibus nonnulli ducti sunt, vt assererẽt absentes & cõtradicentes non esse obstrictos tali interdicto etiam quoad Ecclesiã, sed oppositum concludit ex verbis d. c. Si sententia, nempe huiusmodi interdicto Absentes & contradicẽtes ligari, nã & si innocentes sint quoad Deũ, subijciuntur tamen interdicto ab Ecclesia, nã vt ibi inquit Glo. Ver. Interdicti, pœna spirituali interdicti punitur vnus pro delicto alterius. Idq; sequitur ex ijs, quę superius probauimus, quòd interdicto aliquo Collegio aut Vniuersitate, vel quouis corpore mistico, collectiuo, intelligantur omnes personæ particulares illud constituentes, quatenus sunt partes eius corporis, eumq; absentes & contradicentes constituant Vniuersitatem, & ad illam pertineant tanquam membra, vtique interdicti erunt, licèt alium effectum longè diuersum operetur in ipsis præsentibus aut consentientibus, vt suo loco declarabo.

Secundò quæri potest principaliter, an interdicta Cõmunitate maneant interdictæ etiam personæ quædam primariæ & insignes in ipsa Ciuitate, quamuis non sint specialiter nominatæ & expressæ, vt Magnates, Marchiones, Duces, & similes.

Respodent omnes simpliciter, interdicta Communitate remanere interdictos omnes, qui illam constituunt tanquã partes, quantũuis sint insignes & nobiles absq; vllo discrimine, etiamsi non fuerint nominati. Ita ait Calder. n. 40. Vers. Sed quid dices de nobilibus, B. Anton. 3. par. tit. 26. c. 3. in fi. Sylue. Interdictum 2. §. 16. Vers. Decimum quartum, Henriquez in Sum. c. 42. §. 3. in princ. lib. 13. de excom. & interdicto, fauet Glo. in d. c. Si sententia Ver. E conuerso, cũ inquit, *Appellatione populi vniuersi Ciues intelliguntur, etiam connumeratis Patritiis & Senatoribus*, & citat ad hoc textum in §. Plebiscitum instit. de Iur. Nat.

Regula verò, vt agnoscamus, quãdo prædicti vocari possint membra, & partes illius populi interdicti, ab omnibus Doctoribus illa assignatur, vt tunc dicẽdi sint tales, si subeunt onera publica illius populi, vel saltẽ fruũtur priuilegio, sicut alij Ciues dictæ Vniuersitatis, immo addit Calder. d. n. 40. Vers. Itẽ puto si tales viri nobiles sint exẽpti ex priuilegio ab oneribus, vel officijs publicis Vniuersitatis, adhuc non desinunt esse membra illius populi, sed potiùs è contra hoc ipso probatur illos pertinere ad eam Vniuersitatem, cum priuilegio indiguerint, vt eximerentur ab ijs obligationibus, quibus tenẽtur alij Ciues eiusdẽ Vniuersitatis, & idcirco immunes esse, & liberos solùm ab ijs rebus, à quibus virtute priuilegij sunt exẽpti. Vnde saluis priuilegiis obstringuntur pœnis, quibus ligantur alij eiusdem Vniuersitatis, c. Cum Cappella de priuileg. c. 1. eod. tit. lib. 6. Idẽ tenet Philip. Frãc. in c. Si sentẽtia, §. Cũ verò n. 1. Idq; cõfirmari potest ex eo, quod priuilegiũ exemptionis alicui concessum ab omnibus oneribus & muneribus vniuersitatis simpliciter, nisi aliud exprimatur, interpretandum est de exemptione ab oneribus temporalibus & profanis respicientibus personã vel bona; nõ autẽ de obligationibus spiritualibus, quæ versãtur circa diuina, & dirigũtur ad salutẽ animarũ. Excipiuntur tantũ ab hac regula ex mẽte Calder. vbi supra & aliorum Doctorum, quos citaui, illi, qui ex priuilegio, aut ex cõsuetudine legitima prę-scripta efficiuntur sui Iuris, vt in nulla re participent cum populo, nec ab illo pendeant, tunc enim non possunt vocari mẽbra illius populi, sed habendi sunt tanquam extranei, & consequenter interdicto populo nõ interdicantur cum eo arg. sumpto ex d. c. Si sententia §. Cum verò de sent. excom. lib. 6. ibi, *Singulares ex ea personæ, quas interdictas esse constat*, ergo à contrario sensu, qui non sunt ex eo populo, quia ex priuilegio, aut consuetudine præscripserunt sibi ius libertatis, non intelliguntur interdicti.

Tertio quæritur, quando interdicitur totus populus Ciuitatis, an sint interdictæ omnes personæ habitantes in suburbijs & continentibus ædificijs.

Hac in re vnũ est certũ, interdicta Cõmunitate alicuius Ciuitatis vel loci manere interdictas oẽs personas constituentes illã vniuersitatẽ, & ad eã pertinẽtes vt illius partes, etiãsi nõ habitauerint diù in Ciuitate, sed in suburbijs, aut in districtu, vel Comitatu, vel in quouis alio loco, quod sequitur manifestè ex principio firmato, nimirũ interdictũ lãtum in aliquã Vniuersitatem, aut Collegium, vel Corpus ligare omnes personas singulares, quæ sunt membra & partes illius corporis; quare cum Ciues, vbicunq; commorentur, semper sint partes & membra illius Vniuersitatis, cuius sunt Ciues, idcirco & illa interdicta ipsi quoq; erunt vinculo obstricti, vt notat Sylue. Interdictum 2. §. 15. Vers. Decimum quartum, Calder. n. 40. Vers. Sed nunquid Ciues, cum. n. supponuntur Ciues Vniuersitatis interdictæ, ipsi manent interdicti, licèt continuo habitantes sint extra Ciuitatẽ in suburbijs, vel continentibus ędificijs. Quare qui studiorũ gratia discesserũt, & profecti sunt in aliã Ciuitatem, in qua commorentur, manebunt interdicti, Vniuersitate, cuius sunt Ciues, interdicta, & è contra interdicto populo illius Ciuitatis, in qua operã dando studiis, etiam longo tempore habitarunt, non erunt interdicti, & idem sentiendũ in aliis casibus, idem ait B. Anton. 3 par. tit. 26. c. 3. in fi.

Sed difficultas est de illis personis, quæ oriũdę sunt ex ipsis suburbiis extra Ciuitatẽ, vel ex continentibus ędificijs, an interdicto generaliter populo Ciuitatis interdictę censeãtur huiusmodi personę. Huic difficultati respõdet Cald. n. 41. Vers. Sed nũquid interdicta, quòd si illi, qui habitãt in suburbiis, nõ spectãt ad corpus vniuersitatis interdictæ, sed sint sui iuris, vel alterius vniuersitatis, nõ intelliguntur interdicti. Quòd si pertineãt tanquam membra ad Vniuersitatẽ interdictã, erunt interdicti, Maiol. lib. 3. c. 20. n. 1. in fi. de Irregul.

In dubio autẽ, si nõ apparet, an sint sui iuris, vel an pertineant ad aliũ populũ, præsumendum esse ex Vniuersitate Ciuitatis, cui adhærẽt, inquit Cald. arg. l. Alphenus, & l. Qui in continẽtibus ff. de verb. sign. Potest quoq; id colligi ex regula superius tradita, aut sint sui iuris, vel pertineant ad populũ Ciuitatis, aut ad aliũ, si sint participes bonorũ & onerũ Ciuitatis, aut alterius populi vel habeãt propria & particularia onera & honores. Tunc. n. huiusmodi habitãtes in suburbiis & cõtinẽtibus ædificiis facerẽt diuersum populũ, vt inquit Henriq. lib. 13. cap. 42. §. 4. in fi. tunc enim non essent partes populi interdicti. Qua in re personale interdictum generale à locali differre videtur, cum interdictum locale extendatur ad suburbia & continentia ædificia, vt dictum est supra, ne vilipendatur Ecclesiastica censura, quæ ratio non viget in interdicto personali, non enim contemnitur interdictum populi alicuius Ciuitatis, si non extendatur ad personas in suburbijs & continentibus ædificijs commorantes.

Idque sequi videtur ex c. Si sententia de sent. excom. lib. 6. & ex dictis huc vsque. Cum ad hoc vt personæ sint Interdictæ lato generali interdicto in vniuersitatem, requiratur, vt personæ sint partes talis Vniuersitatis, quod non esset necessarium in interdicto locali, quod ex iuris dispositione extenditur ad continentia ædificia, quæ non sunt partes Ciuitatis.

Sed quid dicendum est de illis, qui pertinent ad populum duarum Ciuitatum, & in vtraq; sunt Ciues, & retinent domicilia, si aliquando totus populus vnius Ciuitatis interdicatur, altero populo non interdicto, an hic Ciuis vtriusq; Ciuitatis vocari debeat interdictus, vel è cõtra. Calder. affert n.39. exemplũ de Venetis, qui solẽt recipere in Ciues, & donare honore Ciuiliuatis aliquos extraneos nobiles & principales Italię,

Calderi. d. n. 39. Vers. Quid si talis absens, tenet talem Ciuem duorum Ciuitatum manere interdictum alterutro populo interdicto, ob eam rationẽ, quia est pars illius populi, & interdictum generaliter latum in Vniuersitatem afficit singulares personas, quę sunt partes illius, vt dictum est, vnde cum hic Ciuis sentiat commodum illius Vniuersitatis, debet etiam sentire incommodum, c. Qui sentit de reg. Iur. lib. 6. Ita etiam sentit Ang. Interdictũ 1. n. 4. Tabien. interdictũ 1. n. 10.

Oppositum sentit Sylue. Interdictum 2. §. 13. Vers. Duodecimum, & ad id asserendum ducitur ex ratione, quoniam non videtur verisimile, vt hic Ciuis magis sentire debeat onus Vniuersitatis interdictæ, quã libertatem nõ interdictæ Communitatis, cum vtriusque æquè sit pars, & potius sit in partem fauorabilem inclinandum. Sequitur hanc opinionem Henriq. lib. 13. c. 42. §. 2. Vers. Et hi nisi simul, quæ videtur mitior & probabilior, præsertim si ad eam addamus hanc limitationem, idest vt hoc intelligatur, si talis Ciuis actu non habitet cum populo, qui interdicitur, tunc enim adest ratio, propter quam magis debeat sentire onus illius populi, quàm libertatem alterius.

Quartò quæritur de infantibus, antequam perueniant ad vsum rationis, idest ante septennium, & de amentibus ob æqualem rationem, an sub generali populi interdicto comprehendantur.

Duæ sunt Doctorum sententiæ. Aliqui putant pueros & amentes, qui non sunt capaces rationis, non cõprehẽdi sub generali interdicto populi, ita tenet Ang. Ver. Interdictum 1, num. 5. Sylue. Interdictum 2. §. 18. Vers. Decimum septimum, qui loquitur cum limitatione, nempe si impuberes non sint doli capaces, secus de ijs, qui sunt doli capaces, c. Pueris de Deli. Puer. tũc enim essent interdicti, sed quamuis non sint doli capaces, qui propriè interdicti non censentur, tamen populo interdicto nõ posse audire diuina officia in loco interdicto, cum hoc eis minimè concessum sit. Hoc tamen, quod addit Sylue. putat verum esse Couar. in c. Alma pat. 2. §. 4. num, 5. Vers. Duodecimo potest, in pueris post septennium tantummodo, qui licèt non sine doli capaces, percipiunt tamẽ, & aliqua ex parte cognitionem habeat diuinorum officiorum, cognoscentes solẽnia Missarum pertinere ad cultum diuinũ, & ad Christianæ Religionis professionem; At in Infantibus ante septennium non credit esse admittendum, quia illi nihil sentiunt, nec percipiunt, quòd officia diuina celebrentur, vnde non magis se abstinent in Ecclesia ab ijs actibus naturalibus, qui in Ecclesia non conueniunt, quàm si extra Ecclesiam degerint, quoniã adhuc ignorant, an Ecclesia sit locus sacer, & quę sint diuina officia, Greg. Valentia. tom. 4. disp. 7. quæst. 18. pun. 2. Vers. Quarto, Henriquez lib. 13. cap. 42. §. 3.

A Vers. Secundo infans de excom. & interdicto, Maiol. lib. 3. cap. 20. num. 2. in princ. de Irregular.

Nauar. tamen in Manua. cap. 27. nu. 168. in fi. oppositũ tenet, quòd Infantes, quibus opus est adhuc lacte, & amentes includantur sub interdicto generali populi, & ideo non esse admittendos ad diuina. Ratio ipsius est, nam licèt huiusmodi personæ non sint doli capaces, tamen ad incurrendum interdictum non requiritur culpa propria, sed satis est, vt præcesserit culpa propria vel aliena.

Ex his duabus sententijs prior est probabilior, & communiter recepta. Quare respõdendo ad hanc difficultatem, primò dico Infantes nondum doli capaces & mente captos non includi sub personali interdicto generali sui populi, & idcirco absq; vllo peccato posse B admitti ad diuina officia. Probatur, quoniam huiusmodi personæ carent vsu rationis, & non sunt doli capaces, vnde actus assistendi diuinis officijs in ipsis non est liber & voluntarius, neque humanus, ipsi enim nõ percipiunt, quando incipiat celebratio diuinorum, & quando cesset. Fauet D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 12. in corpore, asserens puerum, quandiu vsum rationis nõ habet, nõ differre ab animali irrationali, ideo si puer ducatur ad Ecclesiam durante interdicto generali loci, dum celebrantur officia diuina non excluditur ab Ecclesia, quia nõ videtur pręsens moraliter modo humano. Confirmatur, quoniam ob eandẽ rationem Infans admittitur absque culpa in Claustrum Monialium, C vt inquit Enriquez lib. 13, c. 42. §. 3. in Annotat. lib. 5. & citat Cordub. casu 60. puncto 2. & Nauar. in Man. cap. 25. n. 143. non obstante excommunicatione lata à Concil. Trid. sess. 25. de Regul. c. 5. contra Intrantes Monasteriũ, quæ ratio vera est quoad ipsos Infantes, qui ob talẽ ingressum non sunt excommunicati, sicut nec amentes, si ingrederentur, essent excommunicati. Verùm Moniales, quæ hæc hominum genera sponte intromitterẽt, neq; aliæ personæ, quæ huius ingressus causa essent ab excommunicatione excusarentur, vt notat Comitalus in lib. 6. q. 22. Respons. Moralium, quare ex hac parte hoc exemplũ non probat id, quod intendimus in casu Interdicti, de quo agitur, nam non tantum huiusmodi pueros asserimus esse immunes à D culpa, si tempore interdicti assistũt diuinis officiis, sed etiam ipsorum parentes & præceptores, qui eos conducerent in Ecclesiam, cum sacra peragerentur. Secũdo probatur tales pueri, qui non sunt doli capaces, nõ incurrunt pęnas legum secularium, etiã si in ea agant, quę lege prohibẽtur, ita non videtur verisimile debere incurrere pœnas Ecclesiasticas. Tertiò cum Communitas aliqua interdicitur, ad illã pertinet hæc cẽsura, quatenus capax est illius boni spiritualis, nempe cultus diuini, quo priuat formaliter interdictum, idq; contingit solùm, quia ratione & consilio vti potest, sed puer supponitur carere vsu rationis, ergo nõ comprehẽditur sub interdicto generali, vt si eo tempore quis sit causa, vt diuinis intersit, peccet specialiter, aut vio- E let interdictum. Ratio, quam affert Nauar. nõ probat sententiam, non enim valet consequentia, Innocentes continẽtur sub interdicto generali populi, ergo etiam pueri. Nã licèt verũ sit interdictũ populi cõprehendere aliquos, quantũuis illi nõ peccauerint, qui consequẽter sunt interdicti in pœnã aliquorũ, qui deliquerunt, tamen sicut non peccasse non est sufficiens ratio ad eximendum aliquem ab interdicto, ita nõ est causa, vt aliquis comprehendatur sub interdicto, potest. n. fieri vt ob alias causas non teneatur interdicto, sicut dicimus de pueris, qui idcirco non tenẽtur interdicto personali,

sonali, quoniam vsu rationis carent. Et rationes adductæ æque probant de interdicto locali, nam non necesse est excludere infantem à Missa ratione interdicti generalis lati in locum, vt notat Enriq. d. c. 42. §. 3.

Secundo dico, cum asserimus paruulos carentes vsu rationis aut mente captos non comprehendi sub generali interdicto populi, hanc conclusionem intelligendam esse quoad officia diuina tantum nam tales infantes non prohibentur interesse diuinis officij, verum si decesserint, deneganda est eis Ecclesiastica sepultura, sicut adultis, quia omne cadauer est rationis expers non minus adultorum, quàm infantium, & nō fuit eadem ratio prohibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, sicut diuinorum officiorum. Ecclesia enim prohibuit diuina officia tempore interdicti, vt non audiantur, nec celebrentur, quod requirit cognitionem, & voluntatis actum. Sed prohibitio sepulturæ non exigit aliquam cognitionem huius prohibitionis, sed simpliciter denegatur, ne vllum corpus aut cadauer tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ. Ita sentit Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 5. Vers. 12. de sent. excom. lib. 6. Henriquez dicto cap. 42. §. 3.

Quinto dubitari potest, vtrum sub interdicto generali populi includantur Clerici personæ Ecclesiasticæ; Conueniunt omnes in conclusione negatiua Clerum non censeri interdictum populo interdicto generaliter, nisi aliud exprimatur. Ita sentit Calder. nu. 28. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 3. circa med. Vers. Item quando, Angel. Interdictum 1. n. 1. Sylue. Interdictum 2. §. 9. Vers. Octauum, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 167. Vers. Rursus Interdictum Cleri. Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. nu. 7. de sent. excom. lib. 6. Palud. in 4. sent. dist. 18. quæst 9. art. 2. ad 1. Henriq. lib. 13. cap. 42 §. 3. Vers. Interdictum populi de excom. & interd. Abb. in c. 1. n. 1. de vi. & honest. Cleri.

Hæc conclusio definita est in cap. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. *Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur, nisi aliud sit expressum in ea, interdictus populus, nec etiam è conuerso*, & ibi Glos. Ver. E conuerso, & Gemin. Franc. Anchar. & alij Doctores, quare omnes admittunt interdicto Clero alicuius Vrbis, non intelligi populum eiusdem Vrbis interdictum nec interdicto populo censeri Clerum interdictū, vnde vno horum interdicto alterum ad diuina officia & Sacramenta esse admittendum, & idcirco cautè considerandum esse sensum interdicti & verba, vt intelligamus, an verè sit interdictus locus tantum, vel personæ, & cuius status & conditionis, quæ distinctius inferius declarabuntur.

Sed antea contra dictam cōclusionem videtur posse opponi, nam populus est nomen collectiuum non minus Clericos, quam Laicos comprehendens, vt probatur ex §. Plebiscitum Instit. de Iu. Nat. vbi dicitur, quod populus est genus, & sub hoc nomine variæ conditiones hominū continentur, idest Plebei, Senatores, Patritij omnes, ergo etiam Clerici. Confirmatur ex c. Dilecti de fo. compet. Vbi priuilegium datum Anglicis Clericis, etiam competit significatis sub nomine Anglorum, ergo multò magis id asserendum est appellatione populi, cuius significatio est generalior. Et quamuis sæpius in iure reperiatur mentio simul facta de Clero, & populo quasi sint diuersa, vt in cap. Duo sunt 12. q. 1. in c. Nulli dist. 42. in c. Quia in aliquo dist. 51. in c. Vt commissi ibi Clerum & populum de heret. lib. 6. & in alijs locis relatis per Feliq. in cap. Ecclesia S. Mariæ n. 77. de Constit. & per Dec. in c. 1. nu. 2. de Præben. ratio tamen, propter quam frequenter exprimitur Clerus & populus, non est, quia reputentur tāquam res diuersæ & distinctæ, sed potius quia se habēt tanquam genus & species, id enim fit ad maiorem declarationem, nam fortasse dubitari potuisset, vtrum sub nomine populi continerentur populares qualificati, vt sunt Clerici. Ideo ad tollendam hanc ambiguitatem repetuntur Clerici, sicut in c. 1. in princ. de dilat. ibi, *Dilecti filij Abbas & Monachi*, & tamen sub nomine Monachorum Abbas includitur.

De hac quæstione, nimirum an sub nomine populi comprehendantur Clerici, tractat Abb. in c. 1. de vi. & honest. Cleri. Felin. latè in c. Ecclesia nu. 74. & seq. & ibi omnes Doctores de Constit. & copiosè Dec. in c. 1. de præben. & Abb. quem alij communiter sequuntur, ad solutionem quæstionis vtitur distinctione, nimirum vt in materia pœnali & odiosa, & consequenter restringenda nomine populi nō intelligantur Clerici, sicut in casu interdicti, vt dicitur in cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6 & ad §. Plebiscitum Instit. de Iu. Nat. Vbi sub nomine populi accipiuntur vniuersi Ciues etiam existentes in dignitate, respondet id verum esse quoad eos, qui sunt eiusdē professionis, id est si omnes, sint Laici, & non extenditur ad Clericos. Contra verò in materia fauorabili & priuilegiata priuilegium concessum populo extenditur ad Clericos arg. c. Dilecti de fo. compet. & ex notat. per Bart. in l. 1. ff. Ad Municip. sequitur Felin. in dicto nu. 74. & in eandem sententiam citat plures Doctores.

Decius tamen d. c. 1. n. 13. & seq. de preben. postquā pluribus Iuribus, & rationibus vtramque partem quæstionis confirmauit, tandem ad dissoluendam illam quæstionem proponit quatuor conclusiones, quæ mihi videntur valde probabiles, ex quibus facile etiam tolluntur, quæ opposita sunt contra conclusionem firmatam.

Prima conclusio Decij est, quòd appellatione populi ex propria vi & significatione vocabuli includitur Clerus, vnde in c. Si adiutorium dist. 10. legitur de Paulo Apostolo, *Fecit hoc Paulus*, cum aduersus iniuriosos Ciuem Romanum se esse testatus est. Nā qualitas Clericatus non facit, vt quis non remaneat Ciuis, & de populo attenta verborum significatione, licèt iudicio secularium non subiiciatur.

Secunda Conclusio est, si agatur de re vel actu solis Clericis competente, sub nomine populi Clerici tātum continentur, tex. in cap Licèt 8. q. 1. Vbi nomine populi Clerici tātum intelliguntur, qui in sacris sunt, cum hi tantum ad Episcopatum promoueri possint, c. A multis de Aeta. & qualit. c. Cū in cunctis de elect.

Tertia conclusio in dispositione rei vel actus Laicis tantum competentis appellatione populi non continentur Clerici, arg. tex. in c. Graue 2. de sent. excom. *A potestate & populo deputati*. Vbi excommunicantur quidam Ciues Pisani deputati ad statuta Ciuitatis edenda, qui Statuta contra libertatem Ecclesiasticā promulgauerunt, atq; ita patet nomine populi non potuisse intelligere de Clericis ratione materiæ, de qua agitur.

Quarta conclusio in materia cōmuni & indifferente nomine populi includuntur Clerici siue in pœnalibus, siue in fauorabilibus est textus cum Glos. in c. Accusatus in fin. Ver. Seculares de hæret. lib. 6. Vbi puniuntur seculares instruentes testes, ne Inquisitores veritatem inuestigent, & sic agitur de re communi, & indifferenti, & tamen Glos. nomine secularium interpretatur Clericos, vel Laicos, ergo multò magis nomine populi debent significari non tan-

tantum Laici, sed Clerici, facit c. Forus §. si Index de verb. signif. *Quasi ius dicens populo.* Vocatur Iudex inquit Summus Pontifex, quia Ius populo dicat, & nemo negare potest nomine populi includi etiam Clericos. Quod si in cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6. quod est præcipuum fundamentum pro contraria sententia, interdicto populo non censeatur interdictus Clerus, id non accidit ex eo, quod ex propria significatione vocabuli sub nomine populi non contineatur Clerus, sed dispositum fuit specialiter cõtra propriam vim, & significationem verborum, quia in Clericis agitur de maiori præiudicio, si interdicantur, ad quos rerum diuinarum administratio pertinet, & idcirco, quamuis verba conueniant, non videtur intentio proferentis interdictum in populum velle comprehendere Clerum, sicq; à proprietate verborum receditur, vt intentioni deseruiamus, cap. Intelligentia sermonum de verbo. signif.

Quod dixi de Clericis, si interdicatur populus, idẽ è contra sentiendum est de populo interdictis Clericis, siue interdicantur generaliter nomine Cleri Ciuitatis, siue alicuius Parochiæ, nunquam intelligetur interdictus populus Ciuitatis, vel pertinens ad illam Parochiam, nisi id exprimatur, & durante interdicto admitti poterit ad diuina officia & Sacramẽta, vt habetur in d. c. Si sententia. Et ratio est, quia appellatione Clericorum non veniunt Laici & populares, nam ex accomodatione vsus populus stat pro Laicis.

Sextò dubitatur, vtrum generaliter interdictis Clericis comprehendantur non solùm habentes aliquem ordinem maiorẽ & sacrum, vel omnes etiam solis minoribus ordinibus insigniti, aut prima tõsura initiati, & Religiosi, siue Religiosæ, quãuis sint Laici & cõuersi.

Ad hanc dubitationem quibusdam propositionibus respondendum est. Prima propositio sit interdicto Clero Ciuitatis, vel aliquo Capitulo, aut Collegio Clericorum, cẽseri interdictos omnes & singulos Clericos, qui pertinent ad illam Ciuitatem, Capitulum, vel Collegium, etiamsi sint absentes, & etiam si dignitatem in illa Ecclesia habeant, nec non solũ primam tonsuram babentes beneficiatos, excepto Episcopo, & tale interdicium sequitur omnes prædictos quocunq; tempore ac loco. Probatur primò de absentibus, nam sicut Ciues absentes pertinent ad Vniuersitatem, & intelliguntur interdicti Vniuersitate interdicta, ita dicendum est de Clericis. Secundò habentes primam Tonsuram verè sunt, & vocantur Clerici, ergo continentur sub Interdicto lato in Clericos, quod existimo verum hodie post Concilium Trident. sess. 23. c. 6. si dicti tonsurati habeant conditiones requisitas à Concilio, vt possint gaudere priuilegio Clericali, nempe si incedunt in habitu & tonsura, & destinati sint ab Episcopo, vt inseruiant alicui Ecclesiæ. Tertiò excluditur Episcopus, tum quia ex communi vsu loquendi sacrorum Canonum & Concilij, Episcopus distingui solet à Capitulo & Clero, tum etiam quoniam vt statuitur in c. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Episcopi non incurrunt suspensionem vel interdictum, nisi de illis expressa mentio facta fuerit, & tale interdictũ durat quousq; relaxetur, etiãsi Clericus discesserit ab illo Collegio, vt inquit Maiol. lib. 3. c. 20. n. 1 de irregul.

Secunda propositio sit, an interdicto Clero generaliter intelligantur interdicti Religiosi non solum professi, sed Nouitij & Conuersi, & etiam fœminæ religiosæ, sed id colligendum est ex verbis sententiæ, & ex materia causæ, & alijs circumstantijs. Probatur, quoniam incertum est & ambiguum, vtrum nomine

A Cleri vel Clericorum comprehendantur Clerici Regulares, & Religiosi, vt patet ex varijs opinionibus Doctorum, diuersimodè hac in re sentiẽtium, Gemin. in c. Si sententia nu. 3. Vers. & intellige de sent. excom. lib. 6. appellatione Cleri significari Clericos seculares & regulares etiam conuersos, qui propriè ad Ecclesiam translati sunt, & probat, quia cum tales non sint de populo, necessariò pertinebunt ad Clerum, c. Duo sunt 12. q. 1. c. Si quis iam translatus 22. q. 2. c. Vt priuilegia de priuil. cap. Non dubium de sent. excom. Idẽ tenet Calder in Tract. de interdicto par. 1. n. 28. Cou. in c. Alma Mater par. 2. §. 1. n. 2. Vers. Quinto de sent. excom. lib. 6. & inquit communem esse sententiam, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 167. Vers. Quamuis interdictum Cleri. B. Antoni. 3. par. Summæ tit. 26. c. B 3. ante med. Vers. Intelligo autem, Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 51. in fi. Vers. Vbi nota. Alij verò sentiunt Religiosos contineri appellatione Cleri, sed cum quadam limitatione, scilicet si fuerint in dignitate constituti, vt Sylue. Interdictum 2. §. 17. Vers. Decimum sextum, sed alij non habentes dignitatem non intelliguntur interdicti Clero interdicto, idem Ver. Clericus 1. §. 1. inquit appellatione Clericorum comprehendi omnes, qui non sunt Laici in fauorabilibus, etiam Episcopos & Religiosos, sed in materia pęnali & odiosa nomen Clericorum accipi secundum magis propriam & strictam significationem, & non comprehendere Episcopos, neque alios in dignitate C constitutos, neque Religiosos, neque Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, quia in his est qualitas quædam peculiaris, quæ in Clericis simplicibus non reperitur, & citat ad hoc plures tex. sicut in simili nomine Ecclesiæ non veniunt in Monasteria in materia odiosa, sed bene in fauorabili, vt inquit Abb. in cap. 1. de Instit. ita è contra priuilegium concessum Clericis simpliciter intelligitur concessum Episcopis & Religiosis, quia materia est fauorabilis, Angel. Ver. Interdictum 1. num. 9. Puto autem hos Doctores, cum dicunt sub interdicto Cleri comprehendi regulares habentes dignitatem, voluisse intelligere de dignitate Ecclesiastica seculari. Rursus alij negant simpliciter interdicto Clero comprehẽdi Religiosos, vel Nouitios, D aut conuersos, sicut neque interdictis Religiosis includi Clericos seculares, ita sentit Maiol. lib. 3. cap. 20. num. 6. de Irregular. quia nomen Clericorum in odiosis solos seculares complectitur, & citat Specul. in c. Si Canonici in princ. de off. ordin. lib. 6. Armilla Ver. Interdictum num. 9. Henriq. lib. 13. cap. 42. num. 3. Vers. Tertio Interdictum populi. Volunt igitur hi Doctores, vt sicut si interdicantur Religiosi, non intelliguntur interdicti Clerici seculares; etiamsi lato modo Religiosi vocari possint, cum Dei cultui, Ecclesiæ ministerio mancipati sint, vt notatur in Rubrica de Regularibus, ita è contrario si interdicuntur Clerici seculares, non erunt interdicti Religiosi, sed hæc ratio non est admodum efficax ad proban-E dum, quod intenditur, nam quod interdictum latum in Clericos seculares non complectatur regulares admittitur absque controuersia, cum Clerici seculares opponãtur Regularibus, sintq; duæ species distinctæ, & sub vna non includatur alia, ideo si interdictum latum fuerit in Clericos seculares constat de voluntate Superioris non intendentis interdicere regulares. Sed aliud est, quãdo simpliciter Clerus vel Clerici interdicuntur, cum. n. nomen Clericorũ sit commune tã secularibus quàm Regularibus tanquã genus ad vtrosque omnes translati sunt in sortẽ Domini, vt vox ipsa sonat,

sonat, meritò videtur dubitari posse, an tale interdictum extendatur ad Regulares quam seculares. Confirmatur hoc idem ex cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6. vbi tota vniuersitas Ciuitatis vel Terræ in duas partes distinguitur, idest in populum & Clerum, sed Religiosi non continentur sub populo, alias illo interdicto essent interdicti, sed hoc non admittitur, vt notat Sylue. Interdictum 2. §. 9. ergo comprehenduntur sub Clero. Confirmatur secundo ex eodem cap. Si sententia, vbi decernitur interdicto populo non censeri interdictum Clerum, vbi nomine Cleri intelliguntur etiam Religiosi, ergo è contra, cum dicitur interdicto Clero non censeri interdictum populum sub Clero includuntur Religiosi, maximè si loquamur de Interdicto posito ab eo, qui est Superior Clericis & Religiosis, vt quando fertur à Papa; nam si imponatur ab Episcopo, qui non est Superior Religiosis exemptis, certum est non posse comprehendi Religiosos sub interdicto Cleri. Et certè existimo primam opinionem Calder. & aliorum esse probabiliorem, quam Couar. loco citato asserit esse communem, sed tota difficultas est de acceptione & vsu huius nominis, néque in quo sensu ex significatione accipiatur, præsertim in materia de Interdicto, cum nulla extet de hac re Iuris declaratio, & ipsum vocabulum vtriusque significationis sit capax, & sæpe sumatur pro solo Clero seculari, aliquando & non rarò pro vniuerso Cœtu Ecclesiastico.

A

Tertia propositio in re dubia ad inuestigandam veram significationem vocis in sententia Interdicti contentæ, perpendenda sunt verba sententiæ, circumstantiæ, & causæ Interdicti, & ex omnibus desumenda est intentio ferentis Interdictum. Quare si feratur interdictum sub nomine personarum Ecclesiasticarum, absque dubio erunt interdicti regulares, cum sint personæ Ecclesiasticæ, si verò latum sit sub nomine Cleri, colligenda erit mens proferentis ex alijs circumstantiis, in dubio seruanda est regula, vt in mitiorem partem interpretetur, cum sit pœna.

B

Septimò dubitatur, vtrum, si interdicatur familia alicuius Principis, Cardinalis, vel Episcopi, quæ constet ex Laicis & Clericis, vtrique maneant interdicti.

C

Omnes affirmatiuè respondent interdictos esse tũ Clericos tum Laicos, Sylue. Interdictum 2. §. 17. Vers. Decimum sextum, nisi expresse exeipiãtur Clerici, addit Sylue. secus esse si interdicantur omnes Doctores Ciuitatis, tunc enim ait non manere interdictos Clericos, qui sunt Doctores, citat Glo. in cap. Si sententia de sent. excom mun. lib. 6. Ang. Verb. Interdictum 1. num. 8. Armill. num. 11. Henriq. lib. 13. cap. 42. numero 3. Vers. Quarto interdicta familia, Maiol. lib. 3. cap. 20. numero primo de Irregul. Probatur, quia familia non est nomen collectiuum, ideo Interdictum latum in familiam non est generale respiciens immediate vniuersitatem, sed primò respicit personas singulares, quæ sunt in illa familia siue Clerici, siue Laici, & significantur illo communi nomine familiæ, vbi notant, quòd interdicta familia, omnes, qui tempore interdicti ex illa erant familia, censentur interdicti, & tales perseuerant, licèt recedant ab ea. Sed si quis de nouo ascribatur familiæ, non fit interdictus, vt notat Palud. in 4. sentent. distinct. 18. quæst. 8. art. 1. & Henriq. vbi supra; & ratio est, vt dixi, quia Interdictum familiæ est speciale, quod primò per se, & immediatè respicit personas singulares, vt tales sunt, non quatenus sunt membra alicuius Vniuersitatis.

D

E

Idem affirmandum est in alio exemplo, si interdicantur omnes Doctores Ciuitatis, censentur enim interdicti non solum Laici, sed etiam Clerici Doctores, quidquid dicat Sylue. citatus & Aug. Interdictum 1. num. 11. & Glo. in cap. Si sententia, quam ipsi pro hac sententia adducunt, nihil tale asserit, vt notauit Tabie. Verb. Interdictum 1. numero nono, in fin. vbi tenet oppositum, & ita sentit Armilla numero vndecimo, Maiol. lib. 3. cap. 20. nnmero 1. de Irregular. dicit esse magis communem sententiam Henriq. lib. 13. cap. 42. num. 3. Vers. Quinto, & hoc verum est, nisi aliunde constet de intentione interdicentis. Probatur quoniam vel huiusmodi interdictum est generale vel particulare, si est particulare, sicut existimo, si interdicantur omnes Doctores Ciuitatis vel Terræ, quia nõ sunt partes alicuius Communitatis, ad quam constituendam conueniant singuli Doctores vt partes & membra, ideo interdictum latum sub tali forma respicit primò, & per se personas particulares, quibus competit qualitas illa Doctoratus communis, in qua conueniunt, sicut dictum est de familia. Quare cum talis forma sit potius distributiua quàm collectiua, erit interdictum particulare, quod dirigitur contra singulos Doctores, siue sint Clerici, siue Laici. Si verò tale interdictum sit generale sicut si interdicatur Collegium aliquod Doctorum, vel aliqua publica Vniuersitas, aut Academia habens hanc conditionem & naturam alicuius totius corporis, quod componitur ex illis personis, quæ pertinent ad illud Collegium seu Academiam, illam constituentes sub illa ratione, quia Doctores sunt illius Collegij, siue sint Clerici, siue Laici, sicque sub eadem ratione, quatenus membra illius Collegij, erunt interdicti Collegio generaliter interdicto.

Octauò dubitatur, an interdictum latum generaliter comprehendat eum, qui interdictum ponit, vel Superiorem, aut æqualem.

Respondeo, si interdictum sit personale quamuis generale, non comprehendit ponentem illud, nec Superiorem, nec æqualem. Ratio est, quia nullus habet iurisdictionem coactiuam in foro exteriori, nisi in sibi subditos. Si verò sit interdictum locale, omnes prædicti supponuntur interdicto, vt si illud non seruent, pœnas Iuris incurrunt, sic Armil. Interdictum num. 35. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 165. Henriquez cap. 50. num. 1. Et hæc obligatio seruandi interdictum oritur ex ipso iure communi tanquam effectus interdicti; Sed de hac difficultate iterum erit agendum. Hæc obiter sufficiant.

CAPVT VI.

Vtrum posito Interdicto locali censeatur positum personale, vel è contra posito personali, positum sit locale.

HActenus visum est duas esse species interdicti, locale scilicet & personale, simulq; declaratum, quid vtrunq; sit, & quotuplex, & quàm latè se extendãt, modò discutiendum restat, an hæc duo interdicta ita habeant rationes diuersas, seiunctas ab inuicem, & separatas, vt ad impositionem vnius non sequatur alterum, sed possit ferri vnum altero non succedente, vel è contra semper ita hæc duo interdicta coniungantur, vt nunquam feratur locale sine personale, & è conuerso. Similiter nec generale sine particulari aliquo, & è contra. Huic quæstioni quibusdam conclusionibus satisfaciam; & primò si loquamur de

Interdictis personalibus comparando illa inter se, & eodem modo de localibus erit prima conclusio.

Interdictum particulare tam personale, quam locale per se non infert generale, ideo Interdictum particulare ferri potest sine generali, quia censura lata in vnam personam per se non extenditur ad Communitatem. Similiter si interdicitur locus aliquis particularis Ciuitatis, non idcirco tota Ciuitas interdicitur, idque per se patet.

Secunda conclusio generale Interdictum semper includit particulare suo modo quoad effectus Interdicti, vt monui superius, non autem quoad rationem formalem, & modum interdicendi, vt suo clarius explicabitur, cum explicabo, quæ differentia intercedat inter eos, qui causam dederunt Interdicto, & inter alios, qui prorsus sunt innocentes, & hæc conclusio etiam est manifesta, & non indiget probatione. Maior difficultas est, si comparemus interdictum personale cum locali, & è contra locale cum personali.

Tertia conclusio sit, posito Interdicto locali generali, non intelligitur positum personale, neque è contra posito personali generali, censetur positum locale generali, nisi aliud exprimatur. Desumitur hæc conclusio ex cap. Si sententia de sentent. excom. lib. 6. vbi Glo. Ver. In Clerum, notat interdicto Clero alicuius Ecclesiæ, non propterea esse interdictam Ecclesiam, quia interdictum personale non infert locale, nec è contra, nam per interdictum locale prohibentur homines solum generaliter in loco interdicto celebrare, vel audire diuina, sed non prohibentur extra illum locum, vt dicitur in eodem cap. Si sententia, ergo virtute Interdicti localis non interdicuntur personæ illius loci, sicut necesse esset, si personæ essent interdicto suppositæ, quia per interdictum generale personale prohibentur personæ interdictæ simpliciter vbicunque diuinis se immiscere. Similiter ex vi Interdicti generalis populi & Vniuersitatis nullus locus simpliciter interdicitur, nam aliæ non interdictæ possunt in eodem loco celebrare diuina, & audire, quòd si locus remaneret interdictus, neque personis in eo habitantibus, nec extraneis ex quacunque Ciuitate absque culpa & pœna permissa esset ibi diuinorum celebratio. Confirmatur idem ex cap. 1. de vsur. lib. 6. Vbi Gregorius Decimus in generali Concilio Lugdunensi imponit contra permittentes manifestos vsurarios in suis Terris, si sunt Collegium aut Vniuersitas, Interdictum, vt maneant interdicta, quousque tales vsurarios expulerint, quòd si per mensem indurato animo sustinuerint Terræ ipsorum quandiu in eis vsurarij commorarentur subiaceant Ecclesiastico interdicto, ergo Summus Pontifex infert interdictum locale post personale, supponit igitur ex vi vnius alterum non sequi, & est sententia communis, ita sentit Calder. in Tractatu de Interdicto par. 1. nu. 32. Vers. Sed quæro an interdicto populo, vnde infert, cum interdicto populo non sit interdictus locus, posse celebrari in illo loco alta voce, sicut prius. Tamen quia hoc modo audirentur voces publicè celebrantium ab Interdictis, & ideo contemneretur Censura Ecclesiastica, ad obuiandum huic periculo, consulendum esset Clericis, vt abstinerent à publica celebratione. Idem inquit Sylue. Interdictum 2. §. 9. Vers Octauum, Nauar. in Mann. cap. 27. num. 167. Domi. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 1. Vers. Et vtrunque illorum, Tabie. Interdictum 1. num. 9. §. Octauo Vers. Quarto notandū, Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 51. Vers. Rursus cum interdicitur, vbi ponit exemplum, si interdicantur homines Tiburtini, nō

A esse interdictas Ecclesias, sed in illis exerceri posse publicè diuina officia, & eis permissum esse peregrinis, Clericis, & secularibus vti & frui, non autem naturalibus & Ciuibus interdictis, Henriquez lib. 13. c. 42. num. 4. Vers. Quinto de excom. & Interdicto.

Nihilominus Couar. videtur ab hac communi sententia recedere, & in oppositum inclinare lib. 2. Variar. Resol. cap. 8. circa fi. & susius in cap. Alma par. 2. §. 1. num. 7. Vers. Secundo hoc est annotandum de sent. excom. lib. 6. vbi proposita communi opinione, dicit eam ex multis dubiam reddi; & primo quòd facilè ea admissa fraus interdicto fieri posset, quia non posset commodè seruari exclusis interdictis, qui à loco ob eorum multitudinem excludi non possunt. Secundò idem probat ex cap. Quod nonnullis de priui-
B leg. Vbi probatur iure veteri communi considerato non potuisse celebrari diuina officia interdictis & excommunicatis exclusis, etiam ianuis clausis in loco, cuius Communitas fuerat interdicta, igitur constat interdicta Communitate alicuius loci, ipsum locum interdictum esse, alioquin ibi celebrari posset ianuis clausis, saltem interdictis & excommunicatis exclusis, citat in hanc sententiam Federi. de Senis consilio 188. & concludit in hac quæstione tutius esse, quòd in loco seruetur interdictum, & quòd locus ipse iudicetur interdictus interdictis personis, præsertim si feratur interdictum in Vniuersitatem secularem, & adducit pro hac sententia Calder. Franc. B. Antoni. & Syl-
C ue. Qua in re notandum est, vt intelligamus, Couar. quòd ipse non eodem modo sentit de interdicto generali locali in ordine ad personale generale, & è contra de personali in ordine ad locale; nam existimat posito interdicto generali personali positum esse locale, quamuis non exprimatur, vt dixi, sed non è contra posito locali positum esse personale, nam in num. 8. expressè testatur interdicta Ciuitate, Villa, aut Castro ipsum locum, nō eius Ciues esse interdictos, quia ex ipsis verbis apparet latum esse Interdictum in locum, non in personis, ergo ne sibi ipsi sit contrarius, dicendum est non eodem modo sentire de vtroque interdicto, si inuicem comparentur, Henriquez in dicto cap. 42. nu. 5. videtur idem affirmare pariter de
D vtroque interdicto generali, quod aliquando licèt videatur simplex interdictum, scilicet locale vel personale, tamen per extensionem quandam fieri mixtum explicat, vt quando ob causam totius populi fertur interdictum locale in aliquam Ciuitatem vel Terrā, fit ex consequenti personale, nam non tantum culpabiles, qui sunt maior pars populi, sed etiam ipsi innocentes prohibeantur etiam extra ipsum locum audire diuina, quia quamuis non fuerunt in culpa, videntur tamen pertinere ad causam interdicti tanquam pars populi. Eodem modo de interdicto personali, cum interdicitur tota Communitas, Vniuersitas, aut Collegium, ex rigore verborum videtur tantum personale, tutius tamen est, vt ex præsumpta intentione inter-
E dicentis censeatur simul locale, quatenus Vniuersitas, quæ tota commodè expelli non potest de loco, quem habitat, representat ipsum locum immobilem, & Iure antiquo decernitur posito tali interdicto, ne in eo loco celebrare liceat, etiam ianuis clausis, & interdictis exclusis dicto c. Quod nonnulli de priuil.

Verùm contraria opinio est communis, & probabilior, vt dixi, & ad id affirmandum ratio illa est valida, quoniam hæc duo interdicta sunt omnino distincta per se, vt vnum nullam habeat rationem ad aliud, nisi Iudex velit vtrunque coniungere, tunc

autem

autem vtrumque obligat ex intentione Iudicis, non quia posito vno inferatur per se aliud. Quare quod dicit Henriquez de præsumpta intentione interdicentis, verum est, neque nos diffitemur, si aliqua ratione hęc præsumpta intentio colligi possit, negamus solum ex vi vnius Interdicti per se sequi aliud, quia sunt omnino disparata, & nullam habent inuicem connexionem. Immo in re dubia, quando nulla adest coniectura talis intentionis in Interdicente, præsumendum est oppositum, tum propter regulam, quòd in pœnis mitior pars est eligenda, tum quoniam si Iudex, vel lex voluisset vtrunque interdictum ferre, vtique expressisset, sicut in dicto c. de Vsur. lib. 6. vt ostendi.

Neque oppositum asserunt B Anton. & Sylue. quos citat Couar. Nam Sylue vt dixi superius expressè tenet contrariam sententiam, & similiter B. Antoni. qui in Sum. par. 3. tit. 26. cap. 3. circa med. Vers. Item si interdicatur populus, apertè tenet interdicto populo, vel Vniuersitate nõ censeri locum illum interdictum, quia aliud est interdictum loci, aliud Vniuersitatis. vnde ait posse tunc celebrari in illo loco alta voce, vt prius; interdictis tamen exclusis, licèt addat hoc esse de iure, Tamen ne occasio detur, vt audiantur voces celebrantium ab interdictis, & contemnatur interdictum, consulendum esse Clericis, vt interdicto durante abstineant à publica celebratione. Quare Sylue. & Antoni. non negant supposito interdicto personali posse celebrari in illo loco, sed consulunt, ne celebratio publica fiat ad euitandum prædictum periculum. Quod Calde. & alij omnes citati pro communi sententia affirmant. Quare hoc est accidentarium, non prouenit per se ex conditione interdicti, ideo cessante illo periculo celebratio publica in tali loco esset licita; Vt si Ecclesia aliquantulum distaret à loco, nec occasio extaret, vt officia diuina commodè interdicti audire possent, liberè Clerici celebrare possent, sinminus, tenentur submissa voce, & ianuis clausis, non quidem propter impedimentum loci, quod sequatur ex Interdicto personali, sed vt euitentur interdicti.

Iam ex dictis patet, quid sit respondendum ad primam rationem Couar. illa enim probat solum abstinendum esse à publica celebratione per accidens in casu, quo illud inconueniens vitari non posset. hoc tamen non esset per se, & absolutè, quia locus sit interdictus, sicut loquimur in conclusione, sicut cum tempore, quo celebrantur diuina officia excommunicatus non toleratus ingrederetur Ecclesiam, & ab ea excludi non posset, cessandum esset à diuinis, ne ex eo, quòd locus esset interdictus, sed euitandam participationem cum excommunicato in diuinis.

Ad cap. Quod nonnullis, de priuileg. Respondeo ex eo nullum argumentum sumi posse ad confirmandam sententiam Couar. quoniam ille textus loquitur de interdicto locali generali, non de personali, cum ait, *Vt cum Commune Terræ interdictum fuerit*. Si enim interdictum ciuitatis, Castri, aut villæ est locale, à fortiori Interdictũ Terræ erit locale, quia magis propriè nomine Terræ significatur locus, quàm nomine Ciuitatis, villæ, aut Castri, & Glo. ibi Ver. Commune, eodem modo interpretatur de interdicto locali, remittit enim se, quid per commune Terræ interdictum sit intelligendum ad cap. Cum in partibus, de verb. signific. Vbi non agitur nisi de interdicto locali generali, & particulari. & clarius id tradit Abb. in dicto capit. Quod nonnullis, dicens concessum esse priuilegium, vt cum Ecclesiæ alicuius Terræ sint interdictæ, in eis celebrari possit ianuis clausis, & exclusis interdictis. & quod tunc ex priuilegio permittebatur, nunc iure communi conceditur in c. Alma, de sent. excom. lib. 6. Vbi de interdicto locali tractatur.

Quarta conclusio Interdictum personale particulare non infert interdictum locale particulare, neque è contrario interdictum locale particulare infert personale particulare. Prima pars est euidens ex dictis, quoniam sunt diuersa Interdicta, & quando prohibẽtur personæ, non idcirco prohibentur loca, nec è contra. & hac ratio militat, ita si interdictum sit generale, sicut si est particulare. Hinc sequitur à fortiori interdictum personale particulare non inducere interdictum locale generale: nam si interdictum personale etiam generale non inducit interdictum generale locale, vt probatum est, multò minus interdictum personale speciale illud inferre potest. Maior difficultas est in secunda parte, quoniam nonnulli sentiunt interdictum locale particulare inducere personale particulare, saltem quoad substantiam, & effectum, quoniã locus non supponitur Interdicto, nisi propter delictum alicuius personæ. Interdictum enim est pœna grauis, & supponit culpam in aliquo. Quando verò locus interdicitur ob alicuius delictum, ille, cuius culpa impositum fuit Interdictum, neq; ibi, neque alibi potest diuinis interesse, & deliminitur ex dicto cap. Si sententia. *Qui culpabiles non existunt, possunt extra ipsum licitè interesse diuinis*, Ergo à contrario sensu, quod argumentum est validum in iure, qui culpabiles sunt etiam extra locum interdictum non possunt diuinis interesse. Et licèt ibi sit sermo de interdicto generali Ciuitatis, tamen est eadem ratio de particulari suo modo. vnde sequitur interdictum locale particulare semper virtute includere personale particulare, cum ex vi illius semper aliquæ personæ excludantur simpliciter à diuinis in omni loco. & fortiori ratione putant id conuenire interdicto locali generali, est semper virtute contineat personale particulare, non tamen è conuerso.

Sed hoc dictum est contra communem sententiam omnium Doctorum, omnes enim affirmant eandem esse rationem, si comparetur interdictum locale generale ad personale, similiter generale, sicut si fiat collatio particularis cum particulari, ita vt sicut locale generale non infert personale generale, ita sentiẽdum de particulari locali ad particulare personale, quoniã sunt distincta interdicta, & separata, vt vnum non dependeat ab alio, nisi ex mente Superioris inuicem coniungantur. Neque ratio proposita vim habet, falsum enim supponit, quod cum interdicitur locus ob delictum alicuius, ille, cuius culpa Interdictum imponitur, non possit, neque in loco interdicto, neque alibi celebrare, & interesse diuinis. hoc autem nulla ratione persuaderi potest, quoniam licèt quis committat culpam, propter quam meretur interdici ab Ecclesia, tamen quousque non fuerit interdictus, vel ab homine, vel à lege, potest absque pœna interesse diuinis. Idcirco etiam si ob tale delictum locus interdictus fuerit, poterit ille qui causam dedit interdicto, non quidem in loco interdicto, quod neque alijs concessum erit, sed alibi diuina audire, nisi alia de causa excludatur. Neque oppositum deducitur ex cap. Si sententia, quoniam ibi conceditur illis, qui non culpabiles existunt, vt extra locum interdictum diuinis interesse valeant, & nihil asseritur de alijs, qui dederunt causam interdicto, quoniam illi supponuntur personaliter interdicti, vel excommunicati, & cõsequenter impe-

impediti, ne vllibi interesse possint diuinis. Regulariter enim nunquam fertur interdictum in locum ob delictum alicuius,nisi antea delinquens fuerit censura innodatus vel excommunicationis, vel interdicti, & ita exclusus à diuinis, vt constat ex c. 1. de vsur. lib. 6. cap. Felicis in fi de pœn. lib. 6. Vbi prius fertur excommunicatio. Deinde Interdictum locale in Clem. 1. de pœn. Vbi primò fertur anathema in eos, qui personã cuiuscunque Pontificis corporali iniuria afficere audent. Deinde loca ipsorum supponuntur Ecclesiastico interdicto in cap. Vbi periculum, de elect. lib 6. Vbi præscribitur modus seruandus in Ciuitate, vbi contingat fieri electionem Summi Pontificis, & in Dominos, & Rectores, qui contra fecerint, grauissimæ censuræ feruntur, & postea supponitur Ciuitas interdicto; & plura similia habentur in Iure. Non est igitur discedendum ab ipsa conclusione, quod interdictum locale generale, vel speciale per se non habet vim inferendi personale particulare, sicut nec è conuerso personale inducit locale, & est communis sententia. Ita tenet Sylue. Ver. Interdictum 2. §. 8. Vers. Septimum, vbi negat interdicta aliqua Ecclesia esse interdictum eiusdem Ecclesiæ Clerum, & affirmat Clericos Ecclesiæ interdictæ posse licitè in alia Ecclesia celebrare arg. c. Per exemptionem, de priuil. lib. 6. Et contra interdicto Clero alicuius Ecclesiæ non idcirco censeri interdictam Ecclesiam, & ideo in eadem Ecclesia legitimè alios Clericos posse celebrare citat Io. And. in cap. Si sententia, Calder. in Tractatu par. 1. nu. 32. Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. nu. 8. Vers. Sextò, vbi asserit interdicta Cathedrali Ecclesia ipsius Canonicos non censeri interdictos, sed posse extra ipsam Ecclesiam non tantum vt singuli, sed vt Collegium celebrare alta voce, & cum solennitate, citat Card. in cap. vlt. de excess. Prælat. & Paris. Conf. 27 lib. 4. Idem ait Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 167. in fi. Armil. nom. 8. Henriq. c. 42. num. 4. Vers. Quinto.

Quinta, & postrema conclusio, quæ sequitur ex dictis, Interdictum generale personale non includit virtute interdictum particulare locale, neque interdictum particulare locale continet virtute interdictum personale generale. Prima pars conclusionis sequitur manifestè ex tertia conclusione; Nam ibi probatum est interdictum personale generale non inducere locale generale, quia virtute personalis Interdicti nullus locus per se interdicitur, quominus in omni loco personæ non interdictæ valeant celebrare, & audire diuina, ergo nullus locus particularis manet simpliciter interdictus ex vi interdicti personalis generalis.

Dicet aliquis interdictum personæ est interdictum loci, quia ratione personæ interdicitur. prohibetur enim, ne in vllo loco celebrare possit, aut audire diuina, & hoc directè intendit ipse interdicens.

Respondeo negando assumptum, nisi sit Interdictũ, quod vocant deambulatorium, quod continet vtrunque Interdictum, vt monui supra in Cap. 3. & fertur hoc modo: Interdicimus Petrum, & quemcumque locum, vbi ipse fuerit Verùm si tantum est personale per se solum personam prohibet. Vnde si talis interdictus fuerit in loco communi, vt in Ciuitate, non propterea Ciuitas est interdicta; Si autem sit in loco particulari, vt in Ecclesia, sequitur quidem per accidens, vt ipso interdicto præsente celebrari nequeant diuina, sicut tale impedimentum oriretur ex præsentia Excommunicati, non tamen ideo locus vocandus est interdictus, quia illo excluso absque alia relaxatione in eadem Ecclesia sacra peragi poterunt. Secunda pars conclusionis manifestè quoque deducitur ex eadem tertia conclusione. nam si interdictum generale loci non inducit interdictum generale in populo, multo minus propter interdictum particulare loci populus nõ manebit generaliter interdictus; & ratio firma vtriusque est, quia hæc duo interdicta sunt distincta formaliter, & vnum per se non est causa alterius, nisi voluntate proferentis, qui velit vtrunque interdictum coniungere.

DISPVTATIO SECVNDA. DE CESSATIONE A DIVINIS.



PRÆCEDENTI Disputatione, declaraui, quid sit Interdictum, quotuplex sit, & quomodo differat ab alijs Censuris, Excommunicatione scilicet, & Suspensione: Modò antequam pergamus ad alia, quæ discutienda sunt in materia de Interdicto propositum mihi est declarare, quid sit Cessatio à diuinis; Item quid sit violatio, seu pollutio Ecclesiæ, quæ Cessationi assimilatur, vt intelligamus, quomodo hæc differant ab interdicto, & alijs Censuris, & in quibus cõueniant, quæ breuiter expediri possunt, neque indigent longiori sermone, & ideo commodè quæ dicenda sunt de illis, hoc in loco absolui poterunt, postquam proximè explicatum est, quid sit interdictum, & quam communionem, & differentiam habeat ab alijs censuris, sicque sequar ordinem, quem seruaui in Tractatu de Suspensione; Vbi statim explicata eius definitione, & differentia ab alijs Censuris, egimus de Depositione, & Degradatione, quæ cum Suspensione quandam habent cognationem. In hac igitur secunda Disputatione pertractabo de Cessatione à diuinis, quæ vel est species quædam interdicti Ecclesiæ, si censura est, & sub Interdicto comprehẽditur, ne cogamur fateri Censuras plures esse, quàm tres, sicut videtur definitum in c. Quærenti, de verb. signif.

Vel

Vel saltem est valde similis interdicto, vt omnes affirmant, & ad illud reducitur; Itaque de hac Cessatione pertractabo, & explicabo quid sit, quomodo differat ab Interdicto, de causa & effectibus eius, & quomodo tollatur. sicque notiora reddentur, quæ de interdicto hactenus explicata sunt, & deinceps dicentur; Postea sequenti Disputatione Tertia agam de Violatione Ecclesiæ.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex sit Cessatio à diuinis.

Dicitur Cessatio à diuinis, vt ab intelligentia nominis exordiamur, quia eo tempore, quo hæc pœna imponitur, debent cessare Ministri Ecclesiæ à publica celebratione diuinorum officiorum, & Sacramentorum administratione. Hinc desumitur descriptio huius pœnæ. Solent enim illam Doctores ita definire; Est suspensio quædam organorum in locum aliquem imposita. Explicat illam Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. q. 3. art 2. in princ. idest Ministrorum Ecclesiæ silentium, & est Summum argumentum afflictionis Ecclesiæ desumptũ, vt inquit Sot. ex Psal. 137. Sicut enim populus Israeliticus ex alia Patria apud Babilonios à Nabucdonosor captus miserijs plurimis ac grauissimis incommodis angebatur, & ab omni omnino voluptate cessauit, ita Ecclesia cessando à diuinis, quibus eius lætitia, & decor spiritualis; atq; ornatus demonstratur, mæstitiam atque intimum dolorem declarare, & patefacere nititur. Quæ descriptio desumitur ab effectu huius pœnæ, Cessatio enim à diuinis est effectus pœnæ, qua à Superiore coguntur Ministri Ecclesiæ suspendere officia diuina, & administrationem Sacramentorum.

Hæc Cessationis definitio ab omnibus approbatur conueniens in sensu, & in verbis eisdem vel parum varians, Domi. Sot. loco citato, Sylue. Vers. Interdictum 1. §. 5. Vers. Cessatio autem à diuinis, Abb. in cap. Dilectis num. 18. de appella. Innoc. in cap. Irrefragabili §. Cæterum De off. ordin. Franc. in c. Si Canonici eod. tit. lib. 6. Cald. de Eccles. inter. par. 1. nu. 15. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 188. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. nu. 1. Henriquez lib. 13. cap. 52. De excomm. & interdic. Tolet. lib. 1. cap. 56 Instruct. Sacerd.

Hęc definitio colligi potest ex pluribus locis sacrorum Canonum, nempe ex cap. Irrefragabili §. Cæterum, de off. ordin. *Cæterum si Canonici absque manifesta, & rationabili causa cessauerint à diuinis*, c. Si Canonici eod. tit. lib. 6. *Si Canonici à diuinis cessare noluerint*, Vbi Abb. Ver. Cessare, inquit durante cessatione Ecclesiã non esse interdictam, sed eo tempore ministros suspendere organa sua. Idem in cap. Quamuis. Quare cessatio à diuinis, est suspensio organorum diuinæ laudis in locum decreta, vel est quædam omnimoda desistentia à diuinis officijs, & ab administratione quorundam Sacramentorum in locum decreta ritè, & rectè; Vel est silentium Ministrorum Ecclesiæ.

Hoc in loco quæri potest, an Cessatio à diuinis modo prædicto descripta sit propriè censura, Doctores enim diuersimodè loquuntur.

Nauar. in Manua. cap. 27. num. 164. & 188. negat hanc pœnam Cessationis esse propriè censuram, sed est sola omissio officiorum diuinorum. Qua in re distinguit interdictum ab ipsa Cessatione, citat Abb. in cap Dilectis, de appella. qui nu. 18. differentiam ponit inter cessationem à diuinis à sentẽtia interdicti, quod cessatio est quid facti, quia non est aliud, quam suspendere organa Ministrorum, vt in tali loco non debeant celebrare. Interdictum verò est quid Iuris, quia per se supponitur talis locus interdicto, ita vt qui ibi tentat celebrare, quantumuis aduena, & extraneus, incurrit irregularitatem, quia celebrat in loco interdicto, vt in cap. Is qui, de sent. excomm. lib. 6. Secus est, quando Clerici deliberant à diuinis cessare, nam tunc celebrans in illo loco non efficitur irregularis, vt tenent Doctores in cap. Irrefragabili §. Cæterum, de off. ordin. Syl. sequitur Abb. Interdictum 1. §. 5. Vers. Cessatio autem. Contra verò Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. in princ. Cessationem à diuinis appellat Iuris Cẽsuram, Domin. Sot. clarius in 4. sent. dist. 22. quæst. 3. art. 2. in princ. Vers. Est autem opere pretium, Vbi ponens discrimen inter Censuras Ecclesiasticas recenset quinque censuras, & inter eas enumerat cessationem à diuinis. Quod videtur confirmari posse ratione desumpta ex conditionibus ipsius cessationis, quæ cõueniunt veræ censuræ. Est enim pœna spiritualis, & Ecclesiastica, quia priuat Ministrum Ecclesiæ functionibus spiritualibus, idest ne possit celebrare diuina officia, & administrare aliqua Sacramenta, fertur tantummodo à Iudice Ecclesiastico, & imponitur propter contumaciam. vt ab illa recedatur, atque ita est medicinalis pœna, & debet tolli ab ipso Iudice Ecclesiastico, sicut imponitur. Hæ autem conditiones constituunt veram censuram.

Duo ad solutionem propositæ quæstionis probabiliter dici posse censeo. Primum est probabilius esse affirmare Cessationem à diuinis non esse veram censuram distinctam ab Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto. Probatur primò ex cap. Quærenti, de verb. signif. Vbi interrogatus Summus Pontifex de numero Censurarum Ecclesiasticarum respondet esse tres modò enumeratas, ergo apertè declarauit cessationem à diuinis non esse Censuram distinctam; Tunc enim vt minimum essent quatuor, vt fusè probaui in lib. 1. Disp. 1. cap. 2.

Nec valet, si quis responderet ad hoc testimonium Summum Pontificem non negare plures esse species Censurarum, sed solum voluisse referre has tres, quia magis communiter sunt in vsu. Nam contra instatur, tum quia argumentum negatiuum, licèt non sit firmum in Philosophia naturali, in iure tamen est validum, vt ait Nauar in Manua. cap. 27. num. 221. tum quia alias responsio Summi Pontificis esset diminuta,

nec

nec esset ponenda tanquam decretum in Tit. de verb. signif. Vbi declarantur verba secundum suam integram significationem, aliter nunquam posset sumi ex sacris Canonibus firmum argumentum. Similiter nõ valet, quod alij conantur respondere, quòd Summus Pontifex tantum voluit recensere censuras illas, quæ à Iudicibus imponuntur, vt patet ex illis verbis; *Nisi Iudex discretus rerum, & personarum circumstantijs indagatis ferat, quam magis viderit expedire.* Censuræ autem, quæ imponuntur à Iudicibus sunt tantum tres, quoniam Irregularitas nũquam imponitur ab homine, sed tantum à Iure. Verum neque hæc solutio satisfacit, quoniam cessatio à diuinis imponitur ab homine, & tamen non recensetur in illo tex.

Secundò probatur, nam vbi in iure habetur sermo de Censuris, tantum enumerantur tres supraposita, ergo cessatio non est censura distincta ab illis tribus, vt cap. 1. cap. His qui, & c. Statutum, de sent. excommunic. lib. 6.

Tertiò probatur efficaciter, qui violat censuras Ecclesiæ celebrando, incurrit irregularitatem, sed qui transgreditur cessationem à diuinis etiam particularem, non est irregularis, vt ostendit Nauar. cap. 27. nu. 188. & Sylue. Ver. Cessatio à diuinis in fi. Quo argumento probatur etiam contra nonnullos recentiores, quæstionem hanc non esse tantum de nomine, sed etiam de re notabili.

Dico secundò ad quæstionem cessationem à diuinis non esse interdictum neque speciem interdicti. & hæc conclusio est contra aliquos recentiores, qui quamuis sentiant cessationem non esse veram censuram distinctam ab alijs tribus, fatentur tamen esse speciem, & formam quandam Interdicti.

Probatur, Cessatio à diuinis est pura negatio, & desistentia diuinorum officiorum, vt patet ex definitione tradita, ergo non est Censura, & consequenter neque Interdictum. Consequentia probatur, nam quælibet Censura directè, & per se infligitur in pœnam delinquentis, at cessatio per se, & solitariè sumpta, nisi in ea admisceatur Interdictum, non magis respicit delinquentes, quàm reliquos homines, nam officia diuina æqualiter cessant omnibus.

Probatur secũdò Cessatio est quid facti, vt ait Abb. in cap. vlt. Ad hæc De Appell. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 1. Henriquez lib. 13. cap. 52 nu. 1. Et hi Doctores non intendunt solum his verbis significare nullam cessationem à diuinis impositam esse ipso iure pro aliquo crimine, sed cum per omnem censuram inducatur aliqua prohibitio in personam delinquentis, vel in aliquem locum, si fit Interdictum, declarare intendunt Cessationem nullam specialem prohibitionem inducere in ipsum locum, vel in personam delinquentis, sed æqualiter respicere innocentes sicut nocentes, quia immediatè est mera negatio, & interdictum se habet, vt priuatio.

Probatur tertiò, Nam licèt ex rigore iuris antiqui, antequam editum esset c. Alma Mater, cessatio erat valdè similis interdicto, nam tunc non licebat laicis tempore generalis interdicti interesse diuinis. vnde sumebat Clerus occasionem abstinendi à celebratione, & nihilominus erat aliqua differentia. Nam tempore interdicti licitum erat in Ecclesijs Conuentualibus celebrare officia diuina duobus, vel tribus Clericis ministrantibus, quod tamen non permittebatur tempore Cessationis. At post c. Alma Mater magis clara, & manifesta differentia apparet, nam tempore generalis interdicti licitum est in singulis Ecclesijs celebrare officia diuina cum moderatione eiusdem cap. Quod tamen non est permissum tempore Cessationis, vt diximus.

Quare decepti sunt quidam Doctores, vt Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. nu. 7. Vers. Quintò, & alij, quos ipse citat, & Henriq. lib. 13. cap. 52. n. 1. in Annot. dicentes idem esse Cessationem, & interdictum generale. Nam si tempore Cessationis abstinendum est omnino à diuinis officijs, tempore interdicti etiam generalis permittuntur cum illa moderatione c. Alma, ergo non sunt eadem, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 188. Ideo qui habet priuilegium audiendi diuina officia tempore interdicti, non poterit ea audire tempore cessationis, arg. c. Priuilegia 3. dist. & cap. Porrò, & cap. Sanè de Priuileg. Fatetur tamen interdictum generale, & Cessationem æquiparari quoad modificationem dicti c. Alma Mater, & quoad rigorem Clem. 2. de sent. excom. de qua re suo loco tractabimus.

Itaque concludendum est cessationem à diuinis nõ esse interdictum, neque aliam speciem Censuræ, sed simplicem prohibitionem. Plurimum autem differt generalis prohibitio à censura, quia simplex prohibitio non inducit illos proprios effectus iuris, quos inducit Censura, quæ est veluti quoddam vinculum Iuris producens peculiares quosdam effectus ex iuris institutione, vnde Censura inest personæ, & secum illã defert etiam extra Territorium imponentis. Simplex autem prohibitio est quoddam præceptum extrinsecum, quod suis terminis continetur. Vnde talis prohibitio primò, & per se distinguitur à Censura, quoniam non inducit irregularitatem, si violetur, sicut omnis censuræ violatio, vt in simili dicitur de celebratione in Ecclesia polluta per sanguinis effusionis, qui non efficitur irregularis, quia non est censura, sed quędam loci inhabilitas, cuius gratia Ecclesia simpliciter prohibuit, ne in ea celebretur, vt tradit Innoc. in cap. vlt. num. 7. de excess. Prælat. Similes prohibitiones habentur in c. 1. & 2. de iu. patro. Eodem modo si Prælatus simpliciter prohibeat alicui Sacerdoti, ne celebret, vel ne Confessionem audiat, non idcirco dicitur statim illum suspendere censura suspensionis. Vnde quãuis talis Sacerdos contra voluntatem sui superioris celebraret, peccaret quidem, verùm non fieret irregularis. Distinctio igitur est inter censuram, & simplicem prohibitionem, qualis commodè vocari potest Cessatio à diuinis, quæ non est pœna per se ac directè, vt dicebam. nam licèt nunquam ponatur, nisi occasione culpæ, tamen cum æquè comprehendat innocentes, sicut nocentes, magis poni videtur, vt signum afflictionis Ecclesiæ, & vt generale quoddam grauamẽ per modum cuiusdam præcepti impositum, quàm per modum poenæ, quamuis inde etiam resultet aliqua pœna in personas culpabiles. & in hoc etiam consideratur differentia inter cessationem, & interdictum, nam interdictum etiam, si locale sit, semper specialiter ac principaliter afficit personas delinquentes, quæ interdicto causam dederunt. Ideo illæ in omni loco excluduntur à diuinis, nec eis priuilegia suffragantur. At cessatio specialiter non ligat personas, quæ causam dederunt, nec illas excludit vbique à diuinis, quantum est ex se, ergo cessatio non est interdictum neque Censura. & est communis sententia, quam tenent præter Nauar. Abb. & Sylue. supra citatos, Henriquez cap. 52. num. 1. Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 3. nu. 38. Canonistæ in cap. Dilectis, de appella. & in c. Irrefragabili, §. Cæterum, de off. ordin. & in c. Si Canonici eod. tit. lib. 6. Expedita prima parte quæstionis ad secundam

tran-

transeundum est, & quibus modis distinguatur cessatio inuestigandum est.

Vt autem clarius intelligamus, quotuplex sit Cessatio à diuinis, ante omnia animaduertendum est nũquam ferri cessationem directè, & absolutè in personam, sed in loca tantum; Idq; patet, quoniam Iura, & Doctores cessationis localis tantum mentionem faciunt, ergo sentiunt nullam esse cessationem personalem. Ratione quoque id persuaderi potest, quoniam ex vi cessationis nunquam prohibentur personæ vbique celebrare diuina, vt dixi superius, sed tantum in aliquo loco particulari, quem respicit cessatio, vt patet ex vniuersali Ecclesię consuetudine. Accedit, quod si daretur cessatio personalis, iam esset interdictum; Interdictum enim obligat personam, vt vbiq; cesset à diuinis officijs publicis, sed cum probatum sit Cessationem esse impedimentum distinctum ab Interdicto, ergo nulla datur Cessatio, quæ directè, & per se dirigatur in personas, sed solum in locum.

Hinc Doctores distingunt Cessationem in ordine ad locum generalem, & particularem. De generali loquitur Clem. 1. de sent. excomm. vbi Religiosi etiam exempti violantes Interdictum positum per Sedem Apostolicam, vel ordinarium loci, vel generalem cessationem diuinorum factam per Prouinciale Concilium, vel eum, qui hoc potest, seruatam per Ecclesiam Matricem loci, excommunicati sunt ipso facto, & de eadem interpretari possunt cap. Irrefragabili §. Cæterum, de off. ordin. cap. Si Canonici, cap. Quamuis eod. tit. lib. 6. & generalis est, quæ ponitur in loco vniuersali, sicut dictum est de interdicto, vt in Regno, Ciuitate, Terra, Oppido, Villa. aliqui addunt etiam in Parochia, quod probabile est, si intelligatur eo modo, sicut explicaui, de interdicto in Disp. 1. cap. 4. de speciali videtur esse sermo in cap. Dilectis, de appella. vbi dicitur cessatio tãtum imposita in Ecclesia Altisiodorensi, quod potest intelligi de tota Ciuitate, vt aliqui interpretantur, sed magis propriè intelligitur de Ecclesia Matrice, vt explicat Glo. in dicta Clem. 1. Ver. Generalibus, de sent. excom. Quare cessatio specialis dicenda est, quando ponitur in vna, vel pluribus Ecclesijs, sicut dictum est de interdicto. Hanc distinctionem cessationis in generalem, & specialem asserunt omnes Doctores, Sylue. Ver. Cessatio §. 1. Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 2. prope fi. vers. de pœnis autem, Nauar. in Manna. cap. 27. nu. 188. Henriquez lib. 13. cap. 52. circa princ. de excomm. & interdicto, Maiol. lib. 3. cap. 20. nu. 10. de irregular.

Ex his duabus Cessationibus Sylue. inquit Generalem Cessationem æquiparari interdicto, & desumit ex Clem. 1. de sent. excom. non autem particularem. In dicta enim Clem. Summus Pontifex vinculo excommunicationis obstringit Religiosos etiam exemptos violantes Interdicta generalia, vel Cessationes generales, & in hoc consistit hæc comparatio, vt ipsemet se explicat in §. 5. inter interdictum generale, & Cessationem generalem. Vnde Sylue. infert violantem cessationem particularem non incurrere excommunicationem, quia talis Cessatio non æquiparatur Interdicto. Verùm ex dicta non rectè colligitur hæc differentia inter Cessationem generalem, & particularem in ordine ad Interdictum, quia ibi sermo tantum habetur de interdicto generali non speciali; Idcirco solum fit extensio ad cessationem generalem. Verùm si in illo tex. ageretur de interdicto particulari, comparatio facta fuisset suo modo ad Cessationem particularem. Quod probari potest ex eadem Clem. si attendamus A præceptum Summi Pontificis, & Censuram excommunicationis ibi latam. Sicut enim non incurrit illam excommunicationem Religiosus violans particulare interdictum, ita nec violans Cessationem particularem, sicq; particularis cessatio quantum ad hoc æquiparatur Interdicto particulari, quod est valde probabile, sicut cessatio generalis comparatur interdicto generali. Immo in cap. Dilectis, de appell. potius videtur assignari cessatio particularis Interdicto, sic enim dicitur: *Interdictum huiusmodi promulgauit, vt Episcopo in Ciuitate præsente à diuinis in Ecclesia Altisiodorensi cessaretur.* Vbi particularis Cessatio appellatur interdictum, & sæpe in eodem tex. ita appellatur, & tamen patet ex eodem tex. & ex dicta Clem. 1. de B sent. excom fuisse quandam cessationem à diuinis.

Quare inter cessationem generalem, & specialem nulla alia assignari potest differentia, nisi extrinseca tanquam inter rem magis vniuersalem, & minus vniuersalem, quia cessatio generalis includit quidquid continet particularis, & addit aliquid saltem extensiue in ordine ad loca, sed quoad effectus, & personas in nulla re Cessatio generalis distinguitur à particulari.

CAPVT II.

Quibus in rebus Cessatio differat ab Interdicto.

C EX dictis superiori capite non erit admodum difficile declarare differentias, quæ cõsiderari possunt inter cessationem, & interdictum. Et in primis Cessatio à diuinis est quid facti, vt probaui ex Abb. in cap. Ad hæc vlt. c. Dilectis, de appell. Couar. §. 2. nu. 1. Henriquez cap. 52. nu. 1. Sylue. Interdictum 1. §. 5. Innoc. in cap. Irrefragabili num. 4 Vers. Vel dic, de off. ordin. appellat eam interdictum facti, idest cessatio à diuinis est ipsamet desistentia à celebratione diuinorum, & imponitur æqualiter omnibus, neque magis respicit delinquentes, quàm eos, qui nihil mali cõmiserunt, neque afficit locum ipsum, quia non reddit locum interdictum. At interdictum est quid Iuris, & immediatè locum afficit, vt fiat comparatio inter si- D milia, quia cum nulla sit cessatio personalis, vt dixi, non rectè comparatur cum interdicto personali. Item. que ipsum delinquentem immediatè afficit, & prohibet, ne valeat celebrare in loco interdicto, sed Interdictum est vinculum iuris, quod afficit personam immediatè, vel mediante loco, quia persona est alligata tali Censura, vt nequeat absque culpa, & pœna, vel simpliciter vbique celebrare, vel in loco interdicto.

Secundò, Cessatio nunquam imponitur ab ipso iure incurrenda ipso facto, sed tantum permittitur imponi; ideo in nullo casu censetur imposita, nisi ministerio hominis illa imponatur, interdictum & ab homine, & ab ipso iure eo ipso post delictum commissum E incurritur. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 2. Conclus. 1. Sylue. Ver. interdictum 1. §. 5. Henriquez lib. 13. cap. 52. §. 1. Tolet. lib. 1. cap. 56. Couar. cap. 2. §. 2. numero primo.

Tertiò, Cessatio à diuinis post appellationem decreta non fit nulla ipso iure, cum sit quid facti, & in facto consistat, facta verò infecta reddi nequit. Vnde non obstante appellatione nihilominus à diuinis cessatur. At Interdictum, quia iuris effectus producit, nullum est ipso iure, si post appellationem legitimè interpositam decernatur, arg. cap. Ad hæc quoniam, de appel. & c. Is qui §. vlt. de sent. excommun. lib. 6. Abb. in cap.

cap. Dilectis num 21. & Innoc. num. 5 de appell. Gonsalus à Villa Diego, de irregular. cap. De Interdicto ad finem. Couar. tamen in cap. Alma par. 2. §. 2. nu. 1. Vers. Ex quo infert de sent. excomm. lib. 6. non probat omnino hanc differentiam inter Cessationem à diuinis, & interdictum ob eam rationem, nam si facta infecta non possint infecta fieri qnoad factum ipsum, & ideo cessationem à dininis post appellationem executioni traditur, iam induxisse suspentionem illam organorum diuinorum, tamen quo ad iuris effectus cessatio à diuinis per appellationem præcedentem inanem reddi; Quod idem esse ait in Interdicto, immo & in Excommunicatione, quia in his, quæ ad factum pertinent, si executio contingat effectum illas habere inquit post appellationem, & in ijs, quæ ad iuris effectus referri possunt, inanes esse, & nullos. Et addit Couar. hanc esse veram differentiam, quòd cessatio à diuinis nullum, vel paucos induci t iuris effectus; interdictum autem plures, & hoc modo intelligendum esse ait, quod communi consensu post Abb. alij de cessatione adnotarunt.

Quartò Interdictum ita afficit locum, vt qui in eo celebrat in casu, & modo noo concesso incurrat irregularitatem, sed Cessatio non parit hunc effectum. Si enim quis celebrat in loco, in quo à diuinis officijs cessatur, non efficitur irregularis, licèt peccet, violando præceptum Superioris. quæ differentia ab omnibus admittitur quoad cessationem particularem, Syluest. Interdictum 1. §. 5. & Ver. Cessatio §. 5. Vbi ex sententia omnium affirmat, quòd si Cessatio est particularis, Celebrans in tali loco non efficitur irregularis, quamuis esset Ecclesia Matrix, neque Religiosus dictam cessationem non seruans incurrit excommunicationem, Abb. in cap. Dilectis nu. 19. de appell. Innoc. in cap. Irrefragabili nu. 4. Vers. Vel dico, de off. ordin. Vbi loquens de cessatione particularis Ecclesię tenet, quòd Episcopus, vel alius etiam ipse, qui posuit cessationem, si celebret in illa Ecclesia, non fit irregularis, sicut fieret irregularis, si positum esset interdictum iuris, & ibi Host. num. 11. Idem in capit. Dilectis num. 3. Vers. Alij dicunt, de appella. Domi. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 2. prope fi. Vers. De pœnis autem, Henriq. lib. 13. cap. 52. in princ. Vers. Ac proinde, de excomm. & interdicto, B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 26. cap. 3. ante med. Vers. Item cum imponitur, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 3. Vers. Ad quæstionem igitur, Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 3. Vers. Quarto, Greg. de Valentia tom. 4. suarum Disput. disp. 7. quæst. 19. punc. 4. in fi. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 188. Maiol. lib. 3. cap. 20. num. 11. Vers. Hęc autem vera, de irreg. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 56. Vers. Primo, est opinio communis, quam tenet Glo. in cap. Si Canonici Ver. Cessare, de off. ordin. lib. 6. Calder. in Tractatu de Interdicto par. 1. nu. 15.

Fundamentum huius sententiæ est, quoniam irregularitas incurritur tantum in casibus iure expressis, cap. Is qui, de sent. excommun. lib. 6. In iure vero cautum est, vt qui celebrat in loco interdicto, fiat irregularis, vt in eodem cap. Is qui, §. Is verò habetur, ergo qui celebrat in loco non interdicto, licèt in eo decreta sit cessatio à diuinis, non est irregularis; Vnde conueniunt omnes in cessatione particulari, si in loco celebretur, non incurri irregularitatem, & in hoc Cessationem particularem differre ab Interdicto particulari.

Nonnulli tamen ex citatis Auctoribus diuersam rationem esse putant in cessatione generali, censent

A enim celebrantem tempore cessationis generalis fieri irregularem, sicut si celebraret tempore interdicti. Ad id asserendum ducuntur ex Clem. 1. de sent. excomm. Vbi excommunicantur ipso facto Religiosi etiam exempti violantes interdictum positum per Sedem Apostolicam, vel Ordinarium loci, aut generalem cessationem diuinorum factam per Prouinciale Concilium, vel per alium habentem potestatem; Verba textus sunt: *Quod etiam in Interdictis, & Cessationibus à diuinis indictis per Prouinciale Concilium &c. volumus obseruari.* Cum igitur Summus Pōtifex æquiparet cessationem generalem interdicto, quoad violationem vtriusque videtur significare, quòd sicut ob celebrationem tempore interdicti incurritur irregularitas, B ita incurri debeat in celebratione tempore cessationis generalis. Ita tenet Calder. De interdicto par 1. num. 15. ex sententia Io. Andr. in cap. Si Canonici, de off. ordin. lib. 6. Vbi concordando Glosas contrarias inquit propter celebrationem tempore specialis cessationis, quæ seruatur in aliqua Ecclesia, non incurri irregularitatem. & de hac cessatione inquit interpretanda esse cap. Irrefragabili, §. Cæterum, de off ordin. cap. Si Canonici, cap. Quamuis eod. tit. lib. 6. cap. Dilectis, de appell. facit etiam c. Tuarum cum Glo. Ver. Ad reconciliationem, de Priuileg. & ibi clarius Abb. num. 5. At si Cessatio sit generaliter indicta ab habente potestatem ponendi Interdictum, tunc ex celebratione contrahi irregularitatem putat, quia talis cessatio C habet effectum interdicti; ideo in dicta Clement. 1. de sent. excomm. ęquiparatur interdicto, non tamen specialis cessatio. Ad hoc citat cap. Non est vobis, de spons. Vbi Alexander Tertius mandat Episcopo, vt moneat Regem Anglorum, vt restituat filijs suis vxores, quas detinebat contra eorum voluntatem, & si nō restitueret infra terminum ei assignatum, ita subiungit: *Ex tunc in quacunque Prouinciarum vestrarum detinentur, vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla diuina officia præter Baptismum paruulorum, & Pœnitentias morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.* Non erat Terra interdicta, sed tantum suspensa organa generaliter ad tempus, & tamen celebrantes ibi sunt irregulares, vt inquit Glos. margin. Ver. D Donec ibi fuerint, ex sententia Innoc. in dicto c. quia talis cessatio generalis est similis interdicto. Ideo in dicto cap. Non est vobis, permittuntur solum illa Sacramenta, quæ licet administrare tempore interdicti, scilicet Baptismus paruulorum, & pœnitentia decedentium. Eandem sententiam sequitur Anchar. distinguens inter cessationem generalem, & specialem, in cap. Si Canonici, de off. ordin. lib 6. Franc. num. 2 Maiol. lib. 3. cap. 20. num. 11. Vers. Hæc autem de irregul. & citat B. Antoni. in lib. de Censu. & irregul. cap. 89. Idem confirmat in Summa loco supracitato. In eandem partem inclinat Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 3. Vers. Contrarium in hac de sent. excom. lib. 6. E Gonsalus à Villa diego in tractatu de irregul. cap. de interdicto in fi. Ang. Ver. Cessatio in princ. Hi Doctores adhærunt huic opinioni, alij omnes superius citati absque vlla distinctione cessationis vniuersalis, aut particularis censent simpliciter nunquam incurri irregularitatem ob violationem cessationis, quamuis non fiat sine graui culpa. Et hanc opinionem putat veriorem Abb. in cap. Dilectis nu. 19. de appella.

Fundamentum huius sententię est illa celebris Regula iuris in cap. Is qui, de sent. excom. lib. 6. nempe quod nunquam incurratur irregularitas, nisi in casibus in Iure expressis, sed de celebrante tempore cessationis

tionis generalis, vel specialis nullibi habetur in iure expressum, igitur non est asserendum.

Sed objiciet aliquis primò quia de Cessatione generali videtur satis expressum in dicta Clement. 1. de sentent. Excomm. Vbi æquiparatur Cessatio generalis Interdicto, quod fundamentum contrariæ opinionis est.

Respondent Abb. & omnes alij non æquiparari Cessationem generalem interdicto in omnibus, sed quoad pœnam impositam Religiosis etiam exemptis violantibus Interdictum, quæ extenditur ad violantes cessationem generalem. Poena autem ibi imposita transgressoribus non est Irregularitas, sed Excommunicatio, quæ longè diuersa est: Vnde ex dispositione dictæ Clement. 1. Qui celebrat in loco generaliter interdicto, non fit irregularis, sed eo ipso remanet innodatus excommunicatione; Irregularitatem verò incurrit, quia ita decretum est in dicto cap. Is qui de sentent. excommunicat. lib. 6. Quare cum de Cessatione generali nullibi id statutum reperiatur, ex sola illa comparatione Clement. nihil concludi potest. Quòd si dicatur satis esse, si expressum sit in Iure ob celebrationem tempore Interdicti generalis contrahi irregularitatem, vt inserre valeamus hoc idem sentiendum esse de cessatione generali, cum in Iure æquiparetur interdicto; Respondendum est negandam esse consequentiam, quia illa æquiparatio non est in omnibus simpliciter, sed solum quantum ad pœnam excommunicationis, vt dictum est. Non necesse est autem, vt si duo delicta in vna lege habeant aliquam pœnam communem, ideo aliæ poenæ latæ in alijs legibus contra vnum ex illis duobus extendatur ad aliud. Accedit, quòd si sufficeret, vt Irregularitas esset expressa in interdicto generali, vt intelligeretur inclusa Cessatio generalis, pari ratione seruata proportione, cum Cessatio particularis includatur sub Interdicto particulari, ob violationem particularis cessationis contraheretur irregularitas, cum in iure de interdicto hoc sit expressum, cum non possit assignari maior ratio de vna cessatione, quàm de alia, & si generalis includitur sub generali interdicto, particularis comprehenditur sub particulari Interdicto. Quare probabilius est de vtraque Cessatione eodem modo asserere, nempe ob violationem non incurri Irregularitatem, & in hoc differre ab Interdicto, vt tenet communis opinio Doctorum, vt restatur Couar. dicto §. 2. num. 3. Vers. Ad quæstionem.

Quintò differt cessatio ab Interdicto, quia qui habet priuilegium audiendi diuina officia tempore Interdicti, non poterit ea audire tempore cessationis, arg. c. Priuilegia dist. 3. & cap. Porrò, & c. Sanè de priuileg. Neque qui obtinuit priuilegium audiendi diuina tempore cessationis generalis, poterit ea audire tempore specialis, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 188. neque è contra qui potest audire tempore cessationis, ideo haber priuilegium audiendi tempore interdicti, Tolet. lib. 1. cap. 56. Vers. Tertio. de qua re inferius fusius dicam, nam in cessatione celebratur sacrum, vt in interdicto antiquo, vel interdicto speciali, idest semel in hebdomada. Et quantum ad hoc putat Tolet. Cessationem esse Interdictum quoddam speciale.

Sextò non semper necessario, qui potest Cessationem præcipere, potest Interdictum ponere, sed interdum, qui mandat cessationem, nō potest Interdictum ferre, vt notat Glo. in cap. Si Canonici, §. Cessare, de off. ordin. lib. 6. Nam, vt ibi in tex. dicitur, Canonici possunt à diuinis cessare, qui tamen, vt notat Glos. non possunt sine Episcopo interdicere, & priuilegium concessum ad ponendam Cessationem per se non extenditur ad ponendum interdictum, ergo hæc sunt diuersa, & vnum per se sub altero minimè comprehenditur, Toler. dicto cap. quinquagesimo sexto, Vers. Quarto.

Septimò differunt, quia Interdictum locale videtur esse quędam veluti affectio ipsius loci, vt dixi superius, ex qua impedimentum oritur, ne in illo diuina officia celebrari possint, & celebrantes incurrunt irregularitatem, Cessatio verò non est affectio loci, sed simplex prohibitio Ministris loci facta, vt abstineant à celebratione in tali loco.

CAPVT III.

De effectibus Cessationis à diuinis, idest de prohibitione diuinorum officiorum.

Explicatum est, quid sit Cessatio, & quomodo differat ab Interdicto, cum quo magnam habet cognationem, & affinitatē, ita vt aliqui existimauerint esse speciē interdicti, Modò oportet inuestigare, quos effectus pariat, ex quibus declarabitur propius ratio Cessationis. Omnes autem effectus cessationis reducuntur ad priuationem diuinorum, quod & ipsum nomen indicat, vocatur enim cessatio à diuinis. Comprehenduntur autem sub hac voce generali diuinorum tres effectus, scilicet priuatio Missæ, Horarum Canonicarum publica recitatio. Item omnium benedictionum solennium, & cærimoniarum functio, quæ in Ecclesia fiunt. Secundò priuatio Sacramentorum; Tertiò priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ omnes proueniunt quoque ab Interdicto, vt dicam suo loco. de his tribus effectibus distinctè pertractabo; Et in hoc capite agam de primo effectu, idest de priuatione diuinorum officiorum.

Primus itaque effectus cessationis à diuinis, vt nomen ipsum significat, est abstinentia, & priuatio à diuinis officijs, Intelligitur autem de officijs publicis, quæ fiunt nominē Ecclesiæ, non de priuatis, quæ quis nomine proprio recitaret etiam in Ecclesia. Priuatæ enim orationes non prohibentur ex vi huius præcepti, sed tantum publicæ orationes, quæ recitantur à Ministris Ecclesiæ, & hanc ob causam vocatur cessatio Ministrorum, seu organorum Ecclesiæ, vt probatum est. Et animaduertendum est, quòd licèt hæc Cessatio dicatur priuatio Ministrorum Ecclesiæ, non tamen solum præcipitur Ministris, ne celebrent, & recitent diuina officia; sed vetitum quoque est ipsis laicis, ne ea audiant, etiam si in tali loco, cui decreta est cessatio, diuina officia celebrentur à Ministris Ecclesiæ, licèt enim hæc cessatio directè, & principaliter præcipiatur Ministris Ecclesiæ, tamen consequenter, & secundario deriuatur etiam ad Laicos, tanquam ad eos, qui audiunt, nam si prohibetur celebratio, interdicitur etiam celebrationis participatio, quæ est veluti quoddam accessorium ad celebrationem, tum etiam quia illa cessatio simpliciter ponitur pro toto populo, sed significatur specialiter in Ministris, quia ad illos pertinet hoc ministerium, & illis cessantibus oportet alios cessare. Quòd si illi tanquam contumaces, & inobedientes nolint cessare, transgrediuntur præceptum Ecclesiæ, & incurrunt pœnas iuris, & nihilominus Laici tenentur eos vitare in diuinis, & non

interesse officijs, non solum quia debent non consentire, seu cooperari suo modo aliorum peccato, & iniquitati, sed etiam per se, quia ipsi comprehenduntur sub praecepto prohibitionis. Quare si aliquis Sacerdos ex priuilegio celebret tempore Cessationis, alij non gaudentes vllo priuilegio non possunt sacrificio eius interesse, vt constat ex communi consuetudine Ecclesiae.

Animaduertendum est autem, cum dicimus tempore Cessationis prohibita esse officia diuina, quae celebrantur à Clericis tanquam à Ministris Ecclesiae, non esse existimandum sub genere diuinorum officiorum significari horas Canonicas, quae recitantur priuatim à Clericis, & personis Ecclesiasticis ex obligatione, & officio, quo funguntur, vt Ministri Ecclesiae, & eius nomine. Haec enim officia, quae priuatim recitantur à Clericis quoad effectum Cessationis non computantur inter officia publica, & ab obligatione, qua tenentur Clerici ad horas Canonicas non eximuntur per quascunque Censuras, ergo multò minus per cessationem, quae non est Censura.

Quaeret quis, Vtrum tempore cessationis sit licitū Clericis recitare priuatim horas Canonicas cū socio.

Villadiego de irregul. cap. 5. de interdicto nu. 16. Vers. Sed salua correctione, Medina in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 14. tenent id non licere, quia tempore Cessationis nulla diuina officia permittuntur. Accedit, quod ex vi Cessationis non tantum oritur prohibitio recitandi, sed etiam audiendi diuina officia; Ideo quamuis talis prohibitio nō comprehenderet priuatim recitationem, includeret tamen auditionem priuatae recitationis: Nam tempore Cessationis nullus etiam laicus potest audire Sacerdotem priuatim recitantem; Ergo & si non esset vetita recitatio officij cum socio sub ratione recitationis, erit tamen damnata sub nomine auditionis, quia vnus non potest audire socium recitantem; Ideo est haec opinio probabilis. At Henriquez lib. 13. cap. 53. num. 2. in fi. putat hoc esse permissum, quod videtur benignius, quia ita priuatim cum socio solet recitare laicus, nec videtur pertinere ad publicum officium. Quare cum sit inter duos tantum, est recitatio priuata, neque distingui debet auditio à recitatione, quia ex illis duabus personis constituitur velut vnus Minister illius recitationis. Vnde sicut Clericus recitando non prohibetur audire se ipsum, ita neque audire socium; Neque id vllo iure apparet damnatum. Tandem id magis probatur, quia iuris prohibitio ordinatur ad officia Ecclesiastica, quatenus ita publicè fiunt, & sub hoc genere non continetur verè, & propriè illa recitatio quae fit vnico socio.

Sed primò dubitari potest, Vtrum tempore Cessationis generalis permissum sit celebrare illa officia diuina, quae iure antiquo celebrabantur tempore generalis Interdicti, & eo modo, quo tunc celebrantur.

Sciendum est enim iure antiquo in cap. Quod in te, de poenit. & remiss. concessum esse, quod in Ecclesijs Conuentualibus celebrentur officia diuina per duos, aut tres Clericos tantum, non cantando, sed legendo ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis tempore generalis interdicti. Sic enim ibi statuit Innocentius Tertius; *In Conuentualibus Ecclesijs bini & bini, vel simul tres horas canonicas valeant legere, non cantare ianuis clausis, Interdictis, & excommunicatis exclusis, & voce ita demissa, quòd exterius audire non possint &c.* Dubitatur igitur, an haec permissio concessa tempore generalis interdicti, vt possint officia

A diuina recitari cum praedicta moderatione Iuris antiqui, locum habeat etiam tempore Cessationis generalis, vel saltem permittantur diuina officia tempore Cessationis cum illis conditionibus, & clausulis, quae iure nouo à Bonifacio Octauo in cap. Alma Mater, de sent. excommunic. lib. 6. praecipiuntur tempore Interdicti, idest, *Adijcimus praeterea, quòd singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs Missa celebrentur, & alia dicantur diuina officia, sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis, ac Interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis &c.*

In hac difficultate quidam Doctores videntur sentire tempore Cessationis generalis, si sola imponatur, & non coniunctim cum interdicto, licere eadem

B officia, celebrationem Missae, receptionem Sacramentorum, & sepulturam defuncti, quae iure antiquo licebant. Ita videtur sentire Archid. in c. Si Canonici, de off. ordin. lib. 6. Gonsalus à Villadiego, de irregular. cap. De interdicto, Palud. in 4. sentent. distinct. 18. quaest. 8. artic. 3. Vers. Sed verius, Io. And. in dicto cap. Si Canonici, & ibi Domin. Sot. in 4. sentent. distin. 22. quaest. 3. artic. 1. post quartam Conclusionem, cum ait, olim in hac priuatione diuinorum officiorum nullam differentiam fere fuisse inter Cessationem, & interdictum. Conar. qui in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 7. vsq; ad fi. latè disputat hanc quaestionem ad vtranque partem, Vbi vers. Hinc patet, docet decisionem capit. Quod in te, de poenit. & remiss. extendi ad Cessatio-

C nem à diuinis, & Vers. Denique etiam. Tandem concludit veriorem esse opinionem eorum, qui censent priuilegium concessum in capit. Alma cum suis moderationibus tempore interdicti locum habere tempore Cessationis, quamuis oppositum praeualeat, & ita seruetur ex praxi, & vsu Ecclesiae, quia ita fuit consuetudine communi receptum, vt tempore Cessationis generalis sit penitus abstinendum ab officiis diuinis, nec possint ea celebrari etiam iuxta formam dicti cap. Alma Mater, quam consuetudinem inquit non exigere spacium longi temporis, cum ob diuersas de hac quaestione opiniones, tum ex eo, quod per eam ad commune vetus redeamus, argum. Glos. in capit. Statuitur in Ver. Numerandum, de praeben.

D lib. sexto.

Quare Couar. quantum ex dictis eius colligi potest, videtur in hac dubitatione distinguere inter Ius antiquum, & ius nouum cap. Alma, vt concessio Iuris antiqui extendatur ad Cessationem, non autem Iuris noui.

Nonnulli alij Doctores sunt in contraria opinione, vt negent licere Clerico tempore Cessationis recitare horas Canonicas cum alio, sed omnino cessandum esse à diuinis officijs, quia cessatio induxit omnimodam suspensionem diuinorum officiorum; Ita tenet Nauar. in Manua. cap. 27. num. 189. Vers. Roganti verò, Henriquez lib. 13. c. 53. §. 1. Tolet. lib. 1. cap. 56. in princ. Instruct. Sacerd. Ita etiam existimat Congre-

E gatio Doctorum Iuris Pontificij, & Theologorum Vniuersitas quam refert Bart. Medina lib. 1. Instruct. Confess. cap. 11. §. 14. & alij.

Huic quaestioni quibusdam conclusionibus satisfaciam. Prima propositio sit, ex duabus opinionib. propositis negatiua videtur probabilior, & tenenda, nempe tempore cessationis generalis non esse permissam celebrationem diuinorum officiorum, sed ab illis omnino cessandum esse.

Quare dicimus priuilegiū concessum iure antiquo tempore interdicti iuxta formā, & moderationem,

quae

quæ habetur in c. Quod in te, de pœnit. & remiss. non extendi ad Cessationem à diuinis.

Probatur primò hæc Conclusio ex cap. Non est vobis, de sponsal. quod communiter intelligitur de tempore Cessationis, vbi dicitur; *Nulla diuina officia permittatis aliquatenus celebrari*, si simpliciter cum signo vniuersalis negationis prohibentur diuina officia tempore Cessationis, ergo nulla moderatio sufficit, vt licitè celebrentur, neque ex similitudine Interdicti ad Cessationem licet quoad hunc effectum ab Interdicto ad Cessationem inferre, cum in Iure expressè cautum sit, ne vlla diuina officia tempore Cessationis celebrentur.

Secundò pro hac conclusione facit ipsa huius nominis significatio. vocatur enim cessatio à diuinis officijs, & idem declarat eius definitio; Est enim Ministrorum, seu organorum Ecclesiæ silentium, ex quibus colligitur plena negatio diuinorum officiorum tempore cessationis. Hinc distinguitur à prohibitione illa, quæ per interdictum decernitur, quasi Interdictum prohibeat officiorum diuinorum celebrationem pœnis statuti aduersus ea celebrantes. Cessatio verò inducit totalem suspensionem diuinorum officiorum ab Interdicto distinctam, alioquin absq. causa inducta foret nominum diuersitas, si idem per Interdictum, & cessationem significaretur.

Tertiò Io. Andr. in c. Dilectis, de appell. Vbi tex. illum intelligit de cessatione à diuinis, adnotauit non esse permissum tempore cessationis, quòd Episcopus indistinctè celebret, sed seruata certa forma, nempe ianuis clausis, interdictis, & excommunicatis reiectis, c. Quod nonnullis, & c. vlt. de priuileg. lib. 6. Igitur si iuxta mentem Io. Andr. Episcopis iure speciali permittitur celebratio tempore Cessationis, ergo reliquis Clericis id est denegatum.

Quartò hoc idem optimè probari videtur ex cap. Si Canonici §. Si autem, de off. ordin. lib. 6. Vbi ita definitum est, scilicet, *Eum, cuius culpa cessatio interdicta fuerit, teneri Canonicis, & Clericis ad id, quod eorum interfit ex eo, quod omnino cessantes à celebratione diuinorum officiorum distributiones quotidianas amiserint &c.* iuxta cap. vni. de Cleri. non resid. lib. 6. Et decretum Conc. Tridentini sess. 21. de reform. cap. 3. Quod si Canonici, & Clerici tempore cessationis à diuinis possēt diuina officia celebrare, seruata forma c. Alma Mater in §. Adijcimus, de sentent. excomm. lib. 6 profectò distributiones quotidianas lucrarentur, sicut acquisierunt tempore Interdicti, si intersint diuinis officijs conditionibus dicti cap. Alma Mater, sic enim ibi statutum fuit à Bonifacio Octauo, *Et tam Canonici, quàm Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui intersunt horis Canonicis tribuantur, si ad officia non venerint prædicta, distributiones easdem amittant, sicut Interdicto perderent, non extante si diuinis officiis adessent.* Quod si tempore cessationis Canonici acquirerent assistendo diuinis officiis, distributiones consequentur, non teneretur is, cuius culpa cessatio indicta est, Canonicis damna satisfacere, nullum enim detrimentum passi sunt amisisse distributiones, ergo apertè significat non potuisse illas lucrari, quia tali tempore Cessationis officia diuina omnino cessarunt. Hanc rationem affert ad id probandum Couar. dicto §. 4. num. 7. Vers. Tertio, & Henriquez cap. 53. numero 2.

Quintò Iure antiquo in c. Non est vobis, de sponsal. penitus tempore Cassationis celebratio diuinorum officiorum interdicta erat, vt communiter sentiunt ibi Doctores, sic enim habetur in tex. *Ex tunc in quacunque Prouinciarum vestrarum detinentur, vel transferuntur donec ibi fuerint, nulla diuina officia præter baptismum paruulorum, & pœnitentias morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari*, & nullibi huic iuri derogatum reperitur. Nam moderatio illa cap. Quod in te, de pœniten. & remiss. habet locum in interdicto, de quo ibi tractatur, non de Cessatione à diuinis. Et eodem modo de Interdicto tantum non de Cessatione loquitur Ius nouum in cap. Alma Mater. Quare cum illa totalis prohibitio omnium officiorum diuinorum Iuris antiqui in cap Non est vobis, de sponsal. manet firma, & integra absque vlla derogatione, dicendum est tempore Cessationis non posse diuina officia celebrari etiam ianuis clausis, & cum alijs conditionibus, & moderationibus dicti cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. & c. Alma Mater, de sent. excom. lib. 6.

Verùm vt tollatur omnis ambiguitas, dissoluendæ sunt aliquæ rationes, quæ opponi possunt contra dictam conclusionem. Prima ratio est, quoniam cessatio generalis à diuinis, & Interdictum pari iure censentur quoad diuinorum officiorum celebrationem Clem. 1. de sentent. excommunicat. Sed in interdicto generali possunt celebrari diuina officia seruatis illis quatuor conditionibus capit. Alma Mater; Igitur eadem seruata forma celebrari poterunt tempore Cessationis.

Respondeo Cessationem non æquiparari interdicto quoad celebrationem diuinorum officiorum, sed solum quoad pœnam excommunicationis, quæ incurritur per Religiosos ob violationem cessationis eodem modo sicut si violarent interdictum, vt probaui in cap. 2. Ergo ex illa comparatione interdicti cum cessatione à diuinis, vt in dicta Clem. 1. de sent. excom. non potest inferri, vt liceat celebrare officia diuina tempore cessationis eodem modo quo iure permittuntur tempore interdicti, immo potius è contra cum cessatio à diuinis rationem distinctam habeat ab interdicto propter totalem suspensionem organorum Ecclesiasticorum, quam inducit, affirmari debet non esse tempore cessationis permissam illam celebrationem, quæ iure conceditur tempore interdicti, præsertim cum in hac ipsa re discrimen inter Cessationem, & interdictum colligatur ex dicto c. Si Canonici §. Si autem, de off. ordin. lib. 6. vt dixi.

Secundò ratio, propter quam Romanus Pontifex in c. Alma Mater ductus fuit ad præscribendam formam quibusdam adiectis conditionibus, quibus adhibitis celebrarentur diuina officia tempore interdicti, quæ celebratio Iure antiquo vetita erat. Eandem vim habet, & efficaciam ad idem persuadendum tempore cessationis, ergo cogimur fateri constitutionem cap. Alma Mater locum habere non solum tempore interdicti, sed etiam tempore cessationis à diuinis. nam optimè argumentatur à ratione vnius legis ad casum omissum Glo. in Clem. 1. Ver. Eligatur, de elec. Franc. in cap. 1. de temp. ordin. lib. sexto. Ratio autem corrigendi Ius antiquum, & instituendi formam celebrandi officia diuina cum quadruplici moderatione tempore Interdicti fuit, vt tollerentur quamplurima incommoda, quæ frequenter oriebantur ex omnimoda cessatione diuinorum officiorum in detrimentum Religionis ac fidei Catholicæ, & dispendium salutis animarum. Quæ omnia incommoda imminent tempore cessationis à diuinis, si omnino suspendatur celebratio.

Confirmatur eadem ratio, quoniam constitutio etiam correctoria debet extendi, si sit animæ, & spirituali saluti fauorabilis, vt tradit Abb. & alij Doctores in c. Ex tenore qui fi. sint legiti. Glo. in c. Sciant cuncti, in Ver. Alios, de elect. lib. 6. Franc. in 1. limit. 4. de tempo. ordin. eod. lib. At hæc constitutio fauorabilis est animæ, & spirituali saluti, ergo erit extendenda ab Interdicto ad Cessationem. Accedit ad hæc non solum esse æqualem rationem in terminis, de quibus agimus, sed maiorem in Cessatione, quam in Interdicto; Quia Interdictum maiorem obligationem inducit, quia est propriè censura, non sic autem Cessatio, ergo si interdictum est moderatum, magis videtur hoc asserendum de Cessatione.

Respondeo propter paritatem rationis, nēpe quod incommoda illa, quæ recensentur in cap. Alma possint eodem modo contingere tempore cessationis à diuinis, sicut tempore Interdicti non infertur necessariò moderationem in eo textu adhibitam in Interdicto extendendam esse ad Cessationem. Illa enim ratio potuit mouere Summum Pontificem ad comparandam prohibitionem diuinorum officiorum tempore interdicti, minimè verò ad tollendum ab Ecclesia omnino vsum alicuius Cessationis simpliciter à diuinis, præsertim quoniam Ecclesia alijs modis occurrere voluit incommodis narratis in dicto cap. Alma Mater, præscribendo plures, & varias conditiones, & qualitates, quæ necessariò requiruntur ad ponendam Cessationem à diuinis, de quibus tractabo suo loco, ita vt rarò accidat casus illam indicendi. Hinc fit, vt quamuis Interdictum sit maius vinculum intensiuè, quia est vera Censura, ex cuius violatione incurratur Irregularitas; Cessatio tamen licèt non sit Censura, dici potest maior extensiuè, & ideo non admittit moderationem cap. Alma Mater, quæ adhibita fuit Interdicto, eo magis, quia Interdictum frequentius, & facilius fertur, quàm Cessatio, ideo indigebat moderatione.

Hoc autem maximè confirmatur ex praxi, & consuetudine vniuersali Ecclesiæ, semper enim consuetū fuit, vt tempore Cessationis magis silerent diuina officia, quàm tempore Interdicti. Neque moderationes cap. Alma in praxi seruantur in Cessatione à diuinis, quòd si licitè celebrari possent diuina officia cum illis modis, vtique Ministri Ecclesiæ hunc fauorem non neglexissent. & certè assignari potest ratio, propter quam existimandum sit voluisse Summum Pontificem huiusmodi moderationem ad Cessationem extendere, nempe quia alias nihil peculiare adderet Cessatio, quod non operaretur Interdictum; Nam si liceret Ministrum Ecclesiæ tempore Cessationis celebrare diuina officia ianuis clausis, & cum alijs moderationibus cap. Alma Mater, nihil amplius prohiberet Cessatio, quod per Interdictum non esset vetitum, sicque frustra aliquando decerneretur Cessatio, sed satis esset Interdictum ponere; Id verò est contra dispositionem Sacrorum Canonum, & contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ post Interdictum durante contumacia indicere solet generalem Cessationem, non alia ratione, nisi quia Cessatio non permittit, quæ in Interdicto conceduntur.

Secunda Conclusio licitum est tempore cessationis generalis octauo quoque die in qualibet Ecclesia celebrare vnicam Missam cum vno solo Ministro ad renouandam Eucharistiam; Ita sentit Medina in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 14. Sot. in 4. sent. distinc. 22. q. 3. art. 1. Conclus. 4. Henriq. lib. 13. cap. 53. num. 2. & alij, quos ipse citat. qui licèt loquantur de Ecclesia specialiter interdicta, tamen ex paritate rationis extenditur ad tempus Cessationis etiam specialis, vt reuerenter cōseruentur species Eucharistiæ sine periculo corruptionis. Ita fatentur de Cessatione Medina, Sot. & Henriquez, & de tempore Interdicti hoc expressè statutum habetur in c. Permittimus, de sent. excō. *Permittimus Ecclesiarum Ministris semel in Hebdomada tempore Interdicti non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis Missarum solennia celebrare causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.* Huius permissionis duplex causa adducitur à Glo. Ver. Excommunicatis. Altera est sanctitas Eucharistiæ; Altera, & præcipua necessitas decedentium siue Infirmorum. Quæ rationes æquè militant in Cessatione, sicut in Interdicto. Immo Henriquez capit. 53. num. 5. dicit propter eandem rationem id locum habere in cessatione speciali. & quod dixi de vnico Ministro deseruiente Sacerdoti celebranti, verum est ex communi sententia Doctorum, sed Henriquez cap. 53. numero secundo, permittit vnum vel duos Ministros. mouetur auctoritate Sotheris Papæ cap. Hoc quoque de Consecr. distinct. 1. vbi iubet in Missa adesse saltem duos, quibus Sacerdos dicat, Dominus vobiscum, iuxta decretum Sotheris Papæ in cap. Hoc quoque, de Consecr. dist. 1. *Hoc quoque statutum est, vt nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus &c.* Et licet ibi Glos. Ver. Ipse tertius, notet aliquos existimare adhærendo dictæ Constitutioni Sacerdotem celebrare minime posse, nisi duobus assistentibus, tamen ex aliorum sententia vnum sufficere Ministrum putat, argum. capit. Proposuit, De fi. Presby. 7. quæst. prima, cap. Illud. & de Vi. & Honest Cleric. cap. Vt quisque, Immo inquit Glo. posse Sacerdotem solum eantare Missam, vbi aliorum copia non adsit, cap. Quæsiuit, de Verbo. signifi. & loquitur cum Ecclesia, quando in plurali ait: Dominus vobiscum; Orate fratres.

Ex dictis sequitur, quòd nec Clerici, nec Religiosi, si non habeant priuilegium, possint tempore Cessationis audire diuina officia, sicut possunt tempore Interdicti. Sicut enim non possunt celebrari diuina officia tempore Cessationis sine priuilegio, ita neque audiri possunt.

Dubitatur secundo principaliter, Vtrum habens priuilegium celebrandi, vel audiendi diuina officia tempore interdicti possit vti huiusmodi priuilegijs tempore cessationis.

Respondeo, & duo dico; Primum est, si loquamur de priuilegijs specialibus concessis extra ius commune, Nullum priuilegium concessum, vt possint celebrari, vel audiri diuina officia tempore Interdicti, prodest tempore Cessationis ad eosdem effectus. Ita tenet Nauar. in Manua. capite vigesimo septimo, numero centesimo octuagesimo nono. & probat ex cap. Priuilegia distinct. 3. Vbi priuilegia vocantur leges priuatorum, & ex cap. Porrò, de priuleg. ibi; *Sic enim eos volumus priuilegiorum suorum seruare tenorem, quod eorum metas transgredi minimè videantur,* & ibi Glos. Ver. Tenorem, & in cap. Sanè eodem titulo: *Temerarium est, & indignum aliquem sibi sua auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui certa ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere;* Vbi Glo. notat, quod ea, quæ per priuilegium conceduntur, non debent trahi in exemplum, Couar. idem sentit §. 4. n. 7. vers. Nec tamen erit,

Nam

Nam licèt iure communi æquipolleat cessatio à diuinis Interdicto quoad aliqua, non tamen idem est de Iure speciali, & ad hoc citat plures Doctores. Vnde Bulla Cruciatæ, vt inquit Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 2. & lib. 13. de interdicto cap. 53. nu. 3. in Glo. lit. P. & num. 6. quæ concedit facultatem audiendi diuina officia tempore interdicti, non valet pro tempore cessationis. de Priuilegijs ita specialibus nulla est discrepantia, ab omnibus enim facilè admittitur non posse priuilegium concessum tempore Interdicti trahi ad tempus Cessationis.

Sed si loquamur de priuilegijs insertis in ipso corpore iuris, controuersia est inter Doctores. puta si tractetur de priuilegio, quo gaudent Episcopi ad celebranda, & audiẽda diuina tempore interdicti, c. Quod nonnullis, de priuil. & c. vlt. eodem tit. lib. 6. Nam in c. Quod nonnullis Innocentius Tertius permittit Episcopis tempore generalis interdicti, qui non fuerunt culpabiles in interdicto, vt clam celebrare valeant, & hodie hoc non est priuilegium Episcoporum, sed ius commune ex c. Alma Mater, de sent. excomm. lib. 6. idem priuilegium conceditur Episcopis in cap. fin. de priuileg. lib. 6. Vbi Glo. vlt. notat, quòd licèt Episcopi possint celebrare in loco interdicto, non tamen alta voce, & admissis interdictis violãdo interdictum. Huiusmodi est quoque priuilegium concessum Templarijs in cap. Cum & plantare, §. Quod si Templarij, de priuileg. Vbi permittitur Templarijs, & Hospitalarijs semel in anno celebrare in Ecclesia posita in loco interdicto. Idem habetur in cap. Vt priuilegia, Vers. Illud etiam eod. tit. de his inquam priuilegijs, & similibus dubitant Doctores, an talia priuilegia generalia à iure concessa tempore interdicti trahi possint ad Cessationem à diuinis.

Dico igitur secũdò ad propositam dubitationem, quamuis priuilegium sit generale, & à iure communi concessum tempore Interdicti, non potest extendi ad cessationem à diuinis. Quare absolutè, & generaliter de quocunque priuilegio negandum est posse ab Interdicto ad cessationem trahi. Hæc videtur probabilior sententia, Ita sentit Nauar. in Manua. cap. 27. numero 189. vbi absolutè negat hanc extensionem priuilegij; Immo addit priuilegium concessum tempore cessationis generalis non valere in speciali cessatione.

Probatur hæc conclusio, primò quia videtur eadẽ omnium priuilegiorum ratio, nam priuilegium non plus concedit, quàm verba, quibus exprimitur in propria, & iuridica significatione accepta demonstrent. Quod non minus asserendum est in priuilegijs extra ius commune concessis, quàm in ijs, quæ ab ipso iure commune prodeunt. Sed interdictum in iure non significat cessationem, sed sunt longè diuersa, vt probatum est, ergo nullum priuilegium, quod prodest tempore interdicti, suffragatur tempore cessationis, quia priuilegium non extenditur, nec operatur aliud à concessis, Abb. c. Certificani nu. 10. de sepult. Dec. c. 2. de rescript. Secundò huiusmodi priuilegium respectu cessationis multò magis exorbitat à iure communi, quæ dicit totalem prohibitionem diuinorum officiorum, quàm in ordine ad interdictum, ergo nulla ratione debet extẽdi ab interdicto ad cessationem.

Tertiò illa distinctio de speciali, & generali priuilegio inserto in corpore Iuris nihil videtur facere ad probandum, quod primum non possit trahi ab interdicto ad cessationem, & secundum debeat extendi. Hæc enim distinctio nullo nititur fundamento, nam

A priuilegium cuiusuis generis valet tantũ ad ea, quæ tali propria significatione verborum comprehẽduntur.

Negari tamen non potest contrariam opinionem non carere probabilitate, quam tenet Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. nu. 7. Vers. Hinc patet, & citat Io. And. in c. Dilectis, de appell. Henriquez lib. 13. cap. 53. nu. 3. & Tabie. Ver. Interdictum 1. num. 7. §. 7. in fi. Fundamentum huius opinionis est, quia priuilegium Iuris communis est amplè interpretandum. At verò priuilegia particularia, quando sunt contra ius commune, sunt strictè interpretanda; Sed licèt hoc sit verum, tamen lata interpretatio non debet excedere propriam significationem verborum, vt dixi. Verùm Interdictum differt à Cessatione, quę sub interdicto pro-B priè non comprehenditur, sed fortè affirmari potest ex similitudine, quam habet Cessatio cum interdicto in quibusdam posse fieri hanc extensionem, præsertim cum in fauorabilibus soleat admitti extensio, & ampliatio ab vno ad aliud, vbi militat similis ratio.

Verum si quis tueri voluerit hanc opinionem, duo animaduertere debet; Primum est, quod qui voluerit celebrare Missam, & officia diuina munitus priuilegio tempore Cessationis à diuinis debet illa recitare secreto, vt non sint assistẽtes plures, quàm tres & cum moderatione c. Alma Mater, vt notat Henriquez dicto cap. 53. num. 3 Glo. fin. in cap. vlt. de priuileg. lib. 6. Secundum est, quòd dicta opinio intelligenda est de C priuilegijs iuris, quæ præcesserunt cap. Alma Mater; Nam ante hanc Constitutionem cap. Alma Mater eandem fere vim habebat interdictum, ac modò habet Cessatio à diuinis iuxta sententiam Domin. Sot. lib. quarto Sentent. distinct. 22. quæst. 3 artic. primo, Conclus. 4. Vers. Ad hæc, & de natura, & idem sentiunt nonnulli alij, tale est priuilegium Episcopis concessum in dicto cap. Quòd nonnullis de priuileg. Quod si hoc priuilegium locum habere debeat post cap. Alma, non solum requiritur, vt sit insertum in Iure communi, sed etiam vt contineat clausulam, quod tempore strictissimi interdicti concedatur facultas audiendi, vel celebrandi diuina officia, tunc enim militat eadem ratio. Illud autem vocatur strictissimum D interdictum, quando nulla sacramenta administrantur præter ea, quæ sunt simpliciter necessaria, idest baptismus paruulorum, & pœnitentia morientium, sicut seruatur tempore Cessationis, c. Non est vobis, de sponsal. Ita tenet Beatus Antonin. 3. par. titulo 26. cap. 5. §. 1. Vers. de priuilegio fratrum, Vbi refert huiusmodi priuilegia concessa à diuersis Summis Pontificibus Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Minorum, eadem recenset Armilla ver. Interdictum nu. 40. & Henriq. lib. 13. c. 53. nu. 3. in Glo. lit. R. & priuilegia consistebant in hoc, vt tempore strictissimi interdicti duo, vel tres dictorum Ordinum recitare possint officium, & quilibet Sacerdos celebrare Missam cũ duo-E bus, vel tribus Ministris, & eadem fusius concessa fuerũt à Sixto IV. in supplem. fol. 57. Conces. 167. Quæ priuilegia per Concilium Triden. sess. 25. de regular. cap. 12. & cap. fin. putat esse derogata. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 100. sic enim statuit Concilium Tridentinum cap. 12. *Censuræ, & Interdicta, etiam à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata mãdante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur atq; seruentur, dies etiam festi, quos in Diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnib. etiã Regularibus seruẽtur.* Addatur c. vltimum idest 22. Vbi reuocãtur omnia priuilegia cõcessa contra prædicta.

Hæc omnia & singula in superioribus decretis contenta obseruari Sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs &c. & infra, *Non obstantibus eorum omnium, & singulorum priuilegijs, sub quibuscunque formis verborum conceptis, ac Mare Magnum appellatis*, quibus verbis censet Nauar. sublata esse à Regularibus priuilegia contraria iuri communi, quæ in cap. præcedentibus sub eodem tit. de Regularibus iubet Concilium Tridentinum seruari debere, sicut est hoc, quod præcipit in cap. 12. de interdicto seruando.

Illud etiam est notandum, quod spectat quoque ad præsentem dubitationem, vt si alicui concessum sit priuilegium audiendi Missam tempore Cessationis in Oratorio priuato suæ domus virtute talis priuilegij, vnicum tantum sacrum singulis diebus peragi posse iuxta resolutionem Salmaticensis Vniuersitatis cap. decimo.

Sed posset quis meritò obijcere, si tueamur hanc opinionem, quam dixi non esse improbabilem, nimirum priuilegium generale Iuris communis celebrandi diuina officia tempore interdicti extendi ad cessationem à diuinis ante constitutionem cap. Alma Mater. Nam superius definitum est priuilegium iuris cõcessum in cap. Alma Mater, vt tempore Interdicti possint celebrari diuina cum moderatione ibi posita, non extendi ad Cessationem, ergo eadem ratione, si cohærenter ad dicta loqui volumus, cogimur negare priuilegium iuris concessum Episcopis, & Religiosis, de quo diximus, tempore interdicti, non valere tempore Cessationis.

Respondet Couar. in dicto c. Alma par. 2. §. 4. num. 7. Vers. Hinc patet, negando consequentiam, quia est diuersa ratio in vtroque casu, nam hæc priuilegia concessa Episcopis, & Religiosis non extingunnt, neque tollunt cessationem. At per extensionem cap. Alma Mater extinguitur omnino cessatio, ita vt remaneat solum interdictum contra intentionem Ecclesiæ, & Papæ, ideo argumentum non probat.

Dubitatur tertiò, Vtrum priuilegium cap. Alma Mater, vt tempore interdicti possint solenniter celebrari diuina officia quatuor anni festiuitatibus, vigeat tempore Cessationis generalis. Dubitationem facit, quoniam id, quod statuitur in illis quatuor festiuitatibus, non videtur concedi in ordine ad interdictum, sed simpliciter præcipi, veluti per obseruantiam & honorem illarum festiuitatum, Textus sic se habet: *In festiuitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ campanæ pulsentur, & ianuis apertis, alta voce diuina officia solenniter celebrentur*. Est ergo absolutum illud præceptum non coarctatum ad tempus Interdicti, quòd officia diuina non possint illis diebus prohiberi, quare tale præceptũ videtur propriè extendendum ad Cessationem. Nec hoc aduersatur propriæ rationi, & conditioni ipsius Cessationis, quæ dicit totalem prohibitionem diuinorum officiorum, vt probaui, quia solum inde sequetur in illis diebus suspendendam esse Cessationem, quod nullum est inconueniens, neque repugnat vlli iuri; Et ex alia parte est maximè honestum, & decens propter sanctitatem, & excellentiam illorum misteriorum, quę illis diebus ab Ecclesia recoluntur.

In hac difficultate Couar. in c. Alma par 2. §. 5. n. 3. libentius in hanc partem affirmatiuam inclinat, licèt oppositam non improbabilem censeat; Mouetur primò, quoniam cessationi nullo modo derogatur, si in his festiuitatibus diuina officia celebrentur, vt dixi, quoniam talis celebratio breuissima est coarctata ad A hos paucos dies festos tantum, quibus transactis statim remanet vis totalis ipsius Cessationis. Secundò quia videtur eadem prorsus militare ratio in Cessatione sicut in interdicto. Tandem nulla est Constitutio sacrorum Canonum, quæ hanc benignam interpretationem, & cultui sacrarum festiuitatum satis congruentem excludat, idcirco est retinenda.

Hæc sententia, quæ amplectitur partem affirmatiuam, est benigna, & probabilis, si attendatur consuetudo, licèt negatiua sit etiam valde probabilis, si iuris rigorem inspiciamus. Et quidem pro affirmatiua faciunt rationes adductæ, & consuetudo, Nam vt refert Henriquez dicto cap. 53. num. 3. in Glo. Lit. V. qui amplectitur hanc opinionem, ita fuit seruatum Salman- B ticæ anno 1584. in festo Corporis Christi. Neque idcircò derogatur cessationi, nam elapsis illis diebus reassumit suas vires. Quam tamen sententiam non credunt aliqui locum habere in illis festiuitatibus, in quibus Religiosi virtute suorum priuilegiorum peculiarium solent diuina officia celebrare tempore interdicti, quia Constitutio non viget quoad has festiuitates, simulque animaduertendum id est hanc extensionem ad has quatuor festiuitates permissam esse tempore cessationis generalis tantum, non particularis; nam cap. Alma Mater quoad hoc priuilegium de illis quatuor festitiuitatibus non habet locum in interdicto particulari, vt probabo suo loco, ergo multò minus trahi potest ad cessationem particularem.

C Pro parte verò negatiua faciunt ea, quæ hactenus diximus ad probandum moderationes concessas in dicto c. Alma Mater, quoad facultatem celebrandi diuina officia tempore interdicti secreto, voce submissa, exclusis excommunicatis, & interdictis, & ianuis clausis non extendi ad tempus cessationis generalis, nam si priuilegium dicti c. Alma in hac parte non suffragatur tempore Cessationis, non videtur verisimile quoad aliam partem, vbi tractatur de celebratione solenni illis quatuor festiuitatibus tempore interdicti extendẽdam fore ad cessationem. nulla enim ratio persuaderi videtur, vt in eodem cap. in quo expressè agitur tantum de interdicto absque vlla distinctione, & limitatione, altera pars extendatur ad Cessationẽ, D altera verò minimè. nam idem cap. eodem modo est intelligendum in omni parte, si nulla appareat ratio distinctionis, sicut enim in prima parte dicti cap. Alma adhibentur illæ conditiones, quibus celebrari possunt diuina officia tempore interdicti, ita in posteriori recensentur illi dies solenniores anni, quibus impeditur interdictum; Ergo quemadmodum in priori parte sub nomine interdicti non includitur cessatio, ita vt cohærenter loquamur, videtur asserendum minimè etiam in posteriori parte contineri posse. Confirmatur, quoniam verba illa simpliciter, & absolutè prolata in cap. Alma, scilicet, *In festiuitatibus verò &c.* intelligenda sunt secundum subiectam materiam, de qua ibi agitur, idest de tempore interdicti generalis E localis, nam de illo solo proponitur sermo in principio cap. cum dicitur; *Concedimus, quòd tempore interdicti*, & in fine concluditur: *Cætera quæ circa obseruationem Interdictorum*, Ergo alia, quæ dicuntur in medio de eodem interdicto, sunt explicanda. Clausula enim in principio, vel fine refertur ad omnia alia intermedia, ergo sicut non habet locum ille Textus in interdicto particulari Ecclesiæ, quia tractatur tantum de generali, ita non debet extendi ad Cessationem à diuinis, de qua non tractatur, & quæ, vt sæpe dictum est non includitur sub interdicto

interdicto

terdicto generali. Nec similitudo rationis videtur sufficere, quando verba priuilegij propriè accepta non possunt Cessationi accomodari, & sicut assignari potest ratio, propter quod Summus Pontifex iudicauerit expediens moderari vigorem illum interdicti adhibitis quibusdam conditionibus quantum ad celebrationem diuinorum officiorum, & hãc moderationem noluerit extendere ad Cessationem à diuinis, vt ostendi superius, ita propter eandem rationem existimare possumus voluisse quatuor illis anni festiuitatibus suspendere interdictum, potiusquam Cessationem à diuinis; Quamobrem huic opinioni consuetudo tantum videtur obstare, & vbi illa recepta fuerit, poterit in praxi sustineri, cum aliqui Doctores illam admittant.

Dubitatur quarto, vtrum tempore cessationis possint pulsari Campanæ.

Respondeo vnum in hac dubitatione videri posse indubitatum, non posse pulsari campanas tempore cessationis ad diuinum officium, idest vt hoc signo cõuocetur populus ad officium audiendum, & ad hunc finem etiam interdictus est sonus Campanarum tempore Interdicti. Quare sicut tempore cessationis & interdicti ab ipso Iure vetita est celebratio diuinorum officiorum, ita consequenter censetur ab eodem Iure vetita pulsatio Campanarum ad officia diuina.

Secundò dico non esse prohibitum sonum Campanarum ad conuocandum populum Christianum ad alia, quàm ad officia diuina, vt ad Concionem audiẽdam ad celebrandum aduentum Prælati, vel Regis, & ad similia, item potest pulsari campana, cum Eucharistia defertur ad infirmos, dummodo non recitetur officium diuinum. Similiter ad signum salutationis Angelicæ potest pulsari campana, quia non est officiũ diuinum, vt inquit Henriquez dicto cap. 53. n. 3. lit. Q. sed hoc non seruatur in omnibus Ecclesiis, ideo seruanda est consuetudo Ecclesiæ Matricis.

Dubitatur quinto, an per Cessationem à diuinis prohibeantur semper omnia diuina officia, itaut Cessatio semper sit totalis, an verò possit dari cessatio partialis, qua prohibeantur aliqua diuina officia, non omnia, puta si præcipiatur cessatio ab horis Canonicis, non à Missæ sacrificio, vel alio modo, quia officia diuina non videntur ita essentialiter annexa, vt non possint separari, & sicut datur suspensio totalis, & partialis, vt probatum est, & similis distinctio habet locum in interdicto, vt declarabimus, eodem modo videtur accomodanda Cessationi.

Respondeo Cessationem partialem non esse in vsu, sed dari tantum totalem, si loquamur de Cessatione, vt est inducta & præscripta ab ipso Iure communi. Ratio huius dicti est, quoniam ratio talis Cessationis videtur consistere in quadam totali priuatione, vt nomen ipsum indicat, quæ non suscipit magis & minus. Quare cum imponitur Cessatio, præcipitur priuatio omnium officiorum simpliciter, quia Cessatio est verbum absolutum, quod significat silentium omnium officiorum, & in Iure semper exprimitur Cessatio absoluta, & sine limitatione, vt in cap. Si Canonici de off. ordin. lib. 6. in cap. Non est vobis de sponsal. Et quamuis quædam specialis Cessatio videatur descripta in cap. 1. de Iu. Patron. Vbi propter discordiam patronorum pręcipitur Episcopo, vt prohibeat, ne vllo modo in Ecclesia Missarum solennia celebrentur, vbi nulla fit mentio de alijs officiis diuinis, neque de priuatione sacramentorum, & carentia Ecclesiasticæ sepulturæ. Tamen ibi etiam est prohibitio absoluta diuinorum officiorum, vt colligitur ex summa breui, quę ante dictum textum præmittitur, sic enim habet; *Cessatur in Ecclesia à diuinis*, vt patet etiam ex cap. 2. Vbi iubetur Episcopo, si aliter non poterit ad concordiam Patronos reuocare, vt *eiusdem Ecclesiæ claudat ostia*. Non negarem tamen, si ferret Iudex sententiam, qua determinatè præciperet Cessationem limitatam ad aliquod officium tantummodo, vt ad horas Canonicas, vel ad sacrificiũ Missæ, vel alio modo simili, quod talis Cessatio prohiberet solum illud officium, quod esset vetitum in sententia, non alia, quoniam sententia accipit vim à voluntate ferentis, neque extenditur vltra intentionem ipsius Iudicis. Et quamuis nonnulli putent hoc solum conuenire Summo Pontifici, quia est supra omne Ius positiuum, non esse autem id concessum Episcopis, & alijs inferioribus Iudicibus, qui tenentur seruare Ius commune, neque valent formam ab ipso iure præscriptam in ferendis Censuris immutare, tamen crederem ego hoc non excedere ordinariam potestatem Episcopi, & inferioris Iudicis Ordinarij, quoniam nullibi reperitur in Iure ita præscripta talis forma Cessationis totalis, vt sit prohibita Cessatio partialis, nam in locis adductis absolutè imponitur Cessatio ab omnibus officiis, nam damnatur tamen Cessatio partialis ab aliquibus officijs. Verùm talis Cessatio ex communi consuetudine Ecclesiæ non solet decerni, quia moraliter non est necessaria. Cessatio enim poni consueuit post alia omnia remedia adhibita, cum cogitur Prælatus penitus diuina organa recludere, vt Ministri Ecclesiæ penitus sileãt; quòd si satis esset cessare ab aliquo genere diuini officii, non opus est recurrere ad cessationem, cum hunc effectum per impositionem interdicti obtinere possumus. Et hic modus communiter seruari consueuit.

Dubitatur sextò, vtrum habens priuilegium audiendi Missam tempore cessationis, teneatur illam audire.

Respondeo non teneri, quia nemo cogitur vti priuilegio sibi concesso, nam priuilegium non conceditur inuito. Idem est sentiendum tempore interdicti iuxta magis probabilem opinionem. Hinc sequitur, quòd tempore cessationis non tenetur quis progredi ad Ecclesias distantes extra Ciuitatem, in quibus celebratur Missa, nec ad oratoria, in quibus celebratur Missa ob particulare priuilegium; & hæc sint dicta de officiis diuinis.

CAPVT IV.

De secundo effectu Cessationis, hoc est de Sacramentorum priuatione.

PEr cessationem à diuinis significatur priuatio diuinorum, sub quo genere continentur Sacramenta, quæ verè diuina sunt, & sub genere diuinorum officiorum comprehenduntur, vt bene probat Abb. in c. Non est vobis num. 5. de sponsal. ex verbis eiusdem textus in fine. *Nulla diuina officia, præter Baptismum paruulorum, & pœnitentias morientium celebretis.* Si Sacramenta non includerentur sub diuinis officiis, rectè inquit Abb. ab illis non exciperentur Baptismus & pœnitentia. Quare clarum est effectum esse cessationis à diuinis priuare vsu Sacramentorum cum illa exceptione duorum Sacramentorum, nempe Baptismi & pœnitentiæ morientium, vt patet ex dicto cap. Non est vobis de sponsal. Quod secundum Doctores intelligitur de tempore cessationis, vnde tempore

cessa-

cessationis pauciora Sacramenta licent, quàm Iure antiquo essent permissa tempore Interdicti, tantum enim hæc duo Sacramenta conceduntur tempore cessationis. At tempore interdicti iure antiquo plura Sacramenta permittebantur, vt dicam suo loco, sed Iure nouo post cap. Alma, omnia Sacramenta, quæ licent tempore Interdicti permittuntur etiam tempore cessationis. Ita inquit Couar. in cod.c. Alma §. 4. nu.7. Vers. Vtrunque, nam quamuis cap. Alma loquatur de tempore interdicti, nihilominus extenditur ad cessationem in his saltem permissionibus, quæ non pertinent ad celebrationem ordinariam diuinorum officiorum. Idem tenet Nauar. in Manu. cap. 27.n.188. ergo si in rigore Iuris non omnia Sacramenta permissa sunt tempore cessationis, quæ permittebantur Iure antiquo tempore interdicti secundum tamen benignam interpretationem Doctorum ita interpretantium mentem Summi Pontificis dicendū est omnia Sacramenta, quæ iure antiquo licebant tempore interdicti, licere modò tempore generalis cessationis, vt Couar. loco citato, Henriquez lib.13.cap. 53. num.4. Medina in Summa lib.1.cap.11.§.14.

Si quæras, quæ Sacramenta permittebantur Iure antiquo tempore interdicti, respondeo licitè tunc admittebantur Sacramentum Baptismi, Confirmationis cum consueta solennitate, sine qua Ecclesia præcipit, ne administrentur Sacramentum Pœnitentiæ non solum infirmis, sed etiam sanis, & Eucharistiæ saltem infirmis per modum viatici, quia intelligitur nomine pœnitentiæ morientium, vt habetur cap. Quod in te de Pœnit. & remiss. & poterat deferri publicè cum campanula recitando priuatas orationes, non tamen diuinum officium, & in reditu ostendi populo, nam hæc solennitas pertinet ad reuerentiam huius Sacramenti. Tandem celebrabatur Sacramentum Matrimonij, non tamen concedebantur benedictiones nuptiales, quia pertinent ad officium diuinum.

Ex quibus tempore cessationis tantum licebāt Baptismus & pœnitentia, vel etiam Eucharistia Morientibus, vt in dicto cap. Non est vobis, de sponsal. Sed hodie administrantur eadem Sacramenta, sicut tunc tempore interdicti, de quibus nonnulla discutienda erunt.

Et primò dicendum est permissum esse Sacerdotibus tempore cessationis generalis celebrare Missam, & conficere hoc Sacramentum, vt possit renouari, ne corrumpantur species iuxta dispositionem c. Permittimus de sent. excom. idest vt semel in hebdomada celebrari possit, vt renouari possit Sacramentum, & conseruari pro infirmis, sicut fieri potest tempore interdicti, nam eadem necessitas viget durante cessatione. Et hæc permissio celebrandi non præcipitur ita omnino seruanda octauo quoq; die, vt non possit prudenter aliquanto post fieri, dummodo sine vllo periculo corruptionis fiat renouatio Eucharistiæ debito tempore, hoc enim tempus pendet ex qualitate loci, & aliarum circumstantiarum, aliquando renouatio poterit licitè longius differri prudenter, si nullum adsit dubium corruptionis, sed vt aliqua statueretur regula, definitum est in illo cap. Permittimus, vt fiat hæc renouatio semel in hebdomada, & posuit Summus Pōtifex illud verbum, *Permittimus*, quia noluit obligare, vt renouatio Sacramenti non differatur post octo dies, sed solùm voluit approbare illam frequentiam, & prohibere, ne in hebdomada sæpius ad dictum finē conficiatur Sacramentum Eucharistiæ. Quæ dispositio dicti cap. Permittimus, hodie non est necessaria

A tempore interdicti propter priuilegium c. Alma Mater Vers. Adijcimus præterea, quo permittitur, vt singulis diebus in Ecclesijs celebrentur Missæ & diuina officia quibusdam conditionibus & cautelis ibi adhibitis, sed tantum valere potest tempore cessationis, non quia hæc contineatur sub interdicto, de quo in dicto cap. Permittimus expressè tractatur, hoc enim impugnatum est superius, sed propter necessitatem renouādi, & asseruandi Eucharistiam; Sumimus enim determinationem temporis ex illo cap. cum in ordine ad hanc necessitatem similitudo sit inter interdictum & cessationem. Quare ex dicto cap. Permittimus colligimus, quòd si tempore interdicti non cōcedebatur ab ipso iure, vt pro renouatione Eucharistiæ frequentius conficeretur hoc Sacramentum, quam octauo quoque die, non erit licitum hodie tempore cessatio-

B nis ad eundem finem frequentius celebrare, quoniam signum est hoc tempus à iure statutum sufficere, moraliter loquendo ad reuerentiam Sacramenti. Itemq; ex eodem tex. colligere possumus celebrationem illam in qualibet hebdomada esse valde conuenientem & consentaneam, vt decenter renouetur Sacramentū absq; vllo periculo corruptionis. Cum enim hoc tempus renouandi Sacramentum sit arbitrarium, prudenter facimus si limitemus hoc arbitrium, si sequamur constitutionem super hoc alias à Iure definitam.

Potest tamen aliquando contingere casus, vt propter necessitatem facti possit, & debeat Sacerdos celebrare tempore cessationis, non expectato die octauo, puta, si non sit asseruata Eucharistia pro infirmis,

C & quis in extremo mortis articulo seu periculo constitutus, vt nisi consecretur, probabiliter sit decessurus ex hac vita sine viatico. Hæc enim est sufficiens causa peragendi sacrum tempore cessationis, in hoc enim casu vrget præceptum diuinum de communicando in articulo mortis ex vna parte, ex altera verò præceptum positiuum humanum de non celebrando tempore cessationis, ergo illud primum est præferendum; Si dicas illud præceptum diuinum obligare infirmum constitutum in illa necessitate ad communionem, sed non cogere Sacerdotem ad sacrificandum. Respondeo Sacerdotem in eo casu obligari præcepto charitatis subuenire proximo in articulo mortis la-

D boranti præsertim in re adeo necessaria ad vitam spiritualem proximi. Neque est probabile Summū Pontificem voluisse prohibere Sacerdoti, ne sacrificet tēpore cessationis tali necessitate occurrente ad subueniendum proximo. Accedit, quòd si Ecclesia concedit, vt tempore cessationis ministretur viaticum infirmis morientibus, credendum est noluisse prohibere Sacerdotibus facultatem consecrandi, si consecratio necessaria est, vt in articulo mortis constitutus non moriatur sine viatico.

Annotandum tamen est diligenter, quoties tempore cessationis Sacerdoti celebrandum est, vel ad reno-

E uandam Eucharistiam, vel ad communicandum infirmum, sacrum peragendum esse, vt quominus fieri potest, cessatio violetur, ita vt seruetur in omnibus his actibus qui non sunt necessarij ad celebrationem Missæ, quia cum talis celebratio sit exceptio quædam & veluti suspensio aut limitatio cessationis permissa ab Ecclesia ad fines prædictos, debet intelligi limitata aut suspensa solùm in ordine ad illos fines, ideo permittuntur tantum illæ cærimoniæ & solemnitates, quę intrinsecè & essentialiter sunt annexæ ad sacrum peragendum, reliqua verò prohibita remanent. Quare Missa erit celebranda secretò sine conuocatione populi.

puli, & cum alijs circumstantijs positis in dicto cap. Permittimus, & similibus. Hæc de Sacramento Eucharistiæ.

Secundò tempore cessationis permittitur Baptismus paruulorum, & hoc est certum, & hodie definitũ est in cap. Non est vobis in fi. de sponsal. & confirmatur, quia Baptismus infantibus ante vsum rationis est simpliciter necessarius ad salutem non solùm in voto sed in re.

De Baptismo adultorum, an sit permissus tempore cessationis, adest maior dubitandi ratio, tum quia in dicto cap. Non est vobis fit mentio solùm de Baptismo paruulorum tum etiam quia Baptismus non est ita necessarius adultis sicut infantibus.

Probabilior tamen est pars affirmatiua, nempe tẽpore cessationis posse administrari Baptismum non B solum paruulis, sed etiam adultis. Ita sentit Glo. in c. Quoniam Ver. Interdicti in Addit. & vide de sentent. excom. lib. 6. Abb in cap. Non est vobis nu. 8. de sponsal. Et probatur ratione, quoniam si adultus sit in periculo mortis, res videtur indubitata. Nam nõ minus est obligatus Iure diuino ex præcepto ad Baptismum, quam ad Eucharistiam, neque est minus necessarium, quàm sit Sacramentum pœnitentiæ peccatori iam baptizato. Quòd si adultis extra periculum mortis adhuc dandum est hoc Sacramentum, quia semper est necessarium, vt dicitur in dicto cap. Quoniam de sent. excom. lib. 6. Vnde paruulis tempore cessationis simpliciter confertur omni tempore conuenienti, non solùm quando sunt in mortis articulo. Addi quoque & C illud potest ad hoc confirmandum, quòd in dicto cap. Non est vobis de sponsal. non nominatur Baptismus paruulorum, quia solis paruulis eo tempore sit conferendus, sed quia regulariter iuxta communem vsum, & morem Ecclesiæ in pueritia administrari soleat. Tãdem nulla ratio assignari potest, cur potius Baptismus sit administrandus tempore cessationis paruulis, quàm adultis.

Postulabit quis, an tempore cessationis à diuinis Baptismus cum solennitate administrari debeat, vel priuatim, cum enim simpliciter permittatur vsus Baptismi absq; vlla additione, videtur significari Baptismus secundum substantiam, vt necessarius est homini ad salutem, quia cæremoniæ & solennitates adhibentur ex institutione Ecclesiæ ob reuerentiam, & dignitatem huius Sacramenti.

Respondeo permissum esse vsum Baptismi tempore cessationis cum omnibus solennitatibus solitis adhiberi in administratione huius Sacramenti. Ita sentit Abb. in cap. Non est vobis num. 8. de sponsal. Vbi probat permissum esse tempore interdicti confectionem Chrismatis ex eo quod eodem tempore conceditur Baptismus, qui sine Chrismate administrari nõ potest cap. Quoniam de sent. excom. lib. 6. Quod non est verum, nisi de Baptismo solenniter administrato. Præterea conceditur Baptismus simpliciter, ergo eodem modo, quo solet per se administrari, idest non solum quoad ea, quæ sunt de essentia huius Sacramenti, vt producat gratiam & alios effectus proprios ex institutione diuina, sed etiam quantum ad ea, quæ pertinent ad solennem ritum eius, vt sicut decet, conferatur.

Tertio tempore cessationis indultum est, vt Confirmatio conferri possit, de qua nihil in Iure expressum habetur, nam in cap. Quoniam de sent. excom. lib. 6. vbi de Sacramento Confirmationis sermo habetur, non tractatur de cessatione à diuinis, sed de interdicto. Hæc autem diuersa sunt, neque vnum sub altero

A continetur. In priuilegijs autem non licet argumentari ab vno ad aliud ex similitudine rationis, & in c. Non est vobis de sponsal. quòd de cessatione à diuinis communiter intelligitur, tantum nominatur Baptismus paruulorum & pœnitentia morientium, quæ permittuntur tempore cessationis, & huiusmodi priuilegium non extenditur ad Sacramentum Confirmationis. Nihilominus Doctores communiter censent tempore cessationis Sacramentum Confirmationis esse permissum, ita tenent Doctores superius citati, Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 4 nu. 7. Vers. Vtcunque tamen sit, Henriquez lib. 13. cap. 53. nu. 4 Medi. in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 14. Abb. in cap. Non est vobis num. 8. de sponsal. dicens quatuor Sacramenta concedi tempore interdicti, & tertio loco refert cõfectionem Chrismatis intelligens sub hoc nomine Sacramentum Confirmationis, cuius materia est Chrisma, nam alias confectio Chrismatis non est Sacramentũ, & licèt loquantur de tempore interdicti, tamen in fine illius cap. explicat non esse verè & propriè interdictum, sed cessationem à diuinis. Quare licèt concessio Sacramenti Confirmationis non probari auctoritate alicuius Canonis tempore cessationis, neque deduci possit ex concessione facta tempore interdicti in cap. Quoniam de sent. excom. lib. 6. quoniam differt interdictum à cessatione, tamen propter auctoritatem Doctorum ita sentientium, non est recedendum ab hac sententia, & potest huius dicti ratio adduci, quoniam concessio Baptismi videtur extendi ad Confirmationem. Vnde causa concessionis Baptismi tempore interdicti est periculum, quod imminere potest ex dilatione Baptismi, & hoc periculum commune cum confirmatione narratur in cap. Quoniam de sent. excom. lib. 6. quia confirmatio est veluti perfectio quædam, & complementum Baptismi.

Ex quo sequitur, quod sicut tempore interdicti cõcesso Baptismo & Confirmatione infertur concessum esse conficere Chrisma, vt habetur in dicto cap. Quoniam, quia vetus Chrisma non potest assumi ad hunc vsum, & deponitur Sacerdos, qui ex veteri Chrismate vngit baptizatum, nisi in mortis articulo, vt inquit Glo. in dicto cap. Quoniam Ver. Dubium non existit, D ideo licèt die Cœnæ Chrisma conficere, nam concesso principali intelligitur concessum accessorium, ita quoq; affirmandum erit si tempore cessationis à diuinis permittantur Baptismus & Confirmatio, concessam quoque esse consequenter confectionem Chrismatis in die Cœnæ Domini, quia concesso aliquo actu intelliguntur concessa omnia necessaria ad illum consequendum.

Quartò tempore cessationis permittebatur Sacramentum pœnitentiæ morientibus, vt in dicto c. Non est vobis de sponsal. Sed dubitatur, an extra mortis articulum pœnitentia sanis conferri possit, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 7. Vers. Vtcunque tamen sit, quod Couar. probat ex eodem cap. Alma, in quo E licèt tractetur de interdicto, tandem eadem vim habet in cessatione, saltem in his permissionibus, quæ nõ pertinent ad ordinariam diuinorum officiorum celebrationem, & præsertim in hoc, quod pœnitentiæ Sacramentum ministretur sanis, quia solum est quædam Iuris extensio. Idem ait Henriq. lib. 13. nu. 4. & in Annot. lit. Z.

Verùm id, quod tenet Couar. habet difficultatem, nam ex vi Iuris antiqui hoc non licebat tempore cessationis, quod patet ex eo, quia in cap. Alma hoc conceditur tanquam nouum Ius tempore interdicti, ergo multò

multò minus seruabatur Iure antiquo tempore cessationis, vt indicant verba initio dicti cap. Alma, posita. Verùm quoad cessationem Ius antiquum manet integrum sine vlla mutatione, quia cessatio & interdictum in Iure sunt distincta, & disponuntur de interdicto, non intelliguntur disposita de cessatione à diuinis, vt probatum est superius. Et quoad cessationem Ius antiquum innouatum non fuit. Accedit, quod si moderatio Iuris antiqui facta in cap. Alma de celebratione diuinorum officiorum tempore interdicti non extenditur ad cessationem à diuinis, vt probatum est, ob eandem rationem neque hæc extensio facienda erit quoad Sacramentorum administrationem, ergo Sacramentum pœnitentiæ non potest concedi sanis tempore cessationis, sed tantum morientibus.

Quidquid tamen sit ex rigore Iuris, dicendum est, vt monui ex quadam benignitate Iuris etiam non tãtum morientibus Sacramentum pœnitentiæ administrari posse, quia viget hæc consuetudo, quæ toleratur ab Ecclesia, & fundamentum habet super auctoritate Doctorum ita sentientium. Et non deest ratio diuersitatis, quæ afferri possit inter Sacramentum pœnitentiæ & alia diuina officia propter quam priuilegium cap. Alma potius sit extendendum ad Sacramentum pœnitentiæ, quàm ad diuina officia, nempe quoniam Sacramentum pœnitentiæ est magis necessarium ad salutem, quàm diuina officia.

Hæc igitur Sacramenta tẽpore cessationis conferri possunt seruatis cõditionibus & limitationibus declaratis, cetera nullo modo permittuntur, nã ordo, extrema vnctio, & Eucharistia extra viaticũ nõ possunt administrari tempore interdicti, vt explicabimus suo loco, ergo multò minus conferri possunt tempore cessationis à diuinis, Henriquez cap. 53. n. 4. in Annotat. lit. M. Similiter Matrimonium cum solennitate sicut non celebratur tempore interdicti, ita non est administrandum tempore cessationis. De matrimonio verò quoad substantiam, non vt est Sacramentum, sed quatenus contractus an liceat tempore cessationis habet difficultatem eandem sicut de tempore interdicti, quæ discutietur inferius suo loco.

CAPVT V.

De Tertio effectu Cessationis à diuinis, idest de priuatione Ecclesiastica Sepultura.

Tertius effectus cessationis à diuinis est priuare Ecclesiastica sepultura, quamuis cessatio sit sola non coniuncta cum interdicto. Hic effectus desumitur ex cap. Quod in te de pœnit. & Remiss. ibi: *Licèt autem per generale Interdictum denegetur omnibus tam Vnctio, quàm Ecclesiastica sepultura.* Et quamuis de interdicto illud exprimatur, tamen apertè Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 7. Vers. Hinc patet, censet dictum cap. Quod in te, habere locum tempore cessationis, idem tenet Henriq. cap. 53. nom. 4. & videtur idem sentire Aug. Ver. Interdictum 3. nu. 32. Armilla n. 48. Tabien. Interdictum 5. n. 12. §. 11. circa med.

Sed ad maiorem declarationem sciendum est duo considerari posse in Ecclesiastica sepultura, alterum est ipsa depositio cadaueris in locum sacrum, alterum est officium diuinum, quod iuxta piam & religiosam Ecclesiæ consuetudinem recitari solet, quando cadauer hominis Christiani traditur Sepulturæ. Si de hoc secundo loquimur, certũ est tempore cessationis corpora fidelium non esse sepelienda cum recitatione A diuinorum officiorum, & cum alijs ceremoniis Ecclesiasticis & solennitatibus, quæ ex pio Ecclesiæ more seruari solent, quia cessatio absolutè prohibet omnia Ecclesiastica officia cap. Non est vobis de sponsal. Tale est officium Defunctorum, & aliæ preces & psalmi, qui solent decantari, dum funeri alicuius fidelis defuncti operam damus.

Si verò tractemus de secundo, idest de priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ in loco sacro tempore cessationis, aliqui affirmant hoc tempore cessationis vetitum esse, ne corpora fidelium tradantur Ecclesiasticæ sepulturæ, quod confirmant hac ratione, cessatio à diuinis priuat ijs omnibus, quæ denegantur tempore interdicti, sed hoc tempore non permittitur Ecclesiastica sepultura, ergo neq; tempore cessationis erit licitũ concessa.

B Hęc tamen prohibitio tempore interdicti comprehendit tantum Laicos, non Clericos, in dicto c. Quod in te de pœnit. & Remiss. ibi: *Concedimus tamen ex gratia, vt Clerici decedentes, qui tamen seruauerint interdictum, in Cœmeterio Ecclesiæ sine Campanarum pulsatione, cessantibus solennitatibus omnibus cum silentio tumulentur*, ergo Clericis conceditur priuilegium, vt in loco sacro sepeliri possint adhibitis prædictis limitationibus tempore interdicti.

Qua in re duo reuocari possunt in controuersiam. Primum est, qui comprehendantur sub nomine Clericorum. Secundum, an hæc concessio locum habeat solum tempore interdicti, vel extendatur ad cessationem à diuinis, quia in dicto c. Quod in te agitur de in- C terdicto solum.

Quantum ad primum resolutio Academiæ Salmaticensis tenuit hoc priuilegium sepeliendi in loco sacro tempore interdicti competere solis Clericis Presbyteris non alijs Clericis. Verum oppositum sentit Henriquez dicto cap. 53. num. 4. Et eiusdem opinionis videntur, Ang Interdictum 5. num. 32. Armil. nu. 48. Tabie. Interdictum 5. num. 12. §. 11. circa medium, qui asserunt sepulturam Ecclesiasticam eo tempore licitè tradi omnibus Clericis, & dictum cap. Quod in te loquitur indefinitè de Clericis, & voce Clericorum absque exceptione omnes Clerici significantur, ergo non est restringendum ad solos Presbyteros.

D Ego in hac difficultate dico priuilegium Ecclesiasticæ sepulturæ concessum Clericis in dicto cap. Quod in te de pœnit. & remiss. decedentibus tempore interdicti intelligendum esse vniuersaliter, vt comprehendat omnes Clericos etiam sola prima tonsura initiatos, Nam cum tex. vniuersaliter loquatur absque vlla limitatione, & distinctione, vniuersaliter etiam intelligi debet l. de pretio, ff. de Public. Glo. & Bart. l. 3. ff. de off. præsid. c. Si Romanorum dist. 19.

Quantum ad secundum supposito illo fundamento, quod effectus sit cessationis inter alios priuare Ecclesiastica sepultura, putant quidam exceptionem positam de Clericis non habere locum in Cessatione, E quia nullibi ex ipso iure colligitur talis exceptio. Quamobrem tempore cessationis non solum laici, sed etiam Clerici priuati erunt Ecclesiastica sepultura, si coherenter loqui volumus, Quod enim permittitur tempore interdicti c. Quod in te, de pœnit. & remiss. non potest trahi ad Cessationem, cum longè inter se diuersa sint Interdictum, & Cessatio, vt sæpe repetitum fuit.

Verum de prædicto fundamento dubitatur ab aliquibus, an ex rigore Iuris cessationi competat hic effectus priuandi fideles Ecclesiastica sepultura tam Cle-

Clericos, quàm Laicos, accipiendo Ecclesiasticam sepulturam non pro ipso officio diuino, quod celebratur in funere defuncti, de quo dictum est, sed pro ipso loco sacro, in quo corpus more Christiano sepelitur; nam in primis nullum extat ius, quod prohibeat sepulturam tempore cessationis. In cap. enim, Non est vobis, de sponsal. suspenduntur tantum diuina officia tempore cessationis, sed tradere cadauer sepulturæ sacræ simpliciter absque vllo officio, non dicitur officium diuinum, ergo in illo decreto hic effectus non continetur, vnde quando alicui conceditur priuilegiũ assistendi diuinis officijs tempore interdicti, non censetur tradita facultas, vt priuilegiatus sepeliatur in loco sacto, quia sepultura non est diuinum officium, igitur è contra neque cessatio, quæ prohibet diuina officia tantum ex vi huius prohibitionis priuabit Ecclesiastica sepultura, quæ fit sine diuino officio. Secundò principium illud, quod cessatio priuat omnibus rebus sacris, quæ suspenduntur tempore interdicti ex aliqua Iuris auctoritate non desumitur, neque potest fundari in aliqua similitudine. Nam interdictum reddit ipsum quasi inhabilem ad officia & Ecclesiasticam sepulturam, vt superius notatum est, at cessatio à diuinis non afficit locum, sed tantum personas prohibet in ordine ad locum. Quare in cessatione non oritur hic effectus ex qualitate loci, neque etiam ex prohibitione imposita personis, cum illa limitetur ad Ecclesiastica officia, sub quorum numero nõ continetur Ecclesiastica sepultura. Tertio idem probatur ex definitione cessationis tradita in primo cap. quam admittunt omnes Doctores, quæ est quædam priuatio officiorum diuinorum, & Sacramentorum, de Ecclesiastica sepultura nulla fit mentio; & hæc definitio approbatur à Nauar. in Manua. cap 27. num. 188. Sylue. Angel. Tabie. & alijs Ver. Cessatio.

Si obijcias contra hanc postremam rationem, quoniam ex illa sequitur tempore cessationis non esse interdictum Sacramentorum vsum, quoniam Sacramenta distinguntur ab officiis diuinis in cap. Si Ciuitas de sent. excom. lib. 6. & c. Episcoporum de priuil.

Respõdeo, quòd licèt officium diuinum acceptum strictè pro publica oratione, vel munere sacrificandi distinguatur ab vsu Sacramentorum, tamen magis generaliter sumptum etiam secundum propriam significationem, complectitur Ministerium Sacramentorum, quia illud est aliquod officium sacrum & diuinum, & secundum hanc significationem cessatio dicitur priuare officijs diuinis, vt constat ex cap. Non est vobis de sponsal. cum dicit: *Nulla diuina officia præter Baptismum paruulorum & pœnitentias morientiũ &c.* Illa enim particula, *præter*, quæ excipitur à diuinis officijs Baptismus paruulorum & pœnitentia morientium declarat manifestè Sacramẽta hæc duo fuisse comprehensa sub nomine diuinorum officiorum, alias non opus erat illa excipere. Vnde ex opposito Sacramenta, quæ non excipiuntur, continentur sub illa generali prohibitione diuinorum officiorum. Verùm depositio corporis defuncti in loco sacro non comprehenditur sub genere diuinorum officiorum, si excludatur à diuino officio, quod comitari solet illam actionem sepeliendi, sed est tantum opus pietatis & misericordiæ. Quamobrem hoc dictum est satis probabile, si Ius attendamus, vt priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ non sit effectus cessationis, nisi cessatio coniuncta fuerit cum interdicto, nam frequenter coniunguntur, & cessatio non fertur, nisi supposito interdicto, formaliter tamen & directè non erit

A effectus Cessationis, sed interdicti.

Sed nihilominus existimo contrariam sententiam esse valde probabilẽ, sicut tenuit Vniuersitas Salmãticensis, quòd cessatio habeat hunc effectum priuandi Ecclesiastica sepultura. Ita sentit Henriquez dicto cap. 53. num 4. Quamuis Laicus haberet priuilegium sepulturæ pro tempore interdicti, Henriq. eodem num. in Glosa lit. C. Et probari potest hoc dictum ea ratione, quam supra tetigi, quoniam plura sunt, quæ prohibentur tempore cessationis Iure antiquo, quàm tempore interdicti, vt de Sacramentis ostendi paulò ante, si ergo tempore interdicti est vetita Ecclesiastica sepultura, fortiori ratione dicendum erit tempore cessationis denegari; Et ideo cessatio sæpe ponitur post interdictum, vt inquit Nauar. cap. 27. num. 189. B Vers. Roganti, quia infert maiora damna, vt de officiis diuinis notat Nauar. quorum celebratio permissa est tempore interdicti ianuis clausis, non autem tempore cessationis; Et ex hoc principio potuit communis sensus Doctorum supposita consuetudine inferre priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ esse effectum Cessationis, quamuis id in Iure expressum non legatur; & ab hac opinione non recederem, præsertim in eo loco, vbi vigeret tali consuetudo, & ob eandem consuetudinem censeo priuilegium cõcessum Clericis tẽpore interdicti extendi ad cessationem, non solum quoad Sacerdotes, sed quoad omnes Clericos, etiam sola prima tõsura initiatos, si in loco ita vsu receptum C est, quoniam consuetudo interpretata est, quæ sit mẽs Ecclesiæ, & Sum. Pontificis hac in parte. Et hæc conclusio habet locum etiam in cessatione speciali, vt inquit Henriquez cap. 53. num. 5. sicut etiam olim licebat Sepultura Clericis tempore interdicti specialis.

Cum verò dicimus Clericos sepeliri posse tempore cessationis, intelligimus de sepultura tradenda cum silentio absque officio funerali, sic Henriquez cap. 53. num. 4. & alij: Nam etiam post c. Alma Mater, tempore cessationis abstinendum est à diuinis officijs.

Sed postularet quis, an tempore cessationis Clericus possit sepeliri in Ecclesia, an verò tantum permittatur sepultura in Cœmeterio.

Respondeo posse sepeliri in Ecclesia, licèt enim in D cap. Quod in te de pœnit. & Remiss. legatur Sepultura Clericis permissa in *Cœmeterio Ecclesiæ*, tamen ita dicitur, non quia velit prohibere, ne in Ecclesia Clericus sepeliri debeat, sed quoniam eo tempore mos & consuetudo erat, vt fideles non sepelirentur in Ecclesia, sed in Cœmeterio, & solum personæ insignes & illustres in Ecclesia sepeliri consueuerunt. Neque idcirco æquiparatur tempus interdicti & cessationis, quia vt dixi tempore cessationis Clerici non debent sepeliri cum officio funerali, quod permissum erat tempore interdicti.

Quæret etiam quis, an cessatio semper producat hos effectus omnes, Henriquez cap. 53. n. 5. respondet cessationem non necessario semper illos omnes effe- E ctus producere, si imponatur à Papa, quia ipse instituit hanc pœnam, & voluit, vt hos effectus haberet, cum tamen non teneatur seruare hanc Constitutionẽ, ita vt in aliquo casu, si expediens iudicauerit, non valeat vim cessationis coarctare, vt habeat aliquos effectus, non omnes. Secus erit, si decernatur cessatio ab Episcopo, vel ab alio inferiori Prælato, qui cum sint subiecti sacris Constitutionibus Summorum Pontificum, carent potestate immutandi & restringendi rationem huius cessationis, sed tenentur, si velint illam decernere, simpliciter illam ferre, vt est instituta

ab

ab Ecclesia, sicque prolata necessariò parit omnes illos effectus, quos habet ab ipsa institutione.

CAPVT VI.

De causa materiali, & formali cessationis à diuinis, & de pœnis tam iniustè Cessantis, idest absque debita materia, & forma non seruata, quàm præbentis occasionem iustæ Cessationi.

EXplicatis effectibus cessationis, de eius causis discutiendum erit. Et primò agam de causis intrinsecis, idest de causa materiali & formali hoc capite, vt non prætermittam ordinem seruatum in tractatione de excommunicatione & suspensione, & primo loco pertractabimus de materia, deinde de forma seruanda in tradenda cessatione à diuinis.

Quãtum spectat ad materiam, possumus loqui dupliciter, vel de materia, ex qua imponitur cessatio, & est fundamentum cessationis, vel de materia, circa quam versatur cessatio, & de sobiecto eius. Subiectum cessationis est homo in ordine ad locum, in quo diuina fieri prohibentur, vel potius dici potest hominem esse subiectum, locum verò materiam, circa quam quæri potest, an cessatio possit imponi in vniuersum Orbem Christianum, & videtur hoc esse contra Ius diuinum, quo videtur Ecclesia obligari, vt quotidie in aliquo loco offeratur sacrificium, & moraliter loquendo nunquam subesse potest causa adeo vniuersalis & grauis, vt sit digna tali pœna, & non esset expediens talem cessationem imponere, neque vnquam hactenus lata fuit. Si verò de primo genere materiæ agamus, dicendum est talem materiam esse grauem iniuriam & offensam Ecclesiæ illatam, vel alicui personæ Ecclesiasticæ, ad quam propulsandam decernitur cessatio. Ecclesia enim cum aliis Iuris remedijs & censuris vsa est ad corrigendos delinquentes, & ad pœnitentiam reducendos & omnibus tentatis nihil proficit, ipsisq; contumaces in sua ostinatione obsordescunt, & rebelles quotidie magis se declarant, & in deterius prolabuntur, decernit cessationem, vt hoc modo significet doloris sensum, quo intimè pręmitur, vt saltem hac via conetur eos deterrere, & ad pœnitentiam reuocare. Vnde Clemens Quintus in Clem. 1. prope finem de sent. excom. Cessationem appellat vnicum lumen ad repellendas iniurias Ecclesię factas, *quia ipsos hoc vnico lumine ad repellendas iniurias eis factas priuare nolumus, nec debemus*. Ideo ad hunc finem non minus expedit cessatio, quam interdictum & aliæ Ecclesiasticæ censuræ.

Quæret quis, qualis, & quanta debeat esse hæc iniuria & offensa, vt cessatio dicatur legitimè imposita.

Respondeo causam, vt legitime imponatur cessatio, debere esse canonicam, ita dicitur in cap. Si Canonici de off. ordin. lib. 6. Vbi Gregorius Decimus præscribit modum imponendæ cessationis, *Vel causa, quam expresserint, non fuerit inuenta canonica*, vbi Glo. in Ver. Causa, inquit causam debere esse notoriam & rationabilem, & hæ duæ conditiones exprimuntur in cap. Irrefragabili §. Cæterum eod. titul. extra, *Cæterum si Canonici absque manifesta & rationabili causa, maximè in contemptum Episcopi cessauerint à diuinis, Episcopus, si voluerit, nihilominus celebret in Ecclesia Cathedrali*. Quarum conditionum mentio fit etiam in cap. Quamuis de off. ordin. lib. 6. hinc notat Glos. in dicto §. Cæterum Ver. Causa, non posse imponi cessationem pro quacunque leui iniuria, vt pro pensione subtracta, vel si minima fuerit offensa facta, sed propter grauem iniuriam, puta si edita sint statuta contra libertatem Ecclesiasticam, vel impositæ fuerint collectæ & Talliæ Clericis, vel si detineatur Clericus, vel Canonicus per Iudicem secularem, aut ob similes causas, quæ vt inquit Glo. ex sententia Archid. diudicandæ sunt arbitrio boni viri, idest Iudicis, & Glos. in cap. Si Canonici Ver. Iouenta inquit spectare ad Papam cognoscere, an causa sit inuenta canonica. Ratio, cur requiratur causa manifesta, est, quia cessatio est valde publica, & in publicum grauamen Ecclesiæ, & ideo requiritur, vt manifestam contineat causam, quod adeo verum est, vt non possit cõtrariam consuetudine præscribi, quia esset talis consuetudo valde onerosa & perniciosa Ecclesiæ ideo non haberet vim ad obligandum, vt omnes Doctores fatentur iuxta cap. 1. & cap. Cum venerabilis de consuet. simili modo debet esse rationabilis causa, quoniam non pro quacunq; leui offensa debet ferri cessatio, sed pro graui iniuria, vt dictum est, vt causa proportionata pœnæ, ita sentiunt Doctores, Gemin. in cap. Si Canonici §. Scituri num. 5. Vers. Glos. super verbo causa de off. ordin. lib. 6. Anchar. nu. 8. Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 2. conclus. 3. Vers. Quinto requiritur, Sylue. Ver. Cessatio §. 2. Vers. Quintò quod sit manifesta, Henriq. lib. 13. cap. 52. nu. 2. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 56. Vers. Sextò.

Difficultatem tamen aliquam habet, vtrum ita requiratur causa notoria, an verò satis sit, vt per probationem reddatur nota & manifesta, Innoc. & Host. in cap. Irrefragabili de off. ordin. tenent, quòd requiratur causa notoria, vt non indigeat examine & probatione, Archid. dicit sufficere, si sit manifesta ex examine, vt habetur in dicto cap. Si Canonici, & placet Io. And. quem citat Anchar. nu. 8. & Gemin. nu. 6. Sed Innoc. citatus etiam à Gemin. distinguit, vel ille imponit cessationem, cui competit ista facultas ex priuilegio, vel consuetudine, & tunc debet attendi modus cessandi, vel ex notoria causa, aut ex manifesta iuxta consuetudinem & priuilegium, & illud seruetur. Si verò ista facultas prætenditur de iure communi, tunc opinio Archid. est probabilior, quoniam illud spectat ratione iurisdictionis, quam habet, concludendum est igitur causam materialem Cessationis esse aliquod crimen graue, præsertim contra Ecclesiam, & cum contumacia, quod sit notorium seu manifestum, transeamus ad formalem.

Quod spectat ad formam seruandam in imponenda cessatione, illud primo loco præmittendum est, ea omnia, quæ requiruntur necessario in pronuncianda quacunque sententia, ad eius validitatem esse quoq; adhibenda in sententia cessationis, sunt enim communia essentialiter omni sententię etiam censurarum, non quatenus censuræ sunt, sed veluti sententiæ latæ ab habente iurisdictionem contra subditum.

Secundò dicẽdum est valde probabile videri, quod consuetudine etiam receptum est solẽnitates pręscriptas in cap. 1. de sent. excom. lib. 6. quæ pertinent ad formam accidentalem esse adhibendas in decernenda cessatione, licèt enim cessatio non sit censura, vt probatum est, & dictæ conditiones cap. 1. de sent. excom. lib. 6. describantur pro forma sententiæ excommunicationis & extendantur ad suspensionem & interdictum, tamen valde rationi consentaneum videtur, vt non omittantur in cessatione, tum propter similitudinem rationis, quæ initio dicti cap. 1. de sent. excom. lib. 6. assignatur illis verbis, *Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis*, quæ ratio militat etiam

etiam in cessatione, quæ imponitur, vt inobediens recedat à contumacia, tum etiam quoniam Prælatus adhibendo huiusmodi conditiones, maiori maturitate ea considerare potest, quæ animaduertenda sunt, vt cessatio, quæ grauissima est pœna, & sæpe post alias censuras fertur, legitimè & canonicè imponatur.

Quòd verò ad verba, quibus cessatio exprimi debet, dicendū est nulla esse præfixa certa & determinata verba sicut de alijs censuris probatum est, sed sufficiunt quæcunq; verba, quę sufficienter declarēt mētem Superioris mandantis, vt in Ciuitate, Villa, aut Castro, vel alio loco sileant omnia diuina officia. Solent autem Iudices communiter vti simili forma verborum, sicut in ferendo interdictum, puta: Nos ob talem causam hanc Ciuitatem vel Terram, aut Ecclesiā, vel locum à diuinis officijs cessare præcipimus. Et ante quam pronuncietur sententia, debet moneri ille, cuius gratia imponitur cessatio, vt constare possit, vtrum à contumacia recedere velit. Et hæc de forma.

Sed vt clariora hæc reddantur, explicandæ sunt decem cōditiones, quas colligunt omnes Doctores paulo ante citati ex c. Si Canonici, & ex c. Quamuis de off. ordin. lib. 6. quæ requiruntur in imponenda cessatione, vt sit iusta & valida, illæ autem institutæ fuerūt à Summo Pontifice, vt dicitur in c. Quamuis de off. ordin. lib. 6. *Quamuis super cessationibus &c. manifestā satis à fel. rec. Innocentio Tertio & Gregorio X. manauerint instituta, quia tamen post illa est plerunq; compertum cessationes easdem irrationabiliter esse factas, nos ad tā perniciosum euitandum absurdum, eadem statuta cum infrascripta moderatione in suo volentes robore perdurare &c.* quoniam cessatio est grauis pœna, & infert mala & incommoda multa, vt legitimè pronuncietur.

Prima conditio est, vt antequam cessatio præcipiatur; causa cessationis in Instrumento publico, seu alia scriptura authentica, nempe per scripturam à Tabellione publico confectam, vel per literas patentes authenticas sigillo munitas, significetur. Hæc conditio desumitur ex cap. Si Canonici in princ. *Si Canonici etc. antequam ad cessationem huiusmodi quoquomodo procedant, in Instrumento publico, vel patentibus literis sigillorum suorum, aut alterius authentici munimine roboratas cessationes ipsius causas exprimant, & illud vel illas ei, contra quem cessare intendunt, assignent.*

Secunda cōditio, quæ colligitur ex posteriori clausula relata dicti c. Si Canonici, & est, vt huiusmodi Instrumentum, vel literæ patentes tradantur ei, contra quem cessatio intenditur. Quantum spectat ad has duas conditiones illud aduotari potest, illas conuenire omni cessationi à quocunq; Iudice feratur, & sunt similes illis, quæ præscribuntur seruandæ in censuris ferendis cap. 1. de sent. excom. lib. 6 Et ideo sunt seruādæ etiam ab Ordinarijs Iudicibus decernentibus cessationē. Non videntur tamen hæ conditiones ita essētiales, vt si prætermittantur, sententia reddatur nulla, sed tantum erit iniusta, nullum enim legitur verbum in eod. c. Si Canonici, quod declaret ob defectum harum conditionū sententiam esse irritam, sed solū esse iniustè latam, & Iudicem incurrere pœnam ibi descriptam, ibi: *Scituri quod si hoc prætermisso cessauerint &c.*

Tertia conditio, vt ille, qui imponit cessationē, habeat iurisdictionem à Iure, vel ea cōsuetudine, aut priuilegio imponendi huiusmodi cessationem in illum locum ex eod. c. Si Canonici, *Si Canonici à diuinis cessare voluerint, prout in Ecclesiis aliquibus sibi ex consuetudine vel aliàs vendicant.*

Quarta conditio ex eod. c. Si Canonici, *Vel causam quam expresserint, nō fuerit inuenta canonica*, idest vt superius declaraui, quòd causa sit rationabilis, & iusta, & proportionata tantis incommodis, quæ affert cessatio, & euidenter pateat non tantum probabiliter, quòd talis sit, hoc est rationabilis, vt Sylue. Sot. Henriq. & alij superius citati affirmant ex cap. Irrefragabili §. Cæterum de off. ordin. & ex Glo. in cap. Quamuis Ver. Irrationabiliter eod. tit. lib. 6. Quare sub illis verbis duæ includuntur conditiones, idest, vt causa sit rationabilis, & est quarta, & quòd euidenter patet, & erit quinta conditio, quam Henriquez lib. 13. cap. 52. n. 1. in Glo. lit. S, putat non esse necessariam, quando Episcopus cessat, sed oppositum videtur probabilius, nam si requiritur in Capitulo vt consuetudo contraria non suffragetur, vt dixi, quia esset in grauamen Ecclesiæ, ergo etiam requiritur in Episcopo.

Sexta conditio, vt ille, contra quem imponitur cessatio, moneatur, & requiratur, an velit ante cessationem emendare offensam, & illam compēsare, & si fuerit paratus obedire, non est decernenda cessatio, hæc conditio ponitur in dicto c. Quamuis de off. ordi. lib. 6. *Ac Episcopo alioue quocunq; &c.* Hæc monitio faciēda est, vt habetur in eod. c. Quamuis, postquā omnes de Capitulo fuerint vocati & deliberauerint esse cessandum, quæ sunt etiā conditiones necessariæ, de quibus dicā. Meritò autem ita dispositū fuit, vt admonitio maiori auctoritate, & consequenter cum maiori fructu fiat. Quæ admonitio si induceat personā sic admonitam ad correctionem vel debitam satisfactionē, aut si ab ipsis capitularibus proueniat, quominus illa emendetur, cessatio ferri non potest. Finis enim monitionis est emendatio; & hæc conditio locum habet in omni Prælato & Iudice pronunciante cessationē, qua in re similis est omni censuræ, vt censura est, cuius finis est, vt recedatur à contumacia, & consequenter, vt præuiam monitionem requirat. Et necessaria est, vt sufficiens monitio præcedat ante cessationē simpliciter ad eius validitatē, sicut in omni censura, vt probatū est suis locis. Si verò omittatur tēpus & modus pręscriptus in d. c. Quāuis ad hanc monitionē faciendā, non redditur nulla cessatio, dūmodo facta fuerit sufficiēs monitio, sed erit cessatio non rectè & legitimè lata, & ipse Iudex subiicietur pęnis in dicto c. expressis.

Septima conditio, vt ad cessationē imponendā vocentur omnes Canonici etiam absentes, vt tractare possint de ipsa cessatione, sicut vocarentur ad electionem faciendam ex eodem c. Quamuis, ibi: *Districtius inhibemus &c. ne cessationes ipsæ, nisi vocatis omnibus, prout sunt pro electionis negocio euocandi &c.* Vbi Glos. Ver. Euocandi, notat in his vocationibus standum esse consuetudini c. Cum inter vniuersas, & c. Bonæ 2. de elect. non solum quoad distantiam loci, vnde sunt vocandi, sed etiam, an sint vocandi absentes, necne, c. Cum in Ecclesiis de præb. lib. 6. Quare si in aliqua Ecclesia esset consuetudo, vt non vocarentur absentes ad electionem faciendā, censet Glo. neq; ad cessationem debere vocari, quod indicant illa verba, *prout sunt pro electionis negotio vocādi* Ex quibus verbis colligit quoque Glosa in alijs tractatibus Ecclesiarum quàm in electionibus non debere vocari absentes. Hanc Glosam limitat Lapus, & Abb. vt refert Gemin. in d. cap. Quamuis, si talis consuetudo vigebat ante hanc constitutionem, secus si incepisset postea, quia tunc valeret pro electione, non autem pro cessatione. Et hæc conditio erit necessaria ad validitatem cessationis eo modo, quo ex Iure vel ex consuetudine ad electionem fuerit requisita.

Octaua conditio, vt poſtquam fuerint conoocati omnes Canonici, diligenter deliberent, an ſit ceſſatio ferenda, vt patet ex eodem cap. Quamuis, *& delibera-tione habita diligenti*, præcipit Summus Pontifex, vt de cauſa ceſſandi maturè & diligenter tractetur ab ipſis Canonicis, qui ſunt ceſſaturi, vbi Glo. Ver. Delibera-tione, inquit præcedere debere in hac ceſsatione tra-ctatum, ſicut io alienatione perpetua terum immo-biliom Eccleſiæ, cap. Dudum de reb. Eccleſ. non alie-nan. lib. 6.

Sylue. Ang. & Hoſt. locis citatis hanc conditionem diſtinguunt in duas, nempe vt tractetur de cauſa ceſ-ſationis, an conueniat ceſsare, & hæc ſit vna conditio; Altera & erit nona, vt ſuper ipſa ceſsatione delibere-tur per ſuffragia, & hæc deliberatio fiat à maiori par-te, ideſt maior pars Caoonicorum debet conuenire pro ceſsatione facienda, quod probat Domin. Sot. quia hæc actio in Textu æquiparatur electioni, quæ fit à Capitulo, quæ, vt valida ſit Iure ordinario, debet à maiori parte Capituli fieri ex cap. Coram de elect.

Tres poſteriores cõditiones, ſcilicet ſeptima, octa-ua, & nona non habent locum io ceſsatione, quæ fer-tur ab Epiſcopo, vel alio Iudice Ordinario, nam cum in eo caſu ſententia feratur ab vna perſona tantum, ooa requiritur conuocatio vel conſultatio plurium, ſed tantũ ſunt neceſsariæ Capitulo, ſiue Capitulũ im-ponat ceſsationem ex cõſuetudine, ſiue priuilegio, & quamuis aliquis exiſtimare poſſit, ſi attendatur tex-tus, non eſse neceſſarias has tres conditiones, quando Capitulũ Sede vacante ceſſat, quia Glo. in cap. Si Ca-nonici, explicans verbũ illud *Ex conſuetudine, vel alias*, Ver. Alias, dicit, ideſt ex priuilegio, vel conceſſione Epiſcopi, aut ex conſtitutione Synodali, tamen oppo-ſitum ſeruatur, quia iuriſdictio tunc eſt diuiſa in om-nibus Canonicis, tũ etiam quoniam per illã particulã, *Vel alias*, poteſt comprehendi quilibet modus haben-di iuriſdictionem. Quòd ſi Sede vacaote conſtitutus fuerit per Capitulum Vicarius ad exercendam iuriſ-dictionem iuxta decretum Concilij Tridentini ſeſs. 24. de reform. cap. 16. ipſe ſolus Vicarius non ſerua-tis his conditionibus poterit imponere ceſsationem, ſicut poſset Vicarius Epiſcopi.

Dubitabit quis, verũ iſtæ tres conditiones ſiot ne-ceſsariæ, quando Capitulum ceſsat ad mandatum Su-perioris.

Reſpondetur, ſi tale mandatum oriatur ex decreto Concilij Prouincialis, non eſse neceſsarias illas con-ditiones, vt patet ex Cle. 1. de ſent. excom. Si verò mã-datum ſit hominis, vt Epiſcopi mandantis Capitulo, vt inducat ceſsationem, conditiones illæ ſunt neceſsa-riæ, quia mandatum Epiſcopi intelligitur ſeruato mã-datɔ Papæ. At verò ſi Epiſcopus præcipiat, quòd Ca-nonici ſeruent ceſsationẽ ab ipſo Epiſcopo impoſitã, non ſunt oeceſsariæ illæ cõditiones, nã c. Quamuis lo-quitur, quando Capitulum fert ceſsationẽ, & cum ſit pœnale, nõ eſt extendendũ, ita ſentiunt Gemin. Anch. & Franc. in d. c. Quãuis, & citant Archid. & Io. Andr.

Decima & poſtrema conditio ſeruãda in ceſsatio-ne eſt, vt poſt ceſsationẽ poſitã, niſi partes infra men-ſem ad concordiam venerint, & ceſsatio ceſſet, teneã-tur, tum quia ceſsationem ponunt, quam illi, quorum cauſa ponitur, per ſe vel per procuratores idoneos cũ munimentis & actis ad negocium ipſom ſpectantibus ad Sedẽ Apoſtolicam accedere, vt quid agendum ſit, ab illa declaretur. Sic definitum fuit in d. c. Quamuis, & hæc conditio locũ habet poſt decretã ceſsationem. Poſita igitur ceſsatione, vtraq; pars, ſcilicet ceſsans, **A** & ille contra quẽ ceſsatur, niſi inuicem ſe componãt, debeot iter arripere per ſe ipſos, vel per procuratores ad Sedem Apoſtolicam, & ſe præſentare Summo Pon-tifici, vt cognita cauſa remedium adhibeat.

Sed circa hanc conditionem nonnulla ſunt ponde-randa. Primum eſt concedi dilationem vnius menſis poſita ceſſatione ad iter arripiendum, vt cõmodè pa-rare poſſint omnia neceſſaria pro itioere conficiẽdo; poſtea habent tempus arbitrarium ad præſentandum ſe aſpectui Summi Pootificis, vt ootat Glo. Ver. Iter arripiant.

Poſtulabit quis, an tranſacto menſe adhoc teneãtur iter arripere, reſpondet Glo. eod. Ver. Iter arripiant, tranſacto etiã menſe ſemper manere obligatos ad iter conficiendum, ita Archid. c. Cum dilecti de dolo, & **B** contum. & Hoſt. notauit in cap. Cum medicinalis de ſent. excom. lib. 6. Sed nihilominus ex quo nõ arripue-runt iter infra menſem, ſubijciontur pęnis debitis, nec expectari debet tempus arbitrarium, ſicut in caſu c. Cupientes de elect. lib. 6. Ita ſentit Gemin. in dicto c. Quamuis, §. Si autem nu. 3. de off. ordin. lib. 6.

Secundò notandũ eſt ex Glo. Ver. Cõtinuatis, quòd cum in tex. dicitur, quòd ipſæ partes infra menſem de-beant ſe exponere itineri, & ſuſcepto itinere, *continua-tis diebus quam cito commodè poterint, ſe Apoſtolico con-ſpectui repreſentent*, nõ propterea teneri omni die pro-ficiſci, & nunquam poſſe quieſcere, nec ceſſare aliquo die ab itinere, ſed hoc eſt intelligendum moraliter, **C** ideſt vt non interponatur interuallũ notabile diuer-tẽdo ab itinere, aliod agendo principali intẽtione, ſed quamuis intercedat aliquod ioteruallum naturę ne-ceſſariũ, dicitur continuũ c. Si tibi de conſecr. diſt. 5. Anchar. in c. Quãuis n. 2. Gemin. ibi §. Si autem n. 3. in fi. Franc. n. 2. idq; probat Glo. Ver. Cõtinuatis ex ver. tex. *Quãcito cõmodè potuerint &c.* Illud. n. dicitur poſſe, quod quis de iure & cõmodè poteſt c. Faciat 22. q. 2.

Tertiò notandum eſt, quòd etiam tranſacto menſe, & poſt ſuſceptum iter ad Summum Pontificem, ſi par-tes inter ſe conueniant, poteſt tolli ceſſatio, antequam per Sedem Apoſtolicam tollatur, licèt aliqui oppoſi-tum crediderint, quia iam cauſa videtur deuoluta ad Summum Pontificem, cum io Tex. concedatur tan-**D** tum tempus vnius menſis, vt concordia fiat inter par-tes, & ceſſatio tollatur, tamen probabilior eſt contra-ria opinio, quam tenuit Domin. Sot. in 4. ſent. diſt. 22. q. 3. art. 2. dicens quocunque tempore poſſe fieri con-cordiam & tolli ceſſationem, nam intentio Papæ in dicto cap. Quamuis, fuit prouidere bono Eccleſiæ au-ferendo ceſſationem, etiamſi partes inter ſe non con-uenirent, ergo mens ipſius fuit, vt io quocunq; tem-pore partes ad concordiam conuenirent, tolleretur ceſſatio. Accedit, quòd ceſſatio poteſt auferri ab eo, à quo eſt impoſita, etiam ſi cauſa perſeueret, vt proba-tum eſt de alijs cenſuris. Neque in dicto c. Quam-uis legitur aliquod verbum, ex quo poſſit colligi ta-**E** lis reſeruatio Papæ tranſacto menſe, vnde permitti-tur, vt poſſit tractari, & deliberari de concordia fa-cienda. Et quoties hic finis per ſe intentus obtine-tur, non eſt opus vlterius proſequi iter ad Sedẽ Apo-ſtolicam, & idem voluit Sylue. Ver. Ceſſatio, dicens re-currendum eſſe poſt menſem ad Sedem Apoſtolicam, vt diſcutiatur, quid ſit agendum ſuper ceſſatione, niſi interim per mutuam concordiam ceſſet ceſſatio.

Quartò notandũ eſt, quòd etiam ſi ceſsatio ſit iuſte lata, & omnibus cõditionibus ſeruatis poſita, ſi pars, quæ illam ponit non ſeruauerit vltimam conditionẽ, ideſt ſi pars ceſsans infra menſem non arripiat iter

ad Sum-

ad Summum Pontificem post transactum illum mensem, cessatio ipso Iure tollitur parte illa in mora existente; ita definitum fuit in fi. dicti c. Quamuis, *Parte insuper à diuinis cessante suprascripta tam in cessando, quàm in venienda, siue mittenda ad Sedem Apostolicam non seruante non seruetur cessatio, sed ea non obstante, vt prius in ipsa Ecclesia celebretur*, secus est, si pars, contra quam cessatur, nolit iter arripere, nam propter eius contumaciam non debet Ecclesia priuari iure cessandi, ita sentiunt Dom. Sot. dicta dist. 22. q. 3. art. 2. Vers. Decimò tandem requiritur, Sylue. Ver. Cessatio §. 4. Henriquez lib. 13. cap. 52. nu. 2. in fi.

Hæ igitur sunt decem conditiones ab ipso Iure institutæ, vt legitimè imponatur cessatio, quæ distinctè & ordinatim enumerantur ab ipsa Glos. in dicto cap. Quamuis Ver. Mittendo de off. ordin. lib. 6. Ex quibus conditionibus septem sunt communes ad omnes ponentes cessationem excepto Papa, qui non subijcitur Iuri communi. Alij omnes siue sit Episcopus, aut alius Prælatus, siue Canonici & Capitulum illas seruare tenentur, nempe vt qui ponit cessationem, habeat iurisdictionem, vt causa imponendi sit rationabilis & iusta, quod offensa, propter quam ponitur cessatio, sit notoria & manifesta. Quarta vt ante cessationem causa cessandi exprimatur publico Instrumento sigillo munito, quinta, vt Instrumentum seu literæ authenticæ tradantur ei, contra quem cessatur. Sexta vt idem moneatur & requiratur ante cessationem, an velit se emendare, & compensare offensam. Septima vt posita cessatione vtraque pars & cessans & ille, contra quem cessatur, intra mensem iter arripiant per se ipsos vel per procuratores ad Sedem Apostolicam. Aliæ tres conditiones nõ sunt necessariæ Episcopo, & alijs Prælatis, sed tantum Canonicis & Capitulo, vt dixi superius, idest quòd vocentur omnes Canonici, quòd de causa cessandi maturè tractetur apud ipsos Canonicos, & quòd maior pars Capituli concludat esse cessandum.

Sed est difficultas, an omnes decem conditiones enarratæ ita sint necessariæ, quando Canonici & Capitulum decernunt esse cessandum, vt si non seruentur, sed aliqua illarum deficiat, cessatio sit nulla.

Io. Andr. in dicto c. Quamuis simpliciter affirmat omnes illas conditiones esse necessarias, & idem ait Gemin. §. Parte in princ. quia ponuntur tanquam forma cessationis, & actus non tenet, si forma non fuerit seruata c. Quia propter de elect. Idem tenet Anchar. in fi. & Franc. similiter in fi. Idem affirmant Angel. & Sylue. Ver. Cessatio §. 2. & tradit expressè Glo. vlt. in fi. in dicto cap. Quamuis, dicens, *Omnibus his non seruatis non seruetur cessatio*; immo videtur hoc definitum in ipsomet tex. in fin. *Parte insuper à diuinis cessante suprascripta tam in cessando, quàm in veniendo, siue mittendo ad Sedem Apostolicam non seruante non seruetur cessatio, sed ea non obstante, vt prius in ipsa Ecclesia celebretur.*

Hæc pars mihi videtur probabilior, quæ maximè cõfirmatur ex citatis verbis dicti c. Quamuis, sed duo habent aliquam difficultatem, primum est, an hoc sit verum de omnibus decem cõditionibus, quod sint necessariæ, vt altera desit, cessatio reddatur nulla, vel intelligatur solum de illis conditionibus, quæ additæ sunt in dicto c. Quamuis à Bonifacio Octauo, & non continebantur in cap. Si Canonici. Secunda difficultas, an dictæ conditiones sint necessariæ ad validitatem cessationis, quæ ponitur ab Episcopo.

Quoad primam difficultatem respondeo, quòd licèt in dicto cap. Quamuis dicatur: *Suprascripta*, quod verbum habere relationem videtur tantummodo ad conditiones descriptas in eodem cap. nõ ad alias, quæ desumuntur ex cap. Si Canonici, tamen quia initio c. refertur Constitutio Gregorij X. in cap. Si Canonici, & denuo confirmatur, & adduntur aliæ conditiones, ideo censendum est Bonifacium Octauum voluisse postremam illam clausulam referre ad omnes decem conditiones necessarias, nempe ad illas, quæ antea præscriptæ erant à Gregorio Decimo in cap. Si Canonici, & ad alias ab ipsomet additas in dicto c. Quamuis.

Ad secundam difficultatem dicerem probabiliter illas conditiones non esse extendendas ad cessationes quæ feruntur ab Episcopis & Prælatis ordinarijs, vt si aliqua omittatur etiam de illis septem paulo ante narratis, cessatio sit nulla, tum quia hoc videtur valde durum, tum etiam quia in dicto cap. Si Canonici, & cap. Quamuis, non agitur de cessatione, quæ decernitur ab Episcopo & Prælato Ordinario, sed de illa tantum, quæ fertur à Canonicis & Capitulis. Quamobrem hac in re crederem attendendam fore loci consuetudinem, & illam esse seruandam.

Sed posset quis meritò dubitare, vtrum aliquæ pœnæ ab ipso Iure statutæ sint contra non seruantes prędictas decem conditiones in ferenda cessatione.

Ad hanc dubitationem primum dico Iure antiquo nullam fuisse latam pœnam aduersus hos indebitè cessantes, sed arbitrio Superioris imponendam committi, ita statutum fuit ab Innocentio Tertio in cap. Irrefragabili §. Cæterum de off. ordin. *Cæterum si Canonici absque manifesta & rationabili causa, maximè in contemptum Episcopi cessauerint à diuinis &c. Metropolitanus ad querelam ipsius, scilicet Episcopi tanquam super hoc delegatus à nobis taliter eos per censuram Ecclesiasticam cognita veritate castiget, quòd metu pœnæ talia de cætero non præsumant.*

Dico secundò postea fuisse definitam pœnam in cap. Si Canonici de off. ordin. lib. 6. à Gregorio Decimo, vt si qui cessant, sint Canonici, teneantur restituere Ecclesiæ, in qua cessatum est, omnia, quæ de prouentibus eiusdem Ecclesiæ tempore cessationis perceperunt, & quidquid eisdem ex bonis eiusdem Ecclesiæ dandum fuisset, percipere nequeant, sed ipsi Ecclesiæ cedere debent. Et vlterius parti, contra quem cessauerunt, teneantur de damnis & iniurijs satisfacere. Ita tenet Gemin. in cap. Si Canonici §. Scituri in princ. de off. ordin. lib. 6 dicens, quod & si Canonici cessent ex causa iusta, si non seruant præscriptam formam, restituere tenentur, & probat ex tex. in quo disiunctiuè dicitur, si hoc prætermisso cessauerint, vel causa non fuerit canonica.

Sed quæri potest, an obligatio ad has restitutiones oriatur statim ipso facto, vel necessaria sit Iudicis condemnatio, vel saltem declaratio.

Videtur probabilius asserere requiri sententiam Iudicis, & non oriri obligationem ipso facto ad restituendum, primò quia ex verbis tex. non colligitur argumentum esse sententiam latam, immo potius esse ferendam, quia ponuntur verba temporis futuri, *Nullo modo percipient*, paulò ante, *Restituent*, deinde, *satisfacere tenebuntur*. Deinde quia generalis est regula, quòd vbi lex pœnalis non exprimit, quòd pęna incurratur ipso facto, nunquam afficit Reum, nisi postquam Iudex sententiam pronunciauerit. Animaduertendum tamen est sæpe hanc obligationem ad restituendum non esse pœnam propriè sumptam, sed oriri ex intrinseca ratione iustitiæ, puta si Canonici

sine causa cessant à diuinis officijs, non instè recipiunt fructus, & quoniam alijs iniuria irrogatur, ex natura rei ad satisfactionem tenentur; quare diligenter perpendendum erit consideratis circumstantijs singularum personarum, an hæc obligatio oriatur ex aliquo titulo iustitiæ, tunc enim in foro conscientiæ non est necessaria sententia Iudicis. Verum si propter errorem totius Communitatis sequatur pœna aliqua in innocentes, non orietur obligatio ad restitutionem, antequam condemnentur.

Dico tertiò, si ille, qui cessat, est Episcopus, & non cessat ex causa legitima & notoria secundum iura, tenetur restituere distributiones Canonicis, qui parati erant assistere diuinis officij, & alijs Clericis stipendio conductis, qui officia celebrare tenebantur, & munus suum præstitissent, nisi cessatione impediti fuissent, Sylue. Ver. Cessatio §. 4. Henriquez cap. 52 §. 4. Nam licèt dictum cap. Si Canonici solùm loquatur de Canonicis cessantibus, tamen Gemin. ibi §. Sciturinu. 3. quem sequuntur Sylue. & Henriquez citati extendunt illud ad alios imponentes cessationem sine causa, an verò vltra obligationem restituendi distributiones Episcopus iniustè cessans teneatur etiam ad pœnam, arbitrio Superioris standum erit, neque enim opus est legem pœnalem ex paritate & similitudine rationis extendere ad alias personas, quàm ad eas, de quibus lex loquitur.

Si postules, cui debeat restituere fructus, qui iniustè cessauerit, si Ecclesia, in qua cessauit, sit sua, respondet Sylue. Ver. Cessatio §. 4. Vers. Quartò quæritur, obligari ad restitutionem eidem Ecclesiæ faciendam arg. eorum, quæ notantur in cap. Cum secundum de præben. Quod est limitandum, si habeat bona patrimonialia, vel aliunde, quam ab Ecclesia quæsita, vt notat Abb. in dicto cap. Cum secundum num. 2. Immo, vt inquit Sylue. dicitur restituere Ecclesiæ, si det Superiori, aut successori, vel in vtilitatem Ecclesiæ conuertat, vel ad subleuandam pauperum miseriam in necessitate persoluat.

Dico quartò, si cessatio fuit ex iusta causa legitimè posita, tunc ille, qui causam dedit, vt cessaretur, tenetur ad omne damnum & interesse ipsis Canonicis & alijs Clericis, tum etiam condemnandus est ad solutionem certæ pecuniarum quantitatis, arbitrio Superioris in compensationem debiti obsequij diuini cultus Ecclesiæ subtracti, quæ pecuniæ conuertendæ sunt in augmentum diuini cultus. Hinc fit, vt damnũ & interesse, quod passi sunt Canonici & alij Clerici ob huiusmodi cessationẽ, statim sit restituẽdum, quia nõ est propria pecunia, sed compensatio damni illati. Alia verò pecunia soluenda in compensationem cultus diuini subtracti, Iudicis condemnationem requirit, & id probatur ex dicto cap. Si Canonici, vbi ponitur verbum, *Condemnetur*, quod referendum est ad quantitatem Ecclesiæ applicandam, quam ante sententiam Iudicis non tenetur soluere, sed non est referendum ad interesse restituendum Canonicis, quod in conscientia tenetur soluere etiam ante sententiam.

CAPVT VII.

De causa efficiente & finali cessationis à diuinis.

Declaratis causis intrinsecis, & quasi essẽtialibus cessationis, idest materiali & formali, sequitur, vt de extrinsecis agamus, de efficiente & fine Et primò de efficiente tractabimus.

Primo loco sciendum est nullam cessationem ge-
A neralem aut specialem latam esse ab ipso Iure propter aliquod, quantumuis magnum crimen, quia iure præter alias differentias distinguitur ab interdicto & alijs censuris, vt superius monui, idque ab omnibus Doctoribus asseritur, & ideo vocatur cessatio quid facti, quoniam non incurritur ipso Iure, sed tantũ iure conceditur facultas, vt eam Iudex imponere valeat, quando causa iusta & rationabilis vrget seruatis cõditionibus explicatis, ita sentit Abb. in c. Dilectis, nu. 18. de appell. Sylue. Ver. Interdictum 1. §. 5. in fi. Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 2. n. 1. Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 2. concl. 1. Toler. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 56. Vers. 2. Henriq. lib. 13. cap 52. nu. 1. & cap. 54. num. 1.

Hinc sequitur cessationem à diuinis imponi posse
B à solo homine habente potestatem & iurisdictionẽ ad illam ferendam. Quare qui potest ferre Interdictum, potest quoq; cessationem ponere, ita tradit Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. nu. 6. & alij citati. Ratio est, quia Iurisdictio ordinaria publica fori contentiosi Ecclesiastica ad ferendam cessationem sufficit, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 189. Vers. Rogauri, videtur asserere solum Papam cessationem ponere post interdictũ, & ad hoc asserendum moueri videtur ex eo, quoniam solus Papa coarctare potest dispositionem cap. Alma Mater, vbi conceditur tempore interdicti vsus sacramentorum, & celebratio diuinorum officiorum cum quibusdam moderationibus, & cautelis, quę cum pro-
C hibeantur tempore cessationis, sequitur correctio & restrictio dictæ dispositionis, quod Summo Pontifici tantum conuenire videtur. Nihilominus affirmandũ est Episcopo competere facultatem etiam post interdictum ferendi cessationem, quia hoc non excedit ordinariam iurisdictionẽ Episcopi etiam iure antiquo, & nullibi legitur sublata, & ita receptum est communi consuetudine. Neque hoc prohibetur ex dispositione dicti c. Alma, nam ibi tractatur solum de interdicto, & quæ in dicto decreto statuta sunt de interdicto à solo Summo Pontifice, non ab alio restringi, aut innouari, vel mutari possunt. Sed cessatio est nouum vinculum distinctum ab interdicto, vt supra ostendi, quod sub genere interdicti non continetur, quare po-
D nere cessationem post interdictum non est coarctare decretum dicti cap. Alma editum de interdicto, sed est nouum vinculum adijcere, quod licet quoq; Episcopis, sed iam distinctè recenseamus genera personarum, quibus inest potestas & iurisdictio ad ponendam cessationem.

Primò dicendum est, non solum Papam, sed etiam Episcopos, & alios Prælatos habentes iurisdictionem Episcopalem posse potestate ordinaria cessationem ponere. Ita Domin. Sot. in 4. sent. distin. 22. q. 3. art. 2. conclus. 3. Vers. Vbi notandum est, Sylue. Ver. Cessatio in princ. Henriq. lib. 13. cap. 54. num. 1. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 6. Vers. Ex quibus dedu-
E citur. Non videtur autem vsu receptum, vt Prælati Religionum inducant Cessationem, nisi habeant iurisdictionem Episcopalem in aliquo Oppido, aut Castro, sicut neque locum interdicere possunt, vt ostendam suo loco. Illi verò Prælati seculares, quibus inest potestas cessandi, non possunt illam imponere extra proprium Territorium.

Secundo dico ex cõmissione & delegatione oẽs illos Prelatos posse cessare, quib. cõmittitur ab ijs, qui hãc iurisdictionem habẽt iure ordinario. Vnde Episcopus potest delegare & committere Canonicis & Capitulo potestatẽ cessandi à diuinis, quia ipse potuisset vti, ita

tenet

tenet Couar. dicto nu.6. Vers. Hanc vero circa fi. Syl-
ue, Ver. Cessatio in princ. Henriq. cap.54. in princ. &
ita tenet Franc. in dicto cap. Si Canonici num.2. in fi.
Gemin. num. 6. in fi. Addit tamen Couar. non posse
Episcopum concedere priuilegium Canonicis indicē-
di cessationem à diuinis proprio iure in perpetuum,
quia hoc non potest concedi ab alio, quàm à Summo
Pontifice ex mente Archid.

Dico tertiò Capitulum viuente Episcopo non pos-
se iure proprio imponere cessationem, nisi hoc ius sibi
acquisierit ex consuetudine vel priuilegio.

Prima pars videtur manifesta, quoniam Capitulũ
& Canonici non habent iurisdictionem Episcopalem,
quæ requiritur ad imponendas censuras iure ordina-
rio; idque euidenter probatur ex dicto c. Si Canoni-
ci, *Si Canonici à diuinis cessare voluerint, prout in Ecclesiis
aliquibus sibi ex consuetudine, vel alias*, idest ex priuile-
gio, vt ibi explicat Glo. *vendicent*, ergo sentit Summus
Pontifex præscripta consuetudine & priuilegio non
competere illis hanc iurisdictionem, & ita notat ibi
Gemin. num. 2. dicens hoc licere Canonicis ex consue-
tudine, secus de iure communi, Domin. Sot. in 4. sent.
dist. 22. q.3. art.2. conclus.3. Tolet. lib.1. Instruct. Sa-
cerd. cap.56. Vers. Quartò, Couar. in cap. Alma Mater
par.2. §.2. n.6. vbi ait potestatem hanc ponendi cessa-
tionem iure ordinario habere Episcopos & Prælatos
habentes ordinariam Ecclesiasticam iurisdictionem,
sed à Canonicis & Capitulo Cathedralis Ecclesię de-
cerni posse, si hoc ius consuetudine aut priuilegio ac-
quisierint, modò seruent in ea decernenda formam
traditam in cap. Si Canonici de off. ordin. lib.6. & in
c. Quamuis eod. tit. & lib. Card. in Clem.1. §. in cessa-
tionibus de sent. excom. Quamobrem si cessatio po-
natur à Capitulo non habente ad hoc consuetudinē,
nec priuilegium, viuente Episcopo erit nulla, tãquam
imposita à non habente iurisdictionem, & vt talem
debet Episcopus reuocare, Henriquez cap.53. num.1.

Hoc tamen ius ponendi cessationem potest Capi-
tulum acquirere ex consuetudine, vel priuilegio, quod
erat secunda pars conclusionis. Affirmant omnes Do-
ctores citati, & habetur in c. Si Canonici, & c. Quam-
uis de off. ordin. lib.6. c. Irrefragabili eodem tit. Ex-
tra, & probatur ratione, quia consuetudo tribuit iu-
risdictionem cap. Cum contingat de fo. compet. c. 3.
Vers. Nisi amplius ei de pœn. lib.6. Glo. in c. Romana
Ver. Consuetudine de appell. eod. lib. Roman. consil.
243. & cons.300. num.1.

Animaduertendum tamen est, quòd quando Capi-
tulum Ecclesiæ Cathedralis gaudet hac potestate po-
nendi cessationem ex consuetudine, dici potest habe-
re potestatem ordinariam ad id faciendum, nam con-
suetudo recepta æquipollet Iuri cap. Consuetudo dist.
1. cap. fin. de consuet. Non est autem eadem ratio, si
habeat hanc potestatem ex priuilegio, tunc enim di-
citur potestas ex commissione. Adnotandum est quo-
que, quòd supposita hac consuetudine Capitulum po-
nere potest cessationem contra Episcopum, vt habe-
tur in cap. Quamuis de off. ordin. lib.6. ibi: *Ac Episco-
po, aliouè quocunq, Clerico &c. propter cuius iniuriam vel
offensam eadem videtur cessatio facienda*. Id verò non
competit Capitulo tanquam Iudici in Episcopum,
quia inferior non valet iurisdictionem exercere in Su-
periorem, sed tanquam parti pro defensione sui iuris,
vt notat Gemin. in eodem cap. Quamuis num.4. Vers.
Oppositum, & hoc potest stante consuetudine; & ad
hunc modum est intelligendum cap. Quamuis, & cap.
Irrefragabili eod. tit. Extra, & cap. Dilectis de appell.

A vbi Decanus inducit cessationem, & est simile, quod
notatur à Glo. magna prope medium in cap. Vene-
rabili de Censi. dicens excommunicationem ferri pos-
se pro defensione proprij iuris tanquam à parte, &
Franc. ibid. in princ. hoc idem notat.

Sed dubitatur de Canonicis & Capitulo Sede va-
cante, an habeant hanc iurisdictionem ponendi cessa-
tionem via ordinaria.

Respondet Glo. in dicto cap. Si Canonici Ver. Ces-
sare in fi. Canonicos Sede vacante posse iure proprio
indicere cessationem, quia succedunt in iurisdictionē
ordinariam Episcopi cap. Cum olim de maio. & obed.
cap.1. eod tit. lib.6. idem ait Couar. in c. Alma par.2.
§. 2. nu 6. Vers. Idem potest Capitulum, Henriq. cap.
53. nu.1. Verum vt Capitulum Sede vacante legitimè
cessationem decernat, debet conuocare omnes Ca-
B nonicos etiam absentes, & si maior pars consentiat,
decernenda est cessatio seruatis alijs conditionibus,
de quibus in cap. præcedenti dictum est.

Quærit etiam Glo. Ver. Canonici, an Constitutio,
quæ habetur in dicto cap. Si Canonici, locum habeat
non tantum in Canonicis secularibus, sed etiam Re-
gularibus, & concludit generaliter esse intelligendum
de omnibus Canonicis etiam regularibus, probat pri-
mò ex cap. Quamuis de off. ordin. lib.6. Vbi agitur de
eadem cessatione, quæ imponitur à Canonicis, & ex-
primuntur Regulares ibi post princ. *Ne à seculari, vel
regulari Capitulo*, simile habetur in Clem. 1. prope fi.
de sent. excom. ibi: *In cessationibus &c. Capitula, Colle-
gia, vel Conuentus secularium vel regularium Ecclesiarũ*.
C Deinde quoniam simplici vocabulo Canonicorum si-
gnificãtur etiam Regulares, si materia hoc patiatur,
vt inquit Domin. & Gemin. in eod. cap. Si Canonici n.
6. Franc. num. 2. Concludendum est igitur, quòd li-
cèt Capitulum Ecclesiæ Cathedralis viuente Episco-
po non possit cessationem imponere, tamen Sede va-
cante Capitulum seu Collegium Canonicorum tam
secularium, quàm Regularium potest seruatis illis cō-
ditionibus imponere. Si verò acquisierint consuetu-
dine aut priuilegio Ius imponendi cessationem, tunc
cessatio imposita erit valida viuente Episcopo, si ipso
cōsentiente lata fuerit, & adhibitis alijs cōditionibus.

Dico quartò Prouinciale Concilium & Synodalem
D cessationem indicere posse, vt habetur in Clem. 1. de
sent. excom. *Quòd etiam in Interdictis & cessationibus à
diuinis indictis per Prouincialium Conciliorum statuta, vel
ipsorum auctoritate, cum maius sit Prouinciale Concilium,
quàm singularis Prælati prouincia, ac iudicium integrum,
quòd plurimorum sententiis comprobatur, volumus obser-
uari*. Idem inquit Couar. in illo §. 2. num. 6. Vers.
Hanc verò interdicti, vbi citat Card. in dicta Clem.
§. vltim.

Postulabit quis, verum Prælatus excommunicatus
vel interdictus possit decernere cessationem, respon-
deo, & primo dico, si excommunicatus, aut suspensus
à iurisdictione non sit nominatim denũciatus, vel no-
E torius percussor Clerici imponat cessationem, peccat
quidem ponendo, sed est valida, & ideo seruanda, talis
ob publicum bonum non est priuatus iurisdictione
ante denunciationem, vt in simili dixi in Tractatu de
excommunicatione & suspensione. At verò post de-
nunciationem publicam, cum iam non toleretur ab
Ecclesia, si decernat cessationem, non peccat, sed ces-
satio est nulla & irrita, quia continet intolerabilem
errorem ob defectum iurisdictionis.

Dico secundò, si Prælatus ponens cessationem non
sit modo prædicto excommunicatus, vt suspensus, sed

tantum sit interdictus, quamuis nominatim denunciatus, potest validè & licitè cessationem decernere. Ratio differentiæ est, quia interdictum non priuat iurisdictione in foro exteriori, sicut excommunicatio & suspensio, vt probabo suo loco, interdictum enim prohibet solum officia diuina, Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, quæ non pertinent ad iurisdictionem exteriorem. Hæc de causa efficiente.

Causa finalis cessationis à diuinis proximus idem est quod effectus eius, idest silentium diuinorum officiorum, remotus verò, sed principaliter & per se intentus ab Ecclesia, & à Prælato, qui illam legitimè decernit, rigor est Ecclesiasticæ disciplinæ, vt inobedientes & contumaces hac pœna compescantur à malis, quibus iniustè & contra omne ius Ecclesiam vel eius Ministros imprudenter vexare non verētur, sicq; omnino confusi à pertinacia sin minus sponte, saltem inuiti recedere cogantur. In hoc enim conuenit cessatio cum alijs veris censuris, quia non habet rationem solius pœnæ in vindictam delicti præteriti, cum enim cessatio priuet bonis spiritualibus, scilicet officijs diuinis & Sacramentis, non esset expediens, vt illa denegarentur fidelibus ob solam vindictam, vt punirentur propter aliquod crimen commissum, quamuis graue, nisi adiunctam haberet contumaciam, à qua vt facilius recederent, priuatione talium bonorum spiritualium obstringerentur, maximè quia ille rigor cessationis non minus afficit nocentes, quàm innocentes, ideo propriè non potest pœna simpliciter & absolutè vocari, sed potius est signum quoddam Ecclesiasticæ potestatis ad terrendum inobedientes fideles, idcirco Prælatus non debet, nisi ex magna & vrgenti causa hoc vinculo innodare fideles, neque potest, si iustè velit imponere cessationem, nisi ob crimen maximum illam ferre, quia cum sit remedium acerrimum secum ferens incommoda grauia, necesse est, vt Prælatus ex vrgenti causa ad illam ferendam veluti coactus ducatur, & quamuis non opus sit, vt huiusmodi crimen, cuius gratia fertur, commissum sit ab omnibus, ad quos pœna cessationis peruenit, necesse tamen est, vt delictum sit publicum, & repugnās bono communi Ecclesiæ & potestati Ecclesiasticæ, & tunc erit causa iusta & legitima ad decernendam cessationem, de qua causa superiori capite tractaui.

CAPVT VIII.

De pœnis contra violantes Cessationem, & de causis excusantibus à cessatione.

De pœnis, quas incurrit, qui iniustè cessationem tulit non seruatis conditionibus à Iure præscriptis, vel qui causam dedit cessandi, tractatum est satis supra cap. sexto, superest, vt agamus de pœnis illius, qui cessationem iustè latam violaut, de qua re nulla dixi in cap. a. vbi probaui ob violationem cessationis contra sententiam aliquorum non incurri irregularitatem, modò ad solutionem eiusdem dubitationis alia addenda sunt.

Et primò sciendum est incurrere peccatum mortale ratione inobedientiæ in re graui. Quare qui celebrat in Ecclesia, in qua posita est cessatio, peccat mortaliter, & de hoc non est dubitandum.

Secundò in Clem. 1. de sent. excom. lata est excommunicatio ipso facto incurrenda contra Religiosos non seruantes cessationem generalem, vbi notandum est primò hanc pœnam non esse latam contra Laicos, neque contra Clericos seculares, sed solùm con-
A tra Religiosos, & hac ratione est pœna particularis, sed quoad Religiosos est vniuersalis, verba textus sunt: *Religiosi quicunque tam exempti, quàm non exempti, cuiuscunque ordinis & conditionis existant, cum Cathedralem, vel Matricem, seu Parochialem loci Ecclesiam, illas viderint, seu sciuerint obseruare &c. inuiolabiliter conseruent, alioquin non seruantes excommunicationis sententia subiacere hoc ipso volumus.* Et quamuis hæc verba referantur ad violantes interdictum, tamen Summus Pontifex eandem pœnam extendit ad violantes cessationem, ibi: *In cessationibus verò generalibus &c.* idem intelligimus obseruandum.

Secundo notandum est hanc pœnam excommunicationis non afficere ipsos Religiosos, nisi postquam viderint, aut sciuerint Cathedralem, Matricem, seu
B Parochialem Ecclesiam loci seruare cessationem, tūc enim, si ipsi negligant, & violent cessationem, sunt excommunicati, vt verba textus manifestè significant.

Tertiò notandum est hanc pœnam per Religiosos incurri solum, quando violant cessationem generalem, vt patet ex tex. *In cessationibus verò generalibus*, vbi Glo. notat speciales cessationes seruari solùm debere in Ecclesijs, in quibus sunt indictæ, cap. Dilectis de appella. idem ait Card. ibi; Neque statim Religiosi obstringuntur excommunicatione, non seruando cessationem, nisi postquam viderint, aut sciuerint Cathedralem Ecclesiam, Matricem, aut Parochialem illam obseruare, quia hæc excommunicatio non ob-
C stringit Religiosos probabiliter ignorantes hanc obseruantiam, vt animaduertit Glo. Ver. Sciuerint.

Quartò notandum est, cum in dicta Clem. non exprimatur aliqua peculiaris actio violationis, cuius causa incurratur præcisè hæc excommunicatio, sed absolutè dicatur, *Non seruantes*, putandum esse Summum Pontificem voluisse prohibere quemcunq; actū violationis, ita vt quomodocunque violaret Religiosus cessationem generalem positam, si talis actio ascēderet ad culpam lethalem, esset innodatus excommunicatione.

Quintò notandum est hanc pœnam locum habere non tantum in cessationibus indictis à Romano Pontifice, & Episcopis, sed etiam in ijs, quæ imponuntur à
D Concilijs prouincialibus per sententias, vel statuta; immo in ijs quoque, quæ feruntur à Capitulis, Collegijs, & Conuentibus secularium vel Regularium Ecclesiarum virtute potestatis, quam sibi vendicant ex consuetudine vel priuilegio, vt in ipso textu expressè declaratur. Quamobrem non est probabilis sententia Palud. in 4. sent. dist. 8. q. 8. art. 3. quem refert & impugnat Couar. in cap. Alma par. a. §. 2. nu. 3. in fi. Vers. Contrarium in hac principali, qui putat excommunicationem in hac Clem. latam non comprehendere cessationes, quæ ponuntur à Prælatis, nisi simul iniuncta habeant interdicta, sed solum cessationes Capitulorum, quibus aliud remedium non competit ad propulsandam iniuriam. Sed hæc opinio caret fundamē-
E to, quia excommunicatio in dicta Clem. indicta extēditur ad Religiosos non seruantes cessationes generaliter indictas à Concilijs & Prælatis, Iudicibus, ac Delegatis auctoritatē ad id habētibus, etiāsi sint cessationes distinctæ ab interdictis, vt inquit Cou. vbi supra. Idem tenet Domin. Sot. in 4 dist. 22. q. 3. art. a. in fine, Vers. De pœnis autem, & idem apertè sentit Sylue. Ver. Cessatio in fi. licèt Sot. citet eum pro cōtraria opinione, Card. in ead. Clem. §. In cessationibus in fine, de sent. excomm. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 146. in fi. & 183.

Sex-

A Sextò notandum est in hanc excommunicationem non incidere Laicos, neque Clericos seculares, sed tãtum Religiosos, siue mendicantes, siue non, vt inquit Glo. Ver. Religiosi quicunque Dictio illa vniuersalis, *Quicunque*, significat comprehendi omnes Religiosos, cuiuscunque Ordinis, & in alijs nonnullis locis in Clement. afficiuntur pœnis Religiosi tantummodo non alij Clerici, loca referuntur ab eadem Glos. Ver. Religiosi, Henriquez tamen cap. 54. nu. 3. ait excipi à pœna huius Clem. Religiosos Mendicantes ex peculiari priuilegio.

Septimò hæc excommunicatio afficit Religiosos violantes Cessationem, quamuis sit nulla & inualida, si seruetur ab Ecclesia Cathedrali, vel Matrice, vel ob præcedentem appellationem, vel ex alio capite, & id B tenet Glo. Ver. Appellationibus, & Nauar. cap. 27. nu. 146. Vers. Tertia, Quod si verum est in interdicto nullo ratione appellationis, quod propriè suspenditur per appellationem præcedentem, multò magis erit asserendum de cessatione, quæ cum sit quid facti, non potest suspendi.

Non satis autem est obseruari cessationem à nonnullis Canonicis, si alij Canonici, & beneficiari illam non seruant, sed publicè celebrant, vt inquit Nauar. in dicto nu. 146. Vers. Quarta. Nam cum in Ecclesia celebratur quotidie ianuis apertis siue per Prælatum siue per Capitulum totum, vel per aliquos Capitulares, aut per alios Clericos, tunc hæc Excommunicatio non habet locum, vt inquit Glosa Ver. Matticem. C

Octauò notandum est, quòd quamuis Religiosi teneantur obseruare cessationem generalem, quam Ecclesia Matrix obseruat, idest Ecclesia maior, & Baptismalis, vt notat Glo. Ver. Matricem, quamuis cessatio nulla sit & irrita, vt dixi, non tamen sunt immunes ab obseruatione cessationis validæ, licèt Ecclesia Matrix illam nõ obseruet. Ita animaduertit Glo. Ver. Obseruare, quia hæc Constitutio non intendit diminuere, sed addere ad obseruationem cessationis, & cũ sit edita ad pœnam, non est trahenda ad gratiam, & argumentum à contrario sensu cessat, vbi contrarium reperitur in iure, iuxta Glo. vlt. in c. Publicato, D de elect. Excessus ergo Clericorum Matricis Ecclesię non seruantium cessationem religiosis occasionem delinquendi prębere non debet.

Quęret Glos. Ver. Matricem, Vers. Sed nunquid, Vtrum Ecclesia Metropolitana dicatur Matrix Ecclesia respectu cessationis positæ in tota Prouincia, ita vt illa seruante cessationem, si Religiosi scientes totius Prouinciæ illam non seruant, huiusmodi excommunicationis vinculo obstricti remaneant.

Respondet Glos. negatiuè, quia Clem. requirit obseruantiam Ecclesiæ Matricis ipsius loci. At Ecclesia Metropolitana non est Matrix, vel Cathedralis alterius Ciuitatis, quæ sit in eadem Prouincia, cap. Pastoralis, de off. ordin. quare incident in excommu- E nicationem soli illi Religiosi, qui degunt in ea Ciuitate, in qua Ecclesia Cathedralis seruat Cessationem.

Rursus quærit Glos. quid si Villa, aut Castrum subijciatur cessationi non habens Ecclesiam Matricem in eodem loco sitam, quod dari potest, puta quia Ecclesia Matrix sit in alia Villa, vel Oppido, in quo non est posita cessatio; Vel si plures Ecclesiæ sitæ sint in Oppido, & nulla sit insignior altera, quia quælibet baptizat suos subditos, & ex illis aliquæ seruant cessationem, aliæ verò minimè.

A Respondet Glo. quòd fortè in his casibus Excommunicatio Clem. non habebit locum, quia deficeret non solum mens, sed verba Constitutionis, sicut etiam non esset locus huic Clem. si in loco, vbi cessatur, nulla esset Ecclesia, nisi Ecclesia Religiosorum non seruantium Cessationem, in quibus casibus inquit Glos. essent extendenda iura antiqua, & ita sentit Nauar. dicto num. 146. Vers Quinta. Hæc est pœna, quæ reperitur in iure lata contra non seruantes cessationem generalem à Papa, vel ab alijs Inferioribus iuxta ea, quæ explicata sunt. quam Excommunicationem non incurrunt Religiosi violantes Cessationem particularem, vt omnes Doctores citati docent; nam Clem. loquitur solum de cessatione generali, & tradit etiam B Sylue. excommunicatio 9. §. 92. Vers. Tertiò nota.

Postremo loco, cum Concilium Trid. sess. 25. de reform. regular. cap. 52. præcipiat omnibus Religiosis, vt debeant omnes Censuras, & Interdicta non solum à Papa, sed etiam ab Ordinarijs Prælatis promulgata ipsis mandantibus in suis Ecclesijs publicare, & seruare, ideo meritò dubitari potest, an hoc decretum extendatur ad cessationem, quæ non est Censura, neque Interdictum. Item an extendatur ad cessationem, quæ non ponitur à Prælato ordinario, de quo loquitur Cõcilium, sed à Capitulo alicuius Ecclesiæ modo explicato.

Ad hanc difficultatem putarem respondendum, quòd quamuis ex rigore iuris non videatur illud de- C cretum comprehendere cessationem, quia verba sunt propriè accipienda, præsertim in pœnalibus, neque facienda esse extensio ab vno ad aliud etiam ob similitudinem rationis, vt aliàs probaui, quare cum Concilium loquatur de Censuris, & Interdicto; Cessatio autem neque censura sit, neque sub interdicto contineatur, & idcirco dispositum de illis non sit trahendum ad hanc, tamen probabilius existimo oppositum, vt asseramus præceptum Concilij habere locum etiam in cessationibus in illis etiam, quæ indicentur à Capitulis. Primò quoniam quãtum ad obseruationem nulla in iure differentia reperitur inter interdictum, & cessationem, vt constat ex hac Clem. in qua eadem pœna fertur contra violantes cessationem, & interdi- D ctum, & in hoc æquiparatur cessatio generalis Interdicto, vt dixi in Cap. secundo, Et tradit Couar. in dicta Clem. §. in cessationibus in princ.

Secundò Concilium nihil innouat hac in re quoad dispositionem Iuris communis, sed tantum mandat publicari, & obseruari Censuras, & Interdicta, ergo intelligit, vt hæc obseruentur eo modo, quo statutum erat ab ipso iure; sed ab ipso iure in dicta Clemen. sub eadem pœna excommunicationis præcipitur obseruatio cessationis generalis, sicut interdicit, siue cessatio imposita fuerit à Prælato, siue à Capitulo, ergo eodem modo Concilij decretum est interpretandum. Hæc de prima parte.

E Quoad excusationes, quæ dari possunt, vt quis non seruans cessationem à diuinis non peccet, neque poenas iuris incurrat, dicendum est posse aliquas causas assignari, propter quas qui non seruant cessationem, excusentur à culpa, & poena.

Primò loco excusat ignorantia probabilis cessationis generalis positæ à Prælato, vt si quis non vidit, neque notitiam habuit, quòd Ecclesia principalis cessauit, vt paulò ante monebam, vt si longè distaret ab illa.

Secundò excusat metus grauis mortis, siue alterius magni periculi. reddit enim actum quasi inuoluntarium,

rium, nec est verisimile Ecclesiam obligare voluisse ad obseruationem cessationis cum tam ingenti periculo, sicut in simili dixi in materia de excommunicatione lib. 1. Disp. 12. cap. 3.

Tertia causa excusationis esse potest priuilegium concessum à Sede Apostolica non seruandi cessationē, nam si esset concessum pro tempore interdicti, non debet extendi ad cessationem, vt supra ostēdi. Verùm talia priuilegia sunt diligenter perpendenda adhibito iudicio Doctiorum, ne extendantur ad ea, quæ secundum propriam significationem non comprehendunt. item videndum est, an sint reuocata, neque excedere oportet eius limites. Vnde si conceditur facultas audiendi Missam, vel dicendi in aliqua domo, aut loco particulari non nisi vnicam Missam celebrare, vel audire in die licebit. Ita Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 189. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 7. Vers Nec tamen erit. Nonnulla priuilegia huius generis celebrandi Missam, & recitandi horas secretò cum alio concessa Episcopis, & quibusdam Regularibus refert Henriquez lib. 13. capit. 53. numero 3. & in Annot. lit. P. Q.

Quartò excusat appellatio legitimè interposita, antequam cessatio executioni tradatur, non quidem ad impediendam, vel suspēdendam cessationem, quia cessatio est quid facti, & facta infecta reddi nequeunt, secus in interdicto, quia est quid iuris, vt dictum est superius, tamen per appellationem præcedentem suspenditur cessatio quantum ad effectus iuris, sicut suspenditur Interdictum, & Excommunicatio. ita tenet Henriquez lib. 13. cap. 52. nu. 1. in Annot. lit. O. & Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. nu. 1. Vers. Ex quo infert, quia inquit intelligendos esse Doctores, cum dicunt per appellationem non suspendi cessationem, idest effectum habere, & non esse nullam ipso iure post appellationem, siquidem post appellationem nihilominus à diuinis cessatur, non tamen significare volunt, quòd per appellationem non suspendatur quantum ad iuris effectus, quia non parit effectus, quos habet ab ipso iure.

CAPVT IX.

De relaxatione cessationis, idest à quo, & quomodo tollenda sit cessatio à diuinis.

Relaxare cessationem potest, quicunque iure ordinario potest tollere interdictum, nempe auctor, qui illud tulit, aut Superior illius, aut succesor in dignitate. Reliqui hanc iurisdictionem non habent, nisi per delegationem eis committatur, quod fieri potest, Henriquez cap. 54. num. 2. Et in modo tollendi cessationem non habetur aliqua præscripta forma in Iure, sufficit, vt de voluntate Iudicis constet sufficientibus verbis, sicut probatum est de censuris. videtur enim eadem ratio. Non satis autem est ad tollendam cessationem, vt qui eam posuit, incipiat illam non seruare, nisi alio modo appareret de voluntate Superioris intendentis eo modo relaxare Cessationem.

Sed hoc in loco dubitari potest, Primò an si non relaxetur cessatio ab ipso Iudice, qui illam decreuit, possit aliquando tolli per se ipsam elapso tempore certo, pro quo posita erat.

Aliqui putant cessationem à diuinis interdum auferri per se ipsam, nempe quando lata fuit ad certum tempus, vel sub conditione, tunc enim aiunt absque alia relaxatione Iudicis transacto illo tempore, vel impleta conditione sublatam esse cessationem, sicut idem affirmant de suspensione.

Oppositum tamen videtur probabilius, nimirum cessationem tolli absque iudicis voluntate non posse, quia repugnat propriæ eius rationi, vt illa feratur ad determinatum tempus. Imponitur enim solum, vt recedatur à contumacia, ergo quocunque tempore assignato, si prius tollatur contumacia, cessatio tollenda est. quare semper ponitur sub illa conditione expressa aut tacita, donec satisfaciat ille, ob cuius iniuriam decreta fuit cessatio. Si ergo quando fertur ad certum tempus, vel sub conditione, illa impleta, vel transacto tempore per se ipsam tollitur, absque facto Iudicis, dicendum erit semper, quoties secuta est satisfactio, sublatam esse cessationem, neque verùm facto Iudicis opus esse, nisi quando etiam manente contumacia velit Iudex ob aliquam causam rationabilem illam relaxare. Quod cum sit contra communem consuetudinem Ecclesiæ, igitur fatendum est cessationem à diuinis semel positam nunquam per se relaxari, nisi à Iudice fuerit reuocata; & in hoc conuenit cum veris Censuris. Ad rationem pro contraria opinione, Respondeo, quòd quamuis Cessatio feratur semper sub ea conditione tacita, vel expressa, Donec parueris, vel donec satisfeceris, tamen nō dicitur propriè sententia lata sub conditione, sed absolutè, quia simpliciter prohibetur vsus diuinorum officiorum, & Sacramentorum, sed ad finem obtinendi satisfactionem, & recessum à contumacia, Vnde recedente contumacia, cessatio à Iudice tollenda est.

Potest tamen dari casus, in quo cessatio tollatur ipso iure absque facto Iudicis, vt in cap. Quamuis in fi. de off. ordin. lib. 6. de quo dixi in cap. sexto, nempe quando cessatio posita est ex rationabili causa seruatis omnibus conditionibus, si pars, quæ illam posuit, non seruauit postremam conditionem in eodem cap. positam recurrendi post mensem ad Sedem Apostolicam, tunc cessatio transacto mense, parte illa in mora existente intelligitur sublata ex dispositione dicti cap. Quamuis in fi. *Parte insuper à diuinis cessante suprascripta tam in cessando, quàm in veniendo, siue mittendo ad Sedem Apostolicam non seruante non seruetur cessatio, sed ea non obstante, vt prius in ipsa Ecclesia celebretur.*

Secundò quæritur, An Iudex possit ex aliqua causa rationabili suspendere cessationem ad tempus, ita vt eo tempore non habeat vim ad obligandum, & sine peccato non seruetur. Et hæc dubitatio duas includit difficultates. Prima est, an Prælatus, qui potest decernere cessationem generalem, possit eam suspendere ad aliquod certum tempus quoad omnes effectus. Secunda est, an valeat illam suspendere quantum ad aliquem effectum, & quoad aliquas personas durante ipsa cessatione.

Respondeo nihil obstare, quoniam Prælatus possit, si velit durante cessatione, suspendere illam totaliter quoad omnes effectus ad aliquod tempus cum reincidentia transacto illo tempore, sicut fit in excommunicatione, à qua datur absolutio interdum ad tempus cum reincidentia, ita tenet Henriquez cap. 54. num. 2. & ratio est, quia Prælatus, qui eam posuit, sicut potest illam tollere simpliciter, ita potest ad tempus, quod minus est, puta pro certa Ecclesia Ciuitatis, pro Monasterio. hoc enim non repugnat. Quantum verò ad secundam difficultatem, de suspensione ad tempus quoad aliquos effectus, & certas personas, nimirum vt possit celebrari prima Missa à Sacerdote, vt corpus

pus

pus alicuius defuncti tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ, vel similia, Henriquez affirmat hoc rantum conuenire Summo Pontifici, neque licere alijs Prælatis inferioribus ob eam rationem, quia cessatio haber ab ipso iure omnes effectus suos connexos, sicut Excommunicatio, ideo Prælatus non potest suspendere aliquos effectus, sed sicut ponens cessationem, statim sequuntur omnes effectus, quos habet à Iure, ita tollens illam, cessat quoad omnes effectus; sed Papa, qui est superior ipso iure, potest suspeodere quoad omnem effectum, & relinquere illam in suo rigore quoad alios effectus. Confirmatur ex cap. Non est vobis, de sponsal. *Nulla diuina officia permittatis aliquatenus celebrari.* quibus verbis expresse prohibetur, ne possit poni cessario cum celebrationem aliquorum officiorum, ergo Prælatus non potest contra hanc iuris dispositionem suspendere cessationem quoad aliquos effectus tantum, ita vt quoad alios firma maneat.

Vnde infertur non posse Prælarum inferiorem concedere alicui durante cessatione, vt occultè celebret, vel audiat officia; sed posset ad tempus tollere omnino cessationem, & eius loco ponere interdictum, & tunc poterit concedere prædictam licentiam, quia effectus interdicti non sunt connexi.

Probabilius mihi videtur oppositum, quòd non solum Summus Pontifex, sed etiam Prælatus inferior possit suspendere cessationem quoad aliquos effectus tantum, & quoad alios vim habeat, & seruari debeat. Quod probatur primò quia hoc non repugnat essentiæ ipsius cessationis. Nullibi enim in iure legitur, quòd cessatio debear habere omnes illos effectus, vt si Prælato placuerit, non possit sustineri quoad aliquos

A effectus, nam si Prælatus habet auctoritatem imponendi cessationem cum omnibus effectibus, non possit illam ferre, vt seruetur cum aliquibus. Et simili ratione, si lata fuerit simpliciter, non possit suspendere quoad aliquos effectus, qui enim potest maius, poterit etiam id, quod minus est. Confirmatur exemplo excommunicationis; Nam posset Prælatus excommunicare aliquem contumacem priuando illum sacra communione tantum, non alijs bonis spiritualibus, quorum priuatio sequitur ex vi excommunicationis, si simpliciter feratur iuxta consuetudinem, quæ olim

B in Ecclesia seruabatur, vt pater ex cap. Engelthrudam 3. q. 4. Vbi quædam fœmina primo obstringitur vinculo Excommunicationis, quæ à fraterna communione separat, & Glo. ibi notat vocari minorem Excommunicationem, Deinde excluditur ab Ecclesia. Eodem modo posset Prælatus excommunicatum simpliciter absoluere ab aliquo vinculo excommunicationis, puta vt posset communicare cum alijs fidelibus, ita tamen vt non posset recipere Sacramenta, neque ingredi Ecclesiam. Multò igitur magis id affirmari potest de cessatione à diuinis, quæ non est cen-

C sura. Tertiò cessatio à diuinis est quid facti, & est sola prohibitio diuinorum officiorum; Quare, qui illam tulit, potest respectu vnius effectus illam tollere, non quoad alios quod nullo iure interdicitur. Ad cap. Non est vobis, de sponsal. respondendum est ibi explicari propriam rationem cessationis generalis, quæ iure ordinario vetat celebrationem omnium diuinorum officiorum, non tamen prohibet Prælatis, vt ex legitima causa non valeant eius effectus limitare, & suspendere.



DISPVTATIO TERTIA.

DE POLLVTIONE, SEV VIOLATIONE ECCLESIAE.



VM Violatio Ecclesiæ sit valde similis Interdicto loci, seu potius Cessationi à diuinis, meritò postquam dictum est de Cessatione, breuiter agendum erit de violatione, antequam prosequamur inchoaram tractationem de interdicto. Sicut enim in Ecclesia interdicta, vel in qua indicta est Cessatio prohibetur celebratio diuinorum officiorum sub reatu peccati mortalis, & alijs pœnis, ita quoque sub culpa lethali, & pœnis vetita est celebratio in Ecclesia polluta. Nam Ecclesia eo ipso, quòd est polluta, videtur interdicta; Vt enim habetur in cap. Si Ecclesia, de Consecr. Eccles. organa, & diuina suspenduntur, vt fit tempore Cessationis à diuinis. De hac violatione dicendum est, in quibus casibus accidat, an locum habeat in omni Ecclesia, de peccato celebrantis in Ecclesia polluta ante reconciliationem. Tandem per quem sit reconcilianda, & quo ritu.

E

CAPVT I.

De modis, quibus Ecclesia polluitur, & violatur.

PRimo loco discutiendum est, quibus modis Ecclesia polluatur, vt sciamus, quando non sit permissum in Ecclesia sacrum Missæ sacrificium peragere, & alia diuina officia celebrare, & si secus fiat, peccatum com-

committatur ob ttansgressionem huius Ecclesiastici præcepti.

Necessarinm fuit, vt in Ecclesia Christianorum destinarentur templa, & publica loca, in quibus singolariter coleretur Deus, & plebs Christiana ad Religionis opera perficienda conueniret, vt Paulus priori Epistola ad Corinth. cap. 11. inquit, *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis.* Et præcipuus finis, vt erigerentur Ecclesiæ fuit, vt in eis sacrificium Deo offerretur; Deinde, vt alia etiam Sacramenta ministrarentur, fideles conuenirent, & officia diuina celebrarentur, vt Reliquiæ Sanctorum in eis asseruarentur; Tandem vt defunctorum corpora in eis sepelirentur. Sed quando Ecclesia est polluta, prohibent sacri Canones, ne in ea diuina celebrentur.

Sex autem modis Ecclesiam violari, & pollui posse Doctores testantur. Primo per homicidium voluntarium, & iniuriosum ex cap. Proposuisti, de Consecr. Eccles. & cap. Si notum, de consecr. dist. 1. Non sufficit autem homicidium casuale ad violandam Ecclesiam, neque si proueniat ab Amente, quia hæc inuoluntaria sunt, neque si homicidium seqoatur ad sui defensionem propriam, quia non est iniuriosum. Similiter non violatur propter homicidium, cuius occasio, & causa etiam iniuriosa extra Ecclesiam data est, etiam si mors in Ecclesia contingat, vt si vulnus extra Ecclesiam illatum sit, quamuis postea vulneratus in Ecclesia moriatur, nam in hoc casu reuera non accidit homicidium in Ecclesia, sed tantummodo mors. Addit tamen Glo. in c. vni. de Consecr. Eccles. lib. 6. sufficere homicidium ad violationem Ecclesiæ, etiam si eueniat sine sanguinis effusione per suffocationem, quoniam illud vocatur verum homicidium. Quòd si in Ecclesia contingat percussio mortifera, non intelligitur violata Ecclesia, donec secuta fuerit mors, quantum spectat ad hoc caput homicidij, nam fortitan ex alia causa dici posset violata, puta ratione effusionis sanguinis, Res exemplo declarari poteft clarius, si quis percutiat alium in Ecclesia sine vulnere, & sine sanguinis effusione, & sit percussio sufficiens ad occidendum propter violentam contusionem, non erit violata Ecclesia, donec homicidium sit consummatum in ipsa Ecclesia. Si enim mors sequeretur extra Ecclesiam, reuera non diceretur homicidium commissum in Ecclesia.

Postulabit quis, si Iudex suspendat aliquem in Ecclesia, an dicatur polluta, quia illud homicidium non videtur iniuriosum; Respondetur, in hoc casu violatam esse Ecclesiam, nam quamuis non fiat iniuria ei, qoi occiditur, fit tamen iniuria loco sacro, & hoc sufficit, sicut si quis interficiat se ipsũ in Ecclesia, polluit illam, quia licèt sibi iniuriam non inferat, cum voluntariè id faciat, tamen Deo, & Ecclesiæ iniuriam facit.

Sed quid dicendum, si Iudex suspenderet hominem super Ecclesiæ tectum, vel in pariete extra Ecclesiam; Respondeo non violari Ecclesiam, quia homicidium non fit intra illam, Sylue. Vet. Consecratio 2. §. 5. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 156. & omnes ob eam rationem, quia Canones loquontur de homicidio intra Ecclesiam patratu.

Verùm quid sentiendum, si in Ecclesia à Tyranno, & hostibus Christianæ Religionis occideretur qois, quia profiteretur fidem Christi, nam sacro cruore martyris sanctificari, non execrari, & pollui dicitur Ecclesia. Respondeo, in hoc casu etiam pollui Ecclesiam, vt docet B. Antoni. 3. par. tit. 12. cap. 6. §. 4. Tabie. Vet. Consecratio num. 5. Nauar. supra & alij. Et ratio quia tunc non violatur Ecclesia sanguine Martyris, vt ab ipso fluit, quia talis sanguis sanctificat, polluitur tamen sacrilega actione, & interfectione, quia illud est verum homicidium.

Secundò polluitur Ecclesia per iniuriosam sanguinis effusionem, cap. Si Eccles. de consecr. Eccles. cap. Ecclesijs, de Consecr. dist. 1. Vbi non expresè statuitur, quòd effusio debeat esse iniuriosa, aut voluntaria, sed ita explicatur ab omnibus Doctoribus citatis, vt Sylue. etiam notat interdictum 4. §. 3. Quare hic casus est declarandus, sicut præcedens quoad omnes conditiones, & qualitates, & aliqui Doctores coniungunt hunc modum cum primo, ideo, vt sequatur pollutio, requiritur primò, vt effusio fiat intra Ecclesiã, quod est intelligendum hoc modo, idest requiri, vt ipsa sanguis effusio, vel saltem causa effusionis contingat intra Ecclesiam. Vnde si percussio fiat intra Ecclesiam, violatur, quamois non effundatur sanguis in Ecclesia, quia percussus continuò egrediatur, antequam sanguis effundatur in Ecclesia, vel quia receptus sit sanguis in vase, vel alio modo, & è contra non sufficit ad violationem, quòd sanguis effundatur intra Ecclesiam, si vulnus sit inflictom extra eam, ita sentiunt omnes, vt Tabie. Ver. Consecratio num. 4. B. Antoni. 3. par. tit. 12. cap. 6. §. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 156. qui dicit esse communem, ob eandem causam non satis est ad pollutionem, vt supra tectum Ecclesiæ, vel in spelunca, & cauerna subtus Ecclesiam effundatur sanguis, quia effusio non fit intra Ecclesiam.

Quæret quis, an semper polluatur Ecclesia ex percussione facta in Ecclesia, quamuis sanguis ibi non effundator.

Respondeo violari Ecclesiam ex hoc capite, si vulnus sit mortiferum, & graue, etiam si intra eam non effundatur sanguis. Nam in cap. Proposuisti, de Consecr. Eccles. propter vulnera violari dicitur Ecclesia, nulla facta mentione effusionis sanguinis, ibi: *Homicidia contingunt fieri, interdum, & aliquando vulnera inferantur,* quia effusio qoantum est ex parte actionis iniuriosæ, iam facta est, secus esset, si actio in Ecclesia facta esset iniuriosa non tamen ex suo genere vulneris inflictiua, nec causa effusionis sanguinis, vt est alapa, per talem enim actionem non violatur Ecclesia.

Quæret secundò quis, an necesse sit, vt qui vulnus infert, sit in Ecclesia, vel satis sit, vt vulneratus maneat in Ecclesia.

Respondeo nihil referre, an ipse percutiens sit in Ecclesia; Nam si quis iacto lapide ex foro voluntariè percutiat quempiam in Ecclesia, iam Ecclesia est violata, quia sufficit, vt vulneratio, seo effusio sanguinis accidat in Ecclesia. Vnde si è contrario quis existeret, & lapide percuteret aliquem in platea, ob eandem rationem non violaretur Ecclesia, quoniam licèt actio vulnerandi sumeret originem ab Ecclesia, vulneratio tamen extra Ecclesiam contingeret; eodem modo si sententia sanguinis pronunciaretur in Ecclesia, non pollueretur Ecclesia, si executioni traderetur extra Ecclesiam.

Quæritur tertiò, an necesse sit, vt effusio fiat ab alio, vel sufficiat ad violationem, vt idem se ipsum percutiat.

Respondeo eandem rationem esse de effusione proprij sanguinis, & alieni, quæ si fiat ob iustam & honestam flagellationem, non sequitur violatio, sed si iniusta

iusta fuerit, vt per mutilationem, aut vulneris inflictionem, polluitur Ecclesia, nam quamuis actio facta ab eodem non possit dici propriè iniuriosa respectu sui ipsius, tamen dicitur iniqua, & iniuriosa Deo, & Ecclesiæ.

Quartò quæritur, quid dicendum, si percussio leuis sit, aut vulnus modicum cum effusione sanguinis copiosa.

Respondeo posse regulam generalem tradi, quoties percussio ex suo genere non est ita grauis, vt sufficiat ad constituendum peccatum mortale, etiamsi magna sanguinis copia effluat, non polluitur Ecclesia, quia tunc illa effusio est veluti casualis, sed quando cum percussione graui, quæ sufficit ad peccatum mortale coniungitur copiosa sanguinis effusio, tunc sequitur violatio Ecclesiæ.

Quæritur quintò, quanta debeat esse sanguinis effusio ad polluendam Ecclesiam.

Respondeo non posse statui certam copiam, & quantitatem, quæ requiratur ad pollutionem, id solum pro comperto haberi apud omnes non violari Ecclesiam, si parum sanguinis defluat, sic Tabie. Consecratio 2. num 4. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 256. & alij; Vnde infert Domin. Sot dist. 1. q. 2. art. 3. ad 2. argu. 1. dist. 4. non pollui Ecclesiam, quando in rixa puerorum effunditur sanguis è naribus; Tandem quantauis sit effusio sanguinis, si non sit iniuriosa non polluitur Ecclesia, vt si accidat ex lapide cadente ex tecto, vel ex vulnere à furioso, & amente illato, vel per incisionem factam à Chirurgo, vel ad sui necessariam defensionem, ita Tabie. nu. 4. & 5. & Henriq. lib. 9. De Missa cap. 27. nu. 6.

Tertiò violatur Ecclesia per humani seminis effusionem cap. Significasti, de adult. cap. Si Ecclesia, de Consecr. Eccles. *Si Ecclesia non consecrata, cuiuscunque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta*, & c. Ecclesijs, de Consecr. dist. 1. *Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint.* Idem repetitur Ver. Ecclesiis dist. 68. Requiritur autem, vt illicitè effundatur semen humanum, siue sit fœminæ, siue viri fidelis, aut infidelis contra, vel iuxta naturam, dummodo sit illicita, Nauar. dicto cap. 27. numero 257. & citat Glosam in dicto cap. Ecclesijs, Ver. Cuiusque, de Consecr. dist. 1. & Specul. in tit. de Dedic. Eccles. Non sufficit tamen pollutio facta in somno, quia non est voluntaria, licèt indirectè possit vocari voluntaria in causa, & idcirco non potest dici humana & iniuriosa Ecclesiæ, Henriquez in dicto cap. 27. num. 5. & in Annot. lit. M. dicit esse communem, immo neque si accidat in vigilia, sed inuoluntariè.

Suares Tom. 3. suarum Disp. in 3. par. S. Thom. disp. 81. sect. 4. Vers. Tertiò violatur, asserit ex sententia omnium Doctorum requiri ad violationem ex hoc capite, vt effusio fiat in sufficienti quantitate, nam vnius, vel alterius guttæ effusio ad pollutionem non sufficeret, quia licèt illa parua gutta ex parte interioris voluntatis sit peccatum mortale intemperantiæ, tamen ratione exterioris iniuriæ loci sacri, non est res adeo grauis, neque iniuria consummata, præsertim quia in hac parua, & modica quantitate non potest vocari effusio.

Sed hæc opinio mihi non probatur, & oppositum videtur probabilius, nempe ex quacumque seminis effusione cum conditionibus præscriptis pollui Ecclesiam, & non esse necessariam copiam, & quantitatem, sicut dictum est de sanguinis effusione: Primò quia solus Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 5. Vers. Tertius Casus, citans Asten. requirit effusionem magnam seminis. Alij postulant hanc quantitatem in violatione Ecclesiæ ob sanguinis effusionem, de semine nihil dicunt quoad magnam, vel modicam quantitatem. & reuera magis consideranda est voluntaria emissio seminis in tali loco sacro, quam copia, & quod dicit Sylue. modicam humectationem non polluere Ecclesiam, verum est, quia talis humectatio non dicitur effusio seminis.

Secundò oppositum videtur apertè probari ex iuribus citatis, quæ quando eodem modo loquuntur de violatione ob sanguinis effusionem, licèt de semine vtantur verbo effusionis, quod significat copiam, & quantitatem notabilem, cum agunt de pollutione ex causa sanguinis, non ita de semine, vt patet apertè ex cap. Ecclesia, de Consecr. Eccles. ibi: *Cuiuscunque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta*, eodem modo in cap. Ecclesijs, de consecr. dist. 1. *Aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint*. Requirunt igitur sacri Canones ad violationem sanguinis effusionem, vel quamcunque seminis emissionem, quia non habetur in tex. sanguinis, vel seminis effusione, sed potius sanguinis effusione, & cuiuscunque semine. Neque Summus Pontifex absque causa in vtroque loco diuersimode de sanguine, & semine locutus est, vt significaret diuersam militare rationem in vtroq. casu, & licèt in cap. vni. de consecr. Ecclesiæ lib. 6. & in cap. Is qui, de sent. excom. eodem lib. dicatur *Si Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis effusione contingat*. Et ita eodem modo de vtraque causa loquatur, tamen interpretari debemus hæc verba ex iuribus citatis in tribus locis, vt per effusionem intelligere voluerit seminis emissionem. Tertiò idcirco ad pollutionem requiritur copia sanguinis, quoniam signum est regulariter vulnus illatum, seu percussionem fuisse sufficientem ad constituendum peccatum mortale, quod necesse est, vt illa effusio violet Ecclesiam, vt dixi superius. Verùm emissio seminis illicita voluntariè facta in quauis modica quantitate est peccatum mortale, vt fatetur Suares, ergo ex illa sequitur Ecclesiæ pollutio.

Requiritur quoque, vt talis emissio seminis fiat intra Ecclesiam, nec satis est, vt accidat in locis Ecclesiæ adhærentibus, vt in cubiculis Ecclesiæ coniunctis, vel in Turri, vel supra tectũ, aut in locis subterraneis, sicut dictum est de effusione sanguinis, quia est eadem ratio. Ita tradit Domin. Sot. distinc. 32. quæst. 1. art. 3. prope finem, Vers. Ad hæc verò, Cordub. in Summa quæst. 12 Emissio igitur seminis voluntaria, & illicita publica ex quocunque genere turpitudinis, siue per pollutionem, siue per illicitam copulam Ecclesiam polluit.

Sed est aliqua controuersia inter Doctores, Vtrũ per copulam licitam, scilicet coniugalem in Ecclesia factam polluatur Ecclesia. qua in re sunt duæ sententiæ.

Prima est illorum, qui sentiunt absolutè per copulam coniugalem Ecclesiam remanere pollutam. Primò quia iura citata simpliciter absque distinctione loquuntur de seminis emissione, ergo etiam si fiat per copulam coniugalem. Secundò quoniam licèt talis copula non sit iniusta, neque intemperans, ex obiecto tamen hoc ipso, quod fit in Ecclesia, est sacrilega, & peccatum mortale, Sic Ioan. Andr. quem citat Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 5. Vers. Tertius casus, B. Antoni.

3. par.

3.par.tit.12.cap.6.§.4.in fi.Palud.in 4.dist.18.q.8. ar. primo,in princ. Vers. Quantum, conclus.2. Ang.Ver. Consecratio num. 6. Vers.Sextus, Tabie. Ver.Consecratio 2.num.8. Vers Septimo, Nauar.in Manua.cap. 16.num.33.& cap.27. num.257. Tolet.lib.5. Instruct. Sacerd. cap.8. Vers.Secunda causa, Henriquea lib. 9. de Missæ sacrificio cap.27.num.5.Domin.Sot.dist.32. quæst.1.art.3. circa finem, Vers. Ad hæc autem, Caiet. in Summa, Ver. Matrimonij peccata num. 6. Victor. in Summa cap.90. & ita inquit Glos. in cap.vni. Ver. Seminis,de Consecr.Ecclesiæ, vbi proposita prius cõtraria opinione tandem concludit verius esse per talem copulam violari Ecclesiam, & citat cap.Quoniã, vbi Glo. Ver.Opportuno dist. 31. c.Ecclesiis, & Glo. Ver.Semine dist.68. c.Apostolus cum Glo.Ver.Fraudare 33.q.4.& cap.Is qui,vbi Glos.Ver.Sanguinis, de sent.excomm. lib.6. Ita tenet etiam Gemin. in c.Vni. num.10.De Consecr.lib.6.vbi addit,quod etiam si licitum esset viro reddere debitum vxori in Ecclesia, adhuc Ecclesia esset polluta. Sed hoc non videtur verum, quoniam iura ideo inferunt ea concubitu viri cum fœmina pollutionem Ecclesiæ, quia talis actus minimè licitus sit, & condecens in Ecclesia.

Secunda opinio opposita illorum est qui simpliciter negant pollui Ecclesiam per coniugalem coitum. Ita tenet Glo. in c.Ecclesijs, Ver. Semine, de consecr. dist 1.vbi expreſsè declarat pollui Ecclesiam per coitum illicitum ex adulterio, vel fornicatione, non autem si emittatur semen per copulam cum vxore, & potest probari idem ex cap. Si motam eadem cau. & quæst.vbi in fi.ita dicitur: *Si homicidio, vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissimè expurgetur, & denuo consecretur.* Vbi Glos. Ver. Consecretur, inquit, *id est mundetur per aspersionem*, Papa præcipit, vt reconcilietur Ecclesia, si polluta fuerit per adulterium, ergo intelligit non esse violatam per copulam coniugalem, aliter locutus fuisset vniuersaliter de quocunque coitu, non coarctando ad coitum per adulterium, & Archid. citatus à Glo.in cap.vni. Ver.Seminis in Addit.de consecr.Eccles.lib.6.tenet,quòd licèt regulariter non debeat debitum reddi in Ecclesia vxori, si tamen petit,& reddatur, non potest dici adulterium, aut fornicatio,neque ideo polluitur Ecclesia, Domin. Sot.in 4.sent.distinc.13. quæst.2.art.2. ad 2.arg. Dico Quarto inquit sub dubitatione forsitan per concubitum coniugalem non violari Ecclesiam, quia pœnæ sunt restringendæ,& cum in cap.Ecclesijs, de Consecrat. dist.1. solum iubeatur Ecclesias esse purgandas, cuiusque semine fuerint pollutæ, nec explicetur de quo semine intelligi debeat, rectè interpretari potest de iniqua, & illicita pollutione per coitum damnatũ, quia per actum honestum,& licitum non videtur probabile debere pollui Ecclesiam. Confirmatur, nam vsus matrimonij in Ecclesia non videtur adeo turpis, vt secluso contemptu debeat dici peccatum mortale, quia non est specialiter damnatus aliquo iure positiuo. Considerata verò ratione naturali, cum ille actus non sit malus, sed honestus, non videtur adeo grauis irreuerentia loci sacri, si in illo exerceatur, secluso scandalo,& contemptu. Vnde Domin.Sot. in 4. sent.d.32. q.1. art 3. circa fi. Vers. Hanc autem conclusionem inquit, quòd si talis concubitus est sic occultus.vt in publicum venire non possit,tunc fortè nõ esse coniugibus peccatum mortale, quia tunc nõ violatur Ecclesia, quæ non polluitur, nisi actu publico, ideo ait iniuriam non esse adeo atrocem. Ex quo dicto videtur posse inferri,quòd si coitus coniugalis pu-

A blicè fiat in Ecclesia, peccatum mortale cõmitti,quia Ecclesia per hunc actum publicum polluitur. Verùm hæc ratio Domin.Sot. non videtur probabilis, quia iste concubitus coniugalis,si exerceatur in Ecclesia, non ideo debet dici peccatum, quia polluit Ecclesiã, sed è contra, quia est turpis ex se, & repugnans sanctitati loci sacri; Ideo ex dispositione iuris positiui adiuncta est huic actui hæc prohibicio, vt in Ecclesia exerceri nequeat, & si in ea fiat, polluatur Ecclesia. Quare si copula coniugalis occulta in Ecclesia facta non est peccatum mortale, neque publica erit peccatum lethale,secluso scandalo. Dicitur enim publica, non quia sit facta coram omnibus, id enim ex sui genere est per se turpe, & contra honestatem, sed quia B omnibus nota est ex publica cohabitatione in Ecclesia, & concubitu in eodem thoro. Et in hoc sensu hæc circumstantia est impertinẽs ad honestatem, vel turpitudinem,secluso scandalo; Ergo nec etiam publica copula violat Ecclesiam, quia vt polluere possit, debet esse peccatum mortale.

Ad hanc difficultatem censerem respondendum fore duabus conclusionibus, quibus possunt duæ oppositæ sententiæ conciliari,vt vtraque probabilis appareat.

Prima conclusio, & regula sit, quando copula coniugalis illicita,& cum peccato mortali fit in Ecclesia, & consequẽter cum iniuria eiusdem Ecclesiæ, semper sequitur illius violatio. Probatur,nam tunc eadem C est ratio de copula coniugali, sicut de quocunq; alio illegitimo congressu, nam licèt non sit contra iustitiam, tamen ratione circumstantiæ loci sacri propter cultum, & venerationem illi debitam est peccatum intemperantiæ, & sacrilegium, & ideo iniuria afficitur locus sacer. & hoc voluerunt omnes Doctores citati. Probatur secundò, nam quamuis iura cum de huiusmodi violatione ratione effusionis seminis loquuntur ad rem declarãdam, vsurpent exempla vnius, vel alterius complexus carnalis illiciti, & contra iustitiam,nempe adulterij, vel fornicationis, tamen generaliter intelligunt idem de quacumque seminis effusione,quæ fiat cum peccato mortali propter sanctitatem loci,quamuis non sit contra iustitiam,vt est co- D pula coniugalis. Quando igitur Coniuges absque legitima causa copulantur in Ecclesia,polluitur Ecclesia, quia quando hoc modo congrediuntur, vsus matrimonij est illicitus, & sacrilegus contra reuerentiam loco sacro debitam.

Secunda conclusio seu regula sit,quando Coniuges excusantur à peccato mortali,si copulentur in Ecclesia, tunc probabilius est non pollui Ecclesiam, etiam si talis coniunctio publica sit; Primò quia ex Iuribus citatis non colligitur ex vllo loco ob talem concubitum sequi violationem Ecclesiæ. Secundò quia nulla ratio persuadere potest ex tali congressu coniugali, qui licitus est, & cum reuerentia, & timore Dei fieri potest, violari Ecclesiam. Tertiò effusio sanguinis, si E ex iusta causa fiat,nempe ad defensionem vitæ corporalis,non polluit Ecclesiam,vt dixi,ergo neque effusio seminis honesta debet illam polluere,tanquam facta ex iusta causa ad defensionem vitæ spiritualis, seu ad vitandum periculum incontinentiæ.

Sed postulabit quis, quando talis copula licitè fiat in Ecclesia, & sine peccato.

Respondeo ad id vindicandum hanc regulam breuiter assignari posse, quoties moraliter coniuges, & iuxta humanam fragilitatem vitare possunt hunc cõgressum in Ecclesia, & in alio loco illum exercere, si

exer-

exerceant illum in Ecclesia, semper peccant mortaliter, à quo peccato excusantur, si ad illum in Ecclesia exercendum ex necessitate, vel ob humanam fragilitatem compellantur. Quare si Coniuges sponte, non coacti ex aliqua causa necessaria veline in Ecclesia concubere, quamuis cogerentur in Ecclesia cohabitare, sed permitteretur eis in cubiculis dormire, tunc grauiter peccarent in Ecclesia coheundo. Item si ex iusta causa in Ecclesia dormirent, sed breui tempore, vt vna vel altera nocte, vel ex voto, vel ob similem causam essent rei grauis culpæ, si in Ecclesia coirent, quia facile & sine graui incommodo possent se continere, & separare quoad thorum, vt euitarent morale periculum pollutionis, & huiusmodi intemperantię, & in his casibus peccaret non solum petens debitum, sed etiam reddens, quia alter non habet ius petendi tali tempore, & loco, & ideo alter non tenetur reddere. At verò si ex iusta causa coguntur habitare longo tempore in Ecclesia, in qua nullus sit locus contiguus præter Ecclesiam, vbi cubare valeant, vt in casu, quo Ciuitas obsessa esset ab hostibus, & Ciues tanquam in locum tutiorem cõfugiunt ad Ecclesiam cum vxoribus, & vniuersa familia, vel ad euitandum manus Ministrorum iustitiæ quis ob aliquod crimen cõmissum in Ecclesia se abscondisset, vel propter aliud simile, tunc copula coniugalis in Ecclesia contingens non esset peccatum mortale. Ad hæc aliqui adduut, quòd quamuis non ambo coniuges, sed vnus detineretur longiori tempore in Ecclesia, ita vt extra eam neque petere, neque reddere debitum valerent, non esset tamen peccatum mortale, si coniux liber accederet ad aliam inclusum, vt ibi peteret, vel alteri petenti redderet debitum, & in Ecclesia consumaret actum matrimonij ad euitandum morale periculum incontinentiæ, quoniam non videtur verisimile Ecclesiam obligare cum tanto rigore ad vitandum actum matrimonij in Ecclesia. neque ratione naturali apparet in hoc irreuerentia grauis, & in his duabus conclusionibus videntur conuenire omnes Doctores citati pro prima sententia. Et ita etiam tenet Riccar. in 4. dist. 32. art. 3. q. 1. Maior. q. 1. Sylue. Ver. Debitum §. 3. Castro. lib. 1. de lege pœnali cap. 7. Docum. 2. Couar. in 4. lib. Decretal. par. 2. cap. 7. §. 2. nu. 3. Victor. in Summa num. 276. dicit hanc opinionem esse probabilem, & tutam in praxi.

Secundò dubitari solet de hoc casu, an per occultã pollutionem, vel fornicationem, vel similem actum illicitum polluatur Ecclesia, vel requiratur, vt crimen sit publicum.

Respondeo ex communi sententia Doctorum Ecclesiam non violari per crimen occultum, ita tenet Sylue. Consecratio 2. §. 5. circa fi. Vers. De his tamen dicit, vbi ex sententia Archid. Host. & Io. Andr. notat, quando hæc vitia commissa in Ecclesia sunt occulta, non violari Ecclesiam, & concludit hoc esse verum non solum in effusione seminis, sed etiam in effusione sanguinis, & in alijs casibus, in quibus violatur Ecclesia ob eam rationem, quia Ecclesia non iudicat de occultis, & Ver. Confessio 3. §. 11. Vers. Decimo octauo aic, quòd si Sacerdos sciuerit in Confessione Ecclesiam fuisse pollutam coitu, vel ex alia causa, non tenetur reuelare Episcopo, neque etiam in genere, si crimen sit omnino occultum, quia tunc reconciliatione non indiget, & Ver. Missa 1. §. 5. in princip. Nauar. in Manua. cap. vigesimo septimo, num. 256. in fi. Vers. Ad quæstionem, Domin. Sot. lib. 4. Sent. dist. 13. quæst. 2. art. 3. ad 2. argum. Dicto quarto, Vers. Et est hic notandum, dicens prohibitionem celebrandi in Ecclesia violata intelligi debere, quando violatio est publica, nam si sit occulta non opus est suspendere Missas, & sacrificia, neque Ecclesiam reconciliare, & asserit esse opinionem communem, Tunc autem publicam esse inquir, cum vel ex facti euidentia, vel iuridica confessione constat, vt etiam inquit Sylue. Consecratio 2. §. 5. Casu 3. in fi. Idem Sot. dist. 32. q. 1. art. 3. prope fin. Vers. Hanc autem conclusionem, Palud. in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4. & probat exemplo pœnitentiæ solennis, quæ sicut nunquam pro occulto crimine imponenda est, ita neque propter huiusmodi crimen reconcilianda est Ecclesia, quia reconciliatio semper fit cum solennitate, Quare omnes videntur in hac conclusione conuenire, quæ probari potest primo ex capit. Significasti, de Adulter. Vbi Alexander Tertius ideo præcipit, vt Ecclesia reconcilietur, in qua commissum fuit adulterium, quia Adultera publicè crimen fuerat confessa, & ex Glos. in capit. vni. Ver. Pollui De Consecr. lib. 6. Vbi Glo. ad id confirmandum vtitur optima ratione, nam Ecclesia dicitur pollui quoad hominum opinionem, qui eam polluunt, quantum in ipsis est, quæ enim sancta sunt, coinquinari non possunt, & cum hæc opinio, & conceptus hominum cesset, si pollutio sit occulta, ideo non debet reconciliari. Secundò probatur, quoniam Ecclesia non iudicat de occultis, & est ratio, qua vtuntur omnes, ergo quando violatio est omnino occulta, non opus est reconciliare Ecclesiam. immo non videretur conueniens, vt occulta delicta publicè detegentur, vt Ecclesia reconciliaretur. Tertiò sequerentur magna incommoda, si Sacerdos ob occultam pollutionem, quam in ecclesia voluntariè habuit, à celebratione abstinere cogeretur in tali ecclesia, & idem in similibus casibus.

Animaduertendum etiam est hoc in loco hanc cõditionẽ necessariam esse in omni violatione ecclesiæ ex quacunque causa oriatur, nempe quod crimen debeat esse publicum non tantum in pollutione carnali, sed in effusione sanguinis, & in alia quacunque causa, vt omnes Doctores citati testantur, quamuis specialiter de illa conditione, pertractent in hoc casu effusionis seminis, & meritò, quia frequentius illicita pollutio fit occulta, & interdum ab vnica persona sine socio, cum aliæ causæ indigeant, vt plurimum commercio aliorum. Quamobrem hæc regula extendenda est ad omnem causam pollutionis, quæ possit esse occulta, nam est eadem ratio.

Dicitur autem publica actio ad hunc finem, de quo agimus, vt omnes auctores citati testantur, si pateat vel propter facti euidentiam, vel confessionem in iudicio factam, vel per sufficientem probationem; ideo si duo, vel tres sciant crimen, & illi taceant, non erit polluta ecclesia, quia adhuc delictum est occultum respectu populi. Et quod dicitur de euidentia facti, non est ita intelligendum, vt opus sit factum ipsum videri publicè ab omnibus, id enim moraliter ferè nunquam accidere potest, sed satis erit, si iuxta facti conditionem, & qualitatem cognitum sit cõmuniter ab ipso populo, vel à Parochia, ideo inquit Domin. Sot. in illa dist. 32. q. 1. art. 3. prope finem, Vers. Si tamen concubitus, vt hic actus censeatur publicus, sufficere, vt Coniuges in eodem thoro publicè accubent, & ecclesia erit violata, & Nauar. cap. 27. n. 256. in fi. infert contingere posse, vt effusio sanguinis, vel seminis facta fuerit ante mensem duobus præsentibus, non induxerit tunc violationem Ecclesiæ, si illi testes tacuerunt,

runt rem, & nemini reuelarunt, & transacto mense illis factum publicantibus Ecclesia censeretur polluta, quia tunc gignitur fama, & opinio apud populum effusionis seminis, aut sanguinis. Quare sufficit publica fama, vel sufficiens testimonium morale, aut talia indicia, quæ æquiparentur testibus, & moraliter ex communi opinione certa habeantur.

Tertiò dubitari potest, an teneatur quis sciens Ecclesiam esse pollutam seminis effusione, & idem dicimus de effusione sanguinis, & de alijs causis violationis abstinere à celebratione in dicta Ecclesia, antequam per sententiam Iudicis violata denuncietur; Nam post decretum Concilij Constantiensis non tenentur fideles ad abstinendum occasione Censurarum, nisi in casu publicæ percussionis Clerici, & vbi quis nominatim denunciatur Censura innodatus; Nā verba dicti Concilij sunt, vt nemo prætextu cuiuscunque sententiæ, aut Censuræ à Iure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneantur abstringere, donec id in particulari, seu nominatim declaratum fuerit. Violatio autem Ecclesiæ videtur quoddam Interdictum iuris, vt inquit Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. & Sylue. Ver. Interdictum 4. §. 3. ergo comprehenditur sub illo decreto Concilij Constantiensis, in quo generaliter est sermo de omni Censura, & sententia Ecclesiastica.

Respondeo non esse omnino improbabile propter rationem adductam asserere Concilij Constantiensis decretum locum habere etiam in violatione Ecclesiæ in his casibus, de quibus modò tractamus. Verùm oppositum mihi magis probatur, nam pollutio Ecclesiæ propriè non est Censura, licèt per quandam similitudinem possit interdicto comparari ratione effectus, quem producit, idest priuationem celebrationis diuinorum officiorum, in quo communicat etiam cum cessatione à diuinis, vt dixi initio capitis. Quòd autem non sit interdictum, colligitur ex cap. Is qui, de sentent. excomm. lib. 6. Vbi statuitur non incurri irregularitatem ab eo, qui scienter celebrat in Ecclesia sanguinis, vel seminis effusione polluta, & in fine dicti cap. affirmat irregularitatem contrahi, si Sacerdos celebret in loco interdicto, ergo differt violatio Ecclesiæ ab interdicto.

Quartò dubitatur, Vtrum per effusionem sanguinis, vel seminis contingentem in Cœmeterio contiguo, & annexo Ecclesiæ violetur ipsa Ecclesia.

Respondeo polluto Cœmeterio contiguo Ecclesiæ non violari Ecclesiam, sed bene è contra polluta Ecclesia censetur violatum cœmeterium annexum, ita definitum fuit in c. vni. de Consecr. Eccles. lib. 6. *Si Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis effusione contingat, ipsius Cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum*. & paulò post: *Non sic quoque in casu conuerso sentimus, vt videlicet polluto Cœmeterio quamuis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta ne minus dignum maius aut accessorium principale ad se trahere videatur*, & docet Gemin. ibi num. 2. quia vitium rei principalis extenditur ad rem accessoriam illi contiguam, Franc. num. 3. Anchar. num. 1. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 258. Henriquez lib. 9. de sacrificio Missæ cap. 27. num. 5. & ex eodem fundamento sequitur reconciliata Ecclesia reconciliatum etiam censeri Cœmeterium, Gemin. ibi num. 5. Franc. num. 1. quoniam omnis res, quæ per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur c. 1. de regul. iur.

Quartò violatur Ecclesia, si in ea sepeliatur corpus excommunicati defuncti, vt habetur in cap. Consului-

A sti, de Consecr. Eccles. *Cœmeteria, in quibus Excommunicatorum corpora sepeliri contingat, reconcilianda erunt aspersione aquæ solenniter benedictæ*. Vbi id statutum fuit de Cœmeterijs, ergo multò magis habet locum in Ecclesijs, cum Cœmeterium sit accessorium ad Ecclesiam c. Is qui, de sent. excomm. lib. 6. & tale corpus excommunicati extra Ecclesiam est proijciendum, si ab alijs discerni queat, vt notat Glos. Ver. Cœmeteria. idq; definitum fuit ab Innocentio Tertio in c. Sacris, de sepult. *Vnde si contingat interdum, quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in Cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura iactari*. In hac conclu-B sione conueniunt omnes Doctores, Palud. Ang. Sylue. Henriquez locis citatis, Tabie. Ver. Consecratio 2. §. Septimo in fi. B. Antoni. 3. par. tit. 12. cap. 6. §. 4. in fi. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 257. Vers. Tertius, Franc. Victo. in Sum. nu. 99. Tolet. lib. 5. Instruct. Sacerd. c. 8. & omnes alij.

Quæ conclusio post Concilium Constantiense est intelligenda iuxta limitationem, de qua modò dixi, idest de excommunicatis denunciatis, vel publicis, & manifestis percussoribus Clericorum, quia hos tantū tenemur euitare, neq. possumus in loco sacro sepelire.

Omnes auctores hanc pœnam iuris producunt quando ab Episcopo excommunicato nominatim denunciato Ecclesia aut Cœmeterium consecratur, aut C benedicitur, putant n. in hoc casu Ecclesiam, & Cœmeterium remanere violatum. ita tradit Abb. in d. c. Cōsuluisti n. 5. de consecr. Ecclesię. ex sententia Io. Andr. quod deducit ex eod. tex. Nam si sepultura corporis hominis excommunicati polluit ipsum locum, multò magis idem erit, quando ipsa Consecratio fit per manus notorij excommunicati. Idem ait Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 258. Vers. Quintus, Sylue. Consecratio 2. §. 5. in fi. Vers. Quintus est, & citat Host. Henriq. lib. 9. De sacrificio Missæ ca. 27. nu. 5. in fi. idem asserit Io. And. in dicto c. Consuluisti, B. Antoni. 3. par. titu. 12. cap. 6. §. 4. in fi. Tabie. Consecratio 2. num. 4. Casu 5. Tolet. lib. 5. Instruc. Sacerd. cap. 8. prope fi. Ver. Quinta causa, Nullus tamen adducitur textus, vel testimo-D nium iuris, quo hoc dictum confirmari possit, sed tantum probant ex illa similitudine, quòd si sepultura excommunicati violat Ecclesiam, multò magis videtur congruum, vt polluatur per consecrationem transeūtem ab ore excommunicati. Quare Doctores ita sentientes admittunt quidem Consecrationem, aut benedictionem traditam ab Episcopo sic excommunicato tenere, & esse validam, quia per excōmunicationem non est sublata potestas ordinis, sed tantum iurisdictionis. Consecratio verò & benedictio Ecclesiæ quoad substantiam non requirit iurisdictionem, sed est tantum actus ordinis. Quare Ecclesia manet consecrata, aut benedicta. Existimant tamen auctores citati simul manere violatam, idest suspensam eius con-E secrationem, & benedictionē, vt non possint in ea exerceri, quæ in loco sacro celebrari debent. Quemadmodum si excommunicatus ordinetur, ordinatio quidem tenet, ipse tamen suspensus manet ab executione ordinum, vt vidimus in materia de suspensione.

Et quāuis hæc sententia de Ecclesia consecrata, seu benedicta ab Episcopo excōicato, quòd maneat polluta, ita vt ante reconciliationem sacra mysteria in ea peragi non debeant, sit communis omnium, & nullus extet, qui eam ausus fuerit impugnare, nihilominus Suarez tom. 3. in 3. part. S. Thom. disput. 81. sect. 4.

Vers.

Verf. Quartò violatur circa med. afferit non poffe af- A
fentiri huic opinioni. Fundamentum ipfius præcipuũ
eft, quoniam in legibus poenalibus, & odiofis non
valet argumentum à fimilitudine rationis. Sicut
enim Iure cantum eft irregularitatem non incurri, ni-
fi in cafibus expreffis, ita idem eft fentiendum de om-
ni Cenfura de quacunque poena ipfo iure lata, quæ fi
non eft expreffa, non poteft incurri ipfo iure. Quare
cum Ius ftatuerit ecclefiam pollui per fepulturam ex-
communicati, & nihil dixerit de Confecratione facta
ab Epifcopo excommunicato, non poteft id, quod de-
finitum fuit in vno cafu trahi ad alium diuerfum. Nã
fi ius vtrunque cafum complecti voluiffet, vtiq. id ex-
preffiffet. Accedit, quòd nõ videtur par ratio in vtro-
que cafu, quia iniuria, quæ infertur Ecclefiæ per fepul- B
turam hominis excommunicati, vel eft maior inten-
fiuè, vel faltem extenfiuè, quia magis permanens eft,
& diuturna. Immo fi argumentum à fimilitudine va-
leret efficacius argumentum deduci poffet ad cõclu-
dendum oppofitum ex c. A nobis, de facram. non ite-
ran. vbi habetur non pollui Altare, fi in eo excommu-
nicatus, aut fchifmaticus celebrauerit, ergo ex fimili
ratione non erit pollutum Altare, aut Ecclefia, fi ex-
communicatus illa confecret, Vel alio modo fi eccle-
fia violatur, quoniã in ea excommunicatus fepelitur,
erit etiã polluta, fi Sacerdos excõmunicatus aliquem
folenniter in ecclefia fepeliat, fi valet argumentum à
fimilitudine. hoc tamen fecundum eft falfum, igitur
hic modus inferendi vnum ex alio ob folam fimilitudi- C
nem rationis in pœnis, & odijs non eft efficax: Tandem
inquit Suarez: Violatio fupponit ecclefiam confecra-
tã, vel benedictam, at actio Epifcopi, per quam eccle-
fia confecratur, non fupponit confecrationem, fed eft
illa, per quam ecclefia confecratur, ergo nulla eft cau-
fa, propter quam dici debeat ecclefia fic confecrata
polluta, quominus in ea exerceri poffint ea, quæ in lo-
co facro fieri debent. His rationib. ductus hic auctor,
dimiffa communi fententia, adhæret oppofitę, quam
credit veram effe, quamuis nullius Doctoris auctori-
tate fulgiatur.

Verùm hæc opinio Suarez nullo modo videtur ad-
mittenda, quia eft omnino fingularis, quam nullus ex
omnibus auctoribus, quos legerim, eam fequitur, im- D
mo neq. innuit, & omnes tã veteres, quàm recentiores
confentiunt in contraria conclufione, recenfentes in-
ter alios modos, quibus polluitur Ecclefia hunc di-
ftinctum ab alijs modis, quando ecclefia confecratur,
vel benedicitur ab Epifcopo nominatim excommu-
nicato, & licèt hic modus in iure expreffim non conti-
neatur, tamen in cap. Confuluifti, de confecr. ecclef.
Io And. illum inter cæteros refert, quem ibi fequitur
Abb. & alij fcribentes, quorum opinio recepta eft ab
omnibus Theologis, & Canoniftis, ac Summiftis ne-
mine difcrepante, ideo non careret aliqua temerita-
tis nota ab ea recedere, cum communis opinio Do-
ctorum in re morali præfumatur vera, & pro verita-
te habeatur, vt inquit Alcia. in Tractatu Præfumpt. E
Regul. 1. Præfump. 51. num. 2. & tradit Anton. Maria
Coratius in Tract. de com. opin. lib. 1. titu. 3. : ne. 4.
Ang. Ver. Opinio num. 1. poft princ. Verf. Si ver
polluunt, Tabie. eodem Ver. num. 4. poft princ. præ.er-
tim cum hæc fententia communis nullum alium ha-
bet Contradictorem, quàm ipfum Suarez folum. Et
ideo eum de hoc cafu nihil difpofitum reperiatur ab
ipfo iure, ftandum eft communi opinioni Doctorum
c. 1. Vbi Abb. Ant de Butr. & cæteri id notant de de-
ci. Anchar. in c. Nolite 11. q. 1. Felin. in cap. 1. num. 54.

Verf. Nono fallit, de Conftit. & Abb. in c. A nobis n. 1.
De Sacram. non iteran. animaduertit ex fententia
Hoft. quòd licet de hoc modo violationis ecclefię non
habeantur iura expreffa, nec peculiares orationes,
nec preces legantur in Pontificali pertinentes ad hãc
reconciliationem, tamen effe iuxta mentem iuris, nã
ficut ordinatis à talibus eft interdicta executio, do-
nec eum eis fuerit difpenfatum, fic prædictarum re-
rum fufpenditur vfus ante reconciliationem, pro qua
inquit reconcillatione facienda componendæ effent
propriæ, & congruæ orationes, & preces.

Confirmatur, quoniam, & fi hic modus non habea-
tur in iure expreffus, tamen colligi poteft ex illis lo-
cis, in quibus ftatuitur ordinationes factas ab Epifco-
po excommunicato effe irritas non quoad fubftan-
tiam, fed quoad vfum ordinum, & ex hoc modo ordi-
natos manere ipfo iure fufpenfos, vt in cap. 1. & 2. de
fchifma. & c. Ordinationes, cap. Ab excommunicatis
9. quæft. 1. & in alijs locis, quam fufpenfionem ab exe-
cutione ordinum incurrunt ita ordinati, quamuis fi-
ne culpa ordines ab huiufmodi excommunicatis re-
ceperint ob eam rationem, quia nemo dat, quod non
habet; excommunicatus verò Epifcopus caret vfu
ordinis, ergo illum alteri tradere nequit. Ex his igi-
tur iuribus optimè defumere poffumus voluiffe Sum-
mum Pontificem idem ftatuere de Confecratione ec-
clefiæ, qui eft actus ordinis Epifcopalis, ficut colla-
tio ordinum, ideo fi fiat ab Epifcopo excommuni-
cato, quamuis teneat quoad fubftantiam, quia non
eft reconfecranda, tamen impedita remanet quoad
vfum, vt ecclefia fic confecrata reconciliatione indi-
geat, vt in ea exerceantur functiones illæ, quæ locum
facrum requirunt, ficut ordinatus ab Epifcopo ex-
communicato non poteft exequi ordines receptos an-
te difpenfationem.

Ex his refponderi poteft ad ea, quæ Suarez adducit
ad impugnandam hanc communem opinionem, &
primo ad fundamentum ipfius dupliciter refpondeo.
Primò quòd licèt in poenalibus non fiat extenfio à
fimilitudine rationis, tamen in illis bene valet argu-
mentum ab identitate rationis, vt in cafu noftro. Vbi
enim eft eadem ratio, ibi idem Ius, l. Si poftulauerit
§. Ratio, ff. de adult. Glof. in l. fin. Ver. Voluerit, C. de
reuoc. dona. quam ibi Salic. affirmat effe fingularem,
Idem Salic. in l. Si ferui numero vigefimo quarto, &
fequent. C. De Noxa. At in cafu noftro militat ea-
dem ratio, vt oftendi, ergo eadem iuris difpofitio
locum habere debet. Quare non fumitur hic modus
violationis folum ex illa fimilitudine, quòd ficut
fepultura excommunicati polluit ecclefiam, ita con-
fecratio facta per manus Epifcopi excommunicati.
hæc enim ratio tanquam probabilis adducitur, fed
identitas rationis confiftit inter ordinationem fa-
ctam ab Epifcopo excommunicato, & cõfecrationem
ecclefiæ, vterque enim actus eft ordinis Epifcopalis.
Quare fi Epifcopus excommunicatus caret vfu or-
dinis, ficut non poteft dare executionem ordinato,
ita fi confecret ecclefiam, non dat vfum, vt ita dicam,
confecrationis, quem habet locus facer. Secundò re-
fpondeo, quòd fi velimus tueri opinionem illam, quã
fequuntur multi, quòd in poenalibus etiam ex identi-
tate rationis non fit licita extenfio, quam putant effe
magis communem, & defumitur ex l. Si quis §. Idem
labeo Verf. Sed follicitus, ibi, Poenam tamen in eum
&c ff. De relig. & fump. funer. §. Cum igitur in
Authen. de non eli. fecun. nube. Glofa magna in fi.
in l. final. ff. de in ius vocan. Vbi Bartol. Bald. Rom.

& alij, Ioan. Andr. in cap. Dispendia de rescript. lib. 6. & in cap. Si fortè. de elect. eod. lib. latè per Iaso. qui plura allegat in l. Cum quidam in 7. notan. numero 10. & sequen. ff. de liber. & posthum. & pleniſsimè per Aymo. de antiq. temp. par. 4 numero 86 & seq. Verſ. Contrarium, ſi inquam horum Auctorum in hac quæſtione mentem ſequamur, dicendum eſt fundamentum hoc, quo vtitur Suarez, non poſſe aptari ad caſum noſtrum, quoniam quòd eccleſia maneat polluta, ſi conſecrata fuerit ab Epiſcopo excommunicato, propriè non dicitur pœna, ſed eſt ſuſpenſio tantum conſecrationis factæ quantum ad vſum, quæ non habet rationem pœnæ, nam ſi annullatio actus verè non dicitur pœna, multò minus erit pœna ſuſpenſio actus, Irritationem verò actus non eſſe pœnam docet Glo. notab. in cap. Cognoſcentes, Ver. Diſpendijs, de Conſtit. quæ ponit vt diuerſa retractationem actus, & damnum, ſeu pœnam, quia retractatio, & irritatio actus non eſt pœna, ergo multò minus ſuſpenſio actus. Quòd ſi contra opponas aliam Gloſ. inſignem in cap. Decet, Ver. Proceſſus, de immun. Eccleſ. lib. 6. quæ affirmat conſtitutionem actum retractantem eſſe pœnalem, & ideo ex identitate rationis non extendendum, & idcirco cum dictum c. Decet, irritet actum geſtum in Eccleſia, non debere extendi ad cõtractum, Reſpondet Abb. in dicto c. Cognoſcentes nu. 5. Verſ. Et ibi per Bald. De Conſtit. & conciliat has Gloſas, quòd quando nullitas actus inducitur in odium alicuius, tunc ſtatutum illud dicitur pœnale, aut id non ſit in odium, aut damnum alicuius, ſed tantum ſtatuitur in defectum ſolennitatis omiſſæ nullitas actus, & tunc licet inferre ab vno in aliud ex identitate rationis. Ita accidit in caſu, de quo tractamus, inducitur enim pollutio Eccleſiæ propter conſecrationem factam ab Epiſcopo excommunicato non in pœnam alicuius, ſed ex defectu poteſtatis. ſic autem licet argumentari ab vno in aliud, quòd ſicut ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, qui caret vſu poteſtatis, remanet ſuſpenſus ab vſu executione ordinis ſuſcepti. Ita ob eandem rationem Eccleſia ab eodem conſecrata maneat violata, vt in ea ante reconciliationem diuina celebrari nequeant.

Ad cap. A nobis, De ſacram. non iteran. vbi habetur Eccleſiam non pollui ſi in ea excommunicatus celebrauerit; Reſpondeo non haberi in eodem textu Eccleſiam in illo caſu non eſſe pollutam, ſed tantum ibi dicitur Eccleſiam non eſſe reconciliandam, quia non eſt execrata, vt notat ibi Gloſ. in Ver. Altaria, ſicut neque reconſecrari debet, quando polluitur ſanguinis effuſione, & tamen eſt reconcilianda, antequam in ea celebretur, Vnde Abb. in eodem cap. Verſ. Quæro quid, quærit, quid dicendum, ſi à ſchiſmaticis conſecretur Altare Chriſma indumentum, vel alia inanimata, & reſpondet ex mente Hoſt. ita conſecrata, vel benedicta non carere effectu, ſcilicet conſecrationis, & benedictionis, ſed eorum executionem, & vſum impediri.

Ad aliam ſimilitudinem, quòd ſicut non valet ſimilitudo, ſi ita argumentemur, Eccleſia polluitur, ſi in ea ſepeliatur excommunicatus, ergo etiam ſi excommunicatus ſepeliat alium, ita non erit validum argumentum à ſepultura excommunicati ad conſecrationem factam ab excommunicato.

Reſpondeo non valere conſequentiam nec in primo, nec in ſecundo argumento. non valet conſequentia primi argumenti, nam ſi ille, cuius corpus traditur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, non eſt excommu-

A nicatus, nihil refert, quòd ſepeliatur ab excommunicato, quoniam actio illa ſepeliendi verſatur circa corpus, non circa Eccleſiam, ideo propter hoc Eccleſia non polluitur, nec corpus defuncti eſt exhumandum, vt ſtatuit Summus Pontifex in dicto capit. A nobis, de ſacram. non iteran. niſi in vita elegiſſet velle ſepeliri ab excommunicato, tunc enim deceſſiſſet in peccato, & corpus eſſet exhumandum, vt dicitur in cap. Sacris, de ſepult. & notat Abb. in dicto cap. A nobis, de Sacram. non iteran. Item non valet conſequentia ſecundi argumenti, quoniam non infertur ex illo principio, quod proponitur, vt dixi, ſed ex alio, quod ſicut ordinati carent executione, ita Eccleſia conſecrata caret vſu, qui conuenit loco ſacro.

B Quinto polluitur Eccleſia, quando aliquis paganus, ſeu infidelis, vel is, qui non eſt baptizatus in ea ſepelitur, vel ſepultus iacet, ita definitum habetur in cap. Eccleſiam 1. & 2. De Conſecr. diſt. 1. *Eccleſiam, in qua paganus ſepultus eſt, non liceat conſecrare, neque Miſſas in ea celebrare, ſed iactati foras, & mundari oportet.* Ratio huius pollutionis affertur ibi à Gloſ. quòd ſicut infideles viuentes ab Eccleſia reijciuntur cap. Cleros diſtin. 21. & cap. Perfectis diſtinct. 25. ita etiam mortui reijciendi ſunt. Nam quibus viuentibus Eccleſia non communicat, & mortuis communicare non poteſt, cap. 1. 24. quæſt. 2. Ita Sylue. Conſecratio 2. §. 5. Verſ. Quartus caſus. Angel. numero 6. Hoſt. in Summa lib. 3. titul. de Conſecr. eccleſ. §. Et an

C ſit iteranda num. 7. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 257. Verſ. Quartus eſt, Henriquez lib. 9. De Sacrificio Miſſæ capit. 27. num. 5. Verſ. Tertiò polluitur, Palud. in 4. diſtinct. 18. quæſt. 8. artic. 1. Concluſ. 5. Tolet. lib. 5. Inſtruct. Sacerd. cap. octauo, prope fin. Verſ. Quarta, Suarez Tom. 3. in 3. part. S. Thom. Diſp. 81. Sect. 4. poſt med. Verſ. Quinto violatur, Azo. par. 2. Inſtit. Moral. lib. 9. cap. 5. Verſ. Quinto polluitur, & omnes alij.

Sed poſtulabit quis, an ſi Cathecumenus in Eccleſia, vel Cœmeterio ſepeliatur, Eccleſia remaneat polluta.

Dicerem Cathecumenum non eſſe ſepeliendum in loco ſacro, cum careat Baptiſmo, per quem quis ſit

D particeps Sacramentorum, & priuilegiorum Eccleſiæ non tamen ob eius ſepulturam pollui Eccleſiam, quoniam iura citata loquuntur de pagano, & infideli, ſed Cathecumenus nõ eſt infidelis, cum habeat Baptiſmum flaminis, maximè quia pœna eſt coarctanda; Addit Palud. in 4. diſtin. 18. q 8. artic. 1. concluſ. 6. quòd licet filius fidelis & Chriſtiani ſi moriatur ante baptiſmum non ſoleat ſepeliri in loco ſacro, quoniam nullus donandus eſt eccleſiaſtica ſepultura, niſi probabiliter credi poſſit quandoque recepturum fore æternam ſalutem, & requiê Eccleſiæ triumphantis, tamen ſi in Eccleſia ſepeliatur, illam non violari, quia & ſi non ſit fidelis, non eſt tamen pro-

E priè gentilis, vel infidelis, cum ſit filius Chriſtiani hominis, & fidelis. Hæc tamen dictum Palud. mihi non placet, neque excipitur ab alijs, cum talis puer verè ſit infidelis, licèt ſit filius fidelis, quia decedit ſine baptiſmo in actu, & in voto, & nunquam eſt conſecuturus præmium vitæ æternæ, ſed ſemper priuatus viſione Dei.

Addit vnum Sylue. qui citat Goffr. Bernar. & Hoſt. Palud. Suarez, Azon. & alij hanc cauſam inducere violationem Eccleſiæ, ſi Infidelis, & paganus ſepeliatur in ſe ipſo, non in alio quaſi pars illius, vt quando mulier Chriſtiana geſtans in vtero fœtum moriatur,

tur, & simul pereat fœtus, si sepeliatur in Ecclesia, A tunc enim non polluitur Ecclesia, nam quamuis fœtus non sit baptizatus, atque ita non possit sepeliri in Ecclesia, si separatus esset ab vtero matris, tamen inclusus in ventre sepelitur tanquam pars ventris c. Si qua, de Consecr. distin. 4. & ita tenet Glo. vlt. in dicto cap. Ecclesiam 1. De Consecr. distinct. prima. Addit tamen vsu receptum esse, vt venter aperiatur, & extrahatur fœtus, qui si careat vita, sepeliendus est extra Cœmeterium.

Sed hic dubitari potest, si moriatur Mater prægnans, & post mortem non aperiatur, sicut necesse esset, sed sepulturæ tradatur cum fœtu viuente in vtero, qui postea moriatur; Vtrum in hoc casu sit violata Ecclesia. B

Respondet Suarez, si ex negligentia, aut malitia hominum mortua fœmina, quæ in ventre gestat, non aperiatur ad extrahendum fœtum, sed sepulturæ tradatur, & deinde si fœtus moriatur in Ecclesia, in hoc casu ipsam Ecclesiam violari ratione homicidij, quòd in Ecclesia consummatur, tunc enim quoad hoc non existimatur pars matris, quia fœtus sit viuus, cum ipsa sit mortua, & ideo est verum homicidium, quod est causa pollutionis, si committatur in Ecclesia, sicut reputatur verum homicidium, vbi quis procurat abortum. Si verò occiderent fœtum in vtero post obitum matris extra Ecclesiam, & deinde traderetur sepulturæ cadauer matris cum filio intra ventrem, non sequeretur violatio Ecclesiæ, neque ex causa homicidij, neque propter sepulturam. C

Sed in hoc casu, & præcedenti quæritur, vtrum non solum talia corpora excommunicatorum, & Infidelium sint extra Ecclesiam eijcienda, & reconcilianda Ecclesia, sed etiam abradendi sint parietes; Ratio difficultatis oritur ex capit. Ecclesiam 1. De Consecr. distinct. prima. *Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera sepeliuntur, sanctificare non licet, sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel lignis eius loci readificetur.*

Io. Andr. in cap. Proposuisti, de Consecr. Eccles. tenet parietes abradendos esse, quando sepelitur in Ecclesia excommunicatus, vel qui baptizatus non est, & probat ex citato c. Ecclesiam, Host. ait abradendos esse, quando in Ecclesia sepultus est excommunicatus, sed Abb. in cap. Consuluisti, de Consecr. Eccles. censet sufficere, si Ecclesia reconcilietur, nam si parietes raderentur Ecclesiæ consecratio periret. quare oporteret, vt iterum Ecclesia consacraretur. & quòd dicitur in cap. Ecclesiam de abradendis parietibus, locum habet, inquit Abb. in Ecclesia, quæ non est consecrata. tunc enim parietes abraderentur, & Ecclesia consacraretur. D

Sexta causa violationis Ecclesiæ est destructio, vel combustio omnium, vel maioris partis parietum Ecclesiæ simul, sic Nauar. in Manua cap. 27. num. 258. Vers. Sextus, Henriquez lib. 9. de sacrific. Missæ cap. 27. num. 5. Sed hic casus propriè non pertinet ad Ecclesiæ consecratæ pollutionem, sed ad destructionem potius ipsius Consecrationis, & ideo in hoc casu non reconciliatur Ecclesia, quæ instaurata est, sed iterum consecratur, vt habetur in cap. Ligneis, de consecr. eccles. c. Ecclesijs, de Consecr. dist. 1. quæ solum loquuntur de Ecclesia consecrata, & hac de causa plures auctores non recensent hunc modum inter alios, quibus violatur ecclesia, sed inter causas, propter quas est reconsecranda. E

Quando igitur parietes Ecclesiæ, aut ex toto, aut ex maiori parte igne exusti sint, vel collapsi ex ruina, tunc ecclesia est violata, vt diuina in ea celebrari nequeant, sed est readificanda, & iterum reconsecranda, quia destructa re, in qua fundatur consecratio, illa perditur. Colligitur hic modus violationis ex cap. Ecclesijs dist. 68. *Ecclesijs semel consecratis Deo non iterum debet consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine fuerint pollutæ.* eadem prorsus verba repetuntur in cap. Ecclesijs, de Consecr. dist. 1.

Vt autem ex destructione parietum opus sit noua consecratione, requiritur, vt simul corruerint, aut igne consumpti sint, vel alio modo simul non paulatim crustam amiserint, Nam teste Abbate in c. Proposuisti, de Consecr. eccles. Consecrationis forma in crusta, & superficie imprimitur.

Quando autem parietes paulatim decidunt, aut crusta spoliantur, nudanturuè, & ita quoq; paulatim reficiuntur. difficultas est, an Ecclesia formam consecrationis amittat, & indigeat reconsecratione. Duæ sunt opiniones, Altera Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 4. Vers. Tertius est, qui negat tunc ecclesiam esse reconsecrandam, sed satis esse illam reconciliare cum aqua exorcizata, & solennitate Missæ. immo neque certum esse ex iure necessariam esse reconciliationem, hoc tamen tutius, & deuotius esse, & ita sentire Host. Palud. Anton. Sum. Confessio. & Pasanum, quorum sententiæ subscribit, & affert illam rationem pro hac conclusione, quòd semper eodem numero ecclesia remanet, quemadmodum est eadem nauis, cum paulatim reficitur, eadem ciuitas, idem populus, idem flumius alijs atque alijs hominibus, & aquis sibi continenter succedentibus, vt constat ex l. Proponebatur ff. de Iudi. Secunda opinio affirmat in casu necessariam esse nouam consecrationem, quæ sententia tribuitur ab ipso Sylue. Innoc. in Rubr. de consecr. eccles. & Abb. in cap. Proposuisti eod. tit. Confirmant hac ratione, quia in rebus spiritualibus potius rei veritas, quàm Iuris fictio consideratur, sed secundum rei veritatem ecclesia, quæ paulatim non simul reficitur, non est eadem, quæ antea erat, sed alia, quia prima destructa fuit, & noua ædificata, ideo cõsecrationis forma, quæ impressa erat in prioribus parietibus, illis destructis, vel simul secundum totum, vel paulatim secundum partes consecratio perijt, idcirco ecclesia illa noua, quæ non est eadem numero cum priori, est consecranda.

Ex his duabus sententijs prior est probabilior, & verior, quam sequitur Sylue. & probat optima ratione, quoniam consecratio est indelebilis maneat eodem subiecto, & ad hoc citat S. Tho. in pluribus locis. Quòd autem successiuè reparatur est eadem res non solùm fictè, sed verè, quia est eadem non solum fictione Iuris, & ex legibus, sed ex principijs naturalibus iuxta mentem Philosophorum, exemplum ponit, An de igne, qui semper idem dicitur ex noua materia conseruatus, & patet exemplo eiusdem hominis, cuius partes assidue corrumpuntur per calorem naturalem, & generantur per potentiam nutritiuam ex cibo assumpto, & pars, quæ additur, conuertitur in totum hominem, qui antea erat. Informatur enim eadem anima, eodem nomine nuncupatur. ergo cũ eodem modo per partes instauratur ecclesia antiqua, remanet eadẽ ecclesia, & consecratio non deletur iuxta dicta. Probatur secundò, quoniam in his duæ sunt vnum, magis dignum trahit ad se minus dignum, & ita paries consecratus, si paulatim instauretur, tra-

bit ad se partem, quæ additur, quando paries præexistens non sit minoris quantitatis, quàm pars; quæ instauratur, tunc enim non esset totus consecratus, sed esset opus noua consecratione, quia pars maior non accedit ad formam minoris, sed è conuerso minor pars transit in maiorem, sicut inquit Sylue. de aqua benedicta, nam vt ipsemet tradit Ver. Aqua benedicta numero 3. si aqua communis paulatim addatur aquæ benedictæ, quamuis sit maior quantitate, tota fit benedicta, & idem valet de oleo consecrato. Virtus enim supernaturalis dignioris attingit minus dignum, quando virtus naturalis eius est maior, & sic minor aqua adiuncta maiori sanctæ fit sancta, & si iterum addatur alia minor, tota fit sancta, & sic in infinitum, sed si sanctæ addatur maior aqua, vel æqualis, neutra esset sancta, quia non remanet vnitas sanctæ prioris, idque videtur colligi ex Sancto Thom. in 4. sentent. distinct. 12. quæst. 1. artic. 2. quæstiuncul. 6. in corpore, & ad secundum. Sed hæc magis locum habet in liquidis, quàm in solidis, nempe quòd magis dignum trahit ad se minus dignum, vt notat Abb. in cap. Quod in dubijs, de Consecr. Eccles. Addo vnum contra Sylue. nimirum in hoc casu, vbi parietes Ecclesiæ paulatim restaurantur, non esse opus illa reconciliatione cum aqua exorcizata, & solennitate Missæ, sicut ipse putat, nam si tota remanet consecrata, nulla est causa, propter quam reconciliari debeat.

CAPVT II.

Explicantur quædam dubia circa prædictas sex causas violationis Ecclesiæ.

PRimò dubitari potest, Vtrum violatio habeat locum in omni Ecclesia, Glo. in cap. Ecclesiæ, Ver. Celebrantur, de immun. Eccles. tenet Ecclesiam non consecratam, in qua diuina officia non fuerunt celebrata, non gaudere priuilegio immunitatis Ecclesiæ, & consequenter non pollui propter causas enumeratas, quibus violatur Ecclesia. Nam quando diuina mysteria non celebrantur, non est consecrata, nòdum plenè dicata videtur diuinis obsequijs. vnde in ea non dicitur committi sacrilegium, nec debet reconciliari, nisi aliquod turpe in ea gestum fuerit. Fundamentum Glo. sumitur ex verbis eiusdem tex. *In qua diuina mysteria celebrantur*. Quare vt Ecclesia non consecrata gaudeat immunitate ex dispositione Gregorij Noni, requiritur, vt in ea diuina officia celebrentur. ita tenet Glo. quam sequuntur nonnulli recentiores.

Respondeo ad hanc difficultatem: Ecclesiam non consecratam, sed tantum, vt passim vocari solet, benedictam, hoc est sola Episcopi auctoritate consuetis Ecclesiæ precibus, & per solam sacræ aquæ aspersionem ad rem diuinam destinatam, pollui eisdem modis, quibus Ecclesia consecrata polluitur, etiam si in ea sacra mysteria celebrata minimè fuerint, & est cōmunis opinio. Ita sentit Host. quem citat, & sequitur Abb. in cap. Ecclesiæ num. 5. de immun. Eccles. & probat ex eodem tex. *Quia obsequijs diuinis dedicata, nullius est temerarijs vsibus profananda*. Ergo sufficit, vt locus dedicatus sit Deo auctoritate Episcopi, eum postea non posse ad humanos vsus redire cap. Ad hoc De Relig. Domi. Probatur eadem conclusio expressè ex cap. Si Ecclesia, de Consecr. Eccles. Vbi idem Gregorius Nonus de Ecclesia non consecrata, si polluatur, statuit reconciliandam fore, *Si Ecclesia non consecrata cuiuscunque fuerit semine, aut sanguinis effu-*

A *sione polluta, aqua protinus exorcizata lauetur*. Vbi Glo. Ver. Non consecrata, notat ex illo textu Ecclesiam non consecratam gaudere eodem priuilegio, quo gaudet consecrata, quia locus ille dedicatus est diuino cultui auctoritate Episcopi, & quod semel Deo dicatum est, ad profanos vsus redire non debet, capit. Nulli liceat 1. quæst. 2. & concludit violatores Ecclesiæ non consecratæ tanquam sacrilegos iudicandos esse, licèt locus adhuc consecratus non sit. Eandem sententiam sequitur Domin. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. in resp. ad 2. argum. Dicto quarto, Vers. Quo circa violata, & dist. 32. quæst. 1. art. 3. circa fi. Vers. Ad hæc verò, ibi, Nomine autem Ecclesiæ, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 256. in princ. Vers. Dixi Ecclesiam, Syl-
B ue. Ver. Consecratio 2. §. 6. B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 12. cap. 6. vltra med. §. 6. Henriq. lib. 9. De Sacrific. Missæ cap. 27. numero 5. in princ. Azor. 1. par. Instit. Moral. lib. decimo, cap. 6. Vers. Decimo quarto quæritur Cordub. in Summa quæst. 12. Auila in Tract. De Censur. par. quinta, Disputat. 7. dub. 2. & est communis.

Possumus igitur generaliter ita statuere violationem contingentem ex causis enumeratis extendi ad omnem locum sacrum, Nomine autem loci sacri non intelligimus omnem locum, qui gaudet immunitate, vt Oratorium ab Episcopo designatum, dico ab Episcopo designatum, quia priuata Oratoria in domibus priuatorum sita non habent priuilegium immunita-
C tis, vt notat Abb. ex mente Goffred. in cap. Ecclesiæ num. 7. de immun. Eccles. sed solum gaudere possunt priuilegio immun. Oratoria publica auctoritate Episcopi extructa. Qua in re standum est consuetudini, vt notat Abb. neque significamus omnem locum benedictum, vt Dormitorium, & Campanile Monasterij, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 16. num. 3. & cap. 25. num. 17. & 18. sed significamus hac voce loci sacri locum benedictum cum deputatione ad officia, & mysteria diuina, vel sepulturam, vt est Ecclesia consecrata, vel benedicta cum Cœmeterio, & Cappellis benedictis, Henriq. lib. 2. de Sacram. Pœnit. cap. 6. nu. 5. in Glo. lit. H. quamuis magna sit differentia quoad reconciliationem, nam Ecclesia consecrata à solo E-
D piscopo reconciliatur cum aqua à se, vel ab alio Episcopo benedicta. non consecrata verò potest à simplici Sacerdote cum aqua à se benedicta reconciliari, cap. Aquam, de Consecrar. Eccles. Glos. in cap. fin. Ver. Lauetur eodem titul. de qua re inferius tractabitur.

Secundò quæritur, an ijsdem modis, quibus violatur Ecclesia consecrata, aut benedicta, dicendum sit violari etiam Cœmeterium.

Respondeo Cœmeterium pollui totidem eisdem modis, quot & quibus polluitur Ecclesia, quoniam consecrantur, & benedicuntur, sicut Ecclesiæ. Sicut enim Ecclesia consecratur, vt in ea oretur, res diuina
E fiat, & ministrentur Ecclesiastica Sacramenta, sic etiā Cœmeterium consecratur, vt in eo Christiani sepeliantur. Vnde Romæ extant multa Cœmeteria consecrata ad sepulturam Christianorum. Cœmeterium enim est nomen Græcū teste Atheneo lib. 4. cap. 5. Domus, in qua hospites dormire, & requiescere solent, à Cretensibus Cœmeterium vocabatur, & in nouo Testamento mortui dormire dicuntur, Io. cap. 11. Apost. 2. ad Tessal. cap. 4. quia sunt resurrecturi, & iterum victuri, Vnde Christiani initio nascentis Ecclesiæ Cœmeteria appellarunt loca, in quibus fideles sepeliebantur, quasi dormitoria, in quibus requiescerent suo

tem-

tempore resurrecturi, licet olim Episcopi, & Clerici, ac cæteri Christiani in Cœmeterijs conuentus facerent, psalmos canerent, preces ad Deum funderent, Clem. lib. 6. Constitut. cap. 29. Athan. in Apologia Cassiod lib. 5. histor. tripar. cap. 3. Cœmeterium pro Oratorio accipit. Cautum autem erat eo tempore, ne in Ecclesia mortui sepelirentur, sed in Cœmeterijs, c. Quibus c. Nullus, c. Præcipiendum 13. q. 2. Deinde cursu temporis concessum est, vt Imperatores, Reges, & Principes intra Ecclesiam sepelirentur, & hac de causa Cœmeterium quoque ab Episcopo consecratur, alioquin non esset locus idoneus, & legitimus, hoc est Religiosus & sacer ad Sepulturam Christianorum, Vel saltem ab Episcopo benedicitur, & destinatur ad sepulturam mortuorum, sicut Ecclesia deputatur ad diuina, consequenter sequitur, vt ob easdem causas violetur, sicut Ecclesia, sed speciatim etiam polluitur polluta Ecclesia, si est Ecclesiæ contiguum, vt statutum est in dicto c. vni. De Consecr. Eccles lib. 6. sicut quoq. interdicta Ecclesia interdictum etiam est Cœmeterium illi coniunctum, c. Si Ciuitas de sent. excom. lib. 6 non tamen sequitur è contra, vt polluto Cœmeterio censeatur polluta Ecclesia, quamuis illi contigua, vt superiori capite monebam, & constat ex dicto c. vni. De Consecr. Eccles. lib. 6. At si non sit Ecclesiæ coniunctum non polluitur, quamuis violetur Ecclesia, tunc enim, vt pro violato habeatur, necesse est, vt seorsum per se polluatur dicto c. vni. quia accessorium sequitur principale, non e conuerso neque dici potest accessorium Ecclesiæ, nisi sit illi coniunctum.

Postulabit quis, quid dicendum, si duo Cœmeteria fuerint ita sibi vicina, vt inter ea solum sit medius paries vnus, vtrum tunc vno eorum polluto, alterum censeri debeat pollutum.

Respondeo ex violatione vnius non inferri violatum esse alterum, etiamsi in pariete interiecto sit porta, per quam, ex vno in alterum transeatur, quia re vera sunt duo Cœmeteria, quæ pariete diuiduntur, & vno non est annexum alteri cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, sed vtrumque est annexum Ecclesiæ, c. vnic. de Consecr. Eccles. lib. 6. & ibi Doct. Sylue. Ver. Cœmeterium, §. 3.

Sed quid dicendum, si in porta illa intermedia fiat humani sanguinis vel seminis effusio, vtrum tunc ambo Cœmeteria sint polluta, vel neutrum, aut vnum, & quod.

Hæc difficultas proponitur in dicto c. vni. de consecr. Eccles. lib. 6. à Gemin. nu. 6. Anchar. Vers. Quinto nota, Franc. in fine, & iura in confirmationem singularum partium afferunt, tandem concludunt distinguendo, si porta est vni eorum vicinior, illud tamen Cœmeterium pollutum habetur, si verò porta sit in medio eorum, illud pro polluto iudicatur, cuius causa paries & porta facta est, argumento sumpto ex l. Et si nō sunt ff. de aur. & argen. lega. vbi dicitur, *Spectamus, quæ res, cuius rei ornandæ causa fuerit adhibita, non quæ sit preciosior*. Si autem dubitatur probabiliter, cuius causa sit paries extructus, videtur principaliter factus, vt duo sint Cœmeteria distincta, vt innuit tex. in dicto c. vni. de consecr. Eccles. lib. 6. ac proinde vtrunq; pollutum est, quia tunc porta in pariete extructa, gratia vtriusque facta videtur. Quare responsio in hoc videtur consistere, quòd si paries communis, in quo est porta, æqualiter extructus est in solo vtriusque Cœmeterij, itaut dimidia pars pertineat ad vnum Cœmeterium, dimidia ad aliud, tunc si pollutio in vna parte contingat, illud tantum Cœmeterium erit violatum,

A si autem in vtraque parte fiat, vtrunque polluitur. Si verò paries & porta pertinent ad vnum Cœmeterium solum, non ad aliud, tunc illud solum Cœmeteriū polluitur arg. l. Arbor. ff. comm. diuid. & l. Iuris peritos §. Cum oriundus ff de excus. Tuto. cap. Postulasti de fo. compet. c. Super eo de paroch. & in cap. Ad audientiā de homicid. Eodem modo respondet Sylue. Ver. Cœmeterium §. 3. & in eandem sententiam citat Io. And. & eandem sequuntur omnes Doctores veluti in solutione primi dubij.

Eodem modo iudicandum esse de Ecclesia existimant Gemin. Franc. Anchar Sylue. & alij superius citati. Si violatio contingat in porta Ecclesiæ, nam si sanguis vel semen effundatur in porta Ecclesiæ, scilicet in parte anteriori intra clausuram ostij versus B Ecclesiam, tunc violatur Ecclesia, non tamen si accidat in parte exteriori, quia tunc censetur factam extra Ecclesiam per not. per Bart. l. 1. ff. de Cloacis.

Tertiò quæritur, an propter furtum, vel rapinam in Ecclesia commissam Ecclesia polluatur.

Specul. tit. de consecr. Eccles. §. 1. & Io. Selua de benef. par. 1. q. 5. nu. 102. aiunt alicubi esse vsu receptum, vt pro polluta habeatur, argumento sumpto ex capit. Perniciosus de celebr Missa. Vbi Glo. Ver. Consuetudinem, notat in diuinis officijs, & in vsu Sacramentorum, & in similibus actionibus attendendam esse consuetudinem.

Contraria sententia est communis & probabilior, C huiusmodi delictis Ecclesiam non reddi violatam, neque vllus est textus in Iure, quo probetur talis violatio.

Si postulet quis, quare Ecclesia non censetur polluta ex multis delictis, quæ in Ecclesia patrantur contra cultum honorem, & reuerentiam loco sacro debitam, vt si quis rixam cum tumultu in Ecclesia concitauerit citra vllam sanguinis effusionem; Aut si quis vnum vel duo alterius ossa confregerit, vt pugnis tumorem vel liuorem intulerit in faciem, aut alterum verberauerit, vel si quis capitis sententia condemnetur, & inde extractus suspendatur, aut si Iudex confugientem ad Ecclesiam per vim extraxerit, aut si quis in Ecclesia pariete, aut in Deum maledicta conijciat, & sic de D similibus.

Respondet Io. Selua de benef par. 1. q. 5. num. 102. Ecclesiam in his casibus non pollui, quoniam non reperitur in Iure expressum huiusmodi casus violare Ecclesiam, nam hic effectus violationis oritur ex dispositione Iuris Canonici, Ius autem Pontificium in certis quibusdam casibus expressè statuit Ecclesiam violari, non autem in alijs, idcirco hic effectus non extenditur ad casus non expressos.

Quartò quæritur, an Ecclesia violata retineat priuilegia Immunitatis.

Respondet Abb. in c. Ecclesiæ nu. 8. de Immun. Eccles. ex mente Goffr. & Vinc. quòd Ecclesia interdicta non amittit priuilegia immunitatis. Probat primò ex E illo textu, quia talis Ecclesia iam est dedicata diuinis obsequijs, licèt ex delicto hominum sit violata, ergo non debet amittere suam immunitatem. Secundo probatur à simili exemplo Clerici interdicti, vel suspēsi, aut excommunicati, qui tamen retinet priuilegium Canonis, Si quis suadente, & priuilegium fori, cap. Dictum 8. dist. & in cap. At si Clerici de iudi. in fin. Ita quoque Ecclesia interdicta non debet amittere priuilegia immunitatis, tertiò Abb. probat ex Host. quia Deus, in cuius honorem datur immunitas non delinquit, & peccata debent tenere suos auctores, vnde sa-

tis affligitur Ecclesia, si sibi subtrahatur debitum seruitutis, & obsequij. Hæc, quæ dicuntur ab Host. & Abb. de Ecclesia interdicta, rectè aptari possunt ad Ecclesiam pollutam. Et rationes, quæ afferuntur ad probandum Ecclesiam propter Interdictum nō amisisse priuilegia immunitatis, valent ad idem confirmandum de Ecclesia violata. Ad idem facit Glo. in c. Priuilegium Ver. Priuilegium personale ante med. de reg. Iur. lib. 6. Vbi pluribus auctoritatibus probat Ecclesiam nunquam amittere sua priuilegia, nisi destructa fuerint auctoritate Episcopi. Sicut enim per consecrationem aut benedictionem Episcopi consequitur immunitatem, ita si destruatur ipso mandante immunitatem ab ipso iure concessam amittit. Glo. in cap. Et hoc diximus Ver. Destructa 16. q. 7. cap. Quæ semel, & ibi Glo. 19. q. 3. sic etiam sentit Archid. in c. Frater noster 17. q. 4.

Hac immunitate gaudent non solum Ecclesiæ cōsecratæ, sed etiam quæ non sunt consecratæ cap. Ecclesiæ de immun. Eccles. quod locum habet in ecclesijs, quæ sunt fundatæ auctoritate Episcopi primum lapidem in fundatione ponentis, etiam antequam in illis fuerint diuina celebrata. Satis enim est, vt sint fundatæ auctoritate Episcopi, eo enim ipso intelliguntur deputatæ ad diuina celebranda, vt probaui superiori capite contra Glo. in dicto cap. Ecclesiæ de immun. Eccles. oppositum sentientem. Hoc etiam priuilegium videtur conuenire Oratorijs Episcopi auctoritate fundatis, & diuinis vsibus deputatis, vt inquit Abb. in cap. Ecclesiæ nu. 7. de immun. Eccles. Quapropter huiusmodi Oratoria ad vsus profanos reuerti nō possunt, at verò Oratoria, quæ in ædibus priuatorum hominum eriguntur, priuilegio immunitatis minimè fruuntur, idcirco reduci possunt ad priores vsus profanos, vt sæpe redeunt solo nutui Dominorum, res enim aut locus non fit religiosus aut sacer priuati hominis auctoritate, nisi Episcopi auctoritas accesserit. Eodem etiam priuilegio gaudet Cœmeterium Ecclesiæ cap. Si quis contumax 17. q. 4. immo & porticus Ecclesiæ adhærens, vt inquit Abb. in dicto c. Ecclesiæ num. 10. Vnde colligit pœnam constitutam in eos, qui irrumpunt in domum, locum habere in his etiam, qui irrumpunt in porticum domus, & probat auctoritate Bart. in l. Meminisse ff. de off. procur. & in l. Item apud labeonem, ff de iniur. Quibus autem in rebus consistit hæc immunitas Ecclesiarum, non spectat ad hunc locum tractare. Extat in Iure Canonico titulus de immun. eccles. & in eiusdem explicatione Doctores tum extra, quàm libro 6. copiosè de hac immunitate pertractant.

CAPVT III.

De Peccato, quod committitur ob celebrationem in Ecclesia violata, & de pœnis impositis in eum, qui in Ecclesia polluta contra sacros Canones rem sacram peragere præsumit.

Si loquamur de peccato ratione celebrationis in Ecclesia violata, communis est conclusio peccatum esse, & quidem ex suo genere, & per se mortale, celebrare Missam & alia diuina officia, aut mortuum sepelire in Ecclesia polluta, antequam fuerit reconciliata, ita docens omnes Doctores, Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 7. inquit in Ecclesia polluta suspendi organa Clericorum ita vt ante reconciliationem ne dum Missa, sed nec vllum diuinum officium ibi celebrari

A debeat, Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 5. conclus. 5. Angel. ver. Consecratio Ecclesiæ nu. 8. Tabie. Consecratio 2. nu. 9. Riccar. Disp. 13. art. 4. q. 1. Domin. Sot. dist. 13. q. 2. art. 3. in resp. ad 2. arg. dicto quarto vers. Quo eit ea violata Ecclesia & dist. 32. q. 1. art. 3. ante fin. vers. Adhæc vero, Tolet. lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 8. vers. Quinta causa, Henriq. lib. 9. de Missæ sacrificio cap. 27. n. 5. Abb. in c. si Ecclesia n. 4. De consecrat. Eccles. Tandem idem colligi videtur ex S. Tho. qui cæteris omnibus est præferendus, dicit enim in 3. par. quæst. 83. art. 3. ad 2. arg. propter necessitatem posse hoc Sacramentum peragi in Ecclesia violata de consensu Episcopi, si enim permittit tantum in casu necessitatis cum consensu Episcopi celebratione in ecclesia violata, ergo simpliciter negare videtur sine graui peccato extra necessitatem id fieri dicitur non esse.

B Et hæc conclusio desumitur ex cap. Ecclesiam, de Consecr. dist. 1. ex cap. Proposuisti, cap. Consuluisti, c. fin. de consecr. Eccles. cap. vni. eod. tit. lib. 6. vbi statutum est in Ecclesia violata nullum sepeliri posse.

Sed non caret controuersia id, quod dicit S. Thom. Episcopum impertiri posse licentiam, vt in Ecclesia violata ante reconciliationem Missarum solennia celebrentur. Nam si hæc prohibitio oritur ex dispositione Iuris Canonici, cuius auctor est Summus Pontifex, non videtur permissa Episcopo facultas dispensandi super hac Constitutione, quia inferior non habet potestatem in lege Superioris.

C Respondeo dictum S. Thom. esse probabile, & verum, atque ab eo recedendum fore, nam si Episcopus concedere potest facultatem celebrandi in loco non consecrato, poterit etiam impertiri licentiam, vt celebratio fiat in loco violato ante reconciliationem, præsertim in casu necessitatis. Et licèt sit prohibitio Iuris Canonici à Papa conditi, tamen ab eodem Iure permissum videtur Episcopo, vt valeat hac in re dispensare, nam in cap. Missarum dist. 1. absoluté dicitur, Missam celebrari posse in loco ab Episcopo destinato; *Missarum solennia non vbiq; sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus*, & in cap. Hic est ead. dist. 1. de consecr. *Quoniam in alijs locis sacrificare & Missas celebrare nō licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit*, ergo sub hac generali Constitutione cōprehenditur quoque Ecclesia violata, si Episcopus mandauerit, vel permiserit, vt in ea celebrari possit.

D Domin. Sot. in 4. sent. dist. 13. q. 2. art. 3. ad 2. arg. Dicto quarto Vers. Ait verò S. Tho. inquit maiorem requiri necessitatem, vt Episcopus permittere possit celebrationem sacrificij in Ecclesia violata, quàm si permitteret, vt sacrificium fieret extra Ecclesiam, non enim idem iudicium videtur de domo communi non consecrata, & de ecclesia violata, quæ ratione sceleris in ea commissi est profanata, & veluti interdicta à Iure. Quare ait Sot. exigi grauem necessitatem, quia est dispensatio in lege communi, & super

E re notabili, affert casum, in quo doctrina S. Tho. locum habere posset, vt si violata esset ecclesia consecrata, quæ reconciliari debet ab Episcopo, si hic longè abesset, nec breui tēpore esset reuersurus, & nulla existeret alia ecclesia, in qua commodè sacra peragerentur, tunc ne diu fideles Missarum sacrificijs priuarentur, permitti posset concedente Vicario Episcopi, vt Missæ celebrarentur in ecclesia violata, quia tunc temporis ecclesiasticum præceptum non videretur obligare cum tanto incommodo; atq; hac ratione excusari possunt illi, qui in Regionibus Septen-

ptentrionalibus Missas celebrant in locis, in quibus sepulti sunt Hæretici, vel enim necessitate coguntur, cum alibi commodè sacrificare nequeãt, vel Episcopi id scientes & tacitè consentientes licentiam impertiri censentur.

Notandum est autem circa conclusionem illam intelligendam esse, quando violatio ecclesiæ est publica, idest quòd publicè constet ecclesiam esse pollutã, si enim occulta est, licitè potest celebrari, vt probaui in cap. 1. ex Sot. Nauar. Henriquez, & est communis opinio. Idem sentit Alphonsus à Castro lib. 2. de lege pœnali cap. vlt. post tertiam conclusionem.

Sed occurrit dubium, quid esset dicendum, si post celebrationem Missę publicaretur violatio antea occulta, vtrum tunc opus esset reconciliatione, itaut ante reconciliationem Missæ in dicta ecclesia deinceps celebrandæ non essent.

Castro respondet in hoc casu nõ esse necessariam reconciliationem, quia præsentia corporis Christi reputanda est pro sufficienti reconciliatione, quam sententiam refert Henriquez lib. 9. de sacrificio Missæ cap. 27. nu. 5. in Glo. Lit. L, & est probabilius. Hęc sufficiant de peccato propter celebrationem in loco violato.

Venio ad secundam partem quæstionis, de pœnis, quæ sunt impositæ à Iure aduersus ipsos celebrantes. Qua in re illud videtur apud omnes certum, nempe ob huiusmodi celebrationem non incurri proximè & immediatè Irregularitatem, vt docet B. Antoni. 3. par. tit. 12. cap. 6. §. 5. dicens, quòd quamuis ante reconciliationem in ecclesia polluta non debeant diuina officia celebrari, nec fideles sepeliri, tamen si quis hanc prohibitionem transgrederetur etiam scienter, nõ ideo incurreret Irregularitatem, Palud. in 4. dist. 18. q 8. art. 3. conclus. 5. Nauar. in Manua. cap. 25. n. 83. Sylue. Ver. Consecratio 2. § 9. Domin. Sot dist. 13. q. 2. art. 3. ad 2. arg. Dicto 4. Vers. Rursus etiam annotandum, Henriquez lib. 9. de sacrificio Missæ cap. 27. num. 7. Tolet. lib. 5. Instruct. Sacerd. cap. 8. Vers. Quinta causa, Azon. tom. 2. Instit. Moral. lib. 9. cap. 5. quæst. vlt Gemin. in cap. vni. n. 4. de consecr. ecclesiæ lib. 6. & ibi Franc. n. 2. & est communis opinio, quam probant ex cap. Is, qui de sent. excom. lib. 6. Vbi id expressè est definitum his verbis, *Is qui in Ecclesia sanguinis vel seminis effusione polluta, vel qui præsentibus maiori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumit, licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in Iure, laqueum non incurrit.*

Solus Host. teste Abb. in c. Si Ecclesia de consecr. eccles. & Sylue. dicto Ver. Consecratio 2. §. 9. sentit celebrantem diuina, vel sepelientem alterum in Ecclesia polluta irregularitatem contrahere, quia ecclesia eo ipso, quòd est polluta, videtur interdicta, nam, vt habetur in cap. Si ecclesia de consecr. eccles. Ecclesia polluta quamprimum est reconcilianda, ne diuinæ laudis organa suspendantur, ergo ecclesia violata est interdicta. At qui celebrat in loco supposito interdicto ecclesiastico, efficitur irregularis, vt dicitur in dicto cap. Is qui, §. Is verò, qui scienter de sent. excom. lib. 6. consequenter celebrans in Ecclesia polluta erit irregularis. Sed ex illo textu oppositum probatur euidenter, scilicet violationem ecclesiæ non posse vocari interdictum, nam postquam Summus Pontifex dixerat non incurri Irregularitatem ob celebrationem in ecclesia violata seminis aut sanguinis effusione, statim addit celebrantem in loco interdicto fieri irregularem, ergo sentit Summus Pontifex plurimum differre violationem ab interdicto, & ab omni censura ecclesiastica, & esse aliud genus inhabilitatis & impedimenti loci.

Nonnulli tamen ex citatis Doctoribus, licèt negent incurri irregularitatem ob celebrationem in ecclesia violata, asserunt ita celebrantem manere suspensum ab ingressu ecclesiæ, id accipientes à Lapo, quem ita sensisse dicunt, cui adhærere videntur Tabien. consecr. 2. nu. 9. Angel. Consecratio ecclesiæ num. 9. Sylue. Consecratio 2. §. 9. Gemin. dicto cap. vni. num. 4. de sent. excom. lib. 6. Et hoc dictum probat Lapus ex cap. Episcoporum de priuil. lib. 6. Vbi imponitur talis pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ celebranti in loco interdicto, vbi Glo. Ver. Ingressum, notat, quòd licèt ita celebrans non sit irregularis, est tamẽ proximus Irregularitati, nam si post huiusmodi interdictum celebrare præsumat, tunc irregularitatem contrahit in c. Is qui de sent. excom. lib. 6. Verum ex dicto cap. Episcoporum non colligitur talis pœna, quia ibi solum est sermo de eo, qui celebrat, aut celebrare facit in loco interdicto, sed locus violatus verè & proprie noo est interdictus, vt dixi, ergo qui celebrat in loco polluto non contrahit pœnam illam suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, ex consequenti neque immediatè neque mediatè erit irregularis, quamuis postea sæpius in loco violato celebret, & ita sentit Henriquez lib. 9. de sacrificio Missæ cap. 27. num. 7. in Glo. lit. M. Azon. 2. par. Instit. Moral. lib. 9. cap. 5. quæst. 6 Suarez Tom. 3. in 3. par. S. Thom. Disp. 81. sect. 4. in fi. Vers. Sed quæret aliquis, concludendum est itaque peccatum esse mortale celebrare in Ecclesia violata ante celebrationem, nullam tamen impositam esse pœnam, quam eo ipso ita celebrantes incurrant, posse tamen & debere puniri grauiter à Iudice ob tale delictum, cum faciant contra dispositionem sacrorum Canonum in re graui spectante ad cultum debitum sacrificio Missæ & diuinis officijs.

Sed dubitabit quis, quid agendum sit, si Sacerdote celebrante polluatur Ecclesia.

Tractatur hæc dubitatio ab omnibus Doctoribus citatis, & ad eius declarationem vtuntur distinctione, vel pollutio accidit post Canonem inchoatum, vel antea. In priori casu Sacerdos Missam absoluere tenetur absque vlla interpellatione, quia tunc reputatur quasi substantialiter sacrificium inchoatum, ideo non debet interrumpi propter impedimentum ecclesiasticum loci superueniens, in posteriori casu si Canon inceptus non fuerit, Sacerdos debee cessare, & omittere Missam, donec Ecclesia reconcilietur. Quòd si Ecclesia sit tantum benedicta, non consecrata, ipsemet poterit statim eam recõciliare per aspersionem aquæ benedictæ & alias cæremonias iuxta ritum Ecclesiæ, de quibus fusius dicam in sequenti capite. Si autem illam non possit reconciliare, quia sit consecrata, debet exui vestibus sacris, & Missam dimittere.

CAPUT IV.

A quo & quomodo Ecclesia polluta sit reconcilianda.

RESpondent omnes Doctores, distinguendo inter Ecclesiam consecratam, & eam, quæ non est cõsecrata, sed tantum benedicta. Si Ecclesia, quæ polluitur, erat consecrata, illa reconciliari debet à proprio Episco-

Episcopo, vel ab alio Antistite ex eius consensu, neque simplex Sacerdos potest eam reconciliare. Hoc expresse definitum fuit in cap. Aqua de consecr. Eccles. Vbi Gregorius Nonus ita statuit: *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesia reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de catero prohibentes, non obstante consuetud. ne Provincia Bratboren. qua dicenda est potius corruptela.* Vbi Glo. Ver. Consuetudine, notat, quòd consuetudo, quę est contra iuris naturam, non prodest, & contra tale ius præscribi non potest, cap. Cum inter vos de consuet. & cap. vlt. eodem tit. Reddit rationem huius dicti Summus Pontifex, quia ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, non possunt delegari simpliei Sacerdoti non Episcopo, quoniam ab ordine Episcopali pendent, vt consecratio Virginum, Ordinatio Clericorum, Consecratio Ecclesiarum, & similia, sed ea, quæ sunt iurisdictionis, committi possunt non Episcopis, vt potestas excommunicandi, & omnia alia, quæ cōsequitur Episcopus in sola Confirmatione, vt inquit Abb. in dicto cap. Aqua num. 3. vbi ad hoc citat Glosam singularem in cap. Peruenit dist. 95. affirmantem nihil habere Episcopum, quòd sit meri imperij, quod non sit delegabile; Id autem intelligendum esse ait Abb. iuxta distinctionem assignatam de ijs, quę spectant ad iurisdictionem, nam quæ sunt ordinis, non debent committi nisi habenti illum ordinem. Recōciliatio igitur Ecclesiæ consecratę pertinet ad solum Episcopum, neque Episcopus potest hanc reconciliationem committere simplici Sacerdoti.

Modus verò seruandus in tali reconciliatione, vt fiat cum aspersione aquæ benedictæ ab ipso Episcopo reconciliante, vel ab alio Episcopo cum cæremonijs, quæ præscribuntur in Pontificali. Ita definitum fuit in c. Proposuisti in fine de consecr. Eccles. *Taliter respondemus, quòd manente Ecclesia & Altari ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino, & cinere benedictam.*

Quamuis autem Episcopus non valeat hanc facultatem reconciliandi Ecclesiam cōsecratam committere simplici Sacerdoti, Romanus tamen Pontifex potest delegare simplici Presbytero reconciliationem Ecclesiæ consecratæ, vt inquit B. Antoni. 3. par. tit. 12. cap. 6. §. 5. Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 8. Henriquez lib. 9. de sacrificio Missæ cap. 27. num. 6. Domin. Sot. in 4. sent. dist. 13. q. 2. art. 3. ad 2. arg. dicto 4. Vers. Quòd si fuerit consecrata, Azor. 2. part. Instit. Moral. lib. 9. cap. 5. quæst. 5. & 1. par. lib. 10. c. 26. quæst. 15. Alphonsus Castrus lib. 2. de Iusta. Hæret. puni. cap. 22. Abb. in cap. Aqua in fine de consecr. Eccles. Et idem sentiunt omnes alij. Aduertunt verò B. Antoni. & Sylue. quòd aqua debet esse benedicta per Episcopum, sed Henriquez citato num. 6. testatur quosdam Regulares impetrasse hoc priuilegium à Sede Apostolica, vt valerent reconciliare Ecclesiā consecratam cum aqua per Episcopum benedicta, vel per Prælatum Regularem, si Episcopus distaret per duas dietas, quod priuilegium à Leone Decimo, concessum fuisse Prælatis Ordinis Minorum habetur in compendio Mendic. Ver. Benedicere §. 14. Dieta verò, vt inquit Henriquez cōtinet viginti miliaria seu leucas septem facit, cap. Nonnulli, & ibi Glos. Ver. Vltra duas dietas. de rescript. Quare distantia per duas dietas erit, quod conficitur tempore duorum dierum non breuiori. Ratio verò, propter quam Summus Pontifex reconciliationem Ecclesiæ potest committere simplici Sacerdoti, quamuis pertineat ad Episcopum, vt asseritur à citatis Doctoribus, præsertim à B. Antoni. & Sylue. nimirum, quia Papa habet plenitudinem potestatis Pontificalis, & tanquam vniuersalis Vicarius Christi potest solus committere simplici Sacerdoti circa corpus Christi misticum quædam, quæ spectant ad potestatem Ordinis Pontificalis, vt benedicere corporalia & ornamenta Missæ. At non potest concedere Inferiori, quę pertinent ad potestatem circa corpus Christi verum nempe quòd Diaconus consecret, aut offerat, vel quòd Sacerdos ordinet alios Sacerdotes.

Quod si Ecclesia, quæ polluitur, non erat consecrata, quæ benedicta vocari solet, per simplicem Sacerdotem reconciliari potest, vt omnes Doctores affirmant, nemine excepto. Modus autem reconciliandi est per aspersionem solius aquæ benedictæ: quare nō B requiritur illa solennitas, quę necessaria est in reconciliatione Ecclesiæ consecratæ, nam, vt inquit Abb. in cap. vlt. in fi. de Consecr. Ecclesiæ, quamuis gaudeat Ecclesia benedicta eodem priuilegio, quo consecrata, tamen quia in consecrata magis delinquitur, quàm in benedicta congruum est, vt in actu reconciliationis maior solennitatis & cæremoniarum demonstratio appareat. Idq; colligitur ex dicto cap. fin. iuncta Glo. Neque ad hanc reconciliationem requiritur licentia Episcopi, vt notat B. Antoni. & alij, & colligitur ex dicto cap. fin. ibi, *Protinus lauetur*, quod non exprimeretur, si oporteret licentiam Episcopi expectare, vel aquam ab eo sacratam, seu benedictam deferre, hinc Domin. Sot. in 4 dist. 13. q. 2. art. C 3. ad 2. arg. Dicto 4. Vers. Quocirca violata Ecclesia, notat hanc ob causam aliquando non consecrari, sed benedici Ecclesiam, ne scilicet quando violatur expectandus sit Episcopus.

De Consecratione verò ecclesię constare solet ex scriptura authentica, vel ex libris ecclesię, vel ex inscriptione in lapide, quę in Ecclesia extet, vel ex solitis Crucibus rubeis depictis in parietibus eiusdem ecclesiæ, vel ex testimonio saltem vnius testis de visu, vel secundum aliquos etiam de auditu, quia cum hac in re non agatur de alicuius præiudicio, semiplenæ probationes videntur sufficere, Innoc. in explan. ad Rubr. de consecr. eccles. Sylue. Consecratio 2. §. 3. D Tabien. eod. Ver. num. 2. Vers. Primo, & quando nulla haberi potest notitia consecrationis, possunt consecrari, vt habetur in cap. Ecclesiæ de consecr. distin. 1. Vbi Glos. docet, quibus casibus reconsecrari debeant Ecclesiæ.

Præterea ad recōciliandam Ecclesiam pollutam, quia in ea sepultus fuerit aliquis infidelis, vel paganus, aut excommunicatus, necesse est, vt exhumetur corpus, vt dixi in cap. 1. & tradit Sylue. Consecratio 2. §. 5. Vers. Quartus casus, Tabie. Consecratio 4. nu. 2. & desumitur ex cap. Ecclesiam 2. de consecr. dist. 1. quod intelligendum est, si corpus discerni possit ab alijs, Textus in cap. Sacris de sepult. Et præterea ex E sententia Io. And. si sepulta sunt corpora Infidelium, radendi sunt parietes, quod habet locum solum quādo Ecclesia non est consecrata, nam si raderentur parietes ecclesiæ, consecratæ, necessariò esset reconsecranda, vt superius monui in cap. 1. Modus autem reconciliandi parietes est illos dealbare, vt inquit Glo. in dicto cap. Ecclesiam 2. de consecr. dist. 1. Similiter quod dicitur de exhumatione corporis excommunicati intelligitur primò de denunciato, secundò quando mortuus est absque signis contritionis, nam si decessit cum signis contritionis, potest ab-

solui, & tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, ergo multò magis poterit post absolutionem retineri in sepultura, quam antea acceperat.

Item quando reconcilianda est ecclesia violata propter effusionem sanguinis alicuius Martyris occisi pro Christi fide, non est lauandus locus sanguinis, Tabie. Ver. Consecratio 2. num. 5.

Tandem reconciliata Ecclesia, quæ erat violata, manet reconciliatum Cœmeterium contiguum, vt non requiratur alia distincta reconciliatio pro Cœmeterio, Ang. Ver. Consecratio Cœmeterij in fi. Ge-
A min. c. vni. num. 5. de consecr. eccles. lib. 6. quia Cœmeterium est accessorium ad principale, & accessorium sequitur naturam sui principalis, non è contra cap. 1. de reg. Iur. lib. 6 & Gemin. citat Archid. & Io. Andr. & ita concludam disputationem de violatione Ecclesiæ. Cumq; explicatum sit hactenus, quid sit cessatio à diuinis, quid violatio, quomodo differant inter se & ab interdicto, quod pollicitus eram declarare, vt distinctius & clarius, quæ de interdicto pertractanda restant, elucidari possint, sermonem inchoatum de interdicto prosequar.



DISPVTATIO QVARTA.

DE PRIMO EFFECTV INTERDICTI, NEMPE DE SACRAMENTORVM PRIVATIONE.



VT eandem methodum atq; ordinem retineam in tractatione de interdicto, quem hactenus seruaui in explicatione de excommunicatione, & suspensione, postquam declaratum est in prima Disputatione quid sit interdictum, & quotuplex, quibusuè modis ab alijs censuris differat, sequitur hoc in loco, vt de effectibus interdicti agam, antequam causarum cognitionem aggrediar. Et primo loco supponendum est effectus interdicti non esse connexos, sicut effectus excommunicationis, sed posse limitari etiam ab Episcopo ad hunc vel illum effectum. Quare iure communi omnes effectus iustæ excommunicationis, sicut cessationis à diuinis, & degradationis sunt connexi. Nec Episcopus potest contra iura dispensare, vt Reus incurrat vnum effectum sine alijs. In Interdicto tamen sicut, & in suspensione effectus limitari possunt ab Episcopo; at diuidere effectus excommunicationis ad Summum Pontificem spectat. Sic tradit Henriquez lib. 13. de excommunicatione cap. 2. nu. 3. & cap. 43. num. 6. & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 183. Omnes autem effectus interdicti ad tria genera reducuntur, vt ex dictis colligi potest. Primus effectus est priuatio actiua & passiua quorundam Sacramentorum. Secũdus effectus est priuatio actiua & passiua diuinorum officiorum. Tertius effectus est priuatio ecclesiasticæ sepulturæ, & omnes hi tres effectus sunt communes tã interdicto locali, quàm personali, siue vtrunque sit generale, siue particulare suo modo & proportione seruata. Desumuntur huiusmodi effectus ex c. Si Ciuitas, cap. Si sententia, & ex c. Alma Mater de sent. excom. lib. 6. & ex alijs iuribus citandis suis locis. De his effectibus tractandum est suo ordine; & primò inchoandum erit in hac Disputatione de priuatione Sacramentorum; addunt aliqui alium effectum, scili-
B cet prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ, de quo discutiendum erit, an sit effectus communis omni interdicto, an potius constituat particulare interdictum.

Caput Primum, vtrum per Interdictum prohibitus sit vsus Sacramenti Baptismi.

Caput Secundum, Vtrum ratione Interdicti prohibitum sit Sacramentum Confirmationis.

Caput Tertium, An tempore Interdicti probibeatur vsus Sacramenti Pœnitentiæ.

Caput Quartum, Vtrùm Eucharistiæ Sacramentum permittatur tempore Interdicti. C

Caput Quintum, Vtrùm Sacramentum Extremæ Vnctionis recipi & tradi possit tempore Interdicti.

Caput Sextum, An Sacramentum Ordinis recipi & conferri possit tempore Interdicti.

Caput Septimum, Vtrum tempore Interdicti licitum sit Sacramentum Matrimonij celebrare.

CAPVT I.

Vtrùm per Interdictum prohibitus sit vsus Sacramenti Baptismi. D

CVm in cap. Si sententia in fine de sent. excom. definitum sit personas interdictas non debere alicubi, *nisi casibus expressis à iure duntaxat exceptis audire diuina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta*, meritò dubitatur, an omnia Sacramenta tempore interdicti prohibeantur, exceptio enim respicit casus, non Sacramenta, quia verò in cap. Alma de sent. excom. lib. 6. hæc exceptio intelligitur quoad casus & Sacramenta, ibi, *Sanè à nostris dudum Prædecessoribus fuit cõ-*
E *stitutum, vt in Terris seu locis ecclesiastico suppositis interdicto nulla certis casibus & Sacramentis exceptis diuina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta,*

menta, ideo inquirimus, quæ Sacramenta tempore interdicti iure sint vetita, quęue permissa, & de singulis discutiendum erit suo ordine initium sumêtes ab ipso Baptismo, qui primum locum tenet, vt intelligamus, quæ Sacramenta per interdictum sint vetita.

De Baptismo certissima statuitur conclusio omniũ consensu recepta tempore cuiuscunq; interdicti nunquam probiberi vsum Baptismi, & meritò, quoniam est remedium simpliciter necessarium ad salutem.

Probatur hæc conclusio, nam si loquamur de susceptione huius Sacramenti supposito interdicto personali non potuit hoc prohiberi, quoniam ante Baptismum nulla persona est capax interdicti, neq; aliarum Censurarum, vt aliàs probatum fuit. Si verò sit sermo de interdicto locali, & de actiua administratione Sacramenti, idest quòd ecclesia prohibeat fidelibus, ne in tali loco ministrent Baptismum, tunc licèt negari nequeat hoc ab ecclesia fieri posse, tamen per interdictum generale loci id non facit, vt patet ex c. Responso de sent. excom. *Præterea quæsiuisti cum Ferrariensis Ciuitas sit interdicto supposita, & ideo sint ibidem præter Baptismum paruulorum & pænitentias morientium vniuersa sacramenta ecclesiastica interdicta*, & cap. Non est vobis de sponsal. *Nulla diuina officia præter Baptismum paruulorum, & pœnitentias morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.* Vbi Glo. Ver. Baptismum Paruulorum, notat hæc duo Sacramenta, semper intelligenda esse excepta in quolibet interdicto, quia sunt Sacramenta necessitatis, vnde etiam ab Hęretico, si necessitas cogat, recipi posse cap. Si quem forrè 24. q. 1. Glo. in c. Quod in te Ver. Concedimus, de pœnit. & remiss. & Glos. in cap. fin. Ver. Sacramentis de sent. excom. lib. 6.

Si obijcias locis citatis non excipi simpliciter, & absolutè Sacramentum Baptismi, sed tantum Baptismum paruulorum, ergo ex his testimonijs Iuris non videtur posse inferri tempore interdicti licitè administrari Baptismum adultis, immo potius ex illis locis desumitur argumentum ad probandum vetitum esse tempore interdicti conferre Baptismum adultis, postquam solus Baptismus paruulorum permittitur.

Respondeo duobus modis, primo per illam dictionem, *Paruulorum*, noluisse Summum Pontificem coarctare & limitare administrationem Baptismi ad solos paruulos, vt excluderet illos, qui adulta essent ætate, sed potius declarare, de quo Baptismo loqueretur, scilicet de Sacramento maximè necessario ad salutem quod Baptismus paruulorum per excellentiam nuncupatur, quoniam paruulis maximè necessarius est, cum præter Baptismum omni alio remedio prorsus careant ad consequendam salutem. Vel secundò dici potest, si sentiamus voce illa, *Paruulorum*, coarctatam fuisse administrationem Baptismi tempore interdicti ad solos infantes, hanc limitationem sublatam fuisse postea in cap. Quoniam de sent. excom. lib 6. Vbi Bonifacius Octauus expressè declarat tempore interdicti administrari posse baptismum non solum paruulis, sed adultis quoque, *Quoniam in Baptismo & Confirmatione, quæ nedum pueris sed adultis propter moræ periculũ exhiberi possunt licitè tempore interdicti* &c. Vbi Glos. Ver. Interdicto in addit. notat expressum fuisse de Adultis, quod placuerat Vin. & Io. And. in cap. Responso in antiq. id quoq; cõsonum est benignitati & amori, quo Ecclesia tanquam pia Mater prosequitur suos filios, vt nolit permittere vllo tempore deesse suis fidelibus hoc Sacramentum adeo necessarium, nam quamuis adultus valeat per Baptismum flaminis absq; Baptismo fluminis iure æternam beatitudinem adipisci, tamen noluit illius salutem in eo discrimine versari, vt ad salutem necessariò sit ei habenda contritio, vel amor Dei super omnia, neque voluit adultum priuare vlteriori fructu Sacramenti Baptismi quoad gratiæ augmentum, & plenam remissionem culpæ, & pœnæ.

Hæc conclusio ab omnibus admittitur, ita tenet Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. §. Quantum ad vndecimam, B. Anton. 3 par. tit. 26. cap. 4. circa med. Vers. Item tempore Interdicti, Sylue. Interdictum 5 §. 9. Ang. Interdictum 6. nu. 27. Tabie. Interdictum 5. §. Secundo, Domin. Sot. in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 4. Vers. Iure autem antiquo, Nauar. in Manua cap. 27. nu. 178. Henriquez lib. 13 de excom. & interdic. cap. 45. num. 1. Couar. in cap. Alma par. 2. § 2. nu. 7. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 53. in princ. Burgas. de Irregul. & suspens. par. 6. nu. 49. de sententia interdicti, Abb. in cap. Non est vobis de sponsal. Anchar. in cap. Quoniam num. 1. de sent. excom. lib. 6. & ibi Franc. n. 1. & Gemin. n. 1.

Cum autem asserimus tempore Interdicti posse licitè administrari Sacramentum Baptismi non solum infantibus carentibus vsu rationis, sed etiam adultis, credimus hoc priuilegium competere omnibus adultis tam infirmis, quàm sanis, vt tenet Couar. dicto §. 2. num. 7. Vers. Nihilominus in præsenti, & reddit rationem, quoniam Sancta Mater Ecclesia non tantum respicere voluit ad præcisam necessitatem consequendæ salutis ex hoc Sacramento hac enim ratione solum permisisset illud concedi pueris existentibus in periculo mortis, sed & maximã vtilitatem, quæ Christi fidem & Religionem professuris accedit ex hoc Sacramento re ipsa suscepto, eodem modo sentit Henriquez citato cap. 45. num. 1. & cap. 53. num 4. Quod igitur Sacramentum Baptismi tempore interdicti administrari possit, non est ambigendum, sed quæri potest de modo seruando in eius administratione.

Si obijcias, verba cap. Quoniam de sentent excom. lib. 6. *Propter moræ periculum*, quę innuunt Baptismum tunc permitti supposita necessitate & periculo mortis, respondeo, immo ex illa particula probari, non esse expectandam necessitatem, quia propter periculum moræ contingere posset aliquando, vt quis decederet sine Baptismo, quòd imminente necessitate non posset ei ministrari, vel ob defectum aquæ vel alicuius, qui baptizaret, vt inquit Couar. in dicto §. 2. num. 7. in princ.

Sit secunda conclusio, tempore interdicti Sacramentum Baptismi non solum priuatim, sed etiam solemniter in loco interdicto & modo ministrari posse, & olim ita tradi consueuisse. idest cum solita cæremonia Catechismi, Exorcismi, & vnctionis cum oleo & Chrismate, ita Sylue. Interdictum 5. §. 9. Calder. in Tract. de interdicto par. 2. in princ. Angel. Ver. Interdictum 6. num. 27. B. Anton. 3. par. Sum. tit. 26. cap. 4 ante med. Item & Catechismus, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 178. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. nu. 7. Vers. Tam & si Eucharistia.

Probatur primò ex dicto cap. Quoniam de senten. excom. lib. 6. quoniam vt hoc Sacramentum tempore interdicti administrari possit, non requirit Papa articulum aut periculum mortis, vnde præsumi possit voluisse Summum Pontificem permittere vsum Baptismi quoad partes essentiales tantum, scilicet materiam & formam, sed propter periculum moræ concessit simpliciter, vt semper licita esset administratio Baptismi,

ptismi, vt dixi, igitur permisit, vt hæc administratio fieret iuxta consuetum morem, nam extra articulum necessitatis conceditur Baptismus cum suis solennitatibus ab Ecclesia institutis, quæ nunquam omitti debent, nisi imminente necessitate.

Secundò probatur, quoniam in eod. cap. Quoniam permittitur, vt in die Cœnę Domini tempore interdicti, Terra interdicta, possit cõfici Chrisma, & assignatur ratio, quoniam in tradendis sacramentis Baptismi & Confirmationis, quæ eodem tempore exhiberi possunt, vtimur vnctione Chrismatis. Hęc autẽ vnctio est vna ex solennitatibus Baptismi, & ex permissione huius cæremoniæ existimandum est Summum Pontificem alias permittere voluisse, cum non sit maior ratio de vna, quàm de alijs; Tertiò si tempore interdicti conceditur Baptismus, consequenter intelligitur concessum officium Baptismi tanquam accessorium, & omnia, quæ sunt media & dispositiones ad Baptismũ recipiendum, cuiusmodi est Catechismus, cap. Ante Baptismum de consecr. dist. 4. Quando enim Ius concedit aliquid simpliciter, & non limitat, & præscribit modum aut formam, intelligitur illud concedere secundum communem & vsitatum vsum, præsertim, quoniam alium voluit statuere modum & ritum seruandum, ratione interdicti illum expressit, vt de sacrificio Missæ & diuinis officijs in cap. Quod in te de pœnit. & remiss. & in c. Alma de sent. excom. lib. 6. quem suo loco explicabo. Cur ergo de Baptismo nihil dicat, sequitur communem & consuetum morem seruari voluisse arg. l. Pręcipimus, C. de appel. & l. Iubemus. C. de Testam. Et ob hanc rationem idem sentiunt Gemin. num. 1. Franc. n. 1. Anchar. n. 1. in cap. Quoniam de sent. excom. lib. 6.

Sed circa dicta dubitari potest primò de Benedictione Fontis seu aquæ, an hæc fieri possit tempore interdicti, quia benedictio fontis non videtur necessaria ad Baptismum.

Respondeo, quòd licèt talis benedictio nõ esset necessaria, spectat tamen ad solennitatem Baptismi in d. c. Quoniam arg. à simili de Chrismate benedicto. Verùm quia hæc benedictio fit cum præcibus & orationibus sacris, quæ spectant ad officium diuinum, crederem illam fieri debere adhibitis circumstantijs & conditionibus præscriptis in c. Alma de sent. exc. lib. 6. de quibus tractabitur.

Secundò dubitatur, an Baptismus tempore interdicti administrari possit publicè ianuis apertis & pręsente populo.

Respondeo affirmatiuè, quoniam permittitur vsus Baptismi simpliciter absque vlla limitatione, deinde quia aliquæ personæ necessariò debent interesse, vt patrini, qui suscipiunt baptizãdum iuxta Conc. Trid. sess. 24 de refor. matrim. c. 2. & si sit infans, admittitur obstetrix. Et cum hæ personæ non exprimantur in Iure, sicut istæ, non excluduntur, ita quoque interesse poterunt alij, nullibi enim reperitur prohibitum.

Tertiò dubitatur, an huiusmodi administratio Baptismi fieri possit in Ecclesia interdicta; neq; difficultas est, quando latum est interdictum generale in Ciuitatem, Terram, Oppidum, vel Castrum, tum quia in c. Non est vobis de sponsal. & c. Responso de sent. excom. sermo est de Interdicto generali, cum cõceditur Baptismus, tum etiam quoniam supposito interdicto generali omnes Ecclesiæ Ciuitatis & loci sunt interdictæ, ideo si Baptismus conferendus est, necesse est, vt in aliqua Ecclesia vel loco interdicto conferatur, sed controuersia est, an possit administrari in Ec-

A clesia, aut loco speciali sententia interdicto.

Est communis sententia omnium, Baptismi vsum per se administrari posse in loco specialiter interdicto ita sentit Couar. in Tract. de interdicto 2. n. 1. Vers. An autem in Ecclesia Burgh. de senten. Interdicti nu. 27. Anchar. in c. Si Ciuitas n. 3. de sent. excom. lib. 6. Tabie. Interdictum 5. n. 2. Sylue. Interdictum 5. §. 9. Cou. in c. Alma par. 2. §. 3. n. 7. vltra med. Vers. Hæc verò sacramenta, qui asserit esse communem opinionem, B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. c. 5. paulo post princ. Vers. Item in Ecclesia, Ang. Interdictum 6. nu. 27.

Nonnulli tamen oppositum sentiunt, idest concessionem Iuris de Baptismo administrãdo tempore interdicti non esse extendendam ad interdictum parti-
B culare loci, censent enim Baptismum non posse licitè administrari in loco specialiter interdicto, tum quia c. Non est vobis de sponsal. & c. Responso de sent. excom. loquuntur solum de interdicto generali Prouinciæ & Ciuitatis, tum etiam quoniã ex interdicto particulari loci non oritur tanta necessitas administrandi baptismum in loco interdicto, sicut ex generali, quo omnia loca sunt prohibita; & idcirco, si quærendus esset locus non interdictus, administratio huius Sacramenti valde difficilis redderetur.

Propter has rationes Sylue. Anton. Calde. Couar. & alij limitant conclusionem illam generalem, quòd licèt Clericus baptizans in Ecclesia specialiter interdicta non incurrat irregularitatem, tamẽ si commo-
C dè fieri posset hæc administratio baptismi in loco non interdicto, exercenda esset, & hoc honestum fore affirmat Couar. quasi sentiat illicitum esse, si id non seruetur, cum absque incommodo seruari potest.

Quamobrem hac limitatione admissa sequitur tũc posse administrari baptismum in Ecclesia specialiter interdicta, si in loco non sit nisi vnica Ecclesia, & illa sit specialiter interdicta, vel si plures extent, & singulæ interdicto speciali sint suppositæ, nam baptismus solennis in Ecclesia conferendus est in Clem. vni. de Baptismo, vbi vetitum est, ne in domibus priuatis, sed tantum in Ecclesijs hæc actio celebretur.

Mihi tamẽ probabilior videtur opposita sentẽtia, nimirũ absq; vlla inhonestate & irreuerẽtia posse ad-
D ministrari Baptismũ in ecclesia specialiter interdicta, quãuis absq; incõmodo in alia Ecclesia id celebrari posset, quantũ spectat ad permissionẽ Iuris quoad administrationẽ baptismi tempore interdicti, & moueor ob eã rationẽ, quoniam Ius simpliciter & absolutè cõcedit facultatem conferẽdi Baptismũ tẽpore interdicti, vt in c. Non est vobis de sponsal. c. Quod in te de pœnit. & remiss. c. Quoniam de sent. excõ. lib. 6. absq; vlla limitatione & coarctatione, ergo nõ opus est hoc priuilegium coarctare magis ad Ecclesiã non interdictam, quã ad interdictã. Cõfirmatur, nam si Summus Pontifex non concessisset expressè hanc facultatem administrãdi Baptismum tempore interdicti, quãuis vnica tantum esset Ecclesia in illo loco, vel plures, sed
E singulæ specialiter interdictę sint, non liceret etiã supposita hac necessitate celebrare hanc administrationem in Ecclesia interdicta, non ergo necessitas facit licitã hanc actionem in Ecclesia interdicta, sed priuilegium Iuris. Quare cum in c. Quoniam, simpliciter dicatur tẽpore Interdicti posse ministrari Baptismũ, neq; distinguat de interdicto generali vel particulari, interpretãda est cõcessio de vtroque, quãuis sine magna difficultate talis actio celebrari posset in alia Ecclesia nõ interdicta, quia hæc commoditas nõ inducit obligationem, cũ id non sit Iure cautũ, vt id in Eccle-

sia interdicta fiat; ideo non videtur Parochus teneri, si baptizare debet suum subditum, adire aliam Parochiam seu Ecclesiam etiam vicinam, si sua Ecclesia interdicta esset, quia hunc vsum Baptismi non prohibetur in sua Ecclesia exercere, nisi ex alio capite Parochus aliam quęrere Ecclesiam compelleretur, vt quia populus ęgrè ferret, vel parentes baptizandi optarēt, vt hæc administratio fieret in Ecclesia nō interdicta, vel ob alias causas, tunc enim ad euitandū scandalū, ratio honestatis postularet, vt Parochus dimissa Ecclesia interdicta aliam requireret ad hoc ministeriū exercendum, præsertim, si id exequi liceret absq; magno suo incommodo. Et hęc fortasse fuit mens Doctorum, vnde Sylue. ait, si tamen commodè fieri posset, hæc essent alibi exercenda, quia moraliter loquendo non fieret absq; publico scandalo, si sacramenta in Ecclesia interdicta administrarentur, cum alibi absq; vllo incomodo æquè bene administrari possent.

Quartò dubitatur, an tempore interdicti Baptismus conferri possit à personis specialiter interdictis.

Verum videtur indubitatum, nimirū tempore necessitatis, vt in articulo vel periculo mortis baptismū administrari posse à persona specialiter interdicta etiā denunciata sine solennitate, quia supposita tali necessitate conferri quoque potest ab excommunicato, hæretico, & pagano, vt probatum est lib. 1. Disp. 8. cap. 2.

Difficultas est, vtrum extra casum necessitatis administratio baptismi vt prohibita ex vi interdicti personalis, an verò è cōtra, quia hoc sacramentū est summè necessarium, ideo absolutè nō prohibentur per interdictum personale, ita vt non peccet persona interdicta baptizando etiam solenniter, licèt sint alij non interdicti, qui hoc ministerium præstare possent.

De hac difficultate in specie pauca dicuntur à Doctoribus, in genere tantū firmāte conclusionē non licere alicui innodato extra casum necessitatis administrare baptismum, supposita verò necessitate non esse prohibitū illū cōferre absq; solēnitatibus, quę nō sunt de substantia baptismi. Et ad illud confirmandū citāt iura, quæ loquuntur de excōmunicatione, vt in c. vlt. de cleri. excom. Mini. & in c. penul. de sent. excō. Vel si tractēt de Interdicto in specie, nō tamē de collatione Baptismi, sed generaliter de vsu diuinorū officiorū, vt in c. Si sentētia, c. Si Ciuitas, c. Is cui de sent. exc. lib. 6.

Ad hāc dubitationem putarē respondendum fore interdictū personale non prohibere per se ministeriū Baptismi etiā extra casum necessitatis. Probatur arg. à simili ex interdicto locali, interdictū locale particulare nō vetat vsum Baptismi in loco specialiter interdicto, vt probatū est, igitur interdictū personale nō habet vim prohibēdi, ne persona interdicta valeat idem sacramentū ministrare, par enim vis & ratio est de interdicto locali erga locū, sicut de personali in person. nec plures effectus habet illud, quā istud. Cōfirmatur, quoniam, in c. Quoniam de sent. excom. lib. 6 absolutè permittitur vsus Baptismi tempore interdicti, igitur sicut potest administrari solēniter in loco specialiter interdicto, ita à persona specialiter interdicta, Tex. enim generaliter loquitur absq; vlla limitatione.

Et hæc conclusio pręsertim vera est, quādo persona administrās est interdicta per interdictū generale, cui causam non dederit, talis enim persona est interdicta nō primario sed secundario per quandā cōmunicationem, ne sententia careat suo effectu, vt dicitur in c. Si sententia de sent. excō. lib. 6. ergo persona generaliter interdicta absq; culpa propria poterit ministrare Baptismū solenniter etiā extra casum necessitatis, quòd si interdicta sit specialiter vel generaliter ob eius culpā poterit tātum ministrare in casu necessitatis, sicut dicitur de excommunicato lib. 1. Disp. 7. c. 1. & sine solēnitatibus, sed priuatim. Qua in rę diuersa ratio erat de persona specialiter interdicta, vel generaliter, sed ob eius culpam, & de loco specialiter interdicto, nam locus semper interdicitur ob alterius culpam, persona verò propter peccatum proprium, quando vel specialiter interdicitur vel generaliter, cui ipse causam dederit, siue sit interdictum personale, siue locale.

CAPVT II.

Vtrùm ratione interdicti prohibitum sit Sacramentum Confirmationis.

DE hoc Sacramento Confirmationis eadem conclusio statuitur communiter ab omnibus, sicut de Baptismo, nempe Confirmationē hoc tēpore, sicut & olim iure antiquo, supposito interdicto generali loci, immo etiā in Ecclesia specialiter interdicta tā paruulis, quā adultis cū solennitate quoq; consueta licitè ministrari posse, ita Sylu. Interdictū 5. §. 9. Vers. Secūda, Cald. par. 1. n. 19 Vers. Sed nunquid in Ecclesia, & par. 2. in princ. num. 2. Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. in princ. §. quantum ad vndecimum, B. Anton. 3. par. tit. 26. c. 4. ante med. Vers. Item tempore interdicti, Abb. in c. Quod in te. n. 6. de pœnit. & remiss. & c. Responso nu. 5. de sent. excom. Ang. Ver. Interdictum 6. nu. 28. Tabic. Interdictum 5. num. 4. Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 178. Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. nu. 7. circa med. Vers. Idem de Confirmationis Sacramento, Henriq. lib. 13. de excom. & interdi. cap. 45. nu. 1. Fundamentum omnium Doctorum est, quoniam Confirmatio est perfectio & complementum Baptismi.

Idem expressè definitum fuit in c. Responso in fi. de sent. excom. Vbi Innocētius III. requisitus ab Episcopo Ferratiensi, cum Ciuitas Ferrarien. esset interdicto supposita, & ideo essent ibidē præter baptisma paruulorum & pœnitentias morientium vniuersa Sacramēta Ecclesiastica interdicta, an liceret baptizatos pueros in frontibus consignare, & idem Summus Pōtifex respondet; *Super quo respondemus, quòd sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad Confirmationē in frontibus à te possunt sacro Chrismate deliniri*. Aequiparatur igitur à Summo Pontifice Confirmatio Baptismo, immo continetur sub Baptismo. Nā vt ibi in eod. c. habetur, vniuersa sacramenta Ecclesiastica tēpore interdicti prohibēntur præter *Baptisma paruulorū & pœnitentias morientium*, & tamen tēpore interdicti non prohibetur Cōfirmatio, igitur includitur sub Baptismo, vnde Glo. Ver. Ad Confirmationē notat, *sine qua non est plenè Christianus, qui eam contemnit*. Vnde Turrecr. in c. Omnes dist. 5. inquit, quòd sicut Baptismus est ianua intrantium, ita Confirmatio est primum Sacramentū progredientium, ideo Sacramentum Confirmationis, vt tradit Turrecrem. ex mente D. Bonau. dicitur necessarium ad salutem necessitate conditionis tāquam id, quo melius & tutius peruenitur ad salutem. Eadē cōclusio habetur in c. Quoniam de sent. excom. lib. 6. *Quoniam in Baptismo & Confirmatione, quæ nedū pueris, sed adultis propter moræ periculum exhiberi possunt licitè tēpore interdicti*. Ex quibus etiam verbis colligitur necessitas huius Sacramenti, postquam Papa non aliam adducit rationē, propter quā concedatur hoc Sacramentum tempore Interdicti, nisi *moræ periculum*, cum existimauerit magnū incommodum, vt infantes exponerētur periculo moriendi sine fructu huius Sacramen-

ti, vel adulti cogantur aliquandiu viuere fine illius auxilio & ope, cum tamen illo maximè indigeant ad resistendum tentationibus, præsertim contra fidem.

Sicut autem superiori capite probatum est Baptismum posse ministrari non solum in loco generaliter interdicto, sed etiam in Ecclesia specialiter interdicta, ita eodem modo asserimus propter easdem rationes de sacramento confirmationis, nam quoad hoc paria sunt hæc duo sacramenta, vt dixi.

Item hoc sacramentum, sicut Baptismus, quamuis administretur in loco interdicto, in eius administratione adhiberi possunt, & debent omnes solennitates, & ceremoniæ consuetæ: quia eius vsus simpliciter conceditur non per modum exceptionis, sed quia hic actus sub generali prohibitione interdicti nō includitur simpliciter, ideo exercēdus seruato cōmuni modo & adhibitis ceremonijs ab Ecclesia institutis, qa permittitur iuxta dispositionē iuris, & vt vsus obseruat.

Dico tamen posse hoc Sacramentum administrari in Ecclesia specialiter interdicta cum illa limitatione, sicut monebam superiori capite in collatione Baptismi, vt ad tollendum scandalum, & ad maiorem fidelium consolationem ac spiritualem profectum conueniens sit, & congruum, si absque graui incommodo fieri potest alibi hanc actionem exercere.

Hinc inferunt omnes citati auctores licitum esse tempore interdicti in die Cœnæ Domini iuxta consuetudinē Ecclesiæ conficere Chrisma in loco interdicto, quia est necessarium in tradendo sacramento Confirmationis. Hoc autem ex more Ecclesiæ consecratur tantum feria quinta maioris hebdomadæ ab Episcopo inter Missarum solennia, quo vtimur in Baptismo & Confirmatione sublato veteri Chrismate. Quare si conceditur sacramentum Confirmationis optima ratione sequitur congruum fuisse concedere Chrismatis confectionem, quæ fieri potest in loco interdicto, sicut & oleum baptizandorum, quod Nauar. colligit à simili de Chrismate c. 27. n. 178. sed conueniens tamen esset, vt alibi fieret ob rationes allatas.

Ita statutum habetur in d. cap. Quoniam in fine de sent. excom. lib. 6. *Posse (licèt Terra interdicta existat) Chrisma die Cœnæ Domini confici, dubium non existit.*

Sed dubitatur primò, quoniam Cōfectio Chrismatis fit inter Missarum solennia cum precibus & orationibus Ecclesiasticis, quæ pertinent ad officium diuinum, vtrum, si hæc actio celebretur in Ecclesia interdicta, debeat administrari cū illis cōditionibus & & limitationibus, quæ à Iure præscriptę sunt, & seruari debent, quoties officium diuinum in Ecclesia interdicta celebratur.

Communis est doctorum sententia non posse solēniter in loco interdicto celebrari officium illud Ecclesiasticum, quod ex more consueto Ecclesiæ requiritur ad conficiendum Chrisma, & consequenter Chrisma feria quinta Cœnæ Domini celebrari posse ianuis tamen clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & cū moderatione c. Alma. Quare non eodem modo sentiunt de Confectione Chrismatis, sicut de Sacramento Confirmationis, nam Chrismationē & Baptismum aiunt ministrari posse cum solennitatibus consuetis, Chrisma verò non posse confici solenniter. Rationem diuersitatis aliam assignare nequeunt, nisi quod collatio Baptismi aut Confirmationis fit absq; celebratione officij diuini. Confectio autem Chrismatis postulat officium diuinum, fit enim inter Missarū solennia, & cum alijs orationibus publicis ab Ecclesia institutis. Prohibetur autē officiorum solennitates tē-

A pore interdicti, solumq; permittitur cum quibusdam moderationibus expressis in c. Alma, consequenter fit, vt Chrisma confici tantum possit adhibitis illis conditionibus, idest non alta voce, nec pulsatis campanis, & alijs, de quibus suo loco dicetur.

Ita tenet Gemin. in c. Quoniam nu. 3. Vbi in eandem sententiam citat Io. Mana. Archid. & Host. Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Secūdum Clerici, & §. 9 post princ. Vers. Quæ tamen confectio, & Ver. Confirmatio §. 4. prope finem, Vers. Et quarto, Ang. Interdictū 6. n. 28. Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. num. 7. ante med. Vers. Hęc tamen confectio, & dicit Doctores communiter ita notare, Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 45. n. 1. in Glo. lit. M.

Dubitatur secundo, an qui personaliter est inter- B dictus è participatione huius sacramenti tam actiua, quàm passiua prohibeatur ita vt neq; illud ministrare, neque recipere licitè valeat.

Respondeo distinguendo de interdicto personali, si loquamur de interdicto personali generali lato in populum, & vniuersitatem, vel in Clerum, dicendum est ex vi talis interdicti neminem excludi à participatione huius sacramenti actiua vel passiua, nisi qui interdicto causam dederit. Prior pars patet ex eodem c. Quoniam vbi tēpore interdicti simpliciter permittitur hæc duo sacramenta absque vlla distinctione, vtrum sit interdictum generale, personale, vel locale, latū in Ciuitatē vel populum. Posterior pars, idest de C illo, qui causam dedit interdicto ratione culpæ & delicti ab eo commissi, probatur, quoniā non est admittendus ad hoc sacramentum recipiendum, nisi prius vel satisfecerit, vel, si non possit, dederit cautionem saltem iuratoriam, si aliam non habuerit, de satisfaciendo, licèt enim id in specie de hoc Sacramento definitum non reperiatur in Iure, tamen deducitur euidenter ex his, quę habentur in c. Alma de sent. excom. lib. 6. Vbi prohibetur, ne illi, qui causam dederunt interdicto generali loci, admittantur ad pœnitentiæ sacramentum, nisi satisfactione aut cautione præmissa. Sed regula est, vt qui ab Ecclesia ad pœnitentiæ sacramentum propter cēsuram nō admittitur, vel propter indispositionē ad vllum aliud sacramentum mi- D nimè recipiatur, nam post Baptismum Pœnitentiæ sacramentum est præparatio & dispositio ad alia sacramenta. Quare qui est indignus vel incapax in foro Ecclesiæ ad sacramentum Pœnitentiæ, multò magis exclusus intelligitur ab omni alio sacramēto, ergo personæ interdictæ generali interdicto, quæ causam dederunt interdicto, non sunt admittendæ ad sacramētum Confirmationis, quia conueniens est Iuri, vt interdictum in eis propter eorum culpam aliquid efficacius operetur, quam in alijs, qui innocentes fuerūt.

Propter eandē rationem sequitur, si quis sit interdicto personali specialiter interdictus, vt non sit admittendus, neq; ipse recipere licitè possit hoc sacramentū donec Ecclesiæ satisfaciat modo prædicto, nam cum E nemo interdicatur specialiter, nisi propter culpam propriam, sicut qui dedit causam interdicto generali, non admittitur ad hoc sacramentum, nisi seruata illa forma, sequitur, vt multò magis id sit asserendum de interdicto specialiter.

Petet aliquis, vtrum secuta satisfactione statim eo ipso cesset interdictum, vel opus sit relaxatione.

Respondet Glo. in c. Præsenti, Ver. Generaliter de sent. excom. ad cautelam secuta satisfactione requiri relaxationem, quam Glosam sequuntur ibi Gemin. n. 4. Franc. n. 5. & alij, nā sicut datur absolutio ab excō-

municatione ad cautelam sequuta satisfactione, ita A relaxatio requiritur ab interdicto, quod excommunicationi æquiparatur.

Ex his intelligi potest, quomodo interpretãdus sit textus in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. Vbi interdicitur ingressus Ecclesiæ primò Regularibus vel secularibus, quamuis exemptis, qui scienter celebrãt, vel celebrari faciunt diuina in locis interdictis, secundò qui excommunicatos vel interdictos publicè ad diuina officia, Sacramenta vel sepulturam admittũt, nam pares sunt excommunicati & interdicti in hoc, quòd ad Ecclesiastica sacramenta non admittantur, quod intelligendum est de interdictis personaliter vel specialiter & directè, vel saltẽ generaliter, & indirectè quoad alios, qui causam dederũt interdicto. Et hęc de passiua administratione sacramenti confirmationis.

B An verò personæ specialiter vel generaliter interdictę prohibita sit administratio sacramenti cõfirmationis siue per proprium interdictum personale, siue per locale, si causam dederit interdicto.

Ad hanc difficultatẽ responderi potest primo personam interdictam generali interdicto, quæ causam non dedit, posse conferre hoc sacramentum, & eodem modo conficere Chrisma, sicut dictum est de Baptismo, in hoc enim æquiparantur.

Quòd si loquamur de illis, qui interdicti sunt personaliter per interdictum particulare, vel generaliter, sed causam interdicto dederunt, est maior difficultas. Crederem tamen probabile esse affirmare, non licere personæ ita interdictæ hoc Sacramentum ministrare, C primò quoniam in cap. Clerici, & in cap. Latores de Cleri. excom. Mini. Alexander Tertius generaliter prohibet sub pœna depositionis, ne interdicti vel excõmunicati diuina præsumant officia celebrare ante absolutionem. Sed administratio huius Sacramenti non fit sine officio diuino, ergo non est permissa, & iura citata intelligenda sunt de interdictis personaliter ob eorum culpa, ideo meritò excommunicatis ęquiparantur. Quare sicut excommunicati nõ possunt sacramentũ Confirmationis ministrare, ita neq; huiusmodi interdicti. Secundò quoniam hoc sacramẽtum non est simpliciter ad salutẽ necessariũ, sicut Baptismus, tertiò quoniam Iura excipiũt hoc Sacramẽtum, & Baptismum à prohibitione generali D administrandi sacramenta propter interdictum locale, & nũquam mentionẽ faciunt de personali interdicto. Quare licet probabiliter videatur posse hoc priuilegium extendi quoad interdictum personale generale quantum ad personas innocentes, quæ non dederunt causã interdicto, est enim aliqua similitudo inter interdictũ loci, & interdictũ personale generale quoad personas innocentes. Sicut enim locus nunquam interdicitur per se, nisi propter culpã alicuius personæ, ita innocẽtes subijciuntur interdicto generali secundariò propter peccatum aliorum, qui fuerunt causa interdicti. E Tandẽ idem probari potest ex proportione, quę cõsiderari potest inter recipientem & administrantẽ hoc sacramentum. Si enim interdictus speciali interdicto vel generali propter culpã propriã, non dignè recipit, neq; admittitur ad hoc Sacramentũ, ergo neq; illud administrare potest, non enim interdictus minus prohibetur administrare hoc sacramentum, quã illud recipere, si excluditur à receptione, ergo erit exclusus ab administratione. Quare cum hoc sacramentum non sit simpliciter ad salutẽ necessarium, nec possit, nisi solenniter & ex officio conferri, sequitur eius administrationem prohibitam esse personis sic interdictis.

A

CAPVT III.

An tempore interdicti prohibeatur vsus Sacramenti Pœnitentiæ.

HAec difficultas tractari potest vel inuestigando dispositionem Iuris antiqui, vel noui Iuris in c. Alma Mater Bonifacij Octaui de sent. excom. lib. 6. Si loquamur de Iure antiquo, certũ est hoc Sacramẽtum non fuisse concessum tẽpore interdicti omnibus vniuersaliter, sed tantum infirmis in casu necessitatis, idest existentibus in periculo mortis, vt constat ex c. Quod in te de pęnit. & remiss. *In illo verbo, per quod pęnitentiã morientibus non negamus*, sermo est de tempore interdicti generalis, & ibi Glo Ver. Cõcedimus notat ista duo sacramẽta semper excipi in quolibet interdicto, scilicet Baptisma paruulorũ & Pœnitentia moriẽtiũ, & sub hac includitur viaticũ, & in c. Permittimus B de sent. excom. Vbi similiter de tẽpore interdicti dicitur: *Permittimus &c. Missarũ solennia celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pęnitentia nõ negatur.* In c. Non est vobis in fine de sponsal. *Donec ibi fuerint, nulla diuina officia præter Baptismũ paruulorum & Pœnitentias morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari*, in c. Responso de sent excom. *Præterea quæsiuisti, cum Ferrarien. Ciuitas sit interdicto supposita & ideo sint ibidem præter Baptisma paruulorũ & pœnitentias morientium vniuersa Sacramenta Ecclesiastica interdicta.*

Præterea eodem Iure antiquo ministrare sacramẽtum poenitentiæ recipiẽtibus signum Crucis & alijs peregrinis. vt habetur in eodẽ c. Quod in te in fine de C poenit. & remiss. *Recipientibus autem signum Crucis non negamus, quominus eis ob reuerentiam Crucifixi pęnitentia &c.* Vocantur autem recipientes signum Crucis seu Cruce signati illi, qui vouebant peregrinari in Terram Sanctam, & in signum peregrinationis assumebãt Crucem signatam in vestibus, quam in pectore gestabant, vt deuotio illa innotesceret omnibus gentibus Terræ Orientalis iuxta c. Magnæ de voto.

Glo. vlt. ibi Ver. Poenitentiæ censet, quod his peregrinis non concedebatur poenitentia, nisi imminente necessitate, cũ actu proficiscebantur, & exponebant se itineri, & ita quasi in via dicerentur, sicut illi, quibus D datur viaticum, & idem ait dici posse de ijs, qui proficiscuntur ad bellum iustum. Hoc tamẽ dictum Glosæ non placet Abb. ibi. n. 6. Vers. In Glos. fin. quia iuxta Glosam tẽpore interdicti non concedebatur pęnitẽtia istis Cruce signatis vel peregrinis, nisi necessitate imminente, quod est contra verba textus, ibi: *Cũ pollulauerint*, ergo quandocunque vti poterant hoc priuilegio. Opinioni Abbatis adhæret Cou in c. Alma par. 2. §. 2. n. 7 circa med. Vers. Præter hæc, affirmans tales peregrinos Iure antiquo obtinuisse, vt tẽpore interdicti licitè eis poenitentia administraretur, quãuis nec proficiscerẽtur, nec essẽt in mortis articulo cõstituti.

Est etiã difficultas, quid intelligatur in Iure nomi- E ne morientiũ seu decedentium è vita, an sint intelligendi illi soli, qui sunt in articulo mortis propriè, & strictè sumpto, scilicet qui animã agunt, & statim sunt morituri, vel etiam illi, qui sunt in articulo mortis latè sumpto, idest in probabili mortis articulo.

Respõdeo intelligi illos, qui sunt in probabili periculo mortis, siue sit ex infirmitate, siue ex alia extrinseca causa. Ita Cou. in c. Alma §. 3. n. 1. Armil. Ver. Interdictũ nu. 45. Et quãuis isti Auctores & alij loquantur de Eucharistia iuxta dispositionem Iuris noui, tamen quia de Iure nouo nulla facta est mutatio circa Eucharistiã, quod modò licet, olim erat licitũ de Eu-

chari-

charistia, ergo à fortiori licitum erat de Sacramento Pœnitentiæ, quod est magis necessarium. Postea verò Iure nouo in dicto cap. Alma Mater declaratum est, vel concessum etiam sanis Sacramentum pœnitentiæ his verbis post princ. cap. *Concedimus, quod tempore Interdicti ab homine vel, à iure prolati non tantummodo morientes, sed etiam viuentes tam sani etiam, quàm infirmi ad pœnitentiam, quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum summè necessaria est, licitè admittantur*, ergo hoc Iure nouo Sacramentum pœnitentiæ conceditur tempore interdicti tam sanis, quàm ægrotis, & causa concessionis fuit facilitas & pronitas hominis ad peccandum, & maxima necessitas huius Sacramenti. Vt de pœnitentia est secunda post naufragium tabula, qua sustinemur post lapsum, cap. Secunda post naufragium de pœnit. dist. 1. Vnde Conc. Tridentin. sess. 6. de Lapsis, & eorum reparatione cap. 14. Ita inquit: *Etenim pro vs, qui post Baptismum in peccata labuntur Christus Iesus Sacramentum instituit pœnitentiæ.*

In hac doctrina conueniunt omnes Doctores, Calde. in Tract. de interdicto par. 2. num. 6. Franc in cap. Alma nu. 2. Gemin. num. 5. Anchar. nu. 9. Sylue. Interdictum 5. §. 9. Vers. Tertia, B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap 4. circa med. Vers. Item excipitur Pœnitentia, Ang. Interdictum 6, num. 19. Tabie. Interdictum 5. Vers. Quinto, Abb. in cap. Quod in te nu. 2. de pœnit. & remiss. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 178. Couar. in cap Alma, parte 2. §. 3. num. 1. Henriquez lib. 13. de excomm. & interdicto cap. 45. num. 1. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. c. 53. Vers. Quartus effectus.

Absque vlla igitur ambiguitate concludendum est tempore interdicti permissum esse ex dicto cap. Alma Mater vsum Pœnitentiæ indifferenter omnibus tam sanis, quàm infirmis, siue sit interdictum locale generale, aut particulare, siue personale generale, quando persona causam interdicto non dedit, neque alia censura est impeditus, vt Sacramentum hoc Pœnitentiæ recipere valeat, quamuis enim initio dicti cap. Alma sermo sit tantummodo de interdicto generale loci, ibi: *Vt in Terris seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto*, tamen inferius in ipsa concessione priuilegij ponuntur verba magis vniuersalia, idest, *Nec tunc etiam quoad istos vel alios, qui circa hoc minimè deliquerunt, vbi Ciuitas vel locus alius, seu Vniuersitas interdicti existunt, facienda est relaxatio Interdicti*, ex quibus desumuntur tres species interdicti, scilicet interdictum generale loci, voce illa, *Ciuitas* & particulare, ibi, *vel locus alius*, & Interdictum personale generale, *seu Vniuersitas*. In his interdictis licitè administratur Sacramentum Poenitentiæ illis, qui non sunt in culpa, nec causam dederunt interdicto, neque alia censura sunt innodati. de omnibus enim est eadem ratio.

Duæ tamen limitationes adduntur à Summo Pontifice in Textu seruandæ circa hanc administrationem Sacramenti Poenitentiæ. Prima est, *Dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, præterquam in mortis articulo nolumus ad eandem*. Excluduntur igitur ab hoc priuilegio primum excommunicati, quibus prohibet, ne ad Poenitentiæ Sacramentum, nisi in articulo mortis admittantur.

De hac limitatione est aliqua difficultas apud Doctores, an Summus Pōtifex excludere voluerit omnes excommunicatos ex quacunque causa ab hoc sacramento, vel potius excommunicatos tantummodo ob causam interdicti.

A Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 9. in princ. intelligit de excommunicatis ratione delicti, propter quod positum fuit interdictum, qui non possunt absolui, nisi in morte, secus esse inquit de excommunicatis ex alia causa. Idem tenet Ang. Interdictum 6. nu. 19. Tabie. Interdictum 5. n. 6. quos sequitur Armill. n. 45. Fundamentum pro hac sententia illud esse potest, quoniam absoluere excommunicatum in foro Poenitentiæ à peccatis licet quocunq; tempore, si prius absoluatur ab excommunicatione, sine qua absolui nec neq; in articulo mortis absolui potest, vt probaui agens de excommunicatione. Quare si ab hoc Sacramento pœnitentiæ tempore interdicti reiiciantur excommunicati, probabile est Summū Pontificem noluisse excludere vniuersaliter omnes excommunicatos, qui alias
B frui possunt hoc beneficio, sed tantum illos, qui essent excommunicati ob delictum, cuius gratia interdictum fuit latum, qui ob huiusmodi culpam digni erant maiori poena.

Alij verò Doctores generaliter intelligunt Textū de quibuscunq; excommunicatis absque vlla limitatione, ita vt Summus Pontifex prohibere voluerit, ne tempore interdicti impendatur absolutio ab excommunicatione, & consequenter, ne possit tradi absolutio sacramentalis à peccatis. Et hæc videtur communis sententia omnium Doctorum, quos citaui, qui hāc limitationem interpretantur absolutè de excommunicatis absque vlla distinctione.

C Hæc opinio est probabilis, & videtur magis consentanea verbis dicti cap. Alma Mater, vt nullus excommunicatus ex quacunque causa tempore interdicti à censura excommunicationis absolui possit, & consequenter neq; in foro Pœnitentiæ à peccatis. Et probari potest primò ex ipsomet Textu, qui simpliciter excludit excommunicatos à Sacramento Pœnitentiæ absq; vlla limitatione, & ideo vniuersaliter est explicandus, cū nulla ratio appareat, cur potius ad hos, quàm ad illos excommunicatos coarctari debeat, secundo quoniam in tradenda absolutione ab excommunicatione requirūtur aliquæ solemnitates cum recitatione Psalmorum ac Precum, vt in c. A nobis 2. de sent. excom. quę inter diuina officia connumerari possunt. Tempore autē interdicti cessant diuina officia;
D potuit ergo ob hāc rationem Summus Pontifex prohibere, ne tempore interdicti excommunicati admitterentur ad pœnitentiam. Verùm hæc ratio, qua Doctores vtuntur ad id probandam non concludit, quoniā hæc solemnitas, de qua in d. c. A nobis, requiritur in tradenda absolutione solenni ab excommunicatione in foro exteriori, non est tamen necessaria in absolutione, quæ datur, vt excommunicatus recipere possit absolutionem sacramentalem à peccatis in foro interiori, quia datur absolutio absque illis solennitatibus in foro interiori, sed simplici verbo, ergo hæc ratio non potuit esse causa, propter quam Summus Pontifex reiiceret excommunicatos tempore interdi-
E cti à sacramento pœnitentiæ, vnde Abb. in c. si n. 5. de excess. Prælar. affirmat non esse Irregularem illum, qui absoluit ab excommunicatione tempore interdicti non adhibita solennitate, cap. A nobis, de sent. excommun.

Et propterea prima opinio mihi videtur probabilior, vt intelligatur Textus de excommunicato ob delictum, cuius causa interdictum fuit latum. Non. n. est verisimile Summum Pōtificem voluisse prohibere simpliciter, ne vllus excommunicatus admitteretur tēpore interdicti ad sacramentum poenitentię, si non

dedit causam interdicto, & est innocens ratione inter. dicti, tunc enim absque culpa priuaretur beneficio huius Sacramenti nisi excommunicatio fit reseruata, vel adsit aliud impedimentum, dictam absolutionem recipere potest, sed de eo, qui fuit excommunicatus propter delictum, cuius causa fuit latum interdictum, valde probabiliter asseritur propter eius culpam tempore interdicti non esse admittendum ad Sacramentum pœnitentiæ, nisi in casu necessitatis.

Secunda limitatio eiusdem cap. Alma circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ est, vt ad illud non admittantur tempore interdicti illi, *Propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel fauorem &c.* Huiusmodi personas prohibet Summus Pontifex, ne admittantur ad pœnitentiam, nisi prius satisfecerint, vel idoneam præstauerint cautionem de satisfaciendo, si possint, quòd si illam inuenire nequeant, saltem iurando se obligauerint de satisfaciendo, cum primum potuerint, & de adiuuando suo auxilio, consilio, & fauore, quantum in ipsis fuerit, vt satisfactio præstetur ab his, qui satisfacere possunt.

Ex hac exceptione inferri potest, qui ligatur personali & particulari interdicto, non potest recipere hoc Sacramentum, nisi præstita satisfactione cum conditionibus enarratis. Si enim illi, qui fuerunt causa interdicti, aut qui dederunt auxilium, consilium, vel fauorem, non admittuntur propter eorum culpam, ob eandem rationem interdicti specialiter, qui semper interdicuntur propter culpam & peccatum proprium, non erunt admittendi, nisi adhibitis prædictis conditionibus.

Si quærat aliquis, an Sacramentum pœnitentię collatum alicui interdicto particulari interdicto non seruatis conditionibus prædictis, sit validum, dicendum est huius difficultatis decisionem petendam esse ex his, quæ dixi lib. 1. Disput. 6. cap 5. Vbi eandem quæstionem pertractaui de excommunicato, an absolutio Sacramentalis impensa excommunicato sit valida, eadē enim militat ratio in vtraq; Censura excommunicationis & interdicti quoad hanc prohibitionem, vt notat Glo. in cap. Præsenti ver. Generaliter de sent. excom. lib. 6. Hæ sunt limitationes iure nouo præscriptæ, vt tempore interdicti conferantur Sacramenta Pœnitentiæ omnibus indifferenter non solum infirmis, sed etiam sanis cum olim iure antiquo solis existentibus in articulo mortis traderetur. Vnde obseruandum est in hoc Sacramento Pœnitentię factam esse in cap. Alma mutationem, secus in alijs, in quibus quod iure antiquo ante c. Alma vetitum erat, etiam modò prohibitum apparet.

Sylue. Interdictum 5. §. 9. Vers. Vbi etiam est notandum, censet non solum tempore interdicti licere tradere absolutionem sacramentalem, sed etiam generalem absolutionem, quæ regulariter à Sacerdote præmitti solet. Non quia talis absolutio non spectet ad genus officij diuini, quod prohibetur tempore interdicti, vt putat Calder. sed quia concessa pœnitentia conceditur omnis absolutio specialis & generalis, quæ ordinantur ad remissionem peccati.

Sed dubitari potest, an tempore interdicti localis possit hoc Sacramentum ministrari etiam in loco interdicto.

Respondendum est primò, si interdictum est generale loci, vt quādo interdicitur Ciuitas aut Terra, vel

A simili modo res videtur indubitata posse tunc hoc Sacramentum in loco interdicto ministrari, quia tota Ciuitas est interdicta, neque opus est extra Ciuitatē proficisci ad locum distantem pro conferendo & recipiendo hoc Sacramentum. Secundò dico, si Ecclesia tantum sit specialiter interdicta, vel alius locus particularis, posse in eo per se administrari Sacramentum pœnitentiæ, quia hoc non apparet vetitum, non enim sufficit antiqua prohibitio generalis, quia in cap. Alma videtur limitata etiam circa interdictum particulare loci, vt monebam superius, & hæc limitatio nihil addidisset supra ius antiquum, si tempore interdicti Sacramentum pœnitentiæ tantum extra locum interdictum liceret conferre, hoc enim permissum erat iure antiquo. Dico tertiò, quando Ecclesia aliqua sola est particulariter interdicta, & hoc Sacra-
B mentum commodè potest conferri in alia Ecclesia, non esse conueniens & decens illud ministrare in Ecclesia interdicta, tum ad euitandum scandalum, tum ob maiorem venerationem Sacramenti, tum denique quoniam permittitur administratio in Ecclesia interdicta, si commodè extra eam fieri nequit, sicut dictum est de Baptismo c. t. & ita sentit etiam Sylue. de Confessione interdictum 5. §. 9. in princ.

Secundo dubitatur, an personæ interdictæ prohibeantur tempore interdicti ab administratione huius Sacramenti.

Respondeo, si interdictum est locale siue generale, siue speciale, non prohibetur vllus Sacerdos, qui causam non dedit interdicto, administrare hoc Sacramē-
C tum. Quod confirmatur ex his, quæ dixi de Baptismo & Confirmatione. Probatur etiam quoniam propter interdictum locale non excluduntur personæ, quę nō dederunt causam interdicto à diuinis, nisi in ordine ad locum interdictum, sed ex priuilegio cap. Alma permissum est in loco interdicto huius Sacramenti ministratio, ergo nihil obstat, quominus Sacerdos hoc modo interdictus Sacramentum pœnitentię conferre valeat tempore interdicti. Si vero interdictum est personale generale; tunc etiam personæ innocentes non priuantur ministerio huius Sacramenti per huiusmodi interdictum. Probatur, quia militat maior ratio in administratione huius Sacramenti, quàm
D in Sacramento Confirmationis, cum pœnitentia sit magis necessaria. Quare si persona hoc modo interdicta potest administrare Sacramentum Confirmationis, multò magis id est affirmandum de Sacramēto pœnitentia, Accedit, quòd tempore interdicti simpliciter conceditur vsus huius Sacramenti ab ipso, sed persona interdicta generaliter innocens potest recipere hoc sacramentum, ergo & poterit ministrare, quia vnus actus sine alio esse non potest. Tertiò dicendum est personam specialiter interdictam, vel directè, vel indirectè quia causam dedit interdicto generali, priuata est ministerio actiuo huius sacramenti. Quod probari potest ijsdem rationibus, quibus
E idem probatum est de Baptismo. Excipitur tamen casus necessitatis, quo supposito pœnitentia potest non solum ab interdicto specialiter, sed etiam ab excommunicato denunciato administrari, sicut & Baptismus propter necessitatem horum sacramentorū.

Tertiò dubitatur, an Sacramentum pœnitentiæ sit nullum, & irritum, si administretur à Sacerdote specialiter interdicto; loquimur autem formaliter, an nullitas absolutionis proueniat ex causa censuræ, puta quia pœnitens bona fide accedat. Si enim ex parte ipsius considerari posset praua dispositio, nulla esset

diffi-

difficultas. Item dubitatio habet locum, si Sacerdos est nominatim interdictus, & denunciatus, aliàs, iuxta dispositionem Extrau. Ad euitanda, non esset priuatus potestate quoad alios, idest vt alij non possent ab eo recipere Sacramenta. Et in hoc casu, quamuis ipse peccaret, de validitate Sacramenti non esset dubitandum. Difficultas igitur est, an interdictum particulare personale, vel generale respectu eorum, qui sunt in culpa loquendo per se, reddat nullam, & inualidam absolutionem à persona sic interdicta impensam.

Resolutio huius difficultatis pendet ex alia quæstione, de qua pertractaui in cap. 1. Vtrum Interdictum tollat tantum vsum iurisdictionis, idest quòd interdictus possit licitè, & sine peccato exercere actus iurisdictionis, an verò auferat potestatē iurisdictionis, ita vt si tentet illum exercere, factum sit nullius roboris, & valoris. Et quoniam approbaui sententiam negatiuam asserentium ex vi interdicti non priuari personam Iurisdictione, nisi sit etiam vinculo Excommunicationis obstricta, ideo vt cohærenter loquamur, asserendum est absolutionem traditam ab huiusmodi persona interdicta non esse ex hoc capite præcisè nullam, & inualidam, quod probant optimè rationes allatæ in dicto cap. primo, quæ non sunt hic repetendæ. Addo tamen, cum hæc pars non sit adeo certa, vt contraria opinio non sit probabilis, quæ affirmat Interdictum tollere hanc iurisdictionem, quia hæc censura priuat rebus diuinis omnino, & quantum potest, nisi ab ipso iure fuerit limitata, quod in iure non reperitur, & saltem Sacerdos cum solennitate Sacerdotali, nempe cum stola, & orationibus non debet tradere absolutionem, quia hoc pertinet ad officium diuinum, sed latius de hac re dixi in dicto cap. 1.

CAPVT IV.

Vtrùm Eucharistiæ Sacramentum permittatur tempore Interdicti.

Tempore interdicti Eucharistia administrari non potest Iure antiquo, aut nouo, nisi tanquam viaticum infirmis, est conclusio certissima, quæ desumitur ex cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt nec ipsum decedentibus denegetur*. Quibus verbis non tam conceditur Eucharistia decedentibus, quàm declaratur sub concessione facta Sacramēti pœnitentiæ comprehendi Sacramentum Eucharistiæ, quod decedentibus pœnitentibus confertur tanquam viaticum, vt inquit Glo. Ver. Concedimus, cap. Permittimus, de sent. excomm. Permittitur Ministris Ecclesiarum semel in Hebdomada celebrare tempore Interdicti, *causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur*. & Glo. in c. Non est vobis, Ver. Morientium, de Sponsal. Vbi prohibentur diuina officia præter pœnitentias morientium addit. *Et præter communionem, quæ viaticum vocatur*. idem ait Glo. in cap. Alma Ver. Sacramentis, de sentent. excommun. lib. 6. In hac eadem conclusione conueniunt omnes Doctores tam Teologi, quàm Canonistæ, Palud. in 4. sent. distinc. 18. quæst. 8. art. 4. in princ. Vers. Quantum ad vndecimum, B. Antoni. 3. par. Summæ tit. 26. cap. 4. circa med. Vers. Item permittitur Eucharistia, quia nemini decedenti in pœnitentia denegari debet, cap. Pœnitens distin. 50. Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 4. Vers. Iure autem an-

A tiquo, Henriquez lib. 13. de excomm. & interdic. cap. 45. num. 2. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 53. Vers. Quartus effectus, Calde. in Tract. de interd. par. 2. nu. 2. Abb. in cap. Non est vobis, num. 8. de sponsal. & in cap. Quod in te num. 1. de pœnit. & remiss. Gemin. in cap. Alma num. 5. qui asserit nihil esse in eo textu immutatum circa Eucharistiam, & illam tanquam viaticum ministrari posse solis decedentibus è vita, sic etiam ibi ait Franc. num. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 178. in fi. Angel. Ver. Interdictum 6. num. 21. Sylue. Interdictum 5. §. 9 Vers. Quarta exceptio, Tabie. Interdictum 5. num. 6. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 7. Vers. Item tempore Interdicti.

Ex hac conclusione communi omnium consensu
B recepta infertur tempore interdicti Eucharistiam ministrari minime posse leui, & modica infirmitate, seu ægritudine laborantibus. Si enim continetur sub pœnitentia morientium, & datur vt viaticum decedentibus, & viaticum confertur solum existentibus in articulo, ergo sequitur non posse ministrari leuiter infirmis, quibus non datur Eucharistia vt viaticum. Neque facta est aliqua mutatio circa hoc Sacramentum in cap. Alma, sed seruatur Ius antiquum, at mutatio solum facta est circa pœnitentiam, vt dixi. Intelligendum est autem nihil esse innouatum circa Eucharistiam, vt est Sacramentum, nam si consideretur, quatenus est sacrificium, facta est mutatio, nam modò tempore Interdicti possunt celebrari Missæ, sub-
C missa voce.

Notandum est etiam nomine morientium, seu decedentium, quibus conferri potest tempore Interdicti Eucharistia, vt viaticum, intelligi debere non solum illos, qui sunt in articulo mortis constituti, & iam sunt morituri, sed illos quoque, qui sunt in probabili mortis periculo, vt dixi de Sacramento pœnitentiæ, quoniam in iure articulus mortis, & periculum mortis pro eodem sumuntur.

Vt autem clarius, & distinctius hæc conclusio de administratione Sacramenti Eucharistiæ elucidetur, proponendæ sunt quædam dubitationes, illæque dissoluendæ.

Primò quæri potest de loco, in quo administrari
D debeat Eucharistia tempore interdicti.

Respondendum est distinguendo inter interdictum locale generale, & particulare, supposito interdicto locali generali, potest hoc Sacramentum tribui infirmis, seu morientibus in loco interdicto, quia si est interdictum, est generale, & omnis locus est suppositus Interdicto. Quare necessarium erit in loco interdicto illud ministrare, sicut probatum est de pœnitentia. Si verò locus est specialiter interdictus, puta Ecclesia, tunc nulla vrget necessitas tradendi hoc Sacramentum in loco interdicto, immo potius oppositum erit necessarium, quia cum infirmus in domo sua iaceat, & viaticum sit ad infirmum deferendum, vtique oporte-
E bit illud in loco non interdicto ministrare, sed poterit desumi Eucharistia ex Ecclesia interdicta. quòd si cōtingeret, vt infirmus esset in Ecclesia, ibi posset assumere Eucharistiam.

Secundò dubitatur, an hoc Sacramentum tempore interdicti concedendum sit damnatis ad mortem, hi enim sunt sani.

Affirmatiuè respondendum est iuxta communem sententiam Doctorum. Probari potest ex Clem. Cum secundum, de pœnit. & remiss. Vbi Clemens Quintus præcipit, vt damnatis ad mortem petentibus non denegetur Sacramentum pœnitentiæ, ergo neque negari

gari debet Eucharistia, vt notat ibi Glo. Ver. Pœnitentiæ, nam Eucharistia iuxta c. Quod in te eod. tit. extra datur verè poenitentibus, & nulli poenitenti est deneganda c. Pœnitentes dist. 50. Idem etiam habetur in cap. Quæsitum 13. quæst. 2. vbi de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus ita dicitur; *Quibus respondimus, si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine secundum canonicum iussum danda est, Cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persoluunt? Scriptum est enim, non vindicat Deus bis in idipsum.* Ita tenet Calder. in Tract. de interdicto par. 2. nu. 2. Archid. in c. Alma nu. 7. Vers. Viso de Baptismo, & ibi Franc. num. 4. Vers. Et eadem ratione reddunt rationem, quia tales sunt in mortis articulo, Sylue. Interdictum 5. §. 9. Vers. Quarta exceptio, B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. circa med. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 3. num. 3. & lib. 2. Variar. resol. cap. 1. num. 11. Henriquez lib. 13. de excomm. & Interd. cap. 45. nu. 2. & addit in Glo. lit. P. Hoc modo damnatos, etiam si ieiuni non sint, posse assumere Eucharistiam, si Iudex nolit tempus prorogare, Nauar. in Manuali cap. 25. num. 23. Vers. Vndecimo peccat. Vbi laudat consuetudinē Vrbis, quam ait ab vniuerso orbe fore imitandam, Vt damnato ad mortem denuncietur sententia sub media nocte, vt liceat ei confiteri, & communicare, ante quatuor horas, quàm ducatur ad patibulum, & testari etiam de bonis, si voluerit, vt iam corruptis speciebus Sacramenti post tantam temporis distantiam sine vlla irreuerentia Sacramenti cum maiori fructu moriatur. Ad idem confirmandum facit ratio, quoniam damnati verè sunt morientes, & in articulo mortis constituti, ergo continentur sub hac concessione Iuris, Nam in cap. Non est vobis, de sponsal. & c. Quod in te, de pœnit. & remiss. hoc Sacramentū morientibus conceditur simpliciter absque vlla limitatione, an sint morientes ex infirmitate, vel ex causa extrinseca, & violenta.

Tertiò dubitatur, an Sacramentum Eucharistiæ conferri possit tempore Interdicti Mulieribus prægnantibus, præsertim quando iam proximæ sunt partui.

Anchar. in c. Alma Mater num. 9. Vers. sed quæritur, tenet huiusmodi mulieribus propinquis partui non posse dari Sacramentum Eucharistiæ, nisi actu versentur in periculo mortis, & idem dicendum esse, ait de ingredientibus mare, vel exponentibus se longo itineri, vel de intrantibus prælium, vel de ijs, qui obsessi sunt in aliquo loco ab hostibus, quoniam isti non possunt vocari decedentes, seu morientes, ac priuilegium de recipienda Eucharistia tempore interdicti conceditur tantum morientibus. Facit ad hoc, quod notat Glo. in cap. Pastoralis §. Præterea, Ver. Præterquam in mortis articulo de off. ordin. Idem tenet ibi Franc. num. 4. Calde. in Tract. De interdicto par. 2. num. 5. & citat Io. Andr. in c. Quod in te, de pœnit. & remiss.

Est tamen alia opinio, & communior, & probabilior, quæ asserit in hac quæstione distinguendum esse, Vel enim Mulier prægnans ex tali causa est constituta in probabili periculo mortis, quia est primus partus, vel quia aliàs experta est difficultatem pariendi cum periculo vitæ, vel ex alio capite, & in hoc casu tali mulieri propinquæ partui non erit deneganda Eucharistia tempore interdicti, quia cum sit in probabili periculo mortis constituta, gaudet priuilegio Iuris. Quod si attentis circumstantijs non imminet

A hoc periculum, quia talis sine difficultate peperit, est corpore robusta, habet vires validas, tunc non debet admitti ad recipiendum hoc Sacramentum, quia cessant conditiones à iure requisitæ, vt hoc Sacramentum administrari possit. Et hæc sententia expressè desumitur ex Glo. citata in cap. Pastoralis, de offic. Ordin. Vbi cum prohibeatur in Tex. ne mortuo delegato absoluatur ab excommunicatione absque Apostolicæ Sedis mandato ille, qui excommunicatus fuerat à delegato, nisi in mortis articulo. Quærit Glo. si huiusmodi innodatum excommunicatione liceret absoluere, si obsidione inclusus teneretur, vel aggredi vellet nauigationem, & respondet inspiciendum fore, an immineat naufragium, vel periculum mortis. non B enim semper patitur naufragium, qui ingreditur mare, nam alias nullus transfretaret, Vnde qui sunt in naufragio & consequenter in periculo mortis, possunt absolui. Similiter qui aggredi volunt prælium iustum, & manifestum appareat periculum, eadem distinctio valet in terminis nostris de administratione Eucharistiæ tempore interdicti. & ita sentiunt Abb. in dicto c. Pastoralis §. Præterea num. 3. de off. ordin. & in cap. Quod in te, num. 8. de pœnit. & remiss. Ang. Ver. Interdictum 6. num 24. Sylue. Interdictum 5. §. 9. prope fi. Vers. de Prægnantibus autem Tabie. Ver. Interdictum 5. num. 5. & nu. 7. in fi. Couar. in cap. Alma par 2. §. 3. num 2. Henriquez lib. 13. de excomm. & interd. cap. 45. nu. 2. B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 26. cap. 4. circa med. C Vers. De Mulieribus ergo prægnantibus.

Objiciet quis, quid agendum, quando res dubia est, an probabiliter immineat tale periculum in casibus enarratis & similibus.

Respondeo concedendum esse hoc Sacramentum, quod maximè necessarium est ad salutem, & in dubio facienda est mitior interpretatio fauore animæ, & ita sentit Abb. in dicto cap. Pastoralis, §. Præterea nu. 3. de offic. ordin. Vbi ex mente Host. ait loquens de absolutione ab excommunicatione experientia compertum esse fœminas robustas, & validas corpore solere in partu deficere, & ideo posse absolui ab excommunicatione, præsertim quia nemini fit præiudicium, nā si non moriatur in partu, sed euadit incolumis, debet D se præsentare superiori, & parere mandatis eius, alias reincidit in excommunicationem, vt in cap. Eos qui de sent. excomm. lib. 6. Eadem videtur ratio de Sacramento Eucharistiæ, quod propter eius necessitatem videtur in dubio posse ministrari tempore interdicti mulieribus prægnantibus, quando partui sunt propinquæ.

Quartò dubitatur, Vtrum hoc Sacramentum Eucharistiæ sit cōferendum vt viaticum tempore Interdicti illis, qui personaliter sunt interdicti, si detinentur graui morbo, & in periculo mortis, & quæ requirantur, vt in hoc casu licitè recipi possit Eucharistia.

Respondendum est, si interdictum personale sit ge- E nerale, & infirmus petens viaticum non dedit ex sua culpa causam interdicto absolutè poterit communicare absque alia absolutione præuia ab interdicto, & absque aliqua satisfactione. Nam cum non dederit causam interdicto, non est requirenda ab eo satisfactio, eodem modo neq; est necessaria absolutio à Censura. Nam cum ipse non deliquerit, neq; ad aliquam satisfactionem tenetur, & cum interdictum sit generale, & non liget hanc personam, nisi ex generali ratione, sicut non oportet tollere hoc interdictum, vt viaticum detur, ita non opus est, vt præcedat aliqua abso-

absolutio à tali interdicto, quòd si quis dedit causam Interdicto, tunc præmittenda est satisfactio atque etiam absolutio, quæ ad pœnitentiam concedendam requiruntur iuxta cap. Alma Mater, & consequenter ante Sacramentum Eucharistiæ, quia hoc Sacramentum supponit Sacramentum pœnitentiæ. Atque hoc idem multò magis locum habet in eo, qui speciali interdicto personali innodatus est. hic enim semper supponitur causam dedisse interdicto, ergo debet antea absolui, nam cum interdictum per se, & directè priuet sacramentis, debet prius tolli, quàm recipiantur Sacramenta, & in hoc casu, cum scilicet permittitur constitutis in articulo mortis viaticum, omnis, qui poterit ministrare hoc Sacramentum, poterit etiam Interdictum auferre ab hac persona, quæ dedit causam in hac necessitate, sicut etiam de excommunicatione asserendum est idem supposito tali articulo.

Dubitatur quintò, an omni Sacerdoti competat facultas tempore interdicti ministrandi Sacramentum Eucharistiæ, vt viaticum constitutis in articulo mortis, & an hoc liceat Sacerdoti, qui sit interdictus.

Respondetur licere omni Sacerdoti tempore interdicti generalis, si causam non dedit Interdicto, vel non sit particulari interdicto innodatus, ministrare hoc Sacramentum vt viaticum, si habeat ius ministrandi ex officio. Id patet tam de interdicto locali, quàm de personali, locali non impedit personam, nisi in ordine ad locum, sed tale interdictum non impedit locum quoad viaticum præstandum, ergo minus persona erit prohibita. De Interdicto autem personale generali id quoque est manifestum, quia si Sacerdos, qui non dedit causam interdicto prohibetur ab hoc ministerio, cum eadem sit ratio de omnibus, nullus poterit ministrare viaticum tempore interdicti, quod absurdum est asserere, sic enim inanis esset concessio de tribuendo viaticum existentibus in articulo mortis, si nullus posset illud ministrare.

Dico secundò, non esse permissam administrationem huius Sacramenti Sacerdoti personaliter interdicto directè, vel indirectè, quia dederit causam interdicto generali, nisi antea absolutus fuerit ab Interdicto per se loquẽdo, & ratio est, quoniam effectus præcipuus Interdicti est priuare actiua administratione Sacramentorum. neque assignari potest ratio differentiæ inter hoc Sacramentum & alia, quorum administratio conceditur tempore interdicti. Dixi autem per se loquendo, quando scilicet adesset copia alterius Sacerdotis non interdicti, qui viaticum tribuere posset infirmo in illo casu necessitatis, nam si nullus alius adesset, nisi ipse interdictus, tunc deberet succurrere existenti in illa necessitate, ministrando viaticum, sicut posset excommunicatus, & quauis alia censura obstrictus.

Sed quid dicendum esset, si Parochus esset specialiter interdictus, qui vnicus esset, alij verò extatẽt simplices Sacerdotes, vtrum in hoc casu Parochus teneretur vices suas alteri simplici Sacerdoti delegare, vel ille deberet se ingerere huic administrationi, non expectata licentia Parochi.

Respondeo primò non posse in hoc casu simplicem Sacerdotem vsurpare hanc iurisdictionem absque licentia superioris, quoniam impedimentum Parochi non confert alijs hanc potestatem, neque etiam talis Parochus potest licitè ministrare hoc Sacramentum, quia cum adsint alij non interdicti, cessat necessitas, vt ipse debeat se ingerere huic ministerio. Tandem potest licitè, & validè talem facultatem alteri Sacer-

A doti simplici delegare, quia ista delegatio non est actus ordinis, sed iurisdictionis, & Interdictum non impedit actus iurisdictionis, quia non sunt annexi immediatè cum vsu ordinis, sicut etiam propter eandem rationem talis Parochus posset committere facultatem administrandi Sacramentum pœnitentiæ in simili casu necessitatis. Qua in re differentia intercedit interdictum, & excommunicationem, quoniam Parochus excommunicatus non potest alteri vices suas delegare, quia est priuatus omni vsu iurisdictionis propter excommunicationem, sed interdictus non est priuatus iurisdictione.

Sed postulabit quis, si supposito casu necessitatis Parochus sit interdictus specialiter, & consequenter B impeditus, ne valeat licitè hoc Sacramentum conferre, neque tunc adsit copia alterius Sacerdotis, cui hic actus committatur, sed solum existat Diaconus, vtrum tunc debeat ipse exercere hoc ministerium, vel concedere facultatem Diacono, vt id exequatur.

Respondeo hac extrema vrgente necessitate tum ex parte Ministri, vt non possit tunc alius Sacerdos reperiri, qui suppleat munus Parochi, tum etiam ex parte infirmi, qui sit constitutus in articulo mortis, & immineat periculum, ne decedat sine viatico, magis admittendum erit, vt ipse Parochus administret hoc Sacramentum, quàm vt hanc functionem committat Diacono. Secundò quia hoc spectat ad maiorem venerationem, cultum, & solennitatem huius actionis, C quæ tempore etiam interdicti non est prætermittenda. Tertiò quoniam, si Ecclesia concedit, vt hoc tempore interdicti possint licitè sumere Eucharistiam, vt viaticum, ex consequenti existimandum est voluisse concedere facultatem Ministro interdicto, vt illam conferret, si non esset copia alterius Sacerdotis, quia sicut interdictum æqualiter priuat à participatione actiua, & passiua Sacramentorum, ita quoque concessio facta quantum ad aliqua Sacramenta habet locum tam erga suscipientem, quam erga Ministrum, alias talis concessio nihil prodesset, & careret effectu.

Dubitatur sextò, An tempore interdicti, quando Eucharistia defertur ad infirmos, licitum sit illam deferre cum solennitate consueta, idest comitantibus fi- D delibus, cum luminibus, cum sono campanellæ, cum recitatione Psalmorum, cum vestibus sacris consuetis, & cum reliquo apparatu, & alijs cæremonijs solitis.

Omnes affirmant nemine discrepante in casibus, in quibus tempore interdicti conceditur administratio Sacramenti Eucharistiæ non solum licitum esse, sed debere illud administrare cum solennitate consueta, & honore debito iuxta decretum Honorij Tertij in cap. Sanè circa med. de celebr. Miss. Vbi agens de honore qui adhibendus est Eucharistiæ, cum per Sacerdotem defertur ad infirmum, ita loquitur: *Quã in decenti habitu superposito mundo velamine ferat, &* E *referat manifestè ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fides, & deuotio augeatur.*

In hac conclusione generali conueniunt Calder. in Tract. de interdicto par. 2. num. 3. Anchar. in cap. Alma num. 8. Vers. Dubitatur etiam circa hoc de sent. excom lib. 6. & ibi Franc. nu. 4. qui citat Federicum de Senis cons. 70. num. 3. B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. circa med. Vers. Et addit idem Ioannes, Ang. Ver. Interdictum 6. num. 21. Sylue. Interdictum 5. § 9. Vers. Quarta exceptio, Nauar. in Manua. c. 27. n. 179.

Couar.

Conar. in cap. Alma par. 2. §. 2. circa med. Vers. Tam etsi Eucharistia, Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 45. num. 2. & Armill. Interdictum num. 45. qui addit hanc administrationem Eucharistiæ posse fieri etiam præsentibus Interdictis, si fortè adsint.

Potest probari hæc conclusio primò si Baptismus, & Confirmatio administrari debēt tempore Interdicti cum solitis solennitatibus, & cæremonijs, vt probatum est suis locis, multò magis id affirmandum est de Eucharistia, cui longè maior exhibendus est honor, cultus, & reuerentia, cum præstantior, & excellentior sit omnibus Sacramentis, quia sub illis speciebus Sacramentalibus realiter continetur Christus, & omnes illæ consuetæ cæremoniæ, quæ adhibentur in huiusmodi administratione, respiciunt honorem, & reuerentiam debitam huic Sacramento. Secundò probatur, quoniam, vt inquit Calder. cum aliquid iure permittitur, si aliud non apparet, intelligitur permissum, sicut Ius illud fieri iubet, & vsus obseruat arg. c. Erit autem dist. 4. & cap. Illa, dist. 12. & cap. Vtinam dist. 76. & cap. Ex literis, de Constit. Tertiò probatur peculiariter de quibusdam solennitatibus, & primò de delatione luminum ex ipso c. Sanè, de celebr. miss. de sono Campanellæ ex communi consuetudine omnium locorum, & hæc pulsatio campanellæ fit, vt moueantur fideles in via, & genuflectant, & adorent Christum, de recitatione Psalmorum, & precum similiter ex vsu communi Ecclesiæ, ita enim vbique seruatur, De ostensione etiam Eucharistiæ, quæ fit populo à Sacerdote, postquam reddit ad Ecclesiam cum confessione generali & benedictione patet ex vsu vniuersali, quæ omnia videntur ad pietatem, & deuotionem fideles excitare, & nullibi reperiuntur vetita.

Sed contra dicta obijci possunt quædam, primò de Campanarum pulsatione, nam id videtur prohibitum in cap. Alma, de sent. excom. lib. 6. ibi: *Et campanis etiam non pulsatis*, respondeo ibi prohiberi solum pulsationem Campanarum tempore Interdicti, nè conuocetur populus ad Missam, & alia diuina officia, & finis huius prohibitionis fuit, quia tempore Interdicti non admittitur populus ad Missas, & diuina officia audienda, ideo non conuenit, vt detur signum Campanæ ad hanc conuocationem faciendam; Sed cum ad sanctissimum Sacramentum comitandum, & adorandum omnes conuenire possint, etiam tempore Interdicti, & admitti debeant, ideo non est inconueniens, sed congruum, vt detur signum campanæ ad congregandum populum, vt fideles velint comitari Sacramentum Sanctissimum Eucharistiæ. Similiter vt pulsetur campanula, dum defertur in via, vt omnes persistant ab incepto itinere, cum debita reuerentia genuflectant, & adorent.

Secundò dubitatur de recitatione Psalmorum, & orationum. hæc enim videntur comprehendi sub genere diuinorum officiorum, quæ in eod. cap. Alma suspenduntur tempore interdicti, ne celebrari possint publicè, sed quibusdam conditionibus adhibitis, ibi, *Missæ celebrentur, & alia diuina officia, sicut prius submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis, & Interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis &c.*

Respondeo in dicto cap. Alma, prohiberi publicam & solennem recitationem officij diuini, & horarum Canonicarum, at psalmi, & orationes in delatione Eucharistiæ ad infirmos non recitantur per modum officij diuini, sed tantum ad modum diuinæ laudis, vt etiam Sacerdos occupet se in actione religiosa, & pia. Non poterit autem Sacerdos recitare officium diuinum alta, & intelligibili voce ad satisfaciendum suæ obligationi de recitandis horis Canonicis.

Accedit, quòd regulariter ita submissè recitari solent psalmi à Sacerdote, vt ab alijs audiri nequeant.

Tertiò dubitatur, an Eucharistia ministrari possit à Sacerdote infirmo alijs præsentibus, & astantibus.

Respondeo id licere, nam vt inquit Calder. in 2. par. Tract. de interdicto num. 4. quando Iure permittitur aliquid alicui, intelligitur concessum iuxta conditionem, & statum illius. Conditio autem infirmi requirit, vt habeat Ministros, & assistentes, qui ei deseruire possint in infirmitate. Accedit, quòd per Interdictum non prohibetur aspectus Eucharistiæ, nisi in Missa, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 179.

Quartò dubitatur, Vtrum Sacerdos, cum redit ab infirmo ad Ecclesiam, possit populo concedere solitas indulgentias.

Aliqui recentiores admittunt indulgentias consuetas posse concedi, quoniam communicatio Indulgentiarum non est officium diuinum, sed pertinet ad iurisdictionem fori exterioris.

Septima dubitatio principalis esse potest de vsu Eucharistiæ non per modum viatici, sicut datur infirmis, sed iuxta communem vsum, sicut tribuitur sanis. & quæri potest, vtrum in qualibet Ecclesia existente in Ciuitate, & loco interdicto ministrari possit Eucharistia Clericis proprijs Ecclesię, quibus concessum est ex priuilegio cap. Alma Mater omnibus diuinis officijs interesse, & illa celebrare.

Ad hanc dubitationem dissoluendam primò distinguendum est, Duplicem esse posse vsum communem Eucharistiæ, quando non ministratur, vt viaticum. Alius est vsus in sacrificio Missæ, alius verò est laicalis. De priori vsu certum est apud omnes Sacerdotes, qui celebrant non solum in propria Ecclesia, sed in alijs Ecclesiis, non modò Eucharistiam sumere posse, sed debere, quia talis consumptio est inseparabilis à Missæ sacrificio, cum nec sacrificium sine tali communione, nec talis communio sine sacrificio esse possit. Sacerdos enim tenetur cōsumare sacrificium, alias grauiter peccaret, vt habetur in cap. Relatum, & c. Comperimus, de Consecr. dist. 2. & docet S. Thom. 3. par. quæst. 80. art. 12. ad primum. Quare tempore interdicti tunc permissum est Sacerdoti hoc modo communicare, quando licet ei sacrificare; Et è contra quando non licet ei Missam celebrare, neque poterit hoc modo Eucharistiam sumere. de qua re tractabo inferius.

Quòd si agatur de alio vsu communi, & laicali Eucharistiæ conclusio est generalis negatiua, nempe Iure communi prohibitum esse tempore interdicti omnibus assumere Eucharistiam, excipitur tantum, quādo tribuitur infirmis, vt viaticum, ergo extra hunc articulum comprehenditur sub prohibitione generali, vt inquit Abb. in c. Quod in te num. 2. de pœnit. & remiss. Quamuis enim in cap. Alma concedatur pœnitentia omnibus etiam sanis, quæ iure antiquo infirmis tantum permittebatur, & quātum ad hoc correctum sit Ius antiquum, tamen quantum ad Sacramentum Eucharistiæ nulla facta est innouatio, sed modò tribuitur tantum infirmis per modum viatici, sicut olim, quod non comprehenditur simpliciter sub nomine pœnitentiæ, cum vt inquit Abb. dicto num. 2. sunt duo sacramenta separata & distincta, & vnum non comprehenditur appellatione alterius, & ideo Summus Pontifex in cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. non dixit simpliciter viaticum continere sub pœ-

niten.

nitentia morientium, immo addidit illud verbum, *Intelligi volumus*, ideo Abb. inquit, vtitur verbo, *Volumus*, quoniam de Iure non intelligebatur, & Ius correctiuum strictè est intelligendum iuxta notata in c. Cupientes, de elect. lib. 6.

Hinc fit, vt quando interdictum est generale loci Eucharistia nec dari, nec recipi potest in vniuerso illo loco interdicto à quibuscunque personis seclusis priuilegiatis, & specialibus exceptionibus. & idem est de interdicto speciali loci quoad locum illum specialem. Extra verò illa loca communicare poterunt omnes personæ, quæ directè, vel indirectè nõ fuerint personaliter interdictæ. Quod si interdictum sit personale generale, omnes, qui sunt ex illo populo interdicto, prohibentur sumere Eucharistiam in quocunque loco, quoniam hic est effectus Interdicti personalis. Idque multò magis verum est de Interdicto personali particulari, nam supra demonstratum est personam particulariter interdictam non posse assumere Eucharistiam etiam per modum viatici non sublato antea interdicto. Et idem verum est de personali interdicto generali quantum ad personas culpabiles, quæ causam dederunt interdicto.

Octauò dubitatur de Clericis, an excipiatur à prædicta conclusione generali, ita vt supposito interdicto generale loci possit ministrari Eucharistia Clericis in qualibet Ecclesia posita in loco interdicto. Difficultas sumitur ex verbis cap. Alma Mater, vbi conceditur omnibus Clericis diuinis officijs interesse, & illa celebrare, Vnde meritò, An Sacerdotes non celebrantes, & alij Clerici seculares interdicti sumere possint Eucharistiam

In hac difficultate sunt duæ opiniones oppositæ, altera est affirmatiua, nempe Clericos modo recipere posse tempore interdicti Eucharistiam communicando more Laicorum, sicut possunt illam recipere celebrando. Ita tenet Gemin. in cap. Alma §. In festiuitatibus num. 7. in fine, Sylue. Interdictum 5. §. 9. Vers. Quarta exceptio, Angel. Interdictum 6. num. 22. Mouentur hi Doctores ex eo, quoniam Clericus in sua Ecclesia, præsertim Sacerdos sicut potest tempore Interdicti assistere officijs, ita & communicare, & sicut Sacerdos potest celebrare Missam, in qua communicat, quia pertinet ad diuinum officium, ita & assumere Eucharistiam alio more laicorum, quia est pars quædam diuinorum officiorum.

Hanc sententiam esse valde piam, & fauorabilem, & posse probabiliter defendi ex alio medio affirmat Suarez Tom. 5. in tertiam partem, S. Tho. disp. 33. sect. 1. in §. de Communi vsu Eucharistiæ Vers. Inter has sententias. Fundamentum ipsius est, quoniam cui conceditur facultas assistendi Missæ sacrificio, permittitur etiam, vt de illo participare, seu communicare, nisi expresè prohibeatur, nam valde consentaneum est huic sacrificio, & modo quo in Ecclesia offertur, vt qui assistunt Missæ possint communicare, sicut etiam assistentes Missæ dicuntur suo modo offerre. & ideo consuetudo erat olim, vt assistentes communicarent, præsertim Clerici, & aliquando de hoc latum fuit præceptum, Ideo Conc. Trident. sess. 22. cap. 6. ita loquitur; *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quoad eos Sanctissimi huius sacrificii fructus vberior proueniret*, Ergo videtur valde probabile, vt, quando Ecclesia concedit alicui ex priuilegio, vt tempore interdicti assistere possit sacrificio Missæ, eodem tem-

A pore simul tribuat ei facultatem communicandi, si velit, quamuis id non exprimat. Ad idem faciunt verba illa cap. Alma, *Dicantur diuina officia sicut prius*. Permittitur celebratio diuinorum officiorũ, sicut prius, adhibitis tamen quibusdam cautelis, & cõditionibus, ibi expressis, sed antea communicabant Ministri, si volebant, ergo eodem modo fit hæc permissio tempore interdicti. Et huius opinionis defensores cohærenter admittere debent, vt laici in illis quatuor festiuitatibus Anni in cap. Alma, quibus permittitur, vt possint assistere diuinis officijs, non sint reijciendi à communione, si velint communicare. sed de hoc dicam inferius in hoc cap. Hoc idem confirmatur, quòd quibus voluit Summus Pontifex negare Eucharistiam, signi-
B ficauit expresè in eodem cap. Alma, *cum ait sic tamẽ, quòd illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent*. Hæc tamen verba communiter non intelliguntur de communione, sed de oblationibus fidelium, ad quas faciendas solent ad Altare accedere, vt tradit Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 2. principali conclus. 7. Vnde ex his verbis inferri non potest concludenter, quòd illi, qui non sunt interdicti, vel si interdicti sunt generaliter, non tamen propter eorum excessum latum est interdictum, possint tacitè Eucharistiam sumere.

Contraria sententia est communior aliorum qui censent tempore interdicti permissum esse tantum morientibus, & Missam celebrantibus sumere Eucha-
C ristiam, alijs omnibus siue laicis siue Clericis etiam Sacerdotibus esse prohibitum. Ita tenet Anchar. in c. Alma num. 8. Franc. nu. 4. in fi. Abb. in c. Quod in te num. 3. de Pœnit. & remiss. qui ait nihil esse mutatum quoad Eucharistiam in cap. Alma. Quare sicut iure antiquo Clericis non concedebatur Eucharistia, ita nec modò concedi debet B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 26. cap. 4. ante med. Vers. sed laicis, vel Clericis, Tabie. interdictum 5. Vers. Sextò, Nauar. in Manua cap. 27. num. 178. in fi. Couar. in c. Alma par. 2. §. 3. num. 1. & in §. 1. num. 6. Vers. Duodecimo, Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. Conclus. 4. Vers. Haud tamen licet, Henriquez lib. 13. de excom. & interdi. cap. 45. nu. 2. Huic sententiæ fauet Glos. in dicto capit. Alma Ver.
D Admittantur, vbi quærit, an sanis, quibus ibi conceditur pœnitentia, possit etiam dari Eucharistia, & respondet non posse, nam nunquam legitur Sacramentum Eucharistiæ permissum sanis, sicut pœnitentia, & ideo dicendum est esse prohibitum l. Præcipimus, C. de appell. Ad hoc idem confirmandum considerat Glo. in eod. tex. dictionem illam, *Solummodo*, vbi agitur de Sacramento Pœnitentiæ, quod conceditur sanis, *sed est eis solummodo iniungenda pœnitentia salutaris*, ergo non permittitur Eucharistia.

Ex his duabus opinionibus secunda est communior, vt dixi, & nititur optimo fundamento, quod est Calder. in Tract. de interdicto par. 2. nu. 3. à quo om-
E nes desumpserunt, nimirum, quod cum per interdictũ generaliter prohibeatur vsus Sacramentorum, & iure antiquo permittatur Eucharistia tantum morientibus, & in c. Alma solis Sacerdotibus celebrantibus, ergo alijs omnibus censetur prohibita Quando enim aliquid permittitur contra regulam, quod non est expresè concessum, remanet sub generali prohibitione, vt expresè habetur in Clem. Exiui, circa med. §. Porrò, de verb. signif. Vnde Calder. dubitat propter hanc rationem, de contraria sententia, & ait se ignorare, quo iure Religiosi suis fratribus, & sororibus, quarum curam gerunt interdicti tempore indifferenter Eu-

charistiæ

charistiæ Sacramentum concedant. Prima tamen opinio est magis pia, quia fauores in dubio sunt amplificandi, in ijs præsertim, quæ animarum salutem respiciunt.

Palud. in 4. sent. distinc. 18. quæst. 8. art. 2. principali Conclus. 7. neutram sententiam impugnare audet, sed censet in hac difficultate Papam fore consulendum, & ab eo postulandam decisionem. Interim tamen, dum declaratio, & resolutio Sedis Apostolicæ desideratur crederem conueniens esse, vt occurrente Interdicto ex prædictis duabus sententijs esset illa in praxi seruanda, quæ vsu & consuetudine communi reciperetur ab Ecclesia Cathedrali, & Matrice in illis locis, quę interdicto subiacerent.

Nonò dubitatur de Religiosis, & Sanctimonialibus, an illis tempore interdicti in proprijs Ecclesijs tribui possit Eucharistia.

Calder. Palud. Antoni. Tabie. locis citatis, & alij testantur Religiosos communiter suis fratribus, & Monialibus solere Eucharistiam ministrare, sed quo iure id faciant, Calder. ignorat.

Couar. in cap. Alma par. 2 §. 3. num 1. affirmat omnes Religiosos fere, & Religiosas habere priuilegium ad hoc Sacramentum ab alijs ministrantibus recipiēdum tempore interdicti, sicut patet in Compēdio priuilegiorum Ordinum Mendicantium Ver. Communicare §. Octauo. Quare non conuenit Religiosis hæc facultas vigore exceptionis ex cap. Alma Mater, sed quia à Sede Apostolica obtinuerût hoc priuilegium, quod illis suffragatur tantū, quæ hoc priuilegio gaudent, & ita ait Nauar. in Manuali. cap. 27. num. 179. Tabie. interdictum 3. Vers. Decimo, refert hoc priuilegium concessum fuisse ab Innocentio Quarto fratribus Prædicantibus, Henriquez lib. 13. de excomm. & interd. cap. 45. nu. 2. & in Glos. l. I narrat Paulum Tertium hoc priuilegium concessisse Religiosis Societatis Iesu, simili quoque priuilegio gaudere solent plures insignes, & Illustres viri. Solet etiam concedi virtute Bullæ Cruciatæ, & in omnibus attendendus est & seruandus præcisè tenor verborum absque vlla extensione.

Hic posset quis postulare, Vtrum illi Religiosi, qui non habent hoc priuilegium à Sede Apostolica, possint se licitè excusare à peccato, & pœna ratione consuetudinis, si tempore interdicti sumāt, & ministrent Eucharistiam.

Respondeo, & primò dico non posse dici consuetudinem validam contra ius commune Principis, præsertim Summi Pontificis, nisi sit rationabilis, & legitimè præscripta c. fin. de consuet. talis autem dici non potest, nisi sit inducta sciente Summo Pontifice, & idcirco talis consuetudo non excusaret à peccato, & pœna, nisi constaret de scientia Papæ. Dico secundo posse excusari tales Religiosos, si sequamur opinionem illam Angel. Sylue. Gemi. & aliorum, quos retuli præcedenti dubio, qui existimant simpliciter licere Clericis, & Religiosis in suis Ecclesijs tempore interdicti assumere ab alijs Eucharistiam, sicut possunt ex priuilegio cap. Alma per se ipsos celebrare, & communicare, & hæc opinio, vt dixi, est probabilis.

Decimò dubitatur. Vtrum Laicis, quibus ex priuilegio Sedis Apostolicæ permittitur, vt tempore interdicti diuinis interesse possint, licitum sit quoque eodem tempore communicarę ex mente Archid.

Sylue. Ver. Interdictum 5, §. 9. circa med. Vers. Nō autem potest dari, putat Eucharistiam non posse conferri secularibus sanis, quamuis eis permittatur au-

A dire diuina: hoc enim credit verius esse, quamuis alij qui oppositum senserint. Ratio est, quia audire diuina, & percipere Sacramenta sunt actiones diuersæ, & separatæ, & vt diuersa ponuntur in cap. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. *Cum diuinorum auditio, & Sacramentorum perceptio &c.* Quare quod permittitur circa auditionem diuinorum, non extenditur ad Sacramenta, quoniam à separatis non procedit illatio, arg. l. fin. de calum. & idem asserit eod. ver. 5 §. 2. vers. Tertium, Verùm Sylue. parum sibi constare videtur, nam affirmat, vt vidimus in dubio octauo Clericis posse dari Eucharistiam, quoniam non prohibentur à celebratione diuinorum, & tamen negat hoc de Clericis etiā in illis festiuitatibus, in quibus ex dispositione cap. Alma admittuntur ad diuina. Hoc idem tenet Angel.

B interdictum 6 nu. 26. & Gemin. in cap. Alma §. In festiuitatibus nu. 7. qui sibi ipsis etiam sunt contrarij. Ob eandem rationem eiusdem sententiæ sunt alij plures, qui tamen magis sibi ipsis consentiunt, eodem enim modo negant Clericis, & Laicis, quamuis ex priuilegio, vel ex decreto cap. Alma in quatuor Anni festiuitatibus possint celebrare, & respectiuè interesse diuinis, permissum esse Eucharistiam ab alio ministrante assumere, & ita cohærenter loquuntur. ita tenet Anchar. in cap. Alma nu. 2. & citat Archid. quia in cap. Alma nulla fit immutatio quoad prohibitionem Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, sed tantum fit aliqua innouatio quantum ad diuina officia.

C Sed Eucharistia iure antiquo erat prohibita tempore interdicti, vt expressè colligitur in cap. Responso, de sent. excomm. vbi de tempore interdicti ita habetur: *Et ideo sint ibidem præter Baptisma paruulorum, & pœnitentias morientium vniuersa Sacramenta Ecclesiastica interdicta*, ergo remanet etiam modò talis prohibitio, & respondet ad Canones, quibus statuitur, vt fideles saltem ter in anno communicent, tempe in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini, vt in cap. Etsi non frequentius, de consecr. dist. 1. & in cap. Seculares, & cap. Omnis homo eadem dist. *Seculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste, non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*, Vel saltem in Paschate, cap. Omnis, de pœnit. & remiss. dicit enim hæc iura interpretanda esse locum habere

D cessante interdicto, vel alia prohibitione. facit Glosa Ver. Admittantur in fine, dicens, cum non reperiat in Iure Eucharistiam tempore interdicti permissum esse sanis, asserendum esse prohibitam fore. Franc. in eod. §. In festiuitatibus num. 3. dicens in illis quatuor festiuitatibus relaxari interdictum quoad diuina officia tantum, cum nihil dicatur de Sacramentis, & citat Ioannem Andream, & ait hoc esse indubitanter tenendum, B. Antoni. 3. par. Summæ tit. 26. cap. 4. circa med. Vers. Sed Laicis, Domin. Sot. in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. Conclus. 4. Vers. Haud tamen licet, Couar. in c. Alma par. 2. §. 5. nu. 6. Vers. Decimo. Confirmari potest eadem sententia, quoniam in cap. Alma in priori

E parte agitur de Sacramentis, In posteriori autem de officijs diuinis, & nulla fit mentio de Sacramentis. Quare permissio diuinorum officiorum in illis quatuor festiuitatibus non extenditur ad Sacramenta. Hoc idem videtur sentire Calder. in Tractatu de interdi. par. 2. num. 3.

Palud. in 4. sent. distinct. 18. q. 8. in art. 2. principali Conclus. 7. putat consulendum esse Papam pro intelligentia cap. Alma in hac difficultate, arbitratur tamen contrariam sententiam esse probabilem, quam tenet Feder. de Senis Cons. 111. num. 7. quia cum hoc

sit

sit priuilegium fauorabile concessum in vniuersum Ecclesiæ fidelibus, ample est interpretandum, vt sub illa clausula, *præfatis diebus participationem permittimus diuinorum*, contineatur receptio Eucharistiæ. quod confirmant ex alijs verbis sequentibus eiusdem c. Alma: *Quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus propinquent.* quæ verba commodè intelligi possunt de appropinquatione ad Communionem, quæ propriè potest vocari appropinquatio ad Altare. igitur permittitur susceptio Eucharistiæ his, qui non dederunt causam interdicto propter eorum delictum.

Ex his opinionibus prima est probabilior, & tutior, & magis iuri consona, cum innitatur validioribus fundamentis, quæ verò pro secunda afferuntur, facilè dissolui possunt. Nam licèt nomine diuinorum possint significari ipsa Sacramenta, quando simpliciter profertur, id tamen minimè locum habet, vbi distinctè, & separatim tractatur de diuinis officijs & Sacramentis, sicut fit in dicto cap. Alma. Deinde quamuis appropinquare Altari possit significare idem, quod ad Communionem accedere, tamen propriè vt verba illa in iure vsurpari solent, accipiuntur de oblationibus fidelium, ad quas faciendas fideles propius ad altare appropinquare consueuerunt, vt monebam superius, sicut de Vsurarijs dicitur in cap. Quia in omnibus, de vsur. Non nego tamen secundam opinionem probabilem esse, sed tamen in praxi prior est seruanda.

Et ex his infertur Sacramentum Eucharistiæ tempore Interdicti non posse recipi, neque ministrari in Paschate ad implendum præceptum, vt Anchar. Gemin. & Franc. citati asserunt, & tradit B. Antoni. & alij, quia tempore interdicti cessat obligatio huius præcepti Ecclesiastici, sicut in die festo cessat obligatio audiendi Missam, quia per interdictum suspenditur obligatio alterius præcepti eiusdem Ecclesiæ.

CAPVT V.

Vtrum Sacramentum Extremæ Vnctionis recipi, & tradi possit tempore interdicti.

Conclusio est certa, Nec olim iure antiquo, nec modò licitum esse per se iure communi, nisi ex peculiari priuilegio concessum fuerit Sacramentum Extremæ Vnctionis tempore interdicti ministrare infirmis, etiam existentibus in articulo mortis, siue sint Laici, siue Clerici, vel Religiosi, Et quamuis obseruent interdictum.

Hæc conclusio generalis, quæ est communis omnium Doctorum, expressè habetur in c. Quod in te, de pœnit. & remiss. *Licèt autem per generale interdictum denegetur omnibus tam Vnctio, quàm Ecclesiastica sepultura*, in hoc loco expressè prohibetur extrema Vnctio, sed in c. Non est vobis de sponsal. & in alijs locis implicitè, nam cum permittantur duntaxat Baptismus paruulorum, & Pœnitentia morientium, sub qua comprehenditur viaticum, cætera Sacramenta censentur denegata, & in cap. Alma, de sent. excommun. lib. 6. nulla apparet facta mutatio circa Extremam Vnctionem, ergo remanet prohibitio iuris antiqui, quæ obligat simpliciter omni tempore etiam in extrema necessitate, quia hoc Sacramentum non confertur sanis, sed infirmis, vt tradit S. Iacobus in sua Epistola canonica, qui tam graui morbo sint oppressi, vt mors propinquà adsit, ergo si hoc Sacramentum prohibetur, pro eo tempore intelligitur prohibitum. Vnde

A differentia ponitur inter Sacramentum Eucharistiæ, & Sacramentum Extremæ Vnctionis quantum ad illorum prohibitionem tempore interdicti, nam illud potest administrari infirmis morientibus, hoc verò minimè, quia Extrema Vnctio non est ita necessaria, sicut Eucharistia.

Hæc prohibitio Extremæ Vnctionis est vniuersalis quoad omnes personas, cuiuscunq; status fuerint, siue laici, siue Clerici, vt dixi absque vlla differentia, & colligitur ex illo signo vniuersali: *Denegetur omnibus*, quod habetur in c. Quod in te de pœnit. & remiss. Probatur etiam ex eo, quod cum in dicto cap. Quod in te duo prohibeantur tempore generalis interdicti, scilicet Extrema Vnctio, & Ecclesiastica sepultura, & quo ad Vnctionem nulla ponitur exceptio, seu limitatio, B sed quantum ad sepulturam excipiuntur Clerici his verbis: *Concedimus tamen ex gratia, vt Clerici decedentes, qui tamen seruauerint interdictum, in Cœmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio tumulentur.* Quare si Clerici specialiter excluduntur ab illa prohibitione generali quo ad ecclesiasticam sepulturam, igitur respectu extremæ Vnctionis remanent inclusi, & ita ibi tenet Abb. nu. 9. Nam si ex duobus prohibitis conceditur vnum duntaxat, aliud remanet negatum arg. c. Non ne de præsump. & est communis sententia.

In hac conclusione conueniunt omnes Doctores, Calder. in Tract. de interdicto par. 2 num. 12. & in eandem C sententiam citat Patrem suum Io. Andr. Anchar. in c. Alma nu. 12. Vers. De extrema Vnctione, Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. ar. 2. principali Conclus. 5. B. Antoni. 3. par. Summæ tit. 26. cap. 4. circa med. Vers. Extrema Vnctio, Angel. Ver. Interdictum 6. nu. 25. Sylue. Interdictum 5. §. 8. Vers. Septimò quæritur, Abb. in c. Responso de sent. excom. Butr. in c. Quod in te de Pœnit. & remiss. Nauar in Manua. cap. 27. nu. 179. Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. num. 7. ante med. Vers. Extremæ verò vnctionis, Henriquez lib. 13. de excomm. & interdic. cap. 45. nu. 4. Domi. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. post 4 Conclus. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 53. Vers. Primò interdictus.

Et isti Doctores asserunt expressè Sacramentum D Extremæ vnctionis prohibitum esse non tantum Laicis, sed etiam Clericis, immo Religiosis tam viris, quàm fœminis. Vnde Calder. dicto nu. 12. inquit, quòd licèt nonnulli dubitauerint; Verùm Clericis & Religiosis maribus & fœminis nō interdictis, sed ex loco interdicto, qui seruauerint Interdictū, possit cōferri Extrema Vnctio, tamen ipse ex mēte Ioannis Andr. indubitāter tradit, non posse Extremam Vnctionem conferri, & oppositum à multis perperam affirmari, & ab hac cōmuni sententia recessit Palud. loco citato, qui fatetur Clericis, & Religiosis conferri posse Extremā Vnctionem. Ratio ipsius est, quoniam in dicto cap. Quod in te talibus personis Ecclesiasticis permittitur ecclesia- E stica sepultura, ergo sub illa comprehenditur Vnctio, quæ est veluti præparatio ad mortem, post quam succedit sepultra, existimandum est enim Summum Pontificem, qui permittit sepulturam soli corpori, multo magis voluisse concedere Sacram Vnctionem animæ necessariam, sed vt dixi, ex eo loco sumitur potius contrarium argumentum, nempe cum ex duobus negatis alterum tantum permittatur, reliquum remanet prohibitum. Adde, quòd cum minor sit vtilitas ecclesiasticæ sepulturæ, quàm Sacramenti Extremæ Vnctionis, non rectè ex permissione minoris infertur maius.

Sed postulabit quis, Vtrum afferri possit aliqua ratio, propter quam Summus Pontifex potius Clericis permittere voluerit Ecclesiasticam sepulturam, quàm Extremam Vnctionem, quæ vtilis est, & necessaria animæ.

Respondeo ad hoc assignari posse aliquas apparẽtes rationes; Primò quia iuxta vulgi opinionem pluris æstimatur carentia Ecclesiasticæ sepulturæ, quàm priuatio Extremæ Vnctionis, & magis timetur damnum proueniens ex amissione Ecclesiasticæ sepulturæ, quàm si decedat homo sine Sacramento Vnctionis. Secundò quoniam si Papa concessisset administrationem vtriusque, idest Ecclesiasticæ sepulturæ, & Extremæ Vnctionis, cum permiserit etiam pœnitentiam, & viaticum, Censura interdicti contemneretur. Tertiò quoniam videtur spectare ad dignitatem, & decorem status, & ordinis Clerici, vt corpus Clerici, qui proprius minister est Sacramentorum, & diuinorum officiorum, quæ in Ecclesia celebrantur, post mortem non abijciatur ab Ecclesia.

Quamuis autem Religiosis non sit licitum iure communi tempore interdicti assumere extremam Vnctionem, nec illam conferre, tamen habent hoc priuilegium in specie à Sede Apostolica, vt tradit Hẽriquez lib. 13. de excom. & interdi. cap. 45. nu. 4. sicut possunt recipere Communionem, citat Compendium Minorum Ver. Vnctio §. 1. & Claud. Ver. Extrema. Similiter inquit Henriquez, per Bullam Cruciatæ conceditur, vt tempore interdicti recipi possint Sacramẽta Communionis, & Extremę Vnctionis. Quare inspicienda sunt huiusmodi priuilegia, & si valida sunt, & non reuocata, iuxta illorum tenorem præcisè iudicandum erit, neque vllo modo sunt extendenda.

Dubitari potest circa prohibitionẽ Extremæ Vnctionis, An possit ministrari extra locum interdictum, puta si quis ex loco interdicto egressus fuerit, & venerit pro negocio agendo in Ciuitatem, & locum non interdictum, & ibi incipiat ægrotari, & aggrauetur morbo, ita vt instet obligatio recipiendi extremam Vnctionem, quæritur an talis vngi possit, Vel etiam si infirmus curet deferre ad locum non interdictum. Ratio difficultatis est, quoniam c. Quod in te, de Pœnit. & remiss. prohibet administrationẽ Extremæ Vnctionis supposito interdicto generali loci, atq; ita ex illo Textu tãtum habetur non posse in illo loco immediatè hoc Sacramentum administrari, sed nõ videtur prohibitum, vt personæ illius loci interdicti non possint licitè extra locum interdictum recipere Extremam Vnctionem, si causam interdicto non dederint.

Respondeo, si interdictum latum sit generale loci, non posse in toto illo loco alicui, etiam si innocens fuerit, conferri Extremam Vnctionem, quia in loco interdicto Sacramenta administrari nequeunt, vt in c. Responso de sent. excom. & idem multò magis verũ est suo modo de loco particulari interdicto. Extra locum tamen interdictum nihil obstat, quo minus personæ innocentes, quæ non dederũt causam interdicto, admittantur ad hoc Sacramentum, vt dictum est superius de Eucharistia, & de alijs Sacramentis. Quòd si per interdictum personale generale; & multò magis speciale omnes sic interdicti etiam innocentes, & qui causam non dederunt interdicto, repelluntur ab hoc Sacramento quoad omnem locum, nisi antea liberentur ab interdicto, quia tale interdictum afficit omnes, & singulas personas.

Dubitatur secundò, an saltem iure nouo Extrema Vnctio ministrari possit iuxta dispositionem c. Alma in quatuor illis anni festiuitatibus, quæ excipiuntur in dicto c. Alma.

Communis sententia est negatiua. ita tenet Franc. in c. Alma nu. 3. Vers. In festiuitatibus, ibi, & per prædicta, Gemin. nu. 8. circa finem Vers. Et ista videtur verior, Calder. in Tract. de interdicto n. 12. in fi. Vers. Idem secundum dictam opinionem, Conar. in c. Alma par. 2. §. 5. n. 6 Vers. Decimo. Ratio pro hac sententia illa adducitur, quoniam in iure antiquo tempore interdicti prohibeantur omnia Sacramenta, & peculiariter extrema Vnctio in c. Non est, de pœnit. & remiss. nullaque innouatio facta appareat in c. Alma, cum de Extrema Vnctione nulla ibi mentio fiat, neque in specie, neque in genere, sequitur illam remanere prohibitam, sicut antea erat, Sylue. tamen interdictum 5. §. 3. circa med. Vers. Potest autem, videtur iuxta mentem Federici de Senis Cons 3. in oppositam inclinare sententiam ob eam rationem, quia cum hoc priuilegium sit fauorabile Principis, debet latè interpretari. sed hæc ratio non concludit. nam in c. Alma non tractatur de extrema Vnctione, ergo non est opus aliqua ampliatione, quæ locum habere posset, vbi res esset dubia, aliàs eodem modo dicendum esset de omnibus Sacramentis, quamuis de illis nulla fiat mentio.

CAPVT VI.

An Sacramentum Ordinis recipi, & conferri possit tempore Interdicti.

DE Sacramento Ordinis nihil in iure peculiariter statuitur, sed tantum in genere, videtur enim contineri sub generali prohibitione c. Non est vobis, de sponsal. Vbi Summus Pontifex verat, vt in loco interdicto nulla diuina officia celebrentur præter Baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium, sicq; omnia alia Sacramenta interdicũtur. Idem quoque clarius habetur in c. Responso, de sent. excomm. *Præterea quæsiuisti, cum Ferrariensis Ciuitas sit interdicto supposita, & ideo sint ibidem præter Baptismum paruulorum, & pœnitentias morientium vniuersa Sacramenta Ecclesiastica interdicta.* Ex quibus vniuersaliter concludi potest vsum Sacramenti ordinis non esse concessum tempore interdicti. Quare certum est personas interdictas non posse recipere, neq; etiam conferre Ordines. Verum, vt clarius elucidetur hæc conclusio vniuersalis, proponendæ sunt plures dubitationes in casibus specialibus, & explicandæ, vt quid in singulis statuendum, sic magis innotescat.

Et primò dubitari potest, an Sacramentum Ordinis recipi & conferri possit in loco interdicto supposito in quatuor illis festiuitatibus, in quibus ex priuilegio c. Alma permittitur celebratio diuinorum officiorum solẽniter ianuis apertis, & campanis pulsatis, *Exclusis excommunicatis, sed interdictis admissis,* quibus ob reuerentiam dictarũ solennitatum, *& vt ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur, præfatis diebus participationem permittimus diuinorum.* Si igitur conceditur tempore interdicti celebratio Missæ solennis, & participatio diuinorum, ergo videtur permitti Sacramentum Ordinis, quòd inter Missarum solennia confertur.

Respondeo in loco interdicto siue specialiter, siue generaliter Sacramentũ Ordinis ministrari minimè posse. Ratio est, quia iure antiquo, vt visũ est ex c. Nõ est vobis, de sponsal. & c. Responso, de sent. excomm. tempore interdicti prohibẽtur omnia Sacramẽta, exceptis

ceptis duobus: Baptiſmo, & Pœnitentia, & omnia diuina officia. Iure autem nouo ex cap. Alma Mater licèt permittantur diuina officia in illis quatuor feſtiuitatibus, nihil tamen ibi dicitur de Sacramentis de quibus primo loco dixerat, & confirmauerat prohibitionem iuris antiqui omnium Sacramentorum, exceptis Baptiſmo, & Pœnitentia, circa quam illud addidit ſolum, vt ad eam non tantum infirmi, ſicut ſtatutum erat iure antiquo, ſed etiam ſani admitterentur, in reliquis nulla fit mutatio; Igitur Sacramentum ordinis, ſicut olim non concedebatur tempore interdicti, ita neque modò.

Ita aſſerunt communiter omnes Doctores, Palud. in 4. diſt. 18. q. 8. art. 2. principali concluſ. 6. B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 26. de interdicto cap. 4. circa med. Verſ. De Sacramento Ordinis, Anchar. in cap. Alma nu. 12. Calder. in Tractatu de interdicto par. 2. nu. 11. Verſ. Sed quid dices de ſacro ordine, Innoc. Præpoſ. Abb. num. 8. in c. Non eſt vobis, de ſponſal. Angel. Interdictum 6. num. 38. Sylue. Interdictum 5. §. 9. in fine Verſ. Sexta eſt Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 179 in fi. Couar. in c. Alma par. 2. §. 3. Verſ. Secundo. vbi affirmat eſſe opinionem communem, Henriquez lib. 13. de excom. & interdi. cap. 45. nu. 4.

Addit Couar. ibi, Verſ. Tertium apparet tempore Interdicti non poſſe Sacramentum Ordinis celebrari, etiam illis quatuor diebus feſtiuis, qui in c. Alma in §. In feſtiuitatibus, excipiuntur, nec etiam ianuis clauſis, Interdictis, & Excommunicatis excluſis.

Secundò dubitatur, Verum ſuppoſito generali interdicto Clerici initiati prima Tonſura, vel aliquo ordine poſſint ad ordines ſuperiores promoueri.

Opinio eſt Innoc. in cap. Non eſt vobis, de ſponſal. Clericos habentes aliquem ordinem, ſaltem primam Tonſuram, non obſtante interdicto, poſſe aſcendere ad Superiores. ratio eius eſt, quia ſunt Clerici.

Contraria ſententia eſt vera & communis, Abb. in dicto cap. Non eſt vobis num. 8. Palud. in dicta q. 8. nu. 29. Sylue. Anton. locis citatis, & Calder. dicto nu. 11 dicens interdictos promoueri non poſſe, ſiue ſint Clerici, ſiue laici. Probatur hæc ſententia, nam vel agitur de interdicto locali, vel perſonali. Si tractetur de interdicto locali, tunc per tale interdictum non magis interdicti ſunt Clerici, quàm laici, & eo modo, quo locus eſt interdictus quo ad Laicos, ita etiam quoad Clericos. Quare ſicut in loco interdicto non poſſunt ordinari laici, ita neque Clerici. Et ſimiliter ſicut Epiſcopus non poteſt in tali loco conferre ordines laicis, ita neque Clericis, niſi prius ab eodem loco interdictum tollat, vel ſuſpendat. quod eſt intelligendum de omnibus ordinibus ſpectantibus ad Sacramentum Ordinis, & etiam de Conſecratione Epiſcopi. De prima verò Tonſura, de benedictione Abbatis, & Virginis, & ſimilibus, quæ non ſunt Sacramenta, ſed Sacramétalia, non eſt eadem ratio, de quibus tractabitur in Diſput. ſequenti, cum diſputabitur de ſecundo effectu interdicti, ideſt de priuatione diuinorum officiorum. Quòd ſi Innocentius loquitur de interdicto perſonali; Vel eſt interdictum ſolius populi laici, vel ſolius Cleri, vel ſimpliciter ſunt interdicti tam laici, quàm Clerici. Si eſt interdictum primi generis, certum eſt Clericos promoueri poſſe ad ſuperiores ordines, quia ipſi non ſunt interdicti, quoniam interdictum populi non ligat Clericos, nec etiam tale interdictum afficit locum. Quare Clerici etiam primã Tonſuram habentes poterunt promoueri ad Ordines non ſolũ alibi, ſed etiã in ipſomet loco illius populi in-

A terdicti. Atq; ita ſentiunt Doctores citati, licèt Sylue. tantum admittat Clericos in hoc caſu poſſe promoueri extra locum populi interdicti; Ratio tamen facta concludit generaliter etiam in prædicto loco. immo non ſolum Clerici, ſed etiã laici, non attinentes tamen ad populum interdicto ſuppoſitũ, ſed alienigenæ poſſunt recipere ordines in loco populi interdicti, ſicut ibi admitti etiã poſſunt ad officia, & ad alia Sacramẽta. Quòd ſi contra interdictus ſit Clerus ſolus, ratione huius interdicti prohibentur Clerici, ne aſcendant ad ſuperiores ordines in quocunq; loco, quoniam interdictum priuat vſu Sacramentorum, ſed non prohibẽtur laici, quos interdictum non comprehendit. Tandẽ ſi loquamur de tertio Interdicto, ſcilicet quòd interdictus ſit Clerus, & populus ſimul, ex vi illius nec Cle-

B rici, nec laici ordinari poſſunt, quia omnes ſunt interdicti. & ita ſentit etiam Abb. in c. Non eſt vobis, nu. 8. de ſponſal. Atque ita nulla erit differentia inter laicos, & Clericos quo ad Sacramentum Ordinis ſeruata dicta proportione. Neque etiam opus eſt hic diſtinguere inter perſonale interdictum generale, vel ſpeciale, neque inter eos, qui cauſam dederunt interdicto, vel alios, qui ſint innocentes. In hoc enim tertio caſu omnes ſimpliciter repelluntur ab adminiſtratione, & receptione ordinum, quouſque interdicto remanent obſtricti.

Tertiò dubitatur, An loco exiſtente interdicto laici, vel Clerici eiuſdem loci poſſint extra locum inter-

C dictum ordines recipere.

Reſpondeo cum diſtinctione, quam ſæpius repetij, quam communiter Doctores aſſerunt, nimirum illos, qui deliquerunt, & cauſam dederunt, vt imponeretur interdictum, non poſſe neque in loco interdicto, neque alibi promoueri ad Ordines, quia illi conſequenter ſunt perſonaliter ſunt interdicti, alios verò, qui ſunt innocentes, poſſe ordinari extra locum interdictum, quia interdictum loci non afficit perſonas, niſi in ordine ad illum locum. Idque deſumitur ex cap. Si ſententia, de ſent. excom. lib. 6. Vbi Bonifacius VIII. ſtatuit interdicta Ciuitate propter delictum Domini, aut Rectoris, Ciues, qui culpabiles non fuerunt, poſſe extra Ciuitatem licitè intereſſe diuinis, & eadem eſt

D ratio de vſu Sacramentorum.

Verum hic occurrit difficultas, an hoc, quod dicimus de innocentibus, ſit verum de quocumque interdicto loci, ſiue interdicatur ob delictum Principis, & Domini, ſiue ob delictum ipſorum Ciuium.

Aliqui Doctores, vt Calder. in Tractatu de interdicto parte 2. numero 11. Sylue. interdictum 5. §. 9. in fi. Tabie. Interdictum 5. nume. 9. B. Antoni. 3 par. Sum. tit. 26. capit. 4. circa medium, Verſ. Item ſi locus tantum. Alij tenent interdicto loco perſonas non culpabiles illius loci poſſe alibi promoueri ad Ordines, ſi interdictum latum fuit propter crimen Domini, ſeu Rectoris; ſecus verò ſi interdictus ſit locus propter delictum ipſius Vniuerſitatis, in eo caſu nullus ex

E ea Vniuerſitate poſſet ordinari, quia omnes cenſerentur interdicti. Oppoſitum tamen videtur probabilius, quoniam nulla videtur ratio diuerſitatis, ſiue delictum, cuius cauſa impoſitum fuit Interdictum locale, ſit commiſſum à Principe, Domino, ſeu Rectore, vel à populo, & Vniuerſitate, ſemper enim innocentes ſunt eodem modo immunes, & licitè extra locum interdictum, & diuinis intereſſe poterunt, & Sacramenta recipere. Et quamuis in dicto cap. Si ſententia, de ſentent. excommun. lib. 6. ſolum ſermo ſit de interdicto lato ob crimen Domini, ſeu Rectoris,

& idem repetat inferius, cum ait: *Qui culpabiles non existunt, dummodo & ipsi propter Dominum, & Rectorem puniendum in eis*, scilicet Ciuibus, *interdicti non fuerint*, & Glo. ibi, Ver. Domini videtur idem sentire, dum inquit, *Nota quia secus, si propter delictum Ciuium*, scilicet interdictum latum fuerit, quasi tunc etiam Ciues innocentes sint interdicti eodem modo, sicut culpabiles, ita vt neque extra locum interdictum audire diuina officia, & recipere Sacramentum valeant. Tamen adhuc censeo oppositum probabilius: quoniam nulla apparet ratio differentiæ, cur Ciues innocentes magis obstringi debeant vinculo interdicti, si interdictum impositum sit ob delictum Principis, vel ob crimen populi, & Vniuersitatis. Summus autem Pontifex in capit. Si sententia ponit exemplum in casu, quo Interdictum latum sit ob crimen Principis, & Rectoris, quoniam frequentius ita accidit. non excludit tamen alios casus, immo, quod disponit in eo casu, trahendum est ad omnes alios, in quibus militat eadem ratio.

Alia etiam difficultas esse potest, an in loco interdicto possint ordinari saltem innocentes ab ipso Episcopo, qui locum interdicto supposuit.

Respondeo, quamuis locus sit interdictus ab ipsomet Episcopo ordinante, tamen non potest in dicto loco quempiam ad ordines promouere, quia cum sit effectus Interdicti priuatio Sacramentorum, & omnes effectus interdicti proueniant ex Iure communi, in quo Episcopus non potest dispensare, sequitur durante interdicto non posse ordines conferre. Quare, vt possit exercere facultatem ordinandi, debet interdictum tollere, vel suspendere ad ipsum actum. Vnde si Episcopus non seruauerit suum Interdictum, & ordines tradiderit, irregularis efficitur, vt tenet Couar. in cap. Alma par. 2. §. 3. num. 4. in fi. Vers. Sexto ea e. fin. de priuileg. lib. 6. Calder. in Tractatu de interdicto par. 2. num. 11. Henriquez lib. 13. de excom. & interd. cap. 45. num. 4.

Quartò dubitatur, an imminente necessitate possint ordinari Ministri Ecclesiastici, vt si in aliqua Prouincia tempore pestis penuria esset Ministrorum ad celebranda officia diuina, vel administranda Sacramenta, quæ permittuntur tempore Interdicti, & difficultas supponit non esse alium locum non interdictum, vbi commodè conferri possint ordines.

Abb. in cap. Non est vobis, num. 8. de sponsal. tenet supposita necessitate posse ministrari sacramentum ordinis in loco interdicto, & huius dicti rationem affert, quoniam cum concedantur quędam, quorum ministratio pertinet ad Clericos, vt Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, & Confirmationis, sequitur censeri concessum omne illud, sine quo illa haberi nequeunt, aliàs concessio esset inutilis. talis est ordinatio Ministrorum, qui necessarij iudicantur. Confirmatur testimonio c. Quoniam, de sent. excom. lib. 6. Vbi Papa infert tempore interdicti licitum esse in die Cœnæ Domini conficere sanctum Chrisma, cuius vsus necessarius est in Baptismo, & Confirmatione, quia Baptismus & Confirmatio permittuntur tempore interdicti. Vbi Glo. ponit regulam generalem, quòd permisso vso rei tempore interdicto intelligitur esse permissa creatio illius rei. eandẽ sententiam tenet Ang. Ver. interdictum 6. num. 8. Villa Diego in Tractatu de irregul. cap. 5. de interdicto num. 3. Sylue. Interdictum 5. §. 9 in fi. inquit in loco interdicto sine necessitate nec Laicos, nec Clericos posse ordinari. Supposita autem necessitate posse attentari. Sed verius esse oppositum tenet Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 45. num 4 putat hanc sententiam non esse improbabilem. idem ait Tabie. nu. 9. in fi.

Alij verò tenent oppositum esse probabilius, vt Sylue. loco citato, Couar. in c. Alma par. 2. §. 3. num. 4. Vers. Quinto infertur, licèt non neget aliam opinionem esse probabilem. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam nullibi in Iure cauetur hanc esse veram, & propriam necessitatem, quæ compellat ad interdicti violationem.

Ad hanc difficultatem primò dici potest hanc extremam necessitatem vix posse admitti, vt non adsit copia talium Ministrorum, quorum opera suppleri possit tempore interdicti celebrationi diuinorum officiorum, & administrationi Sacramentorum in casibus permissis, Vel non possit Episcopus commodè alia via prouidere huic indigentiæ. Nam posset Episcopus facilè se conferre ad locum non interdictum, & ibi promouere suos Clericos, vel eis impertire licentiam, vt ab alio Episcopo ordines recipere valeãt, vel conducere extraneos Sacerdotes, & ita tenent Sylue. Tabie. Couar. locis citatis cum Palud. in 4. distinct. 18. q 8. art. 5. Conclus. 6.

Dico secundò, si supponamus dari verè talem casum extremæ necessitatis, vt desint Ministri necessarij pro celebrandis diuinis officijs, & conferendis Sacramentis, neque huic necessitati alio modo occurri posset, quàm conferendo ordines. Et hic casus si aliquando contingere posset maximè tempore pestis.

Quintò dubitari potest supposito interdicto locali generali, an possint Innocentes, qui causam non dederunt interdicto, recipere ordines extra locum interdictum à quocunque Antistite, vel teneantur à proprio Episcopo promoueri.

Respondeo licere tantum tempore Interdicti recipere ordines extra locum interdictum à proprio Episcopo, vel ab alio de licentia proprij cum eius literis dimissorijs. Ita tenet Calder. in Tractatu, de interdicto par. 2. nu. 11. ex c. Cum nullus, de temp. ordin. lib. 6. Eodem modo dicendum est de eo, qui habet Bullam Cruciatæ, ea illius enim priuilegio tempore interdicti recipere poterit Sacramenta, & etiam ordinem à proprio tamen Episcopo, vt tenet Henriquez in sum. lib. 7. de indulgentijs cap. 13. num. 4. quia Bulla intendit solum impedimentum auferre proueniens ratione interdicti, verùm non intendit dispensare super obligatione ex Iure proueniente, vt Sacramenta assumãtur à proprio Sacerdote, & Pastore, vel de eius licẽtia. Nam cum iurisdictio Pastoris sit ordinaria, & ex cõsequenti fauorabilia in dubio, nõ censetur illi derogari.

CAPVT VII.

Vtrum tempore interdicti licitum sit Sacramentum Matrimonij celebrare.

PLura in matrimonio considerari possunt, nempe sponsalia de futuro de matrimonio contrahendo, secundò ipsemet Contractus Matrimonij per verba de præsenti, tertiò solennitates ecclesiasticæ, quæ cum benedictione Sacerdotis subsequuntur, & de singulis contingit dubitatio, an permittantur tempore Interdicti.

Et primò si loquamur de spõsalibus, nõ est dubitãdũ illa contrahi posse tẽpore interdicti, & in loco interdicto, quoniam cum spõsalia nihil aliud sint, quàm simplex promissio de Matrimonio contrahendo, non

continentur inter ea, quæ prohibentur tempore interdicti, quæ sunt officia diuina & Sacramenta.

Secundò si tractetur de ipso Contractu Matrimonij, vel possumus agere de validitate ipsius, an teneat, si celebretur tempore interdicti, & in loco interdicto, vel an liceat, & sine peccato contrahatur. Si loquamur de validitate, conclusio est certa omnium cōsensu recepta Matrimonium tempore interdicti contractum seruatis ijs, quæ ex Iure antiquo, & ex decreto Concilij Trid ad substantiam, & naturam huius Contractus, validum est & firmum, ita sentit Glo. in cap. Alma Ver Sacramentis, de sent. excom. lib. 6. dicens tenere Matrimonium celebratum tempore interdicti, Cald. in Tract. de interdicto par. 2. nu. 8. Anchar. in c. Alma nu. 10. Franc. nu. 3. de sent. excom. lib. 6. Innoc. in c. Non est vobis, de sponsal. Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. artic. 2. principali conclus. 4 B. Anton. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. circa med. Vers. Matrimonium verò, Henriquez lib. 13. de excomm. & interdicto cap. 45. nu. 3. Angel. Interdictum 6. nu. 30. Sylue Interdictum 5. §. 9. Vers. Quinta exceptio, Armilla nu. 53. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 179. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 7. vltra med. Vers. Matrimonij autem Sacramentum.

Hanc conclusionem Glo. in dicto cap. Alma Ver. Sacramētis probat ex eo, quoniā licèt matrimonium sit Sacramentum, non tamen talis confertur gratia, sicut per alia Sacramenta. Quod spectat ad hanc rationem, primò illud est animaduertendum Glosam non negare Matrimonium conferre gratiam, sicut Couar. ei tribuit, immo fatetur, & oppositum est hæreticum contra Concilium Trident. sess. 24. De Sacram. Matrim. can. 1. sed inquit solum non conferre tantam gratiam, sicut reliqua Sacramenta. hoc autem discutere non est præsentis speculationis. consulendi sunt Theologi in 4. sent. dist. 26. Secundò dico, quidquid sit de hoc antecedente, ex illo non infertur, quòd Matrimonium tempore interdicti collatum validum esse debeat, quia ex eo sequeretur, quòd Sacramentum Ordinis, quia maiorem gratiam confert collatum tempore interdicti, vel personæ interdictæ, non esset validum, & tamen ordo, quocunque tempore collatus, seruatis ijs, quæ ad eius essentiam pertinent, semper tenet, & imprimit characterem, ne iterari potest. Ad idem probandum aliam rationem affert Calder. à quo alij desumpserunt, & est, quòd Matrimonium quocunque tempore contrahi potest, si adsit legitimus consensus viri, & mulieris, cap. Cappellanus. de fer. etiamsi personæ contrahentes sint interdictæ secundum Innoc. in c. Non est vobis, de sponsal sicut tenet Matrimonium contractum ab Excommunicatis, cap. Significasti, de eo, qui dux. in Matrim. quam polluit per adult. & ab infidelibus dist. 26. cap. Deinde, & c. vlt de Presby. non bapti. quia Excommunicatio, interdictum, & infidelitas nihil aufert ex ijs, quæ spectant ad veritatem Matrimonij, vt est Contractus. Quare si Matrimonium contractum à persona interdicta validum est, multò magis validum erit, si aliud non habeat impedimentum, quàm quòd sit celebratum in loco interdicto, quoniam minus potest circumstantia loci, quàm personæ reddere nullum matrimonium. immo addunt Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. num. 7. Vers. Matrimonij autem Sacramentum, & Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 45. num. 3. quod etiam si per sententiam Iudicis prohiberetur, ne quis tempore interdicti celebraret matrimoniū, si tamen contraheretur, teneret, Tex. in c. 1. A cum alijs, de Matrim. contracto contra Interdi. Eccles. Idem Couar. in Epitome ad lib. 4. Decretal. par. 2. cap. 6. num 6. addit valere Matrimonium collatum contra prohibitionem legis, aut Summi Pontificis, quando illa prohibitio habet temporalem, non perpetuam causam prohibitionis, Glo. in cap. Tua, de sponsa. duo. vbi Abb. c. Ad dissoluendum, de despons. impub. cum alijs citatis ibi à Couar. de validitate igitur Matrimonij non est difficultas.

Sed controuersia est, an licitè, & sine peccato tempore interdicti in loco interdicto celebrari possit matrimonium. Nonnulli Doctores ex citatis tenent simpliciter licitum esse, Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 9. prope finem Vers. Quinta Exceptio, inquit expresse tali tempore licitè contrahi matrimonium etiam ab B interdictis. Idem ait Innoc. in cap. vlt. nu. 6 de excess. Prælat. & clarius in cap. Non est vobis, de sponsal. vbi Abb. num. 8 dicit esse communem sententiam. Ratio, qua ad id probandum vtuntur communiter, illa est, quia etiam inter infideles licitè celebratur Matrimonium. Sed hæc ratio non est firma, & efficax ad illud concludendum, nam matrimonium non est Sacramentum apud infideles, sicut est apud Fideles, sed est simplex Contractus. Accedit, quòd Fideles subiecti sunt præceptis, & prohibitionibus Ecclesiæ, non autem Infideles. Eandem sententiam sequuntur Nauar. in Manua. cap. 27. numero 179. & Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 7. Vers. Matrimonii autem Sa- C cramentum, qui censent licitè etiam contrahi posse Matrimonium ab interdictis personaliter, & specificè. Fundamentum ipsorum illud esse videtur, quia licèt Matrimonium sit Sacramentum, tamen est etiam Contractus, immo quoad substantiam non habet aliam rationem, quàm Contractus, cui adiuncta est vis Sacramenti; sed interdictum non impedit Contractus humanos, ergo non tollit, quin Matrimonium celebrari possit. neque hæc facultas coarctata est in Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. De reform. matrim. Nam ibi solum statutum est Matrimonium non posse celebrari, nisi coram Parocho, & duobus testibus. Non præscribit tamen aliquam temporis differentiam necessariam ad hanc formam obseruan- D dam.

Verum contra hanc sententiam plura obijci possunt, primò quoniam tempore interdicti prohibetur vsus Sacramentorum in c. Responso, de sent. excom. & effectus præcipuus Interdicti est tollere participationem Sacramentorum, & in cap. Alma, de sent. excommun. lib. 6. dicitur nulla esse ministranda Sacramenta certis casibus, & Sacramentis exceptis, sed nullibi legitur exceptum matrimonium, ergo censetur simpliciter prohibitum, quia quando aliquid generaliter prohibetur, id, quod non est expressè exceptum, sub generali prohibitione remanet, Clement. 1. §. Porrò, de verbo. signific. si igitur tempore interdicti permittuntur tantum expressè Baptismus, Con- E firmatio, Eucharistia, & Pœnitentia, sicut diximus, & colligitur ex cap. Non est vobis, de sponsal. cap. Quod in te, de Pœnit. & remiss. & cap. Quoniam, de sentent. excommun. lib. sexto, & nullo Iure Matrimonium apparet concessum, ergo intelligitur prohibitum. Nam sicut in c. Alma excipitur Sacramentum Pœnitentiæ etiam pro non ægrotantibus, & alia tria Sacramenta in alijs iuribus citatis, ita similiter Summus Pontifex Matrimonium expresse excepisset, si illud excipere voluisset. Secundò rationes & causæ, propter quas præfata Sacramēta tpe interdicti ab Eccle-

sia permittuntur, cessant in Matrimonio, cum ex negatione Matrimonij non subtrahatur ecclesijs debitus honor, neque hæreses pullulent, quæ sunt rationes assignatæ in cap. Alma Mater, propter quas illa concessa fuerint. Tertiò quando instaret necessitas ineundi Matrimonij tempore interdicti, posset extra locum interdictum commodè celebrari, ac proinde nulla est necessitas, cur in loco interdicto concedi debeat arg. cap. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. Quartò hodie post Concilium Trident. Matrimonium contractum absque Parochi præsentia, non est validum. At Parochis tempore Interdicti vetitum est quæuis Sacramẽta ministrare, demptis Pœnitentia, & Eucharistia morientibus, ac Baptismo, ergo matrimonium eo tempore contrahi nequit. Nec videtur quidquam referre, quòd sit Contractus, nam hoc non tollit, quin sit etiam Sacramentum, & ratio Sacramenti est principalior, & ratio Contractus per illam eleuatur, & ita necesse est, vt sub vtraque ratione, vel sit concessum vel prohibitum. Neque pro dicta sententia facit cap. Cappellanus, de fer. vbi habetur Matrimonium quocunque tempore contrahi posse, quoniam verba illa commodè possunt intelligi de omni tempore nõ prohibito, Vel si intelligantur de omni tempore absolutè, non ideo sequitur, quòd in omni loco etiam interdicto, & inter personas interdictas contrahi possit.

Ea his colligi potest controuersia huius difficultatis ea vtraque parte. quamobrem quid mihi probabiliter videatur responderi posse ad hãc dubitationem, quibusdam propositionibus explicabo.

Prima propositio, sententia quorundam recentiorum asserentium Matrimonium tempore interdicti in loco interdicto licitè contrahi non posse, & multò minus inter personas interdictas est probabilis.

Probatur primò de illis, qui personaliter interdicti sunt, & sunt omnes, qui causam dederunt interdicto. isti enim specialiter interdicti sunt, & nõ possunt matrimonium contrahere, quoniam æquiparantur excommunicatis quoad participationem Sacramentorum; Sed excommunicatus non potest licitè inire matrimonium, ergo neque interdictus specialiter. Si dicas, excommunicatus non potest licitè matrimonium celebrare, quia non valet etiam alios Contractus ciuiles celebrare, cum sit priuatus communione fidelium, qua in re differt ab interdicto; Sed contra, nam excommunicatus contrahens matrimonium nõ solum peccat communicans cum fidelibus in actibus ciuilibus, & humanis, sed etiam participans in diuinis, aliàs solum venialis culpæ reus esset, & tamen cõstat peccare mortaliter; sed interdictus specialiter æquè est exclusus à participatione diuinorum, sicut excommunicatus, ergo non licebit ei, sicut neque excommunicato tempore interdicti contrahere Matrimonium. Secundò excommunicatio minor, quæ non priuat communione humana, & ciuili, neque facultate contrahendi, & tamen ligatus huiusmodi excommunicatione non potest sine peccato Matrimonium contrahere, quia est separatus à participatione passiua Sacramentorum, & hic effectus est communis, & Auctores huius sententiæ idem affirmant de his, qui obstricti sunt interdicto personali generali, qui causam non dederunt interdicto, quos negant posse licitè tempore interdicti matrimonium contrahere ob eandem rationem, quoniam interdictum tollit generaliter vsum Sacramentorum, præterquam in casibus iure expressis. Matrimonium verò non legitur aliquo iure exceptum. Vnde in cap. Si sententia, de sent. ex-

A comm. lib. 6. vbi agitur de interdicto personali generali dicitur, *Non debent alicubi casibus à iure expressis, duntaxat exceptis audire diuina, vel ecclesiastica recipere Sacramenta* Vbi Glo. Ver. Expressis solum citat iura loquentia de Baptismo, Confirmatione, & Viatico. Confirmatur, quoniam Glo. in cap. Alma Ver. Sacramentis solum affirmat tenere Matrimonium contractum tempore interdicti, sicut validum est illud, quod celebratur ab Excommunicato maiori excommunicatione. verùm non asserit licitè contrahi posse, atque hoc modo possumus interpretari Doctores, qui communiter videntur admittere matrimonium contrahi posse tempore interdicti, scilicet quoad validitatem, quia tenet, & non est iterandum. non autem quòd li-

B citè fiat. & idem dicunt de interdicto locali, quòd illius in matrimonium in loco interdicto celebrari nequeat ex rationibus superius adductis.

Secunda propositio, Contraria opinio est communis omnium Doctorum, vsuque recepta. & mihi videtur probabilior, nempe matrimonium tempore interdicti licitè iniri posse, etiamsi contrahentes sint specialiter, & personaliter interdicti.

Probatur primò ex c. Cappellanus, de fer. vbi Clemens III. cõsultus de tempore, quo ea more, & ritu Ecclesiæ nuptiæ non debent celebrari, ad quæstionem respondens hæc addit: *Quòd licèt ea sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, vt quocunque tempore matrimonium contrahatur consensu interueniente legitimo de præsenti,* Vbi

C Glo. Ver. Quocunque tempore, inquit, *Et ita quolibet tempore potest matrimonium contrahi, sed nuptiarum solemnitates his diebus*, scilicet notatis in Textu, *Ne carnaliter coniungantur*. Secundò quoniam tempore interdicti ea sola sacramenta censentur vetita, quæ purè Sacramenta sunt, & omnino spiritualia, at Matrimonium est Contractus quidam naturalis, cui Christus adiecit rationem Sacramenti. Tertiò quamuis contraria opinio vera esset considerato iuris rigore, tamen hæc adeo præualuit, vt videatur consuetudine inducta, & per eam derogatum iuri. Nam præter Doctores supra citatus initio capitis illam sequitur inprimis Glo. in c. Alma Ver. Sacramentis. licèt enim non dicat expresse tempore interdicti licitè posse cõ-

D trahi matrimonium, sed esse validum eo tempore cõtractum, tamen id voluit significare, vt coherenter loquatur, cum ibi sermo sit de his, quæ licitè permittuntur tempore interdicti, Host. in cap. Non est vobis in fi. de sponsal. id expressè tenet. & ibi Io. And. num. 5. Anton. num. 10. Card. num. 4. quæst. 1. Præpos. num. 7. Rosel. Interdictum 2. num. 7. Armil. Interdictum num. 53. Tabie. Interdictum 5. quæst. 13. num. 14. Paul. Burghes. De Irregularitate par. 6. De sententia Interdicti num. 50. Medina lib. 1. summæ cap. 11. §. 13. Tho. Sanchez tom. 2. de Matrimonio lib. 7. de impedimentis, Disp. 8. & alij recentiores.

Tertia propositio, Non solum tempore Interdicti, sed cessationis à diuinis licitè contrahitur matrimo-

E nium, & colligitur ex dicto cap. Cappellanus, de fer. vbi omni tempore permittitur celebratio Matrimonij, ex quo Doctores deferunt in cap. Non est vobis, de sponsal. tempore interdicti licitè contrahi posse, cum tamen casus illius tex. non sit propriè de interdicto, sed de cessatione. quare ea dicto cap. etiam probari poterit id verum esse tempore cessationis. Quod autem c. Non est vobis, de sponsal. propriè intelligendũ sit de Cessatione à diuinis, tradit ibi Abb. num. 8. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. nu. 6. Medina lib. 1. Summæ cap. 11. §. 14. Emanuel Sa in Summa Ver. Inter-

dictum num. 17. Vega primo tom. sum. cap. 103. casu A 6. Immo omnia Sacramenta tempore interdicti cōcessa sunt etiam licitè tempore Cessationis, vt benè animaduertit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 178. & Couar. vbi supra.

Et hanc opinionem tenentes asserunt illam veram esse, quamuis Contrahentes sint specialiter & personaliter interdicti, possunt enim licitè matrimonio copulari, quoniā sub illo Interdicto non continetur matrimonium, nisi expressum sit, quia matrimonium tanquam contractus, cui per accidens ratio Sacramenti aduenit, quoniam Christus ita instituit, sua specialia impedimenta sortitur, nec prohibetur tempore interdicti, sicut alia Sacramenta, ita asserunt citati Doctores. Similiter affirmant posse licitè Matrimonium celebrari in Ecclesia specialiter interdicta, licèt honestum sit, si commodè fieri possit, vt alibi ministretur, B quia nulla apparet prohibitio, quòd matrimonium non sit exemptum ab omni interdicto, sicut docent Doctores de aliis Sacramētis tempore interdicti permissis. Ita sentit Nauar. in Manua. cap. 27. n. 179. Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. nu. 7. Vers. Hæc verò Sacramenta, Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 45. num. 3. quia expressè id fatetur de matrimonio.

Quarta Propositio, multò magis tempore interdicti poterunt licitè fieri denunciationes pro contrahendo matrimonio ex decreto Conc. Trid.

Ita sentit Palud. in 4. sent. dist. 26. q. 2. art. 2. nu. 12. sed subdit huiusmodi denunciationes posse licitè fieri in Concionibus vel aliter, non tamen in Missa. Verum non opus est addere hanc limitationem, primò hodie C ex priuilegio c. Alma adhibita moderatione ibi præscripta tempore Interdicti Missa celebrari potest. Quare & denunciationes in Missa fieri poterunt. Secundò quoniam & si olim tempore interdicti sacrum peragere non licebat, cap. Non est vobis de sponsal. tamen si tunc celebrabatur, vel hodie fieret contra Interdicti formam, & in eo denunciationes pro matrimonio promulgarentur, peccatum esset celebrare, non autem denunciationes facere, quæ cum non pertineant ad officium diuinum, non prohibentur tempore interdicti.

Ex dictis patet, quod responderi possit ad argumēta adducta pro contraria sententia cum enim nullibi D sit exceptum matrimonium tempore interdicti, licitè contrahi potest, sicut excipiuntur alia Sacramenta, quæ eo tempore permittuntur, quod est præcipuum fundamentum pro contraria opinione, illa ratio assignari potest, quia id supponebatur tanquam manifestum, nam ex generali consuetudine Ecclesiæ receptū est, vt nunquam intelligatur prohibitum matrimonium, & excipiuntur ea Sacramenta, quæ verè spiritualia sunt, & ad actum Ordinis pertinent. Ad illud, quod dicebatur de rationibus, propter quas Summus Pontifex affirmat in cap. Alma, fuisse quædam Sacramenta permissa, quæ non videntur locum habere in matrimonio, respōdendum est, illas rationes assignari E in ordine ad Sacramenta, quæ sunt verè spiritualia. At in matrimonio militat ratio Contractus per se & intrinsecè, & accedit ratio Sacramenti. Ad tertium de Parocho, cui tempore Interdicti denegatur administratio Sacramentorum, & tamen post Concilium Trident. Parochus videtur minister matrimonij, dicendum est Parochum non habere rationem ministri respectu matrimonij sed testis, sed ipsi Contrahentes sunt ministri.

Hactenus ex tribus propositis initio capitis dictum est de spōsalibus, & de ipso matrimonio, quod ex mutuo consensu contrahendum prouenit, restat, vt de solennitatibus, quæ subsequuntur, pertractemus.

Post contractum matrimonium sponsi recipiūt solēnes benedictiones à Parocho in Ecclesia. De his benedictionibus nuptialibus quæritur, an cōferri possint tempore Interdicti. Aliqui affirmant, quia benedictiones sunt accessoriæ ad matrimonium antea contractum, sed iam conclusum est matrimonium, contrahi posse tempore Interdicti, ergo & benedictiones eodē tempore licitè conferri poterunt, quia accessorium sequitur naturam principalis, cap. Quia accessorium de reg. Iur. lib. 6. Confirmatur concessis tempore Interdicti Baptismo & Confirmatione, conceditur confectio Chrismatis, quod accessorium est c. Quoniam de sent. excom. lib. 6. Vbi Glo. Ver. Dubium, ait rationem huius esse, quòd concesso principali concedatur accessorium. Hanc sententiam tuetur Rosella Interdictum 2. nu. 7. Ang. Interdictum 6. num. 3. & Abb. in cap. Non est vobis num. 8. de sponsal. de solennitate nuptiali inquit rem esse dubiam, & nihil decidit, & eodem modo ibi Præpos. nu. 7.

Communis tamen Doctorum sententia est huiusmodi benedictiones conferri non posse tempore interdicti, ratio huius dicti est, quoniam benedictio nuptialis est officium diuinum, & ad actum ordinis pertinet, cum solus Sacerdos possit sponsum & sponsam benedicere, idq; peragere debeat orationibus & precibus adhibitis, & officio peculiariter ab Ecclesia ad hanc solennitatem instituto, & inter Missarum solennia, ita tenet Caldet. in Tract. de Interdicto par. 2. nu. 9. & citat Host. in cap. Non est vobis in fi. de sponsal. Vbi Io. And. nu. 3. Anton. n. 10. Anchar. in cap. Alma num. 10. de sent. excom. lib. 6. vbi Couar. in princ. nu. 3. Sylue. Interdictum 5. §. 9. in fin. Vers. Quinta exceptio, Tabie. Interdictum 5. quæst. 13. nu. 14. Armilla Interdictum nu. 53. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 179. Palud in 4. sent. dist. 26 q. 2. art. 2. nu. 12 & distinct. 18. quæst. 8. art. 2. princ. conclus. 4. nu. 27. B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap 4 circa med. Henriquez lib 11. de Matrimonio cap. 16. nu. 2. in Glo. lit. S, & lib. 13. de excom. & interdi. cap. 44. nu. 1. Lit. D.

Ad rationem pro contraria opinione desumptam ex illa regula Iuris Accessorium sequitur principale, Respondeo regulam illam intelligendam esse, vbi militat eadem ratio in accessorio & in principali, nec est aliqua dispositio specialis in accessorio, vt bene Dinus notat in eadem regula Accessorium in fi. at non est eadem ratio in Matrimonio & in Benedictionibus nuptiarum. Illud enim non spectat ad diuina officia tēpore interdicti vetita, secus est de benedictionibus. Deinde de matrimonio nulla est prohibitio. Interdicuntur enim generali prohibitione diuinorum officiorum tempore interdicti. Neque est par ratio de Chrismate, quia Chrisma est accessorium tanquam pertinens ad Confirmationis essentiam, & respectu Baptismi est de præcepto necessarium ad eius decentiam, solumq; potest die Iouis Sancti confici, & quotannis renouari debet. Quare si tunc ratione interdicti non conficeretur, ea Sacramenta ministrari minimè possent, idest Confirmatio validè conferri, & Baptismus decenter tradi non possent. Quæ rationes in benedictionibus nuptialibus locum non habent.

Aliqua tamen disceptatio est apud Doctores, an hę benedictiones nuptiales conferri possint tempore interdicti seruata moderatione c. Alma de sent. excom. lib. 6. idest submissa voce ianuis clausis, excommunicatis

catis & interdictis exclusis. Ibi enim permittuntur omnia diuina officia cum ea moderatione, Sylue. Interdictum 5. §. 3. in fi. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. num. 6. Vers. Illud tamen est, Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 44. nu. 1. in Schol. lit. D, & lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 1. & in Glo. Lit. F. Quare cum hæc benedictio & solennitas sit quoddam sacrum officium Missæ annexum, sequitur, si eo tempore conceditur, vt Missæ, diuinaq; officia dici possint, sicut prius, campanis tamen minimè pulsatis, submissa voce, ianuis clausis, & excommunicatis & interdictis exclusis concessum quoque fuisse, posse solennes benedictiones nuptiales dari.

Alij verò significant, specialem esse rationem, ne benedictiones nuptiales sub generali concessione officiorum intelligantur, cum pertineant ad solennitatem Sacramenti singulis non necessarij, sicut eodem tempore non permittitur extrema Vnctio, & Ordo, ita videtur sentire idem Syluc. Ver. Interdictum 5. §. 9. Vers. Quinta exceptio, & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 179.

Ad hanc dubitationem puto respondendum primò, quòd si Coniuges sunt interdicti specialiter, vel etiam generaliter, non possunt recipere benedictionē nuptialem etiam cum illa moderatione cap. Alma, quamuis possit illis ministrari Contractus Matrimonij, vt dictum est. Probatur, quia cum non seruetur conditio cap Alma Mater, scilicet exclusis Interdictis, & idem est, si alter tantum Coniugum sit interdictus, vt inquit Calder. in Tract. de Interdicto par. 2. nu 9. & cap. Vt Priuilegia de priuileg. Secundò, quoniam in cap. Alma conceditur celebratio diuinorum officiorum cum illa moderatione tātum Clericis, & per se loquendo debent excludi Laici. Sed officium pro benedictionibus nuptialibus per se, & intrinsecè requirit præsentiam Laicorum, idest sponsi & sponsæ. Dico secundò, si Coniuges habent priuilegium assistē. di diuinis officijs poterunt cum illa moderatione c. Alma Mater recipere nuptiales benedictiones. Probatur, quia quamuis tempore Interdicti ex cap. Alma concedatur celebratio diuinorum officiorum cum illa moderatione tantum Clericis, exclusis Laicis, tamen supposito dicto priuilegio possunt assistere diuinis officijs, & ex consequenti recipere huiusmodi benedictiones, quæ sunt annexæ officio diuino. Dico tertiò hanc permissionem esse simpliciter & absolutè intelligendam, nam in Ecclesia speciali Interdicto affecta minimè licebit diuina officia celebrare, & nuptias benedicere cum illa moderatione cap. Alma. Ratio est, quia verba dicti cap. intelliguntur de Interdicto generali, vt ex initio tex. constat. Quare quæ sequuntur postea, Vers. Adijcimus, vt possint celebrari diuina tempore Interdicti cum illa moderatione, de eodem interdicto generali sunt accipienda, quia sequentia declarantur ex antecedentibus, nisi aliud appareat l. 2. ff. de Iur. & fac. ignor. & ita docet Glo. in cap. Alma Ver. Ecclesijs, & ibi Anchar. n. 1. Franc. Ver. Adijcimus num. 2. Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 18. Vers. Per prædicta soluitur, Io. Andr. c. Quæsiuit nu. 2. de his quæ fi. à maio par. Cap. vbi Anton. num. 6. Abb. in fi. Imol. num. 11. Felin. cap. Apostolicæ nu. 1. de except. Feder. cons. 70. Mil. in suo Repertor. Ver. Interdictum, Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 13. Vers. Idem in Ecclesia, & cap. 4. ante med. Ang. Interdictum 6. num. 1. & 16. Sylue. Interdictum 5. §. 1. Nauar in Manua. cap. 27. num. 175. in fi. Couar. cap. Alma par. 2. §. 4. num. 1, statim in princ. & §. 5. n.

A 2. in fi. Palud. fusius lib. 2. de Visit. Ecclesf. cap. 12. nu. 4. Dico quartò non licere quoque cum eadem moderatione nuptias benedicere extra Ecclesias & Monasteria, quia in dicto cap. Alma Vers. Adijcimus ita legitur: *Adijcimus præterea, quòd singulis diebus in Ecclesiis & Monasterijs Missæ celebrentur & alia diuina officia sicut prius.* Cum ergo limitata sit concessio ad Ecclesias & Monasteria, non est extendenda ad alia loca, quæ Ecclesiæ non sunt, vt Oratoria priuata, maximè cum hæc concessio sit Iuris communis correctoria, & ideo non extendenda. Deinde quia rationes in eodem cap. assignatæ non militāt in Oratorijs priuatis, non enim ex hoc, quod in illis minimè celebrentur diuina officia, pullulant hæreses, neque Ecclesiis
B debita obsequia subtrahuntur, quas rationes Textus assignat pro dicta concessione, quæ rationes mihi videntur valde probabiles ad id confirmandum, licèt alij velint illam concessionem non esse restringendam ad Ecclesias & Monasteria, sed vbiq; licere cum illa moderatione peragere diuina officia, de qua re fusius tractabo in sequenti Disputatione.

Sed occurrunt nonnullæ dubitationes explicandæ, Prima erit, an tempore Cessationis generalis à diuinis liceat nuptias benedicere cum prædicta moderatione cap. Alma, quidam enim eam concessionem extendunt ad Cessationem generalem à diuinis, quòd hæc æquiparetur Interdicto quoad diuinorum celebrationem, quodq; rationes inducētes Pontificem ad
C prædictam concessionem faciendam pariter militent in Cessatione generali à diuinis, ac in Interdicto, ita docent Archid. in cap. Si Canonici, statim in princ. de off. ordin. lib. 6. Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 3. principali nu. 38. Villa Diego Tract. de Irregular. Vbi tractat de Irregularitate violantis Interdictum, §. Dictū est etiam, quòd celebrans tempore Interdicti, Nau. in Manua. c. 27. nu. 188. in fin. Alij verò contra sentiunt ad Cessationem à diuinis etiam generaliter non extendi eam concessionem, & ideo tempore Cessationis non licere conferre benedictionem nuptialem, neque alia diuina officia celebrare. Quòd & ipsum nomen Cessationis testatur, vt pote quod omnimodam à diuinis Cessationem præ se fert, & ipsa etiam consuetu-
D do id obtinuit.

Huius sententiæ fuit Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. nu. 8. qui concludit, quòd esto contraria sententia esset iure verior, hanc amplectendam esse tanquam vniuersali consuetudine vbique receptam.

Secundò dubitatur de quatuor solennitatibus, in quibus ex priuilegio cap. Alma suspenditur Interdictum, nimirum in festiuitate Natiuitatis Domini, Pentecostes, Paschatis, & Assumptionis B. Virginis, quibus addidere Martinus Quintus & Eugenius IV. festum Corporis Christi cum tota octaua, vtrum in illis licitè sint benedictiones nuptiales, sicut permittuntur publicè & solenniter cætera officia.

Respondendum est ex communi sententia Docto-
E rum posse benedici, quantum est ex parte Interdicti, quare poterunt huiusmodi benedictiones conferri apertis ianuis alta voce, sicut possunt alia diuina officia celebrari. Dixi quantum est ex parte interdicti, quoniam si prohibitio ex alio iure oriatur, tunc tales benedictiones erunt interdictæ. Vnde Doctores antiqui ex dictis festiuitatibus in cap. Alma enumeratis in vna tantum docuerunt hanc benedictionem licitè tradi potuisse, idest in assumptione B. Virginis, quia in alijs tribus festiuitatibus nuptiæ alio Ecclesiæ præcepto erant interdictæ, vt latius tradit Gratian. 33.

q. 4.

q.4.& habetur in cap.Cappellanus de fer.& ratio est, quoniam in illis festiuitatibus Interdictum omnino suspenditur quoad officia diuina, solaq; administratio Sacramentorum vetita reseruatur, at benedictio nuptialis non est Sacramentum, sed ad officia diuina pertinet, ergo eius publica & solennis administratio seu celebratio, licebit ad instar aliorum diuinorum officiorum. Sicque tradunt Calder. in Tract. de Interdicto par. 1. num. 90. Anchar. in cap. Alma nu. 2. in fi. Franc. ibi §. Adijcimus num. 3. Vers. Vltimo nota, Sylue. Interdictum 5 §. 2. Vers. Tertium quid verò liceat in fi. Armill. Interdictum num. 43. Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 4. Vers. Potest & dici Assumptionis, Couar. c. Alma par. 2. §. 5. nu. 6. Vers. Vndecimò constat Henriquez lib. 11. de Matrim. cap. 16. nu. 2. in Glo. lit. S, & lib. 13. de excom. & interd. cap. 44. nu. 1. in Glo. lit. D, & cap. 47. nu. 4. B. Anton. 3. par. Summæ tit. 26. cap 4.

Hinc sequitur, quòd si illis diebus, in quibus huiusmodi benedictiones ab Ecclesia fieri prohibentur puta in die Natalis Domini aut Paschatis, nam post decretum Conc. Trident. solum prohibentur ab Aduentu vsq; ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum ad Octauam Paschæ inclusiuè, & si Sacerdos aliquis tempore Interdicti tētet nuptias benedicere, erit quidem reus culpæ lethalis ob transgressionem præcepti de non benedicentis nuptijs illis temporibus, non tamen deliquit, quia interdictum violauerit, & consequenter minimè incurrit Irregularitatem statutam aduersus violatores interdicti, quia cap. Alma absolutè & generaliter suspendit interdictum in his festiuitatibus, & idcirco prohibitio diuinorum officiorum cessat eo tēpore; Sed quia adest aliud præceptum non benedicēdi nuptias eo tempore, id solum violatur nuptijs celebratis, sicut in simili qui ex voto vel constitutione regulæ suæ Religionis tenetur sextis ferijs ieiunare, & abstinere à carnibus, censetur absolutus à præcepto iuris communis illarum esum prohibente, tunc quando Natale Domini incidit in sexta feria, quare si carnibus tali feria quis se nutriat, minimè delinquit aduersus prohibitionem iuris communis, sed tantum contra votum & constitutionem, quia in c. fin. de obserua. Ieiun. propter festi tanti honorem generaliter dispēsat in die Natalis Domini quoad esum carnium in illa die, quatenus iure communi prohibebatur, relinquens in suo robore obligationem voti, vel Constitutionis, si quæ adsit; ita sentit Sylue. Ver. Dominica §. 2. & Ver. Ieiunium quæst. 10. vbi Tabie. quæst. 11. n. 12. Emanuel Sa in sua summa Ver. Ieiunium nu. 6. & iuxta hanc Doctrinam, quę probabilior est, dicendum erit Fratres Ordinis Prædicatorum, qui ex Regulæ præscripto tenentur semper à carnibus abstinere, in Refectorio communi si eas edant feria sexta, in qua incidit Natale Domini, solum peccare contra constitutionem Regulæ, & cum ea illos non obliget ad culpam, nullius culpæ participes esse, eodem modo dicēdum est de Sacerdote, qui benedicit nuptias tempore interdicti in die Natalis Domini aut Paschatis eum peccare contra prohibitionem Ecclesiæ, quæ in honorem illarum festiuitatum peculiariter vetat huiusmodi benedictionem, minimè autem reum esse violati interdicti.

Sed obijciet quis, non posse nuptias benedici in illis festiuitatibus, in quibus suspenditur interdictum, absque illius violatione, quia Missa, in qua nuptiæ benedicuntur, est peculiaris pro tali benedictione nuptiali. Verùm in dictis festiuitatibus solum suspenditur interdictum pro Missa propria, & alia officia instituta ab Ecclesia pro dictis festiuitatibus, quoniam Ecclesia propter honorem illarum festiuitatum decens & expediens iudicauit, vt celebrarentur officia dictis festiuitatibus accommodata,

Respondeo non solum officia diuina & Missas proprias illarum festiuitatum posse tunc publicè & solenniter celebrari, sed quasuis alias, quia cap. Alma absolutè & indistinctè loquitur. Ita Calder. in Tractatu de interdicto par. 2. num. 13. Vers. Sed quæritur an in dictis, Glo. in dicto c. Alma, Ver. Sicut prius, Io. And. num. 2. Anchar. nu. 1. Vers. Sed quæritur, Franc. in §. Adijcimus num. 2. Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 185. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. nu. 15. Sylue. Interdictum 5. §. 2. dist. 1. B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap 4. circa med. & ego seq. Disp. clarius rem explicabo.

Tandem dubitatur, an licita sit talis benedictio nuptiarum, quando vterque Coniugum, vel alter saltem est interdictus, extra locum interdictum.

Respondeo ad hanc difficultatem dissoluendam opus esse distinguere de interdicto personali, an sit generale, vel speciale, seu particulare, quia scilicet ipse coniux sit nominatim interdictus, aut saltem causam culpabilem Interdicto ferendo præstiterit, in quo casu censetur specialiter interdictus c. Alma Vers. Illis de sent. excom. lib. 6. Qua distinctione præmissa dicendum est primò si interdictum sit generale, tunc si vterque coniux, vel solus vir tali interdicto est affectus, non licet benedictiones nuptiales etiam extra locum interdicto suppositum recipere, nisi vir domicilium mutet; tunc enim licebit in loco non interdicto. Ratio est, quia cum vir maneat pars illius Ciuitatis interdictæ, dum alio non migrat animo transferendi domicilium, eodem personali interdicto obstrictus remanet, sicut alij Ciues, cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6. cum ibi notatis & ideo vxor non potest vna cum viro sic interdicto benedici. Ita docet Calder. in Tract. de interdicto par. 2 num. 10. dicens, quòd ex consuetudine & ex dispositione Iuris Coniuges simul benedicantur cap. vlt. 33. dist. cap. Si vir de secund. nupt. Quare quamuis vxor non sit interdicta, sufficit, vt vir sit interdictus. Idem sentit Anchar. in dicto cap. Alma num. 11. Fran. nu. 3. B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. circa med. Tabie. Interdictum 5. q. 13. num. 14. Armill. Interdictum num. 53. Dico secundò, si sola vxor sit generali interdicto ligata, non vir, poterit tunc dari benedictio vtrique in loco non interdicto, nam cum vir interdicto minime sit affectus, & vxor sortiatur forum & honores sui viri l. fœmina. ff. de Senat. l. fin. C. de incolis, sequitur, vt ipsa mulier gaudeat immunitate viri non interdicti, & consequēter benedici possit. Dico tertio si quiuis ex Coniugibus siue vir, siue fœmina sit personali interdicto speciali nominatim obstrictus, nō possunt benedictiones nuptiales recipere, donec coniux, interdicto ligatus, fuerit absolutus, quoniam Interdictum speciale personæ, ipsum, quocunque se transferat, comitatur, sicut & aliæ censuræ, donec absolutio recipiatur. Ita Calderinus & alij citati.

DISPV:

DISPVTATIO QVINTA.

DE SECVNDO EFFECTV INTERDICTI, IDEST DE PROHIBITIONE DIVINORVM OFFICIORVM.



IC effectus est maximè proprius & A peculiaris interdicti, vt patet ex descriptione ipsius, est enim priuatio omnium diuinorum officiorum, vt colligitur ex diuersis iuribus ex c. Si sententia de sent. excom. lib. 6. vbi primò ponitur priuatio diuinorum officiorum, deinde Sacramentorum ex c. Alma eodem tit. & lib. *Nulla diuina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta.* cap. Episcoporum de priuileg. eod. lib. *Ne aliqui &c. causq. Ordinis, Religionis, status, vel conditionis existant, scienter celebrent, vel faciant celebrari diuina,* scilicet in Ciuitatibus & locis interdictis, cap. Non est vobis de sponsal. B *Nulla diuina officia celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.* Quamuis autem hæc priuatio diuinorum officiorum sit præcipuus & proprius effectus interdicti, prius tamen agere volui de priuatione Sacramentorum, quoniam in c. Alma antea pertractat Bonifacius Octauus de diuinis officijs, quā de Sacramentis, & hic effectus est communis omni interdicto iuxta rationem & conditionem ipsius interdicti, siue sit interdictum locale, siue personale, & vtrumque siue generale, seu particulare. Quare in interdicto locali generali non solum erit prohibita celebratio diuinorum officiorum in Ecclesijs, vel Oratorijs, sed in domibus, in vijs, in agris, & tandem in omni loco illius C Ciuitatis vel Terræ interdictæ, nullibi enim à quouis homine siue illius loci, siue extraneo ibi manente diuina officia celebrari poterunt, durante interdicto, vt constat ex cap. Licet, & cap. vlt. de priuileg. lib. 6. & ex alijs iuribus, quod si interdictum loci sit speciale, idem effectus coarctatur ad illum locum particularem, vt in eo suspendantur diuina officia. Si verò interdictum sit personale generale aut speciale, similiter secundum eandem proportionem ab illa persona vel personis interdictis vbique locorum diuina officia celebrari nequeunt. Sub genere autem diuinorum officiorum primò, & principaliter continetur Missæ sacrificium deinde alia officia Ecclesiastica, vt D sunt horæ Canonicæ, sed clarius & distinctius, quàm larè pateat hæc prohibitio, & quomodo sit intelligenda, & simul quæ dubitationes indigeant elucidatione, in hac Disputatione latiùs explicabitur.

CAPVT I.

Quomodo Missæ sacrificium per interdictum locale prohibeatur.

CVm præcipuum locum Missæ sacrificium inter omnia diuina officia, quæ in Ecclesia celebrantur, teneat meritò, censetur prohibitum tempore interdicti, vt patet ex cap. Permittimus de sent. excom. Vbi Gregorius Nonus non simpliciter, & absolutè prohibet Missarum celebrationem, sed ne fiat consueto more & solenniter, sed quibusdam conditionibus adhibitis, quas ibi præscribit, dicens: *Permittimus Ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis Missarum solennia celebrare causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.* De hac igitur prohibitione Missæ quomodo sit intelligenda, & qua ratione seruanda supposito interdicto locali generali, aut speciali, tractandum est in hoc capite.

Supposito igitur interdicto generali alicuius Prouinciæ, Diœcesis, Ciuitatis, Terræ, aut loci, vel etiam speciali alicuius Ecclesiæ, Iure antiquo ex dicta concessione Gregorij Noni permissum erat Ecclesiarum Ministris tēpore interdicti semel in hebdomada modo prædicto sacrificium Missæ peragere ad conficiendam Eucharistiam pro Morientibus, quia cum viaticum non debeat denegari morientibus in pœnitentia, semper oportet Sacramentum Eucharistiæ conficere, vt conseruetur in Ecclesia pro Infirmis. Et quia

tale

tale Sacramentum non potest diu decenter conseruari absque renouatione, quod spectat ad debitam sacramenti reuerentiam, igitur consequens est, vt semper possit congruenti tempore renouari, quod non nisi in sacrificio Missæ fieri potest. Sicut igitur non potuit prohiberi simpliciter tempore interdicti Eucharistiæ Sacramentum, quia hoc fuisset contra animarum salutem, ita quoque consequens, vt non absolutè Missæ sacrificium prohiberetur, sed permitteretur adhibitis illis moderationibus. Et quamuis tex. dicti cap. Permittimus, videatur hanc facultatem celebrandi concedere tantum Ecclesiarum Ministris, idest Parochis, Parochi tamen vices suas alijs committere poterunt, quia nomine Ministrorum Ecclesię intelliguntur omnes Sacerdotes habentes vicem Parochi, vt inquit Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 44. num. 3. Similiter facultas hæc erat, vt qualibet hebdomada saltem vnica Missa celebrari posset ad renouandam Eucharistiam, quæ asseruabatur pro infirmis. At verò, si numerus infirmorum augebatur, & formulæ & particulæ in illa Missa asseruatę non sufficerent, licitum erat alias Missas celebrare, vt necessitas exposcebat, ita tradit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 174. & Henriquez cap. 44. nu. 3. Et hoc intelligendum est etiam in Ecclesia specialiter interdicta: quia Textus in dicto cap. Permittimus absolutè loquitur: *Tempore interdicti*, & non restringit ad interdictum locale generale, & ratio etiam æqualiter militat ita in speciali interdicto locali, sicut in generali.

Postea verò, quoniam plurima ex carentia sacrificij Missæ sequebantur incommoda & damna, hæreses enim pullulabant, deuotio fidelium quotidie minuebatur, & alia animarum pericula oriebantur, pręsertim si diu interdictum durabat, vt experientia comprobatur, vnde refert Glos. & Io. Andr. in cap. Alma Ver. Insurgunt, audiuisse de quodam loco in Marchia, quòd tanto tempore perdurauerat sub interdicto, vt secuta relaxatione homines triginta, & quadraginta annorum, qui nunquam audierant Missam, deriderent Presbyteros celebrantes, quod Maiol. cõtigisse ait in Ciuitate Vrbini lib. 3. cap. 20. nu. 2. de irregul. & licèt Glo. non nominet locum, de illo tamen sentiebat, quia tale interdictum proximè ante Io. Andr. tempora acciderat ob eam causam, quòd Vrbinates Guidoni Montefeltrio fauebant, qui trigeties bellum, aduersus Sedem Apostolicam mouerat, vniuersamq; Flamminiam, idest Romandiolam ab Ecclesia seduxerat. Recenset etiam ibi Maiol. aliud interdictum seuerissimum, vt simile nusquam toto Terrarum Orbe extitisse legatur tempore Martini Quinti Pontificis, nam triginta continuis annis omnia Sacramenta etiam Baptismus sublata fuerunt, ita vt postea impetrata relaxatione multi viri adulti Baptismum susceperint. Quibus malis & periculis Iure nouo prouisum fuit à Bonifacio Octauo in cap. Alma Mater de sent. excom. lib. 6. Ecclesia enim plerumque nonnulla rationabiliter ordinat & statuit, quæ deinde ita suadente fidelium vtilitate reuocat, in meliusq; commutat. Sic igitur decernit in §. Adijcimus præterea: *Quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasterijs Missæ celebrẽtur, & alia dicantur diuina officia, sicut prius submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* Quare Ius nouum conuenit cum Iure antiquo quoad quatuor illas conditiones, quæ vtroque iure requiruntur in celebratione Missarum tempore interdicti absque vlla differentia. In alijs autem differt Ius nouum ab antiquo. Primò quoniam Iure antiquo semel tantum celebrare licebat, Iure nouo conceditur facultas quotidie celebrandi. Secundò Iure veteri talis celebratio erat permissa causa consecrandi Eucharistiam Infirmis, Iure nouo simpliciter licet Missam celebrare, etiam si non sit asseruanda Eucharistia pro infirmis, Tertiò Iure antiquo principaliter intenditur, vt semper in Ecclesia habeatur Eucharistia pro infirmis, & ad hunc finem secundario permittitur Missæ celebratio semel in hebdomada, & intelligitur de vnica Missa, nisi necessitas vrgeat sæpius celebrandi, vt dixi. Verum Iure nouo principaliter conceditur potestas celebrandi, quoties voluerint Sacerdotes cum illis conditionibus. Quartò virtute Iuris antiqui licita erat tantum Missa in Hebdomada in illis Ecclesijs, in quibus ratione curæ, vel ex consuetudine, aut alio priuilegio solet Eucharistia asseruari pro infirmis, idest in Ecclesiis Parochialibus, Monasterijs Monialium, & Religiosorum exemptorum, qui pro suis retinere solent Eucharistiam, non pro alijs Ecclesiis; at facultas cap. Alma est absoluta non coarctata ad huiusmodi Ecclesias.

Vt clarius autem explicentur quatuor illæ conditiones, & circumstantiæ seruandæ in celebratione Missæ, & concessio dicti cap. Alma Mater, præmittenda sunt aliqua.

Primò annotandum est concessionem dicti cap. Alma intelligenda esse de interdicto generali loci, non de speciali, vt notauit ibi Glo. Ver. Ecclesijs, dicens non esse intelligendum de Ecclesiis interdictis, quia in eis non licet celebrare, sed de alijs Ecclesiis sitis in loco interdicto, & probat ex principio dicti cap. ibi, Terris seu locis, ad idem facit cap. Cum in partibus de verb. signif. sic etiam habet cap. Quod in te de pœnit. & remiss. & cap. Quod nonnullis de priuileg. ibi, *Cum cõmune terræ fuerit Interdictũ*, sequitur ibi Franc. nu. 2. Anchar. in princ. dicti c. Io. Andr. Anton. Card. Abb. in c. Quæsiuit de his quæ fi. à maio. par. Capit. Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. nu. 3. Villa Diego in Tract. de Irregul. cap. De interdicto, B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. in princ. Vers. Item nota, Angel. Ver. Interdictum 6. nu. 1. Sylue. Interdictum 5. §. 1. Vers. Similiter secundum Glos. Tabic. Interdictum 5. n. 1. & 8. Nau. in Manu. cap. 27. nu. 175. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. n. 1. qui citat Felin. & alios in eandem sententiam, ergo tempore Interdicti non licebit celebrare Missas in Ecclesijs specialiter interdictis, sed in illis tantum, quæ continentur in loco generali interdicto vigore concessionis dicti capit. Alma Mater.

Hinc colligo non rectè sentire Glos. initio cap. Permittimus de sent. excom. cum ait dispositionem illius cap. hodie nihil valere, quoniam in cap. Alma concessum est Clericis quotidie Missam celebrare; quod non omnino verum est, nam virtute dicti c. Permittimus licet celebrare etiam in Ecclesiis specialiter interdictis semel in Hebdomada, quod ex priuilegio cap. Alma non est permissum, vt dixi. Quare in hac re locum habebit cap. Permittimus, nam in cap. Alma Mater dicitur, quòd in his, quæ in illo cap. non innouantur, seruetur Ius antiquum; & de hac re in fine huius Capitis tractabo.

Secundò notandum est per c. Alma fuisse reuocata à Bonifacio Octauo omnia priuilegia, quæ antea cõcessa erant, vnde Glo. fin. Ver. Concessis, in dicto cap. Alma notat Fratres Minores Prædicatores, & quosdam

dam fuisse priuilegiatos, vt certis quibusdam eorum festiuitatibus celebrare possent tempore interdicti etiam vsque ad octauam diem; hæc priuilegia inquit fuisse reuocata in cap. Alma. Similiter priuilegium Templariorum & Hospitaliorum, quo semel in anno aperiebatur vna Ecclesia tempore interdicti, & celebrabantur diuina c. Vt priuilegia de priuileg. Addit tamen Glo. fuisse reuocata à Bonifacio Octauo priuilegia, quæ antea erant concessa; non reuocat autem priuilegia, quę postea à Summis Pontificibus, qui successuri erant, concederentur, etiamsi aduersarentur cap. Alma Mater, cum Pontifex suis successoribus legem imponere nequeant; Quare talia priuilegia posteriora valida erant iuxta eorum tenorem, & ea vigore illorum licebant tempore interdicti, quæ expresè concessa erunt, vt tradit Tabie. Ver. Interdictum 3. Vers. Vndecimo, & Henriquez lib. 13. de exc. & interd. cap. 44. nu. 6. in fi.

His annotatis dubitari potest primò quæ loca significare voluerit Summus Pontifex in c. Alma illis duabus vocibus, *In Ecclesiis & Monasteriis*, an voluerit comprehendere omnia loca sacra, in quibus sacrificium Missæ peragi solet. Nam si hic est sensus illorũ verborum, satis erat apponere vocem illam, *In Ecclesiis*, neque opus erat addere, *Et Monasterijs*, nam nomine Ecclesiarum comprehenduntur omnia templa tam secularium Clericorum, quàm Religiosorum auctoritate Episcopi approbata, vt in eis licitè tam sacrificium Missæ, quàm alia diuina officia celebrari possint.

Respondeo ex communi sententia Doctorum primò his duabus vocibus significari omnes Ecclesias auctoritate Episcopi diuino cultui dicatas, & commoditati fidelium deputatas ad audiendum diuina officia. Deinde Monasteria Religiosorum & Monialium, vt tradit Syluc. Interdictum 5. §. 1. Similiter Hospitalia, dummodo auctoritate Episcopi erecta fuerint. Nomine enim Ecclesiarum infauorabilibus comprehenduntur etiam Hospitalia, præsertim vbi ex identitate rationis verba Constitutionis hanc interpretationem admittunt, vt expresè testatur Couar. in c. Alma par. 2 § 4. nu. 2. Vers. Quinto. Ad idem faciunt quæ docet Felin. in cap. De Quarta de præscript. Cur. Iunior Cons. 20. Rebeff. in Tractatu Nominationum. quæst. 15. nu. 12. & colligitur ex Clem. Per literas de præben. vbi Glo. putat nomine beneficij Ecclesiastici non intelligi Hospitalia & Xenodochia in odiosis, ergo secus est in fauorabilibus, vt in casu nostro. hæc videntur admitti ab omnibus.

Dubitatur tamẽ primò de Oratorijs priuatis, quæ constituuntur in domibus insignium virorum, an in illis celebrari possint Missæ tempore interdicti cum illis quatuor conditionibus c. Alma, præsertim quando talia Oratoria sunt ab Ordinarijs approbata iuxta dispositionem Concilij Trident. sess. 22. in decreto de obseruandis in Missæ celebratione, cum enim materia sit fauorabilis, videntur hæc Oratoria nomine Ecclesiarum posse comprehendi, quia fauores sunt extendendi.

Secundò dubitatur de alijs locis approbatis ad Missæ sacrificium perficiendum, an contineantur sub nomine Ecclesiarum, vel potius sint exclusa vt in illis minimè Missæ celebrari possint cum illis quatuor conditionibus cap. Alma.

Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. nu. 1. Vers. Secundò tempore interdicti asserit Missæ sacrificium, & alia diuina officia permissa tempore interdicti celebrari A tantum posse in Ecclesiis & Monasterijs. Quare extra Ecclesias & Monasteria minimè celebrari posse etiam submissa voce, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & nõ pulsatis campanis. Rationem affert, quia hæc permissio est ita concessa cum hac limitatione intra Ecclesias & Monasteria, igitur non est extendenda ad alia loca. Eiusdem sententiæ videtur Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 2. Ad idem Couar. citat Anchar. & Franc. in dicto c. Alma. Hæc sententia confirmari potest ex eo, quia Oratoria priuata & alia similia loca non solent communiter nomine Ecclesiarum significari, & Concilium Trident. loco citato hæc Oratoria ad diuinum tantum cultum destinata, & ab Episcopo deputata distinguit ab Ecclesijs. Accedat etiam ad eandem confirmationem dictum cap. Alma, quod cum addi- B derit Monasteria ad Ecclesias apertè videtur noluisse hanc permissionem ad omnia loca extendere, sed tantummodo ad Ecclesias & Monasteria.

Oppositum tamen videtur probabilius, nimirum non solum in Hospitalibus erectis auctoritate Episcopi, vt sentit Couar. præter Ecclesias & Monasteria, sed etiam in illis Hospitalibus, quæ non sunt instituta auctoritate Episcopi, & in omnibus aliis locis priuilegiatis, in quibus extra tempus interdicti Missæ celebrari poterant, licitum esse ex dicta concessione c. Alma cum moderatione ibi præscripta tempore interdicti Missas & alia diuina officia celebrare. Vnde qui extra tempus interdicti licentiam obtinuerat celebrandi Missam in Oratoriu priuato approbato per C Ordinarium, vel de eius licentia, poterit in eodem tempore interdicti Missam celebrare. Et similiter poterunt duo aut tres Clerici vel plures iuxta dispositionem cap. Alma recitare horas Canonicas in domo aut in agro, ob eandem rationem, dummodo tamen non audiantur à secularibus non priuilegiatis.

Huius sententiæ videtur Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 175. inquit enim, quando iura permittunt diuina officia cum hac additione, *in Ecclesiis & Monasteriis*, non addere hæc verba ad limitanda loca specialia, in quibus velit tantum posse licitè celebrari diuina officia, excludendo alia loca, sed potius amplificatiue; nam Summus Põtifex exprimere voluit Ecclesias D & Monasteria, in quibus fideles solent Missas audire, vt significaret hanc permissionem esse extentendam ad alia loca, quæ à Laicis non frequentantur, nam principalis finis prohibitionis diuinorum officiorum tempore interdicti fuit, ne audirentur à Laicis. Quare permittendo celebrationem in Ecclesiis & Monasteriis cum illa moderatione, in quibus fideles solent interesse, multò magis videtur permissa in aliis locis. Sed hæc ratio Nauarri, licèt sit probabilis, si loquamur de aliis diuinis officiis, præter sacrificium Missæ, tamen in ordine ad sacrificium Missæ nõ videtur efficax ad concludendum. Primò quoniam non est E verum sacrificium Missæ prohiberi tempore interdicti principaliter propter Laicos, ne ab eius audiatur. Iure enim antiquo ita erat prohibitum pro Clericis, sicut pro Laicis; neque solum vetitum erat audire, sed etiam peragere hoc sacrificium extra casum necessitatis. Secundò quia regulariter nullus alius videtur locus aptus & decens huic sacrificio præter Ecclesias & Monasteria, in quibus assistunt communiter Laici. Quare sententia hæc aliis modis comprobari potest, nempe vt dicamus Summum Pontificem nomen Ecclesiæ accepisse amplissimè, cum ageretur de re fauorabili, comprehendendo omnia loca appro-

bata

bata ad Missæ sacrificium peragendum. Vel etiam peculiariter in c. Alma nominantur Ecclesiæ & Monasteria, quia sunt loca, in quibus communiter Missæ celebrari consueuerunt, non tamen fuit mens Summi Pontificis excludere alia loca, in quibus ex licentia & auctoritate Ordinarij permissa esset Missarum celebratio arg. l. 1. cum ibi notat. C. de Rapt. Virg. Idq; confirmatur ex illa dictione text. *sicut prius*, si conceditur, vt Missæ celebrentur sicut prius cũ illis cõditionibus, ergo vbicũq; ante interdictũ licebat celebrare, licitũ erit tẽpore interdicti adhibitis illis cõditionibus.

Secunda dubitatio principalis est, vtrum omnes Sacerdotes tẽpore interdicti possint celebrare Missas cum illis quatuor conditionibus d. c. Alma, idest non tãtum Sacerdotes loci interdicti, sed etiam extranei.

Archid tenet non esse admittendos Clericos extraneos venientes ad loca generaliter interdicta, sed tãtum Clericos deputatos in illa Ecclesia, vel Religiosos, illius Monasterij, vbi Missæ sunt celebrandæ; idq; confirmat ex cap. Alma, ibi, *Et tam Canonici, quàm Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui horis intersunt Canonicis tribuuntur, si ad officia non venerint supradicta, distributiones easdem amittant.* Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 64. Vers. Sed in dubium reuocatur, fusè prosequitur hanc difficultatem, in qua primò ipse putat interdictum non amplecti hunc effectum, idest vt Clerici extranei habentes alibi beneficium non valeant licitè celebrare, vel concelebrare in Ecclesiis positis in loco generaliter interdicto seruata forma, cap. Alma in §. Adijcimus, sine violatione interdicti quod maximè indubitatum esse credit in quatuor illis festiuitatibus expressis in dicto cap. ob eam rationem quoniam in illis festiuitatibus Clerici quantum ad celebrationem diuinorum, & Laici quantum ad auditionem reducantur ad pristinum statum, excepto vno casu, scilicet quod hi, propter quorum culpam latum est interdictum, altari appropinquare nequeunt, vt dicitur in §. In festiuitatibus, vnde seclaso hoc casu in omnibus aliis censentur Iure primeuo. Secundo Calder. num. 70. inquit, quidquid sit de opinione, quę distingnit inter Clericos extraneos alibi habentes beneficia, & alios non habentes beneficia ante factum nunquam ipsum audere consulere, quòd tales extranei Clerici admitterentur extra quatuor festiuitates prædictas, nisi aliud à Romano Pontifice decernatur. Sed post factum si celebrassent, non contraxissent Irregularitatem. Idem videtur sentire in dicto capitulo Alma, §. Adijcimus, numero 5. Franc. Gemin. numero 3. Eandem Archid. opinionem videtur sequi, Anchar. num. 1. in fin. Nauar. in Manua. c. 27 num. 174. fatetur suo tempore vsu fuisse receptam in Gallia, vbi pauca ponuntur interdicta.

Respondendum est nihilominus ad propositam difficultatem iuxta oppositam sententiam, quæ communior & probabilior videtur, nimirum omnes, & quoscunque Sacerdotes, siue ex loco interdicto, seu ex quocunque alio, si ob aliam causam non prohibeantur, neque fuerint causa interdicti, posse cum dictis conditionibus cap Alma admitti ad sacrificandum. ita tenet Nauar. in Manual. cap. 27. num. 174. qui citat Io. Andr. Domin. & Franc. in dicto cap. Alma, vbi etiam Gemin. Feder. consl. 20. Angel. Interdictum 6. no. 3. Sylue. Interdictum §. 1. in fi. Vers. Tertium ad ista, dicens ad diuina officia non esse admittendos Laicos non interdictos de terris non interdictis. De Clericis autem vel Monachis aliarum Ec-

A clesiarum vel Monasteriorum putat verius esse affirmare tales esse admittendos, Tabie. Interdictum 6. n. 8. B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. post princ. Vers. De Clericis verò extraneis, Felicianus Episcopus Scalensis in Enchiridio de Censuris c. 7. Couar. in c. Alma par. 2. § 4. n. 4. Vers. Nonò ad huius decisionis, & Nauar. tradit ita obseruari in toto Regno Castellę, vbi feruntur infinita interdicta, & in Lusitania.

Probatur hæc opinio primo tempore interdicti nõ solum vetita intelliguntur diuina officia Clericis ipsarum Ecclesiarũ, quæ sunt in loco interdicto, sed etiã extraneis, ergo & priuilegium concessum in cap. Alma celebrandi in Ecclesiis eodem tempore cum illis conditionibus conuenit non solum Clericis ipsarum Ecclesiarum sed extraneis, eo magis quia prohibitio est odiosa, concessio fauorabilis, vt si illa extendatur B ad Clericos extraneos, multò magis hæc ad eosdem sit extendenda.

Secundo si Clerici extranei non admitterentur, sequeretur Moniales nõ habentes Cappellanũ propriũ in sua Ecclesia, & Religiosos carẽtes similiter proprio Cappellano remanere priuatos sacrificio Missæ tẽpore generalis interdicti loci, quod videtur absurdum.

Tertio, quãuis in Tex. c. Alma non expressè declaretur à quibus Clericis Missæ, & alia diuina officia sint celebranda, sed absolutè dicatur, licere in Ecclesiis singulis diebus Missarum solennia & alia officia celebrare, tamẽ eo ipso quòd hæc concessio non limitatur, censetur omnibus absolutè tradita, quod euidẽter constat, cum addatur illa dictio, *Sicut prius*, vnde C sicut ante interdictum licebat cuilibet Sacerdoti etiã extraneo alias non prohibito celebrare, ita hoc idem erit permissum tempore interdicti cum illis quatuor conditionibus.

Quartò Sũmus Pontifex ducitur in c. Alma ad permittendum celebrationem diuinorum officiorum, & Missarum tempore interdicti non gratia Clericorũ, vt ipsis satisfaceret, sed præcipuus finis fuit decentia cultus diuini, ne diminueretur ob intermissionem diuturnam huius sacrificij & aliorum officiorum, & ne Ecclesiæ suis debitis obsequijs priuarentur, vt habetur in c. Alma. Sed non est dubium cultũ diuinum magis augeri, si non tantũ proprij Clerici Ecclesiarũ, sed D extranei quoq; ad celebrationẽ diuinorũ admittãtur.

Ratio verò, qua vtitur Archid. ad oppositum probandũ ex verbis c. Alma supra citati, vbi loquitur de Clericis seu Canonicis deputatis ad celebrandũ diuina officia in Ecclesiis, propter quam celebrationẽ lucrantur distributiones quotidianas, non est efficax, neque aliud concludit. Nam vt rectè animaduertit Couar. vbi supra, & alii, quoniam illa Constitutio ibi, dum mentionem facit Canonicorum & Clericorum, peculiariter loquitur de distributionibus quotidianis quæ non debentur Clericis extraneis, sed propriis Ecclesiarum. Hinc tamen inferri nequit dictos Clericos E extraneos prohibitos esse in illis Ecclesiis celebrare. Quare hæc opinio est magis iuri consentanea & cõmunis, vt testatur Couar. opposita verò Archid. fortasse potest admitti in illis locis, in quibus viget talis consuetudo, vt non admittantur Clerici extranei, sicut tradit Nauar. seruari in Gallia. Consuetudo enim legitimè præscripta vim habet inducendi obligationem ex c. fi. de consuet.

Ab hac autem conclusione generali excluduntur Clerici coniugati, qui quoad hoc tanquã Laici reputantur, quod est intelligendum in Ecclesia Latina, in qua vetitũ est Clericis coniugũ post ordines sacros.

Immo & Clerici habentes primam Tonsuram aut ordines minores coniugati cum vnica, eaq; virgine, quamuis incedant in habitu & Tonsura, non sunt admittendi ad diuina officia tempore interdicti, nisi gaudeant speciali priuilegio, Ratio est, quoniam tales Clerici duplici tantum priuilegio fruuntur, nempe Canonis. Si quis suadente 17. quæst. 4. & fori ex communi sententia Doctorum ex c. vni. de Cleri. coniugat. lib. 6. immo post Concil. Trident. sess. 23. de refor. cap. 6. neque hoc duplici priuilegio gaudent, quamuis habitum & Tonsuram gestent, nisi de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ sint ascripti, Quantum verò ad alia censentur merè Laici, vt Doctores communiter asserunt; quare carent facultate assistendi diuinis tempore interdicti, sicut ipsi Laici excluduntur ex Couar. in cap. Alma part. 2. §. 4. num. 4. Vers. Decimò, Nauar. in Manual. capit. 27. numero 174. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. capitulo 53. Vers. Tamen nota primo, Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. artic. 1. post 4. conclus. Vers. Igitur extra. Addit Nauar. quòd vbi esset consuetudo præscripta, qualis fertur in Aragonia, vt Clerici coniugati admittantur ad diuina, ibi non essent excludendi tempore interdicti, argum. cap. fin. de consuet. etiamsi per errorem Iuris esset inducta, immo dicerem ego etiam non supposita consuetudine præscripta si tales Clerici coniugati deputati essent ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis, tunc tempore interdicti essent admittendi ad diuina, & facit Conc. Trident. sess. 23. capitulo septimo, de reform. dicens quòd si ministerijs quatuor Minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt, suffici possint coniugati, dummodo non bigami, & iuxta hoc satelligendum est, cap. vnic. de Cleri. coniug. lib. 6. quod confirmari potest ratione, qua vtitur Sotus vbi supra, inquit enim rationem, propter quam Clerici coniugati perdunt priuilegium assistendi diuinis officijs, illam esse quoniam non sunt ministri Altaris, nec Ecclesiæ, ergo quando sunt deputati Ministri Ecclesiæ, gaudeot hoc priuilegio.

Tertiò dubitatur, vtrùm concessio cap. Alma Mater, quòd tempore interdicti possit quotidie celebrari Missa, sit intelligenda, vt celebretur Missa iuxta officium institutum pro tali die, quæ vocari solet Missa conuentualis, vel permittatur qualibet alia Missa peculiaris & priuata de alio sancto, quæ celebretur ex voto aut deuotione.

Couar. in cap. Alma, par. 2. §. 4. numero tertio, Vers. Statò per hanc Constitutionem, refert opinionem Io. Mona. qui opinatur per cap. Alma, Missarum solennia permitti tantum propria eius diei, non autem alterius. Reprobat tamen hanc sententiam, & oppositam dicit esse communem, nimirum celebrari posse non solum Missas, quæ propriæ sunt illius diei, quæ celebrantur iuxta institutionem Ecclesiæ, sed quascunque alias Missas B. Virginis, de Angelis, de Cruce, pro defunctis, vel quascunque alias votiuas; & hæc opinio est sequenda, quam tenent præter Couar. Io. And. in dicto cap. Alma, Franc. ibi, §. Adijcimus nu. 2. Gemin. num. 3. in fin. Vers. Quæro, an sic permissum, Calder. in Tract. de interdict. par. 1. ou. 74. Vers. Dubitant quidam, B. Antonin. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. non longe à principio, Vers. Item Missæ non Conuentuales, Ang. Interdictum 6. numero 9. Tabie. Interdictum 5. nu. 8. Syluc. Interdictum 5. §. 2. Vers. Poterit autem celebrari. Ratio est, quia in c. Alma permittuntur Missæ & alia diuina officia ser-

A uatis quatuor conditionibus sicut prius, neq; restringit ad Missam Conuentualem, sed absolutè Summus Pontifex concedit, vt diuina celebrari possint sicut priùs, ergo concessio vniuersaliter intelligenda est de quacunque Missa; immo ex eadem particula, *sicut priùs*, colligi potest Summum Pontificem permittere voluisse, vt tempore Interdicti in celebrandis Missarum solennijs & alijs diuinis officijs omnis solennitas licitè adhiberi posset, quæ in Ecclesia solita est seruari, exceptis illis quatuor conditionibus, quę ibi adijciuntur.

Quartò dubitatur, vtrùm hæc concessio celebrandi Missam, & alia diuina officia possit aliquo modo locum habere in interdicto speciali locali.

B Respondeo, sicut monui superius in primo notando cap. Alma loqui solum de interdicto locali generali, & idcirco non posse extendi ad speciale interdictum loci. Vnde in Ecclesia specialiter interdicta vigore priuilegii dicti cap. Alma non erit licitum Missas celebrare. Verùm quia in eod. cap. decernitur, vt quoad ea, quæ ibi non innouantur, sua antiquum seruetur, & in cap. Permittimus, de sent. excom. eadem conceditur facultas celebrandi cum illis quatuor conditionibus semel in hebdomada simpliciter & absolutè; ideo virtute dictæ concessionis licitum erit etiam in Ecclesia specialiter interdicta, si in ea Eucharistia asseruetur, Missas celebrare cum illis cir-

C cumstantiis semel in hebdomada ad ipsam Eucharistiam renouandam, vt cum Host. notat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 173. quia textus absolutè loquitur tempore interdicti, & ratio concessionis id postulat. Reliqua verò omnia, quæ in dicto c. Alma permittuntur, non habent locum in interdicto speciali loci, vt notauit Glo. Ver. Ecclesiis, communiter recepta, vt notauit Nauar. dicto num. 173. & Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. nu. 1. Facit etiam ad id, quoniam ratio, quæ potuit mouere Summum Pont. ad illud concedendum pro interdicto generali loci, non habet locum in speciali interdicto, quia non est eadem necessitas, atque ob eandem causam priuilegium, quod conceditur Episcopis in cap. Quod nonnullis

D de priuileg. vt possint tempore interdicti celebrare, seruata ferè forma dicti cap. Alma, non extenditur ad locum specialiter interdictum, cum textus ille expressè dicat, *Cum commune Terræ interdictum fuerit*, ergo loquitur de interdicto generali, ideo non est extendendum priuilegium ad interdictum speciale. Quare modò dictum priuilegium nihil prodest, nam idem concessum est in capit. Alma omnibus sacerdotibus, sed hoc speciale est in Episcopis, quòd possunt in Altari portatili celebrare vel facere, vt ab alijs coram ipsis celebretur in quolibet loco generaliter interdicto, seruatis dictis circũstantijs, coniungẽdu dictum c. Quod nonnullis de priuil. cum c. vlt. eod. tit. lib. 6. & ita tenet Syluc. Interdictum 5. §. 7. Vers.

E Quintum Episcopis conceditur, vbi ait idem priuilegium habere Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minores capit. In his de priuileg. & notat Glos. in dicto cap. fin. eod. tit. lib. 6. Verum si interdicta esset Ecclesia, vel alius locus singularis, neque Episcopus, neque prædicti Religiosi possent ibi celebrare, vt notauit Io. And. in cap. Quæsiuit, de his quæ fi. à maio. par. cap. & sequitur ibi Abb. numero 10. quamuis dictum cap. In his de priuileg. quod citat, solùm videatur concedere, vt possint cum altari portatili, vbicunque fuerint, celebrare sine præiudicio iuris Parochialis, sed de loco interdicto, ne verbum quidem facit.

Vn-

Vnde ex vi illius cap neque possent celebrare in loco generaliter interdicto super altari portatili. Priuilegium enim generaliter prolatum intelligendum est de loco habili. Verùm si copulantur cum illo priuilegio, alia quæ disposita sunt iure antiquo circa locum generaliter interdictum, de quibus dictum est superius, vel saltem concessio facta in cap. Alma, poterunt dicti Religiosi vti illo priuilegio in loco generaliter interdicto, non verò in loco specialiter interdicto, iuxta sententiam Abb. Io Andr, & communem.

CAPVT II.

De quatuor illis conditionibus cap. Alma Mater seruandis in celebranda Missa tempore Interdicti in loco generaliter interdicto.

CONstitutio cap. Alma Mater permittit, vt tempore interdicti in loco generaliter interdicto celebrari possint Missæ, & alia diuina officia sicut prius consuetum erat quotidie, submissa tamen voce, ianuis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis absq; Campanarum pulsatione. Quæ conditiones etiam iure antiquo requirebantur, quoties priuilegium cõcedebatur celebrandi diuina tempore interdicti, vt patet ex c. Quod in te de pœnit. & remiss. c. Quod nonnullis de priuileg. c. Licet eod. tit. lib. 6. c. Permittimus de sent. excom. & alibi. Singulę hæ conditiones sunt explicandæ, vt decretum dicti c. Alma clarius intelligatur, & maiori vtilitate ad praxim aptari possit.

In primis quod dicitur de voce submissa ita interpretandum est, vt Summus Pontifex prohibere velit, ne Missa solenni cantu dicatur, & eadem ratio est de alijs officijs diuinis. Finis autem præcipiendi, vt diuina officia submissa voce celebrentur, fuit, ne extra Ecclesiam audirentur à personis prohibitis, quod desumitur ex cap. Quod in te de pœnit. & remiss. ibi, *Et voce ita submissa, quòd exterius audiri non possit.* Similiter ex alijs verbis præcedentibus. *Et in Conuentualibus Ecclesiis bini & bini, vel simul tres horas canonicas valeant legere, non cantare.* Non prohibetur igitur, vt Missæ officium non pronuncietur ea voce, vt à Ministris, & ab alijs, qui intra Ecclesiam legitimè ex priuilegio assistunt, audiri possit, & in hoc omnes conueniunt, sed vox debet esse ita submissa, vt ab alijs, qui extra Ecclesiam sunt, communiter audiri nequeat, & ita tenet Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 175. dicens, quòd licèt aliqui curiosius auscultantes auribus erectis ad fores Ecclesiæ audiant celebrationem, tamen excusantur, & non dicuntur violare interdictum, cum id fiat præter ipsorum intentionem, & sufficienter adhibuerint cautionem, ne moraliter loquendo audirentur à Laicis existentibus extra Ecclesiam, neque de hac conditione occurrit alia difficultas, cum conditio sit clara, & hoc modo omnes illam interpretãtur, Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Quintò quæritur, Tabie. Interdictum 5. num. 1. Couar. in cap. Alma par. 3. §. 2. n. 7. Vers. Sed & olim, Henriq. lib. 13. de excom. & interdic. cap. 44. n 3. Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 75.

Secunda conditio est, vt celebratio fiat ianuis clausis, cuius conditionis primo idem finis assignari potest, sicut superioris, scilicet ne Missæ & alia diuina officia exterius audiantur à Laicis, quod occurreret facillimè, si celebrarentur ianuis patefactis, quamuis etiam submissa voce dicerentur. Si enim permitteretur Laicis, vt possent ingredi Ecclesiam, commodè audire possent Sacerdotes, licet occulta voce pronunciarent. Sicut enim perueniret ad aures Ministrorum, ita attingere posset aliorum adstantium auditum. Secundus finis huius conditionis fuit, ne Missæ sacrificium, & aliæ Ecclesiasticæ ceremoniæ videri possent à Laicis existentibus extra Ecclesiam. Quare necesse est, vt portæ & ianuæ non sint perforatæ, sed integrè, vt & auditum & visum impedire commodè possent. Vnde in Clem. 1. de sent. excom. Religiosi dicuntur violare interdictum, qui Ecclesiæ ianuis latenter perforatis, aut in eis factis fenestris celebrant; & ita sentit Calder. in Tractatu de interdicto parte 1. numero 77. Vers. Potest etiam adduci, qui asserit violari interdictum ab eis, qui ita celebrant in Ecclesia, quòd existentes extra possunt illos audire & Corpus Christi conspicere. Tertius finis eiusdem conditionis afferri potest ad impediendum ingressum in Ecclesiam personis prohibitis.

Sed hic quæri potest, an ianuæ debeant esse ita interius clausæ, vt exterius ab eis, qui ingredi vellent, minimè aperiri possent. Dici potest hoc non fuisse ita expressum in capit. Alma, neque vsu receptum esse, sed Doctores putant sufficere, quod portæ sint clausæ, itaut auditum, visum, ac transitum impedire valeant, licèt non sint obseratæ, vt volentes ingredi nequeant, nisi aperiantur ab ijs, qui intus manent. Neque necesse est ponere Ostiarium ad ianuam sicut solet fieri in aliquibus locis, qui possit priuilegiatos admittere, & prohibitos repellere ab ingressu, licèt hæc consuetudo videatur laude digna. Verum si non seruetur, hæc non est culpa, quia non inuenitur iure præceptum. Nam satis est, vt publicè promulgatum sit interdictum loci. Vnde omnibus denunciatur prohibitio Iuris, ne audeant ingredi Ecclesiam, dum Missæ, & diuina officia celebrantur. Cuius prohibitionis signum manifestum præbent ianuæ ipsæ clausæ; quòd si quis prohibitus ingressus fuerit, statim à Ministris Ecclesiæ erit expellendus.

Ex his infertur, si Ecclesia plures habeat portas, non satis esse principalem claudere, sed omnes sunt claudendæ, alias finis intentus ab Ecclesia cessaret, nam ex ianua aperta possent commodè Laici prohibiti, & audire, & conspicere diuina, quæ in Ecclesia agerentur, & ipsam etiam Ecclesiam ingredi contra prohibitionem iuris, & ideo in tex. dicitur ianuis clausis, vt significetur nullam relinquendam esse portam apertam, per quam patere posset ingressus.

Sed postularet posset quis, an hoc intelligendum etiã sit de illa porta, quæ non habet exitũ in via, aut in platea, vel etiam de illa versus claustrum, aut Curiam ex parte interiori, vbi sunt mansiones & domus Ministrorum Ecclesiæ, ita vt illa quoque claudi debeat. Et ratio dubitandi illa est, quoniam cessant rationes quoad hanc portam, quæ militant in alijs, nam illa quamuis maneat aperta, satis videtur clausa muris & portis ipsius Claustri, vt inde non possit aditus patere in Ecclesiam. E contra obstant verba generalia dicti cap. Alma Mater *ianuis clausis*, præsertim quoniam sæpe intra Claustrum ingredi possunt Laici, quibus non licet interesse diuinis; quare tutius est, vt cesset omne periculum violandi interdictum, vt hæc porta Ecclesiæ, quæ respicit Claustrum claudatur, si ex claustro adest transitus ad Ecclesiam.

Et ex his responderi potest ad similem difficultatem, vtrùm liceat tempore interdicti Missam celebrare in Cappella ipsius Ecclesiæ ianuis apertis Ecclesiæ, si maneat clausa porta Cappellæ, nam si Cappella taliter occludi potest, vt neque videri, neque moraliter loquendo audiri possit celebratio, tunc non dicitur violari interdictum, quia seruatur finis principalis huius cōditionis, & verba illa *ianuis clausis*, optimè interpretari possunt de portis illius loci, vbi sacrificium peragitur, neque necessario intelligi debent de ianuis Ecclesiæ.

Tertia cōditio est, vt quando debet Missa celebrari, non pulsetur Campana ad cōuocandum populum, & ratio illius est, quia cum populus communiter tempore interdicti ad sacrificia Missarum, & alia diuina officia non sit admittendus, neque etiam vocari debet illo publico signo campanæ, sicut alijs temporibus vocari solet. Neque ex hac ratione probari potest, non licere communiter omnibus tempore interdicti interesse Missis & alijs diuinis officijs, nam alias non prohiberet Summus Pontifex posse signo illo publico campanæ conuocari, si enim soli excommunicati & interdicti essent excludendi, cum illi in ordine ad reliquum populum paucissimi sint, nihil obstaret, quominus campanæ pulsari possent, sicut cessante interdicto loci non est vetitus sonus publicus campanæ, quamuis excommunicati, & interdicti personaliter non admittantur, quia manifestum est omnibus non dari tale signum, vt vocentur excommunicati & interdicti.

Quæret quis, an nomine Campanarum intelligi debeat quodlibet signum publicum, quo populus consueuit vocari ad diuina officia.

Respondeo appellatione Campanarum comprehēdi quodlibet signum publicum institutum ad conuocandos fideles ad Missam & alia diuina officia. Vbi enim militat eadem ratio, ibi eadem dispositio locum habere debet. Ex accidenti enim prouenit, vt conuocetur sonu campanæ, vel Tubæ, aut voce Præconis, sed formaliter quodcunque tale signum eundem effectum operatur. Vnde in Clem. 2. de sent. excom. hæc signa æquiparantur sono campanarum, & ita dicunt in c. Alma, Anchar. nu. 6. Gemin. in §. Adijcimus n. 3. Franc. n. 5. Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. nu. 95. & par. 2. nu. 4. Card. in dicta Clem. 2. num. 3. de sent. excom. Couar. in c. Alma par. 2. §. 5. Vers. Decimo tertiò intelligenda est, Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Sextum pro dicendis horis, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 177.

Multo magis hac voce vniuersali Campanarum sunt intelligendæ tam magnæ, quàm paruæ campanæ, vt dicit Sylue. loco citato, & Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. n. 96. Vers. Sed an licet, qui ait tēpore interdicti non licere pulsare paruam campanellam pro diuinis officijs celebrandis, vt faciunt sæpe Religiosi Mendicantes, quando eius sonus auditur exterius, & sub voce campanarum includuntur quoque minores campanellæ cap. De appellationibus de Appell. c. Maioribus de præben. quoniam ad finem huius prohibitionis consideratur sonus campanæ, nō quantitas campanæ. Vnde in cap. Quod in te de pœnit. & remiss. absolutè dicitur, sine campanarum pulsatione, ergo c. Alma, voluit permittere celebrationē diuinorū cum hac tamen conditione, vt fieret sine signo alio tempore consueto. Idem ait Anchar. in c. Alma nu. 6. Vers. Sed vtrum tempore. Neque solum prohibetur sonus campanarum ipsius Ecclesiæ, sed

A etiam, si procul sint, & distēt ab ipsa Ecclesia, vt notat Sylue. citans Archid. & idem tradit Anchar. in c. Alma n. 6. Vers. Sed nunquid pro Missa, & reddit rationem, nam aliàs fieret contra legem iuxta notata in c. Plerique 23. q. 4. & c. Quanto de priuil. Debet enim attendi principaliter id, propter quod aliquid fit cap. Cum benedictio, & c. Cum liqueat 1. q. 1. Idem sentit Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 94. B. Anton. 3. par. tit. 26. cap. 4. non longe à fine.

Quærunt Doctores, an tempore interdicti ibi possint campanæ pulsari ad dandum publicum signum, quo populo constet tunc temporis diuina esse facienda, Anch. in d. c. Alma n. 6. Vers. Sed an poterunt, Innoc. in §. Adijcimus n. 4. & ante ipsos Calder. in Tra- B ctatu de interdicto par. 1. nu. 95. à quo alij desumpserunt, tenent Laicis non esse prohibitum pro horis notificandis, puta Tertia, Nona, & alijs, sed Clericis inquit non licere, quoniam licèt tunc re vera non celebrent diuina, tamen præsumptio verisimiliter erit, quod tale signum detur pro celebratione diuinorum; id enim præsumitur, quod fieri solet c. De Siracusanæ 27. dist. c. Diuersis fallacijs de Cleri. coniug. Vnde induceretur scandalum, quod est vitandum c. Et si illa 1. q. 7. Addunt tamen Clericos ob hanc causam solā non incurrere Irregularitatem, quod limitat Frācus, quādo tantum pulsarent campanas absq; celebratione diuinorum, secus tamen est si cum pulsatione campanarum reuera diuina celebrant, tunc enim contra- C hunt irregularitatem, & ad hoc citant Io. Andr.

Ab hac opinione videtur recedere Sylu. Interdictū 5. §. 7. Vers. Sextum, qui putat non esse prohibitum Clericis pulsare campanas pro horis diei notificandis, si non pulsarent ad hunc finem, vt Laicis innotesceret, quòd tunc recitandæ sunt horæ, neq; ipsi Laici crederent sonum campanarum ad illum finem fieri, quòd contingere posset, si in dicto loco non fuisset antea consuetudo, vt præmitteretur tale signum ante recitationem horarum.

Ego tamen censerem cum communi sententia Clericis non licere ad hunc finem notificandi horas præmittere signum campanarum; nam textus expressè D prohibet sonum campanarum in specie, quando diuina peraguntur, & finis fuit, vt dixi, quoniam talis sonus est signum publicum institutum ad conuocandū populum, ideo cum populus nō sit conuocandus cessare debet huiusmodi signum, ne eo dato præsumeretur oppositum. Verùm nō assererem esse prohibitum tanquam illicitum posse alio signo, quàm per sonum campanæ tempore interdicti vocari Clerum adueniētem hora pro celebrandis diuinis. Nam cum Canonici, & Beneficiati ex decreto c. Alma debeant diuinis officiis interesse, si distributiones lucrari velint, sicut tenebantur ante interdictum, debent aliquo signo publico admoneri, quando hora sit inchoandi officium, vt possint se ad Ecclesiam suo tempore conferre. Vnde Calder. in Tractat. de interdicto part. 1. numero E 96. censet debere admoneri Clericos, vel Religiosos ad conueniendum pro dicendis officijs signo baculi, vel Tubæ, aut alio simili, non autem per sonum campanæ, ne videantur Clerici vel Religiosi sententiæ interdicti contemptores. Neque refert, quòd tunc populus ratione signi dati sciat diuina iam esse celebranda, nam hoc nullibi prohibetur. Accedit, quòd cum audiat signum diuersum ab eo, quod consuetum erat ante interdictum simul cognoscit non conuocari iuxta solitum proprium ad diuina, sed potius excludi, nisi quis gaudeat priuilegio speciali, &

esse

esse signum peculiare Clericorum, vt ad officium accedant. Immo addo etiam, quòd si quis tempore interdicti pulsaret campanam ad Missam publicè peragendam animo illam celebrandi, & postea animum mutaret, neque illam diceret, tunc quamuis grauiter peccasset ratione illius deprauatæ voluntatis præcedentis, non tamen violasset interdictum exterius, neq; incurreret censuras latas contra violantes interdictum, vt diximus paulò ante de Irregularitate ex sententia Calder. & aliorum.

Ex his colligi potest sonum Campanæ tempore interdicti non prohiberi simpliciter & absolutè, sed solummodo quatenus est signum publicum institutum ad vocandum populum ad diuina officia. Hinc tractant Doctores de quibusdam casibus in specie, quærentes, vtrùm in illis permittatur sonus campanarũ.

Primò quæritur, an violetur interdictum, si tempore interdicti pulsetur campana hora vespertina & meridiana ad inuitandum populum ad salutandam B. Virginem iuxta ritum & laudabilem consuetudinem communem. Respondet Calder. in Tract. de interdicto par. 1, num. 97. affirmatiuè licitum esse ad illum effectum campanam pulsare, quia illa salutatio B. Virginis cum recitatione Orationis Angelicæ non est officium Ecclesiasticum alicui ordini deputatum, Immo existimat hoc maximè pro Laicis institutum fuisse. Idem ait Anchar. in cap. Alma nu. 6. Vers. Sæpe dicit fuisse, Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Sextum, Nauar. in Manua. cap. 27 num. 177. Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. nu. 5. in fi. Vers. Decimo tertio. Idem dicunt de sono campanæ ad indicandum quota hora sit, quia illa pulsatio non est prohibita, quia non ordinatur ad diuina officia.

Secundo quæritur, an liceat pulsare campanam in signum prædicationis verbi Dei, vt Christiani concionibus interueniant.

Respondent omnes licitè posse pulsari campanas ad conuocandum populum ad concionem, cum excõmunicatis & interdictis licitè prædicetur verbum Dei, sequitur non prohiberi signum publicum, quod ex consuetudine dari potest, quando inchoanda est concio, quia est signum actus permissi tempore interdicti, qui intelligitur permissus iuxta solitum cap. Præterea, & c. Prudentia ad fi. de off. deleg. Quòd autem concedatur prędicatio verbi Dei tempore interdicti, expressè habetur in c. Responso de sent. excom. vbi Innocentius Tertius respondet Episcopo Ferrarien. licere ei conuocare apud aliquam Ecclesiam Ciues excommunicationis & Interdicti sententia ligatos, & eisdem verbum Dei prædicare, & eosdem ad correctionem inducere, & addit: *Dummodo contra formam interdicti nullum eis diuinum officium celebretur*. Hinc sequitur prædicationem non connumerari inter officia diuina, ideo sicut conceditur prædicatio, ita permittitur signum consuetum campanæ, quod præmittitur ante prædicationem, & è contra sicut prohibetur officium diuinum, ita interdicitur sonus campanæ ad significandam celebrationem diuinorum officiorum; & in hoc conueniunt omnes Doctores, Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 94. Vers. Sed cum interdictis, Archid. in cap. Alma num. 6. Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Sextum, Nauar. in Manua. cap. 27. numero 177. Couar. in capitulo Alma part. 2. §. 4. numero quinto, in fin. Vers. Decimo tertio, Gonsalus à Villa Diego de irregularitatibus cap. De interdicto.

Tertiò quæritur, quando ostenduntur Reliquię populo, vtrum licitũ sit pulsare campanam iuxta solitũ.

Respondet Calder. num. 96. Vers. Sed an tempore, licere Clericis pulsare campanas in signum, quo denotetur tunc fieri ostensionem Sanctarum Reliquiarum, quia hoc non est vetitum, & ita videtur permissum cap. Ad quæstiones de rer. permut. c. Cum apud de spons. Idem affirmat fieri licitè in aduentu alicuius Prælati, vel ob similem causam. Idem tenet Sylue. §. 7. Vers. Sextum, Nauar. dicto nu. 177. in cap. Alma num. 6. Vers. Sed an tempore.

Quartò quæritur, an sit prohibitus sonus paruæ campanæ, qui in Missa dari solet ad excitandas mentes assistentium, vt sacrificio attentius assistant, & adorent Corpus & sanguinem Domini. In hoc enim casu videtur cessare finis, cuius causa interdictus est sonus campanarum, nempe ne videatur conuocari populus ad diuina officia, sed datur illud signum ad alium finem prædictum.

Respondet Couar. in dicto §. 4. num. 7. Vers. Decimo tertio in fi. ex sententia Calder. Villad. & aliorum non posse pulsari cimbalum in signum eleuationis Eucharistiæ, & ratio assignari potest, quia cum illa eleuatio sit cæremonia Ecclesiastica pertinens ad sacrificium Missæ, si non sunt pulsandæ campanæ tempore interdicti in signum celebrationis dicti sacrificij, vt probatum est, ergo neque propter eleuationem Eucharistiæ. Accedit, quod solet quoque pulsari campana, dum eleuatur Eucharistia, & aliquando additur sonus Tubarum, & aliorum instrumentorum in signum maioris solennitatis & lætitiæ. Tempore verò interdicti Ecclesia has solennitates prohibere voluit, vt indicaret mœstitiam, qua eo tempore afficitur ob carentiam diuinorum officiorum; quod colligi potest à simili ex cap. Quod in te de pœnit. & Remiss. ibi: *Sine Campanarum pulsatione cessantibus solennitatibus omnibus.* Et ob eandem causam præcipitur, vt omnia agantur submissa voce.

Quarta & postrema conditio seruanda in celebratione Missæ & aliorum diuinorum officiorum est, vt excludantur excommunicati & interdicti; & quãtum ad excommunicatos non solum tempore interdicti, sed semper, & quocunque tempore eijciendi sunt ab Ecclesia, dum diuina peraguntur, & si exire noluerint, vel expelli nequeant, debent cessare officia ipsis præsentibus. De qua re fusè tractatum est suo loco in materia de excommunicatione, neque modo aliud addendum occurrit.

Quo verò ad interdictos hæc conditio est intelligẽda absq; vlla difficultate de omnibus personaliter interdictis nominatim, & particulariter, siue generaliter, si causam dederunt interdicto, & etiam comprehenduntur illi, qui auxilium, consilium, aut fauorem præbuerunt ad committendum delictum, cuius causa interdictum locale latum fuit, nam illi etiam consequenter, & virtute personaliter sunt interdicti ex vi interdicti localis, & colligitur ex c. Licèt in fi. de priuileg. lib. 6. Vbi declarat Summus Pontifex, quod quando conceditur priuilegium singulari personæ, vt cum dictis quatuor conditionibus tempore interdicti celebrare valeat, vel audire diuina, eius familiares ad audiendum cum eo licitè admittuntur, sed addit huiusmodi concessione non gaudere illum, *cuius causa seu culpa, dolo, vel fraude fuit sententia Interdicti promulgata, seu qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione lata extitit, præbuit consilium, auxilium, vel fauorem*. Eodem modo in capitulo Quod nonnullis eodem tit. Extra, conceditur priuilegium

uilegium Episcopis celebrandi tempore generalis interdicti cum eadem moderatione, & in fine additur declaratio, *Verùm hoc illis concedimus, qui causam aliquam non præstiterint interdicto, nec quidquam doli, vel fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes.*

Sed difficultas hoc in loco non leuis agitatur à Doctoribus, vtrum omnes, qui non sunt excommunicati, neq; interdicti, admitti debeant ad diuina tempore generalis interdicti, nam pro affirmatiua, quòd huiusmodi non excommunicati neque interdicti admitti debeant, siue Clerici, vel Laici sint, primò probari potest ex verbis dicti c. Alma, *Excommunicatis, & interdictis exclusis*, conditio requisita est, vt excludantur & repellantur excommunicati & interdicti, ergo non erant eijciendi, qui his censuris nõ sunt obstricti, quia exceptio firmat regulam in contrarium, & de Clericis iam probatum est superiori capite omnes non tantum illos, qui sunt Ministri illius Ecclesiæ, vbi diuina celebrantur, sed etiam extraneos admitti posse, ergo idem asserendũ est de Laicis, cum enim Summus Pontifex tantum excipiat excõmunicatos & interdictos, significare videtur omnes alios admittere velle arg. l. Cum Prætor ff. de iudi. Secundò permittitur celebratio diuinorum, sicut prius adhibitis illis quatuor conditionibus; Sed quamuis Laici præsentes adsint, dum celebrantur diuina, si non sint excommunicati neque interdicti omnes illæ conditiones seruari possunt, quare sicut prius licitum erat præsentibus Laicis celebrare, eodem modo erit hoc concessum tempore interdicti, seruari illis cõditionibus. Tertiò causa cõcessionis diuinorum, tempore interdicti vna fuit, vt dictũ est, ne indeuotio populi cresceret. Verũ si Laici essent exclusi, dum Missæ celebrantur, & reliqua diuina officia, idem periculum immineret, ne indeuotio populi quotidie magis excresceret. Quare potius videtur hæc permissio hac in parte amplificanda, quàm coarctanda, & huic sententiæ fauet Feder. de Senis cons. 70. licèt contrariam sequatur.

Contraria tamen opinio ex communi sententia Doctorum vera est, & tenenda, nimirum omnes Laicos, qui priuilegio carẽt excludi debere à diuinis, quãuis non sint excommunicati, neq; interdicti, atque solos Clericos esse admittendos. Quare hæc verba textus, *Excommunicatis & Interdictis exclusis*, latius intelligi debent, quàm significare videntur, nam sonant solum, vt excludantur excommunicati & interdicti, & tamen debent excludi omnes, vt declarabo.

In primis ita tenet Glos. in c. Alma §. Adijcimus, Ver. Interdictis de sent. excom. lib. 6. Vbi quærit, quid de non interdictis, & respondet interdicto loco, omnibus intelligi interdictum ibi audire diuina, nisi super hoc fuerint priuilegiati, & dicit hoc fuisse expressum in c. Licet de priuileg. lib. 6. Gemin. in c. Alma §. Adijcimus nu. 4. in fine, Franc. nu. 5. Anchar. n. 9. Vers. Secundo dubitatur, qui ait interdictum loci excludere omnes, siue sint de loco interdicto, siue extranei, Io. Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. nu. 64. Vers. Sed quæritur, an Laico, B. Anton. 3. par. summæ tit. 26. cap. 4. post princ. Vers. Item Laici, qui non sunt, Ang. Interdictum 6. num. 3. in fin. Tabie. interdictum 5. nu. 16. Vers. Decimo quinto, Sylue. Interdictum 5. §. 1. prope fi. Vers. Tertium ad ista diuina, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 174. qui tenet excludendos esse omnes non habẽtes priuilegium Iuris communis aut specialis, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 4. Vers. Octauo, dicens ad officia diuina minimè admitti de-

A bere Laicos interdictos, & illos, qui sunt Incolæ populi interdicti, licèt ipsi interdicti non sint. Et idem esse de quibuscunque Laicis nõ interdictis, nam omnes illos dicit excludendos esse ab auditione diuinorum officiorum in loco interdicto, Henriquez lib. 13. de excom. & interdic. cap. 46. nu. 3. Tandem est sententia communiter ab omnibus recepta.

Hanc sententism confirmant omnes auctoritate c. Licet de priuileg. lib. 6 quod citatum est ad idem probandum à Glosa in c. Alma Ver. Interdictis, auctor autem dicti c. Licet fuit Bonifacius Octauus, qui edidit etiam dictum cap. Alma, sic enim ibi habetur: *Licèt vobis concessum existat, vt interdicti tempore ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, voce sub-*
B *missa diuina celebrare possitis, ad ea tamen aliquos, etiamsi aliunde deuenerint, nisi super hoc priuilegiati existant, recipere nulla ratione debetis*, vbi Glo. Ver. Exclusis, notat, cum textus ille dicat licere priuilegiatis tempore interdicti celebrare, excommunicatis & interdictis exclusis, potuisset aliquis à contrario inferre, non excommunicatos neque interdictos aliunde venientes admitti potuisse, nã arg. à cõtrario est validissimũ, & tamen inquit, non sequitur inde alios non excõmunicatos neque interdictos admitti posse, nisi etiã illi fuerint priuilegiati, quia, ex quo locus est interdictus, videtur omnibus interdictum ibi audire diuina, nec priuilegium vnius alteri prodesse potest c. Sane de priuileg.

C Hoc iuris testimonio omnes confirmant hanc conclusionẽ, quæ tamen non videtur carere difficultate, quia in cap. Licet tractatur de priuilegio concesso Episcopis & Religiosis, vt clarè patet ex eius verbis, & meritò ibi definitum est priuilegium quibusdam in specie concessum non prodesse alijs, quia non extenditur vltra propriam verborum significationem. Vnde si permittitur alicui tempore interdicti rem sacram peragere ratione huius priuilegij, non intelligitur eidem concessum, vt valeat alium ad sacrum audiendũ admittere, qui aliàs prohibitus sit, quia non potest priuilegium suum alteri communicare. At diuersa est ratio, si agatur de Iure communi moderante tale interdictum, & eius effectus comitante, sicut fit in
D cap. Alma, vbi promulgatur constitutio generalis, cuius vi non cõceditur priuilegium personis, sed redditur locus habilis, vt in eo sacrificium celebrari possit cum quibusdam conditionibus, ergo cum Laici nõ essent antea prohibiti audire sacrum in tali loco, nisi postquam locus declaratus est inhabilis per interdictum, ablata hac inhabilitate & impedimento ex cõstitutione dicti cap. Alma, videtur sequi licere omnibus gaudere beneficio dictæ Constitutionis, & illius virtute posse audire diuina sicut prius. Confirmatur, nam si perpendamus rationem dicti c. Licet, non solum Laici, sed etiam Clerici non priuilegiati aliunde venientes non erunt admittendi ad diuina, quia priuilegium quibusdam factum non extenditur
E ad alios, sed iuxta dispositionem c. Alma, omnes Clerici etiam extranei possunt admitti in quacunque Ecclesia, vt probatum est superiori capite, quia non conceditur priuilegium personis, sed redditur habilis locus cum quadam moderatione interdicti. Quare ex c. Licet, in quo agitur de priuilegio personali, non videtur colligi posse efficax argumentum ad probandum non posse admitti Clericos non interdictos ad audiendum officia diuina dum celebrantur cum illis moderationibus cap. Alma. Quid sit respondendum ad has obiectiones, ostendam paulò post.

Ad

Ad eandem conclusionem comprobandam adducitur Clem. 1. de sent. excomm. Vbi Summus Pontifex excommunicat eos, qui tempore interdicti admittũt, dum diuina celebrantur, non solum excommunicatos, & Interdictos, sed etiam alios, verba hęc sunt, *Aut qui modo pradicto ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis prasertim, vel interdicti ligatos sententia euocare prasumpserint*, Dictio illa, *Prasertim*, est relatiua ad alios, quorum ibi non fit mentio, Ergo Summus Pontifex praecipit, vt non solum excommunicati, & interdicti excludantur, sed hæc auctoritas verè non probat illam sententiam, nam in dicta Clement. excommunicantur illi, qui cum circumstantijs, quæ ibi enumerantur, vocant aliquos ad diuina officia, nempe vt ibi dicitur, non solum per campanarum pulsationem, sed etiam voce preconis, & hæc conuocatio non fit ad quascunque Missas, sed ad eas, quæ publicè, & solenniter celebrantur. Quamobrem qui vocaret laicum non priuilegiatum ad diuina tempore interdicti generalis non modo pradicto, sed simpliciter rogando, vel inducendo illum, vt accederet ad Missam audiendam, quæ cum moderatione cap. Alma diceretur, profectò non incurreret illam excommunicationem. Et è contra qui illo modo in dicta Clem. expresso vocaret Clericos, vel alios non priuilegiatos ad Missam publicè, & solenniter celebratam, non euitaret excommunicationem, quamuis iuxta constitutionem c. Alma possint interesse. & ratio est, quia Pontifex in dicta Clement. respicit qualitatem, & modum illum vocandi prohibitum, non conditionem personarum, quæ vocantur.

Valet etiam ad idem probandum Clem. 3. de sent. excom. Vbi pręcipitur Fratribus Minoribus, qui tempore interdicti ad diuina officia admittebant fratres, & sorores sui Tertij Ordinis, alias verò personas excludebant, sub excommunicationis sententia, vt dictos homines tertij Ordinis non admittant, etiam si ad hoc vel ipsi, vel illi priuilegium habeant, & ibi sermo habetur de quibuscunque laicis non priuilegiatis, Nam si dicti Minores exclusissent laicos excommunicatos, & interdictos, nullum fuisset scandalum, quale supponit Papa, & tamen non mandat alios extraneos admitti, immo ipsi fratres Tertij Ordinis, etiamsi priuilegium habeant, cuius virtute in alijs Ecclesijs tempore Interdicti admitterentur, tamen in proprijs Ecclesijs Ordinis Minorum præcipit recipi non debere, ad tollendum scandalum; ergo videtur supponere vt certum hoc esse probibitum laicis, sed in particulari illis, qui sunt tertij Ordinis quoad proprias Ecclesias Fratrum Minorum.

Item eadem sententia communis probatur ratione, si laici possent tempore interdicti interesse sacris, non indigerent priuilegio, vt possent assistere. Sed vsus & consuetudo generalis probant opus esse priuilegio, vt hæc auditio diuinorum tempore interdicti licita sit, nam communiter postulatur ab his, qui cupiunt interesse tali tempore Missæ, & diuinis officijs. Maximè quoque facit ad eandem confirmationem communis sensus Doctorum confirmatus vsu & consuetudine vniuersali, quæ est optima legum interpres.

Non obstant, quæ obijciebantur contra cap. Licet, quòd ibi tractetur de personali priuilegio concessu celebrantibus Missam, quod nõ potest extendi de persona ad personã; Nam primò dici posset illa verba dicti tex. *Licèt vobis concessum existat*, posse intelligi de cõcessione ab eodem Pontifice Bonifacio VIII. facta in c. Alma, quæ potest vocari generale priuilegium in or-A dine ad ius magis antiquum. Dico secundò in c. Alma non fieri absolutam moderationem interdicti respectu loci, neque vllam facultatem dari audiendi, sed tantum celebrandi Missam, & recitandi horas canonicas, vt patet ibi, *Missæ celebrentur, & alia dicantur diuina officia, sicut prius*, ergo seruata proportione cap. Licet, optimè prubari potest non esse admittendos laicos ex dispositione c. Alma, cum nulla facultas ibi concedatur audiendi.

Neq; etiam obstat alia obiectio, quòd ob eandem ratiunem non essent admittendi Clerici extranei, sicut ex vi dicti c. Licet, non sunt admittendi; Respondetur enim primò, quòd si referamus c. Licet, ad concessionem factam in c. Alma, vt monebam, & est B probabilis expositio, quam ibi innuit Glo. Ver. Exclusis, negandum est non esse admittendos Clericos, quoniã tunc admitterentur Clerici virtute cap. Licet, sicut admittuntur ex dispositione c. Alma. Si verò intelligatur cap. Licet de concessione per speciale priuilegium aliquibus personis, vel peculiari Congregationi, & ordini factum, tunc assignari potest ratio diuersitatis, propter quam Clerici essent admittendi ex c. Alma, non autem ex dispositione c. Licet, quia particulare priuilegium ad alios extendi non debet, sed in cap. Alma concessio fit toti Ordini Clericali, ideo admittuntur quoque Clerici, vt probatum est capite præcedenti.

Ad argumentum verò initio positum, quod desu-C mebatur ex verbis c. Alma à contrario sensu, nam si ex quatuor illis conditionibus vna est, quòd excludãtur excommunicati, & interdicti, dum celebrantur diuina tempore interdicti, ergo illi, qui dictis Censuris innodati minimè erunt, interesse poterunt; Respõdet Calder. num. 64. & Anchar. in cap. Alma num. 1. verba illa, *Excommunicatis, & interdictis exclusis*, non poni causatiuè, & conditionaliter, idest quòd excommunicatio, & interdictum personale sint causa, vel conditio, propter quam tempore Interdicti localis non liceat audire diuina, & ideo ex illis verbis nõ potest colligi argumentum à contrario sensu, maximè quia oppositum definitum reperitur in iure in dicto c. Licet, nempe non esse admittendos aliquos ad diui-D na simpliciter, quamuis non sint excommunicati, aut interdicti. quare cum id expresè cautum sit in dicto cap. Licet, non potest argumentum illud à contrario sensu colligi, vt notat Glo. in Clement. 1. Ver. Obseruare, de sent. excomm. & Glo in c. vni. de ęta. & qualitate lib. 6. Secundò responderi potest verba illa, *Excommunicatis, & interdictis exclusis*, posita fuisse præcipuè propter Clericos, & alios priuilegiatos, quibus neque ordo Clericalis, neque aliud priuilegium suffragatur, vt interesse possint, ideo inde non rectè inferrur omnes laicos censura non innodatos assistere posse, quoniam illa conditio nõ fuit apposita propter solos Laicos. Confirmatur hæc responsio, nam quam-E uis in c. Alma non dicatur expresè excludendos esse laicos, non habentes priuilegium, dicitur tamen virtualiter, & implicitè in illis verbis, *Ianuis clausis, & submissa voce*, quæ afferuntur ad eum finem, vt Laici non habentes priuilegium, non admittantur intra Ecclesiam, & quòd extra Ecclesiam non audiant officia diuina, quæ intra celebrantur. Ad aliam rationem, quòd in cap. Alma generalis concessio fiat celebrandi, sicut prius adiunctis solis quatuor conditionibus, respondetur id esse verum ex parte celebrantium, non autem ex parte assistentium, de quibus ibi nõ agitur, neque eis aliquod nouum priuilegium conceditur.

Immo si laici non excommunicati, neque interdicti admitterentur, multum relaxaretur prohibitio interdicti localis. Nam excommunicati, & interdicti per se ex vi dictarum censurarum antea erant exclusi.

Quamobrem concludendum est iuxta hanc communem sententiam Laicos non esse admittendos, dũ Missæ sacrificium, & alia diuina officia celebrantur. Hinc sequitur per Ecclesiæ Ministros pertinere tempore interdicti ab officio Missæ, & alijs Ecclesiasticis officijs excludere non tantum excommunicatos, & interdictos, sed omnes alios non habentes priuilegiũ, quia munus eorum est excludere omnes prohibitos, & curare, quantum in eis est, vt censuræ Ecclesiasticæ seruentur.

Animaduertendum est quoque, vt Doctores notãt, Primò non solum laicos excludendos esse, vt non audiant sacrificium Missæ, & reliqua officia integra, sed vt non assistant etiam alicui parti notabili, puta vt non admittantur ad oblationẽ, quæ fit in medio Missæ, neque vt tradatur pax, quæ dari solet in Missa, neque aperienda est eis aliqua fenestra, vt possint conspicere, dum eleuatur Sanctissimum Sacramentum, vt patet ex Clem. 1. de sent. excom. vbi reprehenduntur Religiosi tanquam violatores interdicti Ecclesiastici, qui in suis Ecclesiis tempore interdicti in valuis fenestras, & foramina faciebant, ibi, *Nunc latenter Ecclesiarum suarum ianuis perforatis, aut in eis factis fenestris, seu modis aliis exquisitis &c.* Et asserit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 174. Caiet. in Sum. Ver. Excommunicatio cap. 67. in fi. Villa Diego in Tract. de irregular. cap. 5. num. 13. Henriquez lib. 13. de excomm. & interdict. cap. 46. num. 1. qui addit in Glo. lit C, esse partem Missæ videre eleuationem Eucharistiæ, quam audire laicis eo tempore non est permissum, quamuis dicat Laicos perforantes fores Ecclesiæ hac intentione non esse reos culpæ lethalis; Immo laici excludi debent à Missa Cathecumenorum, quam appellant siccam, idest in quantum non fit consecratio Sacramenti, quia talis Missa prohibetur tempore interdicti, ita tenet Syluе. Interdictum 5. §. 5. in fi. Nauar. in Manua. cap 27. nu. 177. quia talis Missa connumeratur etiam inter officia diuina, neque refert, quòd quis intra Ecclesiam assistat, vel extra, dummodo moralem præsentiam habeat.

Notandum est secundo excludendos esse Laicos, etiamsi sint cæci, & surdi, nam prohibetur assistentia humana, non est autem necessaria ad talem assistentiã sensibilis auditio, vel visio, sed sufficit, vt assistens intelligat, & sciat ibi diuina celebrari, & tunc dicitur moraliter audire sacrum. Quare cæcus & surdus non erunt admittendi sine priuilegio, & vniuersaliter hæc prohibitio extenditur ad omnes laicos ratione vtentes.

Tertiò notandum est, Cum dicimus prohibitum esse omnibus laicis tempore interdicti interesse sacrificio Missæ, & diuinis officiis, ab eisque excludendos esse, id esse intelligendum, si non habeant peculiaria priuilegia, quorum virtute sæpe possunt assistere. atque etiam si casus necessitatis non vrgeat, quoniam si Sacerdos tempore interdicti intendat sacrum peragere, & nullum habeat Ministrum Clericum, qui ei deseruire valeat ad Altare, nisi Laicum, poterit absque violatione interdicti eius ministerio vti, & laicus nullius culpæ reus erit, si assistat, dummodo alia ratione non sit inhabilis, scilicet excommunicatus, vel interdictus, vel non dederit causam interdicto. Et hæc opinio videtur probabilior, licèt aliqui oppositam sen-

A tiant, putantes tempore interdicti Rectorem Ecclesiæ non posse vti in hoc Ministerio opera laici, sed debere reperire Clericum, qui ei inseruiat, quòd si talem inuenire nequeat, sacrificiũ conficere debet solus absq; ministro. quod tamen impugnatur ab omnibus. Vnde Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 71. tenet, quòd Rector Ecclesiæ, qui ante interdictum vtebatur ministro Laico ad Altare, possit durante interdicto eundem ministrum adhibere in sacris ministeriis, & eo abscedente in eius locum alium similiter laicum subrogare posse, cessante tamen fraude, & omni fictione c. vlt. De Verb signific. lib. 6. quod verum est, vt dixi, nisi talis famulus, vel alius subrogatus in eius locum sit ex numero eorum, quorum culpa, vel fraude interdictum latum fuit, vel qui ad perpetrandum de-
B lictum, propter quod promulgatũ fuit interdictum, consilium, auxilium, vel fauorem præbuerunt. Sed quærit Calder. quid dicendum, si laicus, qui antea inseruiebat Rectori, erat ex populo interdicto; Et non audet affirmare Rectorem posse illo ministro vti in diuinis, nam ex §. Adiicimus personæ interdictæ excluduntur, etiam cum celebrantur officia diuina cum illis quatuor conditionibus. nec obstat c. Licet §. 1. de priuileg. lib. 6. quia intelligitur de familiaribus non interdictis. ita tenet etiam Anchar. in c. Alma num. 1. in fi. & ibi Franc. in §. Adiicimus nu. 5. in fi. Nauar. in Manua. c. 27. nu. 181. Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. n. 5. Vers. Vndecimo erit.

C Quartò notandum est, quòd licèt Laici non sint admittendi tempore interdicti, vt possint videre, vel sacrificium Missę audire, non idcirco tamen volumus significare prohibitum esse Ecclesiæ ingressum, quia nullo iure id cautum est generaliter de interdicto, sed specialiter id exprimitur, quando talis prohibitio imponitur, vt patet ex cap. Is cui de sent. excomm. lib. 6. quod etiam est verum, quamuis contingat Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum expositum esse publicè in Ecclesia fidelibus intuendum, vt solet fieri in quibusdam solennioribus festiuitatibus ad orationem vel deuotionem populi excitandam, vel quia ostendatur in reditu ab infirmo ad Ecclesiam ijs, qui comitati sunt, nam, vt inquit Nauar. in Manua. cap 27. num.
D 179. conspectus Eucharistiæ non prohibetur tempore interdicti per se, sed solum in Missa, quatenus vetitum est videre quamcumque partem, vel cæremoniam illius sacrificij, sed non intueri ipsum Sacramentum etiam in ipsa Ecclesia.

Verum dubitari potest, vtrum comprehendantur quoque qui vsu rationis carent, nam aliqui Auctores sentiunt tempore interdicti excludendos esse infantes, nondum ratione vtentes, & amentes ob eam rationẽ, quoniam licèt isti non sint capaces huius prohibitionis, cum eos nõ obliget, tamen Ministri Ecclesiæ obligantur, qui impedire possunt, vt illi diuinis minimè intersint. ita videtur tenere Syluе. Interdictum 2. §. 18. Vers. Decimum septimum.

E Oppositum tamen est probabilius, vt tenet Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num 5. Vers. Duodecimò potest, & Henriq. lib. 13. de interdic. cap. 49. nu. 2. de quo tractaui in Disp ., Cap. .. Respondendum est igitur cum distinctione, vel loquimur de infantibus, & alijs, qui penitus carent vsu rationis, & si tales admittantur ad diuina, non est censendum violari interdictum, & ratio est, vt inquit Couar. quia officia diuina non prohibentur, nisi quatenus celebranda, vel audienda sunt, & ad hoc requiritur aliqua intelligentia, vel rationis vsus; Aut agimus de illis infantibus, qui sunt

doli

doli capaces, vel saltem, vt inquit Couar. si plenè non sunt doli capaces, aliquo tamen modo percipiunt, & intelligunt, ibi celebrari diuina, illaque ad diuinum cultum pertinere, & distingui à rebus prophanis, qualem imperfectam & inchoatam cognitionem communiter solent pueri habere peracto septennio, cum iam rudimenta Doctrinæ Christianæ addiscere incipiunt, & huiusmodi pueros dicendum est non posse tempore interdicti in loco generaliter interdicto sacris interesse.

Probatur hæc sententia, quoniam tempore interdicti non prohibetur quælibet præsentia, sed assistentia humana, nam alia est impertinens ad celebrationem diuinorum, sed puer non habens vsum rationis, qui non est doli capax, non potest assistere modo humano, ergo non est excludendus ex præcepto, quod est intelligendum, si non est ita doli capax, vt peccare sciat, & si tunc admittatur ad diuina, non violatur Interdictum; Si verò ita vtitur ratione, vt peccare sciat, excludendus est à loco interdicto, & ipse tenetur abstinere ab auditione, quia iam est capax huius præcepti Ecclesiastici, & potest dici doli capax, quia discernit inter bonum, & malum.

Quod dictum est de pueris, idem omnino affirmandum est de amentibus sine à natiuitate, siue casualiter in amentiam inciderint.

Quare differentia est inter prohibitionem sepulturæ, & diuinorum officiorum, quia pueri etiam carentes vsu rationis non debent sepeliri in loco sacro tempore interdicti, vt inquit Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. num. 5. Vers. Duodecimo, Henriquez lib. 13. cap. 42. num. 4. circa finem, & cap. 44. num. 3. Ratio differentiæ est, quoniam officia diuina prohibentur directè ipsius interdictis, ne audiant illa, & ideo ex vi huius prohibitionis requiritur in illis vsus rationis. At verò prohibitio sepulturæ non solum prouenit ex parte interdictorum, sed etiam ex parte Ecclesiæ, in qua sepeliendi essent, & per Interdictum locale Ecclesiæ redditur quodammodo incapax, vt corpus humanum sepeliatur in illa. Sed quid dicendum, si interdictum est personale generale, & tamen locus non est interdictus, Respondeo probabilius mihi videri non posse sepeliri, quia licèt interdictum personale generale non comprehendat infantes quantum ad effectum requirentem vsum rationis, sed quoad hunc effectum illos includit, cum non requirat vsum rationis, tam expers est rationis cadauer adulti, sicut infantis.

Secundò dubitatur de illis, qui habent priuilegium tempore interdicti celebrandi, vel audiendi Missam tempore interdicti, vtrum possint secum in Ecclesiam suos familiares, & domesticos adducere.

In hac difficultate vnum est indubitatum omnes habentes priuilegium, dummodo causam interdicti non dederint, licitè interesse posse diuinis, vt habetur in c. Is qui, de sent. excom. lib. 6. & c. Licet, de priuileg. eod. lib. Sed controuersia est, an huiusmodi priuilegium extendi debeat ad domesticos, & familiares. quæ difficultas videtur explicata in dicto ca. Licet, de priuileg. lib. 6. Vbi habetur virtute priuilegij concessi singulari personæ ad audiendum Missam tempore interdicti posse admitti familiares, & domesticos, qui eam comitantur, Verba Textus sunt: *Cum conceditur singulari personæ, vt modo præmisso*, scilicet ianuis clausis, submissa voce &c. *celebrare valeat, vel audire diuina, eius familiares domestici, ad audiendum cum ea, & celebrandum officium diuinum licitè admittuntur.* Secus autem est, quando tale priuilegium non conceditur sin-

A gulari personæ, sed Collegio, vel Conuentui, tunc enim familiares Collegij non gaudent illo priuilegio, vt ex eodem textu patet, ibi, *Non sic autem familiaribus alicuius Conuentus, seu Collegij est censendum, illi enim nisi priuilegiati fuerint, admitti non debent.* Et in hoc conueniunt omnes Doctores, B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 26. ca. 4 Vers. Item si in tali Ecclesia, Angel. Interdictum 6. num. 4. Syluest. Interdictum 5 §. 1. Vers. Quartum, Tabie. interdictum 5. Vers. Decimoquinto, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 180. Dom. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. post 4. conclus. Vers Et qui huiusmodi priuilegium, Conar. in c. Almâ par. 2. §. 4. num. 5. Vers. Vndecimò erit in fi. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 53. vers. Nota tertiò. Idem tenent Gemin. Anchar. Franc.
B in dicto c. Licet.

Verùm vt clariora reddantur, quæ de familiaribus dicuntur in illo textu, & à Doctoribus tractantur, aliqua sunt distinctius annotanda.

Primò sciendum est, cum dicitur priuilegium singulari personæ concessum extendi ad familiares domesticos intelligendum esse hoc locum habere, si ipsi familiares aliàs non sint inhabiles, neque interdicti, quoniam hæc exceptio est generalis in vniuersa hac materia de interdicto, adeo vt priuilegium non suffragetur etiam ipsismet personis, quibus directè conceditur, nisi aliud in ipso priuilegio exprimatur, quod nunquam fieri solet, si sua culpa, vel fraude fuerit latum interdictum, vel suo consilio, auxilio, vel fauo-
C re dederint causam delicti, propter quod latum fuit interdictum, quod omnes citati Doctores affirmant, & tradit Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 72.

Secunda difficultas est, quid velit intelligere Summus Pontifex in c. Licet his vocibus, *Familiares domestici*, nam vt notat ibi Anchar. nu. 2. ex sententia Archid. multiplex est genus familiarium, seu familiæ. Nam quædam est familia perpetua & Religiosa, puta Conuersi, & consimiles, & de talibus loquitur c. Cum olim de arbi. Alia est familia mercenaria, vt profana, de qua intelligitur l. 1. §. Familiæ, ff. de public. & l. 1. §. Familiæ, de vi & vi arm. & c. In literis, de testi. Tales sunt Vxor, filij, nepotes, serui, & famuli. Quædam est familia non perpetua, Tales sunt, qui conducuntur ad
D obsequia, & seruitia præstanda, sicut sunt Clerici, & Religiosi commorantes cum Papa, & Cardinalibus, & alijs in eorum domibus, & Palatijs manentes, qui vocantur propriè familiares domestici. In diuersis materijs diuersimodè accipitur nomen familiarium, & domesticorum. Nonnulli existimant in dicto cap. Licet nomine familiarium intelligi vxorem ipsius priuilegiati, filios, nepotes, seruos, & famulos ei subiectos, qui ratione potestatis paternæ, vel dominij degunt simul cum eo.

Tamen probabilius est affirmare Summum Pontificem voluisse nomine familiarium significare eos tantum domesticos, qui tempore interdicti comitantur personam priuilegiatam. ad hos enim vult, vt exten-
E datur priuilegium propter ministerium, quod exhibent priuilegiatæ personæ comitando, & honorando illum. In hoc igitur proposito omnes illi soli dicuntur familiares domestici, qui priuilegiatum comitari solent, quicunque illi sint, licèt in alijs casibus vxor, filij, nepotes, & serui vocentur familiares iuxta dicta, & tradunt Aret. & Felin. c. in literis, de testi.

Hæc interpretatio probatur primò ex illa dictione, quæ ponitur in c. Licet, *Cum ea*, extendit Summus Pontifex priuilegium concessum singulari personæ ad eius familiares domesticos, vt possint audire diuina

officia

officia cum eo, ergo loquitur de illis familiaribus, qui illum comitantur, & occasione comitatus necesse est, vt personam priuilegiatam sequantur, quocunque ierit, & ideo efficiantur participes priuilegij.

Secundò probatur, quoniã vt rectè ibi animaduertit Glo. Ver. Non debeat, nisi tale priuilegium prodesset quoque illis, qui comitantur personam priuilegiatam, reddi posset inutile, quod esset absurdum cap. In his, de priuileg. & contingeret, si priuilegiatus non valeret decenter iuxta gradum, & dignitatem sui status cum suis familiaribus, qui eum consueuerunt comitari, incedere, ergo de his solis familiaribus interpretãdum est c. Licet Quando autem priuilegium sit latè, vel strictè interpretandum, declarant Felin. & Dec in cap. Cum ordinem.

Et hæc sententia est communiter recepta. ita videtur sentire Anchar. loco citato, & Franc. num. a. de rescrip. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 181. Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 13. num. 3. & Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. post 4. conclus. apertè inquit priuilegiatum per diploma Pontificis posse familiam suam, quæ eum comitatur in Ecclesiam, secum ducere, quod verum est, siue sint famuli in domo priuilegiati habitantes, siue extra, dummodo soleant illum comitari.

Secundò notandum est priuilegium illud intelligẽdum esse de familiaribus illis, qui non sunt accepti in fraudem interdicti, ita notat Glo. Ver. Domestici, & tradunt Sot. Nauar. Henriquez citati, & probatur ex cap. fin. de verbo. signif. lib. 6. Vbi dicitur illum vocari Clericum alicuius familiarem, & domesticum, qui sine dolo, & fraude aliqua receptus fuit, & continuè in eius familia assistit sustentatus eius sumptibus.

Tertiò notandum est, quòd si familiares illi, qui talem priuilegiatum comitari consueuerant, sint absentes, vel infirmi, poterit priuilegiatus totidem alios assumere, quibus proderit dictum priuilegium, vt assistere possint vnà cum priuilegiato Missæ, & aliorum officiorum celebrationi in Ecclesia, idque probatur eadem ratione, quam superius adduxi, nam aliàs priuilegium redderetur inutile.

Quartò notandum est, vt huiusmodi familiares licitè tẽpore interdicti assistere possint diuinis officijs, requiri, vt simul sint cum ipso Domino, nam ratio, propter quam priuilegium extenditur ad ipsos familiares, est ministerium, quod exhibent ipsi priuilegiato comitando ipsum, sine quo priuilegiatus non posset frui priuilegio, & patet ex illa dictione, *Cum ea*, idest cum persona priuilegiata, possent dicti familiares assistere officijs diuinis. Quare si illi separatim, & sine persona priuilegiata velint assistere, non sunt admittendi. Item si Dominus habeat multos familiares, & cum quibusdam ex eis audiat Missam, non possunt reliqui familiares audire aliam Missam absente Domino. immo Glo. in eodem c. Licet in figuratione casus inquit non posse Dominum assistere alteri Missæ, vt illam audiant reliqui familiares, qui antea fuerunt absentes, quod præsertim videtur admittendum, si Dominus audiat aliam Missam hoc solo intuitu, vt alij familiares ipsius, qui non audierant, interesse possint. Secus si ex deuotione vellet aliam Missam audire, quando priuilegium simpliciter loqueretur, tribuens facultatem audiendi Missam absque vlla coarctatione ad vnicam tantum Missam. Et hæc sufficiant, vt intelligamus, qui vocari debeant familiares domestici.

Tertiò dubitari potest, quid intelligatur in dicto c. Licet per priuilegium concessum singulari personæ, A & difficultas est, an accipi debeat pro priuilegio particulari, quod illi soli est concessum, & non multis, sicut aliqui censent, & ideo dicunt, quod priuilegium iuris communis concessum Clericis, de quo dixi superiori capite, & priuilegium Bullæ Cruciatæ cõcessum omnibus illam sumentibus, non dicitur concessum singulari personæ. Vnde inferunt vigore horum priuilegiorum non competere dictis priuilegiatis facultatem ducendi secum in Ecclesiam suos familiares tempore interdicti iuxta dispositionem dicti c. licet. Addunt etiam priuilegium iuris communis concessum Clericis non habere propriè rationem priuilegij.

Respondendum est in c. Licet distingui priuilegiũ concessum singulari personæ contra priuilegium traditum Conuentui, Collegio, vel alteri Communitati B collectiuè, cuius vi non possunt familiares admitti ad diuina, vt habetur in eod. c. Licet. Quare quando conceditur pluribus distributiuè, appellatur concessum singulari personæ, sicut si vni tantum datum esset, & tale priuilegium suffragatur familiaribus iuxta dispositionem c. Licet. Appellatur autem priuilegium concessum Communitati Collectiuè, quia nulli talis Communitatis prodest, nisi quatenus est pars Communitatis, quam si deserat, priuilegio gaudere non debet. At si conceditur pluribus distributiuè, dicitur singulari personæ concessum, quoniam singuli illi per se, & separatim absque vlla relatione ad Communitatem gaudent priuilegio.

C Hinc sequitur priuilegium Iuris communis cõcessum Clericis, & priuilegium Bullæ Cruciatæ comprehendi sub priuilegio concesso singulari personæ, quia vnicuique habenti primam tonsuram, vel suscipienti Bullam conceditur independenter ab alijs, quòd diuinis officijs assistere possit, & consequenter valeat secum ducere suos familiares. Confirmatur, nam ratio adiuncta in c. Licet, nempe ne alioquin priuilegium reddatur inutile, æqualiter locum habet in priuilegiato per Bullam, aut Cruciatam, sicut si esset datum singulari personæ, quæ ratio non militat in Collegio, & Communitate formaliter, nam familiares non solent comitari Collegium ipsum, aut Conuentum, vt sic quando ad diuina celebranda, vel audienda se con- D ferunt, Ideo tale priuilegium non extenditur ad familiares, nisi ita expressè in eo declaratum fuerit. & ita tenent quantum ad priuilegium Bullæ Cruciatæ, Domin. Sot. in 4. sent. distinc. 22. q. 3, art. 1. post 4. conclus. Vers. Igitur, Henriquez lib. 13. de excom. & interdict. cap. 48. circa fi. Quo verò ad priuilegium Iuris communis concessum Clericis, licet non sit propriè priuilegium, habet tamen quandam rationem priuilegij, quatenus ex vi illius concessionis possunt interesse diuinis, & ideo Sacerdos, quamuis non acceperit Bullam Cruciatæ, poterit ex concessione iuris communis secum ducere solitum comitatum.

Est autem adnotandum circa priuilegium Bullæ, primò quòd concessio Bullæ audiendi diuina tempo- E re interdicti, intelligenda est de interdicto generali locali, non de speciali, quod probari potest ex verbis Bullæ latinæ, quæ sic habentur, *In Ecclesiis, in quibus aliàs diuina officia interdicto durante, quomodolibet celebrari permissum fuerit.*

Secundò notandum est, quòd Bulla concedit etiam facultatem, vt qui illam habet, possit in Oratorio celebrare, vel facere, vt alius coram ipso celebret, & familiaribus suis, & cognatis. Nomine autem Cognatorum aliqui intelligunt vxorem, filios, nepotes, & reliquos attinẽtes vsque ad quartum gradum. & quoad

has

has duas cōcessiones aliqua est dissentio inter Doctores. Nonnulli enim censent primam concessionem, scilicet audiendi Missam, & diuina officia in Ecclesia, putant esse extendendam solum ad familiares, qui commirantur communiter, non ad Cognatos, nam hoc sufficit, vt priuilegium non reddatur inutile. Secundam verò concessionem dicunt intelligendam fore de familiaribus, ac cognatis, nam aliàs priuilegium redderetur inutile, si celebratur Missa in oratorio, necesse est, vt admittantur cognati, famuli, & domestici omnes, nam indecentius possent excludi attinentes, & consanguinei, quàm famuli. & hæc explicatio mihi placet, quamuis Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 13. nu. 3. dicat, quòd talis habens Bullam potest deferre secum in Ecclesiam consanguineos, & lib. 13. de excom. & interdicto cap. 48. circa §. quoad hanc concessionem deferendi secum in Ecclesiam cognatos intelligit vxorem, & attinentes in primo gradu.

Tertiò notandum est, quòd habens Bullam debet esse præsens celebrationi Missæ, & illo absente non poterunt familiares, & cognati Missam audire, & si fecit celebrari Missam in Oratorio, quam audiuit cum quibusdam familiaribus, alijs tamen absentibus non poterit frui priuilegio, vt alia celebretur Missa, & audire illam, vt familiares, qui primæ Missæ nō interfuerunt, secundam audire possint iuxta c. Licet.

Quartò notandum est, quòd quamuis ex vi priuilegij concessi alicui Communitati collectiuè, non possint eius familiares assistere diuinis officijs, vt dicitur in dicto c. Licet, tamen expressè concessum est quibusdam Religionibus, vt tempore interdicti valeant celebrare diuina coram suis familiaribus, qui ci inseruiunt, vt notat Armilla. Ver. Interdictum num. 40. & nonnullis Religionibus permissum est, vt possint ea celebrare coram suis Confratribus, quod de illis Cōfratribus tantum est intelligendum, qui mutato habitu seculari adhuc in seculo manentes eorum ordini sunt oblati, vel si non mutant habitum, tamen se ipsos & bona sua Monasterio dederunt donatione inter viuos, retento sibi vsufructu, quandiu vixerint, sic inquit Ang. Interdictum 6. num. 7. Sylue. interdictum 5. §. 1. in fi. Vers. Quintum citat cap. Vt priuilegia §. 1. & c. Cum & planrare §. de fraternitatibus de priuileg. idē sentit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 181. Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. num. 8. Vbi prolixè tractat de oblatis, & ponit differentiam inter Conuersos, & oblatos, nam Conuersi sunt, qui murato habitu Religionem ipsam profitentur, sed ordine sacro minimè sunt præditi. Oblati sunt, qui absque Religionis professione se ipsos perpetuò Monasterio obtulere, vt Glo. explicat in cap. Vt priuilegia, Ver. Tribus denarijs, & ibi Abb. de priuil. g. Nec plura dicamus ad declarationem illarum quatuor conditionum, quę ex dispositione iuris communis adhibenda sunt, cum Missarum sacrificia, & alia Ecclesiastica officia tempore interdicti celebrantur.

CAPVT III.

Vtrum tempore Interdicti permissum sit, vt in aliquibus solennioribus Anni diebus Missæ, & alia officia publicè, & solenniter celebrentur.

IN eodem cap. Alma Mater, præter facultatem traditam celebrandi quotidie seruatis illis quatuor conditionibus superiori Capite explicatis, permittitur etiam, vt in quatuor præcipuis Anni Festiuitatibus publicè cum omni solennitate consueta, & sine vlla moderatione, vel satis modica Missarum celebratio, verba textus sunt in dicto §. Adijcimus, *In Festiuitatibus verò Natiuitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ campanæ pulsentur, & ianuis apertis alta voce diuina officia solenniter celebrentur, Excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reuerentiam dictarum solennitatum, & vt ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationem faciliùs inclinentur, præfatis diebus participationem permittimus diuinorum, sic tamen, quòd illi propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent.*

B Ad declarationem huius concessionis dubitatur primò, an hæc suspensio interdicti intelligenda sit pro ipsis diebus festis tantum, an potius extendi debeat ad totam festiuitatum dictarum Octauam difficultas oritur ex communi consuetudine Ecclesiæ, quæ consueuit non vnius diei festiuitate tantum huiusmodi ministeria celebrare, sed plurium dierum solennijs colere solet, ac etiam per totam octauam, præsertim cum Papa non dicat, *In diebus Natalis Domini &c.* sed *in festiuitatibus*, Tres autem dies festi Paschæ, & Pentecostes, qui ex præcepto Ecclesiæ obseruantur absolutè dici possunt festiuitas Paschæ, & Pentecostes.

Ad hanc dubitationem respondendum est primò omnes Doctores in hoc conuenire, quòd hæc suspensio C interdicti, & permissio celebrandi solenniter Missas, & officia in prædictis festiuitatibus non durat per totam octauam dictarum festiuitatum. ita tenet Glo. in cap. Alma, Vers. Assumptionis in fi. dicens officia inchoari posse à vigilia à Vesperis, & posse continuari vsque ad Vesperas diei festi, Sylue. Interdictum 5. §. 3. Vers. Secundum, inquit si quæratur de initio harum festiuitatum omnes esse concordes desumendum esse à Vesperis Vigiliæ si de fine, illas terminari in die festo, vel ad Vesperas, vt tenet Io. Andr. vel ad Completorium iuxta sententiam Archid quia in fauorabilibus, & priuilegijs latior est interpretatio facienda, & etiam quia in Vesperis Completorium continetur cap. Si quis Episcopus 2. Vndecima q. 3. & c. vlt. dist. D 92. B. Antoni. 3. par titu. 26. cap. 4. non longè à princ. Vers. Item per dictum cap. Alma, Nauar. in Manua. c. 27. num. 182. Calder. in tract. de interdicto par. 2. nu. 18. qui vnà cum alijs censet initium diei sumendum esse à Vesperis Vigiliæ, sed quoad finem magis probat sententiam Io. Andr. sui patris, vt terminetur ad Vesperas diei festi, Couar. in c. Alma par. 2. §. 5. nu. 5. Vers. Sexto, qui tenet quantum ad finem festiuitatis cum Villa Diego, & Angelo Completorium harum festiuitatum post secundas Vesperas posse dici publicè, sicut & alia officia illius diei, cum adhæreat Completorium illud secundis Vesperis. Quam opinionem & consuetudine comprobatam satile, & veriorem esse E testatur. Quare omnes fatentur hoc priuilegium non esse extendendum per totam Octauam. Sed aliqua dubitatio est, quid intelligatur nomine festi, nam B. Antoni. & Syluc. citati, & Henriq. lib. 13. De excom. & interdicto cap. 47 nu. 1. in fine intelligunt tantum primum diem Natalis, Paschæ, & Pentecostes, non reliquos etiam festos, sed Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. post quartam conclusionem, duo dicit ad hanc rem; Primum est festiuitates illas finiri in vltimo Completorio vltimi diei Paschatis; secundum est in festo Paschatis comprehendi Vigiliam ab eo tempore, in quo iam potest Missa illius diei celebrari, &

Petrus

Petrus Polaneus in Directorio Confeſſurum pag. 150. inquit ſecundum aliquos id licitè fieri poſſe, & videtur velle indicare Sot. Primum affirmat Sotus, quoniam appellatione Paſchæ communiter intelliguntur tres illi dies feſti præſertim quia fauores, & priuilegia ſunt extendenda, & amplificanda, ea maximè, quę conceduntur à Principe in publicum, & commune bonum. Fundamentum autem ſecundi dicti fuit, quia ſolennitas Paſchæ initium ſumit à Miſſa Vigiliæ, quando cantatur Gloria in excelſis &c. & pulſantur Campanæ. Accedit, quòd iuxta conſuetudinem Eccleſiæ aliæ feſtiuitates incipiunt ab hora Veſperarum, ſed in Sabato Sancto Veſperæ dicuntur in ipſa Miſſa, ergo feſtum Paſchæ inchoatur ab ipſa Miſſa.

Ex his duobus dictis à Domin. Sot. primum probatur propter rationem adductam, quoniam cum tex. dicat, *In feſtiuitatibus verò Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes*, & ſecundum communem vſum loquendi, feſtiuitates Natalis, Paſchæ, & Pentecoſtes durent per tres dies, qui obſeruantur à fidelibus, ſequitur de illis omnibus diebus eſſe intelligendum.

Nihilominus oppoſitum cenſeo probabilius, vt dicamus hanc conceſſionem pro ipſis primis diebus dictarum feſtiuitatum eſſe intelligendam, & in ipſis terminari, neque ad immediatè ſequentes extendendam fore, vt ſentiunt B. Antoni. Syluc. Couar. & Henriquez locis citatis. Probatur primò, quoniam feſtum Natiuitatis, ſi ſimpliciter proferatur, accipitur tantum pro primo die illius feſtiuitatis, tum quia illa die commemoratur ab Eccleſia myſterium Natiuitatis Chriſti, quoniam eo die natus eſt Chriſtus, tum quia alijs duobus, vel tribus diebus ſuccedentibus agitur feſtum Sancti Stephani, Sancti Ioannis, & Sanctorum Innocentium. & eodem modo ſumendæ erunt feſtiuitates Paſchæ, & Pentecoſtes, ſcilicet pro primis diebus, quia textus eodem modo loquitur de omnibus, & non eſt maior ratio, cum feſtum Paſchæ, & Pentecoſtes extendi debeat ad ſequentes dies, quam feſtum Natiuitatis, cum hoc non minus ſolenne ſit, quàm illa duo. Secundò quia myſterium Reſurrectionis Chriſti, & miſſionis Spiritus Sancti ſingulis diebus certis accidere ſoleant, ſicut myſterium Natiuitatis, ergo feſtiuitates horum myſteriorum propriè celebrantur primis diebus. Quare cum Summus Pontifex ſuſpendat Interdictum in his feſtiuitatibus, vtique de primis diebus intelligere debemus, Nec refert ad hunc effectum, de quo agimus, quòd Eccleſia myſterium Reſurrectionis, & Pentecoſtes celebret tribus diebus, nam ob eãdem rationem hoc priuilegium extendendum eſſet ad totam octauam, qua currente ſemper recolitur idem myſterium, cum tamen hoc ab omnibus impugnetur. Tandem hæc conceſſio eandem vim habet in ſingulis quatuor feſtiuitatibus, & eodem modo eſt interpretanda, quoniam ex verbis textus nulla colligi poteſt ratio diuerſitatis. Sed in feſto Aſſumptionis B. Virginis accipitur pro vnica die ipſius ſolennitatis, vt clarum eſt, quia non habet alios feſtos ſequentes, ergo ſimiliter feſtiuitates Natiuitatis, Paſchæ, & Pentecoſtes intelligi debent de primis diebus, quia Papa eodem modo loquitur.

Quod verò ſpectat ad ſecundum dictum Soti minus videtur probabile, quoniam eius ſententia videtur ſingularis in re graui, & oppoſitum eſt probabilius, ratio eſt, quoniam ſi in c. Alma conceditur vnica dies in ſingulis prædictis quatuor feſtiuitatibus, vt probaui ex dictis, in qua celebrari poſſit Miſſa publicè ac ſolenniter, ergo non poteſt extendi hoc priuilegium ad

A tempus Vigiliæ, quando peragitur ſacrificium, tunc enim duo dies concederentur, non vnicus, nam quamuis Miſſa Vigiliæ per quandam participationem ſit etiam de Reſurrectione, tamen hoc non ſufficit, quia eodem modo Miſſa ſecundæ diei eſt de eodem myſterio, & tamen non comprehenditur ſub illo priuilegio, vt dixi quia re uera non eſt feſtum Paſchæ, ſed aliquid concomitans ad maiorem cultum, & reuerentiam illius myſterij. Idem igitur dicendum eſt de celebritate Vigiliæ per anticipationem. Verùm quamuis opinio Soti ſit ſingularis, tamen ſi vſu recepta eſſet in aliquo loco, tolerari poſſet ratione conſuetudinis, & confirmari poſſet ex c. 2. De ferijs, vbi dicitur, quòd quamuis ſcriptum ſit, *A veſpere in veſpere celebratis ſabata veſtra*. Vnde denotatur feſta à Veſperis incipere, &
B terminari nihilominus initium, & finis feſtorum iuxta ipſorum qualitatem, & diuerſarum Regionum cõſuetudinem debet attendi. Sed ſolennitas Reſurrectionis incipit à Miſſa, quæ dicitur in Vigilia, immo ipſa Miſſa eſt noctis Reſurrectionis, ideo dicitur in ea, *Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem*. Sed imbecillitas humana impatiens longiori ieiunij anticipauit, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 25. num. 88. & idem probari poſſet de Vigilia Pentecoſtes, in cuius Miſſa legitur Præfatio Spiritus Sancti, vbi dicitur, *Qui hodierna die Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit*. Similiter Communio, in qua legitur, *Diem ſacratiſſimum Pentecoſtes celebrantes*.

C Dubitatur ſecundò, an huiuſmodi conceſſio ſit extendenda ad alios dies præter dictas quatuor feſtiuitates deſcriptas.

Reſpondeo in primis hoc priuilegium per alios Sũmos Pontifices fuiſſe extentum ad quaſdam alias anni ſolennitates. nam Martinus Quintus eandem facultatem conceſſit in feſto Corporis Chriſti, & confirmauit Eugenius Quartus, & addidit in ſpecie illam locũ habere non ſolum pro ipſo die feſto Corporis Chriſti, ſed etiam pro tota Octaua. Ex quo confirmari poteſt id, quod ſupra concluſum eſt de aliis feſtiuitatibus, nempe illas terminari in ipſo die feſto, & non extendi ad octauam illarum feſtiuitatum. quando enim Summus Pontifex hoc intellexit, curauit exprimere. Hæ
D conditiones horum Pontificum habentur in Bullario, Bulla Martini Quinti eſt vltima inter eius Conſtitutiones, cuius initium eſt. Ineffabile Sacramentum. Illa Eugenij Quarti eſt in ordine quarta, & incipit, Excellentiſſimum, & referuntur ab Ang. Ver. Interdictum 6. num. 16. Sylue. Interdictum 5. §. 2. in fi. B Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. poſt princ Verſ. Item per dictum ca. Alma, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 182. Couar. in c Alma par. 2. §. 5. nu. 1. Verſ. Primum equidem Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 47. num. 2. & Glo. in Clem. 1. Verſ. Reuelatum, de Reliq. & vener. Sancto. prædixit hoc feſtum Corporis Chriſti fore adiungendum alijs feſtis, quibus ſuſpenditur Interdictũ. Item Leo Decimus extendit idem priuilegium ad fe-
E ſtum Conceptionis B. Virginis, & eius Octauam pro ſola Hiſpania, & refertur in Supplemento Minorum Conceſſ. 67. & in eorum Compendio, Ver. Conceptio §. 12. & Ver. Interdictum 2. § 8. Addunt Nauar. citato num. 182. & ex eo Couar. in c. Alma dicto §. 5. num. 2. in fi. Verſ. Ad hæc tamen, hoc priuilegium datum fuiſſe feſto Conceptionis non in omnibus locis, ſed tantũ in his Eccleſijs, in quibus ipſo die Conceptionis officium diuinum Conceptionis celebratur ſecundum ordinem, & ritum inſtitutum à Protonotario de Nogarolis, cuius Miſſa incipit, Egredimini. quę limitatio

ſi vera

si vera esset iam illa extensio priuilegij modò locum non haberet, quia hoc tempore post Pium V illud officium sicut & alia antiqua non sunt in vsu, nisi in aliquo loco ex priuilegio sit retentum. Tamen illa limitatio non habetur in priuilegio Leonis Decimi, vt refertur in Supplemento fol. 24. Concess. 67. & consuetudine obtentum est, vt illa extentio locum habeat etiam in illis locis, in quibus non recitatur dictum officium, vt inquit Henriquez dicto lib. 13. cap. 47. n. 4.

Postulabit quis, an hoc priuilegium reuocatum sit per Concilium Trident. sess. 25. cap. 12. de regular. & dicendum est non esse derogatum, quia Concilium non addit clausulam derogatoriam, sed simpliciter pręcipit, vt interdictum à Regularibus seruetur, quod ab Episcopo est promulgatum, & deinde hoc non est priuilegium speciale ipsorum Regularium, nec ad ipsorum fauorem, sed ad honorem B. Virginis, & pro vniuersa Hispania.

Deinde idem priuilegium per varios Summos Pōtifices concessum fuit ad festiuitates diuersarum Religionum, vt inquit Henriquez lib. 13. de excom. ca 48. nu. 1. & addit non esse reuocatum per Cōcilium Trident. Hæc tamen extentio, vt notat Henriquez, & ante ipsum Sylue. Interdictum 5. §. 7. prope finem, Vers. Septimum non est intelligenda de priuilegijs concessis ante c. Alma, nisi sint postea confirmata, vel renouata, vel nisi talia sint, vt non aduersentur dispositioni dicti cap. Alms, sed est interpretanda talis extensio de priuilegijs postea latis. Tale est priuilegium, inquit Syluest. Prædicatorum, & Minorum, eodem priuilegio gaudent omnes Mendicantes per facultatem illis tributam à Romanis Pontificibus fruendi omnibus priuilegijs aliarum Religionum Mendicantium, & non Mendicantium. Quòd autem hæc extensio priuilegiorum solum sit explicanda de priuilegijs post cap. Alma, colligitur ex verbis dicti cap. ibi, *Non obstantibus quibusuis priuilegijs*, & notant Angel. Interdictum 6. num. 7. & Couar. in cap. Alma §. 5. in fin. hoc esse verum, licèt tale priuilegium habeat simplicem derogationem futuræ concessionis, aut concessionis. Sed de huiusmodi derogatione tractat Armilla Ver. Interdictum num. 40 Item de priuilegijs concessis diuersis Religionibus latè agit, Henriquez citato cap. 48. & circa eadem priuilegia aduertit Syluester Interdictum 5. §. 7. prope fi. Vers. Septimum, quòd si sint concessa personaliter, idest sub hac forma; Cōcedimus vobis, quod possitis celebrare, tunc non posse tales Religiosos admittere alios ad celebrandū, secus si tradantur impersonaliter, nēpe concedimus, vt in vestris Ecclesijs celebretur, & citat Host. Innoc. & alios. Idē notat Henriquez dicto cap. 48. num. 1. in Glo. lit. L.

Præterea eadem concessio c. Alma iuxta sententiā aliquorum recensiorum extenditur ad diem, in qua contingit Regem nouo aduentu ingredi Ciuitatē aliquam suppositam Interdicto. Ita tenet Couar. in c. Alma par. 2. §. 5. n. 4. Vers. Quintò est obseruandum, licèt enim tunc, vt diuina officia celebrentur publicè iuxta decretum dicti c. Alma, & probat auctoritate Ioannis Staphilei in Tractatu de literis Gratiæ, & Iustitiæ, quia deferendum est dignitati Regiæ ex c. Solitæ De maio. & obed. quod locum habebit, vt ipse Couar. ait vel in ipso die aduentus, vel fortasse etiam vsq; ad totam sequentem diem, non ad totum tempus, quo Rex in ipsa Ciuitate permanserit. cederet enim talis suspensio interdicti in graue vilipendium Censuræ Ecclesiasticæ. Hoc idem refert Henriq. ex Couar. d. c. 47. nu. 4. in fin. & nonnulli alij recentiores. Verum de hac A extensione nihil habetur in iure, neque de ea aliquid inueniunt Doctores antiqni. & si propter debitam venerationem Maiestati Regiæ congruum est & conueniens, vt in ingressu eius personæ in aliquam Ciuitatem suspendatur interdictum, simili modo ob eādem rationem multò magis decens erit, vt talis suspensio concedatur in die, quo solennes nuptiæ Regis celebrātur, aut in die natiuitatis Principis, aut in die obitus. Quare talis extensio videtur incerta, & ambigua, & fortitan diei posset conuenire, vt tali die, quo Rex ingreditur Ciuitatem, superior, à quo latum est interdictum, illud suspendat ob reuerentiam debitam Regiæ Maiestati, non tamen quod ob talem aduentum censeri debeat ipso Iure suspensum.

Dubitatur tertiò, quænam Missæ permittantur ce- B lebrari in his quatuor festiuitatibus tempore interdicti, an tantummodo Missæ propriæ illarum festiuitatum, an quæcunque.

Respondeo in prædictis quatuor festiuitatibus non solum licere celebrare Missam propriam illius diei, in qua solennitatis memoria recolitur, sed quamcunque aliam votiuam. Et ratio est, quia permissio est generalis absque vlla exceptione, ergo generaliter est intelligenda. Ita tenet Calder. in Tractatu de interdicto par. 2. num. 13. Vers. Sed quæritur. Addit tamen magis conuenire, & decens videri saltem quantum ad Missam principalē, quæ in Ecclesia celebratur, quòd illa sit de festo, quòd solenniter agitur. Nam finis, pro- C pter quem priuilegium illud concessum est à Summo Pontifice fuit, vt maiori honore, & cultu illæ festiuitates à Christi fidelibus celebrarentur c. Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1. c. 2. De Celebr. Missa. Idem tenet Sylue. Interdictum 5. §. 2. Vers. Secundò quæritur in fi. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap 4. post princ. Nauar. in Manua. cap. 27. numero 185. & probat, quia in Tex. suspenditur interdictum generaliter, & conceditur, vt celebrentur Missæ sicut prius, ergo id intelligi debet generaliter de omnibus Missis absque vlla distinctione, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. nu. 5. Vers. Septimò, Henriquez lib. 13. de excom. & interd. cap. 47. nu. 4.

Et sicut dicimus permissum esse illis quatuor festi- D uitatibus, vt solenniter quæcunq; missæ celebrari possint, idē quoq; dicimus licere in festo Corporis Christi, & Conceptionis B. Virginis cum suis Octauis, & in alijs festis, in quibus per specialia priuilegia concessum est officia diuina solenniter celebrari tempore interdicti, ita Nauar. nu. 86. vbi fatetur olim tenuisse oppositum.

Hinc inferri potest, quando interdictum suspenditur à Iudice ad aliquod tempus determinatum, omne & solum illud licere, ratione cuius suspenditur, vt si suspendatur quoad certam Missam, vel certum Sacramentum, aut sepulturam, id tantum erit permissum, & nihil amplius, vt inquit Nauar. nu. 183.

Dubitatur quartò, quid significent verba illa, quæ E adduntur in d. §. In festiuitatibus; *Sic tamen quòd illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent*, an ista appropinquatio sit intelligenda de locali vicinitate ad Altare, vel de actione exercenda circa Altare, puta vt non admittantur ad oblationem faciendam, vel ad communicandum.

Respondeo in his festiuitatib. iuxta dispositionē c. Alma posse celebrari publicè, & solenniter, sicut prius omnibus admissis etiam interdictis, siue sint ex loco interdicto, siue ex quocunque alio. Excommuni-

cati verò repelluntur non virtute interdicti, sed ex vi ipsius excommunicationis. Illi tamen, propter quorũ excessum interdictum est latum, non debent Altari appropinquare. Quæ prohibitio primò intelligitur de sumptione Eucharistiæ, à qua præcipuè excluduntur isti delinquentes, cum ab Altari remouentur, quia supponuntur contumaces, vt patet ex illis verbis, vt ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur. Nam, & propter hanc causam tunc non tollitur interdictum, quamuis propter solennitatem illarum festiuitatum suspendatur quoad hũc effectum tam loci, quàm personarum, nam alijs etiam interdictis generaliter, & absque propria culpa conceditur illis diebus Eucharistia, quæ comprehenditur sub participatione diuinorum, vt notauit Nauar. in Manua. c. 27. n. 183. cum Glo. in c. Vt priuilegia Ver. Semel, de priuileg. Deinde eadem prohibitio, ne huiusmodi interdicti Altari appropinquẽt accipi etiam potest de remotione ab Altari quoad oblationem faciendam. nam licèt non repetiatur iure vetitum, vt oblationes recipi non possint ab interdictis etiã specialiter, & propter propriam culpã, vt notat Calder. In Tract. de interd par. 2. n. 7. in fi. & citat c. Oblationes dist. 90. & Nauar. in Manua. cap. 27. n. 174. in fine. tamen oblatio facta ad altare, & in Missa prohibetur ex vi interdicti localis, & multò magis personalis, maximè si sit speciale propter propriam culpam, quia vt in superiori disputatione firmatum est, tota Missæ solennitas, & quælibet eius pars prohibetur ex vi interdicti, ergo & hæc oblatio, quæ fit in Missa. Quare non est conueniens, vt dicamus quòd licèt in illis festiuitatibus suspendatur interdictum quoad alios effectus, non tamen quoad hunc effectum, vt interdicti ad Altare offerre nequeant in ordine ad eos, qui contumaces esse supponuntur indebitè, propter quod interdicti sunt, quia oblatio, & receptio à Ministro pro Ecclesia videretur signum reconciliationis, & amicitiæ, præsertim vbi huiusmodi oblationes recipiuntur ad Altare. Quare & ipsæ oblationes, quæ dantur pro defunctis, vt notat Calder. d. nu. 7. & Nauar. citato nu. 174. in fi. non sunt recipiendæ, nisi signa dederint pœnitentiæ cum decesserunt. His igitur duobus modis interpretari possunt verba illa, & vterque sensus verus est. Addi potest alia quoque intelligentia, vt accipiamus verba illa de remotione ab Altari quoad locum, quod spectat ad decentiam, cum propter eorum culpam, & contumaciam non videãtur digni, vt propius Altari appropinquent, sed longè ab eo separentur, vt & ipsi erubescant, & alij timeant.

Dubitatur quintò, Vtrũ in his festiuitatibus teneãtur oẽs sub præcepto peccati mortalis audire sacrũ.

Respondeo absque cõtrouersia omnes esse obligatos interesse Missæ. Ratio est, quoniam remoto, vel saltem suspenso impedimento interdicti remanet in suo robore, præceptum præsertim de Missa audienda in die festo.

Major autem difficultas est de alijs diebus præter has festiuitates, Vtrum habentes priuilegia, teneãtur audire Missam diebus festis. qua in re duæ sunt opiniones, prima, affirmat, ita Domin. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. circa fi. Nauar. in Manua. cap. 21. nu. 3. Henriq. lib. 13. cap 48. nu. 5. & alij. & probatur hæc opinio. talia potest audire Missam, quia virtute priuilegij sublatum est impedimentum Interdicti, ergo tenetur audire Secundò quoad hunc priuilegiatum potest dici nullum esse interdictum, ergo obligatur ex præcepto ad audiendam Missam, sicut antequam poneretur interdictum. Tertiò si quis in carceribus esset constitutus, & die festo tribueretur licentia, vt si vellet sacro interesse, teneretur ex præcepto audire Missam, & si illam omitteret, peccaret, ergo idem in proposito casu est affirmandum. Est nihilominus secunda opinio negatiua Victoriæ, & Cani existimãtium huiusmodi priuilegiatos non teneri ex præcepto tempore interdicti audire Missam diebus festis. Probant hanc sententiam primò, quia nemo cogitur vti priuilegio sibi concesso, cum priuilegium non tribuatur inuito. Secundò tempore interdicti est obligatio laicis non audiẽdi diuina, ergo qui habet priuilegium, potest huic obligationi se conformare, maximè cum hoc sit intẽtioni Ecclesiæ accommodatum, vt Censuræ Ecclesiasticæ in suo rigore seruentur.

Ad hanc dubitationem respondendum videtur, vt dicamus primò omnes Clericos, & Religiosos, qui ex Iure communi facultatem habent audiendi Missam tempore interdicti tenentur illam audire diebus festis; idque ab omnibus admittendum videtur. nã Clerici iure communi non sunt prohibiti ab audiendis, vel celebrandis sacris tempore interdicti seruata moderatione c. Alma, ergo nihil habent, quo se excusare valeant, si non audiant. Quare licèt communiter dici soleat, quòd Clerici ex iure communi habent priuilegium tempore interdicti audiendi diuina, proprius tamen & verius loquimur, si asseramus hoc non esse illis ab ipso iure prohibitum.

Secundò dicimus, quòd quantum ad eos, qui gaudent priuilegio audiendi diuina tempore interdicti, secunda opinio mihi semper visa est probabilior, quæ præter rationes factas probari potest etiam; nam si tempore interdicti dicatur Missa in aliqua Ecclesia admodum distante, vt non includatur intra continentia mœniorum, quamuis non esset tanta distantia, vt idcirco incolæ illius loci excusari possent à præcepto audiendi sacrum die festo, quando non est interdictum, tamen non tenerentur homines habentes priuilegium tempore interdicti illuc ire ad audiendam Missam. vnde sumitur argumentum huiusmodi priuilegiatos non teneri.

Quare ad primam rationem pro prima sententia respondetur, quòd quamuis extet priuilegium audiẽdi Missam diebus festis, & priuilegiatus tempore interdicti possit audire, tamen nõ tenetur, quoniam viget tunc aliud præceptum Ecclesiæ de non audiendis diuinis, cui potest se conformare, si velit. Ad secundã rationẽ dicitur, q̃ licèt interdictũ non obliget simpliciter priuilegiatum ad sui obseruationem, quia respectu ipsius priuilegiati nõ est interdictum, est enĩ ita, vt sit in potestate priuilegiati posse illud obseruare, si velit. Ad tertiã concesso antecedente negatur consequentia, nam impedimentum in veris est personale, sicut est impedimentum infirmitatis, ideo illo cessante viget obligatio audiendi Missam, at interdicti impedimentum est impedimentum iuris, ideo licet priuilegiato se illi conformare.

Dubitatur tertiò, Vtrum hæc concessio celebrandi in his festiuitatibus habeat locum tantum in interdicto locali generali, vel etiam in speciali.

Respondeo probabilius esse, vt hæc concessio facta censeatur supposito interdicto locali generali, idest, vt in Ciuitate, Terra, seu loco supposito interdicto prædictis solennioribus diebus Missæ publicè celebrari possint, non autem in loco specialiter interdicto. ita tenet Henriq. lib. 13. cap. 47. nu. 2. & probari potest ex verbis dicti cap. Alma, nam in §. In festiuitatibus conceditur,

ceditur, vt in dictis festiuitatibus officia diuina publicè celebrentur in loco, in quo in prædedenti §. Adijcimus præterea, permissum erat, vt singulis diebus eadem officia celebrarentur cum quadam moderatione, & adhibitis quibusdam conditionibus, quas superius declaraui. Sed concessio illa celebrandi quolibet die anni intelligitur facta pro loco generaliter interdicto, vt probatum est, ergo idem est affirmandum de solenni celebratione in prædictis festiuitatib.

Dubitari posset septimò, Vtrum hæc concessio facta celebrandi publicè in loco generaliter interdicto supposito in dictis anni festiuitatibus extendi debeat tempore Cessationis à diuinis, Couar. enim in ca. Alma par. 2. §. 5. nu. 3. Vers. Quartò licèt dicat partem negatiuam esse probabilem, tamen magis inclinat in affirmatiuam, vt hoc priuilegium sit extendendum ad Cessationem, & nititur illam probare. de qua tamen difficultate, quoniam pertractaui in Disputatione de Cessatione cap. 3. nihil modò addendum occurrit.

CAPVT IV.

Vtrum per Interdictum personale persona interdicta prohibeatur omnino à celebratione Missæ.

HActenus disputatũ est de interdicto locali quoad hunc effectum celebrandi sacrificium Missę, aut in eo ministrandi, vel assistendi, modò de eodem effectu pertractandum est in hoc cap. ex vi Interdicti personalis.

Qua in re illud tanquam verum, & indubitatum affirmari potest; Per interdictum personale tam generale, quàm speciale vetitum esse omnibus interdictis celebrare, vel ministrare, aut assistere sacrificio Missæ in quocunque loco, siue interdicto, siue non interdicto, vt habetur in c. Si sententia in fi. de sent. excomm. lib. 6. *Cum verò alicuius Terræ populus interdicto nodatur singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat, ne sententia effectu careat, cum diuinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo, vt vniuersis non competant, non debere alicubi casibus expressis à iure duntaxat exceptis, audire diuina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta.* Ad idem facit cap. Clerici, & cap. Latores, de Cleri. excommun. mini. In quibus locis Alexander Tertius mandat, vt interdicti celebrantes deponi debeant. Neque quoad hoc interdictum personale reperitur aliqua relaxatio, vel suspensio in iure nouo, nisi tantum illa, quæ habetur in cap. Alma, nempe quòd in quatuor illis Anni festiuitatibus personæ interdictæ interesse possunt sacrificio Missæ, si sint generaliter interdictæ, quæ verò specialiter sunt interdictæ, possunt audire Missam, sed cum illa moderatione dicti cap. Alma, vt Altari non appropinquent. quæ conditio quomodo sit intelligenda, & quos sensus habere possit, declaraui superiori capite. Itaque Sacerdos interdictus nullibi celebrare potest etiam cum illis quatuor conditionibus cap. Alma, de quibus superius egi, vt inquit Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 3. Vers. septimò, & probat, quia dictum cap. Alma loquitur de interdicto lato in locum, quasi secus sit, quoties interdictum pronunciatum fuerit in personam, quare, inquit, illum, qui interdictus est, nequaquam posse iuxta formam dicti cap. diuinis officijs operam dare, neque etiam in his diebus solennibus, qui ibi enumerantur.

Sed hic duo occurrunt dubia discutienda. Primum est, An personæ non interdictæ liceat audire Missam Sacerdotis interdicti. Secundum est, vtrum Sacerdos non interdictus possit absque culpa, & pęna celebrare Missam præsente persona interdicta.

Quoad primam difficultatem certum est licere absque culpa audire Missam Sacerdotis interdicti, si non sit nominatim publicè denunciatus interdictus iuxta Extrauag. Ad euitanda. Et patet, nam si licita est communicatio cum excommunicato etiam in diuinis ante denunciationem, vt latius explicatum est in materia de excommunicatione, multò magis id videtur affirmandum de interdicto.

Sed dubium est, postquam est nominatim Sacerdos interdictus, an liceat eius Missam audire. Ratio dubitationis est, quoniam non licet audire Missam Sacerdotis excommunicati denunciati, ergo neque Sacerdotis interdicti. ita enim interdictum est Censura Ecclesiastica, sicut Excommunicatio; Et Extrauag. Ad euitanda simpliciter loquitur de Censuris. Secundò prohibentur fideles audire Missam Sacerdotis suspensi, vt colligitur ex c. fi. de cohab. Cleri. & Mulier. Vbi Gregorius IX. declarat Clericum in officio suo ab alijs esse vitandum, quando suspensus est pro peccato notorio, ergo ob similem rationem idem asserendum est de Clerico interdicto. Tertiò videtur minus malũ audire Missam in loco interdicto, quàm à persona interdicta. Sed primum non licet, ergo neq; secundum.

De hac dubitatione, scilicet quomodo interdictus sit vitãdus in humanis, vel in diuinis actionibus à laicis, vel à Clericis, suo loco pertractabitur; Sed quantũ spectat ad propositam difficultatem de Missa Sacerdotis interdicti denunciati, censeo probabiliter responderi posse non esse prohibitum assistere tantum, & audire Missam Sacerdotis interdicti etiam denunciati, quoniam nullum extat ius, quo talis præsentia, & auditio sit vetita, & aliunde non oritur obligatio euitandi Communicationem cum persona interdicta, quoniam inter effectus interdicti non ponitur hæc priuatio communionis, sicut enumeratur inter effectus Excommunicationis; Et idcirco non licet audire Missam Sacerdotis excommunicati, quia esset communicare cum illo in sacris. Et quod dicitur de Sacerdote suspenso, falsum est, quia cum suspensio non priuet communione fidelium, vt probatum est suo loco, non est vetitum ex vi huius Censuræ audire sacrum Sacerdotis suspensi, nisi in quibusdam casibus specialibus, in quibus oritur hæc obligatio non tanquam effectus suspensionis, sed quoniam ita definitum est ab ipso iure, vt suspensi ob quædam crimina notoria sint vitãdi in sacris, de quib. egi in materia de suspẽsione.

Ad tertiam rationem de interdicto locali dicendũ est non esse parem rationem de interdicto locali, & personali, quia interdictum loci directè, & immediatè prohibet, nec in tali loco liceat celebrare, vel interesse diuinis, nisi in casibus à Iure expressis. Interdictum autem personale fertur cõtra personam interdictam, ne faciat, vel audiat diuina. nõ prohibet autem alios, ne cum illa persona interdicta communicet in diuinis. nullibi enim continetur talis prohibitio. Quare licet cooperatio cum persona interdicta ad rem diuinam faciendam ex natura rei sit prohibita, vt si quis inducat, vel consulat, vel alio modo adiuuet, vt persona interdicta, vel celebret, vel audiat diuina, quia est causa cooperans ad peccatum illius, tamen interesse, vel simpliciter audire eius Missam absque vlla cooperatione non est aliquo Iure damnatum.

Ad secundam dubitationem transeundũ est, in qua

ratio difficultatis oritur ex eodem principio paulo ante proposito, nempe quòd cum ex vi censuræ interdicti non sit prohibita communicatio etiam in sacris, consequenter non erit prohibitum Sacerdoti, qui non sit obstrictus aliquo impedimento celebrare præsentibus personis interdictis, quia celebrare coram interdictis est sola communicatio, & permissio absque vlla cooperatione, ergo non est vetita. Secus esset si Sacerdos induceret aliquam personam interdictam, vt sibi deseruiret ad Altare, vel vt assisteret Missæ, tunc enim cooperaretur ad eius peccatum, quod ex natura rei est malum. Sed cum Sacerdos simpliciter celebrat coram interdictis, non inducit illos, vt intersint Missæ, sed tantum permittit, quod non prohibetur.

Oppositum tamen est affirmandum tanquam verum, nimirum Clericos Ministros Ecclesiæ teneri ex officio non celebrare coram personis interdictis, sed illis expellere debere. Probatur primo, quoniam iura expressè præcipiunt, vt personæ interdictæ excludantur vt patet ex c. Permittimus de sent. excomm. Vbi permittitur Ministris Ecclesiarum semel in hebdomada tempore interdicti celebrare adhibitis quibusdam conditionibus, & *Interdictis exclusis*. Idem habetur in c. Alma, & alibi. Secundò quoniam diuersa ratio assignari potest, propter quam non sit vetitum, vt quis audiat Missam Sacerdotis interdicti; & è contra non sit permissum, vt Sacerdos non interdictus celebret coram persona interdicta, & est, quoniam ad Ecclesiæ Ministros pertinet ex proprio officio expellere indignos, ne assistant diuinis, & ad hunc finem institutus est ordo ostiariatus ad remouendum eos, quos Ecclesia indignos declarauit, vt sic Censuræ Ecclesiasticæ seruentur, & ex vi huius obligationis tenentur eijcere etiam interdictos. At laici audientes Missam non tenentur hac obligatione expellendi personas interdictas, vel alia censura innodatas à diuinis. Et ideo quāuis Laicus exiret, ne audiret Missam Sacerdotis interdicti, non propterea impeditur violatio interdicti, sicut impediretur violatio, si Sacerdos vidēs personam interdictam abstineret à celebratione, ideo non est eadem ratio in vtroque casu.

Sed postulabit aliquis, quid agendum si Minister Ecclesiæ tempore, quo celebrantur Missæ, velit expellere aliquem ibi præsentem, quem cognoscat esse interdictum denunciatum, & ille recuset exire.

Respondendum est esse expellendum per vim, sicut dixi de excommunicato, si commodè, & sine magno scandalo id exequi potest, quia hoc non est vim inferre, sed iura, & immunitates Ecclesiæ tueri. Quod si talis vis non possit adhiberi, vel non sufficiat ad eum expellendum, in his casibus duo sunt modi respondendi, Aliqui dicunt tunc Missam esse omittendam, & nullo modo coram persona interdicta peragēdam, & si iam est inchoata, non esse perficiendam, sed dimittendam, nisi Consecratio, vel saltem Canon inceptus fuerit, sicut de excommunicato dictum est, quod colligitur ex verbis dictæ Clem. præsertim in fi. *Nec non Excommunicatos publicè, & Interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim à celebrantibus, vt exeant moniti renunciare præsumpserint &c.* ergo quoad hoc interdicti æquiparantur excommunicatis.

Contrariam sententiam tenet Suarez Tomo quinto ad 3. partem, D. Thom. disp. 34. sect. 3. censet enim non debere Sacerdotem Missam omittere, si persona interdicta præsens nolit exire, neque per vim absque scandalo expelli possit. Et licèt pro certo id non audeat affirmare, tamen censet hoc in praxi probabile. Probatur hæc sententia ex auctoritate negatiua Doctorum, quoniam nullus reperitur, qui hoc expressè asserat de interdicto, scilicet quòd si noluerit exire, non sit celebranda Missa, vel si iam inchoata est, quòd sit dimittenda imperfecta, sicut id exprimunt, quando Excommunicatus est præsens. argumentum igitur est non eodem modo sentire de interdicto, sicut de excommunicato, quoniam si existimassent eandem esse rationem de vtroque, quantum ad hoc non tacuissent in re graui. Vnde Glo in dicta Clem. 2. Ver. Inexpleta, de sentent. excommunic. inquit, *Debet enim Sacerdos dimittere officium Missæ propter præsentiam excommunicati, nisi iam incepisset Canonem &c.* Nihil dicit de interdicto, Domin. Sot. in 4. sentent. distinct. 22. quæst. tertia, articul. primo, duobus modis ait Clericum violare Interdictum celebrando nempe si ipse sit interdictus, vel in loco interdicto celebret. De celebratione autem coram interdicto nihil loquitur, & eodem modo ait Sylue. Interdictum 5. & alij, qui nihil dicunt de hoc effectu, & Nauarr. in Comment. de Oratione cap. 16. num. 59. Loquens de causis, propter quas non sit perficienda Missa inchoata, inter alias recenset ingressum Excommunicati denunciati in Ecclesiam, si nolit egredi, & num. 60. in fine, aliam causam enumerat, quando post inchoatam Missam imponitur interdictum speciale, vel talis Cessatio, vt neque ianuis apertis, neque clausis celebrari possit, vel interdictum generale, & non permitterentur portæ occludi. de interdicto personali nullam mentionem facit, ergo existimat præsentiam personæ interdictæ non esse causam dimittendi Missam. Secundò eadem sententia probari potest, quoniam nullum est ius, ex quo colligatur interdictum personale parere hanc prohibitionem, ergo sine auctoritate non est asserendum, nec potest id inferri ex similitudine Excommunicationis, quia in pœnis non valet argumentum à simili, tum etiam, quia Interdictum non est simile Excommunicationi, quia Excommunicatio est grauior Censura, ex qua plures prohibitiones sequuntur, quàm ex interdicto. Vnde personæ interdictæ admittuntur ad diuina tempore Interdicti ex permissione cap. Alma, non autem quæ sunt excommunicatione obstrictæ.

Quare Suarez ad dissoluendum hanc difficultatem vtitur distinctione, nempe vel Sacerdos celebrat in loco interdicto, vel in alio loco non interdicto, in quo legitimè absque vlla prohibitione possit celebrari, si in loco interdicto, & ingrediatur persona interdicta nominatim, neque possit expelli, tunc cessandum est à Missa, probatur ex cap. Alma, cum ait, *Excommunicatis, & interdictis exclusis*; Vbi æquiparantur quoad hunc effectum interdicti ipsis excommunicatis. Et ratio huius dicti est, quoniam peragere sacrum in loco interdicto ab ipso iure prohibetur, nisi cum conditionibus expressis in cap. Alma, vbi non derogatur iuri antiquo, nisi sub illa conditione, vt interdicti excludantur, ergo quoties hæc exceptio seruari nō potest, non habet locum concessio facta in dicto c. Alma ad celebrandum, sed standum erit prohibitioni iuris antiqui, vt in loco interdicto celebrari nequeat. Causa enim potissima, propter quā prohibeatur celebratio, est interdictum locale, quāuis occasio non celebrandi oriatur ex interdicto personali, ratione cuius fit, vt non possit adhiberi cōditio requisita in celebratione tempore interdicti. hoc docuit Nauar. in illo c. 16. nu. 60. De Oratione, cum ait, quod si inchoata Missa su-

sa superueniat interdictum generale, & non possint valuæ occludi, Missa incepta est dimittenda, si non sit ventum ad Canonem, ob eam rationem, quia non potest impleri conditio ab ipso iure requisita, vt ianuæ claudantur, quando celebratur. Igitur idem est affirmandum de hac conditione de qua tractamus, vt interdicti, excludantur cum eodem modo hac requiratur in celebratione, sicut illa, vnde inferri potest quòd si Sacerdos audet celebrare in loco interdicto præsente persona interdicta, incurrit irregularitatem non quia celebret coram persona interdicta, hæc enim irregularitas nullibi exprimitur in iure, & tamen irregularitas non incurritur, nisi in casibus iure expressis c. Is cui, de sent. excom. lib. 6. sed erit irregularis, quia celebrat in loco interdicto iuxta textum in cap. Is cui §. Is verò eod. tit. & lib. *Is verò, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit.*

Si verò Sacerdos celebret in loco non interdicto præsente persona interdicta, & per vim expelli nequeat, in hoc casu probabile censet Suarez non esse ob eam causam Missam dimittendam incompletam, sed absoluendam fore, & probat primò quia omnia iura, quæ præcipiunt debere excludi interdictos loquũtur, quando celebratur in loco interdicto, vt in c. Alma, in Clem. 2. de sent. excom. in c. Cum in partibus, de verbo. signif. in c. Quod in te, de pœnit. & remiss. & nullibi statuitur, vt sit dimittenda Missa propter solum Interdictum personale. Secundò interdictum per se non obligat ad vitandam communionem personæ interdictæ, si fiat sine cooperatione ad peccatum, & sine contemptu, & scandalo, vel ex alio capite communicatio sit illicita. Sed celebrare coram persona interdicta præcisè per se fieri potest sine cooperatione, cõtemptu, & scandalo, si minister Ecclesiæ functus est munere suo, & curauit, quantum potuit, & licuit per vim expellere, & tamen non valuit eijcere, ergo talis communicatio non erit damnata. Vnde in cap. Responso, de sent. excom. Papa permittit Episcopo Ferrariensi, vt possit Ciues excommunicationis, & interdicti sententijs ligatos semel in hebdomada, vel in mense apud aliquam Ecclesiam conuocare, & illis prædicare verbum Dei, & addit, *Dummodo contra formam interdicti nullum eis diuinum officium celebretur.* Quare quando non vocatur persona interdicta, sed nõ potest eijci, diuina officia celebrari poterunt. Similiter in cap. Episcoporum, de priuileg. lib. 6 prohibetur ministris Ecclesiarum, ne *Excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta vel Ecclesiarum sepulturam admittunt.* Sed aliud est admittere, aliud est permittere, vt sint præsentes, si eijci nequeant. Tertiò probatur, quoniam aliquando licet solenniter celebrare præsentibus Interdictis, vt in quatuor illis festiuitatibus ex concessione c. Alma, vt inquit Glo. in dicto cap. Episcoporum Ver. Officia, de priuileg. lib. 6. nunquam tamen à iure permissum est, vt solenniter celebretur in loco interdicto, nisi cum illis conditionibus cap. Alma, ergo apparet differentia, quare sint dimittenda officia, si adsit præsens interdictus in loco interdicto, non autem oriatur eidem obligatio ex sola præsentia personæ interdictæ in loco non interdicto, & cum materia sit pœnalis non videtur extendenda ab vno casu in alium.

Hæc sententia Suarez est probabilis, & rationes, quibus nititur illam confirmare, satis illam persuadere videntur, & præsertim, quia hæc prohibitio cele-

A brandi coram iono datis aliqua censura propriè locum habet in Excommunicatis extra casus in iure expressos, quoniam ab ipso iure interdicta est solum communicatio cum Excommunicato denunciato, præcipuè in sacris, non cum suspenso, vel interdicto, quia tamen est opinio singularis, & nullus est alius, quem legerim, qui illam afferat; Propterea in praxi illam non consulerem, sed potius censerem tutiorem partem eligendam esse, vt quoties persona interdicta non posset expelli ab Ecclesia, cessandum esset à sacrificio Missæ, si Canon non esset inchoatus, cum inter alias conditiones requisitas ad celebrandum tempore interdicti, hæc sit vna, vt interdicti, & excommunicati excludantur, & sic videmus hac in re interdictos fuisse comparatos excommunicatis, &

B in quatuor festiuitatibus, cum Papa permitteret celebrationem præsentibus interdictis illud declarauit, ergo præter illas festiuitates nullo modo permissa est celebratio coram interdictis, quia interdicitur Ecclesia saltem mediatè, in qua sit præsens persona interdicta.

CAPVT V.

Quæ alia officia intelligantur probibita tempore Interdicti sub illa particula in cap. Alma,

Nulla certis casibus, & Sacramentis exceptis, diuina celebrentur officia.

C

Certum est tempore interdicti nulla diuina officia celebrari posse, vt patet ex pluribus locis in iure, vt in cap. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. Interdicto populo non debet quis ex eo alicubi audire diuina, & ita simpliciter prohibetur auditio diuinorum cap. Alma, de sent. excom. lib. 6. dicitur nulla diuina officia celebrari posse cap. Episcoporum, & cap. Licet de priuileg. lib. 6. eadem prohibitio diuinorum officiorum repetitur clarius in cap. Non est vobis in fi. de sponsal. ibi, *Nulla diuina officia.* Et hæc prohibitio aptanda est ad singulas species interdicti, sicut dictum est de Missa; nimirum in loco generaliter interdicto

D diuina officia fieri non possunt, neque audiri in Ecclesia, nec in alio quouis loco, quod comprehendatur tanquam pars adiacens in loco interdicto generaliter. Similiter eadem officia multò magis prohibentur celebrari, & audiri in loco specialiter interdicto. Eodem modo per Interdictum personale generale, & speciale prohibentur personæ interdictæ eadem officia celebrare, vel illis interesse vbique locorum.

Dubium est, quæ alia officia prẹter Missam intelligantur sub hac prohibitione; Nam appellatione diuinorum officiorum non semper eadem in iure significantur. Sed hæc vox aliquando vniuersalius nonnunquam specialius vsurpatur. In capit. Non est

E vobis, de sponsal. nomine diuinorum significantur sacramenta, sacrificia, & quælibet alia officia ecclesiastica; *Nulla diuina officia præter Baptismum paruulorum, & pœnitentias morientium celebretis.* Nonnunquam officia diuina accipiuntur tanquam distincta à Sacramentis, vt in cap Si sententia, §. Cum verò de sentent. excommunic. lib. 6. *Cum diuinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo, vt vniuersis non competant.* Similiter in cap. Episcoporum, de priuileg. eod. lib. *Aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, &c.*

Interdum etiam diuina officia intelliguntur non solum vt distincta a Sacramentis, sed etiam à sacrificio Missæ, *Et in Conuentualibus Ecclesiis bini & bini, vel simul tres horas Canonicas valeant legere, non cantare &c.* Clarius in cap. Alma, §. Adijcimus, de sentent. excommun. lib. 6. *Adijcimus præterea, quòd singulis diebus in Ecclesiis, & Monasterijs Missæ celebrentur, & alia diuina officia.* & paulò pòst, *In horis intersunt, canonicis tribuuntur, si ad officia non venerint supradicta &c.* Quare cum tempore interdicti sint prohibita diuina officia, & sub hac appellatione comprehendantur Sacramenta, sacrificium Missæ, & alia ecclesiastica officia; & hucusque cum dictum sit de Sacramentis, & de sacrificio Missæ, superest, vt de alijs officijs pertractemus, &, quæ illa sint, inquiramus.

Non vno & eodem modo explicant Doctores, quæ officia diuina prohibeantur tempore Interdicti, Syluester Interdictum 5. §. 5. Vers. Secundum celebratio diuinorum, & Ang. Interdictum 5. num. 4. asserunt sub hac prohibitione contineri sola illa officia, quæ in Breuiario Romano, & Missali comprehenduntur. Nō intendunt autem per Interdictum prohiberi omnia, quæ in Missali, aut Breuiario includuntur. Multa enim in illis libris reperiuntur, quæ licita sunt tempore Interdicti, vt Benedictio mensæ, itinerarium Clericorum, & multæ benedictiones aquæ, ignis, frugum, & similia. Hæc opinio videtur satis incerta, & dubia, tum quia non declarat ex his multis, quæ in Missali, & Breuiario continentur, quæ licitè fieri possunt tempore interdicti, & quæ sint illicita, tum etiam quia plura habentur diuina officia in Pontificali, vel Rituali, quę non sunt in Missali, neque in Breuiario, & tamen sunt vetita tempore interdicti.

Vnde Nauar. in Manua. cap. 27. nume. 172. impugnans prædictam sententiam Sylue. & Ang. concludit rectè definiri posse officia diuina in hac materia, de qua loquimur, dici omnia illa, quæ habentur ordinata in Missali, Breuiario, aut Pontificali, vel in alijs libris ad vsum Ordinum, & aliorum Sacramentorum, vel Sacramentalium, aut ad horas Canonicas. Hanc opinionem sequitur Henriquez lib. 13. de excomm. & interdicto cap. 44. num. 1. & sub hac descriptione primò comprehendere voluerūt omnes partes horarum Canonicarum, & illa omnia, quæ pro diuersitate temporum ex institutione Ecclesiæ, & consuetudine locorum adiunguntur horis canonicis, vt est Officium B. Virginis, Officium Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, & Graduales Litaniæ. Similiter sub genere eorum, quæ ordinantur ad vsum Sacramentorum, & Sacramentalium, comprehendunt omnes ceremonias sacras, quæ requiruntur ad talem vsum, vel vt præparatio, vel vt solennitas, vt est benedictio olei Chrismatis, Fontis, Nuptiarum, Consecratio, vel benedictio Ecclesiæ, Altaris, Sacrorum Vasorum, vestium, paramentorum, solennis benedictio Aquæ, atque etiam benedictio Episcopalis, & similia.

Hæc opinio hoc modo explicata vera est. Verum vt tota hæc difficultas clarius intelligatur magis distinctè; Respondendum videtur ex quibusdam principijs, & fundamentis.

Primò igitur præmittendum est officium diuinum posse considerari duobus modis quantum spectat ad præsentem materiam, primò modo, vt est institutum ab Ecclesia tanquam signum quoddam externum ad significandum cultum Deo debitum, & ad protestandam fidem, & Religionem Christianam. & hæc dicitur publicum officium. Vnde sequitur, vt tale officiū

A debeat consistere in aliqua actione externa. nam actiones purè mentales licèt quoad Deum sint officia diuina, non tamen Ecclesia de illis disponit, cuius potestas non extenditur ad actus purè internos. Secundo vt dirigatur immediatè ad Deum, quia ordinatur ad eius cultum, ideo Concio non dicitur officium diuinum, quia non est immediatè ad Deum, sed ad populum instruendum. Quare officium diuinum necessariò consistere debet in deprecatione aliqua, vel laudatione diuina. Tertiò debet fieri publicè, & solenniter, idest in loco deputato nempe in Ecclesia à Ministris Ecclesiæ ex ipsorum officio, & pro communi vsu populi Christiani. Alio modo officium diuinum considerari potest, vt est priuata recitatio orationum,

B & precum, quæ à quailbet persona fieri potest in quocunque loco per actum externum siue internum, non nomine Ecclesiæ, sed priuato, quod vocari potest officium diuinum, non Ecclesiasticum.

Hoc posito respondendum est quęstioni, Per interdictum generale locale prohiberi omnia illa officia, quæ propriè dicuntur Ecclesiastica, non autem officia priuata, quę non fiunt à Ministris Ecclesię, neque ex modo suo sunt deputata alicui ordini Clericali. Quare licèt eadem officia quantum ad materiam possint esse publica, & priuata, quatenus fiunt à publico Ministro Ecclesię, vel à priuata persona, tamen priuata officia non prohibentur per Interdictum etiam si eadem sint, quę continētur in Breuiario; Quia hæc pro-

C hibitio solum locum habet in officijs Ecclesiasticis, quæ vocantur illa, in quibus requiritur modus, & forma illa explicata. Omnia igitur officia, quæ fiunt in Ecclesia ab eius Ministris modo prædicto, & non possunt fieri, nisi à Clero ad illud munus specialiter deputato, sunt interdicta, & prohibita ex vi interdicti. Ita sentiunt Sylue. Interdictum 5. §. 5. Vers. Secundum, & Interdictum 6. §. 2. Vers. Primum Clericus, Ang. Interdictum 5. num. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 172. Henriquez lib. 13. de excom. & interd. cap. 44. num. 5. Anchar. in cap. Alma num. 7. Abb. in cap. vltimo, num. 5. de excess. Prælat. Ratio huius conclusionis est, quoniam quando Minister Ecclesiæ eo modo celebrat officium diuinum, exercet munus suum

D nomine, & auctoritate Ecclesiæ, & ad publicum, & communem vsum Christianorum, & hunc vsum spectantem ad ordinem Clericalem intendit Ecclesia per interdictum prohibere, vt inquit Abb. Hic autem modus celebrandi officium colligitur ex publica actione ex voce seu cantu, ex apparatu, ex vestibus sacris proprijs Clericorum, & ex simililibus. Vnde omnis sacra benedictio ab Ecclesia ordinata cum cæremonijs, & deprecationibus, quæ regulariter impenditur à Sacerdote comprehenditur sub appellatione diuinorum officiorum, quæ prohibentur per interdictum, de quibus distinctè inferius agam, & asserit Maiol. libro tertio, capit. 20. numero quarto, De irregular.

E Ex quibus inferri potest officia illa, quæ ex forma, & modo non sunt propria alicuius ordinis Clericalis, non prohiberi tempore interdicti, siue publicè, siue secretò fiat, quia non sunt publica, & Ecclesiastica, sed tanquam priuata.

Contra obijciet quis, si tempore interdicti prohibita sunt tantum officia illa diuina, quę sunt propria Clericorum, & sunt deputata certo ordini, sequeretur eo tempore Moniales iuxta consuetum morem psallentes horas canonicas in suis Ecclesijs, non violare Interdictum, quod tamen est falsum, ergo offi-

cium

cium diuinum non comprehendit solum orationes, laudes, & deprecationes sacras ordini Clericali deputatas.

Respondendum est horas Canonicas contineri sub illa generali regula officiorum diuinorum, quæ pertinet ad Clericos ordine Ecclesiastico insignitos, quia primò & per se spectant ad Clericos, & non celebrãtur nisi à Clericis habentibus aliquem ordinem, vel saltem à Religiosis Deo consacratis, à quibus recitãtur horæ Canonicæ publicè sicut à Clericis in Ecclesiis ad communem vsum, & hoc est satis, vt per interdictum censeantur prohibitæ horæ canonicæ, quæ publicè à sanctimonialibus recitantur.

Ex conclusione proposita generali, & modo prædicto explicata nõ erit difficile iudicare in casibus particularibus, quæ officia vetita sint tempore interdicti, quæ vero permissa, quod vt clarius & distinctius res tota elucidetur, statim præstabo.

Itaque primò interdicitur, ne quis possit solenniter celebrare, aut Ministrare in Missa Pontificali. Item Sacerdos hebdomadarius non potest tale officium ministrare in choro, recitando horas, neq; Episcopus potest conferre ordines etiam minores, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 171. neque potest consecrare Abbates, Virgines, aras, calices, vt idem Nauar. ait num. 177. & 187. & Conar. in cap. Alma par. 2 §. 3. num. 6. Vers. Nono hinc constat, & citat Angel. Anchar. Feder. Calder. Item non licet benedicere sacramentalia, vt aquam, prohibitur enim tempore interdicti, ne à Sacerdote aqua benedici possit ob eam rationem, quia aqua non benedicitur sine officio diuino cap. Aquam de consecr. dist. 3. & fit cum solennitate, quæ competit ordini Clericali, vt inquit Calder. ex mente Innoc. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 90. ideo non potest vllo modo illam benedicere Clericus interdictus. Qui verò non est interdictus, non potest benedicere in loco interdicto, nisi seruata illa moderatione cap. Alma, B. Antoni. 3. par. sum. titul. 26. cap. 4. ante fi. Nauar. in Manua. cap. 27. numero 174. Sylue. Interdictum 5. §. 6. circa med. Vers. Quintum, Armil. Ver. Interdictum num. 63. & V. Benedicere num. 6. Maiol. lib. 3. cap. 20. num. 8. Henriquez lib. 13. cap. 44. num. 1. & ett annotandum permissam esse aquæ benedictionem tempore interdicti generalis loci cum illa moderatione cap. Alma, quia cum ista prohibitio oriatur ex officio diuino, cum quo coniũgitur benedictio aquæ, sequitur, vt concessis officijs diuinis cum illis conditionibus cap. Alma, intelligatur consequenter eodem modo concessa hæc benedictio. Vnde Sylnester vbi supra tradit regulam generalem, quòd sicut omnis benedictio, quæ cum officio fit, prohibetur, ita intelligitur concessa cum dicta moderatione cap. Alma. Quare idem sentiendum est de benedictione candelarum in die Purificationis & oliuarum in festo palmarum, præsertim quia talis benedictio ab Episcopo vel Sacerdote fieri debet, & sic est ordini deputata, inquit Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 92. Eadem est ratio de benedictione oleorum, frugum, campanæ, vt notat Armil. Ver. Interdictum, numero 63. De benedictione itinerantium si fiat in debito habitu & forma, Armill. num. 64. Maiol. lib. 3. cap. 20. num. 8. de Irregular. Idem est de introductione mulieris post partum in Ecclesiam, vt ibi Maiol. Calder. in eodem Tract. par. 1. nu. 89. & declarat id verum esse, cum inducitur à Sacerdote solenniter cum orationibus & psalmis, quoniam pertinet ad officium diuinum Ordini Clericali competens. Sed si mulier admittatur sine officio sola cum benedictione generali præmissa, vt moris est, ad agendum gratias Deo, inquit, hoc caret culpa cap. Si mulier, dist. 5. cap. vni. de pur. post partum, siue mulier sit de loco interdicto, vel de Vniuersitate interdicta. Limitat tamen hanc exceptionem, dummodo eius culpa non esset interdictum latum & multo minus si esset nominatim, & specialiter propter eius culpam interdicta. Idem tenent B. Antoni. 3. par. tit 26. cap. 4. ante fin. Sylue. Interdictum 5. §. 6. ante fi. Vers. Quintum, Angel. Interdictum 6. nu. 15. Maiol. lib. 3. cap. 20. numero 8. de irregular. Nauar. in Manua. capit. 27. numero 176. Henriquez lib. 13. c. 44. nu. 2.

Sed quantum ad aquæ benedictionem quæri potest, vtrum liceat Sacerdoti, postquam aquam priuatim cum prædicta moderatione cap. Alma benedixerit, cum ea deinde populum aspergere.

Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 6. ante fi. Vers. Aquam autem benedictam, tenet non debere Sacerdotem fundere aquam benedictam super Laicos. Idem tenet Calder. num. 91. quia prohibitio benedictionis aquæ in hoc casu est facta ad hunc finem, vt populus aspergatur, quod habet locum præterquam in festiuitatibus exceptis in cap. Alma, in quibus licitum est aquã publicè benedicere & populum aspergere. Addunt tamen Sacerdotem fundentem aquam benedictam super populum non incurrere irregularitatem, quia non violat interdictum in celebratione diuinorum, neque in collatione Sacramentorum, cum talis aqua non sit Sacramentum, neque oppositum sit iure cautum, sed propter peccatum eidem Sacerdoti pœnitẽtiam arbitrariam eidem imponendam fore.

Ad hanc dubitationem conuenienti cum distinctione respondendum esse, vel loquimur de solenni aspersione, quæ fit à Sacerdote post ritum Missæ præmissa antiphona, *Asperges &c.* cum oratione in fine aspersionis, & hæc non licet, quia est actus ordinis sacerdotalis, & est pars diuini officij; Si autem loquimur de aspersione facta priuatim absq; antiphona & oratione sine pluuiali aut stola, vel superpelliceo, hæc non videtur interdicta, quoi hoc modo facta sine habitu lacro non videtur actus ordinis, & cum omittitur antiphona & oratio, non est pars officij diuini, ideo non apparet, quo titulo sit prohibita. Ita sentit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 177. & 186. Henriquez cap. 44. numero 1.

Secundò postulabit quis, an benedictio Fontis pro Baptismo, quæ fieri solet in Sabato Sancto, sit prohibita tempore interdicti.

Respondet Calder. nu. 91. Non licere Clerico interdicto benedicere fontem Baptismi sub pœna Irregularitatis, neque id permissum esse Clerico non interdicto in loco generaliter interdicto, quia talis benedictio fit cum officio diuino, quod est deputatum Ordini Sacerdotali. Idem tenet Sylue. Interdictum 5. §. 6. prope fin. Vers. Et idem de officio Baptismi, Palud. in 4. sent. dist. 7. q. 3. art. 2. conclus. 3. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. ante fi. Couar. in c. Alma par. 2. §. 5. nu. 6. Vers. Decimo tertio.

Contra objiciet quis iure antiquo permissam suisse benedictionem & consecrationem Chrismatis in die feriæ quintæ in Cœna Domini, vt probatum est supra, cum agerem de prohibitione Sacramentorum ob eam rationem, quia Chrisma requiritur ad vsum non solum Sacramenti Confirmationis, sed etiam ad sacramentum Baptismi, nam Sacerdos Chrismate vngit verticem baptizandi, ergo ob eandem rationem vice-

videtur affirmari posse, non esse in sabato Sancto prohibitam benedictionem fontis, cum ad vsum eiusdem Baptismi deseruiat. Si enim licita est consecratio, multò magis videtur permissa benedictio.

Respondent quidam non esse parem rationem de Chrismate & de aqua, nam Chrisma non potest assumi ad vsum Baptismi & Confirmationis, nisi sit confectum eodem anno, cap Si quis de alio de consecr. dist. 4. ideo necesse est, vt singulis annis renouetur. De benedictione Fontis nullum extat præceptum, ideo non est necessaria benedictio fontis, sed satis est aqua non benedicta. Chrisma verò necessario benedici debet. Accedit, quòd de consecratione Chrismatis permissa tempore interdicti tanquam de re necessaria ad Baptismum & Confirmationem extat Textus expressus in cap. Quoniam, & ibi Glos. fin. de sent. excom. lib. 6. non ita de benedictione Fontis, vnde infert Couar. in dicto §. 5. num. 6. Vers. Decimo tertio etiam in festiuitatibus illis expressis in cap. Alma non licere fontes Baptismatis benedicere, præterquam in ipsomet festo Resurrectionis, & hoc iuxta sententiam ipsius quæ videtur probabilior, quòd festiuitas Paschæ non sumat initium in Missa, quæ celebratur in Sabato sancto, sicut putauit Domin. Sot. de qua difficultate egi in cap. 3. sed dictum Couar. disputabo in c. 7.

Verùm quòd spectat ad benedictionem Fontis tempore interdicti censeo probabilius esse asserere fieri posse hanc benedictionem cum illis conditionibus, vt insinuaui in Disp. 4. cap. 1. cum agerem de Baptismo, licet enim non sit necessaria ad essentiam Baptismi, requiritur tamen tanquam solennitas, & hoc sufficit.

Nam quia dictum est concessam esse consecrationem Chrismatis tempore interdicti, non autem benedictionem fontium propter rationem assignatam, quærere posset quis, an Chrisma possit benedici solenniter, vel cum moderatione c. Alma.

Respondeo non esse licitam talem Consecrationẽ, nisi cum illa moderatione. licèt enim in dicto c. Quoniam, dicatur simpliciter posse confici Chrisma die Cœnæ Domini, tamen valde probabile est, vt intelligamus hanc permissionem factam esse seruata illa moderatione. Primo quia Consecratio Chrismatis conceditur solum propter Baptismum & Confirmationem, sed vt solenniter adhibitis omnibus cæremoniis solitis consecretur Chrisma, hoc non esse necessarium ad vsum Baptismi, ergo non videtur probabile fuisse permissam confectionem Chrismatis cum illa solennitate. Secũdo quia hoc modo interdictum minus læditur, & hoc est curandum, arg. c. Episcoporum de priuileg. lib. 6. & Clem. 1. de sent. excom. Tertiò benedictio Chrismatis pertinet ad officium diuinum, sed officia diuina tempore interdicti debent celebrari cum illis conditionibus cap. Alma, ergo eodem modo consecrari debet Chrisma. & ita sentiunt Calder. de interdicto par. 1. num. 91. Ang. Interdictum 6. nu. 28. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. ante fin. Syluester Interdictum 5. §. 6. post med Vers. Quintum, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 178 Couar. in c. Alma part. 2. §. 2. num. 7. & §. 5. num. 6. Vers. Decimo tertio, Maiol. lib. 3. cap. 20. nu 8. de Irregular. Henriquez lib. 13. de excom. & interd. cap. 45. nu. 1. in fi.

Eadem regula locum habet in benedictione fontium, vt notat Calder. dicto nu 92. & omnes alij, vt benedici possint tempore interdicti à persona non interdicta in loco generaliter interdicto seruata moderatione cap. Alma eo modo, quo cætera diuina officia illo tempore celebrari possunt.

A Item tempore interdicti non permittitur solennis nuptiarum benedictio, de qua dixi in præcedenti Disput. in capite de Matrimonio.

Neque solenni tempore Episcopi, Abbates, & alij Prælati possunt populo solenniter benedicere in loco interdicto cum baculo, & apparatu Pontificali præmisso, Vers. Adiutorium nostrum &c. quia talis benedictio est actus ordinis pontificali cap. Ecce distin. 95. ita sentiunt omnes Calder. de interdicto par. 1. n. 93. Card. in Clem. Archiepiscopo nu. 9. Vers. Sexto, & ibi Anchar. nu. 3. de priuileg. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. ante fi. Sylue. interdictum 5. §. 6. post med. Vers. Quintum, Tabien. Interdictum 6. nu. 3. Ang. Interdictum 5. nu. 2. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 177. De simplici autem benedictione, quam solent Episcopi & Prælati impendere in via transeundo, de qua est B sermo in dicta Clem. Archiepiscopo, quæ fit sine solenni pompa & apparatu dubitant Doctores, an licitè tradi possit, & Calder. inquit tutius esse ab illa abstinere, maximè si locus sit interdictus propter delictum populi, quia tunc cum personæ sint interdictæ, non sunt capaces illius benedictionis, non incurrere tamen pœnas propter hanc benedictionem affirmat, & ita sentiunt Anchar. & alij communiter, & mihi videtur probabile, immo addit Sylue. idem esse dicendum de benedictione hac simplici, sicut de solenni, quando petitur seu datur ratione ordinis, secus si fiat ratione ætatis, vel sanctitatis, sed est singularis opinio.

Item tempore interdicti non potest emitti professio solenniter in Religione, C Henriquez lib. 13. cap. 44. nu. 1. secus est de benedictione vestium illorum, qui Religionem ingrediuntur, quæ fieri potest à Sacerdote, vt inquit Sylue. Interdictum 5. §. 6. prope finem, Ang. Interdictum 5. num. 2. Tabien. Interdictum 6. num. 5. in fi. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 172. Henriquez lib. 13. de excom. & interd. cap. 44. numero 1. quia id non reperitur in Iure prohibitum, & non est actus proprius alicuius ordinis; & idem affirmant ob eandem rationem de benedictione peræ & baculi peregrinorum facta à Sacerdote.

Eodem modo tempore interdicti prohibetur, ne Episcopus possit benedicere corporalia, altaria, vela D Monialium, & similia, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 177. & alij omnes.

Hæc omnia, quæ comprehenduntur sub genere diuinorum officiorum, prohibentur in Terra & loco generaliter interdicto & celebrari & audiri iure antiquo, & eadem prohibitio habet locum in loco specialiter interdicto, vt in eo neque fieri, neque audiri eadem diuina officia possint, quod probatur ex eisdem Iuribus, quæ loquuntur de generali interdicto loci, nam eandem vim habet interdictum speciale quoad locum illum certum, & determinatum, quod habet generale interdictum erga locum generalem. Et hoc E ius antiquum quantum ad interdictum speciale non fuit immutatum in cap. Alma, vt dixi superius de sacrificio Missæ, & probatur ex Glo. in cap. Alma Ver. In Ecclesiis, vbi vult, quod cessatio cap. Alma locum habeat in Ecclesiijs, quæ sunt intra locum interdictũ, non in Ecclesia specialiter interdicta, quam Glo. sequuntur ibi Anchar. Franc. & alij, quos citat Couar. in eod. c. Alma par. 2. §. 4 nu. 1.

Et idem est asserendum de interdicto personali, tã generali, quàm speciali seruata proportione. Ex vi enim interdicti personalis prohibentur omnes personæ, quæ illo sunt obstrictæ, ne eadem officia facere

vel

vel audire possint in quocunque loco, vt colligitur ex ijsdem Iuribus; neq; quantum ad hoc habetur aliqua moderatio in dicto cap. Alma, præter illam solam, quod in quatuor festiuitatibus ibi enumeratis personę interdictę permittantur interesse diuinis cum limitatione, quæ ibi additur, & superius fuit declarata. Verùm verò personę non interdictæ valeant licitè audire hæc diuina officia, si celebrentur à proprijs interdictis personis, vel è contra, an Clerici non interdicti possint ea facere coram personis interdictis, si eas expellere nequeant, pertractatum est superius de sacrificio Missæ.

Ex dictis colligere possumus, quę permittuntur tẽpore interdicti in hoc genere illa scilicet, quæ propriè dici non possunt officia diuina Ecclesiastica, & non sunt actus proprij alicuius ordinis.

Quare primò licitum est officium commendationis animarum iis, vt qui sunt constituti in articulo mortis, ita sentit Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 93. & reddit rationem, quia istud officium videtur quasi annexum ad absolutionem, quæ impenditur in Sacramento Pœnitentiæ. Quare sicut in omnibus casibus conceditur Pœnitentia, vt dictum est, ita videtur posse concedi tale officium. Idem tenet Sylue. Interdictum 5. §. 6. in fi. Vers. Sextum, Ang. Interdictum 6. num. 26. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 176. Henririquez lib. 13. cap. 44. num. 2. B. Antonin. 3. par. tit. 26. cap. 4. in fi. Et hæc opinio est valde pia & fauorabilis, & ideo putarem hoc officium legi posse illi etiam, qui absolutus non esset, dummodo petijsset absolutionem, vel dedisset signum contritionis. Potest quoque id confirmari, quia officium commendationis animæ continet Litanias, Psalmos pœnitentiales, Passionem Christi Domini, lectionem Euangeliorum, quæ omnia plurimum prodesse possunt, & adiuuare animam Morientis ad contritionem, ideirco non videtur verisimile Ecclesiam voluisse in illo vitæ discrimine deserere infirmum periclitantem, vt his spiritualibus auxilijs remaneret tempore interdicti destitutus. Notat tamen Henriquez Sacerdotem non debere proferre *Dominus vobiscum*, quia hoc pertinet ad officium Diaconi, posset tamen recitare Litanias, Psalmos, & Orationes coram Laicis. Secundo licet Sacerdoti in fine Concionis facere confessionem generalem, & absolutionem deprecationum coram interdictis, vt inquit Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Sextum & Henriquez lib. 13. cap. 44. num. 2. quia eo ipso, quòd tunc conceditur Sacramentum pœnitentiæ etiã sanis videtur concessa generalis absolutio, quæ ordinatur ad emendationem peccati. Tertiò non prohibetur adoratio Crucis in feria sexta Hebdomadæ Sãctæ, quia non videtur officium, Calder. de interdicto par. 1. num. 90. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 176. Henriq. c. 44. n. 2. Et hoc verum est, non solum si loquamur de Laicis, sed etiam si sint Clerici Immo cum concessum sit Clericis generaliter in cap. Alma tempore generalis interdicti loci, vt possint omnia officia celebrare priuatim cum moderatione ibi descripta, sicut prius, censeo posse celebrato officio iuxta dispositionem dicti c. Alma publicè, & apertis ianuis Crucem adorare, & adorandam proponere, quia hoc non prohibetur neq; est diuinum officium. Quartò non prohibetur orare, aut accipere oblationes & mortuaria pro defuncto interdicto etiam si sepultus sit extra locum Sanctum, Nauar. num. 174. in fi. licet enim non possit celebrare officium defunctorum nõ solum quando cadauer traditur sepulturę, sed neque postea, quia officium diuinum est iuxta communem sententiam, tamen probabile est licere priuatim cum moderatione, cap. Alma, dictum officium recitare, quando sepelitur Clericus, & etiam pro defuncto Laico, pro quo oblationes recipiuntur, quoniam in cap. Alma omnia officia permittuntur, sicut prius cum illa moderatione. Quinto Laici constituentes Confraternitates seu Societates institutas ad exercenda opera pia & religiosa tempore interdicti, possunt publicè cãtare Litanias, Psalmos, Laudes Dei, B. Virginis, & Sãctorum etiam in Ecclesiis positis in loco interdicto. Isti enim, vt inquit Calder. part. 1. num. 82. non fiunt ob hanc causam irregulares, cum ordine Ecclesiastico careant, immo credit hos non peccare, quia hæc non prohibentur per interdictum, declarat autem illos non peccare, si non sint ex numero eorum, qui comprehenduntur in extrauag. Sancta Romana, Ioan. 22. Idem sentiunt alij Doctores, Tabie. Interdictum 6. num. 16. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 176. Henriquez lib. 13. de excom. & interdi. cap. 44. numero 1. Vers. Secundò cantus, Maiol. lib. 3. capit. 20. nu. 10. de Irregular. & ijdem concedunt hoc Clericis & Regularibus cum cantu, dummodo id faciant sicut Laici, idest omissa ea solennitate, qua solent vti quando id exercent ex officio, vt Clerici, idest vt non præcedat Crux eleuata sine gestatione stolæ, neque induendo superpelliceum, sine processione, neque dicendo Dominus vobiscum, quod non conuenit Laicis, sed tantum Diaconis & Sacerdotibus. Quare non possunt Clerici in diebus rogationum, & in festo Sancti Marci incedere processionaliter cum superpelliceo præcedente Cruce, aut in alijs processionibus cãtare solenniter Litanias tempore interdicti, quia pertinet ad officium diuinum, vt notat Henriquez, sed permittitur Salutatio Angelica, quæ dici solet ter in die, scilicet manè, ad meridiem, & de sero post Solis Occasum, quia vt notat Calder. de interdicto part 1. num. 97. illa Salutatio non est officium, nec requirit ordinem, illa enim consuetudo orandi inducta est maximè pro Laicis, Ang. Interd. 5. num. 7. Syluester Interdictum 5. §. 7. Vers. Sextum, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 177. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 5. in fin. Vers. Decimo tertio, Henriquez lib. 13. de excom. & interd. cap. 44. num. 2. Vers. Quartò, & hanc salutationem possunt Clerici dicere coram alijs, sicut & alias Orationes priuatas, quia non continetur sub genere diuinorum officiorum. Alia ratio est de officio diuino, quod licèt teneantur recitare Clerici constituti in sacris, etiam si sint personaliter interdicti, non tamen possunt dicere coram alijs, sed priuatim, Henriquez cap. 43. n. 1. Septimo lectore etiam interdicto, vel in loco interdicto licet legere lectiones etiam sacræ Scripturæ, declarare Euangelium, Psalmos, & prædicare, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 176. & consi. 1. num. 6. Tit. de verbor signific. Tandem tempore interdicti exerceri possunt ea, quæ sunt iurisdictionis. Potest enim Prælatus excommunicare, absoluere ab excommunicatione, dare Indulgentias, & similia, sed absq; stola & solennitate sacerdotali, quia id non est vti ordine sacro, aut celebrare officia diuina, & desumitur ex cap. Tanta, & ibi Abb. num. 1. & 5. de excess. Prælat. Sylue. Interdictum 5 §. 9. circa med. Vers. De Absolutione tamen, Tabie. Interdictũ 6. num. 1. Vers. Idem si exerceat ea. Nauar. cap. 27. n. 176. Maiol. lib 3. cap. 20. numero 5. de Irregul. Henriquez lib. 13. cap. 43. num. 4. Armilla Ver. Interdictum num. 58. Non permittitur autem absolutio ab excom-

excommnnicatione cum solennitate, qnia est actus ordinis, & habet coniunctum officium diuinum. Solet enim ante eam præmitti Psalmus Miserere, & aliç orationes; ita tenet Calderinus de interdicto par. 1. num. 89. & citat Innoc. & idem ait Henriquez vbi supra. Hinc sequitur personam interdictam posse in Iudicio comparere, agere. & conuenire aduersarium, vt inquit Innoc. in c. Venerabili de sent. excom. Felin. in cap. Intelleximus num. 21. & Abb. num. 14. de Iudi. Similiter potest condere Testamentum, & Hæres ex Testamento institui, & contractus quoscunque iniri, vt omnes citati Doctores testantur. Nihil enim prædictorum prohibetur tempore interdicti etiam in loco interdicto supposito.

CAPVT VI.

Quomodo diuinorum officiorum celebratio concedatur tempore generalis Interdicti localis.

Olim Iure antiquo prohibebantur multa officia diuina in loco generaliter interdicto, quædam tamen officia concedebantur, & multa plura iure nouo permittuntur ex cap. Alma, nam in cap. Quod in te de pœnit. & remiss. Innocentius Tertius concedit Clericis etiam secularibus, vt *in Conuentualibus Ecclesiis bini, & bini, vel simul tres horas Canonicas valeant legere, non cantare, ianuis clausis, Interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita demissa, vt exterius audiri non possint*. Quæ concessio non est vniuersalis, vt comprehendat omnia diuina officia, sed tantum horas canonicas & seruatis quibusdam conditionibus. Prima est, vt recitentur horæ canonicæ à Clericis, non in quocunque numero, sed in descripto numero, scilicet vt essent bini, & bini aut simul tres, quia verba possunt recipere duplicem sensum; Primus est, quod Clerici possunt recitare horas canonicas in duobus Choris, dummodo in quolibet Choro non sint plures, quã duo, vel ad summum tres, itaut in vtroque Choro simul omnes non excedant quatuor, vel in totum sex. Secundus sensus est, vt duo tãtum Clerici, vel ad summum tres simul possint recitare horas canonicas, sed possint hoc modo duo vel tres in diuersis locis Ecclesiæ dicere horas canonicas, si maior esset numerus Clericorum, ita tamen, vt quilibet Chorus non contineret, nisi ad summum tres Clericos, & licèt vtraq; expositio sit probabilis, secunda tamen communior est, & mihi placet, & desumitur ex ipso Textu, dicit enim, *Vel tres simul*, vbi maior numerus designatus est ternarius, & ita non potest intelligi, quod tres sint in vno Choro, & tres in alio, tunc enim simul essent sex, non tres, sicut in Textu habetur.

Quòd autem tempore interdicti vnusquisque Clericus solus valeat licite horas canonicas recitare, etiã si sit interdictus, non opus erat explicare, tum quia supponitur, si conceditur facultas duobus, vel tribus simul, vt possit vnus solus, quia continetur fortiori ratione sub illa concessione, in qua fit extensio ad duos vel tres, tum etiam quia semper licitum fuit Clerico per se solum recitare horas canonicas. Immo tenetur tempore interdicti, si antea ratione beneficij, vel ordinis erat obligatus, vt dixi præcedenti capite, quia propter interdictum non liberatur ab onere dicendi horas canonicas, sicut de excommunicato dixi suo loco. Secunda conditio, quæ requiritur, est, vt recitentur submissa voce, & sine cantu, ne à prohibitis audiri possint, nisi forté per transitum. Tertia, vt excluA dantur interdicti; Quarta, vt ianuæ Ecclesiæ, dum recitantur horæ canonicæ, clausæ retineantur.

Sed hic oritur dubitatio, an dictæ horæ canonicæ necessariò sint dicendæ in Ecclesia. Pro parte affirmatiua facit quarta cõditio, si enim requiritur, vt claudantur ianuæ, ergo supponitur officium esse recitandum in Ecclesia. E contra verò non ad alium finem videtur Summus Pontifex postulare, vt claudãtur ianuæ, nisi vt officium diuinum non audiatur commodè ab alijs. Quare si Clerici extra Ecclesiam ita cautè recitarent in locis remotis à frequentia hominum, vt in agro vel in domo nulla esset suspicio, quòd eorum vox peruenire posset ad aures aliorum, non videntur tanquam violatores interdicti damnandi.

Respondeo ad hanc difficultatem, primò licere duobus vel tribus Clericis seruatis prædictis condiB tionibus recitare horas Canonicas non tantum in Ecclesia, sed etiam extra eam, dummodo caueant, ne audiantur à non habentibus priuilegium; hic enim est finis huius prohibitionis. Ita sentiunt omnes Doctores, vt Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 87. Vers. Sed quid dices, vbi tenet posse Clericum solum submissè dicere horas canonicas in via in loco interdicto, quia cessat periculum, ne ab alijs audiri possit, & ideo non violat interdictum. Sed si duo, vel plures Clerici simul in via recitarent, quia facilè auditi possent ab alijs, quia subijcerent se periculo violationis interdicti, ideo putat id fieri non posse. Vnde Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Secundum, inquit Clericos dicentes tempore generalis vel specialis inC terdicti localis in via, vel extra Ecclesiam violare interdictum, si hoc faciant studiosè, vt audiant seculares, arg. cap. fin. de priuileg. lib. 6. Secus verò si id non faciant eo fine, & cautè dicant submissa voce, vt audiri nequeant. Clarius explicat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 175. dicens tempore generalis interdicti posse Clericum solum, duos, vel tres recitare horas in campo, domi, & in cubiculo clausis ianuis, & apertis, modo non audiantur ab alijs non habentibus priuilegium ad audiendum, quamuis aliqui obiter per transitum audirent. Immo etiam intra Ecclesiam posse Clericum solum vel plures simul recitare non clausis ianuis, dummodo ita submissè, vt à nemine D audiantur, vt in Sacello clauso, quamuis portæ Ecclesiæ sint patentes. Idem tenet Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 7. circa med. Vers. Sed & olim, citat Host. in dicto cap. Quòd in te, de pœnit. & remiss. Henriquez lib. 13. cap. 44. num. 3. Addit in Glos Lit. L, non debere recitare plures, quàm tres, nam aliàs viderentur tanquam Ministri Ecclesiæ officium dicere pro populo. Probatur hoc dictum, primo nam Ius, quod permittit Clericis recitare horas canonicas in Ecclesiis, vbi communiter solẽt Laici assistere, cum omnibus pateant, vt in illis diuina audire possint, multò magis videtur permittere, vt in domo vel in agro E recitentur cum eadem cautela, ne audiantur à non habentibus priuilegium.

Secundò præcipua ratio prohibendi officia diuina tempore interdicti, est, ne audiantur à Laicis, & hac ratione ductus Nauar. asserit, quòd etiam intra Ecclesiam posset quis solus apertis ianuis recitare horas canonicas, immo duo, vel tres in aliquo Sacello Ecclesiæ, sed ita submissè, vt ab vllo Laico non audiãtur. Tertio illa determinatio, *In Conuentualibus Ecclesiis*, non fuit posita, vt inquit Nauar. ad restringendum, sed ad amplificandum, nam si in Ecclesia id conceditur, vbi solet populus adesse ad audiendas horas, multò

multò magis in alijs locis, vbi non solet conuenire. Quare dicta concessio cap. Quod in te de pœnit. & remiss. videtur potius habere rationem declarationis, quàm concessionis: cum enim dubitari potuisset, verū in Ecclesia, quæ est locus deputatus publicæ orationi, quæ fit per Ministros Ecclesiæ liceret cum illis conditionibus recitare horas canonicas, quia ratione loci videbatur fieri illa oratio publica, quæ aliàs domi facta esset priuata, & declarat Summus Pontifex, vt in Ecclesia quoque liceat illo modo recitare horas canonicas.

Dico secundò valde probabile mihi videri numerum illum certum trium Clericorum ad summum, vel iuxta alium sensum, vt dixi sea Clericorum, fuisse præscriptum tanquam formam seruandam, quando officium recitatur in Ecclesia. Extra Ecclesiam verò nunc & olim semper licuisse illud à pluribus, quàm à quatuor vel sea Clericis dici, vt in priuata domo, vel in alio loco seperato à frequentia hominum, itaut cessaret periculum, ne à personis prohibitis audiretur. Probatur, quia hic modus recitandi horas canonicas extra Ecclesiam in loco particulari ad hunc finem non destinato, & ab hominum commercio seiunctum semper ex sui genere erit priuatus modus recitandi, neque est ordinatus ad finem, vt officium audiatur à populo, & ideo per se non prohibetur; quæ ratio cessat in Ecclesia, cum sit locus publicus per se ordinatus, vt in eo celebrentur officia, vt à Laicis audiantur, & ideirco conueniens fuit, vt Summus Pontifex præscriberet modum recitandi, quod personas, vt non essent plures, quàm tres simul, ne commodè audiri possent, vt monuit Nauar.

Secundò dubitari potest, an hæc concessio locum habeat etiam in Ecclesia specialiter interdicta, vt in ea liceat Clericis modo prædicto recitare horas canonicas ianuis clausis.

Sylue. Interdictum 5. §. 7. Vers. Secundum in fin. Vbi hanc concessionem factam Clericis non interdictis tempore interdicti localis generalis putat esse intelligendam in interdicto speciali, si latum sit ad populum puniendum & affligendum. Idem tenet Hēriquez lib. 13. cap. 44. num. 3. Fundamentum pro hac opinione esse potest, quoniam idem seruatur finis dicti cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. & aliorum Iurium, si celebrentur horæ canonicæ cum dicta cautela, scilicet ne possint audiri ab alijs, supposito interdicto speciali, sicut stante interdicto generali, & similiter seruato illo modo non dicitur officium celebrari à Ministris Ecclesiæ pro populo, & ita non violatur interdictum.

Hæc opinio licèt sit probabilis, non videtur tamen in praxi consulenda.

Alia est sententia opposita, quæ tutior est, & puto esse veram, quòd dicta concessio locum habeat tantū in Interdicto locali generali, non autem speciali. Probatur primò, quoniàm dictum cap. Quod in te expressè loquitur de interdicto generali non speciali, & in pœnalibus potius restrictio, quàm extensio facienda est, maximè cum sit diuersa ratio interdicti specialis & generalis. Confirmatur, nam cap. Alma Mater, secundum Doctorum communem interpretationem intelligitur solum de interdicto generali locali, ergo eodem modo est intelligendum cap. Quod in te, cum nulla appareat ratio diuersitatis. Vnde Glo. in c. Alma Ver. Ecclesiis, explicans ipsum cap. Alma, loqui solum de generali interdicto, citat ad idem dictum cap. Quod in te. Confirmatur secundo, nam in dicto c.

A Quod in te habetur, *Cū & Regularibus sit inductum, vt cum generale interdictum Terræ fuerit &c.* & in c. Quod nonnullis de priuileg. *Quod nonnullis est Religiosis indultum, vt cum Commune Terræ interdictum fuerit*, Ex quibus verbis manifestè constat sermonem haberi solummodo de interdicto generali. Vnde nonnulli recentiores, qui explicant dictum cap. Quod in te, de loco etiam specialiter interdicto, ita sentit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 175. in fi. affirmans non esse licitum in loco specialiter interdicto quidquam horarum facere, neque ianuis apertis, neque clausis.

Dubitari potest tertio, vtrùm hæc concessio recitandi horas canonicas cum dicta cautela vim habeat tempore generalis cessationis loci.

B Respondeo huic difficultati satisfactum esse supra in Disputatione de cessatione c. 3. Vbi fusius probaui ex magis probabili sententia illam concessionem c. Quòd in te, non esse ad tempus cessationis generalis, sed tantum locum habere tempore generalis interdicti, vt ibi probaui, nec aliquid addendum habeo.

Ad hunc modum intelligenda est concessio facta Clericis recitandi horas Canonicas tempore generalis interdicti loci in dicto cap. Quod in te de pœnit. & remiss. vbi etiam permittitur Regularibus celebratio diuinorum officiorum his verbis, *Cum & Regularibus secūdum priuilegium Sedis Apostolicæ sit indultum, vt cum generale interdictum Terræ fuerit, liceat eis ianuis clausis &c. celebrare diuina*, quod priuilegium iam

C commune est ea cap. Alma, ideo non opus est explicare modò, de quibus Regularibus intelligatur cap. Quod in te. Item conceditur tempore interdicti aliud priuilegium Episcopis & Mendicantibus circa sacrificium Missæ, de quo superius dixi, sed in c. Alma Mater idem vniuersaliter permittitur de diuinis officijs, quod de sacrificio Missę, nempe vt in Ecclesijs & Monasterijs singulis diebus diuina officia dici possint cum illis quatuor conditionibus superius explicatis.

Si quæratur, quæ officia diuina permittantur singulis diebus cum dictis conditionibus.

Respondeo concessam fuisse celebrationem omniū diuinorum officiorum, quæ per interdictum prohibita erant, nam textus loquitur vniuersaliter, *Missa celebrentur, & alia diuina dicantur officia, sicut prius*. Illud relatiuum, *Alia*, omnia indifferenter refert. Similiter illa dictio, *Sicut prius*, eandem vim habet, quoniam ante interdictum omnia diuina officia dicebantur, non tamen hoc loco appellatione diuinorum officiorum includitur Sacramentorum administratio aut receptio, nam in eodem Texto antea tractatur de Sacramento, & postea de sacrificio Missæ, & alijs diuinis officijs, ergo distinguuntur Sacramenta à diuinis officijs.

D

Postulabit quis an tempore interdicti permittantur benedictiones illæ, quæ inter diuina officia computantur.

E Respondeo benedictiones aliquas cōnumerari posse inter diuina officia, ex quibus quædam circa personas Laicas directè versantur, & hæ non permittuntur tempore interdicti, sicut sunt benedictiones nuptiarum, de quibus dixi cap. præcedenti, nisi personæ ipsæ priuilegium habeant, & ideo neq; cum prædictis circumstantijs celebrari poterunt, quoniam inter alias circumstantias præcipua est illa, quæ est finis prohibitionis, vt Laici non admittantur ad diuina, immo debent eo modo celebrari, vt ab illis audiri nequeant. Quædam aliæ sunt benedictiones, quæ incipiūt a persona Laica, & terminantur ad Ecclesiasticam, vt collatio

latio primæ tonsuræ, consecratio Virginis, & similes, de quibus aliqui dubitant, an sint permissa, & in partem affirmatiuam inclinant, quoniam licet illud officium initium sumat à persona Laica, terminatur tamen ad personam Ecclesiasticam & priuilegiatam, vt possit interesse diuinis officijs. Alij tenent oppositum, & est tutior sententia, quia satis est, vt illa actio inchoetur à persona prohibita, quod est vetitum, & per illam violatur interdictum. Et hæc videtur communis sententia Doctorum, Nauar. in Manu. cap. 27. num. 171. Angel. Interdictum 6. num. 18. Couar in cap. Alma par 2. §. 5. nu. 6. Vers. Nonò, vbi affirmat in quatuor illis festiuitatibus descriptis in cap. Alma licitum esse benedicere Abbates, Virgines, & cætera, ergo negat in alijs diebus tempore interdicti illas benedictiones præstari posse, & ad hoc citat Anchar. Feder. & Calder.

Essent hoc loco elucidandæ aliæ conditiones, & circumstantiæ requisitæ ex cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. & ex cap. Alma de sent. excom. lib. 6. ad celebrationem licitam horarum canonicarum & diuinorum officiorum absque culpa violationis interdicti, sed quoniam de illis dictum est supra in ordine ad sacrificium Missæ, non est, quòd modò eadem repetantur, satis erit, si suo modo commodè aptentur ad alia officia diuina.

CAPVT VII.

Vtrum in quatuor illis festiuitatibus Anni in cap. Alma expressis liceat publicè & solenniter diuina officia celebrare, & quæ, ac quomodo.

IN quatuor festiuitatibus anni enumeratis in cap. Alma additis ex priuilegijs aliorum Pontificum festo Corporis Christi, & festo Conceptionis B. Virginis cum suis Octauis, & alijs festis, in quibus per speciale priuilegium idem concessum est, celebrari possunt solenniter & publice, atq; sine prædictis conditionibus & capitulis tempore generalis interdicti localis omnia diuina officia & Missarum sacrificia, quæ celebrabantur ante interdictum. De sacrificio Missæ iā dictum est, de alijs diuinis officij modò probatur, quoniam in cap. Alma absolutè permittitur, vt in huiusmodi festiuitatibus celebrentur solenniter *alta voce diuina officia*, sicut in §. præcedenti, Adijcimus absolutè dicitur, diuina officia submissa voce dicantur, sicut prius, sed omnia diuina officia possunt celebrari sine solennitate quolibet die tempore interdicti, ergo & eadem erunt licita in festiuitatibus, maximè cum hæc concessio sit fauorabilis, & ideo potius debeat extendi, quàm coarctari. Quare non solum officia propria, quæ conueniunt illi diei ratione festiuitatis, sed quæcunque alia, quæ ante interdictum celebrari poterant, licèt enim suspensio interdicti fiat in honorem illius festiuitatis, & ideo intendat Ecclesia, vt præcipuè tali die celebrentur Missæ & officia diuina, quæ instituta sunt pro illa festiuitate, tamen concessio est absoluta, & hoc etiam cedit ad maiorem festi solennitatem, si alia diuina officia, quæ propter interdictum prohibentur eo die, tanquam licita celebrari possint publicè & solenniter sicut priùs, & sicut cum illis circumstantijs cap. Alma permittuntur quolibet die, ita sentiunt communiter omnes, Anchar. in cap. Alma, num. 2. Vers. Item quæro, Franc. ibi in §. In festiuitatibus num. 3. Vers. Poterunt etiam, Sylue. Interdictum 5. §. 2. Vers. Tertium, ibi, potest autem, Tabie. Interdictum 5. num. 2. Nauar. in Manna. cap. 27. num. 171. 172. 174. 185. 186. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. nu. 6. Vers. Nono. In his igitur festiuitatibus possunt publice & solenniter celebrari à Clericis horæ Canonicæ, item benedictiones aquæ, vestimentorum, consecrationes Abbatum, Virginum, Altarium, Corporalium, Calicum, & alia omnia diuina officia diei, sicut prius.

De quibusdam autem dubitari solet, primò de solenni benedictione nuptiarum, quæ non potest fieri tempore interdicti etiam cum illis circumstantijs c. Alma, vt monebam cap. præcedenti, ex alia parte nō videtur illa prohiberi in his festiuitatibus ex vi interdicti, quoniam talis benedictio connumeratur inter officia diuina, & ideo sub generali concessione diuinorum officiorum comprehenditur, & præterea illis diebus festis permittitur Laicis, vt possint diuinis officijs interesse, & sic cessat impedimentum, ratione cuius dixi superius non posse alijs diebus etiam cum circumstantijs tempore interdicti dari huiusmodi benedictiones, quia requiritur, vt præsentes sint sponsi, qui, cum Laici sint, non admittuntur ad diuina officia, etiam cum dicuntur seruatis illis conditionibus.

Respondeo hanc difficultatem explicatam esse latius in Disputatione superiori in Cap. De Matrimonio, vbi firmatum fuit pluribus in his festiuitatibus, quantum est ex parte interdicti, quod inspeditur, posse dari sponsis solennem benedictionem nuptiarum, quia nō est pars Sacramenti, sed pertinet ad officium diuinum, quòd in illis festiuitatibus conceditur sicut prius; quod confirmari potest etiam ob eam rationem, nam cum sponsi gaudent priuilegio, vel habent licentiam audiendi diuina tempore interdicti, possunt hanc solennem benedictionem nuptiarum recipere absque violatione interdicti, ergo multò magis asserendum est hanc facultatem ijs concessam esse virtute priuilegii, quod habetur in cap. Alma, ita vt interdictum non obstet, nisi adsit alia prohibitio Ecclesiæ. Quod dicitur propter festum Natiuitatis Domini, & Paschatis, in quibus benedictio nuptiarum prohibetur, etiamsi non extet interdictum, nam iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 10. de reform. matrim. vetitæ sunt huiusmodi benedictiones à Dominica prima aduentus vsque ad Epiphaniam, & à prima die Quadragesimæ vsque ad Octauam Paschæ, ita inquit Couar. in dicto §. 5. num. 6. & Domin. Sot. in 4. senten. dist. 22. quæst. 1. art. 3. post 4. conclus. qui in specie asseruit hanc benedictionem impendi posse in festo Assumptionis, & Couar. addit festum Corporis Christi, nihil dicunt de festo Pentecostes, quoniam loquuntur iuxta dispositionem Iuris antiqui, quo iure vetitæ erant nuptiæ etiam in die festo.

Secundò dubitatur, an sit licitum in his festiuitatibus benedicere fontem Baptismi.

Couar. in cap. Alma, §. 5. nu. 6. Vers. Decimo tertio, tria dicit primum est huiusmodi fōtis benedictionem prohibitam esse tempore interdicti, de qua difficultate tractaui in cap. 5. Secundò inquit Couar. etiam in dictis festiuitatibus enumeratis in cap. Alma non posse benedici fontes Baptismi, Tertiò ait in ipso die Resurrectionis Domini posse benedici fontem baptismi, sed hæc sententia quoad secundum dictum, nimirum quod in illis festiuitatibus non sit licita benedictio Fontis baptismalis, nullo fundamento Iuris nititur, & oppositum videtur probabilius; nam hæc benedictio non est Sacramentum, sed est quoddam officium diuinum, ergo comprehenditur sub concessione generali,

li, qua permittuntur omnia diuina officia. Secundò si benedictio fontis cōceditur tempore interdicti quibuscunque diebus, eo modo & forma, quo cætera diuina officia celebrari possunt, idest cum illis conditionibus & cautelis à iure præscriptis, vt probabilius esse affirmaui supra Capite quinto, ergo in prædictis festiuitatibus licita erit publicè & solemniter. Tertiò si in illis festiuitatibus non permittitur benedictio fontis, ergo neque in die Paschæ, quæ est vna ex illis quatuor festiuitatibus, ergo neque debet Couar. excipere diem Resurrectionis, nam concessio est generalis, quæ æqualiter extenditur ad illas quatuor festiuitates, & quod in altera ex illis permittitur, censetur concessum in omnibus, cum nulla ratio diuersitatis assignetur inter illas, idcirco solum Couar. excipere voluerit diem Resurrectionis, quia solemnis benedictio fontis specialiter spectat ad officium illius diei, sed re vera potius pertinet ad officium Sabati Sancti, & deinde spectat etiam ad festum Pentecostes.

Tertiò dubitatur, vtrum in his festiuitatibus possint licitè Sacramenta ministrari, & recipi etiam ab illis, qui ad hoc nullum habent priuilegium.

Respondeo virtute huius concessionis non esse tributam facultatem circa vsum Sacramentorum actiuam vel passiuam, vt superius innui, sed tantum circa celebrationem diuinorum officiorum. Probatur, nam in dicto cap. Alma in §. Adijcimus hæc concessio, vt singulis diebus possint Missæ & diuina officia celebrari cum dictis conditionibus, & ibi non est sermo de Sacramentis, de quibus tractatum erat antea. Deinde in §. In festiuitatibus agitur de diuinis officijs in ea significatione, in qua tractatum erat in dicto §. Adijcimus, idest vt diuina officia distinguuntur à Sacramentis, ergo licèt concedatur potestas in dictis festiuitatibus, quoad diuina officia, nulla tamen fit innouatio quoad Sacramenta, ergo remanet prohibitio firma in his festiuitatibus quoad vsum Sacramentorum, sicut in reliquis diebus durante interdicto. Nam regula est generalis in hac materia diligenter obseruanda, vt quando interdictum suspenditur vel à Iure, vel à Iudice ad aliquod tempus determinatum, omne. & solum illud licere, quod exprimitur in concessione, vt si tantum suspendatur quoad sepulturam, vel quoad certam Missam, vel certum Sacramentum, id tantum licebit, & non amplius, ita Nauar. in Manua. cap. 27. num. 183. quia illi effectus non sunt ita connexi, quin possit vnus sine alio concedi vel prohiberi, & ideo si concessio est limitata ad vnum, non extenditur ad alios. Idem notat Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. num. 6.

Solum dubitari potest, an ab hac generali regula sit excipiendum Sacramentum Eucharistiæ, de qua difficultate pertractaui in superiori Disput. cap. 4. vbi duas recensui opiniones oppositas. Et si sequamur affirmatiuam, quam tenet Gemin. & alij, quos ibi retuli, quæ probabilis est, asserendum erit, in his festiuitatibus licere his, qui Missæ assistunt, assumere quoq; Eucharistiam. Et ratio huius dicti est, quia si licet Clericis ministrantibus, vel assistentibus sacrificio Missæ tempore interdicti communicare quocunque die, licet etiam Laicis in his festiuitatibus, est enim eadem ratio. Nam illa extensio ad Clericos innititur in connexione, quam per se loquendo iuxta intentionem Ecclesiæ, habet communio cum assistentia ad sacrificium. Quæ connexio non est necessaria, sed ad melius, ex qua inferri potest regula generalis, vt si alicui concedatur priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, consequenter censeri concessum, vt possit in illa communicare ex sacrificatis, licet autem propter hanc rationem hæc sententia sit pia & probabilis, contraria tamen est communior, & magis iuri consona, atq; etiam vsu recepta, vt in dicto cap. 4. fusiùs declaraui. Quòd in his festiuitatibus ea liceant solum, quæ erant licita extra illas tempore interdicti, vt inquit Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. n. 6. Vers. Illud tamen est, testatur esse communem sententiam. Hinc sequitur, quòd quamuis vigeat præceptum Ecclesiasticum de communicando in Paschate, non licet communicare, Sylue. interdictum 5. §. 2. Vers. Tertium, quia tale præceptum interpretandum est secluso interdicto, sequitur secundo, quòd non potest Sacerdos de manu aliena sumere Eucharistiam, Couar. circa fin. Vers. Duodecimo, Henriquez libro septimo, de Indulgentijs, capit. 13. numero 4. lit. Q.

Sed rursus potest quis quærere circa hanc communionem, an in festiuitatibus saltem dum dispensatur sanctissima Eucharistia ijs, qui priuilegio Sedis Apostolicæ gaudent, vt possint communicare tempore interdicti, alij non habentes priuilegium valeant licitè assistere huiusmodi dispensationi Sacramenti.

Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. quæst. 3. art. 1. post 4. conclusionem tenet hoc esse licitum, inquit enim non esse dubitandum posse Laicos, quibus cōceditur, vt hoc tempore possint interesse sacrificio Missæ, posse etiam licitè assistere sumptionibus Eucharistiæ, quæ est pars sacrificij, & loquitur non de sumptione Sacerdotis, de qua nulla erat ratio dubitandi, nam si quis potest licitè assistere Missæ, vtique certum est posse interesse sumptioni Eucharistiæ, quæ fit à Sacerdote sacrificante, cum sit præcipua pars sacrificij ipsa sumptio Sacerdotis, sed agit de sumptione alterius personæ priuilegiatæ Laicæ assistenti Missæ, & de manu Sacerdotis communicanti; & hanc sumptionem appellat partem sacrificij lato modo loquēdo de illa actione, quæ inter sacrificandum fit. Vnde ex hac ratione Sot. inferri potest licere illi, qui assistit sacrificio Missæ communicare ex ipso sacrificio, & assistere communioni, quæ in ipsomet sacrificio dispensatur.

Quare superest adhuc difficultas, an licitum sit assistere dispensationi Eucharistiæ, quæ fit extra sacrificium ex præconsecratis, vt cum publicè à Sacerdote non celebrante dispensatur Eucharistia ad Altare, & fideles communicant. Et quidem pro parte negatiua facit, quia dispensare eo modo non est pars alicuius sacrificij, sed est dispensatio purè sacramentalis, ergo non comprehenditur sub diuinis officiis, quibus licet assistere in illis festiuitatibus, ergo fideles Laici non priuilegiati non poterunt assistere tali dispensationi Eucharistiæ, & quod erit consonum cum communi sententia Doctorum negantium licere tempore interdicti his, qui assistunt Missæ, communicare, cum communio non contineatur inter diuina officia, quatenus distinguuntur à Sacramentis, neq; sit pars sacrificij.

Ego verò non dubito posse in his festiuitatibus omnes assistere dispensationi Sacramenti Eucharistiæ etiam quando fit extra sacrificium, nō quidem ex peculiari cōcessione c. Alma, cum ibi de hac actione nihil disponatur, sed tātum tractetur de diuinis officiis. Sed quoniā tēpore interdicti nulla extat prohibitio iuris cōmunis, vt Corpus Christi conspici, & adorari nequeat nisi in Missa, cōfirmatur, nā tempore interdicti

non est vetitum fidelibus interesse administrationi Baptismi, si solenniter tunc administretur, si ob aliam causam non prohibeantur, vel non sint excommunicati. Eadem ratio est de Sacramento Confirmationis, vel extremæ Vnctionis, si ex priuilegio alicui detur, ergo idem est affirmandum de Sacramento Eucharistiæ. De Matrimonio nullum est dubium, neque etiam de Pœnitentia, difficultas tantùm esse potest de Sacramento Ordinis, quod administratur inter Missarum solennia. Et idcirco vbi non est licitum assistere, non erit quoque permissum interesse ordinationi, sed cum in his festiuitatibus primum concedatur, erit quoque concessum secundum. Ratio generalis huius dicti est, quia dispensatio alicuius Sacramenti non est diuinum officium commune omnibus fidelibus, scilicet quod fiat nomine omnium & cui alij assistendo quasi participent & communicent in diuino officio, sed est peculiare ministerium, quod exercetur inter dantem, & recipientem. Vnde aliorum assistentia ad illud est valde accidentaria & extrinseca, & idcirco non videtur magis prohibita ea vi interdicti, quàm assistere in Ecclesia, vel videre Eucharistiam.

Quartò dubitatur, quomodo accipiendum sit initium, & finis harum festiuitatum in ordine ad celebrationem diuinorum officiorum.

De hac difficultate nonnulla dixi supra cap. 3. agẽs de sacrificio Missæ, & respectu Missæ initium harum festiuitatum est inchoandum ab eo tempore, quo licitè iuxta sacros Canones Missa celebrari potest, cum enim conceditur simpliciter, vt in aliqua die actio quædam celebrari possit, censetur permissum, vt in qualibet parte illius diei aliàs habili perfici possit. Quò verò ad alia diuina officia principium harum festiuitatum dicendum est sumi debere ab illa hora noctis, qua matutinum recitari potest, idest à media nocte, vt auctor est Guilel. Durant. lib. 5 cap. 3. nu. 3. & Ioan. Beleth. cap. 20. & Maiol. Franc. in Tract. de Horis Canonicis cap. 5. num. 9. & id etiam persuaderi potest ratione probabili, quia ab illo tempore incipit dies, vt naturalis est, & oritur obligatio Ecclesiastica obseruandi festiuitatem, Vnde in Ecclesia vsus erat antiquitus, vt eo tempore celebrarentur Missæ in quibusdam solennioribus festiuitatibus, præsertim in Natali Domini, & Paschate Resurrectionis, quare initium diei in illis festiuitatibus tempore interdicti pro celebrandis officijs diuinis erit ab hora media noctis.

Postulabit quis, an in illis festiuitatibus officia diuina celebrari possint ante mediam noctem, nempe à Vesperis Vigiliæ iuxta ritum, & consuetudinem Ecclesiæ, quæ incipit celebrare solennitatem festi à primis Vesperis diei præcedentis.

Respondeo tempore interdicti iuxta probabilem opinionem initium illarum festiuitatum, in quibus conceditur publica & solennis celebratio diuinorum officiorum desumi posse à primis Vesperis Vigiliæ ita tenet expresse Glo in c. Alma Ver. Assumptionis, & citat Archid. & dicit ex obseruantia hoc esse indubitatum, Franc. in eod. cap. Alma § In festiuitatibus, num. 3. Gemin nu. 9. post med. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 184. Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 4. Calder. in Tract. de interdicto, par. 2. num. 18. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. num. 5. B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. post med. & est communis sententia, quæ probari potest primò ex Leone Papa epist. 79. aliàs 81. cap. 1. vbi agens de Dominica Resurrectionis inquit illam festiuitatem incipere à Vesperis Sa-

A bati, & refertur in cap. Quod die dist. 75. Facit cap. 2. de ferijs, ad idem facit Clem. 1. in fi. de Reliq. & Vener. Sancto. vbi Glo. Ver. In primis ex illo textu cõfirmat notata per Glos. citatam Ver. Assumptionis in dicto cap. Alma. Deinde idem ratione persuaderi potest, nam cum in dicto cap. Alma tractetur de his festiuitatibus in ordine ad officia diuina, & ex communi ritu & consuetudine Ecclesiæ officium festiuitatis incipiat à primis Vesperis Vigiliæ, meritò initium dictarum festiuitatum tempore interdicti desumetur à Vesperis Vigiliæ.

Quod verò attinet ad finem harum festiuitatum, qua hora scilicet diei terminentur, Glo. in c. Alma Ver. Assumptionis tenet finem harum festiuitatum
B esse ad Vesperam ipsius diei festi inclusiue, vnde Cõpletorium & reliqua officia post Vesperas inquit non posse cantari seruata forma dicti § In festiuitatibus. Hæc opinio potest habere fundamentum in dicto cap. 2. de Ferijs, vbi dicitur festiuitates celebrari à Vesperis ad Vesperas. Accedit ad idem ratio, nam hæc concessio videtur fieri pro solo die naturali horarum viginti quatuor. Quare cum incipiat à Vesperis terminabitur ad Vesperas, opinionem Glosæ sequitur Calder. in Tract. de interd. par 2. num. 19. Vers. Mihi placent, quam dicit esse Io. Andr. patris sui, censet enim celebrationem vnius diei naturalis incipere à Vesperis Vigiliæ & terminari ad Vesperas festiuitatis, & probat ex cap. 2. de ferijs, vbi Glo. Ver. prius in-
C cipere, notat diem incipere & terminari varijs horis diuerso respectu, & quãtum ad officij celebrationem inchoari à Vesperis & concludi ad Vesperas, idem tenet Nauar. in cap. Alma num. 3. in fi. idem tenet B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. prope med.

Contraria tamen opinio est aliorũ, nimirum suspẽsionem interdicti, quæ fit in illis festiuitatibus extendi vsque ad Completorium inclusiue, ita vt illud etiam cum solennitate publicè celebrari possit, sicut reliqua officia præcedentia. Probatur primò ex dicta Clem. 1. in fin. de Reliq. & Vener. Sanctor. vbi Glo. Ver. In primis, inquit dictam Clement. facere contra ea, quæ asseruit Glo. de Completorio in cap. Alma Ver. Assumptionis, idest quòd festiuitas diei terminetur ad
D Vesperas, & nõ includat Completorium. Secundò ex Glo. in cap. fin. Ver. Matutinis distin. 92. Vbi notat officia matutina vocari, quæ celebrantur à mane vsque ad Nonam, Vespertina verò à Nona vsque ad noctem, ergo sub officio vespertino comprehenditur Completorium, Ad idem facit cap. Si quis Episcopus in Concilio 11. quæst. 3. & ita tenet Archid. relatus à Calderino in Tractatu de interdicto par. 2. numero 18. Tertio in capit. Alma conceditur facultas celebrandi diuinum officium in his festiuitatibus simpliciter & absolutè officium autem integrum totius festiuitatis, sicut complectitur duas Vesperas, ita etiã debet continere duo Completoria, præsertim quia fauores sunt extendendi, non restringendi. Et qui tuẽ-
E tur hanc sententiam, respondent ad cap. 1. de ferijs, cum dicit, *Omnes dies Dominicos à vespera in Vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari*. Quod sub vtrisque Vesperis continetur Completorium; Secundò responderi potest ex sententia Abb. ibi numero primo, quòd illud dictum hodie non seruatur, & in constituendo initio, & fine cuiuslibet festiuitatis attendendam esse consuetudinem, sicut etiam immotatum fuit capit. illud quoad Cessationem ab opere seruili in Vesperis Sabbati, & tamen hodie fideles non se abstinent ab opere seruili, ex obli-

gatione

gatione à vesfpere Sabati, & cessant solùm tota die Dominica, & conuenienter, vt notat Abb. ne videatur dies Sabati more Iudeorum. Tertio responderi potest, nam vt ibi inquit Abb. verba illa, *A vespera in vesperam*, intelligi possunt ab ortu Solis, quia vespera capitur pro ortu Solis. Huius sententiæ est Franc. in cap. Alma, §. In festiuitatibus n. 3. prope fi. Sylue. Interdictum 5. §. 3. citat Host. & Feder. cons. 3. Angel. Interdictum 6. numero 18. Villadiego in Tract. de Irregular. cap. de Interdicto, Nauar. in Manua. cap. 27. numero 184. Couar. in cap. Alma, par. 2. §. 5. nu. 5. in fin. qui testatur hanc opinionem consuetudine esse confirmatam, & esse veriorem, Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. quæst. 2. art. 1. post quartam conclusionem, Vers. Festa autem illa, Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap 47. nu. 3. Mellu. in summa lib. 1. cap. 11. §. 13.

Ex his duabus sententijs vtraq; mihi videtur probabilis, & propter auctoritatem Doctorum, qui illam tuentur, & propter rationes adductas, prima tamen, quę est Ioan. Andr. Calder. & aliorum, videtur tutior, & ante factum esse consulenda, idest vt post vesperas festi cessaret omnino solennis celebratio diuinorum officiorum, præsertim quoniam in c. Alma in §. Adijcimus conceditur valde limitata celebratio diuinorum officiorum, vt inquit Anchar. dicto num. 3. Secunda verò opinio est satis pia & fauorabilis, & cum sit communior, & vsu recepta, absque periculo seruari potest. Ad quam confirmandam maximè facit illa ratio, quòd in his festiuitatibus ex cap. Alma licet celebrare solenniter omnia officia diuina, sed Completorium est pars officij eiusdem diei, ergo illud solenniter celebrari potest, & notandum est cum Medina vbi supra, quòd cum dicimus festiuitates terminari in vltimo Completorio, intelligendum est iuxta morem, & consuetudinem diuersarum Ecclesiarum. Quare si in aliqua Ecclesia dicatur Completorium, postquā finitum est in Cathedrali Ecclesia & pulsatum est ad

A seruandum interdictum, non censetur violari interdictum, si in illa Ecclesia iuxta morem dicatur hora solita solenniter Completorium, dummodo id fiat bona fide absque vlla fraude & dolo.

Sed remanet adhuc difficultas, vtrùm Completorio absoluto, si adhuc supersit aliqua particula diei festi possit licitè solenniter recitari aliquod aliud officium, puta Beatæ Virginis aut Defunctorum absque violatione interdicti. Ratio dubitandi illa videtur esse, quoniam in illis festiuitatibus non suspenditur tantum quoad horas canonicas, sed etiam quoad qualibet alia diuina officia, igitur & si supponatur tempus horarum canonicarum completum, tamen si ex more Ecclesiæ aliquod aliud officium esset celebrandum, puta B Virginis, vel essent publicè cantandæ Litaniæ,
B vel processio facienda, aut concedēda benedictio Episcopalis solenniter, vel quid simile durante adhuc festiuitate diei, videtur licitè illud celebrari posse cum eadem solennitate, quia cap. Alma simpliciter facultatem tribuit ad celebrandum in his festiuitatibus omnia officia diuina, sed festiuitas non est completa hora Completorij, sed adhuc durat vsque ad mediam noctem, vel saltem vsque ad noctem iuxta diuersum morem diuersarum Regionum incipiendi diem, vt perficiatur dies naturalis viginti quatuor horarum.

Ad hanc difficultatem dicendum est post horam Completorij non esse tempore interdicti celebranda solenniter alia officia, & qui contrafaceret, exponeret se periculo violandi interdictum, & ita communiter
C asserunt omnes, & in re graui non videtur discedendum à communi sententia. Et ratio huius sententiæ illa videtur, quia hæc concessio celebrandi solenniter diuina officia, illis diebus sit principaliter propter honorem & cultum illarum festiuitatum, ergo computatio diei fieri debet in ordine ad illas festiuitates, & ob hanc rationem incipit à primis Vesperis, & terminatur in secundis cum Completorio inclusiuè, & hæc dicta sufficiant de secundo effectu interdicti.

DISPVTATIO SEXTA.

DE TERTIO EFFECTV INTERDICTI, IDEST DE PROHIBITIONE ECCLESIASTICÆ SEPVLTVRÆ.



Eclaratis iam duobus effectibus interdicti, in hac Disputatione agendum est de tertio, & est priuatio Ecclesiasticę sepulturę ita expresse disponente Iure, nam eo inuito denegantur Sacramenta, & diuina officia, quæ solent, in Ecclesia celebrari ei-
E dem denegandum est, ne defunctus in Ecclesiam inferatur. Et quoniam hic effectus non eodem modo prouenit ex quocunq; interdicto, ideo de singulis agendum est.

Caput Tertium, Vtrùm in illis festiuitatibus, in quibus ex priuilegio cap. Alma Mater licitum est tempore interdicti generalis loci celebrare publicè diuina officia, ill:sque assistere liceat quoque absq; speciali priuilegio sepelire Laicos in loco sacra.

Caput Quartum, An Interdictam speciale loci priuet Ecclesiastica sepultura, & quomodo.

Caput Quintum, An interdictum personale priuet Ecclesiastica sepultura.

CAPVT I.

Vtrùm omne Interdictum generale loci priuet Ecclesiastica sepultura, & quomodo.

MVlti sunt casus, in quibus interdicitur ab ipso Iure Ecclesiastica sepultura, vt inquit Calder. in Tractatu de interdicto part. 2. num. 20. de quibus agit Glosa c. Ex parte 2. Ver. Communicabatur, & ibi Doct. de sepulr. Sed in hac Disputatione pertractamus solùm de sepultura, quæ prohibetur tempore interdicti.

Conclusio est certa & indubitata omnium consensu recepta, propter interdictum generale loci vetitũ esse, ne aliquis in illo loco Ecclesiasticam recipiat sepulturam, nisi defunctus gaudeat à Iure, vel ab homine priuilegio quoad hunc effectum.

Hæc conclusio expresse habetur c. Quod in te, de Poenit. & remiss. *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam vnctio, quam Ecclesiastica sepultura, concedimus tamen ex gratia, vt Clerici decedentes, qui tamen seruauerint interdictum, in Cæmeterio Ecclesiæ &c. tumulentur.* Vbi Glo. Ver. Ex gratia, notat, si ex gratia conceditur Clericis, qui seruauerunt interdictum, Ecclesiastica sepultura, ergo id non competit iure communi, sed ex priuilegio. Eadem conclusio desumitur ex cap. Vt priuilegia in princ. de priuileg. *Sanè quibusdam Regularibus Apostolica Sedes indulsit, vt his, qui fraternitatem eorum assumpserint, si forsan Ecclesiæ, ad quam pertinent, à diuinis officiis fuerint interdicti, ipsosque mori contigerit, sepultura Ecclesiastica non negetur.* Vbi Glo. Ver. Regetur, inquit, *Ex hoc loco patet, quòd tempore interdicti denegatur Ecclesiastica sepultura, ex quo per priuilegium illis conceditur.* Idem desumitur ex cap. Cum & plantare, quòd si eodem tit. & cap. Episcoporum eodem tit. lib. 6. *Aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant*, in cap. Si Ciuitas in fi. de sent. excom. lib. 6 *nec in Cæmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguo poterit sepeliri.* Simile habetur in cap. Is cui eodem tit. & lib. Idem habetur in Clement. 1 de sepult. *Eos qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora non sine contemptu Clauium Ecclesiæ in Cæmeteriis interdicti tempore*, in casibus non concessis à Iure, vel *excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos. vel Vsurarios manifestos scienter sepelire præsumant.* Patet igitur ex his locis propter interdictum prohibitum esse ab ipso Iure, ne cadauera fidelium decedentium tempore interdicti admittantur ad Ecclesiasticam sepulturam.

Calder. in Tract. de interdicto par. 2. numero 15. Vers. Quia non est verum, tenet per generale interdictum non prohiberi directè, & in specie Ecclesiasticam sepulturam, sed hanc prohibitionem oriri quasi accessoriè, & consequenter, vel ex prohibitione diuinorum officiorum, vel ex prohibitione Sacramentorum, & adhæret B. Antoni. 3. part. sum. titul. 26. cap. 4. ante med. Vers. Moneor ad dicendum, & Tabie. interdi. 5. num. 12. Vers. Vndecimo. Sed hæc opinio apertè videtur refelli ex locis Iuris citatis iunctis Glo. in quibus expressa mentio habetur de Ecclesiastica sepultura, quæ prohibetur tempore interdicti. Quare directè & specialiter prohibetur Ecclesiastica sepultura, sicut administratio Sacramentorum & celebratio diuinorum officiorum. Non nego tamen posse Ecclesiasticam sepulturam contineri sub officijs diuinis, atque etiam sub Sacramentis. Nam cadauer Christiani hominis non debet Sepulturæ Ecclesiasticæ tradi absque officio diuino, cap. Qui diuina 13. quæst. 2. *Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo, & psallentium vocibus debent ad sepulchra deferri.* Aliquo etiam modo sub Sacramentis contineri potest, quia sepultura eget benedictione & aspersione aquæ benedictæ, quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis, saltem ipsa benedictio sepulturæ vocari potest Sacramentum, latiùs sumendo nomen Sacramentum pro re sacramentali.

Sed primò quæri potest, quid nomine Ecclesiasticæ sepulturæ intelligatur hoc in loco.

Respondeo per Ecclesiasticam sepulturam Doctores intelligere, vel cum defunctorum cadauera in loco sacro sepeliuntur, vel in loco non sacro, sed cum põpa funebri Ecclesiastica Christiano more, & vtrunque prohibetur tempore interdicti, nam quoties interdicitur Ecclesiastica sepultura, vtrunque censetur vetitum.

Per locum autem sacrum, quod attinet ad rem, de qua agimus, primò significare volumus Templum seu Ecclesiam consecratam, vel benedictam ab Episcopo cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. Sylu. Ang. Tabie. Ver. Sepulturam. Deinde Cœmeterium Ecclesiæ, quod etiam solet esse benedictum & regulariter est deputatum ad sepeliendos fideles. Vnde Iura ferè simul loquuntur de Ecclesia & Cœmeterio. Potest autem Cœmeterium esse vel contiguum cum Ecclesia, vel ab ea distinctum & separatum, vt colligitur ex cap. vni. de consecr. Eccles. lib 6. & quoad rem præsentem eadem ratio est de vtroque. Tertiò locus, in quo consueuit Missa celebrari, quamuis aliter consecratus, vel benedictus non sit, continetur appellatione loci sacri, & in eo tempore interdicti cadauera fidelium sepeliri nequeunt, quia talis locus est quasi consecratus ex celebratione Missæ, vt habetur in cap. Ecclesia de immun. Eccles. & colligitur ex cap. vltimo, de Consecr. Altar & ibi Glo. Ver. Non consecrata. Quare locus deputatus auctoritate Episcopi, vt in eo diuina officia peragantur, vel ad hoc tantum, vt in eo sepeliantur corpora fidelium, etiam si alia benedictione consecratus non sit, dicendus est sacer quoad hunc effectum, vt in eo supposito interdicto generali loci corpora Christianorum sepeliri nequeat, quia per dedicationem ad diuinum cultum, si auctoritate legitima Superioris fiat, res efficitur sacra, & veneratione digna, ita vt ad profanos vsus conuerti minimè debeat; Tum etiam quia Iura simpliciter prohibent, ne in loco generaliter interdicto corporibus fidelium tradatur Ecclesiastica sepultura. Ad constituendam autem Ecclesiasticam sepulturam, non est necesse, vt locus Sepulturæ speciali benedictione sit consecratus, sed sufficit, vt Episcopi auctoritate ad hoc munus sepulturæ sit destinatus. Immo idem dicendum videtur, si locus aliquis

ex con-

ex consuetudine lõgi temporis communiter receptus
sit pro sepeliendis fidelibus, quamuis de expressa Epi-
scopi auctoritate seu approbatione non constet, quia
consuetudo vim habet legis, & in hoc casu interuenit
quoque tacita Episcopi approbatio, & tandem pro-
pter cadauera fidelium, quæ ibi recondita sunt, & ce-
lebrationem officij diuini, quod ibi perficitur, talis
locus aliquo modo sacer vocari potest.

Præter hæc loca, quæ meritò sacra dici debent ali-
qui Doctores censent loca contigua Ecclesiis aut Cœ-
meterijs posse reduci ad loca sacra, ita videtur sentire
Abb. in cap. Sacris num. 3. de sepult. vbi ex illo textu
notat sumi argumentum ad probandum, quòd illi,
quibus interdicitur Ecclesiastica sepultura, non de-
bent sepeliri prope Cœmeterium, sed procul, & in tan-
ta distantia, quòd voces Clericorum cantantium non
possint audiri, & probat ex illo textu, cum dicit, quòd
si contingat corpus excommunicati traditum esse se-
pulturæ, exhumandum esse & procul ab Ecclesiastica
sepultura proijciendum. Verùm non puto dictionem
illam *Procul*, in eo loco habere illum sensum, sed acci-
pi in ea significatione, vt idem denotet, quòd extra il-
lum locum, & est phrasis Latina ad ostendendum se-
ueritatem Iuris prohibentis Ecclesiasticam sepultu-
ram. Quamobrem si locus communi existimatione
profanus habeatur, vt domus priuata, vel via publi-
ca, licèt sit vicinus Ecclesiæ aut Cœmeterio eius, po-
terunt in eo tempore interdicti generalis loci sepeliri
cadauera fidelium, si tamen ipsi non sint personaliter
interdicti; Et ita expressè voluit Glos. in Clement. 1.
Ver. Cœmeterijs de sepult.

Hinc sequitur, quòd si Cœmeterium aliquod legi-
tima auctoritate Prælati antea benedictum, & deinde
ex pietate fidelium, & priuata auctoritate Clericorũ
amplificetur, illa pars areæ, quæ sine vlla benedictio-
ne, vel Episcopi deputatione addita fuit, non cense-
tur sacra etiam ad hunc effectum, de quo tractamus,
ob eam causam, quoniam eadem ratio habenda est
de hoc loco, sicut de quolibet alio contiguo Ecclesiæ,
vel Cœmeterio, quem diximus non esse dicendum sa-
crum, nisi communi consuetudine illa pars loci addi-
ti accepta esset pro sacra, & Ecclesiasticæ sepulturæ
deputata à fidelibus, & haberetur tanquam pars lo-
ci prioris.

Quare tempore interdicti generalis loci prohibi-
tum est, ne fideles in loco sacro existente inter fines
loci generaliter interdicti sepeliantur, idest in Eccle-
sia, Cœmeterio, & in aliis locis sacris explicatis. B. An-
toni. 3. par. tit. 26. cap. 4. prope finem, Henriquez lib.
13. cap. 44. num. 4. & omnes alij.

Dicimus autem ex vi interdicti generalis loci pri-
uari fideles Ecclesiastica sepultura in loco sacro, nam
bene possunt sepeliri Laici in loco interdicto, dum-
modo non sit locus sacer, & hic actus sepeliendi non
fiat cum officio diuino. Ita Nauar. in Manu. cap. 27.
num. 176. Sylue. Interdictum 5. §. 10. Calder. in Tract.
de interdicto par. 2. num. 22. Tabie. Interdictum 5. n.
11. in fi. Henriquez lib. 13. cap. 44. num. 4. in fin. Pro-
batur, nam per interdictum non prohibetur omnis se-
pultura, sed tantum Ecclesiastica, & est illa, vt dictum
est, quæ fit in loco sacro, idest Ecclesia vel Cœmete-
rio, ergo sepultura extra Ecclesiam vel Cœmeterium
erit permissa cap. Qualis in fi. distinct. 25. *Quod enim
de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de qui-
busdam conceditur*, vbi Glos. Ver. Negatur, cap. Non
ne de præsumpt. Nisi fiat extra locum sacrum cum
officio diuino, tunc enim violatur interdictum ratio-

A ne officij diuini, quod est prohibitum tempore inter-
dicti. Accedit, quòd cadauer humanum non debet in-
humatum iacere; hoc enim esset contra pietatem
christianam, cap. Placuit 13. quæst. 5. & c. Quicunque
1. quæst. 8.

Sed duo hic sunt animaduertenda. Primũ est, quòd
illi Laici qui tempore interdicti sepulti sunt in loco
non sacro, sublato interdicto debent exhumari, & in
loco sacro sepeliri, si in morte signa contritionis de-
derint, quando culpabiles fuerunt, arg. cap. A nobis
2. cum Glo. pen. in fi. de sent. excom. Idem notat Glo.
in cap. Si Ciuitas Ver. Sepeliri de sent. excom. lib. 6.
& Glo. in Clement. 1. Ver. Eis quibus de sepult. ita
tradunt Innoc. & Host. cap. vlt de excess. Prælat. Cal-
der. in Tractatu de interdicto par. 2. nu. 24. & 25. Abb.
in cap. Quod in te num. 10. in fin. de pœnit. & remiss.
B Calder. in Tract. de interdicto par. 2. num. 14. Sylue.
Interdictum 5. § 10. Nauar. in Manua. cap. 27. num.
176. Tabie. Interdictum 5. num. 11. Io. Andr. Abb. c.
Quod in te num. 10. de pœnit. & remiss. Henriq. lib.
13. cap. 44. numer. 5. in princ. Secundum est, quòd si
tali tempore quædam cadauera fuerint illicitè in lo-
co sacro sepulta, per Laicos aut Clericos non debent
cessante interdicto exhumari, sed permittuntur ibi
manere, quia ad eum statum res peruenit, à quo inci-
pere potuit cap. Placet de conuers. coniug. l. Quia ad
eum ff ad leg. Aquil. Sylue. Nauar. Henriquez locis
citatis, & possunt Clerici pro sic sepultis mortuaria
& oblationes recipere latè Syluester dicto §. 10. in fi.
Vers. Septimum, Glos. citata in Clement. 1. Ver. Eis
C quibus in fi. de sepult. fatetur quidem posse Clericos
recipere mortuaria, quæ pœnitens de loco interdicto
reliquit in morte, & similiter illa, quæ postea da-
rentur, cum relaxato interdicto cadauer traderetur
Ecclesiasticæ sepulturæ. Non credit tamen licitum
esse recipere funeralia & oblationes, quæ offeruntur,
cum tempore interdicti traderetur cadauer Ecclesia-
sticæ sepulturæ, quia viderentur participare delicto.

Dicimus secundo in conclusione priuari fideles Ec-
clesiastica sepultura in tali loco generaliter interdi-
cto. Simpliciter enim non denegatur eis sepultura extra
locum interdictum & eius fines, possunt enim extra
locum interdicto suppositum corpora decedentium
D tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, & sepeliri in loco sacro.
Ratio est, nam vt alias dixi, interdictum locale non
fertur in personas absolutè, sed solum per respectum
ad locum, qui interdicitur, & hoc est commune om-
nibus effectibus interdicti, ergo nõ producit aliquem
effectum extra locum interdictum. Alia tamen ratio
est de ijs, qui culpam tali interdicto dederunt, quoad
illos enim interdictum locale habet vim & efficaciam
interdicti personalis, & seruanda est regula inferius
tradenda de interdicto personali, idest vt nullibi ha-
bere possint Ecclesiasticam sepulturam etiam extra
locum interdictum, & colligitur ex c. Si sententia de
E sent. excom. lib. 6.

Secundò quæri potest, an tempore interdicti gene-
ralis loci omnibus fidelibus absque vlla exceptione
denegetur Ecclesiastica sepultura.

Respondeo primò vetitum esse, ne Laici adulti,
quamuis cum pœnitentia, & Sacramentis decesse-
rint, sepeliantur in vllo loco sacro, idest Ecclesia,
vel Cœmeterio intra fines loci generaliter inter-
dicti, vt inquit Calder. in Tractatu de interdicto,
part. 2. numero vigesimosecundo, Abb. in capitulo
Quod in te, numero 3. de Pœnit. & Remiss. B. Antoni.
3. part. sum. tit. 26. capit. 4. vltra med. Vers. Item

tempore generalis interdicti, Sylue, Interdictum 5. §. A 10. & § 4. Domin. Sot. in 4. sent. distin. 22. q. 2. art. 1. conclus. 4. Vers. Tertius, quia nec defuncti, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 176. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. num. 2. & §. 2. num. 7. Vers. Clericis etiam decedentibus. Probatur expressè ex dicto cap. Quod in te de pœnit. & remiss. ibi, *Licèt autem per generale interdictum denegetur omnibus tam Vnctio, quàm Ecclesiastica sepultura*, facit ad hoc ratio ex eod. tex. desumpta, vt dicitur, ex gratia concedi Clericis, vt tempore interdicti sepeliri valeant in Cœmeterio, ergo alijs intelligitur prohibitum cap. Sanè de priuileg. c. Quod alicui, & c. In argumentum de reg. Iur. lib. 6.

Dico secundò non solùm Adultis, sed etiam Infantibus baptizatis per interdictum prohiberi Ecclesia- B sticam sepulturam, ita sentit Nauar. in Manua. cap. 27. numero. 168. in fin. qui tenet infantes includi sub interdicto, & ideo non esse admittendos ad diuina, ergo multò magis id affirmare debet de Ecclesiastica sepultura, quia fortior ratio militat, vt statim ostendam, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 5. Vers. Duodecimo in fin. Corduba in Sum. quæst. 60. Dicto 3. Henriquez lib 13. cap. 42. num. 4. circa fin. & cap. 44. num. 4. in fi. Probatur primò, quia Iura simpliciter & absolutè loquuntur absque vlla distinctione prohibēdo Ecclesiasticam sepulturam, & hic actus eodem modo se habet in Infantibus, sicut in Adultis, nam cadauer, quod sepelitur, passiuè se habet, neque ad hunc actum requiritur vsus rationis. Conuenien- C ter autem Ecclesia voluit generaliter Ecclesiasticam sepulturam prohibere ad ostendendum maiorem rigorem, vt fideles magis grauati interdicto celerius eius causam tollere omni adhibita diligentia procurent. Probatur secundo, quoniam prohibitio Ecclesiasticę sepulturæ propriè dirigitur ad ipsos viuentes, eosque obligat, vt non sepeliant aliquem in loco sacro, ergo viuentes sepelire hoc modo non possunt cadauer alicuius Christiani, siue sit adultus, siue infans, aliàs dicuntur violare interdictum. Tertiò per interdictum locale Ecclesia redditur quodammodo incapax ad recipiendum corpus humanum, quodcunque illud sit, ergo in ea sepeliatur infantis cadauer, cum D sit corpus hominis Christiani, fit contra prohibitionem interdicti.

Dicet quis, vtrùm sit eadem ratio de interdicto personali generali, vt eo supposito infantes ante vsum rationis sepeliri nequeant in loco sacro; respondeo esse parem rationem de vtroque interdicto generali, scilicet locali & personali, atq; alterutro supposito nō solùm adultis, sed infantibus denegandum esse Ecclesiasticam sepulturam, quia licèt interdictum personale non comprehendat infantes quoad effectus requirentes vsum rationis; bene tamen includit quantum ad hunc effectum sepulturæ, qui non requirit vsum rationis, nam quoad actum sepeliendi ita expers est rationis cadauer adulti, sicut infantis. Qua in re di- E scrimen est inter hanc prohibitionem, & aliam de audiendis officijs diuinis, quia illa requirit vsum rationis, quo carent infantes, & ideo non continentur sub illa prohibitione, quidquid dicat Nauar. vt probauimus supra Disp. Quarta, & notat Couar. in citato §. 4. num. 5. Vers. Duodecimo. At prohibitio sepulturæ non deducitur ab aliqua cognitione eius actus, sed solum, quòd Ecclesia tempore interdicti nullum corpus admittat, cum interdicta sit, officia verò prohibentur, ne quis audiat, siue celebret.

Dico tertiò Clericos, qui non sunt interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicti, & seruauerunt interdictum, sepeliendos esse in Cœmeterio Ecclesiæ cum silentio sine pulsatione campanarum, & absque solennitate. Ita habetur expressè in dicto c. Quod in te de pœnit. & remiss. Et hæc est exceptio vna seu limitatio ad dictam prohibitionem vniuersalem sepeliendi in loco sacro, & idcirco initio capitis addebam in cōclusione proposita, nisi defunctus gaudeat à Iure, vel ab homine priuilegio quoad hunc effectum. Clerici enim ex priuilegio Iuris possunt sepeliri in loco sacro, adhibitis tamen cautelis & seruatis conditionibus descriptis in dicto cap. Quod in te. Duæ igitur conditiones requiruntur, vt Clerici tempore interdicti sepeliri valeant in loco sacro. Prima est, vt non dederint causam interdicto, seu quòd non sint personaliter interdicti. Secunda conditio vt seruauerint interdictum; neque enim digni sunt hac immunitate, si interdictum non seruauerunt, cum peculiariter Clerici non seruantes interdictum puniantur ab ipso Iure hac pœna, vt decedentes sint priuati Ecclesiastica sepultura iuxta dispositionem cap. Is cui, de sent. excom. lib. 6.

Sed postulabit quis, de qua violatione sit intelligēdus textus, vtrùm de illa, quæ propria est & peculiaris Clericis exercendo actum ordinis, vel per actum communem quoque Laicis, vt per auditionem diuinorum, vel similem.

Respondeo non esse intelligendum de violatione propria Clericorum. Conceditur enim priuilegium sepulturæ Clericis, qui interdictum seruauerunt, ergo debent seruare interdictum vt Clerici, quia verba accipienda sunt in propria significatione. Quare si Clericus violaret interdictum loci exercendo in eo non actum proprium ordinis, sed aliquod officium prohibitum, quod exhiberi posset etiam per Laicum, non amitteret priuilegium sacræ sepulturæ.

De hoc priuilegio sacræ sepulturæ Clericis concesso nonnulla sunt clariùs explicanda, vt res exactius intelligatur. Et primò postulabit quis, cur in dicto capit. Quod in te, dicatur, *Ex gratia*, concessum esse hoc priuilegium Clericis, nam vt inquit Glo. ibi Ver. Ex gratia, non erit Ius commune, si ex gratia cōceditur, & non poterit competere, nisi impetretur. Sed respondendum est, quòd antea erat gratia impetranda per priuilegium, sed modò competit ex Iure communi. Simile habetur in cap. Quod nonnullis de priuileg. Vbi priuilegium concessum quibusdam Regularibus celebrandi tempore interdicti adhibitis quibusdam conditionibus extēditur ad Episcopos, quod per c. Alma permittitur ex Iure communi, & iam non est priuilegium proprium Episcoporum.

Secundò quæri potest, qui comprehendatur sub nomine Clericorum. Et dicendum est intelligi generaliter omnes initiatos prima tonsura vsque ad supremum ordinem, habentes enim solam Tonsuram significantur propriè nomine Clericorum, dummodo habeant conditiones necessarias, vt gaudeant communibus priuilegijs Clericorum iuxta dispositionem Iuris c. vni. de Cleri. coniug. lib. 6. & decretum Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. Ita tenet Henriquez lib. 13. c. 44. num. 4. in princ.

Cōfirmatur, quoniam sicut omnes Clerici etiā primæ Tonsuræ non excōmunicati neq; interdicti, & qui nō dederūt causā interdicto, possunt celebrare diuina officia in loco generaliter interdicto etiā habentes solam primam Tōsuram cum moderatione c. Alma, ita quoq; omnes Clerici absq; vlla exceptione gaudent

hoc

hoc priuilegio sepulturæ. Quod enim ab ipso iure limitatum non fuit, neque à nobis limitari debet.

Item nomine Clericorum hoc in loco intelliguntur omnes Religiosi tam viri, quàm fœminæ etiam Nouitij. Probatur ex eodem fundamento, quoniam ita accipitur nomen Clericorum à Doctoribus quoad celebrationem diuinorum officiorum cum moderationibus cap. Alma. nulla enim apparet ratio, propter quam intelligi debeat alio modo quoad hunc effectũ Ecclesiasticæ sepulturæ. Sic tenet Angel. Ver. Interdictum 6 num. 4 circa fi. Syluc. Interdictum 5. § 1. Vers. Secundum, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 95. & cap. 27. nu. 175. Henriquez lib. 13. cap. 44. nu. 6. Quare nomine Clericorum comprehenduntur omnes personæ Ecclesiasticæ, quæ licitè diuinis intersunt, & possunt illa celebrare cum debitis limitationibus tempore interdicti, & sic vsus, & consuetudo seruauit.

Eodem priuilegio sacræ sepulturæ gaudent Clerici, quamuis sit depositi verbaliter. hæc enim depositio non tollit priuilegia Clericorum, Glo. in cap. 2. Vers. Priuilegio de pœn. lib. 6. Sylue. Ver. Degradatio §. 8. Vers. Sexto, & Tabie. eod. Ver. nu. 1. Secus verò est de Clericis degradatis, seu depositis realiter, quia tales inter Clericos non computantur, vt latius declaraui in Disputatione de degradatione, & habetur in dicto c. 2. in fi. de pœn. lib. 6. Vbi referuntur verba, quibus debet vti Episcopus in actuali Degradatione Clerici, cum ab eo aufert postremam vestem Sacerdotalem, *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac Nostra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali.*

De Clericis coniugatis dubitari potest, an tempore interdicti localis sepeliri possint in loco sacro, & ex communi sententia Doctorum; Respondẽdum est negatiue non includi nomine Clericorum in dicto cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. quoad hoc priuilegium Ecclesiasticæ sepulturæ, quamuis non sint bigami. ita asserit Domin. Sot. in 4. dist. 22. q. 3. ar. 1. post quartam conclus. Vers. Igitur extra illa, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 176. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 4. Vers. Decimò, Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 44. nu. 4. & alij. Ratio huius dicti est, quoniam, vt rectè inquit Couar. Clerici coniugati, etiamsi cum vnica, & virgine contraxerint matrimonium, priuilegium retinent clericale in duobus tantum, idest quoad Canonem; Si quis suadente, & Fori, vt non possint conueniri coram Iudice seculari, vt communiter tradunt Doctores in cap. vni. de Cleri. Coniug. lib. 6. si incedunt in habitu, & tonsura, & habeãt alias conditiones iuxta dispositionem Concilij Trident. sess. 23. cap. 6. de reform. In cæteris verò laici censendi sunt, igitur non gaudent priuilegio hoc, vt tempore interdicti sepeliri valeant in loco sacro.

Addit tamen ad hoc Nauar. limitationem in dicto num. 176. Nisi vigeat alicubi consuetudo contraria legitimè præscripta, vt Clerici coniugati cum vnica, & virgine, & non bigami, possint interesse diuinis officijs tempore interdicti, vt alij Clerici non coniugati. Tales enim gauderent quoque eodem priuilegio Sepulturæ, sicut alij Clerici, qualem consuetudinem inductã fuisse dicit in Aragonia. Huic opinioni Nauar. adhærent aliqui Recentiores, & ratio, qua vtitur, est satis probabilis, sicut enim Consuetudo vim habet inducendi, vt licitè Clerici coniugati frui possint priuilegio Clericorum tempore Interdicti, quantum ad auditionem, & celebrationem diuinorum, ita poterit

A etiam tribuere ius ad ecclesiasticam sepulturam, quæ conceditur alijs Clericis, quia videtur eadem ratio vtriusque effectus.

Sed quid dicendum est de Clericis coniugatis, qui sunt ascripti alicui Ecclesia iuxta Concil. Trident. an gaudent priuilegio sepulturæ sacræ seclusa consuetudine.

Respondent aliqui recentiores tales Clericos comprehendi nomine Clericorum quoad hoc priuilegium sepulturæ, sicut possunt assistere diuinis officijs tempore interdicti, & ita videtur sentire Sot. in illa quæst. 3. art. 1. post quartam conclus. Vers. Igitur extra, ob eam rationem, quoniam idcirco Clerici coniugati amittunt priuilegium assistendi diuinis officijs tempore interdicti, quia non sunt amplius Ministri Ecclesiæ, neque Altaris, ergo quando sunt deputati Ministri Ecclesiæ, gaudent hoc priuilegio, & idem dicendum est de priuilegio ecclesiasticæ sepulturæ, quod concessum est Clericis tanquam Ministris Ecclesiæ.

Animaduertendum tamen est, cum ius in dicto c. Quod in te, de pœnit. & remiss. concedit Clericis, vt tempore interdicti generalis loci possint in loco sacro sepeliri hoc esse intelligendum ex parte interdicti; nã si aliud adsit impedimentum prohibens Ecclesiasticã sepulturam, priuilegium dicti cap. Quod in te, eis non suffragabitur. Quare Clericus excommunicatus priuatus est Ecclesiastica sepultura, propter excõmunicationem, quæ impedit, ne excommunicatus siue sit C Clericus, siue laicus, sepeliatur in loco sacro, ita etiam carere ecclesiastica sepultura, qui moritur in Torneamentis cap. 1. & ibi Glo. Ver. Careat sepultura, de torneam. Similiter Clericus exercens artem iaculatoriam cap. vni. De Vi. & Honest. Cleri. lib. 6. vel incedens vt laicus, si ter monitus non resipiscat cap. In audientia, de sent. excom.

Tertiò principaliter quæritur, an ex dicto priuilegio iuris Clerici sepeliri possint in Ecclesia. Difficultas oritur ex verbis dicti cap. Quod in te. *In Cœmeterio Ecclesiæ &c. tumulentur.* Quare permissio facta videtur de sepultura in Cœmeterio, ergo non conceditur, vt Clerici in Ecclesia sepeliantur, nam exceptio limitatur ad Cœmeterium, ergo non est extendenda D contra prohibitionem generalem ad nullum alium locum præter Cœmeterium, præsertim quoniam & si nomine Ecclesiæ aliquando comprehendatur Cœmeterium, quia principale trahit ad se accessorium, non tamen nomine Cœmeterij significatur Ecclesia, quia ad accessorium non sequitur principale. Confirmatur ex cap. Nullus 13. q. 2. nam antiquitus in Ecclesia sepeliebantur soli Episcopi, aut Abbates, vel digni Presbyteri, aut laici insignes.

Respondeo in cap. Quod in te. nomine Cœmeterij intelligi omnem locum sacrum ad fidelium sepulturam destinatum, Summus autem Pontifex vsus est nomine Cœmeterij, nam olim fideles frequentius sepeliri solebant in Cœmeterijs, ideo iuxta communem E vsum omnis locus sacer deputatus ad sepulturam potest significari nomine Cœmeterij. & ita Doctores communiter sentiunt, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 7. Vers. Clericis etiam, Henriquez cap. 44. nu. 4. Quare per Cœmeterium intelligitur Ecclesia, & ibi colligi potest ex c. Cum gratia 13. q. 2. ibi. *Hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur.*

Quartò dubitari potest de illis conditionibus, quæ requiruntur à Summo Pontifice, vt sine violatione interdicti sepulturæ tradi possint corpora Clericorum in loco sacro, & sunt tres, nempe primò, vt sepeliantur

sine

sine pulsatione campanarum, secundò vt cessent omnes solennitates, tertiò vt cum silentio tumulentur. De prima conditione nulla est difficultas, sed est clara, de alijs duabus quæritur, quomodo sint intelligendæ, & quoad solennitates, quæ prohibentur, existimo esse prohibitas solennitates Ecclesiasticas, non alias, quæ potius dicendæ sunt ciuiles, & pertinent ad honorem humanum. Illæ enim non sunt effectus interdicti Ecclesiastici.

De tertia maior est ambiguitas, an sit intelligenda de prohibitione cantus solummodo, an verò etiam de simplici recitatione psalmorum, & officii mortuorum, ita vt debeant Clerici sepeliri cum silentio simpliciter.

B. Antoni. 3. par. Sum. cap. 4. post med. Vers. Clericis verò, explicans dictionem illam, *Cum silentio* inquit illud non esse intelligendum de silentio officii funeralis, quia cum concedatur, quod maius est, scilicet vt possit celebrari Missa, & officium diuinum submissa voce, vtique & officium funeris eodem modo concedi videtur. Sed B. Antoni. loquitur supposita concessione c. Alma. idem sentit Domin. Sot. in 4. dist. 22. q. 2. art. 1. post quartam conclusionem in fine dictę Conclusionis, Sylue. Interdictum 5. §. 10. Vers. Quartum Clericis, dicens hodie non esse verum, quòd Clerici debeant sepeliri cum silentio officii funeralis, cum Missa concedatur, & horarum solatio iuxta moderationem cap. Alma, Angel. Interdictum 6. num. 31. Armil. Interdictum nu. 48. Tabien. Interdictum 5. nu. 12. Henriquez lib. 13 c. 44. nu. 4.

Pro solutione huius difficultatis distinguendum est de concessione, quæ fit tempore interdicti ex dispositione c. Quod in te, de pœnit. & remiss. à Clemente Tertio, & de illa, quæ habetur in cap. Alma edito à Bonifatio Octauo. Item distinguendum de recitatione officii diuini, si fiat intra Ecclesiam, aut per viam, cum defertur corpus defuncti ad sepulturam, vel cum tumulatur in Cœmeterio.

His positis, dico primò, si loquamur de iure antiquo dicti c. Quod in te de pœnit. & remiss. ex vi illius vetitum esse non solum, ne officia diuina pronuncientur cum cantu, sed simpliciter, ne publicè officia diuina etiam submissa voce recitentur. hoc enim significat illa vox *Cum silentio*, si proprie sumatur, qualis recitatio permittatur ex cap. Alma. Quando enim Iura concedunt celebrationem diuini officii, id explicant, & non vtuntur voce silentii, quod denegat simpliciter actum recitationis Sed si velint prohibere tantùmmodo cantum & solennitates, permittunt, vt officia celebrentur, sed submissa voce sine solennitate, sicut in c. Alma. Quare si attendatur solum dispositio iuris antiqui in dicto c. Quod in te, de pœnit. & remiss. quãdo sepulturæ Ecclesiasticæ traditur corpus Clerici, non esset dicenda Missa, neq; responsoria recitanda cum vestibus sacris, & aspersione aquæ benedictæ.

Dico secundò post c. Alma Mater ex dispositione iuris noui licitè intra Ecclesiam celebrari posse Missam, & similiter qualibet alia diuina officia recitari pro defuncto Clerico sepeliendo cum circumstantiis, & moderationibus ibi expressis Ratio est, quoniam ex vi illius iuris possunt modo ibi explicato qualibet officia diuina in Ecclesia generaliter interdicta recitari. Igitur etiam Missa, & officium defunctorum, & ita sentiunt omnes Doctores citati.

Dico tertiò non licere diuinum officium, & psalmos alternis Choris ecclesiastico more recitare in via, cum defertur corpus defuncti Clerici ad sepulturam, neque etiam illa officia dicere in Cœmeterio cum tumulatur, si Cœmeterium sit publicum, & apertum, ita vt ianuis claudi nequeat. Ratio est, quoniam ante c. Alma Clericis concedebatur sepultura cum silentio, idest nuda sepultura in loco sacro, non officium defunctorum. Post c. Alma omnes, qui sepeliuntur in loco sacro, possunt quidem sepeliri cum Missa, & officio defunctorum, sed seruata moderatione illius cap. Sed illa moderatio cum conditionibus ibi requisitis ad diuina officia celebranda seruari non potest, præsertim illa, vt ianuæ claudantur, quando scilicet officium dicitur in via, vel in Cœmeterio aperto, eò magis quia talis recitatio esset contra finem, propter quẽ Ecclesia requirit tales conditiones in celebrandis diuinis officijs tempore interdicti, idest nè audiri possint à personis prohibitis. id enim nullo modo moraliter loquendo vitari posset. si per viam, vel in Cœmeterio publico, & aperto diuini officij recitatio admitteretur. Hæc autem conclusio intelligenda est de officijs ecclesiasticis, quæ à Clericis publico ritu dici solent, non enim prohibentur preces priuatæ, quæ a laicis recitari solent, vt dixi in superiori Disputatione.

CAPVT II.

Vtrum laici habentes priuilegium verbis generalibus conceptum possint etiam sepeliri in loco sacro, quamuis tale priuilegium nullam mentionem faciat sepulturæ.

SVperiori Capite ostensum est inter alios effectus Interdicti vnum esse, vt posito interdicto generale loci nulli debent in loco sacro intra latitudinem loci interdicti sepeliri exceptis Clericis, quibus conceditur, vt sepeliri possint seruatis conditionibus expressis in cap. Quod in te, de poenit. & remiss. Modò discutiendum est, an ex priuilegio speciali hominis possit alicui concedi, vt Ecclesiasticæ tradatur sepulturæ, & quale debeat esse hoc priuilegium.

Conclusio est certa Posse à Papa priuilegium concedi, vt alicuius defuncti cadauer tempore interdicti sepeliatur in loco sacro. Vt autem sciatur, quando id concessum fuerit, inspicienda sunt verba priuilegij, & iuxta illius tenorem est interpretandum, & de hoc nulla est controuersia apud Doctores. Tale potest dici priuilegium datum Templarijs, vt qui eorum fraternitati fuerint ascripti apud ipsorum Regularium Ecclesias, vel aliorum non interdictas, tumulari possint tempore interdicti, vt habetur in c. Vt priuilegia, de priuileg. quod intelligitur de his Confratribus, seu oblatis, qui mutato habitu se ipsos dedicauerint perpetuo Monasterio, vel absque habitus mutatione se, & sua bona, vel omnia, vel maiorem partem ex sententia aliquorum Monasterio donatione inter viuos donauerint, retento sibi quandiu vixerint in seculo vsufructu. Neque necesse est, vt tales Confratres assumant habitum Religiosorum, sed satis est, si mutauerint secularem, vel sumant habitum sine professione arg cap. Consulti de regular. ita inquit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 181. Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. n. 8. Verum verò hoc priuilegium concedi quoque possit ab Episcopo. Difficultas est, quoniam priuatio sepulturæ est effectus interdicti ex institutione iuris communis, cui omnes Summo Pontifice excepto subijciuntur cap. 1. & cap. fin. De constit. cap. Proposuit de concess. præben. sed de hac dubitatione inferius tractabitur,

Sed

Sed hic dubitatur primò, Vtrum si alicui priuilegium concessum fuerit, vt tempore interdicti assistere possit diuinis officijs, & recipere Sacramenta virtute dicti priuilegij, possit etiam, si moriatur, sepeliri in loco sacro.

Aliqui censent affirmatiuè respondendum esse ob eam rationem, quia sepultura Ecclesiastica connumerari potest inter diuina officia, ergo comprehenditur sub generali concessione, præsertim quia fauores & gratiæ sunt latè explicandæ. Confirmatur, quia sepultura Ecclesiastica præcipuè prohibetur ratione diuini officij, quare si diuinum officium est permissum, censetur quoque sepultura permissa. Confirmatur secundo, nam cui communicamus in vita, possumus etiam post mortem communicare cap. A nobis 2. de sent. excom. Igitur si viuens admittitur ad diuina officia, consequenter eidem permittitur, vt post mortem habere possit sepulturam ecclesiasticam. Huius opinionis est Ioan. Calder. in Tract. de interdicto par. 2. num. 16 dicens quod Ecclesiastica sepultura, quantum spectat ad præsentem materiam, vel sumitur pro officio funerali, vel saltem est accessorium ad diuinum officium, ergo quando permittitur diuinum officium, censetur permissa sepultura cap. Præterea de off. Deleg. cap. Accessorium de reg. Iur. lib. 6. idem sentit Anchar. in cap. Alma num. 15. dicens, quòd Laicus priuilegiatus super auditione diuinorum & receptione Sacramentorum debet admitti tempore interdicti ad Ecclesiasticam sepulturam, quia appellatione Sacramentorum includitur sepultura, citat ad hoc cap. Non satis de simon. Vbi declaratur simoniacum recipere precium pro sepultura, Chrismate, oleo Sancto, & alijs Sacramentis, & cap. Ad Apostolicam eodem tit. vbi in fine præcipitur, vt Sacramenta Ecclesiastica liberè conferantur, & antea solum mentio facta erat de exequijs mortuorum, benedictionibus nubentium, & similibus, quod si priuilegium concessum tantum sit super auditione diuinorum officiorum, etiam extẽditur ad sepulturam Ecclesiasticam, nam cui patet Ecclesia in vita, debet etiam patere post mortem, & consequenter priuilegiatus ad audiendum diuina officia donari poterit post mortem Ecclesiastica sepultura, sed cessantibus solemnitatibus, vt de Clericis, qui interdictum seruauerunt, habetur in c. Quod in te, de Pœnit. & Remi... B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap 4. post medium, Vers. Item priuilegiatus, idem tenet absque difficultate de priuilegiato super auditione diuinorum & receptione Sacramentorum, vel etiam super perceptione Sacramentorum nulla facta mentione de diuinis officijs. Dubium autem esse asserit, quando è contra conceditur priuilegium audiendi diuina officia, & nihil dicitur de Sacramentis, magis tamen inclinat in eandem opinionem, nimirum etiam in tali casu censendum esse permitti post mortem Ecclesiasticam sepulturam per illam regulam, cui communicamus viuo, possumus etiam post mortem communicare, cap. Sanè 24. quæst. 2. Sylue. Interdictum 5. §. 2. Vers. Quartum, & §. 10. Vers. Sextum, Tabien. eodem Verb. nu. 11. circa med. Feder. de Senis cons. 186. Henriquez lib. 13. cap. 44. nu. 5. Angel. Interdictum num. 35. & 36.

Sunt tamen alij Doctores, qui negant eum, qui ex priuato priuilegio potest viuus interesse diuinis officijs, si decedat, sepeliendum fore in loco sacro, nisi priuilegium expressè sepulturam concedat, vt in 4. sent. dist. 18. quæst. 8. art. 4. conclus. 10. Gemin. in cap.

A Alma §. In festiuitatibus num. 8. in fin. ad idem citat Ioan. Andr. & probat, quoniam sepultura potius annectitur sub genere Sacramentorum, quæ conferuntur alijs, quàm diuinorum officiorum, quatenus omnes res sacræ dici possunt Sacramenta, ergo quando non conceduntur Sacramenta, quamuis permittãtur diuina officia, non censetur concessa sepultura. Idem videtur sentire Glos. in Clem 1. Ver. A iure de sepult. & probat ex cap. Cum & plantare §. Quod si de priuileg. Vbi permittitur Hospitalarijs & Templarijs, vt tempore interdicti semel in anno in Ecclesia posita in loco interdicto, *Ad Ecclesiasticum officium admittantur, nec tunc ibi sepeliantur corpora defunctorum*. Quare cum sepultura distinguatur ab officijs diuinis, B priuatum priuilegium pro officijs videtur strictè interpretandum, & per mortem expirat.

Propositæ difficultati ad hunc modum probabiliter respondendum esse puto, primò vt dicamus opinionem affirmatiuam esse valde probabilem, quia communior est, nam præter Doctores supra citatos illam defendunt Armilla Ver. Interdictum nu. 49. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 181. qui affirmat hanc sententiam esse sequendam tanquam magis fauorabilem, & Couar. in cap. Alma par. 2. §. 3. num. 6. vocat illam benigniorem & æquiorem, & præsertim hæc sententia iure defendi poterit, si priuilegium concedatur alicui, non solùm vt assistere possit diuinis, sed etiam recipere Sacramenta, ob eam rationem, quo- C niam sepultura negatur propter duo, primò ratione diuini officij annexi, secundò ratione dependentiæ ad ordinem sacrum propter consecrationem Ecclesiæ. Vnde nec in loco sacro sine officio diuino, nec extra locum sacrum cum officio diuino fieri potest, ergo quando vtrunque eorum licet ex priuilegio, consequenter licebit sepultura; consequentia sequitur ex illo communi principio superius explicato, nempe cui communicamus viuo, possumus communicare defuncto.

Si obijcias ex hac sententia sequi licere hodie sepeliri fideles quibuscunq; diebus in loco generaliter interdicto cum moderatione cap. Alma. si verum est, quoties permittantur diuina officia censeri etiam D permissam Ecclesiasticam sepulturam iuxta prædictã opinionem; Respondeo negando consequentiam, nam & si in c. Alma permittantur diuina officia tempore interdicti Clericis, non tamen conceditur Laicis, vt eis interesse possint, & ideo neq; post mortem eis permittitur Ecclesiastica sepultura, quòd ex eodem principio à contrario sequitur, quia quibus non communicamus viuis, nec communicamus defunctis. Vnde quando à Sede Apostolica Laicis conceditur priuilegium audiendi diuina, iam permissa est communicatio cum eis in vita, & idcirco poterunt quoq; sepeliri in loco sacro quibuscunque diebus seruatis conditionibus cap. Alma Mater.

E Dico secundò oppositam sententiam negatiuam esse iuri magis consentaneam & probabiliorem, nempe relaxationem interdicti, vel priuilegium præcisè concessum ad audiẽda diuina officia ex vi verborum non extendi ad Ecclesiasticam sepulturam, quam sequitur etiam licèt non constanter Couar. in c. Alma par. 2. §. 3. num. 6. & Maiol. illam tenet lib. 3. cap. 23. num. 8. de Irregular. Fundamentum huius sententiæ præcipuum est, quoniam tres effectus, qui producuntur ab interdicto, sunt distincti, scilicet priuatio sacramentorum, diuinorum officiorum & sepulturæ Ecclesiasticæ, & tanquam distincti numerantur in Iure, vt in cap.

In cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6. Vbi auditio diuinorum officiorum, & receptio Sacramentorum tempore interdicti numerãtur vt duo effectus diuersi, & in cap. Si Ciuitas eod. tit. & lib. auditio diuinorum, & Ecclesiastica sepultura ponuntur vt duo effectus diuersi interdicti. Clarius in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. recensentur distinctè singuli tres effectus, *Aut Excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant.* Cum igitur sint distincti effectus, & diuersis verbis exprimantur, ergo vno expresso tantum alij non continentur. Nulla igitur ratio persuadere potest, vt priuilegium concessum ad vnum extendatur ad alia diuersa, etiamsi latè sit interpretandum, semper enim contineri debet sub latitudine verborum in propria significatione. Confirmatur, quia falsum est sepulturam prohiberi tempore interdicti solùm propter officium diuinum, quia cum sint distincti effectus, vnus non prohibetur propter alium, sed singuli per se simpliciter interdicuntur, nõ vnus dependenter ab alio, neque restitutio vnius infert restitutionem alterius, quod manifestè constat, si inspiciamus propriam rationem horum effectuum, Nã sepultura Ecclesiastica nihil aliud est quàm participatio loci sacri post mortem. Officium diuinum est publica oratio vel sacrificium, aut alia cæremonia ad cultum diuinum ordinata, receptio Sacramentorum est assumere remedia instituta à Christo ad remissionem peccatorum, & ad gratiam consequendã, vnde & è contra si quis esset prohibitus à diuinis officijs, non idcirco priuatus esset Ecclesiastica sepultura, sicut qui est interdictus à diuinis officijs, non est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quia hæc sunt diuersa, & non necessariò connexa. Vnde qui ad vnum admittitur, non necessariò ad aliud restituitur, quod cõfirmari potest ex cap. Quòd in te de Pœnit. & remiss. vbi admittuntur Clerici ad Ecclesiasticam sepulturam sine officio, & è contra in cap. Cum & plantare, §. Quod si de priuileg. Permittuntur diuina officia ex vi cuiusdam priuilegij in Ecclesia interdicta, negatur tamen Ecclesiastica sepultura.

Sed obijciet quis, si prohibeatur alicui ingressus Ecclesiæ, censetur etiam eidem prohibita diuina officia cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. ergo è contra si conceduntur alicui diuina officia in Ecclesia, conceditur quoque ingressus in Ecclesiam post mortem, quod fit per sepulturam Ecclesiasticam.

Respondeo negandam esse consequentiam, & ratio negationis est, quoniã aliud est præsentia, aliud participatio diuinorum officiorum, ideo ex vno aliud inferri nequit, nam absentes possunt participes fieri fructus officiorum & sacrificij, si pro eis offeratur, seu recitetur, immo non solùm quicunque Laici non priuilegiati, sed etiam interdicti, nisi sint excommunicati possunt esse participes sacrificiorum, & diuinorum officiorum, licèt non possint eis interesse. Quare non rectè infertur à participatione ad præsentiam. Quamobrem quando conceditur celebratio, vel assistentia diuini officij in Ecclesia, etiam conceditur ingressus, quia necessariò supponitur. Sed quando conceditur absoluta celebratio diuinorum officiorum in tali loco, vel pro tali defuncto, non necessariò conceditur sepultura in tali loco, quia hæc non necessariò supponitur.

Ex quo sequitur nullum requiri priuilegium, vt licitè celebrari possit tempore interdicti officium diuinum, vel sacrificium offerri pro quocunque defuncto, non excommunicato, quod tamen necessarium est, vt eius cadauer Ecclesiasticæ sepulturæ tradi possit. Et ratio huius dicti est, quia illa celebratio, vel recitatio officij non prohibetur ex vi Interdicti, immo ex sententia aliquorum recentiorum non est improbabile asserere tempore interdicti licitè virtute priuilegij concessi ad audienda diuina officia posse corpus priuilegiati post mortẽ deferri ad Ecclesiam, vt ex more & consuetudine coram ipso diuina officia pronuncientur, dummodo officijs expletis corpus extra Ecclesiam sepeliatur, & in dicendis officijs seruetur moderatio cap. Alma, quia talis præsentia cadaueris ad diuina officia nullibi est prohibita ex vi interdicti, sed sola Ecclesiastica sepultura. Sub prohibitione autem, per quam Laici excluduntur à diuinis, non videtur contineri, ne defunctorum corpora in Ecclesiam deferri possint, & ne illis præsentibus officia dicantur, quia prohibetur præsentia humana & actus audiendi conuenientes homini, vt est rationis capax, corpus autem defuncti non est tale, ac quamuis aliqua difficultas esset secluso priuilegio, an præsente corpore defuncti celebrari possent diuina officia tempore interdicti ob eam rationem, quoniam licèt reuera cadauer non possit dici homo, neque ei conueniant actiones propriæ hominis, tamen propter analogiam, & repræsentationem, quam habet ad eundem hominem, qui antea viuebat, secundum communem æstimationem reputatur idem homo, & ideirco illa præsentia quodammodo posset dici humana, & ex consequenti prohibita, supposito tamen priuilegio tollitur omnis difficultas.

Ex his soluitur fundamentum pro contraria sententia, nempe quòd cui communicamus in vita, liceat quoque communicare post mortem, quod verum est, si intelligatur de communione in eisdẽ actibus supposita capacitate, sed non est intelligendum in ordine ad diuersos actus. Quare ex illo principio solùm inferri potest, quod quis in vita habebat priuilegium sepulturæ, poterit post mortem eodem priuilegio gaudere, vel si in vita habuit priuilegium audiendi diuina officia, etiam post mortem possit suo modo eisdem interesse, dummodo non tradatur sepulturæ, sed hæc illatio non valet ab vno actu in alium, vt si alicui in vita communicamus in diuinis officijs, eidem post mortem communicandum sit in sepultura, sicut non valet etiam cum eodem homine viuo, vt si alicui communicamus in officijs diuinis, eidem communicare debeamus in Sacramentis, nisi vtrunque concessum fuerit.

Quæret quis, quid dicendum, quando verba priuilegij non sunt limitata in specie ad diuina officia, vel ad Sacramenta, sed sunt generalia, nempe si concedatur priuilegium alicui simpliciter, vt tempore interdicti admittatur ad diuina, verùm in hoc casu post mortem habere debeat Ecclesiasticam sepulturam.

Respondeo, quando priuilegium sub huiusmodi generali forma verborum conceptum est, interpretandum quoque esse vniuersaliter quoad omnes effectus interdicti. Videtur enim tunc sub illa forma verborum suspendi interdictum generaliter, quod probari potest ex capit. Si sententia de sent. excom. lib. 6. ibi, *Vnde vno interdicto, ipsorum alius licitè admittitur ad diuina.* Vbi Summus Pontifex per admissionem ad diuina intelligit suspensionem interdicti quoad omnes effectus, vult enim, quòd interdicto Clero populus admittatur ad diuina, sicut prius ante interdictum, ac etiam è contra interdicto populo Clerus potest

test ad diuina generaliter admitti absque vlla diminutione.

Quærit secundò aliquis, si laici tempore interdicti generalis loci non debent sepeliri in loco sacro, vbinam erunt sepeliendi.

Respondeo certum esse debere, vt superius monui, corpora defunctorum tempore interdicti sepelienda esse, quia iure vetitum est, ne corpora defunctorum inhumata iaceant cum illud sit contra pietatem humanam, ergo c. Placuit 23. q. 5. & ibi Glo. Ver. Ad sepulturam, & quæst. 8. cap. Quicunque 1. & ita dicunt Calder in Tractatu de interdicto par. 2. nu. 22. dicens non violari interdictum, si sepeliatur corpus defuncti extra Ecclesiam, & Cœmeterium sine officio diuino, siue defunctus sit interdictus, siue locus, in quo sepelitur; Immo cum ab ipso iure prohibeatur sepultura in Ecclesia, & Cœmeterio, sequitur in alijs locis esse permissum, B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. post med. Sylue. Ver. interdictum 5. §. 10. Vers. Tertium extra Ecclesiam, Tabie. Ver. Interdictum 5. nu. 12. Vers. Vndecimò, Henriquez lib. 13. cap. 44. nu. 4.

Quare cum laicorum corpora, si decesserint tempore interdicti, sepelienda sint non in Ecclesia, neque in Cœmeterio, sequitur, vt dicunt Doctores, vel esse deferenda extra locum interdictum, & sepelienda in loco sacro, si non erat personaliter interdictus, nec causam dederat interdicto, Tabie. in illo Vers. Vndecimò, Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22 quæst. 3. art 1. post quartam conclusionem, Sylue. loco citato, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 176. Couar. in c. Alma par. 2 §. 2. nu. 5. Vnde si populus est generaliter interdictus, Ciuis etiam innocens, qui est pars populi, non potest in vllo loco sacro sepeliri, etiam extra locum interdictum, quia ius tales excipit, Vel poterunt corpora laicorum sepeliri in eodem loco interdicto, sed extra locum sacrum, & absque Ecclesiastico officio, & funere, vt Calder. & alij citati Doctores asserunt.

CAPVT III.

Vtrùm in illis festiuitatibus, in quibus ex priuilegio cap. Alma Mater licitum est tempore interdicti generalis loci celebrare publicè diuina officia, illisque assistere liceat quoque absq; speciali priuilegio sepelire Laicos in loco sacro.

De hac difficultate duæ sunt opiniones Doctorũ, Altera est affirmatiua, quæ asserit in dictis festiuitatibus posse licitè laicos tempore interdicti generalis localis tradi Ecclesiasticæ sepulturæ. Hanc sententiam in primis tenet Calder. in tractatu de interdicto par. 2. num. 1. vbi contra opinionem Ioan. Andr. Patris sui tenet exceptis ijs, qui specialiter, & nominatim sunt interdicti, qui omni tempore carere debent ecclesiastica sepultura, nisi pœnitentiam egerint, & absoluti fuerint; similiter exclusis his propter quorum culpam, & fraudem latum est interdictum, vel præbuerunt consilium, auxilium, vel fauorem ad perpetrandum delictum, cuius occasione latum fuit Interdictũ, alios omnes, siue sint de loco, & populo interdicto, siue non sint posse donari ecclesiastica sepultura in dictis festiuitatibus. Idem tenet Anchar. in cap Alma nu. 2. Vers. Sed hic incidenter, B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. post med Angel. Interdictum 5. num. 35. Sylue. Interdictum 5. §. 4. Vers. Quartum de ecclesiastica sepultura Couar. in cap. Alma par. 2. §. 5. num. 6. Vers. Octauo

A quæritur, Tabie. Interdictum 5. num. 12. Vers. Vndecimò, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 181. in fi. Henriquez lib. 13. de excomm. & interdicto cap. 44. nu. 5. Domin. Sot in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. post quartam conclusionem, qui addit posse defunctos in his festiuitatibus solenniter sepeliri, Maiol. lib. 3. cap. 23. nu. 8. de irregular. videtur potius in hanc sententiam inclinare.

Hæc opinio probatur à Calder. primò quoniam prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ non prouenit principaliter ex vi interdicti generalis ecclesiastici, sed oritur tanquam accessorium ad officium diuinum, & ad administrationem Sacramentorum, quæ primo & per se prohibentur. Quare si in dictis festiuitatibus defuncti tradi non possunt ecclesiasticæ sepulturæ, vel
B id proueniret, quia dictis diebus officia diuina celebrari non possent, vel Sacramenta administrari, sed quantum ad officia diuina conceditur priuilegium in cap. Alma §. In festiuitatibus, vt solenniter celebrentur, ergo & sepultura ecclesiastica permissa erit. Quãtum verò ad administrationem Sacramentorum verum est non posse illa administrari, sed tunc sequitur posse in his festiuitatibus officium diuinum super funus solenniter pronunciari defuncto inhumato remanente, vel eo extra Ecclesiam sepulto, quod est absurdum, quia concesso principali, non videtur denegandum accessorium. Secundò sepultura Ecclesiastica, cũ agatur de effectibus interdicti, propriè accipitur pro officio diuino, quod celebratur in funere, ideo sepul-
C tura propriè respicit Clericos, ad quos pertinet, cum funera ad Ecclesiam deferuntur, diuina officia decantare, & habetur in cap Qui diuina 13 q. 2. cap. Placuit 23. q. 5. c. 2. de raptor. Igitur cum dictis diebus officiũ diuinum permittatur; ergo & ipsa sepultura intelligitur permissa cap. Præterea, de off. deleg. Tertiò interdicti viuentes admittuntur ad participationem diuinorum, vt in cap. Alma §. In festiuitatibus, ergo multò magis post mortem sunt admittendi ad ecclesiasticam sepulturam c. Ex parte de sepult.

Opposita sententia negatiua est aliorum, nempe in his festiuitatibus concessum esse celebrationem diuinorum officiorum, non tamen permitti Ecclesiasticã sepulturam, ita sentit Glo. in Clem. 1. Ver. A iure de
D sepult. dicens in illis quatuor festiuitatibus non posse mortuos sepeliri, licèt multoties fuerit oppositum seruatum, quod inquit bene probari ex c. Cum & plantare §. Quòd si Templarij de priuileg. Vbi permittitur, vt Hospitalarij, & Templarij valeant semel in anno celebrare in Ecclesia posita in loco interdicto, & tamen negatur ne ibi sepeliantur corpora defunctorum, ergo ex concessione admissionis ad officia diuina, non potest inferri concessio ad ecclesiasticam sepulturam. Accedit, quòd idcirco conceditur facultas audiendi diuina officia, quia adest spes reconciliationis, quæ cessat in defuncto, ideo non militat eadem causa, propter quam dici debeat fuisse permissam ecclesiasticam sepulturam. Idem confirmat ibi Card. nu.
E 14. Vers. Nonò quæro, Gemin. in cap. Alma §. In festiuitatibus num. 8. de sent. excom. lib. 6. Io. Andr. citatus à Calder. in Tractatu de interdicto par. 2 nume. 15. Franc. in c. Alma, §. In festiuitatibus, qui asserit hanc opinionem esse tutiorem, vt in cap. Ad audientiam, de homic. & pro eadem citat Ioan. de Ligna in suo tract. de eccles. interdi. & Federicum de Senis Cons. 108. Gonsal à Villa Diego in Tract. de Irregular. cap. de interdicto relatus à Couar. vbi supra, Palud. in 4. sent. dist. 18. quæst. 8. art. 2. principali conclus. 10.

Ex his duabus opinionibus licèt prior affirmatiua

sit

sit probabilis propter rationes adductas, & auctoritatem eorum qui illam tuentur, potior tamen negatiua probabilior mihi videtur, & iuri magis conformis, cum colligatur clarè ex dicto cap. Cum & plantare §. Quod si Templarij de priuileg. vt ostendi. Potest etiam probari ex iis, quæ dixi superiori Capite, nempe quòd sicut concesso priuilegio alicui audiendi officiũ diuinum tempore interdicti non intelligitur data facultas, vt post mortem in loco sacro sepeliri queat, quia effectus interdicti omnes sunt principales, & inter se distincti, & separati, neque vnus dependet ab altero, vt ibi probaui, & concesso priuilegio ad vnum effectum non suspenduntur alij effectus, ita quoque sentiendum est de priuilegio communi iuris in cap. Alma, cum ibi suspendatur tantum interdictum in illis quatuor festiuitatibus quoad diuina officia, quæ celebrari possunt, sequitur remanere in suo robore quoad priuationem administrationis Sacramentorũ, & Ecclesiasticæ sepulturæ. Probatur tertiò, nam ecclesiastica sepultura non est idem, quod officium diuinum. Qui enim tempore interdicti tradunt sepulturæ laicum in loco sacro absque vllo officio diuino, violat interdictum; Igitur quamuis in illis festiuitatibus permittantur officia diuina, non ideo est permissa sepultura. Quartò ex opposita sententia sequeretur, quod extra illas festiuitates liceret tempore interdicti Ecclesiastica sepultura sine aliquo peculiari priuilegio, seruatis illis quatuor conditionibus descriptis in cap. Alma, sed consequens est contra vsum communem, ergo falsum est antecedens. Consequentia probatur, nam in illis festiuitatibus solum conceditur in illa tertia concessione, vt fieri possit publicè, & solenniter, quod in secunda concessione permissum fuerat cum illis conditionibus. Quare quod in illis festiuitatibus fit solenniter, alijs diebus fieri potest cum illa moderatione cap. Alma. Quintò regula iuris est, quòd in prohibitis id, quod non reperitur expressum, non est exceptum cap. Quod si dormierit 13. q. 1. c. Quoniam maximè de coniug. lepros. sed tempore interdicti prohibentur diuina officia, sacramenta, & sepultura, excipiuntur diuina officia in illis quatuor festiuitatibus nulla facta mentione de Sacramentis, & sepultura, ergo vtrumque prohibitio remanet, quia exceptio confirmat regulam in omnibus alijs l. Quæsitum §. 1. ff. de fi. instrum.

Ex dictis sequitur, quòd in cap. Alma nihil est innouatum circa sepulturam Ecclesiasticam, cum de illa nihil agatur, & consequenter relinquitur dispositioni iuris antiqui quantum ad substantiam sepulturæ, nam quantum ad modum facta est aliqua innouatio, quia sepultura fit modò cum Missa, & officio funebri, quod antea non licebat.

CAPVT IV.

An interdictum speciale loci priuet Ecclesiastica sepultura, & quomodo.

Dictum est de interdicto generale loci quoad hũc effectum priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ de priuilegio tam iuris, quàm hominis ad illam obtinendam, modò discutiendum est de interdicto speciale loci in ordine ad eundem effectum ecclesiasticæ sepulturæ.

In hac difficultate conclusio est indubitata laicis iure antiquo prohibitam esse ecclesiasticam sepulturam in loco sacro specialiter interdicto, sicut vetita

A est in loco generaliter interdicto, vt probatum est supra. Confirmatur hæc conclusio primò quoniam iura, quæ loquuntur de hoc effectu simpliciter de interdicto locali agunt non de solo generali, ergo vniuersaliter interpretanda sunt de vtroque interdicto generali, & speciali, ibi. *Ratione quoque simili siue Ecclesia interdicto supposita vel subiecta, nec in Cappella eius celebrari, nec in Cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri*. Ratione quoque idem confirmari potest, quia non minus prohibetur locus specialiter interdictus ab vsu diuinorum quàm locus generaliter interdictus, solum differunt quoad extensionem, immo in hoc interdictum speciale excedit, nam in eo locum nõ habent priuilegia concessa tempore interdicti generalis, præsertim moderatio cap. Alma.

B Sed controuersia est apud Doctores, Vtrum sicut prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ non minus locum habet in interdicto speciali, quàm in generali, ita quoque priuilegium concessum Clericis, vt possint sepeliri in loco sacro tempore generalis interdicti localis in cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. seruatis conditionibus ibi expressis extendi debeat ad interdictum speciale, vt licitè sepeliantur in Ecclesia, quamuis sit specialiter interdicta.

In hac dubitatione variæ sunt Doctorum sententiæ. Innoc. in cap. fin. de excess. Prælat. quem vnà cum Io. Andr. citat Abbas in cap. Quod in te num. 10. de pœnit. & remiss. negant posse Clericos licitè in Ecclesia
C specialiter interdicta sepeliri, quia in dicto cap. Quod in te de pœnit. & remiss. vbi conceditur Clericis sepultura, tractatur tantum de generali interdicto, non de speciali, & assignari potest ratio diuersitatis quoniã nisi Clerici sepeliri possent in loco sacro intra limites generalis interdicti localis, necesse esset, vt sepelirentur in loco profano, quod inconueniens non sequitur, quando Ecclesia est specialiter interdicta, nam tunc sepeliri possunt in alia Ecclesia non interdicta, quare non militat eadem necessitas.

Host. relatus etiam ab Abb. tenet oppositum, nimirum posse Clericos sepeliri etiam in Ecclesia specialiter interdicta. Fundamentum huius opinionis est, quoniam eadem ratio videtur de generali interdicto
D erga locum generalem, sicut de speciali interdicto ad locum specialem. quare priuilegium sepulturæ tempore generalis interdicti sicut valet ergo locum generalem, ita quoque validum erit tempore specialis interdicti circa locum specialem, quia speciale sub generale continetur, sicut pars in loco.

Alij vtuntur distinctione ad dissoluendam hanc dubitationem, dicunt enim Clericos Ecclesiæ specialiter interdictæ posse in ea sepeliri, non autem Clericos alterius Ecclesiæ, quia cum adsint aliæ Ecclesiæ non interdictæ, possunt in illis sepeliri. Ita sentit Abb. in cap. Quod in te num. 10. in fi. de pœnit. & remiss. Ang. Interdictum 6. num. 32. Sylue. Interdictum 5. §. 10 Vers. Quintum, qui addit, quòd si aliæ Ecclesiæ non interdi-
E ctæ non extarent, aut essent impeditæ, tunc Clerici quoque alieni possent sepeliri in Ecclesia specialiter interdicta. Secus verò inquit dicendum esse de laicis in casu specialis interdicti localis, si ipsa Ecclesia est interdicta propter delictum Clericorum tantum, vel quia violata fuit, tunc subditi possunt in alia non interdicta sepeliri. Si autem interdicta est in pœnam populi, quamuis multi ex eis non deliquerint, non possunt tunc subditi in alia Ecclesia etiam non interdicta sepeliri. Idem ait Tabie. Interdictum 5. num. 12. Vers. Vndecimò, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 7.

Vers. Clericis etiam, Henriquez libro 13. capit. 44. numero 4.

Responderem ego probabiliter ad hanc difficultatem ad hunc modum, Primo dicerem Clericos Ecclesiæ interdictæ posse sepeliri in ea. In hac conclusione, videntur conuenire omnes Doctores excepto Innoc. & Ioan. Andr. Et ratio huius assertionis est, quia æquitas postulare videtur, ne Clerici post mortem à suis Ecclesijs excludantur. Facit ad hoc c. Vt priuilegia de priuileg. arg. ducto à simili, Vbi conceditur quibusdam Regularibus priuilegium, *Vt his, qui fraternitatem eorum assumpserint, si forsitan Ecclesia, ad quas pertinent à diuinis officijs fuerint interdicta, ipsosque mori contigerit, sepultura ecclesiastica non negetur*. Sicut igitur priuilegium absolutè concessum huiusmodi Regularibus prodest eis, vt admittantur ad sepulturam in Ecclesijs specialiter interdictis, ita quoque ob paritatem rationis dicendum erit de simili priuilegio sepulturæ Clericis concesso.

Secundò dico, si in illo loco non sit alia Ecclesia, nisi interdicta, tunc posse in ea sepeliri Clericum alterius Ecclesiæ ibi defunctum. Probatur, quoniam nullibi colligitur hoc ius magis esse concessum Clericis propriæ Ecclesiæ, quàm alienis, præsertim quia hoc priuilegium conceditur fauore Ordinis Clericalis, & hæc ratio æquè militat in Clericis propriæ Ecclesiæ, sicut in extraneis. Et idem videtur dicendum de illis Clericis, quia nullam Ecclesiam habent, quia moraliter non possunt deferri ad propria loca, & æstimantur quoad sepulturam quasi incolæ illius loci, vbi decesserunt. Et multi sunt Clerici, qui promoti sunt ad titulum patrimonij, quique nullius Ecclesiæ seruitio destinati sunt, quos tamen durum est repellere à sepultura in Ecclesia interdicta, erga quam deuotionem habent, vel in qua antea elegerunt sepulturam. Propter eandem rationem, si contingat esse plures Ecclesias in illo loco & singulas esse specialiter interdictas cum omnibus Cœmeterijs ad fidelium sepulturam destinatis, quilibet Clericus cuiuslibet Ecclesiæ ex illis poterit in qualibet earum sepeliri, quia non magis violatur interdictum vno modo, quàm alio.

Tertiò dico, si in Ciuitate, vel loco illo sit vna tantum, vel altera Ecclesia specialiter interdicta, aliæ verò non interdictæ, tunc quamuis in rigore possint Clerici siue propriæ Ecclesiæ interdictæ, siue extranei in eadem sepeliri, tamen honestius ac decentius est, vt nullus Clericus in tali Ecclesia specialiter interdicta sepeliatur. Prior pars probatur, quoniam in dicto cap. Quod in te de pœnit. & remiss. absolutè conceditur licentia Clericis, vt possint sepeliri tempore interdicti localis, ergo non est à nobis limitatio ponenda, & licèt exemplum afferatur de interdicto generali, hoc ideo fit, quia vt plurimum fertur generale interdictum, non speciale. Verùm vbi lex aliquid disponit, explicans in casu frequentiori, idem in casu minus frequenti statuisse censetur arg. l. vni. functa Glo. Ver. Sponsam, & ibi Doct. C. De rapt. Virg. Confirmatur argumento quo vtitur Hostiensis, nam interdictum generale tantum valet quoad omnes Ecclesias, quantum speciale quoad aliquas, l. Si duo in fin. ff. de administ. Tuto. Si ergo interdictum generale non impedit sepulturam Clericorum, minus impedire debet speciale; Posterior pars conclusionis probatur, nam cum cap. Quod in te, expressa mentio tantum fiat de interdicto generali, & nulla assignari probabilis ratio possit, propter quam extendi debeat hæc licentia facta Clericis ad eum casum,

A quando præter Ecclesiam interdictam adsint aliæ non interdictæ, in quibus Clerici sepulturam habere possint, ergo quamuis simpliciter sepeliri possint in tali Ecclesia, non est decens. Verùm quando non extat alia Ecclesia, quàm interdicta, moraliter necesse est, vt in ea admittantur ad sepulturam supposito priuilegio Papæ, qui voluit, vt omnino Clerici in loco sacro sepeliri possent tempore interdicti.

Illud tamen non est prætermittendum, cum diximus Clericos in Ecclesia specialiter interdicto supposita sepeliri posse, hoc intelligendum esse seruata moderatione dicti cap. Quod in te, nempe vt fiat sine officio Missæ absque cantu, & sine pulsatione campanarum, quia cap. Alma Mater nihil concedit pro tempo-

B re interdicti specialis, sed solum loquitur de generali. Quare quantum ad interdictum speciale loci seruanda est dispositio cap. Quod in te de pœnit. & remiss. & ita docent Palud. in 4. sent. distinct. 18. quæst. octaua artic. 2. princ. conclus. 10. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 7. Vers. Clericis, Henriquez lib. 13. capit. 44. numero 4.

Sed superest dubitatio explicanda, Quid dicendum sit, si Ecclesia Parochialis esset specialiter interdicta, vtrum subditi illius Parochiæ sepulturam eligere possint in alia Ecclesia non interdicta.

Aliqui Doctores respondent cum distinctione; vel Ecclesia est interdicta specialiter propter delictum Clericorum, aut quia violata fuit, quo casu Parochia-

C nus posset eligere sepulturam in alia Ecclesia non interdicta, Vel est interdicta in pœnam populi, licèt multi ex eis non deliquerint, sed Vniuersitas, vel magna pars, aut forte dominus, & tunc in alia etiam Ecclesia sepeliri nequit. Ita sentiunt Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 10. Vers. Quintum in fin. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. post med. Tabie. interdictum 5. num. 12. Vers. Vndecimò in princ. Rosella interdictum 2. num. 12. Palud. in 4. sentent. distinct. 18. quæst. octaua, artic. quarto princ. Vers. Quantum ad Sextum decimum, & probant hoc dictum ex cap. Si sententia, de sent. excomm. lib. 6. Vbi dicitur interdicto Clero non comprehendi populum, neque è contra. Verùm hæc opinio mihi non probatur, quia quando

D solus locus specialiter interdictus fuit, qui culpabiles non fuerunt, alibi sepeliri possunt. Neque oppositum desumitur ex illo cap. Si sententia. solum enim ibi statuitur, si interdicatur non tantum locus, sed populus in pœnam Domini, vel ipsius Vniuersitatis, omnes, qui pertinent ad illum populum, vt sunt illius membra, prohiberi, ne possint alibi extra Ecclesiam interdictam sepeliri.

CAPVT V.

An Interdictum personale priuet Ecclesiastica sepultura.

E Dictum est de interdicto locali tam generali, quam speciali, tractandum est modò de personali, quomodo sit causa punitionis ecclesiasticæ sepulturæ, & quidem de personali speciali res caret omni difficultate, certum est enim priuare ecclesiastica sepultura, & probatur euidenter ex Clementina prima, De sepult. Vbi excommunicantur, qui in casibus non permissis defunctos sepeliunt in Cœmeterijs tempore interdicti, vel qui sepeliunt excommunicatos publicè, aut priuatim interdictos, & ibi Glos. Ver. Nominatim. Idem habetur in cap.

in cap. Cum & plantare §. Excommunicatos de priuil. & in cap. Episcoporum eod. tit. lib. 6. & in his locis non excipiuntur Clerici, sicut fit in cap. Quod in te, de pœniten. & remiss. vbi sermo est de interdicto locali non personali. Conceditur enim priuilegium Clericis in ordine ad locum interdictum. Verùm si ipsi Clerici personaliter, idest proprio nomine expresso, vel alijs circumstantijs descriptis interdicantur, vt notat Glo. in dicto cap. Cum & plantare §. Excommunicatos, Ver. Nominatim de priuileg. dicto priuilegio non gaudent. Et ob eandem rationem fit, quòd si Clericus fuit causa, vt interdictum locale positum fuerit ob culpam suam, eodem priuilegio gaudere nequeat, tûc enim est personaliter interdictus. Quare semper ab his priuilegijs exceptæ censentur personæ culpabiles, quæ fuerunt causa interdicti. Idque optimè colligitur ex dicto cap. Quod in te de pœnit. & remiss. Vbi Clericis, qui interdictum non seruauerunt minimè conceditur priuilegium ecclesiasticæ sepulturæ, ergo multò magis intelligitur denegata Ecclesiastica sepultura Clericis, qui causam interdicto dederunt, & culpabiles fuerunt, qui personaliter, ac specialiter interdicti dicuntur.

Si autem loquamur de interdicto personali generali est maior difficultas, An priuet personam sic interdictam ecclesiastica sepultura. Aliqui sentiunt pro parte affirmatiua, & conantur affirmare ex cap. Si sententia de sent. excomm. lib. 6. Vbi propter interdictum generale populi prohibentur singuli audire diuina, & recipere Sacramenta. Verum hic textus posset retorqueri in contrariam partem. si enim propter interdictum generale personale prohibentur singuli audire alicubi diuina, & recipere Sacramenta, & nihil dicitur de tertio effectu, idest de Ecclesiastica sepultura, signum igitur probabile est interdictum generale non parere hunc effectum quoad eas personas, quæ culpabiles non fuerunt. Vnde Glo. in citata Clement. 1. Ver. Nominatim de sepult. infert ex illo Textu, vbi excommunicantur sepelientes interdictos nominatim, posse sepeliri in loco sacro Interdictos non nominatim, si ipse locus interdictus non sit. Et idem confirmari potest ex cap. Vt priuilegia de priuileg. & ex alijs iuribus, quæ citantur à dicta Glo. in quibus apparet priuari ecclesiastica sepultura nominatim interdictos, simulque pœnam excommunicationis infligi tantum aduersus sepelientes publicè excommunicatos, aut sic interdictos, idest nominatim.

Sed contra obijciet quis ex cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. non denegatur Ecclesiastica sepultura interdictis nominatim, sed simpliciter interdictis, sic enim habetur, *Aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittant*, ergo interdictum personale etiam generale priuat ecclesiastica sepultura.

Respondendum est, in dicto cap. per interdictos intelligi illos, qui sunt interdicti specialiter, tum quia debet explicari ex alijs iuribus antiquioribus supracitatis, in quibus quoad hunc effectum priuationis ecclesiasticæ sepulturæ æquiparantur publicè excommunicati cum interdictis nominatim, tum etiam quoniam si simpliciter mentio fiat de interdictis, intelliguntur illi, qui specialiter sunt interdicti, nisi aliud appareat ex antecedentibus, & consequentibus, idq. probabilius videtur etiam de iure antiquo. Sed omnis difficultas tollitur ex iure nouo Extrauag. Ad euitanda, vbi non prohibetur communicatio cum innodatis censura aliqua, nisi nominatim sint declarati tales.

Si opponas dictam Extrauag. postulare solùm, vt interdictum sit latum contra certam personam, Collegium, vel Vniuersitatem, vt sit vitanda cômunicatio, ergo Vniuersitas dicetur nominatim interdicta.

Respondeo sufficere quidem ad obligationem inducendam euitationis, sed suo modo seruata proportione interdicti nempe vt euitetur Collegiû, vel Vniuersitas, satis erit, si ipsum Collegium, aut Vniuersitas sit nominatim interdicta. Vt autem euitentur singulares omnes personæ, necesse est, vt singulæ sint nominatim interdictæ.

Si rursus instes exemplo interdicti localis generalis, quod ordinatur per se ad omnia loca particularia, ita vt singula loca particularia, quæ sub illo generali continentur, sint interdicta per se, & in singulis sit seruandum interdictum.

Respondeo non esse parem rationem de interdicto generali locali, & de interdicto personali, nam interdictum locale dicitur generale propter amplitudinem loci tantum in ordine ad alium locum, qui arctiori ambitu concludatur, neq; plures partes complectatur, tamen re vera fertur circa rem certam determinatam suis finibus, & particularem, quæ solum continet particularia loci tanquam partes integrantes totum locum interdictum, qui locus generalis non est aliquod totum collectiuum, sed singulare determinatû constans ex multis partibus, sicut aliæ res corporales. At verò interdictum generale populi, quamuis in ordine ad Communicatem sit determinatum, non verò respectu singularium personarum, quia illud totû est collectiuum tantum, & ideo valde confusum, & tanquam quid generale respectu singularium.

Si quærat quis, an sit eadem ratio quoad obligationem vitandi interdictum personaliter generaliter, vt sicut non tenemur euitare personas generaliter interdictas quoad Ecclesiasticam sepulturam, ita minimè debeamus illas euitare in administrandis Sacramentis, & in admissione ad diuina officia.

Respondeo concedendo parem esse rationem cum aliquo discrimine, primò quòd hæc concessio vt generaliter interdicti admittantur ad diuina officia, & Sacramenta, non habetur ex iure antiquo, sicut probabile est haberi quoad Ecclesiasticam sepulturam, vt paulò ante monui. Secundò differentia est, quòd personaliter interdicti debent ipsimet cauere ab auditione diuinorum officiorum, & receptione Sacramêtorum. Quia Extrau. Ad euitanda nullum priuilegiû tribuit ipsis, In priuatione verò ecclesiasticæ sepulturæ nulla prohibitio directè pertinet ad ipsum defunctum. Quare si cessat prohibitio ex parte viuentium, talis effectus non habet locum ex vi solius interdicti generalis, donec persona sic nominatim interdicta.

Tandem dubitari posset de his personis, quæ specialiter sunt interdicto suppositæ, vel comprehenduntur sub generali interdicto, sed fuerunt culpabiles, si moriantur tempore interdicti, an possint in articulo mortis absolui, vt sepeliantur in loco sacro.

Respondeo, si tales hoc modo censura interdicti innodati dederunt signa pœnitêtiæ, & côtritionis in articulo mortis, possunt & debêt ab interdicto absolui à Sacerdote inferiori, quâuis nô adesset superior, à quo latum esset interdictum, cû nulla censura in eo articulo sit reseruata, & consequenter post mortê in Ecclesia vel Cœmeterio essent sepeliendi. Quòd si decesserint sine absolutione, tunc vel moriuntur pœnitentes, idest

cum

cum signis poenitentiæ, Vel non ostensis signis poenitentiæ. Si priori modo, absolui poterunt etiam post mortem. Verùm antequam impetretur absolutio, non debent in ecclesia sepeliri, sed in loco profano. Sed relaxato interdicto ad ecclesiam transferri, arg. c. Cum illorum de sent. excom. Ita tenet Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 10. vers. Primum. Quòd si absque signis poenitentiæ decesserit, tunc videndum erit, an illa persoA na sit talis, de qua verisimiliter credi possit, quòd poenitentiam habuerit, quodque absolutionem petijsset, si potuisset, & talis absolui poterit post mortem, & sepeliri in loco sacro, Aut erat talis vitæ, vt probabiliter existimetur decessisse absque poenitentia, neque fuisse absolutionem petiturum, & hic non erit sepeliendus in loco sacro.

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE INTERDICTO, QVO PRIVATVR QVIS AB INGRESSV ECCLESIÆ.



EXPLICATIS tribus effectibus, qui communes sunt cuicunque interdicto, si ponatur absolutè, & sine vlla restrictione, siue locale sit, siue personale. Verum cum mos, & consuetudo vigeat etiam in Ecclesia interdicendi alicui ingressum Ecclesiæ, videndum est in hac disputatione, quos effectus pariat hoc interdictū, & ad quam speciem interdicti reducatur, Vel si non est omnino interdictum locale nec personale, quomodo cum illis conueniat, & differat.

Caput Primum, Vtrum prohibitio ab ingressu Ecclesiæ proueniat ex vi cuiuscunque interdicti, vel sit effectus peculiaris alterius specialis interdicti.

Caput Secundum, Quale sit hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & quos effectus habeat.

CAPVT I.

Vtrum prohibitio ab ingressu Ecclesiæ proueniat ex vi cuiuscunque interdicti, vel sit effectus peculiaris alterius specialis interdicti.

VT clarius intelligere valeamus, quam vim, & efficaciam habeat interdictum ab ingressu Ecclesiæ, discutiendum antea est, Vtrum interdictum semper habeat eosdem effectus, & quando non habet, quomodo cognoscere liceat, quos effectus habeat. qua in re nonnulla tractanda sunt. Primò dicendum est interdictum, siue locale siue personale si ponatur absolutè, habere omnes tres effectus, de quibus agimus circa locum, vel personam. Quare si locus interdicatur simpliciter, prohibita sunt in tali loco sacramentorum administratio, & receptio, officiorum diuinorum celebratio, & auditio, & tandem Ecclesia-

B stica sepultura simpliciter, si persona fuerit interdicta absolutè, & sine restrictione huius vel illius effectus, tali personæ prohibentur omnia, quæ per interdictum prohiberi possunt. Quare si sit laicus, manet interdictus à Sacramentis, ab officijs diuinis, & ab ecclesiastica sepultura, si verò sit Clericus præter illa censetur interdictus ab omni actione clericali, & si sit Episcopus, intelligitur interdictus à Pontificalibus. Ita tradit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 170. & probatur, nam cum verba sint generalia, generaliter sunt accipienda. nec vlla militat ratio, cur magis ad vnum effectum, quàm ad alium coarctentur.

Secundò dicimus interdictum locale generaliter loquendo imponi absolutè, & simpliciter, & ex conseC quenti semper prohiberi in loco interdicto administrationem Sacramentorum, celebrationem diuinorum officiorum, & ecclesiasticam sepulturam latè explicat, Henriquez lib. 13. de excom. & interdicto cap. 44. Hinc sequitur per interdictum locale nunquam prohiberi ingressum Ecclesiæ absolutè, sed tantum quoad diuina officia in ea audienda, vel Sacramenta participanda, & vsus communis ita seruat; Nam ad concionem audiendam, ad orandum priuatim, & similia licitum est ingredi Ecclesiam interdictam.

Tertiò dicimus interdictum personale posse eodem modo ferri absolutè, sicut locale, vt complectatur omnes tres effectus, Aliquando tamen non imponi simD pliciter, sed determinatè ab aliqua actione tantum interdicta, & ab omni alia, quæ in ea includitur, non tamen ab illa, quæ in ea non continetur, & quæ sine illa exerceri potest. Ita tradit Sylue. interdictum 4. §. 4. Vers. Secundum. & Nauar. in Manua. cap. vigesimo septimo, numero 170. Henriquez lib. 13. cap. 43. numero sexto, explicat rem exemplis Syluest. si interdicitur quis ab officio Sacerdotali, non potest exercere aliquem actum contentum sub officio Sacerdotali, neque actum attinentem ad officium Pontificis, quia talis exercere non potest absque officio Sacerdotali, vt patet cap. Ex literis de excess. Prælat. Secus esset, si quis fuisset tantùm inter-

dictus ab altaris ministerio. Similiter qui est interdictus à receptione minorum Ordinum etiam prohibitus est ascendere ad maiores, sicut qui est suspensus ab executione minorum Ordinum, manet suspensus ab executione maiorum, quamuis quoad hanc rem discrimen sit inter suspensionem, & interdictum, nam interdictus à receptione minorum ordinum, interdictus manet à receptione maiorum. At verò suspensus ab executione minorum ordinum, non manet suspensus à receptione maiorum, quia suspensio tantum impedit executionem ordinum, non receptionem. quod est intelligendum, quando in receptione ordinis maioris non debet interuenire executio eiusdem ordinis.

De hoc interdicto personali dubitari potest, an ex eius vi sequatur prohibitio ab ingressu ecclesiæ, nam reperimus aliquando ab ipso iure personas priuatas fuisse ingressu ecclesiæ per interdictum, vt in cap. t. & in cap. Is cui de sent. excommun. lib. 6. ergo videtur hic effectus communis omni personali interdicto absolutè prolato, vel dicendum huiusmodi interdictum esse nouum genus interdicti, quod videtur absurdum asserere, nam ob eandem rationem dici posset esse nouum genus Censuræ distinctum ab alijs Censuris. Quare cum hæc voluntaria videantur, magis erit verisimile esse communem effectum interdicti personalis. E contra verò, quòd non sit effectus interdicti personalis, facit primò, quoniam non colligitur ex aliquo loco in iure, quod interdicto personali plures effectus tribuat, quàm locali seruata proportione. Immo eandem esse vtriusque rationem probari potest ex cap. Si sententia, vbi agitur de interdicto personali, & ex cap. Si Ciuitas, de sentent. excommunic. lib. 6. Vbi agitur de interdicto locali, & ijdem effectus de vtroque interdicto explicantur. Sed interdictum locale etiam speciale alicuius ecclesiæ non priuat ingressu in illam, vt dixi, ergo neque interdictum personale absolutè latum prohibet personam, quò minus ingredi possit ecclesiam, dummodo in ea non intersit diuinis. Secundò ius non vetat, vt excommunicatus non possit ingredi ecclesiam, vt dixi in materia de excommunicatione; Igitur minimè videtur verisimile talem ingressum interdicto prohibuisse, quia non minus separatus est à diuinis excommunicatus, quàm interdictus. Tertiò quando ius alicui prohibere vult ingressum ecclesiæ, id exprimit, vt in iuribus citatis, Ideo quando nihil dicunt, sed absolutè ponunt interdictum, ex vi illius sequuntur tantum illæ prohibitiones communes diuinorum officiorum, Sacramentorum, & ecclesiasticæ sepulturæ. Vnde interdictum personale non prohibebit ingressum ecclesiæ.

Quamobrem ad hanc difficultatem dicerem probabilius mihi videri affirmari posse hanc poenam prohibendi aliquem ab ingressu ecclesiæ esse peculiare quoddam genus interdicti, nam censura est, vt ex iuribus citatis supponitur. vnde fit irregularis Sacerdos celebrando, qui violat tale interdictum, & per hanc censuram priuatur homo aliqua participatione diuinorum, non propter communicationem cum alijs, sed per se, & reducitur ad interdictum personale, non ad locale. Differt autem ab alijs interdictis personalibus, quia non est totale interdictum, sed partiale, quia addit aliquem effectum, quem non habent personalia.

Primum scilicet, quòd non sit totale interdictum, sed partiale, probatur, quia alia interdicta personalia

A priuant simpliciter participatione diuinorum in omni loco ex cap. Si sententia de sentent. excomm. lib. 6. Interdictum autem ab ingressu Ecclesiæ priuat participatione diuinorum in Ecclesia, quod probatur ex cap. Is cui, de sentent. excommun. lib. 6. Vbi dicitur, Cui interdictus est ingressus Ecclesiæ prohiberi ex consequenti diuinorum celebrationem in ipsa Ecclesia, & ratio est, quia celebratio in Ecclesia supponit necessariò ingressum in ipsam. Accedit, quòd finis præcipuus huius prohibitionis est ad interdicendam sacrorum administrationem in ipsa Ecclesia, & ita sentiunt omnes Doctores in dicto cap. Is cui, & Innocen. in cap. Sacro numero secundo, de sentent. excommun. & ibi Abb. Felin. & alij, Sylue. Ver. Suspen-

B sio §. 5. & Ver. Interdictum 6. §. 5. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. numero tertio, qui addit adeo verum esse huius interdicti finem esse prohibere diuina in Ecclesia, vt cessante hac participatione diuinorum huiusmodi ingressum non prohiberi. de hoc autem inferius agam. Quare hoc interdictum conuenit cum alijs personalibus, quia priuat omni participatione diuinorum in Ecclesia, ita vt sic interdictus nec celebrare in ea possit, nec ministrare, aut recipere Sacramenta, neque sepeliri, neque ministerium aliquod sacrum exercere, nec Missam, aut aliud diuinum officium audire. Et sicut continetur sub interdicto personali quoad poenam, ita etiam debet cum eo conuenire quoad priuilegia. Quare priuilegium,

C quod conceditur in cap. Alma personis interdictis, vt in quatuor festiuitatibus possint interesse diuinis extenditur quoque ad personas interdictas ab ingressu Ecclesiæ, quæ illis diebus poterunt in Ecclesia interesse diuinis, non tamen celebrare, vel ministrare, quia in dicto c. Alma non conceditur.

Quid autem nomine Ecclesiæ intelligere debeamus, Doctores cum Glo. explicant in dicto cap. Is cui, de sentent. excommun. lib. 6. Innocent. & Couar. citati Abb. in cap. Cum dilectus numero 20. de Consuet. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 170. vbi alios refert, qui asserunt, per Ecclesiam intelligi debere quodlibet Templum auctoritate Episcopi publicè deputatum ad sacra facienda, siue sit benedictum, siue non,

D & hoc modo accipitur illa vox iuxta communem vsum, & sumitur ex cap. penult. de immunit. Eccles. Vnde per interdictum ab Ecclesia prohibetur participatio diuinorum in Ecclesia, non verò extra illam. Id enim solùm prohibetur per aliquam censuram, quod verbis legis aut sententiæ continetur. Quare cum ex vi verborum, quibus hæc sententia profertur, non fiat prohibitio diuinorum simpliciter, sed cum determinatione Ecclesiæ, ideo non est extendenda prohibitio. quare extra Ecclesiam omnia alia, quæ antea licebant tali personæ, permittuntur etiam postea, vt facere sacrum in priuato Oratorio approbato; recipere Sacramentum Vnctionis in domo sua, & quælibet alia Sacramenta extra Ecclesiam, vt docent

E Doctores citati, & Nauar. in Manua. capit. vigesimo quinto, numero 75. Sylue. Ver. Interdictum 6. §. 5. qui eodem modo est explicandus, & Ver. Suspensio §. 5. circa fin. neque aliud desumitur ex cap. Latores 22. quæst. 5. nam tota illa prohibitio, de qua ibi est sermo, intelligenda est cum eadem limitatione, scilicet in Ecclesia.

Sed hic dubitari potest, An interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si maneat extra Ecclesiam, possit audire diuina, quæ extra Ecclesiam celebrantur absque violatione interdicti. Pro parte enim negatiua, quòd eo

modo

modo non violet interdictum, facit, quoniam non ingreditur Ecclesiam, ipse verò solùm est interdictus ab ingressu Ecclesiæ. Confirmatur, nam si secus dicatur, sequeretur, quòd si Missa celebraretur extra Ecclesiam, peccaret persona sic interdicta, si illam audiret ex Ecclesia, vt seruetur commutata proportio, quod falsum videtur, nam ex vi huius interdicti solùm in Ecclesia prohibentur diuina.

Respondendum tamen est probabilius videri affirmare non esse licitum personæ sic interdictæ audire Missam, vel officia diuina, quæ in Ecclesia celebrãtur, etiam si ea audiret manens extra Ecclesiam. Ratio est, quoniam ex vi huius interdicti hoc principaliter prohibetur, Idcirco enim interdicitur ingressus Ecclesiæ alicui, vt diuinorum, quæ in Ecclesia celebrantur, particeps non fiat.

Objiciet quis hunc finem mouisse Superiorem ad ferendum tale interdictum, sed non propterea teneri illum, cui imponitur tale interdictum, ad seruandum illum finem, vt si cessat, talis dicatur violare censuram, dummodo non agat contra materiam prohibitam. Respondeo talem finem esse intrinsecum huic Interdicto, non extrinsecum, ideo continetur sub materia præcepti prohibita. Interdictum enim ab ingressu Ecclesiæ, vel formaliter, vel saltem virtute continet prohibitionem omnium diuinorum, non simpliciter, sed in tali loco, & iuxta hanc doctrinam dicit Sylue. Interdictum 6. §. 6. Quod si Diaconus, vel Subdiaconus interdicti ab ingressu Ecclesiæ Euangelium, aut Epistolam solenniter canteut existentes extra Ecclesiam, ministrando tamen Sacerdoti celebranti Missam intra Ecclesiam, irregularitatem incurrunt, quia licèt corporaliter videantur illud ministerium exerceri extra Ecclesiam, tamen moraliter intra Ecclesiam fieri censetur, quia sacrum ipsum, cui ministrant intra Ecclesiam, celebratur cooperantur, quia lectio Epistolæ, vel Euangelij accedit actui principali Missæ, quæ fit in ecclesia, & totum illud ministerium est vnum officium. Ita etiam sentit Calder. in Tract. de Interdicto par. numero 48. Vers. Sed quid dices, Gemin. in cap. Is cui numero septimo. Franc. num. tertio, Vers. Secus si celebraret de sentent. excommun. lib. 6. B. Antoni. 3. par. titul. 26. capit. 2. §. 2. Vers. Item celebrante Presbytero. Similiter rectè dicit Sylue. Si è contra Sacerdos extra Ecclesiam sacrum faciat, & Diaconus, vel Subdiaconus interdictus ab ingressu ecclesiæ solenniter illi ministret cantando intra ecclesiam Epistolam, aut Euangelium, fieri irregularem, quia licèt Missa extra ecclesiam dicatur, & actio Ministrorum videatur ordinari ad Missam extra ecclesiam, tamen secundum se re vera fit in ecclesia, sicque est solennis administratio Ordinis, quæ exercetur ab innodato censura ecclesiastica, quod sufficit ad contrahendam irregularitatem, & idem sentiunt alij Doctores citati. Addit quoque Sylue. in dictis casibus Sacerdotem etiam contrahere irregularitatem, quãuis ipse interdictus non sit, quia participat cum Ministro in crimine criminoso. Quod tamen mihi non probatur, quia in iure nullibi reperitur talis irregularitas lata contra sic participantes, sed solum contra Clericum violantem Censuram, quia ipse est ligatus, vt patet ex dicto cap. Is cui, de sent. excommunic. lib. 6. Quare si Sacerdos non sit quoque ab ingressu ecclesiæ interdictus, non incurrit irregularitatem, quòd si interdictus sit ad incurrendam irregularitatem, necesse est, vt intra ecclesiam Missam celebret, nam si extra ecclesiam perageret sacrum, licèt Diaconus intra ecclesiam cantaret Euangelium, sacerdos non efficeretur irregularis, quia principalis actus fit extra Ecclesiam, neque ipse Sacerdos deseruit Diacono, sed è contra. vnde potest sine Diacono celebrare. Eiusdem sententiæ est Henriquez cap. 43. nu. 3.

CAPVT II.

Quale sit hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & quot effectus habeat.

NOnnulli existimant hanc pœnam prohibendi aliquem ab ingressu Ecclesiæ pertinere ad suspẽsionem, & esse genus quoddam suspensionis, quia in iure aliquando fertur sub nomine suspensionis, vt in c. Is cui de sent. excom. lib. 6. ibi, *Sanè sicut Excommunicatio sic ab officio, vel ingressu Ecclesiæ lata suspensio.* Similiter in c. vlt. de off. ordin. lib. 6. ibi, *Alioquin Episcopi & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ, cæteri verò ab officio, & beneficio tandiu eo ipso nouerint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de præmissis*, & idem legitur in alijs locis.

Verùm quid sit de nomine, quomodo appellari debeat hæc pœna, quod parum refert, si tractemus de re ipsa, non pertinet propriè ad genus censuræ suspensionis, sed potius continetur sub genere interdicti. Probatur, quia suspensio est pœna propria Clericorum. At interdictum ab ingressu ecclesiæ fertur tam contra laicos, quàm contra Clericos, nec priuat actu proprio alicuius ecclesiasticæ potestatis per se, & necessario.

Dicet aliquis hæc pœna priuationis ab ingressu ecclesiæ, quando fertur in Clericos, interdicit illis vsum potestatis ecclesiasticæ, saltem quoad potestatem ordinis, & consequenter vsu iurisdictionis in foro pœnitentiæ intra ecclesiam, quia non possunt ibi celebrare, aut Sacramenta ministrare, alioqui irregulares fiunt, & hac ratione hæc pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ, quatenus fertur in Clericos, erit vera suspensio, licèt in laicis sit quoddam interdictum, vt patet ex c. Latorem 33. q. 2. Sed hoc dictum caret fundamento, quia censura non potest mutare suam rationem propter solam varietatem subiectorum. Quare cum hæc pœna prohibitionis ab ingressu ecclesiæ, si generaliter feratur, æquè comprehendat Clericos, & laicos, sequitur, vt quoad omnes semper habeat eandem rationem Censuræ, sed in omnibus non potest habere rationem suspensionis, igitur habet rationem interdicti. Secundò talis pœna lata in Clericum non solum priuat illum exercitio ordinum, sed etiam auditione diuinorum officiorum in ecclesia, quamuis non sub pœna irregularitatis, sicut si celebraret, sed more laicorum priuat etiam sepultura ecclesiastica, vt patet ex eodem cap. Is cui, de sent. excomm. lib. 6. Suspensio autem non habet hos effectus. Tertiò interdictum etiam personale latum in Clericum priuat illum vsu ordinum sub pœna irregularitatis, & tamen non idcirco talis censura in tali persona est propria suspensio. Quare quamuis interdictum ab ingressu ecclesiæ habeat aliquem effectum communem cum suspensione, tamen inde non infertur vnam esse alteram. Vnde aliquando in iure, etiam cum agatur de Clericis, solet vocari hæc pœna prohibitionis ab ingressu ecclesiæ interdictum, vt in dicto cap. Is cui, De sentent. excommunic. lib. 6. ibi, *Is, cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi &c.* & infra.

Talis quoque, si hoc interdicto durante. Idem habetur in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. & in cap. Sacro de sent. excom. Non refert ergo, si effectus huius prohibitionis ab ingressu Ecclesiæ significetur sub nomine suspensionis, nam nonnunquam hæ voces suspensionis, & interdicti sumuntur latius, sicque promiscuè vsurpantur ad significandum effectus vtriusque censuræ. Vnde cum dicitur quis suspendi ab ingressu Ecclesiæ intelligitur prohibitus ingressus Ecclesiæ, quia verba sunt declaranda ex subiecta materia, cap. Intelligentia cum ibi annotatis, de verbo, signif. sed si propriè loquamur, interdictum ab ingressu Ecclesiæ differt à suspensione, tum quia, vt dixi, tale interdictum non solum comprehendit Clericos, sed etiam laicos, tum etiam quia potest imponi pro alia culpa. At verò suspensio imponitur tantum Clericis, & pro culpa propria, ita ait Henriquez lib. 13. cap. 33. num. 2. 10 Glo. Lit. M. Quamobrem licèt in iure talis pœna prohibitionis ab ingressu Ecclesiæ vocetur suspensio, vt in c. Cum medicinalis, de sent. excomm. lib. 6. *Per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs nouerit se suspensum*. In c. Is cui de sent. excom. lib. 6. *Sanè sicut Excommunicatio sic ab officio, vel ingressu Ecclesiæ lata suspensio*, non tamen idcirco sequitur, vt propriè sit suspensio, sed sumitur nomen suspensionis, vt significet prohibitionem sicut dixi, atque ita videmus alibi appellari interdictum, vt in cap. Sacro de sent. excomm. ibi, *Ingressum Ecclesiæ per mensem vnum nouerit sibi interdictum*, in cap. Is cui eod. tit. lib. 6. *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus*. Hoc idem docet Nauar. in consi. 1. nu. 1. in tit. de verb. signif.

Effectus huius interdicti ab ingressu Ecclesiæ plures sunt, Primus est, qui ex ipsa nominis significatione desumitur. Vt is, cui ingressus Ecclesiæ est interdictus, non possit Ecclesiam ingredi, & in hac conclusione conueniunt omnes Doctores.

Dubitant autem, quomodo sit intelligenda hæc prohibitio aliqui putant ex vi huius interdicti prohiberi tantum, ne sic interdictus possit in Ecclesia celebrare diuina, neque audire, non autem ne valeat simpliciter ingredi Ecclesiam. Ita sentit Innoc. in cap. Sacro, nu. 2. Ver. Ingressu de sent. excom. Gemin. in c. Is cui num. 3. de sent. excom. Anchar. ibid. nu. 1. in fi. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 170. Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. nu. 3. Vers. Poterit tamen.

Fundamentum huius opinionis est, quoniam excommunicatio est grauior Censura, quàm interdictum, & tamen non priuat excommunicatum, ne possit Ecclesiam ingredi, & ibi orare, quando diuina officia non peraguntur, vt inquit Glo. in c. Qui studet Ver. Dimisit in fi. 1. q. 1. vbi tradit non esse prohibitum excommunicato Ecclesiam intrare causa orandi, dummodo non intersit diuinis officijs, Innoc. in c. Nuper nu. 3. de sent. excom. Si igitur ingressus simplex in Ecclesiã non est vetitus excommunicato, ergo neque interdicto, quæ tamen ratio non videtur ad id probandum multum efficax, nam excommunicatus idcirco Ecclesiam ingredi potest, quia per excommunicationem solo consortio fidelium est priuatus, non autem communione parietum, sed per interdictum ab ingressu Ecclesiæ videtur quis priuatus simpliciter, & negatur aditus in Ecclesiam, vt verba ipsa propriè sumpta significant, Ergo quantum ad hanc partem non valet illatio ab excommunicatione ad interdictum, cum sint diuersæ, & omnino disparatæ censeantur.

Secunda opinio est aliorum, qui tuentur partem negatiuam, quòd sic interdicto nullo modo Ecclesiã

A ingredi liceat, qui mouentur ex ipsa significatione propria verborum, nam cum tale interdictum sit simpliciter ab ingressu Ecclesiæ, videtur in rigore prohibere absolutè omnem ingressum. In hac sententia est Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 50. Vers. Sed quæritur, Abb. in cap. Cum Ecclesia nu. 5. de immun. eccles. & id probat primo ex cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. ibi, *Is, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta*, Ponderat Abb. verbum illud, *Per consequens*, Vnde infert primariò eidem interdictum esse simplicem, & nudum ingressum Ecclesiæ. Secundò inquit Abb. Excommunicatus debet repelli ab Ecclesia, ex quacunque causa intret, ergo & interdictus.

B Ex his duabus sententijs prior est probabilis, Primò quoniam plures Doctores illam tuentur, & præter citatos tenet illam Angel. Ver. Suspensio 3. num. 6. Syloe. eod. Ver. §. 5. prope fi. Vers. Si verò suspensus sic ab ingressu. Faciunt pro hac sententia primò verba dicti cap. Is cui, de sent. excom. lib. 6. *Cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta*. Ex quibus colligi videtur priuatam orationem non esse ibi interdictam. Secundo prohibitio ingressus Ecclesiæ respicit solum diuina officia, ne ea quis celebret, aut audiat in Ecclesia. De celebratione constat manifestè in dicto c. Is cui, vt patet ex verbis modò relatis. De auditione verò habetur in c. Præsenti 5. q. 2. *Huic verò explicationi iterum addantur septem dies interdictam Ecclesiam intrandi licentia, & omnia diuina officia audiendi*. Tertiò quamuis verborum significatione

C in suo rigore considerata contraria opinio vera videatur, tamen quia rigor iuris nonnunquam temperandus est, & quantum fieri potest, odia sunt restringenda, ideo hæc opinio magis æquitati consona videtur, præsertim accedente ferè communi Doctorum consensu. Quartò quando prohibetur ingressus in Ecclesiam per interdictum, debet intelligi de ingressu publico tempore celebrationis diuinorum officiorum, sicut cum Clericus est interdictus personaliter, non potest recitare officium diuinum publicè & solenniter, non prohibetur tamen, ne recitet horas Canonicas priuatim, immo tenetur, ita quoque interdictus

D ab ingressu Ecclesiæ non potest publicè, & solenniter ingredi, idest tanquam celebraturus, vel auditurus, sicut alij fideles diuina officia; Licebit autem ei ingredi Ecclesiam, & ibi priuatim orare. Propter has rationes hæc opinio posset in praxi probabiliter, & tutò seruari.

Nihilominus contraria sententia mihi videtur multò probabilior, & censeo veram esse, nimirum quòd is, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ simpliciter, & absque vlla limitatione si à iure, siue ab homine, non possit ingredi Ecclesiam, etiam quamuis diuina officia non celebrentur, neque in ea priuatim orare, quamuis non prohibeatur eidem transitus simplex

E per Ecclesiam.

Primam partem conclusionis tenet Cald. in Tract. de interdicto par. 1. num. 50. Vers. Sed quæritur, dicens eum, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, non posse absque peccato transire per Ecclesiam, quando celebrantur diuina officia, c. Præsenti 5. q. 2 sicut neque celebrare, vt in cap. Is cui, cap. Alma §. Adijcimus de sent. excom. lib. 6. cap. Quod in te de pœnit. & remiss. Similiter sic interdictus non potest alio tempore, quo diuina officia, non persoluuntur Ecclesiam ingredi orandi causa c. Clericos in fi. distin. 21. cap. Qui Sanctus, & ibi Glo. Ver. Ecclesiam de pœnit. dist. 1. Idem

dicunt

dicunt Innoc. in c. Sacro de sent.excom.& Archid. in A cap.2. de off. deleg. relati à Gemin.in cap.Is cui, de sent.excom. lib.6. Felin. in cap.A nobis num.6.de except. Abb.in cap. Cum Ecclesia nu.5. de immun. Eccles. Sylue.Interdictum 5.§.6.& alij. Addit tamen Calder.num.51. secus esse dicendum de illo, qui est de loco interdicto, vel de populo interdicto, si causam interdicto non dederit, hic enim ingredi poterit Ecclesiam, & ibi permanere & orare tempore, quo diuina officia non celebrantur arg.c. Alma §. Illis de sent. excom.lib.6.

Fundamẽtum principale huius opinionis est, quoniam verba illa ab ingressu Ecclesiæ propriè sumpta, ex quibus sumitur vis & efficacia censuræ, denotant totam hanc prohibitionem. Et licèt excommunicatio B sit grauior censura, quàm hoc interdictum, quæ repellit tantum excommunicatum ab Ecclesia tempore celebrationis diuinorum officiorum, tamen non est absurdum, vt interdictum hac in re secũdum quid excedat excommunicationem, & habeat hoc speciale, cum per verba specialia feratur, qua in re vim habere videntur. Neque apparet aliqua ratio verisimilis, propter quam hæc prohibitio coarctari debeat ad illa duo capita, scilicet celebrandi, & audiendi diuina in Ecclesia, & in cap.Is cui de sent.excom.lib.6.solum ait prohibito ingressu Ecclesiæ prohiberi consequẽter in ea celebrationem diuinorum, non excludit tamen alia, meminit autem solùm celebrationis diuinorum, quia ibi agebatur de irregularitate, quæ incurritur C ob violationem huius interdicti. Irregularitas autem incurritur propter solam celebrationem diuinorum ex officio, non propter alias actiones, quamuis prohibeantur ex vi eiusdem interdicti.

Confirmatur hoc idem ex cap. Latorem in princ. 33 quæst.2. ibi, *ita vt per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ orans & deprecans Deum perseueret*. Quæ verba denotant, ne talis interdictus possit licitè fundere orationes priuatas in Ecclesia, sed extra Ecclesiam ante ostiũ orare deberet.

Hinc facilè soluuntur, quæ pro contraria sententia sunt adducta, & ad c. Præsenti 5.q.2. Vbi coniungitur prohibitio intrandi Ecclesiam, & audiendi diuina in ea, quasi hoc posterius ponatur ad declarationem D prioris, responderi potest illud Interdictum non fuisse simpliciter impositum ab ingressu Ecclesię, sed cum limitatione intrandi Ecclesiam ad diuina officia audienda, ex quo non licèt inferre, quoties Interdictum absolutè & simpliciter fertur ab ingressu Ecclesię prohiberi tantum modo celebrationem & auditionem diuinorum officiorum, alioqui ex eodem principio deduceretur minus quoque prohibitam esse receptionem Sacramentorum in Ecclesia, quia recipere Sacramentum non est audire, vel celebrare diuina officia.

Sed obijciet quis contra hanc opinionem, nam ex ea sequi videtur non licere sic Interdicto transire per E Ecclesiam etiam tacendo tempore, quo diuina officia non celebrantur. Si enim ex vi huius Interdicti prohibetur simpliciter ingressus in Ecclesiam, non cum illa limitatione, ad celebrandum scilicet vel audiendum diuina officia, ergo siue ad orandum priuatim, siue ex quacunque alia causa ingrediatur sic Interdictus Ecclesiam, semper violabit Interdictum, quia nulla potest assignari ratio diuersitatis, quamobrem sit magis prohibitus talis ingressus ad orandum, quàm ob alium quemcunque finem, cum ex propria significatione verborum simpliciter & absolutè prohibeatur ingressus in Ecclesiam. Vnde Calder. in dicto citato num. 50. ob hanc rationem dicit non posse agnoscere discrimen, cur sic Interdictus potest licitè transire per Ecclesiam pro factis suis, & non potest in ea orare, & ideo tenet simpliciter ob nullam causam ingredi posse. Quare neque permittitur, vt in Ecclesia sepeliatur, & ita sentit Abb. in c. Cum Ecclesia num. 5. De Immunit. Eccles. & nonnulli alij.

Verùm valde probabile est non prohiberi per huiusmodi Interdictum omnem ingressum in Ecclesiam sed causa orandi, vel ad exercendum alium actum spiritualem, & sacrum, qui in Ecclesia regulariter fieri soleat. & potest assignari ratio diuersitatis, nam B quando prohibetur ingressus in Ecclesiam, debet accipi Ecclesia formaliter, vt Ecclesia est, idest vt locus sacer solemniter institutus ad orandum Deum tum oratione priuata, tum publica, & ad alia sacra faciẽdum, Nam quamuis oratio ad Deum quouis in loco fundi possit, vt significatur Ioan. cap. 4. vel intra cubiculum, vt dicitur Matt. 6. tamen locus sacer peculiariter deputatus est orationi, Vnde antiquitus Ecclesiæ vocabantur oratoria, postea erectæ in ampliorem & digniorem formam domus orationis ab antiquis Patribus sunt vocatæ, vt sumitur ex Orig.hom. 2.in Exod Ruffi.lib.2.Histor.cap.33.Aug.lib.21.De Ciuit. cap.8. & solus ingressus, qui fit in Ecclesia hoc modo acceptus prohibetur ex vi huius Interdicti, vnde C non est vetitus omnis ingressus, qui fit in Ecclesia, quasi materialiter sumptus, scilicet ne Interdictus valeat per eam transire, vt rectè notat Innoc.in c.Sacro n.2. De senten.excomm.vel loqui, aut disputare, vel aliud simile agere. tunc enim Interdictus vsurpat sibi vsum Ecclesiæ, vt est communis quidam locus, non autem vt est locus sacer ad spiritualem & sacrum vsum destinatus, sicut iura loquuntur de Ecclesijs.

Quæret aliquis, quid dicendum sit de concione audienda intra Ecclesiam, an hoc sit vetitum taliter Interdicto. Qui tuentur primam opinionem, tenentur cohærenter loquendo fateri, non denegari huiusmodi Interdicto, vt concionem audire non valeat in Ecclesia, quoniam si effectus huius Interdicti sunt limi- D tati circa celebrationem diuinorum, & eorum auditionem tantum, concionatorem sub hoc genere diuinorum comprehenditur. Maior autem est difficultas, si sequamur posteriorem sententiam. probabilius tamen existimo asserere ex vi huius interdicti non prohiberi interdicto ab ingressu Ecclesiæ, vt concionem in Ecclesia audire nequeat. Primò quoniam nullo iure reperitur vetitum. secundò quoniam licèt concio aliquo modo dici possit sacra actio, non tamen ita propriè & per se requirit locum sacrum Deo dicatum sicut oratio & aliæ similes actiones. Tertiò quia verbum Dei nunquam videtur prohiberi debere, cum sit remedium valde vtile & necessarium ad mutationem vitæ & conuersionem hominis.

E De actibus verò iurisdictionis, vt est eligere, absoluere à Censuris, & similes fori exterioris certum est non esse prohibitos ex vi huius interdicti in Ecclesia, quia per se non postulant locum sacrum formaliter, & sic interdictus non est priuatus hac iurisdictione, vt ait Couar. in cap. Alma par.2. §. 1.num.3.in princ. Nauar. in Manua.cap.27.nu.161.& probant ex Glo. in cap. Sacro Ver.Interdictum de sent.excom. Dixi in foro exteriori, quia absolutionem sacramentalem impendere non poterit, cum sit actus ordinis, non solius iurisdictionis.

Ani-

Animaduertendum est quoq; , cum dicimus interdictum ab ingressu Ecclesiæ non posse celebrare, neque audire diuina officia, id esse intelligendum de omni Ecclesia in quocunque loco sita, nam quocunq; proficiscatur interdictus, semper erit interdictus, cum interdictum adhæreat personę, eumq; sequatur. Quod locum etiam habet in Ecclesia interdicta, quia retinet immunitatem Ecclesiæ, vt tradit Abb. in cap. penult. num. 8. de immun. Eccles. & interdictus ab ingressu non potest eam ingredi ad orandum, & eodem modo neque Ecclesiam non consecratam, si auctoritate Episcopi sit deputata, cum eadem immunitate gaudeat, vt Abb. in eod. cap. penult. & Glos. in cap. fi. Ver. Non consecrata, de conseer. Eccles. & Alt. Calder. in Tract. de interdi. par. 1. num. 48. Anchar. in cap. Is cui, num. 3. Gemin. nu. 5. de sent. excom. lib 6.

Ex his, quæ dicta sunt, patet primus effectus hujus interdicti, nempe prohibitio, ne interdictus valeat licitè ingredi Ecclesiam, cum diuina officia celebrantur, vel alio tempore ad orandum in ea.

Secundus effectus est prohibere, ne ita interdictus celebrare diuina possit in Ecclesia, vt colligitur ex dicto cap. Is cui, de sent. excom. lib. 6. Glo. in cap. 2. Ver. Interdictum, & ibi Doct. de censi. lib. 6. Abb. in cap. Cum dilectus num. 20. de consuet. Immo non conceditur sic interdicto celebrare in Ecclesia, etiam in illis festiuitatibus, in quibus ex permissione c. Alma §. In festiuitatibus, tribuitur facultas interdictis, vt possint diuinis interesse, cum non permittatur, vt diuina facere valeant.

Sed hic dubitari potest, an ita interdictus possit in Cœmeterio Missam dicere, vel saltem audire Missam, vel alia diuina officia, si ibi dicantur. Ratio dubitandi est, quoniam Glos. in cap. Is cui Ver. Cœmeterio de sent. excom. lib. 6. videtur asserere, quod quando alicui interdicitur Ecclesia, interdicta est quoque res Ecclesiastica contigua Ecclesiæ, vnde sumi potest argumentum, quòd si Cœmeterium sit contiguum Ecclesiæ posito interdicto ab ingressu Ecclesiæ sequitur prohibitio quoque Cœmeterij Ecclesiæ contigui. Ex alia parte Cœmeterium propriè non est Ecclesia, igitur interdicto ingressu Ecclesiæ præcisè non interdicitur ingressus in Cœmeterium, præsertim cum odia & pœnæ sint restringendæ.

Franc. in c. Is cui num. 3. Vers. In Glo. in Verbo in ea de sent. excom. lib. 6. tenet eum, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, non posse licitè celebrare, in Cœmeterio, & probat, quia in eodem c. Is cui, prohibetur, ne talis interdictus possit sepeliri in Ecclesia vel Cœmeterio, ergo eodem modo vetitum est, ne possit celebrare in Cœmeterio; & Glo. ibi Ver. Cœmeterio, idem videtur confirmare, non distinguendo, an Cœmeterium sit contiguum Ecclesiæ, vel distans, nam quando interdictum ponitur ad hominem, non refert, an Cœmeterium sit contiguum, nec ne, aliàs illuderentur Censuræ, si in vno Cœmeterio posset, non in alio. Idem tenent Abb. in c. Cum Ecclesia num. 2. De Immunit. Eccles. quia Cœmeterium gaudet eodem priuilegio, sicut Ecclesia, & sicut interdicitur iudicium seculare in Ecclesia, ita in Cœmeterio, & vtrobique committitur sacrilegium. vnde interdicta ecclesia, est interdictum Cœmeterium. & quando alicui interdicitur ingressus in ecclesia, videtur quoque interdictum, ne possit ingredi Cœmeterium.

Sed nonnulli respondent non esse eandem rationem de celebratione diuinorum officiorum, & de Ecclesiastica sepultura, quia per tale interdictum priuatur

A quis Ecclesiastica sepultura simpliciter, sed Ecclesiastica sepultura vocatur etiam illa propriè, quæ fit in Cœmeterio, ergo sepultura in Cœmeterio prohibetur. Hæc tamen responsio nō videtur satisfacere, nam ex vi huius interdicti non priuatur quis sepultura Ecclesiastica, nisi in Ecclesia, vt verba interdicti propriè sumpta sonant. Si ergo sub illis verbis interdicti non includitur Cœmeterium quoad sacros vsus viuentium, neque etiam comprehenditur quoad vsum sepulturæ, vel è contra si quoad hunc vsum sepulturæ comprehenditur, vt dicitur in cap. Is cui, etiam includitur quoad alia officia diuina ob eam rationem, vt ibi inquit Glosa, quia Cœmeterium tanquam accessorium comprehenditur sub nomine Ecclesiæ, vt habe-
B tur in cap. Si Ciuitas de sent. excomm. Vbi interdicta Ecclesia, dicitur consequenter interdictum Coemeterium, ergo simpliciter cum quis interdicitur ab ingressu Ecclesiæ censetur interdictus ab ingressu Coemeterij ob eandem rationem, quòd accessorium sequatur principale. Eodem modo si sic interdictus celebraret in quacunque Cappella Ecclesiæ, peccaret, & irregularis fieret, quia sub prohibitione totius includuntur partes, & in hoc æquiparantur Cœmeterium, & Cappella.

Contra objiciet quis, nam ratio proposita si efficax esset, & vim haberet ad probandum sub interdicto Ecclesiæ censeri interdictum Cœmeterium, solum id inferre posset de Cœmeterio contiguo Ecclesiæ, quod
C est tanquam accessorium respectu Ecclesiæ, quæ rationem habet principalis. Verùm illa ratio non concludit de omni Cœmeterio etiam distincto ab Ecclesia, quod non potest dici accessorium.

Glo. in dicto c. Is cui Ver. Coemeterio inquit in hoc interdicto ab Ecclesia non oportere distinguere de Coemeterio contiguo Ecclesiæ, vel disiuncto, & probat ex illo textu, cum absolutè prohibet hominem sic interdictum debere in Ecclesia, aut Coemeterio sepeliri, non distinguens de Coemeterio contiguo, vel non contiguo. eadem ratione non poterit persona sic interdicta ingredi Cœmeterium non contiguum ecclesiæ ad quælibet alia diuina officia celebranda,
D & ita putat Glo. quodlibet Cœmeterium esse interdictum tali personæ, & respondet ad dictum c. Si Ciuitas, Vbi tantùm habetur Interdictum ecclesiæ extendi ad Cappellas & Cœmeterium contiguum, & constituit differentiam inter locale interdictum ecclesiæ, & interdictum personale ab ingressu ecclesię. Primum enim inhæret loco, & ideo extenditur ad omnia illa loca, quæ continentur sub illo loco generali interdicto, & hæc sunt contigua, quorum extrema se inuicem contingunt, vt inquit ibi Glos. At interdictum ab ingressu ecclesiæ afficit personam, eamque priuat vsu loci sacri, & ideo nihil refert, an sint contigua, vel disiuncta, & aliàs inquit Glo. illuderetur interdictum, si posset quis sepeliri in Cœmeterio non contiguo.

E Verùm hæc Glo. responsio, si rectè consideretur, non videtur tollere difficultatem, Nam & si hoc interdictum ab ingressu ecclesiæ directè personam respiciat; tamen simpliciter illum interdicit, sed tantummodo in ordine ad locum in sententia vel lege expressum, & hic locus est sola ecclesia, de qua quæritur, quid nomine ecclesiæ intelligatur ex c. Si Ciuitas De sent. excom. lib. 6. & colligitur comprehendi tantùm Cœmeterium contiguum non separatum, idque non oritur, quia illud interdictum locale sit, vt putat Glos. sed ob rationem allatam, quoniam Cœmeterium contiguum censetur quasi accessorium ad ec-

clesiem

eleſiam, quod dici non poteſt de diſiuncto. Et eadem ratio militat de interdicto ab ingreſſu eccleſiæ, ideo differentia illa de contiguo & ſeiuncto Cœmeterio non videtur ſatisfacere dubitationi, neque propterea ſequitur eludi hoc interdictum, quia illud, vt tale interdictum eſt coarctatum ad talem locum, ideſt eccleſiam & Cœmeterium contiguum, quod eſt acceſſorium ad eccleſiam, quæ eſt principalis, & ſi in tali loco ſeruetur interdictum, cenſura non illuditur, etiam ſi ſimilis actus extra illum locum exerceri poſſit, ſicut non illuditur, quamuis interdictus celebrare poſſit in Oratorio priuato, de quo ſtatim dicam; idcirco res redditur ambigua ex vtraque parte.

Reſponderem ego in primis ex vi interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ non prohiberi celebrationem diuinorum, vel eorum auditionem in Cœmeterio, quod Eccleſiæ contiguum non ſit, quod optimè probat ratio illa adducta; nam tale Cœmeterium non intelligitur ſub nomine Eccleſię, neque extat aliqua ratio, propter quam veriſimiliter interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu debeat extendi ad tale Cœmeterium, præſertim quia talis locus non eſt deputatus ad alios ſacros vſus præterquam ad ſepulturam Eccleſiaſticam; quare quoad alia diuina officia ſe habet ſicut quicunque alius locus priuatus, quamuis Coemeterium ſit locus ſacer, ſed hoc non ſufficit, vt ſub nomine Eccleſiæ comprehendatur quantum ad alios actus, nam etiam Oratorium priuatum eſt aliquo modo locus ſacer, & nihilominus nomine Eccleſiæ non intelligitur.

Secundò dico per interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu prohiberi Eccleſiaſticam ſepulturam in Cœmeterio, licèt non ſit Eccleſiæ contiguum. Probatur ex dicto cap. Is cui de ſent. excom. lib. 6. Vbi ſimpliciter abſque vlla diſtinctione dicitur de ſic interdicto. *Non debet in Eccleſia vel Cæmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerit ſepeliri*. Quibus verbis declaratur hæc priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ tanquam effectus interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ſub illa tamen conditione, *Niſi pœnituerit*, & abſolutè dicitur, *In Eccleſia vel Cæmeterio*, ergo quodlibet Cœmeterium comprehenditur etiam non contiguum.

Sed meritò poſtulabit quis, rationem propter quā hoc interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ potius extenditur ad Coemeterium non contiguum, ſed ſeparatum ab Eccleſia, quoad actum Eccleſiaſticæ ſepulturæ, non autem ſit hæc extenſio quoad alios actus celebrandi, & audiendi diuina officia.

Reſpondeo fieri hanc extenſionem ad Coemeteriū quoad actum ſepulturæ, quoniam ita ſpecialiter declaratum fuit in illo cap. Is cui de ſent. excom. lib. 6. loquitur enim de Coemeterio abſolutè abſque vlla limitatione quoad Eccleſiaſticam ſepulturam, vnde neque nos diſtinguere debemus, & hæc extenſio non nititur illo principio, quod acceſſorium ſequitur naturam principalis. Hæc enim ratio ſolùm concluderet de Coemeterio contiguo non ſeparato, ſed fundamētum habet, quoniam quantum ad ſepulturam eadem ratio eſt de Coemeterio, ſicut de Eccleſia, ſiue ſit Cœmeterium contiguum, ſiue ſeparatum, quia per ſe ac directè eſt locus deſtinatus ad hunc ſacrum vſum, ſicut eſt Eccleſia ad alios vſus, & ideo quantum ad hanc prohibitionem reputatur tanquam Eccleſia, & ex ſpeciali declaratione facta quoad Eccleſiaſticam ſepulturam infertur non eſſe idem de reliquis actibus, ſcilicet celebrandi & audiendi diuina.

Immo hinc infertur, per hoc interdictū ab ingreſſu Eccleſiæ non priuari quempiam ingreſſu Cęmeterij, A etiam contigui Eccleſiæ, nec facultate celebrandi diuina in ipſo. Ratio eſt, quia pœnæ reſtringendæ ſunt, quantum patitur ſignificatio verborum, niſi aliud diſponatur ab ipſo Iure, vel ob aliam cauſam aliter interpretandum ſit. Quare nomine Eccleſiæ non ſignificatur Coemeterium, neque Ius aliquod, vel alia cauſa cogat nos ad faciendam illam extenſionem, ſequitur fieri non debere.

Dices in cap. Si Ciuitas de ſent. excom. lib. 6. haberi interdicta Eccleſia cenſeri Coemeterium quoque contiguum interdictum, ergo falſum eſt, quod dixi.

Reſpondeo id ibi affirmari ob eam rationem, ſcilicet ne vilipendatur ſententia interdicti, quæ ratio locum habet in interdicto locali, de quo ibi eſt ſermo, B nō de perſonali, quale eſt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quod cum afficiat perſonam tantum in ordine ad talem locum, ſequitur, quòd ſi celebret extra illum locum, in alio loco etiam vicino & contiguo non idcirco vilipendi cenſuram, & contemni interdictum. Hoc tamen locum non haberet in Cappelis Eccleſiæ, quia cum Cappellæ verè ſint partes totius Eccleſiæ, qui interdictus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, cenſetur quoque interdictus, ne poſſit ingredi Cappellas, neque in eis celebrare, aut audire diuina.

Tertius effectus huius interdicti eſt priuare poteſtate adminiſtrandi ſacramenta intra Eccleſiam, quia non poteſt ſic interdictus miniſtrare in ordine ſuo in Eccleſia, vt inquit Innoc. in cap. Sacro num. 2. de C ſent. excom.

Sed dubitatur, an Sacramenta in Eccleſia recipere poſſit ſic interdictus; qua in re ſunt duæ opiniones, aliqui tuentur partem negatiuam, & cēſent non poſſe recipere Sacramenta, ita tenet Glo. in cap. Præſenti Ver. Communione 5. q. 2. quæ generaliter affirmat interdicta eſſe Sacramenta Eccleſiæ, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, tenet etiam Ang. Ver. Suſpenſio 3. num. 4. Sylue. Ver. Suſpenſio §. 5. prope finem, & nonnulli alij. Partem affirmatiuam ſequitur Henriquez lib. 13. cap. 32. num. 2. qui cenſet huiuſmodi interdictum ſolum reſpicere officia diuina.

Probabilior eſt opinio negatiua, Nempe non licere perſonæ interdictæ ab ingreſſu Eccleſiæ in ea reci- D pere Sacramenta ob eandem rationem ſuperius expoſitam, nimirum quia ſic interdictus non poteſt vti Eccleſia tanquam loco ſacro inſtituto adorandum Deum, vel ſacra facienda aut audienda, & cum Sacramenta in eccleſia adminiſtrari debeant regulariter & recipi, igitur, qui eſt interdictus ab ingreſſu eccleſiæ non poterit licitè in eccleſia Sacramenta adminiſtrare, aut recipere. Et quamuis in c. Is cui, De ſent. exc. lib. 6. ſermo habeatur tantùm de prohibitione diuinorum officiorum, idcirco excluduntur alij effectus propter rationem, quam ſuperiùs aſſignaui.

Extra eccleſiam verò poterit hic interdictus facere ea omnia, quæ priùs poterat. quare Epiſcopus ſic interdictus extra eccleſiam Miſſam celebrare pote- E rit, quia ex priuilegio habet hanc facultatem ex c. fin. De Priuileg. lib. 6. & idem de alijs, qui eodem priuilegio gaudent. Similiter in priuatis Oratorijs, vt docet Calder. in Tract. de Interdicto par. 1. nu. 48. Gemin. in dicto c. Is cui §. fin num. 5. De ſent. excom. lib. 6. & Anchar. ibi & Glo. Ver. in ea De ſent. excom. lib. 6. nam vt inquit Calder. quamuis Oratorium conſtitui non poſſit ſine Diœceſani licentia c. Auctoritate De Priuileg. lib. 6. neque in eo celebrari c. Clericos De Conſecr. diſt. 1. tamen quia interdictum eſt ab ingreſſu eccleſiæ, & Oratorium non eſt eccleſia,

De

De censs. capit. vltim. De Priuileg. cap. Patentibus A sequitur, si sic interdictus celebrauerit in Oratorio interdictum non violare. Item extra Ecclesiam sic interdictus diuina facere, & alteri facienti inseruire, & diuinis interesse, & Sacramenta administrare poterit, Glo. in c. Is cui Ver. In ea de sent. excomm. lib. 6. Anchar. ibi num. 1. Gemin. num. 4. & Franc. De sent. excomm. lib. 6. Abb. in c. Cum dilectus num. 20. De Consuet. Butr. in c. 2. num. 3. De offi. Deleg. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 170. Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. Vers. Sub hac verò definitione De sent. excomm. qui plures Doctores refert, in eandem opinionem De sent. excom. lib 6.

Sed rursus dubitari potest, Vtrùm is, cui ecclesiæ ingressus est interdictus, diuina Sacramenta extra B ecclesiam recipere possit.

De hac difficultate duæ sunt opiniones, Altera affirmatiua, quòd talis interdictus non prohibeatur extra ecclesiam recipere Sacramenta, & audire diuina, sicut enim Clerici, qui ingressu ecclesiæ arcentur, quamuis in ea diuina officia celebrare non possint, extra tamen ecclesiam talis celebratio eis permittitur, vt constat ex c. Is cui De sen. excom. lib. 6. & Glos. ibi notauit Ver. In ea, & Archid. & Io. And. & ante hos Innoc. & Host. in c. Sacro De sent. excomm. Idem affirmant Specul. tit. De leg. §. Iuxta Vers. Quid si quis suspenditur, Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 6. Tabie. Ver. Interdictum 6. num. 2. in fin. Armill. eod. Ver. num. 6. Rosella interdictum 3. num. 11. Sylue. Interdi- C ctum 6. §. 5. B Anton. 3. par. tit. 26. cap. 2. §. 2. Couar. in c. Alma §. 1. par. 2. num. 3. Sicut ergo non denegatur Clerico interdicto celebrare extra ecclesiam, vt in Tentorio domi, & in alijs locis, ita propter eandem rationem permissum erit laico similiter interdicto extra ecclesiam Sacramenta recipere & diuina audire.

Alia est opinio negans id licere, & existimat in tenore Censurarum argumentum non valere à maiori ant minori, aut pari, Verùm non est recedendum à communi sententia, & cum interdictum ab ingressu ecclesiæ vim habeat producendi effectus tantùm in D ecclesia, vt ipsa verba sonant, non est extendendum extra Ecclesiam.

Quartus effectus huius interdicti est, quòd eo durante, si moriatur sic interdictus non poterit sepeliri in ecclesia, neque in Coemeterio, & dixi, nisi poenituerit, & expressè habetur in dicto c. Is cui De sent. excomm. lib. 6. & tradunt ibi Doctores, & Innocen. in c. Sacro num. 2. eodem tit. Extra, sed si poenitentiam egerit, tradi poterit ecclesiasticæ sepulturæ, & ita notat Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. num. 3. Vers. Hic autem interdictus, Gemin. in c. Is cui §. Talis num. 3. Franc. num. 2. Anchar. num. 3. De sent. excom. lib. 6.

Verùm quid intelligere voluerit Summus Pontifex addendo illam conditionem *Nisi poenituerit*, dubi- E tant Doctores, & ratio dubitandi est, quoniam ea illo loco videtur colligi hoc interdictum tolli secuta poenitentia etiam absque vlla relaxatione superioris, cum aliud non requirat Summus Pontifex, nisi solam poenitentiam, quod tamen videtur absurdum, nam ad intrinsecam rationem censuræ pertinet, vt non possit auferri, nisi per absolutionem Superioris ad hoc auctoritatem habentis, vt probaui ex sententia probabiliori in Tractatu de Suspensione Disp. 8. cap. 2. Ergo neque interdictum, quod vera censura est, relaxari poterit absque auctoritate Superioris.

Bernard. Diaz. in Pract. Canon. Crimin. cap. 13 respondet c. Is cui, loqui, in casu, quo tale interdictum ab ingressu ecclesiæ imponitur alicui propter contumaciam, quandiu satisfactionem præstiterit, idest si quis interdicatur ab ingressu ecclesiæ, donec satisfecerit Petro, vel paruerit, vel sub alia simili conditione. tunc enim secuta satisfactione, & impleta conditione statim tollitur interdictum, neque opus est alia relaxatione Superioris. Quòd si imponatur interdictum in poenam criminis commissi, cum omnis poena morte terminetur, tale quoque interdictum erit sublatum, & consequenter persona interdicta decedens in loco sacro sepeliri poterit, ita respondet Diaz.

Attamen hæc responsio non videtur satisfacere difficultati, primò quoniam si hoc interdictum latum fuerit in contumaciam, quamdiu poenituerit quis, vel satisfecerit, adhuc impleta conditione necessaria est relaxatio Superioris propter rationem propositam, quoniam Censuræ non remittuntur sine absolutione eius, qui auctoritatem habet, vt latè probaui agens de suspensione Disp. 8. cap. 2. Vel saltem secundum opinionem aliquorum necessaria est declaratio, quòd re vera interdictus poenitentiam egerit, & paruerit. Secundò non valet ratio adducta à Diaz, quòd si hoc interdictum latum sit non in contumaciam, sed in poenam, terminetur morte, quia omnis poena morte finitur. Tertiò quoniam ea hac ratione sequitur, quòd omnis interdictus ab ingressu Ecclesiæ sit sepeliendus in Ecclesia, quamuis poenitentiam non egerit, si omnis poena morte finitur, nam tunc causa sepulturæ Ecclesiasticæ non erit poenitentia, sed mors, cuius vi extinguitur omnis poena; Secundò falsum est, quòd omnis poena finem habeat adueniente morte, nam etiam post mortem in foro seculari proceditur in poenis, vt quando Cadauer comburitur aut secatur in partes, vel inhumatum relinquitur, quod etiam seruari solet in foro Ecclesiastico, vbi in poenam delicti aliquãdo denegatur Ecclesiastica sepultura, & D. Greg. in Dialogis lib. 4. cap. 5. testatur se vsum fuisse hac poena in quendam Monachum proprietarium, & Ecclesia nonnunquam propter quædam crimina imponit poenam priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, ita vt hæc poena mortuo sit inferenda, etiamsi poenituerit, vt notat Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. num. 3. Vers. Hic autem interdictus, & lib. 2. cap. 1. num. 11. Ad hoc facit cap. Cum ad Monasterium §. 1. de Stat. Regul. & cap. Quanquam de vsur. lib. 6.

Couar. censet sensum dicti cap. Is cui, esse, vt si alicui interdicatur ingressus Ecclesiæ à lege vel Iudice Ecclesiastico ob contumaciam, velit Ecclesiastica priuare sepultura, vbi interdictus huius contumaciæ non poenituerit, sed si ob poenam delicti commissi, & remissi irrogetur hoc interdictum nolit huiusmodi interdictum carere Ecclesiastica sepultura, sed non extat aliquod argumentum, quòd hæc fuerit mens Papæ in illo cap. Is cui.

Quare dicendum est mentem Summi Pontificis in cap. Is cui, fuisse priuare Ecclesiastica sepultura eum, cui interdictus est ingressus Ecclesiæ post mortem nõ simpliciter, sed sub conditione nisi in vita signa poenitentiæ dederit, quare si poenituerit, poterit tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, neque tunc dicitur relaxatum interdictum absque absolutione, sed absolutio censetur tradita, quando latum fuit interdictum sub ista conditione, nisi poenituerit, & ideo non opus est noua absolutione, & ita sentiunt Innoc. in cap. Sacro nu. 2. de sent.

de sent. excom. Gemin. in cap. Is cui §. Talis quoque num. 3. Franc. num. 2. Anchar. num. 3. eod. tit. lib. 6. Sed adhuc hi Doctores ex sententia Io. Andr. titius esse existimant, vt fiat relaxatio, quæ in articulo mortis tradi potest à simplici Sacerdote, vel post mortem detur absolutio, si signa contrictionis apparuerint, quoniam sententiæ Censurarum requirunt absolutionem etiam post mortem cap. A nobis, 2. de sent. excom.

Et ex dictis iam patet, qui sint effectus huius interdicti ab ingressu Ecclesiæ, simulque colligere licet ita interdictum participem fieri suffragiorum & bonorum spiritualium, quæ in Ecclesia fiunt publicè aut priuatim, vt inquit Couar. in cap. Alma part. 2. §. 1. nu. 4. Vers. Prius tamen, quoniam non priuatur communione Ecclesiæ, sed solùm à celebratione diuinorum, & eorum auditione, & à Sacramentorum administratione & receptione; Quamobrem pro sic interdicto defuncto, dummodo pœnitens decesserit, potest orari, & oblationes recipi, vt tradit Innoc. in c. fin. de excess. Prælat.

Quæri potest, an sic interdictus sit capax indulgentiarum, respondent aliqui cum distinctione, si fuit interdictus ob contumaciam, in qua perseueret, tunc aiunt nõ posse lucrari indulgentiam, cum careat contritione, & non sit in gratia Dei, sine qua nemo acquirit Indulgentiam, si verò sit interdictus in pœnã peccati præteriti, tunc subdistinguendum est, aut potest exequi ea, quæ præcipiuntur ad consequendam indulgentiam, vel est impeditus propter interdictum, si primo modo, & pœnitens sit, ac contritus lucratur Indulgentiam. Si autem se habeat posterio-

A ri modo, non erit capax Indulgentiarum. Quare si ad acquirendam Indulgentiam impositum esset onus confitendi peccata & sumendi Sanctissimam Eucharistiam, in hoc casu cum interdictus ab ingressu Ecclesiæ non possit confiteri peccata nec recipere Sanctissimam Eucharistiam, nam hæc Sacramenta regulariter in Ecclesia administrantur, saltem Sacramentum Eucharistiæ, ideo nequit lucrari Indulgentias. Qui enim non præstat ea, quæ iniunguntur in Indulgentia, caret fructu Indulgentiarum, nam ex communi sententia Theologorum Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

Explicata iam definitione huius interdicti, quod
B prohibet ingressum ecclesiæ, eiusque effectus; superesset modò, vt de pœna irregularitatis, quæ incurritur ob violationem huius interdicti, ageremus, de qua cum pertractaui agens de suspensione Disp. 7. cap. 3. Nam hæ pœnæ priuationis ab ingressu Ecclesiæ licèt propriè vocari debent interdictum, vt monui superiùs, tamen dicitur etiam suspensio, ideo non opus est, vt illam repetam. Regula certa & indubitata est violari hoc interdictum, & incurri Irregularitatem, quoties sic interdictus diuina officia, vel actum proprium ordinis ex officio agens, sicut priùs in Ecclesia celebrauerit, vt expressè habetur in dicto c. Is cui, de sent. excom. lib. 6. At verò si tantùm audit diuina in
C Ecclesia, violat quidem interdictum, & peccat mortaliter, non tamen fit irregularis, vt inquit Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. num. 3. Vers. Poterit tamen is, Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 47. Vers. Item si iure, & Doctores omnes in c. Is cui.

DISPVTATIO OCTAVA.

DE PECCATO, QVOD COMMITTITVR OB VIOLATIONEM INTERDICTI,

Vel ob participationem cum personis interdictis, & de causis quibus aliquis excusatur ab obseruatione Interdicti.



OSTQVAM effectus seu proprietates interdicti sunt explicatæ, restat, vt disputemus de violatione interdicti circa dictos effectus, quoad culpam & pœnam, & cum tres sint effectus, Prohibitio Sacramentum, diuinorum officiorum, & ecclesiasticæ sepulturæ, discutiendum erit distinctè de peccato & pœna ob violationem interdicti circa vnumquemque effectum, & in hac Disputatione pertractabo de peccato.

CAP.

CAPVT I.

Quod peccatum sit violare Interdictum circa vsum Sacramentorum.

AGendum est de peccato ob violationem interdicti, & triplex sit eius effectus, vt dixi, videndum erit sigillatim de peccato ob transgressionem in quocunque effectu, initium sumentes a primo effectu, idest à prohibitione vsus Sacramentorum.

Qua in re vnum est certum absque controuersia, peccatum committi, si persona specialiter interdicta, vel etiam generaliter, si culpabilis fuit tempore interdicti, recipere illa Sacramenta, quæ eo tempore prohibentur. Huiusmodi enim transgressor facit contra censuram & Ecclesiæ prohibitionem, nisi ex accidenti excusari possit, vel per ignorantiam, vel ex aliqua necessitate.

Controuersia est, an talis violatio sit culpa mortalis vel venialis. Censeo ego ex genere suo mortale peccatum esse violare interdictum in materia Sacramentorum, quia est res grauissima, & prohibitio Ecclesiæ habet vim præcepti pertinentis ad vim Religionis, & peccatum oppositum est sacrilegium, quòd ex genere suo est mortale peccatum. Nec valet distinctio, quam aliqui assignare solent in hac materia inter Clericos & Laicos, quia materia Sacramentorum respectu vtrorumque grauis est, si ad vtrosq; suo modo accomodetur, idest administratio Sacramẽtorum ad Clericos, receptio verò ad Laicos. Neque etiam facit ad hanc rem, quòd Clericis sit imposita aliqua pœna ob hanc culpam, non autem Laicis, nam quamuis ita sit, tamen grauitas culpæ non pendet ex Ecclesiastica pœna, igitur recipere Sacramenta in tali statu, erit peccatum mortale, etiamsi non habeat pœnam Ecclesiasticam adiunctam, quia culpa est prior, & per se non pendet ex pœna, sed ex materia & præcepto. Solet autem sumi argumentum ex pœna ex accidenti ad probandum grauitatem præcepti & actionis, & quando aliunde de hoc constare potest, impositio pœnæ non videtur necessaria. Confirmatur, nam excommunicatio minor, quæ seperat à perceptione Sacramentorum obligat sub peccato mortali omnes tam Clericos, quàm Laicos, vt innodati illa Censura Sacramentum aliquod non recipiant, & talis transgressio ex suo genere est peccatum mortale, quamuis non habeat aliam pœnam ipso Iure impositam, ergo multò magis id affirmandum est de interdicto, quod ex se grauior censura est, & multò magis etiam id affirmandum est de interdicto personali speciali forma, liter vel virtualiter, scilicet in interdicto generali, sed respectu personæ, quæ culpabilis fuit, nam quoad sic interdictos, nulla reperitur exceptio in iure. Quare semper Laicus sic interdictus recipiens Sacramẽtum absque vlla exceptione, semper peccatum mortale committet. Neque ab hac generali regula opus erit excipere Sacramentum Matrimonij, quoniam si vera est opinio affirmans hoc Sacramentum esse prohibitum personæ sic interdictæ, & tunc contrahere Matrimoniũ esset culpa mortalis, quia materia est grauis. Quòd si defenditur contraria opinio tunc non erit exceptio à regula, sed ab ipsa prohibitione, quia non comprehenderentur sub Sacramentis, quæ prohibentur recipi à persona interdicta. Vnde contrahere matrimonium tunc non solum non erit culpa mortalis, verum neque venialis, quia nulla erit transgressio Censuræ.

A Solùm dubitari potest de solenni benedictione nuptiarum an si illa impẽdatur à persona sic interdicta, committatur peccatum mortale, nam cum talis benedictio non sit Sacramentum, sed cæremonia Ecclesiastica non videtur materia adeo grauis, vt sufficere possit ad constituendum peccatum mortale.

Respondeo primò certum esse Sacerdotem & Parochum admittentem personas sic interdictas ad talem benedictionem peccare mortaliter, & einsdem peccati reum esse, si existens ipse interdictus huiusmodi benedictionem dederit. Ratio est, quia ex munere sui officij vtrumque cauere debet, & actio ipsa est grauis. Est enim cæremonia quædam solennis, quæ publicè datur in Ecclesia à solo Parocho cum habitu sacro. B Secundò dico, si loquamur de ipsis contrahentibus, putarem quoq; ab illis committi peccatum mortale, si huiusmodi benedictionem reciperẽt, quia adest expressa Ecclesiæ prohibitio, & est cæremonia Ecclesiastica publica in materia graui, idcirco non videntur posse excusari à peccato mortali, præsertim cum ad eam concurrant ipsi contrahentes non solùm assistendo, sed recipiendo.

Quòd si persona generaliter tantum interdicta sit absque propria culpa, tenetur etiam abstinere à receptione Sacramentorum, & idem dicendum est de interdicto locali, quoniam videtur eadem ratio vtriusque interdicti, cum vtrumque interdicat, & separet personam ab vsu Sacramentorum absque eius culpa, C sed cum aliqua differentia, quia personale interdictũ personam simpliciter & vbiq; locale verò tantum prohibet in loco interdicto sine generaliter, sine specialiter. Deinde per interdictum generale personale prohibetur cuilibet personæ interdictæ vsus Sacramẽtorum, quoad substantiam. Per interdictum locale solùm prohibetur hic vsus quoad circumstantiam, scilicet in tali loco. Quare maior prohibitio oriri videtur ex interdicto personali, quàm locali; vnde cẽseo personale interdictum generale obligare omnes sic interdictos, ne Sacramentum recipiant, nisi in casibus permissis, & Ministrum Sacramentorum ne det personis sic interdictis, nec ipse ea administret, si interdictus sit, idque sub obligatione peccati mortalis. Ratio D est, quia interdictum personale, aut locale generale directè, ac per se separat omnes personas ab vsu Sacramẽtorum vel simpliciter, vel in loco interdicto.

Quòd autem Ministri Ecclesiastici peccent mortaliter conferendo Sacramenta in loco interdicto, exceptis casibus permissis, patet ex eo, quia hæc censura est grauis, & eius obseruatio necessaria est ad Ecclesiasticam disciplinam, quæ potissimum spectat ad ecclesiasticos ministros, ideo ipsi maximè obligantur ad eius obseruationem; & cum materia sit grauis, talis obligatio erit sub peccato mortali.

Maior aliqua difficultas videtur de ipsis Laicis, cum ad eos indirectè pertineat talium præceptorum obseruatio, verum etiam quoad Laicos censeo hanc E obligationem esse grauem, quia interdictum locale est quædam prohibitio generalis respiciens omnes fideles, & ad omnes per se pertinens, licèt ad quosdam principalius quàm ad alios. Quare sicut sacrum celebrare in loco non permisso ob hanc causam est peccatum mortale, ita & communicare in loco interdicto, cum vtraque actio sit grauis, & simpliciter prohibita.

CA-

CAPVT II.

De Peccato Clericorum ob violationem interdicti circa diuina officia.

VT intelligamus, quando ob violationem interdicti circa officia diuina committitur peccatū, & à quibus, ante omnia accuratè scire oportet, & perscrutari de genere interdicti, an sit personale, an locale, vtrùm generale vel speciale, nam ex varietate interdicti oritur diuersa obligatio ad illud obseruandum, & aliæ personæ tenentur ad obseruandum vnum interdictum, aliæ ad aliud si enim interdicto personali generali interdicantur Ciues, non censetur interdicta Ciuitas seu locus. Vnde vt inquit Gemin. in cap. Si sententia §. Cæterum in fi. de sent. excom. lib. 6. ex B sententia Archid. interdicta Vniuersitate Clericis absque vlla interdicti violatione ea omnia administrare & exercere licebit, & diuina officia celebrare, sicut priùs ianuis apertis pulsatis campanis, alta voce, excommunicatis tamen, & interdictis nominatim exclusis, cum id non prohibeatur Clericis, secus est, si interdicatur Ciuitas, & locus, quia tunc Clerici celebrantes peccarent, nisi seruarent conditiones descriptas in c. Alma.

Verùm quamuis hæc, quæ dicuntur à Gemin. vera sint, si concederemus iuris rigorem, tamen vt rectè idem Gemin. considerauit in eodem cap. Si sententia num. 2. Vers. Glos. Secunda iuxta mentem Calderini consulendum esset Clericis, vt in dicto casu à publica C celebratione abstinerent propter honestatem ad euitandum scandalum & periculum vilipendendi censuram Ecclesiasticam. Nam ex huiusmodi publica celebratione occasio præberetur interdictis audiendi officia diuina, & videndi sanctissimam Eucharistiam, & ratio suadet, vt huic incommodo prouideamus cessando à publica celebratione.

Interdictum verò violari potest quoad celebrationem diuinorum officiorum, primò & per se à Clericis, ad quos propriè spectat ex officio celebratio diuinorum, secundario verò etiam à Laicis, si audiant diuina officia, quæ prohibentur tempore interdicti. Primo loco igitur videndum erit de Clericis, secundo de Laicis in sequenti capite. Nomine Clericorum, quod D spectat ad hanc rem intelliguntur omnes Clerici à prima tonsura vsq; ad omnes ordines inclusiuè, scilicet Religiosi omnes, etiam si ordinem non habeant, immo & Moniales, vt est communis sententia, quia omnes isti ex officio sunt deputati ad recitanda officia diuina publicè in Ecclesia pro populo, Nauar. in in Man. c. 27. n. 187. Vers. Decimo nono, Caiet. in sum. Ver. Interdicti violatio, Henriquez lib. 13. c. 49. n. 3.

Verùm sub hoc genere an includantur Clerici coniugati cum vnica & virgine, dubitari solet, Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. n. 5. Vers. Decimo, ex his tenet partē negatiuam nō comprehendi Clericos coniugatos. Mouetur, quoniam tales Clerici, qui contraxerunt cū vnica & virgine, Clericorū priuilegium in duobus tā- E tum obtinent, nēpe quoad Canonem & forum, in cæteris Laici censendi, igitur non habent hoc priuilegiū vt cum Clericis sint connumerandi in his, quæ pertinent ad obseruationem interdicti. Immo post Concil. Trid. vt hi Clerici coniugati gaudere possint priuilegio vtroq; Canonis & fori sess. 23. cap. 6. de reform. requiritur, vt præter Tonsuram & habitum ad alicuius Ecclesiæ seruitium, & ministerium ab Episcopo sint ascripti, & eidē Ecclesiæ seruiant & ministrent, & hæc opinio est probabilis, sed contraria non caret proba- A bilitate, quòd huiusmodi Clerici cōiugati sub eodem iure censeri debeant quoad violationem interdicti, sicut alij Clerici, quoniam munus celebrādi officia diuina publicè, vel in illis ministrandi ex officio etiam spectat ad Clericos coniugatos, si habeant omnes cō-ditiones requisitas ex Concilio Tridētino nam si sunt deputati ab Episcopo alicui Ecclesiæ & in ea ministrent tanquam Clerici, dici debent ministri ex officio ad recitanda officia diuina, & ad hunc finem verè se gerunt vt personæ Ecclesiasticæ, & sub hoc genere personarū intelligi possunt. Extra has personas omnes alij habentur tanquam Laici in violatione interdicti.

Animaduertendum tamen est posse Clericos nonnūquam violare interdictum modo aliquo communi etiam cum Laicis; tunc autem quoad violationem cōuenient Clericis ea, quæ dicemus inferius de Laicis.

Primò igitur agentes de Clericis supponendum est illos violare interdictum exercendo actum aliquem proprium Ordinis prohibitum ex vi interdicti, vel modo prohibito, vel saltem ministrando in tali actu aliquo modo proprio Ecclesiasticarum personarum. Quare per actus solius iurisdictionis non violatur interdictum, quoniam illi non sunt prohibiti ab interdicto. Qua in re differt interdictum ab excommunicatione & suspensione, quoniam excommunicatus vel suspensus ab officio priuatus est iurisdictione c. Audiuimus 24. q. 1. c. Cum dilecti, de dolo & contum.

Secundò dico Clericos celebrando diuina officia violare quodcuq; interdictum, & hanc violationem ex genere suo esse peccatum mortale.

Est conclusio, quæ communiter admittitur, quam tenet Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 5. Ioseph Angles in floribus in 4. sent. in q. de excom. art. 6. de interdicto difficult. 3. conclus. 1. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 187. Henriquez lib. 13. de excom. cap. 46. num. 3. Et probatur conclusio, primùm argumento generali de quocunque interdicto, nam Ius directè prohibet has actiones Ecclesiasticis personis ex vi interdicti, materia huius prohibitionis est grauis, & modus etiā est grauis, quoniam opponuntur pœnæ durissimæ, quæ indicant præceptum obligare sub peccato mortali.

Secundò idem probatur distinctè de singulis interdictis, & primò de interdicto personali speciali, quod grauius obligat, videtur manifestū, quia illa est cēsura imposita particulari personæ propter culpam propriā, ergo violare tale præceptum in re sacra & graui erit ex genere suo peccatū mortale. Cōfirmatur, quoniā ob grauitatē huius præcepti, quoties iura in casu aliquo remittūt rigorem interdicto, solent semper excipere personas illas, quæ ob culpā propriam causam dederunt interdicto, & sunt personaliter & specialiter interdictæ, ergo iura sentiunt hanc obligationē seruandi interdictum in his personis esse grauissimam.

Secūdò qui sunt interdicti personali interdicto generali, etiāsi non propter culpam propriam, tamen ligati sunt eadem cēsura, & prohibitio eadem est, ergo eandem obligationem inducit. Quare cum per interdictum personale speciale seu generale directè remoueatur persona Ecclesiastica interdicta ab administratione, vel auditione diuinorum officiorum, sequitur, cum materia sit grauis, obligationem esse sub mortali, præsertim cum tale præceptum adiunctas habeat grauissimas pœnas quoad Clericos, scilicet irregularitatis, quòd detrudendi sint in Monasterium, quòd non possint elegi, nec postulari, quòd possint priuari officiis & beneficiis.

Caietanus tamen in Summa Ver. Interdicti violatio, multa dicit de violatione interdicti, & inter alia, quòd interdictum solum obligat Clericos, & non in omnibus actibus, sed tantum, ne exerceant aliquem actum certo ordini deputatum. Item quòd si Clerici violant interdictum, quamuis tale peccatum videatur esse mortale, & irregularitate & alijs pœnis enumeratis, quas incurrunt, tamen in rei veritate hoc non sufficere ad indicandum esse mortale, quia sunt pœnæ temporales, quas potest homo incurrere etiam meritoriè, vt patet in Iudice iustè occidentem malefactorem.

Ad hoc argumentum Caietani respondendum est, quòd licèt irregularitas imponi posset pro peccato veniali, de qua difficultate agitur in materia de irregularitate, tamen in casu nostro multæ aliæ pœnæ sunt præter irregularitatem, vt diximus.

Tertiò si loquamur de interdicto locali speciali, Clerici violantes huiusmodi interdictum, si causam illius dederunt, peccant mortaliter, ita Domin. Sot. in illa dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 5. Nau. in Manuali cap. 27. num. 187. & est communis sententia contra Caietanum. Ratio est, quoniam tale interdictum in his personis, quæ causam dederunt, interdicto speciale locale, vim habet interdicti personalis specialis, respectu verò aliorum, qui non fuerunt culpabiles, vim habet interdicti personalis generalis, non quidem absolutè obligantes personas, sed specialiter ne celebrent diuina in tali loco vel tempore; Sed hoc interdictum tam grauem obligationem inducit in singulis personis in ordine ad ta'em locum, sicut interdictum generale personale respectu omnium locorum.

Postremò idem asserendum est de interdicto generali locali, nam Clerici non seruantes huiusmodi interdictum, idest celebrantes officia diuina non seruata moderatione c. Alma, aut permittentes in proprijs Ecclesijs, quòd alij Clerici celebrent absque prædicta moderatione, peccant mortaliter, nam licèt transgressio huius interdicti post cap. Alma, consistat tantum in modo, quia non seruantur conditiones ibi præscriptæ, & ex hac parte possit dici leuior transgressio, quam violare interdictum speciale, tamen illa etiam est grauis materia, & sufficiens ad peccatum mortale, vt Doctores citati affirmant, quia in rebus moralibus modus etiam est valde necessarius ad bonum commune & honestatem morum, sicut celebrare cum vestibus sacris ad modum pertinet, & tamen obligatio seruandi hunc modum est grauissima, obligans ad mortale, & idem est in alijs similibus. Ita etiam accidit in hac violatione interdicti non seruato modo præscripto in cap. Alma, nam Clerici & Religiosi, qui diuina officia celebrant, peccant mortaliter non adhibitis illis conditionibus, & hanc culpæ grauitatem indicant verba Clem. 1. de sent. excommun. Vbi agitur de quibusdam, qui prædictum interdictum hoc modo violauerant; sic enim dicitur, *Non absque damno Cathedralium, & Parochialium Ecclesiarum, & scandalo plurimorum, dirumpendo neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, generalia locorum interdicta præsumptione damnabili violare præsumunt.* Quæ verba significant materiam esse grauem, & sufficientem ad peccatum mortale. Vnde propter talem violationem ibi imponitur pœna excommunicationis, quæ non infligetur, nisi ob peccatum lethale. Et simile argumentum sumi potest ex Clement. 2. eodem tit. & ex alijs iuribus.

Ex his igitur colligimus argumentum ad confir-

A mationem conclusionis, quòd Clerici peccant mortaliter, si violant interdictum, siue sit personale, siue locale, idest si ipsi interdicti aut in loco interdicto aliquid prohibitum faciant, vt quando actum aliquem Ordinis exercent, vt Missam aut aliud diuinum officium celebrant, vel si generalis interdicti loci tempore hæc faciant pulsatis campanis, ianuis Ecclesiæ apertis, alta voce, Laicis ad diuina officia admissis. Verùm occurrunt circa dicta nonnullæ dubitationes, quæ eluciandæ sunt.

Primò quæri potest, an ex violatione interdicti ob executionem alicuius actus Ordinis minoris ex more, sicut prius committitur peccatum mortale, an veniale, quia materia non sit adeo grauis.

Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 5.
B videtur sentire culpam mortalem contrahi ob executionem actus alicuius ordinis sacri; inquit enim irregularitatem prouenire tunc, cum exercetur actus alicuius Ordinis sacri, ergo si ob actum Ordinis minoris non incurritur irregularitas sequitur talem actum esse leuem materiam, non sufficientem ad constituendam peccatum lethale.

Sed Sylue. oppositum supponere videtur interdictũ 5. §. 5. Vers. Primũ quod prohibetur, vbi notat & inter ea, quæ prohibentur tempore interdicti primo loco recenset omnem actum deputatum certo ordini Ecclesiastico, siue Clerici, siue Presbyteri sint, aut inferiores, & citat Abb. in c. 2. n. 1. de Cleri. excom. Mi-
C ni. vbi tenet excommunicatum & interdictum incurrere ipso facto pœnam irregularitatis. Idem repetit Sylue. §. 6. Vers. Quarto quæritur in princ. & in §. 7. in princ. vbi generaliter loquens ait violari interdictũ à Clericis ob celebrationem diuinorum sine modificatione c. Alma, & fieri irregulares, & Vers. Quartum, inquit violari interdictum ob celebrationem diuinorũ, quoties agunt Clerici aliquid alicuius ordinis, loquitur igitur vniuersaliter de omnibus etiam minoribus Ordinibus, & ob transgressionem huius prohibitionis Ecclesiastica vult contrahi irregularitatem, quæ quando incurritur, tanquam pœna apposita à lege ad coërtionem delicti, signum est euidens culpam fuisse mortalem. Confirmatur hæc opinio argumen-
D to ducto à suspensione, nam vt inquit Abb. in c. 1. nu. 4. de Cleri. excom. Mini. suspensus ab officio incidit in irregularitatem, non solùm si celebrat Missam, sed etiam si tentat aliquod attributum alicui ordini Ecclesiastico, ergo eadem ratio est de interdicto, nam vtraque est Censura, ex cuius violatione incurritur irregularitas, & idem affirmat ipsemet Abb. de interdicto in cap. fin. nu. 5. de excess. Prælat.

Hæc secunda sententia mihi videtur probabilior, & quidquid sit de Irregularitate, de qua pertractabo in sequenti Disputatione, certè hæc materia actuum attinentium ad ordines minores videtur materia satis grauis ad constituendum peccatum mortale sufficiens, si violetur prohibitio Ecclesiæ ob celebratio-
E nem alicuius actus proprij ordinis inferioris. Est enim actio sacra, ad quam exercendam est ordinatus Minister ex officio. Et cum Ecclesia conuenientissimè ob bonum cõmune interdicat illud ministeriũ, non caret graui culpa, qui illud præceptum transgreditur. Animaduertendum tamẽ est, quòd ex more & consuetudine cõmuni huius temporis vix dari potest vsus minorũ ordinũ ita proprius Clericorũ, vt non possit per Laicos exerceri, vnde quod pertinet ad praxim, hæc difficultas, an ex transgressione interdicti per actum Ordinis minoris committatur peccatum mortale, hodie

hodie locum non habet, nisi quatenus hic actus communis est Laicis, de quibus postea dicendum est.

Secundò dubitatur, an publicè canere officium diuinum tempore interdicti sit sufficiens materia peccati mortalis, puta si Religiosus dicat in Choro cum alijs Vesperas, aut Completorium. Ratio dubitandi est, quoniam hic actus solet interdum exerceri per Laicum, ergo in Clerico non habet specialem culpæ grauitatem.

Respondeo modo, quod spectat ad Clericum, nam de Laico dicam infra, in Clerico hunc actum habere rationem peccati lethalis, si Clericus ex officio illum exercet, quod fit, si aliquis Clericus vel Religiosus, vt pars & membrum Cleri illud officium celebrat, nam ad hos omnes pertinet directè illa prohibitio celebrandi diuina officia tempore interdicti, & hæc materia per se est grauis. Oportet autem, vt pars aliqua notabilis officij diuini dicatur, vt committatur peccatum mortale, nam dicere vnum vel alterum versiculum, & fortasse integrum Psalmum, non erit peccatum mortale seclusò scandalo, sed recitare vnicam horam canonicā, erit materia sufficiens peccati mortalis. Similiter pronunciare publicè in officio orationem cum habitu sacro præmisso Dominus vobiscum, putarē esse granē materiam peccati mortalis, quia, & est actus proprius Sacerdotis, & reputatur actus præcipuus, non quantitate sed qualitate & æstimatione.

Tertiò dubitatur de benedictione aquæ, aut de aspersione solenni, quæ fit diebus Dominicis, & de benedictione Episcopi solenni, & de alijs similibus, an actus circa huiusmodi materias sint per se sufficientes ad contrahendum peccatum mortale.

Respondeo ex genere suo esse per se sufficientes, nam licèt expediātur breuissimo temporis spacio, tamē sunt annexi Ordinibus sacris, & in suo ordine graues & quæ ab omnibus magnifiunt, & à populo magna, veneratione & deuotione recipiuntur. Quod tamen intelligendum est, quando hic actus solenniter fiunt ex officio, nam si Sacerdos ingrediatur Ecclesiam cum alijs, quos priuatim aspergat aqua benedicta, nullum erit peccatum, quia tunc illa actio neque est officium diuinum, neque propriè est actus ordinis, ideo non prohibetur per interdictum. Idem est de benedictione priuata Episcopi, quam domi suæ & in via concedit, vt superius dixi.

Quartò quæritur de interdicto generali loci, an prætermittere vnam solam circumstantiam ex illis, quæ præcipiuntur in iure sit sufficiens materia peccati mortalis, puta an dicere Missam in Ecclesia apertis ianuis, & alijs conditionibus seruatis sit peccatum mortale.

In hac difficultate Doctores communiter sentiunt huiusmodi transgressionem sufficere ad peccatum mortale contrahendum. Ita tenet Syluest. Interdictum 5. §. 7. in princ. Vers. Primò, vbi ait ex defectu cuiusque conditionis ex quatuor adhibendis in celebratione violari interdictum, & Clericum irregularem fieri consequenter censet committere peccatū mortale, vt paulò ante monebam, idem sentit Tabie. Interdictum 5. n. 2. Armil. eod. Ver. n. 43. Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. n. 76. qui reddit rationem dicens quālibet illarum conditionum per se prohiberi in c. Alma §. Adijcimus, & iure antiquo in c. Permittimus de sen. excom. & c. Quod in te de pœnit. & remiss. Ad idem facit regula; Certum est, quod is committit in legem 1. & c. de reg. iur. lib. 6. Couar. in c. Alma par. 2. §. 4. n. 6. Vers. Decimo quarto. Ad idem facit Clem. 1. de sent. excom. Vbi refertur violatio interdicti in vna sola conditione, nempe quia ianuis nō omnino apertis, sed perforatis, vel factis in eis fenestris diuina officia celebrantur, & tamen refertur tanquam grauis trāsgressio. Ratio huius conclusionis illa est, quam refert Calder. loco cit. quia finis interdicti est excludere populum à diuinis, sed ad hunc finem quælibet ex illis quatuor conditionibus est maxime necessaria, ergo est materia grauis illius præcepti. Neque satis erit ad excusationem à peccato mortali, quòd omissa vna conditione, puta vt ianuæ non sint clausæ, sed alia via caueatur, ne officia à personis prohibitis audiantur, quia hic est finis præcepti. Nam tenemur non solùm finem, sed etiam materiam præcepti seruare, immo potiùs materiam, quàm finem.

Qua in re primò animaduertēdum est grauitatem huius transgressionis non consistere in sola circumstantia, sed in officio dicto sine tali circumstantia, inde fit, vt totum officium dicatur modo indebito; & cum officium sit res grauissima, ideo etiam illa transgressio est grauis. At verò si omitteretur circumstantia, sed non sequeretur celebratio officij, illa non esset materia grauis huius transgressionis, exempli gratia, si pulsaretur cāpana ad Missam, & aperiretur ianua, & conuocaretur populus, si postea Missa non celebraretur, per se & ex vi interdicti illud non esset grauis transgressio exterior, quia in principali, & per se prohibita non violatur interdictum. Dico autem non esse grauem transgressionem exteriorem, nam si Sacerdos ita violaret animo conficiendi sacrum, tam committeret graue peccatum, quamuis mutata intentione externum peccatū nō cōmitteret, sed si ab initio illa transgressio fieret absque tali intentione, sed solum ad aliquam ostentationē, vel ob aliquos fines, per se non esset transgressio mortalis contra interdictū, sed ratione scandali, quod sequeretur moraliter loquendo semper esset peccatum mortale.

Secundò notandum est ad incurrendam culpā mortalem ob huiusmodi transgresionē requiri, vt totum aliquod officiū diuinū, vel magna pars eius celebretur aliqua ex illis cōditionibus prætermissa, nā si solum in fine officij transgresio fieret, non esset culpa mortalis, vt si post assumptum Sacramentū à Sacerdote in Missa aperiretur ianua Ecclesiæ, & ingrederetur populus, nō vocaretur grauis transgresio sufficiēs ad culpam mortalem. Immo si inaduertenter id fieret, & non omnino voluntariè, nullū esset peccatum, vt si tēpore interdicti ingrediatur quis Ecclesiam, & ianuam apertam relinqueret, dum Missa celebratur, nō teneretur Sacerdos celebrans statim desistere, donec ianua claudatur, quia non deest, vt in quacunque leui causa interrumpat sacrum, sufficit, vt claudatur ianua, antequam pertranseat spacium aliquod notabile temporis, & licebit Sacerdoti honesto aliquo modo opportunè absque perturbatione sacrificij monere aliquem ex assistentibus, vt ianuam claudat.

Tandem dubitari potest, cum initio capitis dictum sit nomine Clericorum comprehendi hoc in loco omnes Religiosos, an id intelligendum sit etiam de Religiosis exemptis à iurisdictione Episcopi ita vt tales Religiosi exempti teneantur sub præcepto peccati mortalis interdictum obseruare.

Respondeo affirmatiuè, nam ad hoc obligātur ab ipso iure cōmuni, vt patet ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 12. de regular. vbi ita statuitur, *Censura & interdicta ne dum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata mandante Episcopo à Regularibus,* in eo-

in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur, Et ra- A tione probatur, Nam aliàs vilipenderetur censura interdicti, si possint fideles ad Templa Religiosorum confluere, ibique audire diuina & recipere Sacramenta, immo strictius tenentur Regulares seruare interdictum, quàm Clerici seculares, quoniam maiori pœna puniuntur ob huiusmodi violationem, nam vt constat ex Clemen. 1. de sent. excom. Religiosi etiã exempti tenentur sub excommunicatione latæ sententiæ seruare interdictum, quod vident obseruari ab Ecclesia Cathedrali, vel Matrice seu Parochiali Oppidi, in quo ipsi habitant, quam tamen excommunicationem non incurrunt Clerici seculares, vt tenet ibi Glo. Ver. Religiosi, & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 146. Confirmatur, nam etiam si interdictum esset nullum, vt quia impositum post legitimam appel- B lationem esset, vel alia de causa. Si tamen obseruetur à Matrice Ecclesia, tenentur Religiosi illud obseruare sub excommunicatione, vt habetur in dicta Clem. At verò Clerici seculares non tenentur illud seruare, si constet de eius nullitate, vt Nauar. in dicto nu. 146. & Henriquez cap. 46. num. 4. E contra si constet esse legitimum interdictum, quamuis non seruetur a Matrice Religiosi debent illud seruare, non incidunt in dictam excommunicationem, sed in alias pœnas impositas c. fin. de Excess. Prælat. c. Auctoritate, c. Episcoporum de Priuileg. ita dicunt Nauar. & Hẽriquez locis citatis, Idque latiùs examinabimus Disp. sequẽti, vbi de pœnis violantium interdictum pertractabo, C ex his igitur apparet Religiosos peccare violando interdictum, & hoc peccatum esse mortale, quod cõmittunt etiam si non seruent interdictum in Oppido, vbi non sit Ecclesia Cathedralis seu Matrix, sed sunt multæ Parochiales diuisæ, & ab aliquibus Ecclesijs non seruetur interdictum. Ita tenet Glo. in dicta Clem. 1. Ver. Matricem. & Nauar. dicto nu. 146. Vers. Quinta, An tunc verò incurrant pœna a Clem. dicam in sequenti Disputatione. Poterunt tamen à peccato excusari, si probabiliter putent tale interdictum non esse legitimum, quia vident non obseruari ab aliquibus Ecclesijs Parochialibus.

CAPVT III. D

Vtrùm Laici peccent mortaliter violando interdictum circa officia diuina.

DOctores nõ conueniunt omnino, quomodo Laici violando interdictum peccent, Innoc. in cap. Tanta nu. 2. de excess. Prælat. relatus à B. Antoni. in 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. prope fin. affirmat indistinctè graue peccatum committi ex violatione interdicti, Sylue. Ver. Interdictum 6. §. 7. ad idem citat Archid. qui tenet, quòd licèt non incurratur irregularitas, tamen mortaliter peccat Laicus violãdo interdictum, Ioseph Angles in Floribus in 4. sent. par. 2. in quæst. de E excom. art. 6. difficult. 3. conclus. 3.

Contra verò alij Doctores sentiũt oppositum, nam Sylue. loco cit. tenet Laicos violando interdictum nõ peccare mortaliter regulariter, nisi id faciant ex contemptu, vel id faciant in quatuor casibus positis in Clemente. Grauis de sent. excom. Quatuor autem casus recensentur in his verbis, *Præsumptores præfatos, qui locis interdicto suppositis quemquam de cætero diuina officia celebrare quomodolibet cogere, aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis præsertim vel interdicti ligatos sententia, seu qui, ne* A *excommunicati publicè aut interdicti de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solennia, à celebrantibus moniti exeant, prohibere, nec non excommunicatos publicè & interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim à celebrantibus vt exeant moniti, remanere præsumpserint*. Caietanus in Summa Ver. Interdicti violatio, inquit primò interdictum obligare solos Clericos, & hoc non in omnibus, sed ne exerceant actum, aliquem certo ordini deputatum. Et hoc posterius certè falsum est, aliàs Religiosi non ordinati & Moniales non violarent interdictum publicè celebrando seu canendo diuinum officium, quod falsum est ex dictis. Secundò ait, quòd Laicus specialiter interdictus peccat, si ingerat se diuinis, quòd si non est specialiter interdictus, sed generaliter, quia est vnus de populo interdicto, non peccat B mortaliter, si ex deuotione se ingerat diuinis. Tertiò quòd si Laicus non est interdictus non peccat ingerendo se diuinis, quia supposito, quòd ipse non sit causa, quòd celebrentur diuina, melius est, quòd fructum ex tali celebratione percipiat, quàm quòd abstineat. Hanc sententiam Caietani sequitur Nauar. in Manu. cap. 27. num. 187. Vers. Decimo octauo dico, excipit tamen quatuor casus, in quibus Laicus peccat, licèt non incurrat irregularitatem. Primò cum ipse est interdictus personaliter, etiamsi interdictum sit generale oppidi. Secundò cum expressè vel tacitè est causa, vt diuina officia dicantur, rogando, iubendo, aut ad id causam præbendo sua præsentia & auditione, C facit Glo. sing. Clem. fin. de priuileg. Tertiò cum dicit ea officia, quorum causa Clerici violarent interdictũ argumento sumpto ex cap. fin. in princ. de Cleri. excom. Mini. Quartò cum fingeret se esse Clericum, & affirmaret mentiendo habere Ordines minores, aut priuilegium assistendi & audiendi diuina officia vetita, quando recitantur ianuis clausis, Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. prope finem conclus. 6. Primum ait graue esse hoc dubium de Laicis violãtibus interdictum audiendo sacrum, vel alia diuina officia, an peccent mortaliter. Deinde concludit probabilius esse, & fortasse certum respondere cum distinctione de interdicto personali & locali, nam supposito interdicto personali, vel generali, quia totus sit populus in- D terdictus, vel speciali, quia talis Laicus sit interdictus ingerendo se diuinis officijs audiendis peccat mortaliter, nam cum Ecclesia interdicendo Laicos vel generaliter, vel specialiter prohibeat expressè, ne diuina officia audiant, & id ex genere suo graue sit, ideo cum non sint Ecclesiæ obedientes, in re graui, certum est eos mortaliter peccare, sed supposito interdicto locali, ita vt Laicus non sit interdictus, sed solus locus, nõ peccat, saltem mortaliter ingerendo se, nisi aliquod violentiæ genus commiteat, vt se ingerat, vel Clericis expellentibus non obtemperet, affert rationem Sot. quoniam quando solus locus interdicitur mandatum Iudicis non dirigitur ad Laicos, neque illis intimatur, sed tantum ad Clericos, quibus præcipitur, vt in- E terdictum seruent, vt in Clemen. 1. de sent. excomm. Clericis ergo & Religiosis incumbit à diuinis populum arcere, illisque Laici parere tenentur. Vnde si contemptus absit, & scandalum, licèt se ingerant diuinis, non videntur mortaliter peccare, sed solùm esset quædam venialis culpa, quia interpretatiue faciunt contra Clericorum intentionem, Henriq. libro 13. de excomm. capit. 46. numero tertio, videtur ad hanc difficultatem cum eadem distinctione respondere, dicens Laicos priuilegio carentes excludendos esse per Clericum, cui competit regimen Ecclesiæ, dum

dum tempore interdicti diuina celebrantur officia. Sed illos, qui non sunt personaliter interdicti, quia nullam causam dederant, nec sunt pars populi generaliter interdicti, si absq; priuilegio Missam audiant, vel alia diuina officia, non peccare mortaliter, secluso contemptu & scandalo, quia praeceptum primariò imponitur Clericis, exceptis quatuor illis casibus paulò ante relatis ex Nauar. in quibus si Laici intersint diuinis, peccant mortaliter.

Ex his, quæ à Doctoribus in hac difficultate dicuntur, colligo quædam esse certa, quæ ab omnibus admittuntur, quædam verò dubia & controuersa, & ex his patebit, quid sit respondendum ad propositam dubitationem.

Certum est primò Laicos ex suo genere grauiter peccare, violando personale interdictum non solum speciale, sed etiam generale. Ita tenet Domin. Sot. Nauar. & alij. Probatur ratione, qua vtuntur illi Doctores, qui tenent non peccare mortaliter Laicos, qui violāt interdictum locale, quia illud interdictum non respicit directè personas, ergo à contrario sensu, quando interdictum est personale, committitur peccatum mortale, si violetur. Nam interdictum personale est cēsura Ecclesiastica directè imposita ipsi personæ. Igitur quòd illa persona sit Clericus vel Laicus non impedit, quominus illa Censura inducat totam obligationē, quam Ecclesia per absolutam prohibitionem imponere voluit iuxta materiæ qualitatem, & capacitatem, sed hæc materia est grauis, cum ad communicationem rerum diuinarum spectet, ergo prohibitio directè imposita personæ, sicut fit per interdictum personale, obligat ex suo genere ad mortale. Confirmatur argumento à simili de excommunicatione, nam sicut excommunicatio nō solum ipsum excommunicatum, sed etiam alios obligat sub mortali, ne in diuinis cum excommunicato communicent propter materiæ grauitatem, ergo multò magis interdictum personale obligabit eum, qui ea censura directè est ligatus sub eadem grauitate, nam licèt excomm. quoad alia sit grauior censura, tamen quoad hanc partem interdictum personale superat excommunicationem, quod specialius & formalius est ad hunc effectum institutum.

Quæ rationes non solùm probant conclusionem de interdicto personali speciali, sed etiam generali, primò quia vtrumq; continet prohibitionem directè impositam ipsis personis singularibus ex c. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. Confirmatur, nam sicut prohibitio, quæ imponitur fidelibus non communicandi cum excommunicatis in diuinis, quæ generalis est, & sine culpa ipsorum fidelium imposita, & tamē obligat sub mortali, quia est prohibitio iusta, & instituta ob commune bonum, & in materia graui, ita quoque prohibitio, quę oritur ex interdicto personali generali, obligabit sub eadem culpa mortali, quia omnes prædictæ conditiones, quæ reperiuntur in excommunicatione, efficacius locū habēt in interdicto generali personali.

Si quærat quis, per quas actiones Laici violent hoc interdictum personale, respondendum erit violari solùm recipiendo, vel agendo aliquid, quod per interdictum sit prohibitum, & iuxta qualitatem actionis vel receptionis erit grauitas culpæ.

Secundò dicimus certum etiam esse ex communi sententia Laicū in sequentibus casibus peccare mortaliter violando interdictum locale. Primò si adsit scandalum, & de hoc nō est dubitatio; Secundò, si per vim ingreditur ad audienda officia diuina, vel si postquam est ingressus, non obtemperat Ministris Ecclesiæ volentibus illum excludere, ita Dom. Sot. & Henriquez locis citatis, & habetur ex Clem. Grauis de sent. excom. Probatur, nam Clerici tenentur illos expellere sub culpa mortali, ergo ipsi tenentur sub mortali obedire; Tertio quando ingreditur fraudolenter, vt mentiendo se habere priuilegium, aut ordinem, vel Tonsuram, ita Nauar. cap. 27. num. 187. licèt oppositum sentiat Henriq. n. 3. Sed probatur hæc sententia, nam tale mendacium est in iniuriam Clericorum, quibus competit ex officio excludere Laicos non priuilegiatos. Quare tale mendacium videtur quoddam genus violentiæ, & est in re graui, nam ex hoc facile vilesceret Censura interdicti. Quartò quando Laicus est causa, quòd officia diuina celebrentur in loco interdicto ipso præsente, vel rogando, vel præcipiendo, ita ait Nauar. Quintò quando exercet ea officia diuina in loco interdicto, quæ si Clericus exerceret, interdictum violaret, Nau. n. 187 Henriq. n. 3. cum Cald. qui addit, quòd in tali casu potest Laicus puniri per Iudicem Ecclesiasticum, alios casus recensebo inferius ex Clem Grauis de sent. excom.

Sed tota difficultas est, Verū peccet Laicus non interdictus, qui extra prædictos casus audit officia diuina in loco interdicto. Qua in re tres inuenio diuersas opiniones. Prima est affirmatiua, quod peccet mortaliter. violando interdictum locale non solùm speciale, sed etiam generale. Ita sentiunt Innoc. & Host. quos refert Syluc. Interdictum 6. §. 7. Huius opinionis est Franciscus Suarez tom. 5. de Censuris Disp. 33. Sect. 5. num. 4. & seq. & conatur illam pluribus probare, primò quia etiam per interdictum locale directè prohibentur Laici, ne in loco interdicto diuinis intersint, ergo violando hoc præceptum ex genere suo mortaliter peccant, quia materia est grauis, & præceptum absolutè est latum. Confirmat ex c. Si sententia de senten. excomm. lib. 6. Vbi dicitur, Ciuitate interdicta, licitum esse Ciuibus, qui causam interdicto non dederunt extra ipsam diuinis interesse, ergo supponitur intra ipsam non esse licitum. Confirmat secundò ex c. Licet de Priuileg. lib. 6. *Cum conceditur singulari personæ, vt modo præmisso tempore interdicti celebrare valeat, vel audire diuina,* si ergo opus est, vt hæc facultas concedatur, ergo prohibitum erat. Idem probatur ex c. Vt priuilegia de Priuileg. & ex illis iuribus, quæ præcipiunt, ne Laici admittantur ad audienda diuina in loco interdicto, nisi sint priuilegiati. Confirmatur secundò, Nam Clerici tenentur Laicos excludere à diuinis officijs, ergo ipsis Laicis prohibetur interesse, alias præceptum factum Clericis de expellendo nihil operaretur, si illi vellent Laicos excludere, & Laici existimarent non teneri parere Clericis in hoc, & vellent interesse.

Si dices Laicos teneri si expellantur à Clericis, non aliàs, contra potest opponi, Nam hoc modo si Clerici essent negligentes in expellendo, Laici non peccarent assistendo, etiam venialiter, audiendo diuina, immo si absque fraude latenter ingrederentur, & interessent diuinis non peccarent, quia id nullo iure eis esset prohibitum.

Nec valet, quod Domin. Sott. respondet venialiter peccare, quia interpretatiue id faciant contra intentionem Clericorum vt dixi, nam id non haberet rationem culpæ, si alioquin non esset prohibitum ipsis Laicis interesse, sed solum vt parerent Clericis eijcientibus, quia per hoc præceptum non iubetur eis, vt ope-

operentur secundùm intentionem Clericorum. immo Nauar. ait, & alij, quod non committent peccatum mortale, si mentiuntur habere priuilegium, decipiendo Sacerdotes, vt illos admitterent ad diuina, quia mendacium illud non est contra præceptum eis specialiter impositum, neque ipsis Sacerdotibus præiudicium aliquod affert, cum ipsi non peccent, neque priuantur aliquo iure & commodo, neque est contra res diuinas in re graui saltem ex sententia ipsorum existimantium non esse grauem materiam, quòd Laicus intersit diuinis in loco interdicto.

Si quis dicat factam esse prohibitionem Laicis virtute Interdicti, sed indirectè, & quasi per consequens, ideo non inducere obligationem mortalem.

Respondeo Interdictum per se & immediatè prohibere, ne dicantur officia diuina, & ne audiantur in loco interdicto. Nam similiter quando conceditur facultas celebrandi officium diuinum, semper adducitur circumstantiæ necessariæ, vt ab alijs audiri possit, ergo signum est ipsam etiam auditionem per se prohiberi. Præterea quamuis etiam daremus hanc obligationem audiendi diuina, sequi indirectè & ex consequentia ab ipso Interdicto, adhuc hoc non sufficeret ad excusandam eius transgressionem à culpa lethali, Nam obligatio etiam non communicandi cum Excommunicatis indirectè obligat fideles ad eius obseruationem, & tamen hæc obligatio est grauis quoad communicationem in diuinis, & inducit culpam mortalem ergo quòd hæc prohibitio in interdicto indirectè etiam respiciat Laicos, non facit, quòd obligatio non sit grauis, sufficiens ad culpam mortalem, & ratio est, quia tam ad virtutem obedientiæ, quàm Religionis, in qua est talis materia, satis est, quòd superior verè præcipiat. Quòd autem sit directè vel indirectè, non tollit obligationem præcepti, sed solùm est argumentum, quòd vnum principaliùs intenditur, quàm aliud.

Si dicas hanc prohibitionem, etiam si Laicis imposita sit, non obligare eos ad mortale in hac materia, quia Laici non sunt prohibiti audire diuina simpliciter, sed in loco interdicto, violatio autem solius circumstantiæ in vna diuinorum officiorum videtur esse materia leuis.

Respondeo hanc rationem non concludere; nam ex eadem probaretur non esse peccatum mortale recipere Sacramenta in loco interdicto, Immo & de actiua celebratione, diuinorum nam hæc quoque non prohibetur simpliciter Clericis, sed in loco interdicto. Hæc sunt fundamenta primæ opinionis.

Secunda opinio opposita negatiua, quòd Laicus modo prædicto assistens diuinis officijs nullum committat peccatum, neque etiam veniale, & sententia Caiet. loco citato, & significat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 187. Vers. Decimo octauo, cum inquit, quòd Laicus non dicitur violare interdictum ex hoc tantùm, quòd audit Missam in loco interdicto. Probatur ratione adducta superiùs, quia nullum est præceptum in iure, quod dirigatur ad laicos, sed tantùm ad Clericos, ne admittant Laicos non priuilegiatos ad officia diuina in loco interdicto, vt patet c. Responsum de sen. excom. c. Non est vobis de Sponsal. c. Licet de Priuileg. lib. 6. & vbi nullum est præceptum, nullum est peccatum. Hæc opinio est valde probabilis.

Tertia est sententia media probabilior, scilicet quòd Laicus violans interdictum locale, quamuis ipse nō sit interdictus, peccat venialiter, ita sentit Sylu. Ver. Interdictum 6. §. 7. Angel. interdictum 7. num. 9. A quia dicunt Laicos sic violantes non peccare mortaliter, ergo videntur supponere aliquod peccatum committere. Et licèt generaliter dicant Laicos violantes interdictum non peccare mortaliter, nisi id faciant ex contemptu Ecclesiæ, & sic videantur existimare, quòd Laici, quamuis sint interdicti personaliter, non peccant mortaliter violantes interdictum cessante contemptu. Oppositum nos superiùs docuimus. Tamen ipsi loquuntur solùm, quando ipsi Laici non sunt personaliter interdicti, sed audiunt officia diuina in loco interdicto, vt constat ex casibus, quos ipsi excipiunt, & hoc modo illos interpretatur Domi. Sotus conclus. 6. in fin. Henriquez cap. 46. num. 3. Ratio huius conclusionis est, quoniam & si præceptum B iuris non dirigatur ad Laicos, tamen ipsi faciunt contra intentionem virtualem Clericorum, & hinc soluitur argumentū pro secunda opinione. Accedit, quòd Bulla Cruciatæ concedit facultatem audiendi diuina officia tempore interdicti, dummodo non dederint causam culpabilem interdicto, sed si Laici licitè audire possent diuina, frustra daretur priuilegium.

Ad Clement. Grauis de sen. excom. quæ affertur pro prima opinione ad probandum violare interdictum esse peccatum mortale, quoniam in dicta Clem. contra violatores prædictos fertur excommunicatio, quæ semper supponit culpam lethalem. Respondeo dictam Clement. esse intelligendam non simpliciter in omni violatione, sed in quatuor casibus, in quibus C laici incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam. Primus est, quando Dominus compellit Clericum publicè & solenniter celebrare diuina in loco interdicto. Secundò quando quis præsumit vocare Laicos ad audienda officia diuina in loco interdicto pulsatione campanarum, vel publico præconio. Tertiò quando aliquis præsumit impedire, ne excommunicati, vel interdicti, exeant, quando sunt admoniti à Clerico. Quartò cum ipsimet excommunicati aut interdicti exire nolunt. Quintus additur ex Clem. 1. de sepult. quando aliquis præsumit sepelire interdictos in Cœmeterio, & hæc excommunicatio est reseruata Episcopo.

Vt autem hæc obligatio seruandi interdictum lo- D cum habeat, necessarium est, vt interdictum denunciatum sit iuxta Extrauag. Ad euitanda. Aliqui addunt etiam oportere, vt ab Ecclesia Matrice seruetur, si interdictum generale sit arg. Clem. 1. de sent. excom. Sed hæc conditio non videtur necessaria, quia sufficit denunciatio Censuræ, vt vnusquisque eam seruare teneatur, quatenus ad ipsum spectat ex dicta Extrauag. Ad euitanda.

Obijcies ex Clem. 1. de sent. excom. præceptum de obseruando interdictum obligare solum, quando Ecclesia Cathedralis, illud seruat, ergo cessante illa non obligat hoc præceptum.

Respondeo in dicta Clement. solùm sermonem haberi de Religiosis, quando obligentur ad obseruatio- E nem interdicti, de quibus superiùs dixi. Verùm ex illa non potest desumi argumentum ad probandum vniuersaliter non teneri aliquos ad obseruationem interdicti, quando publicè est denunciatum, si ab Ecclesia Matrice non seruetur, quoniam dicta Clement. non tollit obligationem seruandæ censuræ, postquam illa est publicè denunciata, & ita sentit ibi Glo. Ver. Subiacere, & Couar. in cap. Alma, par. 2. §. 2. numero 3. Vers. Hæc autem irregularitas, vbi ait, quòd si ab ipsa Matrice Ecclesia non possit desumi interdicti cognitio necessaria erit publica denunciatio, vt irregu-

laris

laris sit, qui eo tempore celebrauerit iuxta Extrau. A Ad euitanda scandala, ergo censet statim post denunciationem oriri obligationem seruandi interdictum.

Sed est animaduertendum in cap. Petistis in fi de priuileg. addi aliam conditionem, vt hæc obligatio locum habeat, nempe vt interdictum seruetur ab his, in quorum fauorem latum fuit, & illis non obseruantibus, permittitur alijs, vt celebrent, non obstante interdicto; sic enim ibi habetur, *Vos in pœnam præsumptionis eorum, quandiu ipsi violauerint interdictum, de nostra licentia celebretis*. Vbi Summus Pontifex, vt notat ibi Abb. declarat primò seruandum esse interdictum, licèt illi, propter quorum delictum latum fuit, illud non seruauerint, quia excessus illorum alijs non debet præbere licentiam delinquendi. Secundò ait, quòd si ad fauorem aliquorum latum sit interdictum, si illi non obseruent interdictum, alij non tenentur illud obseruare in pœnam præsumptionis eorum. Dicuntur autem violare interdictum illi, pro quibus latum est, vt ibi inquit Abb. non si vna tantum persona violauerit, sed si fuerint principales, vel maior pars eorum perseuerando in violatione, quoniam vnicus actus non sufficeret.

Patet igitur ex dictis, quomodo teneantur Laici seruare interdictum locale, & non immiscere se diuinis officijs, nisi priuilegio, vel ob aliam causam id eis permissum fuerit, & de his casibus, in quibus permittitur Laicis tempore interdicti interesse diuinis, dictum est superius, & reducuntur ad tria genera. Primò quando quis priuilegium habet à Romano Pontifice, à quo tantùm concedi potest, vt inquit Glo. in cap. Ad hæc 5. de appell. vbi Abb. nu. 4. inquit, quòd Episcopis non potest priuilegium concedere, vt quis celebret in Ecclesia interdicto supposita, quia est contra dispositionem Iuris, quamuis possit Episcopus durante interdicto suspendere eius effectum, vt celebrari possit sine peccato, quãdo interdictum ab ipso fuit impositum, secus si à Superiore, sed de hac quæstione inferius suo loco tractabitur. Secundus casus, quando Laicus est familiaris alicuius priuilegiati, & illum comitatur, tunc enim priuilegiato audiente diuina, licet & familiari assistere cap. Licet de priuileg. Tertius casus si Clericus indigeat ministerio, & opera Laici, vt valeat diuina celebrare modo licito, tunc enim absque peccato Laicus potest diuina audire, sicut superius declaraui.

CAPVT IV.

De Peccato illorum, qui violant interdictum quoad sepulpulturam Ecclesiasticam.

Tertius effectus interdicti est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. De peccato, quod committitur circa hunc effectum, pertractandum est, id est cuius culpæ rei sint, qui violant interdictum, tradendo Ecclesiasticæ sepulturæ corpora defunctorum.

Quòd sit grauis culpa violare interdictum quoad Ecclesiasticam sepulturã, probatur euidenter ex grauitate pœnæ impositæ aduersus eos, qui in loco interdicto, vel nominatim interdictos scienter sepelire præsumunt, verba Clem. sunt: *Eos qui &c. in cœmeterijs interdicti tempore in casibus non concessis à Iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere, &c.*

Ex grauitate huius pœnæ, infertur culpa mortalis in hac trãsgressione, quia excommunicatio maior non imponitur ob leuiorem culpam. Cum igitur hęc violatio sit ex sui genere magna, ideo digna fuit, vt excommunicationis pęna plecteretur, est enim transgressio in re graui, & contra absolutam Ecclesiæ prohibitionem.

Sed primò quæri potest, qui sint illi, qui peccant mortaliter sepeliendo defunctos tempore interdicti, & ex consequenti incidant in excommunicationem, vtrum nempe omnes, qui quouis modo cooperantur in tradenda sepultura Ecclesiastica in loco sacro corpori defuncti nominatim interdicti, vel corpus alterius sepulti tempore interdicti in casibus à Iure non permissis, vtrùm inquam omnes quouis modo cooperantes ad dictam sepulturam rei sint culpæ lethalis, & excommunicationis iuxta Clem. 1. de sepult. puta B aperientes sepulturam, vel fabricantes, vel fodientes terram, aut ponentes in sepulchrum, vel portantes Crucem, & cereos, deferentes cadauer, comitantes gratia honoris, & amicitiæ, aut Clerici diuinum officium celebrantes, aut non prohibentes, si vetare possent.

Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio, cap. 46. quem sequitur Nauar. in Manua. cap. 27. n. 137. videtur asserere illos tantum peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem, qui cadauer defuncti in sepulchrum immittunt, atque ita tantum erunt mortalis culpę Rei, & excommunicati illi duo, vel tres homines, qui proprijs manibus illam extremam C funeris actionem exequentur. Fundamentum huius opinionis est, quoniam verbum sepeliendi in rigore, & propria significatione sumptũ recipitur pro actione extrema humandi corpus intra terram, & hanc interpretationem sequuntur isti Doctores, ne cogantur fateri omnes prosequentes funus peccatum mortale committere, & excommunicatos remanere, quod existimant inconueniens concedere.

Calder. in Tract. de Interdicto par. 2. num. 25. & seq. primò ait certum habere, si tempore interdicti tradatur cadauer Ecclesiasticæ sepulturæ cum diuino officio omnia prædicta personarum genera esse excommunicationis vinculo innodata, & consequenter erũt mortalis culpæ Rei, quia in hoc casu omnes sunt D criminis consortes. Si verò sine officio Clericorum defunctus sepultus sit, dicit secundò, quamuis tutius sit affirmare omnes esse excommunicatos, tamen ipse credit non esse ligatos, sed quia videntur contemnere generalem prohibitionem, posse arbitraria pœna per Iudicem Ecclesiasticum puniri, & sic sentit non omnes mortaliter peccare. Et quia sepultura Ecclesiastica propriè respicit Clericos, ad quos pertinet officium diuinum cantare cum funera ad Sepulturam deferuntur, ideo illi grauiter peccant violantes interdictum quoad hunc effectum sepulturæ. Glos. in dicta Clem. 1. Ver. Sepelire de sepult. proponit difficultatem, & ait indigere declaratione Principis, & nihil decidit, Card. ibi num. 28. proponit difficultatem ad E vtramque partem, sed non colligitur ex eius verbis, quid sentiat probabilius, licèt propendere videatur magis in eam opinionem, quam dicit fuisse staphilei, quod omnes prædicti sententia excommunicationis sint alligati, quia sunt participantes in crimine. Idem ibi notat Anchar. num. 10.

Ego in hac difficultate dicerem primò non solus illos mortaliter peccare circa hunc effectum sepulturæ, qui tempore interdicti immittunt cadauer in sepulchrum, sicut censet Caietanus, quoniam non credo verbum sepeliendi assumi in eo rigore in dicta

Cle-

Clement. quoniam vix vnquam incurreretur illa excommunicatio, nā qui actionem sepeliendi exequuntur frequentius, & semper sunt homines infimæ conditionis, & rudes, qui vel ignorant factum, vel Ius. Vnde Glo. propter hanc causam ibi inquit hanc Constitutionem, si ita interpretetur, ludibrio omnibus esse. Accedit, vt ex verbis dictæ Clem. colligitur illam prohibitionem positam fuisse primò & per se propter eos, qui sua auctoritate & imperio sepulturæ tradunt corpora defunctorū contra dispositionem illius textus, illi enim propriè in rigore Iuris sepelire dicuntur iuxta tex. in cap. Mulieres §. Illi verò de sent. excom. quamuis ibi agatur de delicto percutiendi Clericum. Ratio tamen, quæ adducitur, est vniuersalis, scilicet, *Cum is committat verè, cuius auctoritate vel mandato delictum committi probatur*.

Secundò dico, exceptis Clericis diuinum officium defunctorum celebrantibus in funere præter mandātes & exequentes, alios enarratos non committere peccatum mortale, si violent interdictum circa hunc effectum Ecclesiasticæ sepulturæ. Quare illi, qui comitantur funus, vel qui cantant, & Crucem, vel lumina deferunt, non comprehenduntur sub hac prohibitione, nam illi re vera non sepeliunt, si propriè sumatur verbum sepelire, licèt impropriè dici possit eos concurrere ad sepeliendum; Immo neque sub hac prohibitione includuntur cooperantes remotè ad eundem actum sepeliendi, vt fodientes sepulchrum, si postea non agant ad tradendam sepulturam cadaueris, vel suis humeris illud deferentes vsque ad Ecclesiam, neque ad id consulentes, aut fauorem aliquem dantes, isti enim propriè non dicuntur sepelire. Quare poenæ dictæ Clem. non incurruntur; Nam auctor Canonis expressè id non dixit, & multò minus oportet hanc pœnam extendere ad eos, qui positiuè non cooperantur, sed tantum non impediunt, licèt possint, & debeant.

Obijciet quis contra, quoniam omnes illi, qui cooperantur funeri propriè dici possunt sepeliri cadauer, quia vt quis dicatur sepelire, non est necesse, vt totam actionem sepeliendi faciat, sed satis est, quòd vel partem eius faciat, nam si duo se mutuò iuuantes accipiant corpus defuncti, & in sepulchrum immittant, & terra cooperiant, vterque peccat mortaliter, & est excommunicatus, & tamen neuter est causa totalis, sed partialis, ergo similiter qui tumulum effodit, vel corpus defert, erit reus peccati mortalis, & excommunicatus manebit, quoniam isti concursum etiam habēt, nam actus sepeliendi re vera includere videtur omnes has actiones, nempe deferre corpus, fodere tumulum, inferre cadauer, cooperire terra, & alias omnes actiones enumeratas, ergo quicunque facit quamcūque partem huius actus partialiter concurrit ad sepeliendum. quod sufficit, vt sepelire dicatur, & consequēter vt peccatum mortale committat, & in excommunicationem incidat. Confirmatur, nam omnes hi participant in crimine cum eo, qui principaliter est excommunicatus; sed omnes participantes in crimine eandem excommunicationem incurrunt iuxta c. Nuper de sent. excom.

Et quamuis illi, qui concurrunt ad sepeliendum, fodiendo sepulchrum, & deferendo cadauer, videantur propriè sepelire, quia illæ actiones necessariò antecedunt ante sepulturam; tamen quia sunt valde remotæ, & non includuntur in ipso actu propriè sumpto sepeliendi, ideo quia ad illas concurrūt, satis probabiliter excusari possunt à peccato, & excōmunicatione,

A De Clericis autem diuinum officium celebrantibus ex more, dum defertur cadauer ad Ecclesiam, & traditur sepulturæ, quamuis, vt inquit Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 28. dubitari posset, præsertim iuxta sententiam illorum, qui censent verbum sepelire propriè significare condere humo, vel tumulo defunctum, tunc enim per solam celebrationem officij non esset delictum consumatum, & ideo non esset culpa mortalis, nec incurreretur excommunicatio, Oppositum tamen credit esse probabilius, quoniam aliàs durante interdicto semper ita fieret, nempe si persona nobilis decederet, officium diuinum recitaretur super funus. Deinde cadauer seruaretur in aliquo loco segregato, & occulto non sepeliendo, sicque hæc B prohibitio ecclesiastica contemneretur, idque mihi videtur esse certum, nam Clerici præcipuè interdictum seruare tenentur, vt dixi, qui non possunt officium diuinum celebrare tempore interdicti, & tale est officium defunctorum, ergo si illud recitant, peccant mortaliter.

Secundò quæri potest, quomodo sit interdicta sub peccato mortali Ecclesiastica sepultura. Respondeo primò prohiberi, vt in loco interdicto non sepeliantur corpora defunctorum cap. Cum & plantare §. Quod si de priuileg. c. Vt priuilegia eod. tit. cap. Quod in te de pœnit. & remiss. & hoc est intelligendum in casibus exceptis in iure expressis, vt dicitur in dicta Clem. 1. de sepult. quod, vt Glo. ibi notat Ver. A iure additur C propter Clericos, qui seruauerunt interdictum. Hi enim si decesserint, tradi possunt Ecclesiasticæ sepulturæ, vt habetur in dicto cap. Quod in te, seruatis conditionibus ibi descriptis. Additur etiam conditio, vt inquit Glo. propter priuilegiatos circa Confratres, vt habetur in dicto cap. Vt Priuilegia, de priuileg. Idem sentiunt Card. in dicta Clem. 1. num. 2. & 13. Anchar. num. 4. de sepult. Secundo dico non posse absque culpa mortali sepeliri in loco sacro, si sint simpliciter interdicti. Secus enim esset, si interdicti fuissent ab aliquo peculiari officio, nam cum tales non essent priuati alijs diuinis officijs, minus quoque carere deberent ecclesiastica sepultura Anchar. nu. 7.

Sed postulabit aliquis, qui dicantur nominatim in-D terdicti, Anchar. ex sententia Innoc. dicit nominatim interdictum vocari, qui per sententiam expresso nomine est interdictus, quamuis non sit publicè denunciatus. Idem ait Card. num. 10. quod talis expressa nominatio intelligitur de illis, quorum culpa, vel fraude latum est interdictum, & de ijs etiam, qui ad hoc præbuerunt auxilium, vel fauorem cap. In Lateranensi, & ibi Innoc. de præben.

Sed dubitatur, quid sentiendum sit de ijs, quos notoriè constat fuisse fautores, qui occasionem dederūt interdicto, non tamen sunt expressè in sententia nominati, nunquid sepelientes hos fautores peccent mortaliter, & incurrant poenam excommunicationis, quia dicti fautores sunt interdicti in genere, cum in E sententia dictum sit: Interdicimus N. cum fautoribus suis. Innocen. in dicto cap. In Lateranensi de præben. quem refert Anchar. putat sepelire huiusmodi interdictos generaliter, quamuis sint notoriè, minimè prohiberi sub poena excommunicationis, argumento c. Proposuit de Cleri. excom. mini. quia cum hæc constitutio sit pœnalis, est restringenda, cap. Statutum, de elect. lib. 6. & ita dicunt Anchar. & Card. locis citatis. Vnde dicit Glo. in dicta Clem. 1. Ver. Nominatim, quòd si quis sepeliat interdictum non nominatim, non incurrit censuram excommunicationis, B. Antoni. 3.

par.

par. Summ. titu. 24. cap. 33. & tit. 26. cap. 4. in fi. Sylue. Ver. interdictum 6. §. 4. Verf. Primum. Quæ sententia vera est, quoad censuram eacommunicationis, Nam, vt probaui in Disp. 6. cap. 5. in dicta Clem. 1. de sepult. excommunicatio fertur, si interdicti nominatim sepeliantur. Quare qui sepeliunt interdictos non nominatim, sed generaliter tantum in loco sacro, dummodo locus ipse non sit interdictus, non sunt excommunicati. Idem colligitur ex cap. Vt priuilegia, de priuileg. ibi, *Nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti*. Quare quod legitur in cap. Episcoporum, de priuileg. lib. 6. de excommunicatis, & interdictis respectu sepulturæ sacræ, est intelligendum de interdictis nominatim, & ita videtur dicendum etiam de iure antiquo, nam iure nouo post Extrauag. Ad euitanda, res caret dubitatione, si persona non sit nominatim interdicta, non est priuanda ecclesiastica sepultura. Si dicas, in dicta extrauag. tantum requiritur, vt interdictum sit latum contra certam personam, Collegium aut Vniuersitatem, ergo ad escludendum aliquem à sepultura, sufficit, vt sit generaliter interdictus; Respondeo hoc esse intelligendum respectiuè, idest vt si latum sit interdictum nominatim in Collegium, seruetur respectu Collegij, si verò in singulares personas, erga easdem non violetur, vt dixi in dicto cap. 5. Disput. 6. Si verò loquamur de culpa, & peccato eorum, qui tradunt Ecclesiasticæ sepulturæ corpus alicuius personæ generaliter tantum interdictæ, quamuis ex dicta Clem. 1. de sepult. desumi non possit argumentum ad probandum tales non peccare mortaliter, quia dari potest peccatum mortale, quamuis non puniatur censura eacommunicationis, tamen puto hoc esse valde probabile, præsertim post dictam extrauag. Ad euitanda. Quod si interdictum personale esset speciale, quamuis persona non esset per iudicem specialiter, & nominatim interdicta, seu declarata, tunc iure antiquo graue peccatum erat personam sic specialiter interdictam in loco sacro sepelire, quacunque ratione de interdicto constaret, sed modò post Extrau. Ad euitanda, si persona nominatim non sit interdicta, & denunciata, non incurritur culpa, neque Excommunicatio.

Tertiò dubitari potest, An qui tradit sepulturæ ecclesiasticæ cadauer defuncti nominatim interdicti in loco interdicto publicè excommunicatum, & vsurarium manifestum, quatuor excommunicationum vinculis obstrictus remaneat, & consequenter quatuor peccata mortalia committat.

Glo. in dicta Clem. 1. Ver. Subiacere, de sepult. proponit hanc quæstionem, & respondet, quod siue delinquens contra dictam Cōstitutionem pluribus modis, vt in exemplo proposito sit vnica sententia, siue pluribus sententijs ex dictis diuersis causis eacommunicatus, dummodo quælibet causa sit sufficiens ad excommunicationem, certum est debere satisfacere pro omnibus causis, & ab omnibus absoluendum fore. Idem tenet Anchar. num. vlt. Eodem modo dicendum quoad peccatum, nimirum quòd si quis violet dictam Cōstitutionem pluribus actibus distinctis prohibitis, cōmittit tot peccata, quot sunt actus completi; Si verò vnico actu cōtinuo transgrediatur sepeliendo tempore interdicti nominatim interdictum, qui sit simul publicè excommunicatus, & vsurarius manifestus erit reus vnius peccati, quod grauitate sua cōtinebit prauitatem, & malitiam correspondentem transgressioni contra omnes conditiones, & qualitates in ipsa Constitutione prohibitas, quas est transgressus.

CAPVT V.

Vtrùm peccatum sit communicare cum personis interdictis.

IN hac quæstione, Vtrum teneamur vitare personas interdictas. Vnum ante omnia videtur esse indubitatum, In humanis actibus neque laicos, neque Clericos teneri vitare interdictos etiam nominatim per sententiam Iudicis declaratos interdictos, & publicè denunciatos. Ita tenet Henriquez lib. 13. cap. 5. num. 5. & cap. 43. nu. 7. Et probatur ratione, quoniam effectus interdicti tres tantum sunt, vt vidimus, scilicet priuatio Sacramentorum, diuinorum officiorum, & ecclesiasticæ sepulturæ, ergo interdictum prohibet solum res ecclesiasticas, & spirituales. Quare in alijs rebus, quæ humanæ sunt & ciuiles, non est vetita communicatio. Quantum verò ad res sacras, & ecclesiasticas, dicendum est primò laicos ex vi præcepti ecclesiastici minimè obligari vitare interdictos, quamuis non sint tolerati, sed publicè denunciati, etiam in diuinis, præterquam in Ecclesiastica sepultura. Ita sentiunt B. Antoni. 3. par. Summ. tit. 26. cap. 4. in fi. Sylue. Ver. Interdictum 6. §. 4. Verf. Tertium, Caiet. in Summa Ver. interdicti violatio circa fi. Armilla Ver. interdictum num. 57. in fin. Henriq. lib. 13. cap. 43. num. 7. Ratio est, quoniam nullibi in iure reperitur præceptū obligans laicos ad vitandum interdictum, sicut legitur præceptum obligans ad euitandum excommunicatum non toleratum, Nam præcipitur tantum Clericis, vt repellant interdictos à rebus sacris. Ratio huius differentiæ est, quia excommunicatio infert priuationem bonorum, quatenus in illis communicant fideles, interdictum autem minimè. Vnde fit, quòd licèt Sacerdos, qui Missam celebrat, scienter admittat aliquos nominatim interdictos, reliqui laici assistentes Missæ non tenentur exire, & idem affirmandum est de Clerico, qui tunc Missam audiret tanquam purè laicus, Henriquez lib. 13. cap. 5. num. 5. & cap. 43. nu. 3. Idem dicunt aliqui recentiores, quando Sacerdos, qui dicit Missam, est interdictus nominatim, quòd laici non tenentur exire, vt in simili de suspenso tenet Henriquez cap. 5. num. 5. Dixi autem ex vi præcepti Ecclesiastici, nam aliunde contingere potest, vt laici teneantur vitare interdictum denunciatum, puta si ex eo, quòd illum non euitat, cooperatur peccato illius, vel actui iurisdictionis inualido, vt si absolutio sacramentalis impendatur ab interdicto denunciato, quæ est nulla. Quare secluso scandalo nunquam peccatum erit communicare cum interdicto in diuinis, nisi in duobus casibus. Primus est, quando quis cooperatur peccato interdicti, cum quo communicat. Secundus est, quando cooperatur actui iurisdictionis, à qua priuatus est interdictus. Primus casus patet, nam cooperari peccato alterius est intrinsecè malum. Secundus casus etiam probatur, primo quia cooperari actui, qui est peccatum, Vel dato quòd non sit ex accidenti peccatum, quia interdictus censetur propter ignorantiam inuincibilem, putans id sibi licere, tamen cooperatur actui, qui ex sui genere est peccatum. Secundò quia concurrit ad actum nullum, vt in exemplo proposito de eo, qui recepit absolutionem sacramentalem ab interdicto nominatim denunciato.

Si postules, quando dicatur quis cooperari peccato ipsius interdicti. Respondeo, & primum dico, si interdictus est toleratus, non denunciatus talis nominatim, tunc quis dicitur cooperari peccato ipsius, quādo ipse

ipse nec est paratus, nec se ingerit exercendo actus ei prohibitos ex vi interdicti, neque tenetur ex iustitia, neque ex charitate consentire petitioni meæ, & tamen ego innito illum, & prouoco ad exercendum huiusmodi actus. Casus est, vt si Sacerdos sit interdictus, qui non sit meus Parochus, neque ego in aliqua necessitate sim constrictus, & peto ab eo, vt mihi ministret Sacramentum Confessionis, sicut dixi de excommunicato in materia de excommunicatione. Dico secundò si interdictus est nominatim denunciatus, tunc quis cooperatur peccato illius, quando extra casum necessitatis extremæ prouoco illum ad exercendum actum ei prohibitum, vt si excitem illum, vt mihi ministret Sacramentum Confessionis. Probatur, quia tunc absolutio erit nulla, licèt tamen hoc modo inducens interdictum denunciatum peccet grauiter, quia cooperatur peccato ipsius, non tamen incurrit excommunicationem, Henriquex lib. 13. cap. 33. num. 3.

Ex dictis sequitur, quòd quamuis aliquis sit interdictus ab ingressu Ecclesię, & ingrediatur illam, & audiat diuina officia, si ego ibi in Ecclesiam maneam, non teneor exire, immo si sit nominatim interdictus Sacerdos & denunciatus, & dicat Missam, non pecco illam audiendo, vt superius dixi si eum non induxi, dummodo non ministrem illi ad Altare. Concludendum est igitur verum esse, quod primò asserebam non peccare laicos per se, si communicent cum interdictis non toleratis etiam in diuinis, nisi quando communicando cooperatur peccato ipsius interdicti modo explicato, & ita tenent Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. artic. 1. Conclus. 6. & Caiet. in Summa Ver. Interdictum, licèt in oppositam sententiam citentur Innoc. & Archid. à Sylue. Ver. Interdictum 6. §. 7. Addidi, prçterquam si communicatio cōtingat in sepultura, quia prohibentur sub pœna excommunicationis non sepelire cadauera eorum, qui nominatim sunt interdicti, vt probatum est cap. præced. ex Clement. 1. de sepult.

Secundò dico Clericos sub peccato mortali teneri euitare interdictos nominatim in illis rebus sacris, à quibus sunt interdicti Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. Conclus. 6. Vers. Ad argumentum, Henriquez lib. 13. cap 33. num. 3. Hęc autem conclusio non est intelligenda vniuersaliter de omnibus Clericis, sed solum de illis, qui celebrant diuina officia, vel permittunt illa celebrari in Ecclesia, cuius regimen est illis commissum. Probatur ex cap. Non est vobis de sponsal. Vbi dicitur, *Ne celebretis, neque aliquem celebrare permittatis*, ideo si non habent regimen Ecclesiæ, non permittunt, sed solum audiunt diuina, non peccant, tunc enim se habent sicut laici. Vt autem Clerici sint rei culpæ lethalis non euitādo interdictos, requiritur, vt sint nominatim interdicti, & denunciati iuxta dispositionem Extrauag. Ad euitanda, vt tradit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 187. & omnes alij. Addit Nauar. Hanc obligationem euitandi personam interdictam cessare, quando interdictum est nullum, & nullitas sufficienter est promulgata exceptis Religiosis, qui debent illud obseruare, si videt Ecclesiam Matricem illud seruare, quamuis sit nullum. Est autem nullum interdictum in eisdem casibus, in quibus nulla habetur excommunicatio, de quibus dixi in Tractatu de excommunicatione, vt cum imponitur ab homine, quem constat non habere auctoritatem, vel post appellationem legitimam. Vnde Clericus celebrans, quamuis sciat in Ecclesia esse aliquos interdictos generaliter tantum puta si Prælatus interdixit fautores, aut receptores Petri, si tamen non sint nominatim denunciati, non peccat celebrando coram eis. non enim est obligatus vitare toleratos se ipsos offerentes.

Animaduertendum est tamen, quòd quando aliqua Communitas publicè interdicitur, quilibet illius Communitatis censetur nominatim denunciatus. ita Henriquex cap. 43. num. 5. vbi citat Sylue. & Tabie. Probatur, nam non solum aliquis dicitur nominatim interdictus, qui nomine proprio interdictus fuit, vt notaui superiori capite, sed etiā si interdicatur nomine officij, vel aliquo signo declarāte talem personam in particulari, vt sub nomine Rectoris, vel Gubernatoris, sed nomen Ciuis talis Ciuitatis, aut Collegæ talis Collegij sufficienter declarat omnes personas in particulari, scilicet omnes Ciues, vel Collegas, ergo quando aliquis populus, aut Collegium publicè interdicitur, singuli illius Communitatis censentur nominatim interdicti, quatenus sunt partes, & membra Collegij, & Vniuersitatis, & Sylue. Ver. Interdictum 6. §. 4. vocat hos quasi nominatim interdictos. Idem dicendum est suo modo proportionabiliter de interdicto locali, quod quando imponitur ipso Iure, vel in præcepto comminatorio, non tenemur illud obseruare, nisi fuerit denūciatum per Iudicem, sic tenet Henriquez lib. 13. cap. 5. in fi. & cap. 46. num. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 146. iuncto num. 187. Sylue. interdictum 2. §. 1. in fi. Qui inquit per extrauag. Ad euitanda Martini Quinti non obligari fideles ad obseruationem interdicti Ecclesiastici à iure, vel homine generaliter promulgati, nisi talis sententia fuerit cōtra personam, Collegium, vel Vniuersitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locū certum à Iudice promulgata, vel denunciata specialiter, & expresśè. Immo addit promulgato etiam interdicto per iudicem specialiter, & expresśè, tamen in duobus casibus non obligare, Primò quando fertur contra participantes cum excommunicatis in casu, quo incurrunt minorem excommunicationem non præmissa canonica monitione, tunc enim ipso iure interdictum est nullum, sicut & suspensio, si feratur ab inferiori à Papa cap. Statutum de sent. excomm. lib. 6. Quæ monitio dicitur canonica, & legitima, si nominatim admonentur, vt in cap. Constitutionem eod. tit. & lib. si feratur autem contra alios, licèt præcedere debeat monitio, quando fertur pro contumacia ex sententia Innoc. in cap. Ad hæc quoniam 3. de appell. sine monitione tamen tenet. Et similiter si proferatur sine scriptis, quamuis Iudex pœnam incurrat, de qua in cap. 1. de sent. excom. lib. 6. Secundus casus, quo non ligat interdictum est, quando impositum est propter aliquos, qui illud non seruant, quia nituntur suis priuilegijs cap. Petistis de priuileg. si latum sit ad eorum vtilitatem, tunc enim alij illud seruare non tenentur. Secus est, si non seruetur ab illis, propter quorum delictum positum est. Nam & si ipsi violent interdictum, alij tamen seruare tenentur. Quare interdictum loci non violatur, nisi publicè denunciatum sit à iudice; nec satis est, vt interdictum ab ipso iure positum sit notorium, secus est de violatione ecclesiæ per pollutionem, quæ censetur violata, vt in ea celebrari non possit, si pollutio sit notoria, Henriquez lib. 13. cap 5. in fi.

CA-

CAPUT VI.

Utrùm dentur aliquæ causæ, quæ legitimè excusent à peccato violantes Interdictum, vel communicantes cum personis nominatim interdictis.

Plures possunt esse causæ excusantes à violatione interdicti personalis, vel localis, quæ etiam ab excommunicatione excusare possunt, & suspensione. Primò excusatur quis priuilegio iuris in illis festiuitatibus, in quibus suspenditur interdictum, vt in cap. Alma Mater, de quibus pertractaui in Disp... cap... aut ex priuilegijs particularibus quorundam Regulariũ, vel quæ concessa sunt quibusdam priuatis personis. Talia sunt, quæ habentur ex Bulla Cruciatæ, & quæ conceduntur Dominis, quibus gaudent familiares, Similiter Confratres Religionis, Conuersi, Professi, & Oblati, qui absque professione degunt extra Religionem. Similiter Clericus etiam solam tonsuram habēs ex priuilegio iuris admittitur ad officia diuina, & sepulturam, nisi fuerit causa interdicti, & nomine Clerici intelliguntur quoque Regulares. Clericus autem coniugatus cum vnica, & virgine deferens tonsuram, & vestem, licèt gaudeat priuilegio canonis, & post Concil. Trident. Fori quoque priuilegio, si ab Episcopo adscriptus fuerit ministerio certæ Ecclesiæ, vel maneat in Seminario Clericorum, vel in studijs de licentia Episcopi sess. 23. cap. 6. & 17. tamen tempore interdicti ad officia diuina non admittitur, vt superius notaui, nisi vbi vigeret consuetudo legitimè præscripta hoc admittens, quæ consuetudo valeret, & posset hoc priuilegium tribuere, vt notat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 174. arg. cap. fin. de Consuet.

Secunda causa excusans est ætas, in qua vsus rationis desit, vt ante septennium. qui enim in tali ætate sunt constituti, censuris aut præceptis Ecclesiæ non obligantur. immo vt notat Domin. Sot. in 4. sent. dist. 18. q. 1. art. 3. in fi. etiamsi pueri in septimo anno, vbi desinit infantia, & incipit pueritia, peccare possint, vt in cap. Pueris de delic. puero. tamen Ecclesia non vult suis præceptis, & censuris ante duodecimum, vel decimum quartum annum cogere, sed relinquit eos sub diuino iure. Vnde pueri, & infantes nondum doli capaces non excluduntur ab Ecclesia tempore, quo celebrantur diuina, quia comprehenduntur sub interdicto personali, quod est generale totius populi, licèt oppositum sentiat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 168. in fi. ob eam rationem, quia potest quis interdici sine culpa propria, sed hæc ratio non probat, quoniam aliud est posse ferri absque propria culpa, & incurri ab eo, qui non deliquit, aliud est posse comprehendi sub interdicto eos, qui peccare nequeunt, quia non habent vsum rationis, neque sunt doli capaces, de qua difficultate fusius egi Disp... cap... & ita tenet Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 5. Vers. Duodecimo. Vbi verò puer rationis vsus præditus esset, expellendus esset ab Ecclesia à Clerico ostij custode; Ipse tamen & parentes illum secum deferentes non peccarent, si puerum in officijs retinerent, Henriquez lib. 13. cap. 49. num. 2. Huiusmodi autem infantes non debent in loco sacro sepeliri, vt idem Henriquez ait, & probaui superius ex opinione magis probabili Disp... cap...

Tertia causa excusationis est ignorantia, licet aliqui Doctores dubitent, an ignorantia etiam probabilis, de qua est sermo, nam ignorantia crassa æquiparatur scientiæ, excuset à suspensione, & interdicto. In qua difficultate sunt duæ oppositæ Doctorum sententiæ. Aliqui sentiunt ignorantiam quantumuis probabilem non excusare à suspensione, Ita tenet Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 4. effectu 4. dicens quòd qui inuincibiliter ignorat se esse excommunicatum, vel excommunicationem esse legitimum impedimentum ad suscipiendos ordines, manet suspensus, si ordines recipiat. Et eadem ratio est de interdicto. idem tenet Couar. in cap. Alma par. 1. §. 6. nu. 6. Contraria opinio est aliorum asserentium ignorantiam inuincibilem, quæ excusat à peccato, propter quod impositum est interdictum, excusare quoque ab interdicto, & idem dicendũ est de suspensione. Sic tenent Abb. Felin. & alij citati à Couar. loco citato. immo ipsemet ait num. 9. quòd excommunicatus, qui probabiliter ignorans se esse excommunicatum celebrat, non manet irregularis. Idē tenet B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 24. cap. 76. Sylue. Ver. Irregularitas §. 15. Vers. Quintum, Alphon. à Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 15. Tabie. Ver. Excommunicatio 1. num. 12. Tamen quidquid sit de hac quæstione, an ignorantia probabilis excuset à suspensione, & interdicto, vt sunt pœnæ, vel saltem impedimenta Ecclesiastica, vt latius pertractaui in materia de suspensione Disp. 8. cap. 6. & vtraque opinio videtur probabilis, quamuis probabilior sit negatiua, vt probaui. Verùm si loquamur de peccato, & culpa, de qua agimus, certum est, & negari non potest ignorantiam probabilem excusari à peccato ob violationem interdicti, & communicationem cum interdicto nominatim, quia talis ignorantia facit actum inuoluntarium, & consequenter non culpabilem.

Sed dubitari potest, an excusentur ab interdicti violatione illi, qui sciunt quidem illud legitimè latum fuisse à Superiore, sed ignorant, Vel etiam sciunt non fuisse promulgatum in locis, vel Prouincijs, quæ interdicto suppositæ sunt, nam ad hoc vt lex obliget, videtur necessaria promulgatio publica in loco, vbi seruanda est lex, sicut decretum Concilij Trident. de Matrimonio Clandestino non seruatur in locis, in quibus non fuit legitimè promulgatum.

Respondetur non esse necessarium ad hoc, vt aliqua lex, præsertim Pontificia obliget omnes, vt promulgata sit in omnibus Regnis, & Prouincijs, satis est, si publicetur solenniter in aliquo loco, vnde alij notitiam habere possint. quod probari potest in specie de sententia interdicti clarissima auctoritate cap. 1. De postulat. Prælat. Vbi Innocentius Tertius ad Episcopum quendam in Regno Galliæ scribens, qui excusauerat se, quòd non seruasset interdictum, quoniam ei intimatum non fuerat, ita respondet, *Quod nec sufficit, immo nec proficit ad excusationem prædicti Episcopi, cum Cardinalis idem sententiam interdicti præsentibus multis solenniter, ac publicè promulgauit, & eadem interdicti sententia tam à multis publicè cœperit obseruari, nec sit necessarium, cum constitutio solenniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel literas inculcare, sed id solum sufficit, vt ad eius obseruantiam teneatur, qui nouerit eam solenniter editam, aut publicè promulgatam.* Quod confirmant celebres Doctores Io. Andr. explicans postrema verba lib. 6. Decretal. *Dat. Romæ*, Abb. in cap. Nouerit de sent. excom. Sylue. Ver. Lex num. 6. Domin. Sot. lib. 1. q. 1. art. 4. Conclus. 2. de iust. & iure, & alij plures. Quare quando Summus Pontifex edit Constitutionē, aut præceptum vniuersale, obligat omnes, & qui de eo notitiam habent peccati reatum incurrunt, si illud non seruent, quoniam Summus Pontifex potestatem immediatè à Deo habet in omnes Christianos. Neque

valet



valet consuetudo contra legem Summi Pontificis, nisi adsit eius cõsensus expressus, vel saltem tacitus, & præsumptus, vt aliàs probaui, & est doctrina communis, S.Tho. 1.2.q.97.art.3. Domin.Sot.lib.1.q.7.art.2.de iust. & iure, & aliorum.

Quod verò opponitur circa præceptum illud particulare Concilij Tridentini de reformat. matrim. mirum non est non obligare, vbi promulgatum non fuit, quoniam idem Concilium mandauit illud promulgari in omnibus Parochijs, & non obligari, nisi transactis triginta diebus post promulgationem in eademmet Parochia, vt habetur in cap. 1. in fi. sess. 24. de reformat. Matrim. *Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia post triginta dies suum robur habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*. Quare alia statuta eiusdem Concilij, quibus non est annexum huiusmodi decretum, statim post legitimam promulgationem Romæ factam iussu Summi Pontificis Pij Quinti obligant omnes Christianos. quare si quis sciat interdictum positum fuisse à Superiore, quamuis non sit publicatum in eodem loco, si illud non seruet, peccat.

Sed obijci potest contra dicta ex doctrina Nauarri in Manua. cap. 16. num. 40. & cap. 27. num. 288. quæ nititur super cap. Inquisitioni, de sent. excom. & cap. Dominus de secundis nupt. quòd vna notitia priuata nonnunquam sufficit ad aliquem finem, & non satis est ad alium. Exemplum affertur, si quis dubitat de vita, & morte vxoris suæ, & dum in dubio est animus secundam ducit vxorem. Illa dubia notitia satis est, vt non possit petere debitum à secunda vxore, quoniã hoc actu nemini infert præiudicium, sed illa notitia dubia non erit causa legitima excusationis, vt valeat secundæ vxori debitum petenti denegare, quoniam ei iniuriam faceret. Eodem modo si loquamur de interdicto, notitia illius priuata facit, vt quis valeat, & debeat illud sine alterius præiudicio seruare, sed quãdo ex tali obseruatione sequi potest notabile detrimẽtum populis, non debent aliqui ad illud seruandum moueri ex priuata notitia, sed requiritur præceptum Superioris, & Ordinarij loci, qui interdicto est suppositus, vt declarat Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. arg. Clem. Ex frequentibus de sent. excom.

Respondeo Nauar. loqui de notitia taliter dubia, vt probabiliter dubitare possit de veritate opposita. quare in eodem loco affirmat ipse Nauar. vbi quis hoc modo dubius est de morte primæ vxoris, nisi antea deponat hanc dubiam conscientiam, non debere secundæ vxori debitum coniugale reddere, & reddit rationem, quoniam nunquam licet rem agere, ex qua probabiliter dubitari possit, an sit peccatum lethale.

Quòd si dicatur ex dicta Clem. colligi tunc tantum oriri obligationem ad seruandum interdictum, quando subditi vident illud obseruari ab Ecclesia Cathedrali, ergo ex opposito, Vbi ab Ecclesia Matrice non seruatur, non est interdictum ab alijs obseruandum.

Huic obiectioni satisfacit Glo. in eadem Clem. ex frequentibus Ver. Obseruare, vbi notat non posse inferri à contrario sensu, si interdictum non seruatur ab Ecclesia Matrice, idcireo ab alijs non esse seruandum, quoniam illa Constitutio addere intendit ad obseruationem interdicti, non diminuere, & huius dicti plures reddit rationes, & præsertim quia Clem. illa edita in pœnam violantium interdictum, non est trahenda in gratiam, vt tribuat facultatem, & aperiat viam eius transgressioni, & licèt imitari debeamus Ecclesiam Cathedralem, quando paret Summo Pontifici, & Sacris Canonibus, certè inquam erit illam sequi, quando scens agit, & à Sedis Apostolicæ obedientia recedit, cui semper est obseruandum.

Secundò dubitari potest, an si violator interdicti ad se excusandum alleget ignorantiam, debeat illam probare, aliter condemnari debeat in foro exteriori, difficultatem facit, quoniã quilibet præsumitur ignorans, nisi probetur sciens, l. Vetius, ff. de probat.

Respondet Glo. in cap. 1. Ver. Allegans de postulat. Prælat. quando sententia interdicti est debitè promulgata, nec potest, nec debet ignorari, & quilibet præsumitur eam scire cap. Qui & humanis 12. q. 2. & cap. Quod dicitis dist. 16. Ignorantia enim afferri potest, vel circa ea, quæ plerique sciunt, & publicè fiunt, Vel circa ignota; Primo modo non creditur alleganti ignorantiam, vt ibi probat Glo. & concordat tex. cum Glo. 1. in l. Regula, ff. de iur. & fact. ignor. & l. Sed addas §. 1. cum Glo. ff. loca. Secundo modo non cogitur probare ignorantiam, sed alleganti creditur, l. Hoc autem ff. de admin. Tutor.

Quarta causa est nullitas Censuræ, de qua aliqua etiam dixi superiori Capite, Vt si Iudex interdicens caret omni iurisdictioni, aut eius vsus est impeditus, quia excommunicatione est obstrictus, vel alia censura innodatus, & est denunciatus, aut si fortè Iudex fuerat violator interdicti ab homine positi. Si enim id manifestè constet, priuatur iure interdicendi, Vel si Iudex ferat interdictum extra Territorium, Aut contra eos, qui notoriè sunt exempti, vt contra Regulares quosdam, quorum exemptio & priuilegium est notorium, quoniam in hos nullam habet iurisdictionem, vel si interdictum feratur in eos, qui sunt recepti in filios speciales Sedis Apostolicæ, & Papæ, Henriquez cap. 49. nu. 3.

Sed est animaduertendum non statim ac quis existimat sententiam interdicti esse nullam excusari ab obseruatione interdicti, vt liceat ei absque graui culpa violare interdictum, nisi res esset adeo notoria, & manifesta publicè, vt aliqua probatione non indigeret, vt si lata esset à priuata persona, quæ nullam haberet iurisdictionem, vel si contineret intolerabilem errorem; sed quando res aliquam admitteret dubitationem, peccaret grauiter, qui ageret contra Interdictum, antequam à Superiore declararetur nullum, sicut communiter dicunt Doctores de eo, qui sententia excommunicationis est innodatus, licèt sententia præsumatur nulla, reputare tamen se debet excommunicatum, neque communicare debet cum alijs fidelibus, antequam probatur nullitas sententiæ, secus enim probabiliter alij scandalum paterentur, quibus sententia excommunicationis nota est, & nullitatem ignorant, vt notat Sylue. Excommunicatio 2. §. 1. & 2. & quod dicitur de excommunicatione, intelligi debet de interdicto.

Sed vtrum quando inferior dubitat, an sentẽtia interdicti sit iniusta, & nulla, teneatur examinare, & inquirere de iustitia, & validitate, antequam pareat, ita vt si nullo præmisso examine, statim obediat, sit reus peccati.

Dicendum est aliquando vrgere contra præceptũ Superioris rationes adeo probabiles, & concludentes, vt non sit peccatum de eius iustitia discutere. Regula tamen est verissima, & ab omnibus Patribus probata parere simpliciter Superioris præcepto absque vlla inquisitione nunquam esse peccatum, immo esse actũ perfectæ obedientiæ, & Deo magis gratum, supposita tamen illa exceptione dummodo præceptum non cõ-

tineat

tineat peccatum manifestum, tunc enim non opus est examine, cum magis parendum sit Deo, quam hominibus. Quòd si obijcias saltem in hoc casu quando res est dubia, oportet discutere, an præceptũ re vera contineat peccatum, Respondendum erit cum S. Bernardo in lib. De præcepto, & Dispensatione, non opus esse examine, vbi non apparet manifestum peccatum, quoniam in dubio quisque committere se debet voluntati sui Superioris, & existimare præceptum esse iustum, Verba Bernardi sunt: *Sed homines inquit, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & præcipienda fallere possunt, sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es? &* paulò infra, *Ipsum proinde quem pro Deo debemus tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.*

Conclusio autem probatur auctoritate Sanctorum Patrum, In primis Basilius in lib. Constitutionum Monasticarum cap. 22. *Quemadmodum Pastori suæ oues obtemperant, & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, Moderationibus sui obsequi debent, nihil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato.* Idem Basilius in eodem loco explicans verba illa Euangelij apud Luc. cap. 10. *Qui vos audit me audit*, inquit hanc veritatem, quod præcepta Superiorum non sunt curiosius examinanda, fundatam esse super illa sententia Christi, quæ ad eius Discipulos, & ad omnes, qui deinde in eorum locum successuri erant, prolata fuit, Io. Chrisost. homil. 16. in Genes. considerat mala, quæ proueniunt generi Humano, quia Eua seducta à Serpente curiosius præceptum Dei perscrutari voluit, S. Hieronymus in Epist. ad Rusticum sic ait, *Præpositum timeas, vt Dominum diligas, vt parentē credas salutare, quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt.* Gregorius Magnus lib. 1. Reg. ait. *Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ iudicium Maiori subdit, in hoc solo gaudet, si quid si præcipitur, operatur, nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc totum bonum putat, si præceptis obediat.* Io. Cassianus lib. 4. de institutis renunciãtium c. 10. docet hunc fuisse morem Monachorum Ægypti, quorũ Magister & auctor fuit Antonius Macharius, & alij Sancti Patres, *Sic vniuersa complere quæcunque fuerint à Præposito suo præcepta, tanquam si à Deo sint cælitus edita, sine vlla discussione festinant*, & cap. 41. idem auctor refert verba cuiusdam Abbatis, idest, *Verum & hoc præ omnibus excole, vt stultum te secundum sententiam facias in hoc mundo, vt sis sapiens nihil scilicet discernens, nihil diudicans ex his, quæ sibi fuerunt imperata,* S. Benedictus in sua Regula, quæ S. Gregorij testimonio 2. lib. Dialogor. cap. 36. plena est prudentiæ, & sanctæ discretionis, describit cap. 5. Qui verè vocari debeant obedientes ad hunc modum, *Mox vt imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo*, Io. Climacus in lib. qui inscribitur, Scala, Gradu 4. ita ait, *Cum tibi cogitatio suggesserit vt Prælatum aut diudicet, aut damnet ab ea non secus quàm à fornicatione discedes*, & statim subiungit, *Loquere ad huiusmodi serpentem, ò seductor maligne, non ego Ducem meum iudicandum suscepi, sed ille me, non ego illius, sed ille mei dux est*, S. Cesareus Arelatensis homil. 8. inter ea, quæ scribit Monachis Monasterij Liriensis, inquit, *Quidquid à Senioribus fueris imperatum, accipe tanquam de Cælo, sicut de ore Dei prolatum, nihil reprehendas, nihil dijudices, in nullo penitus murmurare præsumas, totum iustum, totum sanctum & vtile iudica, quidquid à Prælatis*

A *videris imperari*. S. Bernardus in lib. De Præcepto, & Dispensat. *Imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis iudicium est statuta Seniorum studiosius discutere, hæsitare ad singula, quæ iniunguntur, exigere de quibuscunque rationem, & malè suspicari de præcepto*, & in Tract. aut Sermone de Vita solitaria ad Fratres, *Perfecta obedientia*, inquit, *maximè in incipientibus est indiscreta, id est non discernit quid vel quare præcipiatur*, S. Tho. 1. 2. q. 13. art. 5. ad 3. respondet ad id, quod dixerat parendũ esse Superiori etiam in rebus impossibilibus, *Hoc ideo dicitur, quia an aliquid sit possibile, Subditus non debet iudicio suo definire, sed in vnoquoque iudicio Superioris stare.* B. Bonau. in Speculo disciplinæ par. 1. partic. 1. cap. 4. ad hunc modum loquitur, *Illum optimum dixerim obe-* B *dientiæ gradum, cum eo animo opus iniunctum recipitur, quo & præcipitur, cum ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis, nunquam de maiorum sententia iudicet, quorum officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt.* Idem Doctor in Opusculo octo callationum cap. 3. explicat conditiones, & partes perfectæ obedientiæ, quas affirmat collegisse ex S. Augustino dicens, *Vt obedientia sit acceptabilis Deo, debet esse prompta sine dilatione, deuota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione.*

Hæc eadem doctrina confirmata testimonijs tot Sanctorum Patrum, & clarissimorum virorum, miraculis etiã illustribus declarata fuit, quæ referuntur à Seuero Sulpitio in primo Dialogo de Miraculis Ere- C mitarum Orientis, & Gregorius Magnus in Dialogo 2. cap. 7. Cassianus in libris de institutis Renunciantium, quæ apud eos legi possunt.

Si contra obijcias dictum Alexandri c. 3. in cap. si quando de rescript. vbi statuit, vel parendum esse præceptis Summi Pontificis, Vel reddendam esse rationem, cur non sit parendum, ergo præceptum Summi Pontificis examinari debet.

Respondeo Alexandrum loqui in casu particulari, quando ipse Superior dubitat, an id, quod præcipit, sit iustitiæ consentaneum, quia fortasse in facto sit perperam instructus, tunc autem necesse est discutere mandatum Superioris, vt rei veritas appareat, & hoc modo intelligendum esse textum Alexandri, ipsemet D apertè significat in fine his verbis *Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.*

Si rursus instes, quòd licèt sit communis doctrina in rebus dubijs subditum iudicio Superioris acquiescere debere, hoc tamen intelligendum esse, postquam præceptum examinauerit, & suæ opinioni satisfacere minimè potuit, non autem id locum habet, vbi temerè, & inconsideratè non præmissa aliqua discussione obtemperat Superiori, & exequitur, quodcunque imperatum fuerit.

Respondeo nõ debere subditum fingere sibi dubia, & exquirere difficultates, sed potest, sicut probatũ est, absq; vllo examine parere; Sed si occurrat in animo E dubitatio aliqua super iustitia præcepti, & putat perquirendo veritatem inuestigare posse, tunc tenetur adhibere omne studium, vt certior reddatur de iustitia præcepti, sed si depellere nequit anxietatem, Superiori parere tenetur. Et hæc est communis doctrina S. Augustini, & S. Thomæ, atque Sacrorum Canonum, vt refert Sylue. Ver. Obedientia §. 2.

Quinta causa est appellatio, q̃ si legitimè interponatur, antequã feratur interdictũ, inducit excusationẽ à peccato, si non seruetur interdictum, quod postea fertur. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 164. Vers. Ter-

tiò cap. Is cui §. fin. de sent. excomm. lib. 6. cap. Ad hęc quoniam de appell. Henriquez cap. 49. nu. 4. Quæ appellatio regulariter in scriptis fieri debet, potest tamen fieri solo verbo cum expressione causæ, & grauaminis, Sylue. Ver. Appellatio §. 4. Angel. num. 14. Tabie. num. 15. Armilla nu. 22. Deinde intra decem dica dari debet libellus scriptus appellationis factæ. quod si pars intra terminum concessum non prosequatur appellationem, & ea deserta Iudex pronunciat, & declarat aliquem interdictum, tunc euitandus erit, nisi Iudex declaret appellationem interpositam fuisse, ipse verò reus, qui illegitimè, & nulliter appellauit, non erit irregularis, si ante absolutionem confisus, & existimans eius appellationem validam fuisse, celebrauerit bona fide, licèt postea pronunciatum fuerit appellationem nullam esse, nec suspendisse iurisdictionem Iudicis, à quo appellatum extitit, Glo in c. Solet in fine Ver. In officijs, de sent. excom. lib. 6. tradit Card. in Clem. 1. num. 21. quæst. 37. de priuileg. Nauar. in Repet. cap. Recepta oppos. 8. nu. 34. de restit. spoliat. Couar. in c. Alma par. 1. §. 7. nu 7. in fi. & in Clement. Si furiosus par. 1. §. 1. nu. 4. in fi. de Homic. cum alijs pluribus, quos ipse Couar. citat in dicto c. Alma. Huius dicti ratio est, quoniam talis celebrando non fuit Iudici inobediens, cuius iurisdictio per appellationem suspensa est. Quare qui bona fide reputat se non suspensum, si celebrat, non fit irregularis, Couar. in cap. Alma par. 1. §. 10. nu. 6. Henriquez lib. 13. cap. 49. in fi.

Sed dubitari potest, an si interdictum suspendatur ad tempus, & durante suspensione interponatur appellatio, impediatur effectus īterdicti pro futuro tēpore.

Respondet Calder. in Tract. de interdicto par. 2. in fi. nu. 31. Et primò inquit, quòd interdictum personæ suspendi non potest, sicut nec excommunicatio. Sed tantum interdictum loci, Secundò ait in num. 32. appellationem interpositam in casu proposito non posse suspendere effectum interdicti pro tempore futuro, & rationem affert, quia quando suspēditur interdictum, non tollitur, sed remanet habitu, & impeditur, ne producat effectum in actu. Quare transacto tempore suspensionis non fertur nouum interdictum, sed illud idē numero, quod erat ante suspensionem, & remansit saltem habitu ligans, operatur suos effectus, sicut prius, ideo appellatiu erit sequens interdictum, Appellatio autem sequens censuram suspendere nequit.

Sexta causa excusationis est Dignitas personæ. Episcopus enim, & Superiores Prælati non comprehenduntur sub generali interdicto iuris, vel hominis, sicut neque sub generali suspensione, nisi de illis facta fuerit mentio expressa c. Quia periculosum, de sent. excom. lib. 6. idque statutum fuit non tam fauore Episcopi, sed totius populi, vt vitetur periculum, Et tradunt Archid. Domin. Io. And. Franc. in dicto c. Quia periculosum. Host in c. 2. de cleri. non resid. Dec. in c. Ecclesia nu. 15. de constit. Mando. super Reg Cancell. Reg. 8. q. 3. nu. 2. Ang. suspensio 1. num. 41. & Ver Episcopus nu. 6. Sylue. Ver. Episcopus §. 12. Vers. Vndecimo quæritur, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 161. Vers. Quinto dico, & num. 165. Vers. Tertio. Non est ita dicendum de excommunicatione, vt probaui Disp. 10. cap. 5. lib. 3. & quod affirmatur de Episcopis, communiter extēditur ad Cardinales, quamuis Episcopi minimè sint, cum eorum officium sit valde necessarium, præsertim in Electione Papæ, Gomes. in Regula de infirm. Resignāt. q. 3. Henriq. lib. 13. cap. 34. num. 2.

Postulabit quis primo, An ille sit excusatus à peccato, qui sciens sententiam interdicti latam à Prælato esse

A se iniustam, illam non seruet, sed celebret, sicut prius, & Sacramenta administret.

Respondeo, duobus modis dici posse sententiam interdicti, & aliarum Censurarum iniustam, Primò si Prælatus non seruet ordinem iudiciarium in illis ferendis, à sacris Canonibus præscriptum, vt si pronunciet sine scriptis, si causam non exprimat, vel in alijs deficiat, quæ iure positiuo statuta sunt, & tāquam accidentariæ conditiones requiruntur, & hoc modo lata sententia dici potest iniusta, sed valida. Secundò si Prælatus pronunciet sententiam absque iurisdictione, vel continentem intolerabilem errorem; quo casu non solum dicitur iniusta, sed inualida, si sit sermo de sententia interdicti iniusta primo modo, absque vlla contro- B uersia affirmandum ex communi sententia omnium Doctorum omnes obligatos esse ad interdictum seruandum, sicut & alias Censuras. Hoc maximè confirmat sententia illa celebris, & vulgata S. Gregorij homil. 26. qui loquens de excommunicatione ait Pastoris sententiam iustam siue iniustam timendam esse, & regula est vniuersalis, quam docet B. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 73. quem cęteri omnes sequūtur subditos parere debere suis Prępositis non solum quando sciunt Superioris pręceptum non repugnare Deo, verum etiam quando dubitant, an tale præceptū diuinæ legi aduersetur, ob eam rationem, quoniam quando res est controuersa, magis Superioris iudicium, quàm suam priuatam conscientiam sequi tene- C tur, Apostolus cap. 13. Epistolæ ad Hebr. *Obedite*, inquit, *Prępositis vestris, & subiacete illis*. Et ipsemet Christus Matt. 18. dicit, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*. Quòd si loquamur de sententia interdicti iniusta secundo modo, Vt si Prælatus in ea ferenda abuteretur manifestè potestate Clauium in rebus essentialiter requisitis, vt si carens omni iurisdictione illam ferret, vel pro re, quæ esset contra præcepta diuina, tunc qui talem sententiam non seruaret, excusaretur à peccato, quia vt S. Petrus monet Act. 5. *Obediendum est magis Deo, quàm hominibus*. Sed animaduertendum est non sufficere, vt subditus excusetur à peccato, quamcumque probabilem etiam notitiam habeat de inualiditate sententiæ, vt D non teneatur parere suo Prælato, sed iuxta communē doctrinam oportet certum esse & notorium Prælatum in proferenda sententia abusum fuisse potestate in re essentiali iuxta regulam B. Augustini paulò ante citatam lib. 22. contra Faustum cap. 73. Secundò opus est, vt absque scandalo id faciat, si enim oriretur scandalum ex inobseruantia, teneretur subditus ad illud vitandum parere Superiori, & seruare interdictum, quāuis esset inualidum, quoniam interdictum est pœna priuatina, priuans hominem vsu Sacramentorum, & diuinorum officiorum, & prohibens Ecclesiasticam sepulturā. Quare qui illud seruat, non facit rē positiuā ex suo genere malam, quæ ob nullum finem licita est.

E Secundò dubitari potest de metu graui, an excuset ab obseruatione interdicti; Vt si Princeps tempore interdicti præcipiat Sacerdoti, vt celebret, alias minetur ei carceres, verbera, bonorum iacturam, demum necem ipsam, si celebrare recusauerit, Vtrum Sacerdoti ad euitanda huiusmodi pericula, incommoda, & mortem ipsam liceat rem diuinā facere sine peccato.

Respondeo, quāuis multa, & diuersa à Doctoribus ad hanc difficultatē afferantur, nihilominus omnes in hac propositione constantissimè conueniunt nullum metum quamcunque grauissimū dici posse probabilem, iustum, & cadentē in constantem virū, quoties ex viola-

violatione interdicti, seu ex prævaricatione cuiusuis alterius præcepti humani oritur transgressio præcepti diuini, vel naturalis. Exemplis res explicatur. Abstinere à carnibus feria sexta præceptum est positiuũ humanum. Verum si quis cogeretur ab Hæreticis tali die carnes comedere in contemptum nostræ fidei, vel in signum, quòd profiteretur sectam Lutheri, peccaret mortaliter, quamuis ad euitandam mortem ei comminatam ad id inuitus compelleretur, neque vlla ratione talis metus vocandus esset iustus, nec cum excusaret, quoniam neglectus fidei, & hæresis protestatio est contra præceptum diuinum, & naturale; Idcirco Sancta Ecclesia celebrat, vt martyres septem filios Machabæi cum eorum Matre, & Sene illo venerando Eleazaro, qui maluerant acerbissimam mortem vltro subire, quàm edere carnes vetitas lege veteri, licèt illud esset præceptum positiuum, nunc naturale. Eodem modo lex, qua cauebat, ne matrimonium inter consanguineos, & affines vsq; ad certum gradum contrahatur, præsertim in tertio, & quarto gradu. neque tamen fas erat alicui ob quemcumque timorem ducto coniugium inire, & multò minus illud cõsumare in his gradibus prohibitis absque dispensatione Sedis Apostolicę, nam licèt illud impedimentum inductũ sit iure humano, tamen reddit personam inhabilem ad ineundum matrimonium. Copulari verò cum persona inhabili non est matrimonium, sed incestus prohibitus lege diuina, & naturali. Ob eandem prorsus rationem interdictum est Censura instituta iure humano Pontificio, tamen ob nullum metum erit violãdum, quando ille, qui minatur mala, vt inducat ad transgressionem, mouetur ad id propter contemptum Ecclesiasticæ potestatis, quod est contra diuinum pręceptum, & naturale, nam regula generalis est non esse licitum violare præceptum humanum quocunque malo imminente, quoties sequitur ex illa inobedientia scandalum, quia inferre scandalum omni iure diuino, & humano est prohibitum.

Sed dicet quis ex eadem causa inferri poterit aliquando interdictum seruari non debere, si ex obseruatione eius probabiliter scandalum timeri poterit, possunt enim sequi mala spiritualia, vt indeuotio populi, aperitur via falsis opinionibus, & erroribus contra fidem.

Respondendum, si ex interdicto hæc mala prouenire possunt, certè multò maiora, & grauiora probabilius imminent ex inobedientia præceptorum Summi Pontificis, & aliorum Prælatorum Ecclesiasticorum, quam enim deuotionem habere possunt, qui Missas, & alia diuina officia celebrant in excommunicatione, Suspensione, & irregularitate ex hac inobedientia, quæ mala proficiscantur, quotidie oculis conspicimus ex eadem hęreses originem sumere testatus est ante mille, & trecentos annos S. Cyprianus in Epistola, quã scribit ad Sanctum Cornelium Papam lib. 1. Epist. 3. his verbis; *Neq; enim aliunde hæreses ortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.*

Si contra obijciat ex auctoritate Dominici Soti in 4. sent. dist. 22. quęst. 3. art. 1. Conclus. 3. Vers. Putant enim, qui affirmat grauissima dãna populo ex interdicto prouenire, & idcirco inquit olim morem fuisse in Ecclesia, vt nullum interdictum duraret vltra tres dies.

Respondendum est Dominicum Sotum ex malis, quę proueniunt ex interdicto velle solum probare iudices Ecclesiasticos non debere esse adeo faciles in imponendis interdictis, vt ex quacunque leui causa ad populum, vel locum interdicendum ducantur, de qua re inferius suo loco ex professo tractabitur; non intendit tamen permittere Clericis, & alijs Ecclesiasticis personis, vel laicis, vt ad cauenda illa pericula, & incommoda liceat eis absque graui peccato non seruare interdictum. Neque Sotus vnquam asserit, vel vllus alius Doctor antiquus non consueuisse interdictum perdurare vltra tres dies, cum oppositum euidenter demonstrari possit ex historijs, nam interdictũ positum à Gregorio Septimo in Polonia seruatũ fuit tribus annis, & Gregorius Vndecimus testatur in Sicilia interdictum perdurasse annis septuaginta, & Simon Maiolus lib. 3. cap. 20. nu. 2. de irregular. refert ex Glo. in c. vlt. de sent. excom. lib. 6. tempore Martini V. Ciuitatem Vrbini spatio triginta annorum continuè interdicto suppositam extitisse cum tali seueritate, vt omnia Sacramenta, etiam Baptismus denegarentur. Vnde postquam relaxatum fuit ob diurnam sacrorũ desuetudinem Ecclesiastici ritus, quasi res nouæ, & insuetata risui, & contemptui habebantur. Neque Domin. Sot. absolutè inquit interdictum olim non fuisse in vsu vltra tres dies, sed narrat in Hispania priscum morem viguisse, vt posito interdicto personæ excommunicatæ intra triduum Vrbe pellerentur, vt populi ab interdicto liberarentur. Quare terminus trium dierum non erat præscriptus à Prælato, sed oriebatur ex populi deuotione, non quia vim inferret Sacerdotibus, vt durante Interdicto celebrarent Missas, & diuinæ officia, sed quoniam populus patienter sufferebat interdictum tribus diebus, quibus elapsis vel compellebant excommunicatos, vt parerent suis Prælatis, vel si obstinati in contumacia perseuerabant, eijciebantur excommunicati, quorum causa latum erat interdictum, vt hoc modo tolleretur interdictum.

Sed quæret aliquis, quomodo cognosci debeat, vtrũ metus incutiatur à Principe seculari in contemptum potestatis ecclesiasticæ, vel fidei, & Religionis, vt potius sit sufferendum, quodcunque incommodum, & mors ipsa, quàm violandum interdictum.

Respondendum est ex doctrina B. Tho. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3. quòd tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, & ex hoc procedit ad delinquẽdum in legem. Secus est, quando propter aliquam particularem causam, puta cõcupiscentiam, vel iram inducitur ad faciendum contra legem. Vnde si tempore interdicti Sacerdotes quotidie celebrant, qui antea rarissimè rem diuinam faciebant, Vel laici singulis diebus Missæ assistunt, qui prius vix diebus ex præcepto Ecclesiæ ad sacrum audiendum institutis Ecclesiam ingrediebantur, certè conspicuum erat hoc modo illos se gerere, quia ostendere volunt operibus ipsis nolle obedire Superiori Ecclesiastico, quod nihil aliud est, quàm contemnere præceptum. Idem manifestè dici potest de ijs, qui compellunt Sacerdotes ad celebrandum diuina, quæ antea nihil penitus curabant, si nunquam celebrassent. Quare constat id eos facere, vt videantur contemptores præcepti Ecclesiastici; Ideo hæc inobedientia nullam admittit excusationem, ob quemcunque metum fiat.

DISPVTATIO NONA.

DE IRREGVLARITATE, ET ALIIS POENIS, QVAS INCVRRVNT VIOLANTES INTERDICTVM.



VISVM est de peccato, quod committitur ob violationem Interdicti, sequitur, vt tractemus de pœna, quæ oritur ex tali delicto, cuius obnoxij efficiuntur transgressores præcepti Ecclesiastici. Vt clarius autem, & distinctius explicentur omnia, quæ occurrunt dicenda de irregularitate, & alijs iuris pœnis ob huiusmodi crimen violationis, pertractabo sigillatim de singulis effectibus interdicti quoad pœnas eundem ordinem seruans, quem præcedenti Disputatione agens de peccatis secutus sum.

Caput Primum, De irregularitate, quam incurrit violans interdictum in materia Sacramentorum.

Caput Secundum, De irregularitate, quæ incurritur ob violationem interdicti circa officia diuina, & Ecclesiasticam sepulturam.

Caput Tertium, Vtrum ob omissionem vnius tantum conditionis ex quatuor illis requisitis in cap. Alma Mater in celebratione diuinorum, violetur interdictum, & incurratur irregularitas.

Caput Quartum, De aliis pœnis ab ipso iure impositis aduersus violantes interdictum quoad singulos eius effectus.

CAPVT I.

De irregularitate, quam incurrit violans interdictum in materia Sacramentorum.

REgula est generalis ab omnibus approbata, nempe irregularitatem incurri à Clerico violante Interdictum administrando sacramentum. Hæc regula desumitur ex cap. 1. de senten. & re iudi. lib. 6. ibi, *Quòd si suspensione durante damnabiliter se diuinis ingesserit, irregularitatis laqueo se inuoluet secundum canonicas sanctiones*, & c. 1. de sent. excommun. eodem libro. *Caueant autem Ecclesiarum Prælati, & Iudices vniuersi, ne prædictam pœnam suspensionis incurrant, quoniam si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient secundum canonicas sanctiones.* Hæc tamen duo Capita loquuntur solum de Censura suspensionis, & de celebratione diuinorum officiorum. Verum eadem ratio est de Suspensione, & Interdicto, ac Excommunicatione, quoad incurrendam irregularitatem, vt omnes Doctores asserunt, Deinde interdictum affert suspensionem à diuinis, vel actu, vel formaliter, & hac ratione Minister Ecclesiæ violans interdictum incurrit irregularitatem, quatenus ex vi interdicti est quoque suspensus, sicut etiam Excommunicatus fit irregularis ministrando, quia per excommunicationem suspensus est à diuinis. quod non est intelligendum de vera suspensione, quæ est Censura distincta ab interdicto, & excommunicatione, sed vt materialiter includitur sub vtroque Idque probari potest ex cap. Is cui, de sentent. excomm. lib. 6. vbi dicitur, *Cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi diuinis in ea se ingerat in suo agens officio, sicut prius.* Ratio igitur, quæ redditur à Summo Pontifice, propter quam is cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, incurrit irregularitatem celebrando in Ecclesia, illa est, quoniam talis interdictus est suspensus à diuinorum celebratione. Vnde sequitur omnem prohibitionem celebrandi, & ministrandi diuina officia prouenientem virtute cuiuscunque Censuræ Ecclesiasticæ esse eiusdem efficaciæ, & valoris quoad hunc effectum inducendi irregularitatem, si non seruetur dicta prohibitio. & nihil refert, vtrum Censura, quæ violatur, sit suspensio, Interdictum, aut Excommunicatio, Idem etiam probari potest ex cap. fin. de excess. Prælat. Vbi declaratur grauiter peccasse Episcopum quendam, qui violauerat interdictum, & alios induxerat ad eandem violationem, & incurrisse propterea irregularitatem, & ibi idem tradunt Innoc. nu. 5. & Archid. nu. 4.

Quo verò ad aliam particulam, quæ legitur in dictis cap. in quibus exprimitur tanquam causa irregularitatis celebratio diuinorum officiorum, quasi non oriatur irregularitas, si tempore interdicti administrentur Sacramenta, vel alia diuina; Dicendum est primò hanc pœnam irregularitatis non restringi ad officia diuina, in cap. primo, de sentent. & re iudic. libro sexto. Sed simpliciter dicitur, *Se diuinis ingesserit*, sub hac voce diuinorum maximè comprehenduntur Sacramenta similiter in cap. Is cui de sent. excommun. lib. 6 *Diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius.* Quòd si in cap. 1.

De

De sent. excommun. lib. 6. addatur dictio *Officia*, ita vt causa irregularitatis ob violationem interdicti videatur restricta ad celebrationem diuinorum Officiorum, ibi, *Quoniam si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius*, Eodem modo legitur in c. Is qui eodem tit. & libro. *Is verò, qui scienter celebrat in loco supposito interdicto*. Celebratio enim dicitur de diuinis officijs; dicendum est per celebrationem diuinorum officiorum non intelligi tantum Missæ sacrificium, sed omnem celebrationem diuinorum officiorum vniuersaliter, sub qua includitur etiam ministratio Sacramentorum. ita tenet Franc. in dicto c. t. §. Caueant num. 1. De sent. excommun. lib. 6. Gemin. numero 2. Anchar. numero 2. Vers. Si ergo suspenderetur.

Et hæc irregularitas ob violationem Interdicti incurritur vniuersaliter, siue interdictum sit personale, siue locale. Probatur primò, nam in dicto cap. Is cui, de sentent. excommun. lib. 6. ob violationem interdicti lati ab ingressu Ecclesiæ incurritur irregularitas, quæ æquiparatur locali, quantum spectat ad hunc effectum, nam per illud non prohibetur huic personæ celebratio diuinorum simpliciter, & absolutè, sed in Ecclesia, vt in dicto textu expresse limitatur. Igitur cum per quodlibet interdictum locale prohibeatur diuinorum celebratio in loco interdicto, qui illud violat ministrando Sacramenta in tali loco, eandem irregularitatem incurrit. Præterea interdictum ingrediendi Ecclesiam directè est personale, non locale, & tamen quia in illo includitur suspensio diuinorum in tali loco, per eius violationem incurritur irregularitas, ergo multò magis dicendum est, quando persona interdicitur generaliter absque vlla limitatione ad certum actum, & locum, sicut accidit in interdicto ab ingressu Ecclesiæ incurri irregularitatem per celebrationem diuinorum, & administrationem Sacramentorum ex officio.

Sed quæret quis, an talis irregularitas contrahatur ab omnibus interdictis etiam generaliter, quamuis sint innocentes, neque causam dederint Interdicto, an verò limitanda sit ad solas personas interdictas ob propriam culpam, vel quia suis criminibus causam dederint, vt interdictum generale, aut speciale imponeretur.

Respondeo vniuersaliter absque vlla limitatione incurri irregularitatem ab omnibus etiam generaliter interdictis, si celebrent, vel ab alijs celebrantibus in loco interdicto, primò quia in dicto capit. Is qui, §. Is verò de sentent. excomm. lib. 6. sermo est de celebrante simpliciter in loco interdicto absque vlla limitatione, si causam dederit Interdicto, vel non dederit. sed solum additur exceptio, *Nisi priuilegium existat super hoc, vel à Iure sit ei concessum*. Quæ exceptio firmat regulam vniuersaliter in reliquis omnibus. Vnde omnes celebrantes in loco interdicto tempore interdicti efficiuntur irregulares, etiam si non dederint causam interdicto, & ab hac prohibitione generali solum excipiuntur priuilegiati ab homine, vel à iure, ideo in cap. Is cui de sentent. excommunicat. lib. 6. tanquam causa dictæ irregularitatis redditur illa, quoniam celebratio diuinorum in Ecclesia interdicta erat ei, qui contra dictum Ecclesiæ præceptum ausus fuit celebrare, & nihil dicitur, verum fuerit interdictus propter culpã suam. Quamobrem hæc prohibitio simpliciter est accipienda, neq; est restringenda ad solos reos culpæ, vt omnes Doct. explicãt, quos refert Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. o. 2.

A Ex pluribus autem modis fit, vt ob administrationem Sacramentorum tempore interdicti, si illud violetur, incurritur irregularitas. Primus est, si persona interdicta conferat aliquod Sacramentum personæ non interdictæ in loco interdicto, & officia, exceptis casibus ab ipso iure permissis, tunc enim non violatur interdictum, quia non fit contra prohibitionem Ecclesiæ. Similiter excipiuntur casus, qui ex ipso naturali iure proueniunt, vt est casus necessitatis propriæ, vel aliæ, Casus proprius necessitatis est, si censura interdicti occulta sit, quia factum occultum sit ipso iure, vel per sententiam generalem contracta, & aliunde vrgeat occasio administrandi Sacramentum, quod omitti non possit sine magno scandalo aut infamia,
B tunc enim administratio fit sine culpa, ita quoque administraos excusatur ab irregularitate, Nam generaliter verum est hanc irregularitatem non incurri sine culpa mortali, quia imponitur vt grauis pœna. Eadem necessitas excusans ab irregularitate contingere potest in ordine ad alios, vt si Episcopus interdictus ordines conferret propter aliquam vrgentem necessitatem, quæ licèt rarò accidere possit, tamen dari posset hic casus in aliqua Insula, & Prouincia distante. Et hunc casum conferendi ordines stante necessitate admitti debere tempore interdicti absque eius violatione affirmat Abb. in cap. non est vobis num. 8. De Sponsal. dicens posse ordines Clericos recipere ex necessitate in loco interdicto, & reddit rationem, nam
C cum tempore interdicti concedantur aliqua, quæ non possunt exerceri, nisi per Clericos, consequenter indirectè permittitur ordinatio Clericorum, & Laicorum, sicut quia permittitur Sacramentum Confirmationis, intelligitur quoque concessa tempore interdicti confectio Chrismatis, quod ad Confirmationem est necessarium, licèt oppositum sentiat Couar. in c. Alma par. 2. § 3. nu. 4. Vers. Quintò infertur. Mouetur ex eo, quoniam nullibi in iure cautum reperitur, quòd hæc sit vera, & propria necessitas compellens ad interdicti violationem. Hoc idem ante Couar. tenuit Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 9. in fi. Vers. Sexta est. Sed opinio Abbatis affirmatiua videtur probabilior, nam quamuis hæc concessio tempore necessitatis or-
D dinandi Clericos non habeatur expressè in iure, colligitur tamen euidenter, quia permittitur ministratio aliquorum Sacramentorum, & aliorum diuinorum tempore interdicti, quæ propria sunt Clericorum & Sacerdotum, & ab alijs ministrari nequeunt, ergo ex tali concessione sequitur fuisse permissam ordinationem Clericorum tempore necessitatis, vt fideles frui possent illis Sacramentis, & officijs diuinis, quæ non nisi per Clericos ministrantur, sicut dictum est de conficiendo Chrismate, quod est necessarium ad Sacramentum Confirmationis. Accedit, quòd cum ista prohibitio Sacramentorum tempore interdicti sit Ecclesiastica, non obligat, vbi grauis necessitas vr-
E get, pertinens ad commune bonum Ecclesiæ.

Secundus modus oppositus præcedẽti, quo violatur interdictum, est, si Minister Ecclesiæ non interdictus conferat Sacramentum in loco non interdicto personæ tamen interdictę, & peccat mortaliter ex vi ecclesiasticę Censurę, quoniam Minister Ecclesiæ tenetur vitare in administratione Sacramentorum omnem innodatum aliqua censura ecclesiastica denonciatũ post Extrau. Ad euitanda, & violans hoc præceptum committit peccatum mortale ex genere suo, neque potest huiusmodi actus à culpa excusari, si voluntariè ex parte ministrantis fuit, & ex parte recipientis nulla

adsit necessitas, vel grauis causa, quæ illum excuset, quoniam materia in quocumque sacramento per se grauis est.

Difficultas est de irregularitate, an ob talem violationem Minister conferens sacramentum interdicto denunciato, efficiatur irregularis, idque non desumitur expressè ex aliquo iure.

Aliqui sentiunt Clericum ita ministrantem Sacramentum remanere irregularem. Fundamentum illorum est, quia censent quamcumque administrationẽ Sacramentorum, & diuinorum, requirentem actum proprium ordinis factum à Ministro Ecclesiæ absolutè inducere irregularitatem tempore interdicti, talis est administratio aliquorum Sacramentorum. Secundò probatur Clericus non interdictus conferens Sacramentum in loco interdicto incurrit irregularitatem, vt probabo inferius, ergo eodem modo conferẽs Sacramẽtum personæ interdictæ efficitur irregularis; Consequentia probatur, nam sicut qui non est interdictus administrando Sacramentum contra prohibitionem Ecclesiæ, ita qui illud administrat personæ interdictæ, nam in vtroque casu potestas ipsius Clerici administrantis non est suspensa simpliciter, sed in ordine ad locum, in quo fit administratio, vel ad personam, quæ recipit, cum vtrumque sit prohibitum; igitur si in primo casu incurritur irregularitas. idem dicendum erit in secundo. Immo multò magis videtur asserendum locum esse irregularitati, si administretur Sacramentum personæ interdictæ, quàm si fiat in loco interdicto. Nam Clericus administrans sacramentum personæ interdictæ petenti cooperatur peccato ipsius, quod cessat, si administratio fiat in loco interdicto. Tertiò Sacerdos permittens, vt quispiam nominatim excommunicatus assistat celebrationi diuinorum, proximus est irregularitati, vt notat Glo. in cap. Is qui, de sent. excomm. lib. 6. vbi ait Celebrantem præsente excommunicato non contrahere irregularitatem, sed esse proximum irregularitati, quia est suspensus. immo si ille sit nominatim excommunicatus à Papa, Sacerdos eum admittens fit verè irregularis, vt tradit Abb. in cap. Significauit num. 3. de sent. excommun. quia participantes cum excommunicato in diuinis inuoluuntur eadem sententia. Idem tenet Specul. in Tit. de dispens. §. iuxta, Vers. Quod autem dixi. & hoc idem dicendum est, si celebrat coram persona interdicta, vt tenet Armill. Ver. Interdictum num. 61. & Maiol. lib. 3. cap. 24. nu. 4. Vers. Est etiam non canonicum. Si ergo celebrans coram excommunicato, & nominatim interdicto efficitur irregularis, ergo fortiori ratione dicendum est incurrere irregularitatem Sacerdotem ministrando Sacramenta nominatim interdicto.

Alij oppositum censent, nempe ob dictam violationem interdicti, quia Sacramentum administretur in loco non interdicto personæ interdictæ incurri irregularitatem, non enim reperitur Doctor grauis, qui id affirmet, & in his Censuris non licet argumentari à simili, nisi aliquid expressum in iure habeatur. Quare quamuis irregularitas oriatur, si Sacramentum administretur in loco interdicto, non sequitur idem esse affirmandum, quando administratur personæ non interdictæ. Confirmatur, quoniam qui dat Sacramentum excommunicato non incurrit irregularitatem, ergo neque qui illud confert interdicto, nam excommunicatio est maior, & grauior censura, quàm interdictum, & tamen non reperitur in iure lata irregularitas, si detur Sacramentum excommunicato, igitur

A non incurritur, si administretur interdicto, cum quo ad hunc effectum idem statutum sit à iure de omnibus Censuris. Vnde ex parte Ministri nulla est differentia inter has Censuras. Sicut enim excommunicatus ministrans Sacramentum efficitur irregularis, ita & interdictus, & similiter etiam suspensus. Et potest assignari ratio differentiæ, quando scilicet Minister est interdictus, vel recipiens, cui datur Sacramentum, Nam si Minister est interdictus, ipse primò & per se violat interdictum, & meritò efficitur irregularis, sed in posteriori casu ipse Minister non est interdictus, sed ille, qui recipit, ideo Minister non fit irregularis.

Contra obijciet quis, nam per interdictum etiam locale non suspenditur Sacerdos à ministerio sacramentorum, sed prohibitio tantum fit, ne in tali loco

B administrari possint Sacramẽta, & tamen si Sacerdos in dicto loco ministret, incurrit irregularitatem, ergo hæc non est causa, propter quam Sacerdos ministrans Sacramentum personæ interdictæ incurrat irregularitatem.

Respondeo verum esse, verùm ideirco in primo casu incurritur irregularitas, si administretur Sacramẽtum in loco interdicto, quia ita iure statutum fuit, & irregularitas est impedimentum à iure positiuo inductum. In posteriori autem casu quando Sacramentum confertur personæ interdictæ, non fuit pœna irregularitatis ab ipso iure imposita; irregularitas verò incurritur solum in casibus in iure expressis c. Is qui

C de sent. excomm lib. 6. Hæc autem pœna irregularitatis fortasse potius à iure statuta fuit in eos, qui sacramenta conferunt in loco interdicto, quàm in alios, qui ea tribuunt personis interdictis, quia qui administrat in loco interdicto, directè, & principaliter agit contra Censuram Ecclesiasticam, at qui Sacramentum confert personæ interdictæ, non est principalis transgressor interdicti, sed ille, qui recipit, violat, Minister verò peccat tantum, quia cooperatur cum ipso recipiente.

Ex his duabus opinionibus hæc secunda mihi videtur probabilior propter rationes adductas, quia in pœnis non est facienda extensio, neque argumentandum est à simili, quando Doctores id expressè non sentiunt.

D Et eò magis huic opinioni adhæreo, quia licèt non incurrat irregularitatem Sacerdos violans hoc interdictum, tamen alia habetur pœna in iure imposita his, qui conferunt Sacramentum personæ interdictæ, nam interdicuntur ratione huius criminis ab ingressu Ecclesiæ, & desumitur ex cap. Episcoporum, de priuileg. lib. 6. vbi qui admittit personam interdictam ad sacramenta ab ingressu Ecclesiæ interdicitur, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam violauerit, satisfecerit competenter, verba textus sunt, *Aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt. Qui verò contra præsumpserint, præter alias pœnas à*

E *iure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserint, satisfecerint competenter.* Vbi Glo. Ver. Ingressum, notat ex eodem tex. quòd licèt quidam ex delinquentibus ibi expressis non sint irregulares, vt celebrantes coram excommunicatis, tamen omnes vicinos esse irregularitati contrahendæ, quia si post huiusmodi interdictum ab Ecclesia celebrauerint vt prius, irregularitatem contrahunt. Eadem pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ incurritur ab omnibus, qui violant interdictum præcedenti modo explicato, & alijs statim declarandis.

Ad

Ad incurrendam autem hanc pœnam requiritur, vt ille, qui admittitur ad Sacramenta, sit publicè interdictus, vt habetur in dicto cap. Episcoporum. Modò autem post Extrauag. Ad euitanda, publicè interdictus dicendus erit ille, qui est nominatim interdictus, & denunciatus, Vnde hæc pœna locum non habebit, si Sacerdos Sacramentum confert personæ interdictæ, quæ non est nominatim interdicta, & denunciata. Et idem suo modo statuendum est de loco interdicto, in quo si non sit publicè denunciatus talis, Sacerdos administrando Sacramentum non incurrit irregularitatem, quia sicut non tenemur vitare personam interdictam non denunciatam, ita neque locum. Secus est, quando ipsa persona administrans est interdicta, tunc enim statim, & absque vlla denunciatione tenetur seruare interdictum, quia extrauag. Ad euitanda nullum fauorem ei præbet. quare si tentat celebrare, vel ministrare Sacramenta, fit irregularis. sicut si obstrictus esset quauis alia censura, nam quoad hunc effectum eadem est ratio de omnibus censuris.

Tertius modus, quo violatur interdictum administratione Sacramentorum est, si persona non interdicta conferat Sacramentum personæ etiam non interdictæ, sed in loco interdicto, & de hoc modo à nemine dubitatur, quod præter peccatum graue, quod committitur, irregularitas etiam incurritur. Probatur, quia Clericus ministrans in loco interdicto ex officio, idest in ordine suo, sicut prius, est irregularis iuxta regulam traditam ab Innocen. in cap. fi. de excess. Prælat. quam confirmat Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 83. Idem tenet Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3 art. 1. Conclus. 5. Vers. Et est notandum, Syluc. Ver. Interdictum 5. §. 7 Maiol. lib. 3. cap. 23. num. 7. dicens Sacerdotem fieri irregularem non solum ex ipsis Missarum sacrificijs, sed ex cuiuscunque Sacramenti administratione in loco interdicto, citat Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 5. Conclus. 6. Abb. in c. Non est de sponsal. & alios. Idem Abb. in cap. fin. num. 4. de excess. Prælat. Vbi addit talem irregularitatem tolli non posse nisi à Papa, & in cap. Illud num. 8. de Cleri. excomm. Mini. Ricard. in 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 4. B. Anton. 3. par. summæ tit. 26. cap. 4. post med. §. 1. Vers. Pœna autem Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 244. Caiet. in Summa Ver. Interdicti violatio in princ. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 2 & 3. qui alios plures citat. Et hic modus incurrendi irregularitatem intelligendus est cum ijsdem limitationibus, & exceptionibus, quas declaraui in primo modo, quia cum cesset culpa, cum adsint illæ limitationes, debet etiam cessare irregularitas, quæ imponitur à iure ob tale crimen violationis tanquam pœna grauissima.

Quæret aliquis, Verum sicut iure nouo ex permissione cap. Alma diuina officia celebrari possunt in loco interdicto adhibitis quibusdam conditionibus ibi præscriptis, Vel publicè certis quibusdam festiuitatibus, quæ similiter ibi enumerantur, ita quoque eodem modo administrari possint Sacramenta absque periculo irregularitatis.

Respondeo non licere administrare quædam Sacramenta in loco interdicto etiam seruatis illis conditionibus dicti cap. Alma, neque in illis festiuitatibus ibi enumeratis. Dico quadam Sacramenta, quoniam aliqua permittuntur tempore interdicti, quæ necessaria sunt, de quibus dixi Disp. . . cap. . . Illa verò, quæ prohibentur sunt Ordo, & Extrema Vnctio, quæ non possunt conferri tempore interdicti etiam ianuis clausis, absque pulsatione Campanarum, & cum alijs limitationibus cap. Alma. Neque in illis diebus solennioribus, quæ ibi præscribuntur, & si de facto conferatur, irregularitas incurritur, quia talis actio semper manet interdicta, etiamsi adhibeantur illæ conditiones, & irregularitas imposita est à iure propter hāc actionem administrandi Sacramenta absolutè.

Quæret secundò aliquis, an huiusmodi irregularitatem latam ob violationem interdicti incurrant omnes absque vllo discrimine personarum, siue sint inferiores Sacerdotes, siue Episcopi, si interdictum sit latum à iure, vel à Summo Pontifice.

Respondeo omnes, etiam Episcopum incurrere hanc irregularitatem ob huiusmodi violationem, vt patet ex c. fin. de excess. Prælat. quia Episcopus est inferior & subditus, & tenetur seruare Constitutionem Summi Pontificis. Immo hoc verum est, quamuis feratur interdictum à quolibet alio, etiam à se ipso, sicut dicitur de Excommunicatione, quòd tenetur Episcopus vitare illum, quem ipse excommunicauit, quia est effectus proueniens ab ipso iure communi, cui Episcopus tanquam inferior parere debet. Et idem dicendum est de interdicto, quod omnes ex dispositione iuris communis seruare debent, etiam illi, qui illud imposuerunt, quamuis Episcopus, qui imposuit interdictum, possit illud suspendere ad tempus, vel quoad aliquem certum actum. tunc autem supposita suspensione non peccaret Episcopus ordines conferendo in loco interdicto, vt notauit Calder. in Tract. de interdicto par. 2. num. 31.

Quartus modus violandi interdictum est, quando persona interdicta in loco interdicto Sacramentum alteri administrat, de quo dubitari non debet, quòd irregularitatem incurrat. Si enim sufficit, vt probatum est ex dictis violatio solius interdicti personalis, aut localis, vt irregularitas locum habeat, certè multò magis id asserendum erit, quando vtrunque intercedit, nempe vt & persona, quæ administrat Sacramentum, sit interdicta, & administratio fiat in loco interdicto.

Dubitari solum contingit, an in hoc casu duplex incurratur irregularitas, & ratio dubitādi est pro vtraque parte. Pro affirmatiua quidem, quoniam cum duplex extet causa violationis ex interdicto personali & locali, quia vtrunque violatur, duplex prouenit irregularitas. Ex altera parte, cum vnum sit peccatum, vnica etiam pœna irregularitatis dignus erit reus, licèt enim sit grauius peccatum ob plures circumstantias, non videtur tamen causa plurium irregularitatum.

Respondeo probabilius esse affirmare duas incurri irregularitates in casu prædicto, quia quando diuersæ causæ concurrunt ad Censuram incurrendam, quarū quælibet separatim sumpta sit sufficiens ad censuram contrahendam, tunc qui transgreditur, incurrit tot censuras, quot sunt causę distinctę sufficientes arg. c. Officij, de sent. excom. & Clem. 1. de sepult. Vbi Card. num. 29. qui alios citat, & quod asseritur de Censura, idem dicendum est de irregularitate, nam eadem est ratio quoad hanc partem. Quare cum in terminis interdicti, de quibus loquimur, concurrant duę causę diuersarum rationum, & singulę per se sufficientes, igitur vnaquęque per se suam irregularitatem inducit, nam hęc pœna iterari potest. Hinc fit, vt si ad dispensationem obtinendi vna tantum causa explicetur, e.g. Si quis explicauerit, quòd in loco interdicto aliquem ordinauerit, tacens quòd ipse personaliter interdictus erat,

erat, cum Sacramentum ministrauit, tunc obtenta etiam tali dispensatione, non remanet ab vtraque irregularitate liber iuxta dispositionem dicti cap. Officii de sent. excom. Vbi obstrictus excommunicatione ex pluribus causis, si impetrauerit absolutionem vnica tantum causa expressa, non censetur absolutus. Quod confirmatur etiam hac ratione, nam si quis commisisset illã violationem interdicti duabus actionibus distinctis temporibus, quia primò ordinasset aliquem in loco interdicto, deinde ipsemet iam interdictus ordinem tradidisset alteri in loco non interdicto, vtique duplicem irregularitatem contraxisset, ergo idem asserendum, si ambæ illæ causæ simul & vnica actione materiali concurrant, quia semper adest diuersitas moralis, & leges imponentes hanc pœnam eandem vim, & efficaciam habent in vtroque casu. Confirmatur secundò, nam si propter illas duas violationes interdicti essent ab ipso Iure impositæ pœnæ diuersarum rationum, puta excõmunicatio propter administrationem Sacramenti in loco interdicto, & irregularitas propter eandem administrationem factam à persona interdicta, tũc qui vnica actione cum duplici illa circumstantia violaret interdictum, simul excommunicatus, & irregularis maneret, quia nulla ratio assignari posset, cur magis hanc, quàm illam incurrere deberet, ergo idem dicendum est, si pœnę sint einsdem rationis, quia est eadem ratio, quando pœnæ multiplicari possunt in eadem persona. Hinc infertur, quòd si Sacramentum administraretur à persona interdicta in loco interdicto alicui etiam interdicto, vltra duplicem irregularitatem, quam contraheret ipse conferens, simul quoque incurreret poenam interdicti. Immo hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ esset triplex, quia multiplicari potest, & propter quãlibet ex prædictis conditionibus & circumstantiis incurritur. Neque refert, si dicamus illa interdicta vel irregularitates non multiplicari, dummodo affirmemus ita incurri has pœnas propter dictas circumstãtias, vt ad dispensationem totalem obtinendam non sufficiat vnam causam exprimere sine aliis.

His igitur modis ex violatione interdicti ob administrationem Sacramentorum incurritur irregularitas imposita ab ipso Iure, vt pœna transgressionis præcepti Ecclesiastici, Annotandæ sunt tamen aliquæ regulæ, vt facilius intelligamus, quando ex violatione interdicti modis prædictis incurratur irregularitas.

Prima regula sit irregularitatem sequi ex ipsa Sacramenti administratione nũ solùm quoad substantiam, sed etiam ex publica & solenni cæremonia solita adhiberi, siue antecedat, siue comitetur, siue sequatur Sacramentum, vt si conferatur prima tonsura, quę nõ est Sacramentum sed dispositio ad Sacramentum Ordinis, est tamen, si conferatur à persona interdicta, siue in loco interdicto, contrahitur irregularitas, quia confertur solenni ritu, & adhibita cæremonia Ecclesiastica, & ex officio à solo Episcopo confertur, vel ex priuilegio à simplici Sacerdote, si habeat dignitatem Abbatis, vel similem annexam, & est communis sententia Doctorum; multò magis contrahitur irregularitas ex collatione cuiuscunque minoris ordinis, cum absque controuersia pertineant ad Sacramentum Ordinis.

Et idem est sentiendum de Confectione Chrismatis & benedictione olei, quæ præcedunt tanquam pręparationes & dispositiones materiæ ante Sacramentum Baptismi, Confirmationis, Ordinis, & extremæ Vnctionis. Similiter irregularitas locum habebit, si

A fiant cæremoniæ, quæ solent comitari substantiã Baptismi à persona interdicta in casu à Iure non permisso. Aliquando prius confertur priuatim Baptismus imminente necessitate, & postea solennitates & cæremoniæ consuetæ adhibentur. Dixi in casu à Iure non permisso, quoniam Baptismus solennis non prohibetur tempore interdicti, vt declaraui superius, ideo nõ censeo violari interdictum, etiam si solennitas & cæremonia Baptismi post collationem ipsum Baptismũ priuatim in loco interdicto celebretur. Si tamen persona specialiter interdicta ob propriam culpam Sacramentum ministraret, irregularis fieret, nam hoc non est Iure permissum. At in Extrema Vnctione, quæ à Iure non est permissa, si contingeret, quòd vnus Sa-

B cerdos in loco interdicto illud Sacramentum propter periculum mortis celeriter ministraret quoad substantiam, alius verò Sacerdos statim publico & solenni ritu suppleret cæremonias illius Sacramenti, vterque fieret irregularis. Eodem modo si Clericus exerceat solenniter ritus & cæremonias, quæ adhiberi solent post administrationem Sacramenti, incurrit irregularitatem, sicut contingit in solenni benedictione nuptiarum, quæ solet dari post celebratum Sacramentum Matrimonij, & talis actio videtur conuenire ordini Sacerdotali; hæc enim omnia comprehenduntur sub administratione Sacramentorum ex officio.

Sed dubitabit quis, an hęc poena irregularitatis sit

C extendẽda ad eos quoque, qui cooperantur Ministris Sacramentorum in tali functione subseruiendo ipsis Sacerdotibus in ipsa administratione Sacramentorũ. Quales vocari possunt assistentes Episcopo, quando Ordines confert in loco interdicto. Et aliqui extendunt hanc pœnam ad ipsos Ministros, nempe ad Diaconum & Subdiaconum, qui induti vestibus sacris ordinum celebrationem coadiutores existerent in peragentes, quæ in libro Pontificali continentur, ita tenet Couar. in cap. Alma par. 2. §. 3. in fine, & existimo ita esse respondendum, quoties minister est talis, qui agat aliquam actionem annexam alicui ordini, præsertim sacro, sicut est in Diacono & Subdiacono, & idem est iudicium de similibus Ministris.

D Secunda Regula est ad incurrendam hanc irregularitatem ob administrationem Sacramenti requiri in ipso Ministrante scientiam, vt patet ex c. Is qui, §. Is verò de sent. excom. *Is verò, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto.* Vbi Glo. Ver. Scienter notat secus esse, si ignoranter celebraret, nisi talis esset ignorantia, quæ excusare non deberet. Idem verbum scienter, ponitur in cap. Episcoporum de priuileg. eod. lib. Vbi sermo est similiter de violatione interdicti ob celebrationem in loco interdicto, ibi, *Scienter celebrent, vel faciant celebrari diuina in Ciuitatibus &c. seu locis aliis interdictis.* Et paulò post in eodem cap. adduntur aliæ duæ voces, quæ significant etiam scientiam cum temeritate, idest, *Præsumpserint & contempserint.*

E Quarum dictionum vim, & efficaciam alias declaraui Disp. . . cap. .

Tertia regula, hęc pœna irregularitatis non incurritur ob administrationem sacramenti, quod non requirit proprium actum alicuius ordinis Clericalis, siue ille, qui ministrat sit Clericus, siue Laicus. Quare ex hac regula sequitur ob celebrationem Matrimonij vel Baptismi sine solennitate tempore interdicti nullam incurri irregularitatem. Nã in Matrimonio ipsi contrahentes gerunt vicem Ministri quoad substantiam Sacramento, qui quamuis peccarent con-

trahendo

trahēdo matrimonium tempore interdicti, de qua re controuersia est apud Doctores, tamen nullam censuram, neque irregularitatem ipso facto incurrunt. Immo nec Parochus, cuius præsentia necessaria est iuxta dispositionem Concilij Tridentini, aliquam irregularitatem contrahit, quia illa præsentia non est actus proprius alicuius Ordinis. Eodem modo si conferatur Baptismus tempore interdicti, non incurritur irregularitas, si absque solennitate ministretur, non solùm quia collatio Baptismi non est prohibita tempore interdicti, tum etiam quia non est actus Ordinis, & irregularitas hæc non contrahitur, nisi per actum alicuius Ordinis, quem exerceat is, qui illum ordinē habeat, cum sit interdictus, vel in loco interdicto.

Quarta Regula ob receptionem Sacramenti non incurritur irregularitas. Quare si persona interdicta, vel in loco interdicto recipiat Sacramentum, non efficitur irregularis ob eandem rationem, quia recipere sacramentum non est actus alicuius ordinis, etiam si recipiens sit Clericus. Ab hac tamen regula excipitur primò receptio Eucharistiæ, quæ fit a Sacerdote celebrante, quæ est actus ordinis Sacerdotalis, non quatenus est sumptio, sed quatenus est conditio necessaria ad rationem sacrificij, quod consumi debet ab ipso sacrificante. Secundò excipitur Sacramentum Ordinis, nam interdictus recipiens ordines fit irregularis, vel saltem suspensus. Probatur primò, quoniam eandem irregularitatem contrahit excommunicatus recipiens ordines, ergo & interdictus, quia videtur eadem ratio militare de quacunque Censura. Secundò, quoniam vt tradit Couar. in c. Alma par. 2. §. 3. num. 5. Vers. Octauo eadem ratione, qui fuerit tempore interdicti Diaconatus vel Subdiaconatus ordine insignitus, non potest illos ordines suscipere, quia aliquem actum agat illis ordinibus conuenientem, nam Epistolam, aut Euangelium legit sacris vestibus indutus, vnde irregularitas contrahitur. Hæc tamen secunda exceptio non est omnino certa sicut prima, quoniam non desumitur manifestè ex ipso Iure, nam Iura in specie loquuntur de excommunicatione, & in pœnis non fit extensio. Secundò quia suscipere Superiorem Ordinem propriè non est ministrare in inferiori. Deinde sicut dixi de suspensione, qui ex indebita ordinis receptione remanet suspensus, quamuis in eadem ordinatione exerceat actum Ordinis, nō fit irregularis, vt dixi in materia de suspensione. Requiritur enim, vt prius quis sit suspensus, & postea exerceat actum distinctum ad cōtrahendam irregularitatem, ergo neque interdictus per eandem actionem efficitur irregularis, quamuis appareat aliqua diuersitas in his casibus, nam in primo qui recipit ordines, non supponitur suspensus, sed suspensionem incurrit in ipsomet actu ordinationis, at in secundo casu supponitur iam persona interdicta, cum præsumit ordines recipere. Verùm quidquid sit de hoc, censeo probabilius esse affirmare ex receptione Ordinis interdictum irregularitatem contrahere, sicut incurritur ab excommunicato, si ordinem recipiat, vt habetur ex c. Cum illorum de sent. excom. vbi expressè interdicitur, ne quis excōmunicationis vinculo obstrictus ordines recipere præsumat, & aduersus transgressores pœna perpetuæ depositionis ab ordinibus imponitur. Sed eadem est ratio de suspensis & interdictis, quoniā Summus Pontifex videtur hoc prohibuisse generaliter iudicans nō decere, vt qui Censura in nodatus est, ab Ecclesia dignus repvtetur ad recipiendos ordines, quibus confertur potestas ministrandi res sacras, & eligitur minister Ecclesiæ, vt latius probaui in Tract. de suspensione Disp. 8. cap. 6. Explicatur autem hoc in iure exemplo excommunicationis peculiariter, quoniam est prima & præcipua species Censurarum, & magis nota omnibus. Vnde Maiol. lib. 3. cap. 34. lib. 3. num. 1. de Irregular. inquit Irregularem fieri, qui innodatus suspensione aut interdicto ordines suscipere audet, quia cum ordo Superior suscipi nequeat, nisi in habitu, apparatu, & ministerio inferioris, ideo qui recipit ordinem, exercet ordinem, ex quo transit ad Superiorem, ideo efficitur irregularis, præsertim si sciens censuram id tentauerit, quia præsumitur facere in contemptum Clauium, & de assumptione ordinis sacri non videtur dubitandum. De receptione autem ordinum minorum idem tenet Abb. in cap. 2. n. 4. de Cleri. excom. Mini. & in cap. fi. n. 5. de excess. Prælat. Archid. in cap. Si quis Presbyter 11. q. 3. & communiter teneri ait Ang. Ver. Irregularitas num. 13. Franc. in cap. 1. §. Caueant num. 6. vsque ad finem de sent. excom. lib. 6.

Sed Nauar. oppositum sentit tom. 2. Concil. tit. de sent. excom. consl. 44. §. Ad secundam respondetur, & conatur id probare, tum quia nullibi in Iure habetur expressè quòd incurratur irregularitas ob receptionem ordinem minorum vel vnum illorum, tum quia communis opinio loquitur de eo, qui vtitur ordine minore, quòd ob hūc vsum incurrat irregularitatem, non autem de assumente ordinem minorem. Verùm cōtrarium mihi videtur probabilius ob rationes adductas quoniam iura indefinitè loquuntur de ordinibus, vt dixi igitur omnes comprehenduntur, & qui est interdictus prohibetur ab administratione in ordine, quem habet, & ascendere ad Superiorem, ideo si transgrediatur exercens actum ordinis, aut recipiens ordinem fit irregularis, & de hac difficultate tractaui in materia de suspensione Disp. 8. cap. 6. & alibi, idem sentit Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 3. & §. 3. nu. 5. ex sent. Innoc. dicens recipientem ordinem minorē tempore interdicti fieri irregularem, si agat actum aliquem ea solennitate, quæ certò conuenit Ordini, licèt cōcludat, quòd regulariter, qui minores ordines accipit, nullum actum agit eisdem ordinibus proprium iuxta Ecclesiasticam solennitatem.

Animaduertit tamen Maiol. lib. 3. cap. 20. nu. 4. de irregular. quòd si quis interdictus ingrediatur Religionem, & fiat Regularis, suscipiendo actum Religionis, poterit promoueri ad omnes ordines, & ita tenet Sylue. Interdictum 2. §. 12. Vers. Vndecimum ex sen. Calder. Quod non est intelligendum, quando est interdictus specialiter, sed de generali interdicto, vt si sit ea populo aut Vniuersitate interdicta, quia per professionem Religionis desinit omnino esse membrum Vniuersitatis. Addit Sylue. hoc esse verum etiam si talis, qui fit Religiosus fuisset in culpa, quia Religio est maxima pœna & mors ciuilis. Ante professionem verò censet tutius fore, si abstineat à receptione ordinum durante interdicto, sed si fuerit ordinatus, tenet ordinatio arg. c. Religioso de sent. exc. lib. 6. & ante professionem poterit interesse diuinis absque relaxatione interdicti.

CAPVT II.

De Irregularitate, quæ incurritur ob violationem interdicti circa officia diuina, & Ecclesiasticam sepulturam.

Secundus effectus interdicti est prohibitio diuinorum officiorum, & circa officia potest violari interdictum

terdictum primo à Clericis, quorum munus est celebrare, deinde à Laicis audiendo illa, vel alijs modis immiscendo se huic celebrationi. Discutiendum est modò de pœna irregularitatis, an incurratur ob huiusmodi violationem tam à Clericis, quàm à Laicis, & quo modo.

Et primò loquendo de Clericis statuenda est conclusio, quòd Clerici violantes interdictum exercendo actum proprium ordinis eo modo, quo à Laicis exerceri non posset, irregulares fiant; hæc conclusio est vniuersalis, & indubitata, quæ desumitur primò ex Glo. in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. in cap. Is qui §. Is verò de sent. excom. lib. 6. *Is, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super hoc priuilegiatus existat, aut Iure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quàm Romanum Pontificem liberari*, Abb. in cap. Postulastis num. 5. de Cleri. excom. Mini. & in c. fin. nu. 4. de excess. Prælat. Cou. in cap. Alma par. 2. §. 2. nu. 2. Vers. Est item is, Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 6. B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 4. Maiol. lib. 3. cap. 20. num. 7. & cap. 23. num. 9. de irregular. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 187. in fin. Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. num. 3. art. 1. conclus. 5. Ricar. dist. 13. art. 4. quæst. 1. Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 79.

Declaratur autem hæc conclusio communiter recepta primò vt sit intelligenda de interdicto tam locali, quàm personali, idest Clericum interdictum vbicunque celebrantem, vel non interdictum in loco interdicto irregularitatem incurrere, si ex officio agat sicut antea faciebat; ita tenet Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 79. & omnes alij Doctores citati. Explicabimus primò, quomodo incurratur irregularitas à Clericis celebrantibus in loco interdicto, deinde quando ipsimet celebrantes sunt interdicti.

Hæc irregularitas ob celebrationem in loco interdicto desumitur expressè ex cap. Is qui §. Is vero de sent. excom. lib. 6. vbi sermo est de eo, qui scienter celebrat in loco interdicto, & ex cap. Is cui, eod. tit. & lib. Vbi de eo, cui Ecclesiæ est interdictus ingressus, agitur, qui si in Ecclesia celebrauerit, efficitur irregularis, & intelligenda sunt Iura tam de generali, quàm speciali interdicto loci, nam de generali interdicto omnes explicant tex. in dicto cap. Is qui, & consequenter multò magis id erit asserendum de loco specialiter interdicto. Item locum habet, siue interdictum sit ab homine latum, siue à Iure, quoniam Textus vniuersaliter loquitur. Sed oportet iuxta dispositionem Extrau. Ad euitanda, at locus declaratus sit, & denunciatus nominatim, & publicè interdictus.

Secundò irregularitas hæc incurritur à quocunq; Clerico ob dictam celebrationem, siue sit Clericus secularis, siue Regularis, patet ex illa dictione vniuersali, *Is qui*, de sent. excom. lib. 6. addita præsertim illa exceptione, *Nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure eidem sit concessum*, Exceptio enim firmat regulam in omnibus alijs, qui sub exceptione non continetur.

Sed est animaduertendum, quibus verbis sententia interdicti sit concepta, vt inquit Maiol. lib. 3. cap. 20. nu. 6. de irregular. Nam si dicatur interdicimus Clerum Romanum, tale interdictum non extenditur ad Regulares vel eorum Conuersos, mares aut feminas, quia in pœnis Clericorum appellatio solos seculares Clericos comprehendit, non autem Claustrales, vt inquit Specul. in cap. Si Canonici in princ. de offic. ordin. lib. 6. Et è contra idem dicendum erit, si interdicantur Religiosi, tunc enim non includuntur Clerici seculares, Armil. Ver. Interdictum num. 9.

Tertiò ad incurrendam hanc irregularitatē, quando interdictum latum est ab homine, sufficit, vt sit validum, quamuis esset iniustum & iniquum, quia commune est omnibus Censuris, vt aliàs probatum fuit, vt obligent ad obseruationem, quamuis sint iniustæ, donec declaratum fuerit illas iniquas & iniustas esse, non obligare.

Quartò requiritur, vt Clericus scienter celebret in loco interdicto, vt efficiatur irregularis, ita habetur in dicto cap. Is qui, §. Is verò de sent. excom. lib. 6. Quare qui probabili ignorantia facti laborans in loco interdicto celebrat, excusatur propter ignorantiā, vt minimè incurrat irregularitatem. Aliqui putant non esse locum huic irregularitati, si Clericus bona fide celebret, etiam si ex negligentia culpabili ignoret, dummodo non sit ignorantia affectata. Verùm oppositum videtur tutius, vt asseramus celebrantem ex ignorantia culpabili, quamuis non sit affectata incurrere irregularitatem, in re enim dubia tutiorem partem eligere debemus, præsertim ad euitandas cēsuras, vt dicitur in c. Illud post med. de Cleri. excom. Mini. *Licèt autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse, quia tamen in dubiis via est tutior eligenda, & si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat, tamen potiùs se abstinere, quā Sacramenta Ecclesiastica pertractare.*

Obijcies ergo illa particula, *Scienter*, nihil operatur, quia ignorantia inuincibilis per se excusat. Respondeo illum dici scienter celebrare, qui ob ignorantiam inuincibilem & probabilem excusari nō potest, nā ignorantia culpabilis æquiparatur scientiæ, quod attinet ad pœnam incurrendam, quod probari potest ex cap. Apostolicæ de Cleri. excom. Mini. *Verùm quia tempore suspensionis ignari celebrastis diuina vos reddit ignorantia probabilis excusatos.* Vbi Glo. Ver. Probabilis ita notat, *Si ergo probabilis ignorantia tantùm excusat, non crassa & supina*, & in cap. 1. de postulat. Prælat. vbi Summus Pontifex declarat non excusari potuisse Episcopum quendam ratione ignorantiæ, qui violauerat interdictum, quod fuerat publicè promulgatū, quoniam sententia publicè promulgata omnes obligat ad eius obseruationem, quamuis ad eorum notitiam non deuenerit. Et idem confirmari potest, quia sicut ignorantia culpabilis, etiamsi affectata non sit, minimè excusat à peccato, ita neque excusare debet à pœna, vnde Glos. in dicto cap. Is qui §. Is verò Verb. Scienter de sent. excom. lib. 6. inquit, *Secus ergo si ignoranter, nisi talis esset ignorantia, quæ excusare non deberet*, sed ignorantia vincibilis & culpabilis non excusat.

Quintò licèt in eodem cap. Is qui, §. Is verò vsurpetur verbum illud, *Celebrat*, quod absolutè prolatum de sacrificio Missæ ex communi vsu loquendo per excellentiam intelligi solet, tamen secundum propriam rationem vocabuli significat quorumcunque diuinorum officiorum celebrationem, & ita accipitur in his terminis, de quibus loquimur, vt omnes declarant.

Tandem huius irregularitatis dispensatio reseruatur Summo Pontifici, quod modò post Concilium Tridentinum est explicandum iuxta decretum, quod habetur de Irregularitatibus occultis, quæ committuntur Episcopo, sess. 24. cap. 6. de reform.

Sed dubitari potest, quæ transgressio interdicti sit sufficiens ad hanc irregularitatem incurrendam. Respondeo omnem celebrationem diuinorum scienter factam cum culpa mortali, celebrando ex officio in loco interdicto contra formam à iure præscriptam sufficere ad incurrendam irregularitatem, requiritur,

vt cul-

vt culpa sit mortalis, saltem in foro conscientiæ, quia hæc irregularitas imponitur, vt pœna grauissima, & ideo conuenienter graui culpæ respondere debet, quamuis irregularitas alterius generis contrahi possit absq; vlla culpa. Et confirmatur, quoniam cum hac irregularitate ab ipso Iure aliæ pœnæ imponantur ob violationem interdicti, quæ non incurruntur absque culpa mortali.

Secundò dubitatur, vtrùm hæc irregularitas afficiat tantum eos, qui celebrant in loco interdicto, vel extendatur etiam ad eos, qui auctoritate sua & imperio sunt causa, vt alius celebret, & ad Superiores, & Dominos, à quibus id fieri permittitur.

Aliqui tenent non incurri irregularitatem, quando Clericus nõ celebrat, nec exercet aliquem actum ordinis ex officio, sed tantùm interest diuinis officijs sine vllo contemptu, sed potiùs ex deuotione. Excipiũt tamen, quando id fit præstando auctoritatem, vt si Prælatus faciat, vt tempore interdicti coram ipso officium celebretur, Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 6 circa med. Vers. Vnde etiã secundum multos, & citat Host. & Specul. Maiol. idem tenet lib. 3. cap. 20. nu. 7. & cap. 23. num. 9. dicens Prælatum, qui iubet Sacerdoti, vt celebret in loco interdicto fieri irregularem, quia vtitur suo ordine contra Interdictum. Similiter Dominus Temporalis, vel alius Princeps Laicus, qui celebranti contra interdictum assistit defensionis causa, quia Clauis contemptio videtur; immo in dicto cap. 23. num. 9. addit fieri quoque irregulares illos Superiores, qui scientes suos subditos hæc agere contra Interdictum tolerando patiuntur, & citat Federicum de Senis cons. 231, Et licèt Io. Andr. in Addit. ad Specul. sentiat in tali casu illos non fieri irregulares, tamen ipse Maiol. ait habendos esse vt irregulares, si nõ obuiauerint, quantum in ipsis fuerit, vt in loco interdicto diuina non celebrarentur, tam enim in culpa est, qui facit, quàm qui, cum potest, non obstat erranti, cap. Error, cum duobus sequent. dist. 83. præsertim quia irregularitas ex alieno facto infligitur quandoque nobis, vt scribit Specul. in cap. Et si pig norationes de iniur. & dam. dat lib. 6 Hæc Maiol. quæ confirmari possunt ex ijs, quæ dicuntur à Glo. in Clemen. Archiepiscopo Ver. Celebrari de priuileg. vbi censet valde diuersa esse hæc tria, idest celebrare, facere vt celebretur auctoritatem præstando, & simpliciter audire. In primo & secundo casu inquit excommunicatum irregularitatem incurrere, & eadem ratio est de suspensione & interdicto, vt aliàs probaui. In tertio verò casu minimè hoc idem desumitur ex cap. Illud in fi. de Cleri. excom. Mini. Vbi Summus Pontifex indicat eandem pœnam à sacris Canonibus in dictam esse ijs, qui excommunicatione obstricti diuina officia celebrare præsumpserint, vel se celebrationi ingesserint diuinorum, & ex Glo. in cap fin. Ver. Irritas post med. de excess. Prælat. & ibi Abb. num. 6.

Alij quidem oppositum sentiunt putantes hanc irregularitatem locum habere solum in celebrante in loco interdicto, & non extendi ad eos, qui auctoritatem præstat, vt alius contra præceptum Ecclesiæ audeat celebrare, quoniam textus in cap. Is qui §. Is verò loquitur tantum de celebrante, & non de alijs, & in pœnis non est facienda extensio ob similitudinem rationis, præsertim quando agitur de Irregularitate, quæ non incurritur, nisi in casibus in iure expressis, & in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. exprimuntur quidem non solùm celebrantes diuina in loco interdicto, sed etiam facientes, vt illa celebrentur, ibi, *Ne aliqui seculares, aut Regulares &c. scienter celebrent, vel faciant celebrari diuina &c.* Verùm contra transgressores non imponitur pœna irregularitatis, sed infliguntur aliæ pœnæ, nempe præter alias pœnas à iure statutas ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur.

Verùm non videtur recedendum à prima opinione, quæ communis est, nimirum irregularem effici nõ solùm celebrantem in loco interdicto, sed Prælatum quoque qui præcipit, vt celebretur, ita tenet Abb. in cap. Illud num. 8. de Cleri. excom. Mini. & citat Host. idem Abb. in cap. fin. num. 6. de excess. Prælat. vbi inquit non incurri irregularitatem, si quis simpliciter audit diuina in loco interdicto, sed tunc solùm, quando audit diuina auctoritatem præbendo, vt quando Prælatus præcipit celebrare, quia tunc efficitur irregularis, quia ingerit se diuinis, & violat interdictum, quod confirmat Glos. in Clem. 2. Ver. Celebrari de priuil. dicens in his duobus casibus locum esse irregularitati, scilicet cum quis celebrat, vel auctoritate sua facit sibi celebrari, si sit excommunicatus, ergo tenet quoad irregularitatem incurrendam parem esse rationem vtriusq; actionis, & idem erit dicendum, si exerceantur in loco interdicto, quod vtraque sit causa irregularitatis.

Adhuc duo requiruntur, vt irregularitas ob violationem interdicti locum habeat, vt inquit Maiol. lib. 3. cap. 23. num 9. Vers. Ad hoc tamen de irregular. Primò quòd interdictum sit latum his verbis Interdico, Interdicimus, vel interdictum declaramus Secundò quòd interdictum sit promulgatum, nam aliàs etiamsi in Canone sit pœna interdicti apposita ipso iure incurrenda, nunquam tamen interdictum effectũ suum habet, nisi post actualem promulgationem. Idẽ Maiol. eod. lib. cap. 20 num. 11. Non tamen necesse est, quòd ad singulares personas deferatur denunciatio, sufficit enim publicatio in loco solito arg. c. Quod dicitis dist. 36. Vnde si Diœcesis fuerit interdicta, sufficit, vt promulgatio facta sit in Ciuitate, tunc enim alia Oppida, & Terræ excusari non possunt, quòd in ipsis promulgatio facta non fuerit.

Notat etiam Maiol. dicto cap. 23. num. 9. necesse esse, vt interdictum feratur per modum censuræ ad incurrendam irregularitatem, secus si per modum execrationis, idest si polluatur Ecclesia non per celebrationem diuinorum officiorum in Ecclesia vel Cœmeterio polluto, nulla nascitur irregularitas, & ad id citat Specul. & ratio est quia tale interdictum est à solo Canone Sylue. Ver. Interdictum 4 Vers. Tertio quæritur, vnde non ligat ad irregularitatem, nisi post promulgationem, & quamuis Superior iubeat, ne in tali Ecclesia quis celebret, transgrediens non efficitur irregularis, licèt peccet contra præceptum Superioris arg. Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. de reform. Hæc de irregularitate Clericorum celebrantium in loco interdicto.

Hæc irregularitatis pœna contrahitur multo magis, si ipsemet Clericus est personaliter interdictus, quamuis non celebret in loco interdicto, siue sit Interdictum personale generale, siue speciale. Et probatur ex cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut priùs.* Ratio igitur, propter quam celebrans diuinum officium irregularis est, quia per interdictum prohibetur diuinorũ celebratio.

Animaduertendum est primò, cum Glo. in dicto c.

Is cui,

Is cui, Ver. Cœmeterio, Interdictum ab ingressu Ecclesiæ non esse locale, sed personale, nam quando quis interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, Ecclesia non manet interdicta, tum quia in ea possunt celebrari, & audiri diuina ab alijs, tum etiam quia talis persona interdicitur respectu omnium Ecclesiarum, & tamen non omnes sunt interdictæ, ideo illud est interdictum personale. Quare vt inquit Glosa loco citato, non idem iuris est de interdicta Ecclesia, quod est de eo, qui interdicitur ingressu in Ecclesiam; quia primum interdictum est loci, quo interdicta Ecclesia, intelligitur interdictum Cœmeterium illi coniunctum, non quod est separatum. At secundum interdictum est personæ, nō loci, ideo sicut non potest is, cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, non potest celebrare in Ecclesia, ita neque sepeliri in Cœmeterio, quamuis sit ab Ecclesia seiunctum. Est igitur interdictum personale, ex cuius violatione incurritur irregularitas. Et quamuis interdictum de quo agitur in dicto cap. Is cui, sit limitatum ad Ecclesiam, & non sit simpliciter latum, tamen hoc nihil refert, Nam si ob violationem interdicti personalis in tali loco incurritur irregularitas, multò magis eadem irregularitas contrahetur ob violationem interdicti personalis simpliciter, præsertim quia ratio, qua vtitur textus, non est specialis limitata ad locum, sed generalis, scilicet quia per interdictum prohibita est diuinorum celebratio in Ecclesia, quæ ratio locum habet in omni interdicto personali.

Sed dicet aliquis ex dicto cap. Is cui colligi tantum posse eum, qui specialiter est interdictus ob culpam propriam, irregularem fieri, si celebret, non autem id locum habere in generali interdicto, nam legitur in illo textu de eo, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ. hoc autem interdictum ferri non solet, nisi ob culpam propriam. Confirmatur ex illis verbis tex. *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri;* Ergo sermo est de interdicto ob propriam culpam, vel contumaciam, quia non requiritur pœnitentia, nisi supposita culpa, & hoc modo interpretatur hunc textum Couar. in c. Alma par. 2 §. 1. num. 3. Vers. Hic autem interdictus, & Bernard. Diaz in Pract. Can. Crim. cap. 131.

Respondeo in cap. Is cui absolutè tractari de interdicto personæ, sicut patet initio tex. quia interdictum ab ingressu Ecclesiæ non necessariò limitatur ad speciale; Potest enim aliquis populus generaliter interdici ab ingressu Ecclesiæ, quia nulla ratio vrgitat, si Cōmunitas aliqua potest interdici simpliciter, non possit quoque interdici ab ingressu Ecclesiæ, & ob eandē rationē, sicut Clerus, vel populus absque propria culpa simpliciter interdici potest, ita poterit interdici ab ingressu Ecclesiæ. Quare etiam si concederetur in c. Is cui agi de interdicto personali speciali, tamen decisio Papæ, & ratio, cui innititur, est vniuersalis de omni interdicto personali. Nam quòd aliquis interdicatur ob propriam culpam, vel alienam, hoc non mutat substantiam Cēsuræ, quoad pœnam irregularitatis, quæ oritur ex violatione interdicti, sicut etiam apparet in violatione interdicti localis, ex qua incurritur irregularitas, siue latum sit ob propriam culpam ipsius violantis, siue absque eius culpa, ergo neque in interdicto personali hoc erit necessarium.

Animaduertendum est secundò hanc irregularitatem incurri generaliter ab omnibus Clericis interdictis, si audeant celebrare, sicut dictum est suo modo de interdicto locali, non extēditur autem ad laicos, quia

A laici non celebrant ex officio res diuinas, & sacras, quod proprium est Clericorum. Ipsi verò Clerici non incurrunt irregularitatem, nisi ministrando aliquod sacrum ministerium ex officio, quod eis conueniat ratione ordinis Ecclesiastici, quo sunt insigniti. Quare per actus solius iurisdictionis non contrahunt irregularitatem, quia tale ministerium non est prohibitum ex vi solius interdicti personalis, neque etiam illam contrahunt, si ministrent Sacerdoti ministranti, sed tanquam laici, vt si priuatim Clericus inseruiat Sacerdoti facienti sacrum, in quo munere laici etiam deseruire solent.

Dubitatur de Clerico interdicto, qui publicè in Choro cum alijs cantat horas canonicas diurnas, &
B nocturnas an hanc irregularitatem incurrat, nam laici etiam possunt, & solent in aliquibus Ecclesijs, qui musicæ peritiam callent, horas canonicas solenniter vnà cum Clericis cum causa pronunciare.

Respondeo ex communi sententia Doctorum Clericum personaliter interdictum in Choro recitando horas Canonicas in cantu publicè vnà cum alijs fieri irregularem, & violare interdictum. Probatur, quia officiorum celebratio per se prohibita est ex vi personalis interdicti, vt habetur in c. Is cui, & hoc munus propriè pertinet ad officium Clericorum ex prima institutione, ergo Clericus concurrens hoc modo ad celebrationem diuini officij, verè se ingerit diuinis, agens ex officio, sicut prius idem efficitur irregularis.
C Ita tenet Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 6. post princ. Vers. Conclude ergo, Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 83. B. Antoni. 3 par. tit. 26. cap. 4. Innoc. in cap. vlt. de excess. Prælat. Glos. in c. a. Vers. Præsumpserit, & ibi Doc. de Cleri. excomm. mini. & in cap. Illud Ver. Officia, & Abb. num. 8. eod. tit. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 3. Vers. Cæterum, & alij plures, sed omnes affirmant ad hanc irregularitatem incurrendam tria requiri, Primum est, vt qui exercet diuina celebrando, sit ordine ecclesiastico insignitus. Secundum, vt ille actus, quem exercet circa diuina, sit propriè alicuius ordinis, Tertium, vt talis actus comprehendatur sub aliquo effectu interdicti.

Ex his sequitur primò, quòd qui fungitur munere
D hebdomadarij in Choro in decantandis horis canonicis irregularitatem cōtrahit, si sit interdictus, Abb. in c. Illud num. 8. de Cleri. excom. mini. Innoc. in cap. fin. de excess. Prælat. Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 6. Vers. Et idem notat. Similiter Sacerdos violat interdictum, quo est obstrictus conficiendo sacrum, Diaconus legendo Euangelium, Subdiaconus cātando Epistolam, Calicem offerendo. ita Sylue. & alij. limitat hoc Sylue. ex sententia Innoc. nisi in aliquo loco esset consuetudo legitimè præscripta, vt actus pertinens ad aliquem ordinem, puta cantare Epistolam sine ordine etiam à laico fieret, tunc enim inquit, si Clericus illum actum exerceret, non esset irregularis quod est intelligendum, quando cantaret Epistolam priuatim,
E vt solent Laici sine manipulo, & dalmatica.

Oppositum videtur probare Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 83. quoniam hæc distinctio non facit, vt cantare Epistolam, & similes actus exercere non competat Clerico ratione alicuius peculiaris ordinis, & eiusdem opinionis dicit fuisse Io. Andr. Sed Sylue. respondet cum Innoc. dicens quòd illa distinctio facit, quòd ea, quæ conueniunt ratione ordinis, non fiant ex ordine, & officio, quod sufficit ad vitandam irregularitatem.

Quare quod spectat ad horas Canonicas, erit irregularis

gularis Clericus tantum ex sententia Sylue. inchoando officium, vt hebdomadarius, quod conuenit Sacerdoti, secus si cum alijs etiam in Choro tanquam Laicus cantet psalmos, vel responsoria. Maiol. lib. 3. cap. 10 num. 4. de Irregular.

Sequitur secundò Religiosos cantantes in Choro tempore interdicti non fieri irregulares, nisi officium in Choro exerceant, aut actum proprium alicuius ordinis ad Altare. Vnde illi Religiosi, qui nullum ordinem habent, nunquam incurrunt hanc irregularitatem, quomodocunq; se gerant in celebratione diuinorum officiorum, vt tradit Nauar. in Manu. cap. 23. num. 187. Vers. Decimo nono dico, licèt affirmet eos peccare mortaliter, si faciant actiones Clericis prohibitas, & debent detrudi in Monasteria arctiora ad agendam pœnitentiam, & sunt irregulares actiuè, & passiuè, vt inquit Calder. de interdicto part. 1, numero 80.

Sed dubitatur de ijs, qui constituti sunt in minoribus ordinibus tantum, verùm si interdicti exerceant actus proprios illorum ordinum, incurrant irregularitatem.

Aliqui censent, & est communis sententia ex huiusmodi actibus tempore interdicti contrahi irregularitatem, ita sentit Sylue. Interdictum 5. §. 6. Vers. Concludo, & citat Innoc. Idem tenet Calder in Tract. de interdicto par. 1. nu. 84. qui asserit superfluum esse quærere de constitutis in minoribus ordinibus tantum, cum omnes conueniant, quòd si agant in officio suo, sicut priuati irregulares efficiantur, & licèt Host. argumentetur ad vtramque partem, tandem concludit pro hac sententia. Primò quia tales constituti in minoribus ordinibus Clerici sunt, & iura vniuersaliter prohibent Clericis diuinorum celebrationem tẽpore interdicti, ergo generaliter intelligi debent c. Is qui. § Is verò, & c. Is cui de sent. excom. lib 6. Sed Dom. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus 5. post med. Vers Sunt tamen notanda, sentit Clericos minoribus ordinibus initiatos, quamuis solenniter in Ecclesia canant, & sua munera exerceant deferendo cereos, legendo. & agendo actus proprios sui ordinis, non esset irregularis. Sed certè contraria opinio est probabilior, quamuis in praxi oppositum fortasse seruetur. Sed quid dicendum de Psalmista, Calder. de interdicto par. 1. nu. 83. tenet ex sententia Theologorum asserentium Psalmistatum non esse ordinem, non incurri irregularitatem, si Psalmista interdictus cantet in Choro, at secundum Canonistas, qui censent esse ordinem, ex tali actione censet locum esse irregularitati. Sed quoniam hac in re magis standum est Theologis, vt inquit Syluest. Interdictum 5 § 6. post med. Vers. Sed tu dic, ad quos spectat declarare, quæ contineantur sub Sacramento ordinis, & Theologi negent Psalmistarum esse ordinem, & dicant esse officium annexum ordini lectoratus per attributionem, vt ait, non per sequelam, ideo magis probabilis est dicere ex tali actione legendi, & cantandi non incurri irregularitatem. Idem dicendum est de prima Tonsura, quæ non est ordo, sed dispositio ad ordines, ideo simplex Clericus tonsuratus non potest incurrere irregularitatem, quia nihil agere potest ex officio. Sylue. Interdictum 5. §. 6. post med. Vers. Tertium.

Notat Calder. de interdicto par. 1. num 4. non solùm incurri hanc irregularitatem à Clerico in minoribus ordinibus cõstituto, si celebrat aliquem actum proprium illorum ordinum, sed etiam si sit Sacer-

A dos, & celebrat ex officio actum proprium ordinis minoris, quoniam Clericus per promotionem superiorum ordinum non amittit, inferiores cap. Cum sta distinct. 74. & cap. Honoratus. Verùm si Sacerdos interdictus esset tantum à Sacerdotalibus, vel à celebratione Missarum, & exerceret actum inferioris ordinis, non esset irregularis, sicut neque Episcopus, cui interdicta sunt sola pontificalia, si in inferiori ordine celebret, vt ait idem Calder. nu. 85.

Quare, vt notat Maiol. lib. 3. cap. 10. nu. 3. de irregul. Quicunque specialiter, vel generaliter interdicto ligati sunt adeo debent à celebratione diuinorum officiorum, & Sacramentorum administratione abstinere, quod si contrauenerint irregulares fiunt, à
B solo Papa dispensandi, vt dixi superius iuxta declarationem Concil. Trid. Quam irregularitatem non solùm contrahunt ingerendo se diuinis in Ciuitate, vel Vniuersitate interdicta, sed in quacunque Orbis parte id exequi tentauerint, sed vt constet, an ex violatione interdicti irregularitas contracta fuerit, perpendenda est forma interdicti, nam vno ordine interdicto, omnia officia censentur interdicta, quæ ab eo ordine pendent; quæ si exerceantur, inducunt irregularitatem, vt Subdiaconus vtens officio suo, Acolytus suo fit irregularis, & ita de alijs similibus, vel maioribus; Verùm non esset irregularis, si exerceret actum ordinis inferioris, vt inquit Maiol. dicto numero quarto, adde is, quòd interdictus ab illo officio, à quo pendet auctoritas conferendi beneficia, &
C sciens conferat beneficium fit irregularis, quia in contemptum Clauium id facere videtur. Eodem modo Superior interdictus vtens sua potestate absoluendo vel excommunicando, vel corrigendo, aut iudicando, contrahit irregularitatem. Qua in re notandum est ex generali interdicto non impeditur administratio iurisdictionalium. Nam licèt eo tempore exerceri non possint diuina; tamen potest indicare, citare, absoluere, & excommunicare, & in hoc differt ab interdicto certæ personæ, vel certæ potestatis, aut ordinis, nam tunc ea exerceri nequeunt sine irregularitate.

D Dubitari etiam potest de benedictionibus traditis ab Episcopo vel Sacerdote tempore interdicti, an incurratur irregularitas.

Respondeo Doctores quosdam benedictiones peculiares enumerare, quæ si exerceantur ab interdicto, sunt causa, vt ipse violet interdictum, & irregularitati obnoxius remaneat. Et primò inquit Innocent. quem citat Syluest. Interdictum 5 §. 6. Vers. Quintum, quod ex benedictione aquæ oritur irregularitas, quia est annexa ordini, cap. Aquam de consecr. distinct. 3. Vb. de sanctificatione aquæ sale conspersæ sic dicitur, *Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus*. Limitat hoc dictum Archid. ad benedictionem, quæ impenditur à Sacerdote in-
E terdicto, secus si non interdictus aquam benedicat in loco interdicto cum moderatione, capit. Alma, nam si licèt celebrare cum illa moderatione, multò magis licet aquam benedicere, & similia, vt notat Syluest. vbi supra. Et licèt non liceat Sacerdoti aquam benedictam aspergere Laicis loci interdicti, si tamen asperserit, non erit irregularis, ita Sylue. & Calder. numer. 91. Ratio est, quia violat interdictum celebratione diuinorum, neque in collatione Sacramentorum. Neque talis aquæ benedictio iure sit prohibita, neque sit actus proprius alicuius ordinis, quod fallit inquit Sylue. in aspersione, quæ

fit populo Dominicis diebus initio Missæ Antiphona præmissa, Asperges me Domine, quæ est propria Sacerdotis. Secundò benedictio Mensæ non infert irregularitatem, Calder. de interdicto numero 93. par. 1. Sylue. Interdictum 5. §. 6. ante fin. quia non requirit certum ordinem; Tertiò non incurritur irregularitas ex benedictione, quam consueuerunt dare Episcopi in itinere obuiantibus, secus de solemnitate, quæ præmittitur, *sit nomen Domini benedictum*, secundum Calder. sed tenet idem etiam de simplici benedictione, quando datur ratione Ordinis à Sacerdote. Quartò benedictio Calicis, vestium, corporalium, candelarum in festo Purificationis, oliuarum in Dominica Palmarum, benedictione vel consecratione Ecclesiarum Altarium, nuptiarum fieri prohibentur, & si fiunt ab interdicto, incurritur irregularitas ex Calder. de interdicto par. 1. num. 92. Non contrahitur autem irregularitas de benedictione Peræ & baculi Peregrinorum, & vestium eorum, qui Religionem ingrediuntur ex eod. Sylue.

Tandem quæri potest, an incurrant hanc irregularitatem Clerici celebrantes coram alijs personaliter interdictis, quamuis ipsi celebrantes interdicti non sint.

Respondeo tales celebrantes irregularitatem non contrahere, quia id non est iure expressum, nam c. Is cui de sent. excom. lib. 6. loquitur de celebrante, qui vinculo interdicti est innodatus, non verò de celebrante coram persona interdicta, si celebrans non sit interdictus; imò in cap. Is qui eod. tit. & lib. dicitur non fieri irregularem eum, qui coram excommunicato celebrat, quia non est expressum in iure, ergo multò magis id asserendum est de eo, qui celebrat coram persona interdicta; & in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. prohibetur, ne quis audeat admittere interdictos ad diuina officia, & aduersus transgressores fertur pœna specialis interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Sed de hac, & alijs pœnis contra violatores interdicti pertractabo inferius in cap. proprio.

Postquam declaratum est, quibus modis ob violationem interdicti circa officia diuina Clerici irregularitatem contrahant, nunc restat, vt aliquid breuiter de Laicis dicamus, sicut initio capitis proposui. Qua in re primò notandum est Laicos ob meram transgressionem interdicti nullam incurrere pœnam aut censuram, quia in Iure nulla talis pœna imposita reperitur. Deinde asserendum est negari non posse, quòd si Laicus concurrat ad celebrationem contra interdictum in aliquibus casibus Iure expressis iuxta Clem. 2. de sent. excom. specialem excommunicationis censuram incurrere, de qua tractabo in capite proprio de alijs pœnis. Vnde Laicus nunquam fit irregularis immediate propter violationem interdicti, vt inquit Couar. in cap. Alma par. 2. § 2. nu. 3. quia in iure non est expressum. Immo si Clerici ipsi diuinis officijs assistant non tanquam Clerici exercentes officium proprium ipsorum, sed more Laicorum, non efficiuntur irregulares.

Quod verò spectat ad tertium effectum ipsius interdicti, idest de irregularitate ob violationem interdicti quoad Ecclesiasticam sepulturam, certum esse debet ex tali actione non incurri irregularitatem, licèt aliæ pœnæ statutæ sint à Iure ad coercendum huiusmodi crimen, de quibus pertractabo in sequenti Capite. Et probatur primò, quoniam ad incurrendam irregularitatem inter alia requiritur executio actus postulantis ordinem, vt superius dixi, at tra-

A dere Ecclesiasticæ sepulturæ cadauer defuncti non est actus per se alicuius ordinis, igitur non inducet irregularitatem. Secundò quoniam nullibi in Iure id expressum habetur. Irregularitas autem non contrahitur, nisi in casibus iure expressis.

CAPVT III.

Vtrùm ob omissionem vnius tantum conditionis ex quatuor illis requisitis in cap. Alma Mater in celebratione diuinorum, violetur interdictum, & incurratur irregularitas.

BOnifacius Octauus in cap. Alma de sent. excom. lib. 6. ad euitanda plura & grauia incommoda,
B quæ quotidie in spirituale animarum detrimentum, ac cultus diuini diminutionem oriebantur ex prohibitione Iuris antiqui, ne in locis suppositis interdicto officia diuina celebrarentur, nisi Missarum solennia à Rectoribus Ecclesiarum semel tantum in hebdomada ex permissione Gregorij Noni, in c. Permittimus, de sent. excom. rigorem illum moderari ac temperare volens concessit, vt tempore interdicti omnes Clerici quotidie celebrare possent quæcunque diuina officia adhibitis quatuor conditionibus & circumstantijs, nimirum ianuis Ecclesiæ clausis, submissa voce, non pulsatis campanis, & excommunicatis exclusis. Iam verò dubitant Doctores, neque leuis est contro-
C uersia, vtrùm Clericus celebrans omisso aliqua ex his quatuor conditionibus censeatur violare interdictum, ita vt incurrat irregularitatem.

In hac quæstione illud primo loco tanquam certum firmandum est Clericum tempore interdicti generalis loci celebrando vere, dici debere transgressorem interdicti, etiamsi vnam tantum ex dictis conditionibus non seruauerit. Ratio est, quoniam ex dispositione Iuris antiqui celebratio diuinorum officiorum simpliciter prohibita est, vt probatum est superius, & concessio facta iure nouo in dicto c. Alma limitata est cum illis conditionibus, idcirco qui celebrat omissa aliqua ex illis quatuor conditionibus, violat interdictum, & consequenter grauiter peccat, vt probatum
D est supra. Ita sentit Calder. in Tract. de interdicto par. 1. n. 76. vbi tenet propter quamcunque conditionem ex illis quatuor neglectam, quamuis omnes aliæ seruentur, violari interdictum, quia quælibet per se prohibetur in c. Alma §. Adijcimus, & in eandem sententiam citat Io. Andr. & Host. Idem dicunt in eod. cap. Alma §. Adijcimus, Anchar. num. 3. in fi. Gemin. nu. 3. in fi. Philip. Franc. nu. 3 qui addit tunc violari interdictum ex celebratione diuini officij cum transgressione cuiuslibet dictarum conditionum etiam illis seruatis, si celebretur in Ecclesia posita in loco interdicto. Secus verò, si id fiat in loco, vbi est interdictus populus, nam cum interdicto populo non censeatur in-
E terdictus locus, licitum erit in Ecclesia celebrare solenniter vt prius ianuis apertis absque violatione interdicti, exclusis tamen interdictis, vt per Feder. de Senis, consil. 67. Sylue. interdictum 5. § 7. Vers. Primum, Tabie. Interdictum 5. num. 2. Vers. Primo in princip. Armil. Interdictum n. 43. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. in princip. Couar. in cap. Alma, par. 2. §. 4 num. 6. Vers. *Decimo quarto*, Henriquez lib. 14 cap 7. nu. 3.

Tota difficultas est de irregularitate, vtrùm ex transgressione vnius conditionis, tantum alijs omnibus seruatis contrahatur irregularitas. Pro

parte

parte negatiua facit, quoniam illæ conditiones præcipiuntur adhiberi in celebratione diuinorum officiorum tempore interdicti, vt excludantur Laici, nè possint interesse diuinis officijs, & illa audire. Idcirco enim iubet Summus Pontifex, vt non pulsentur campanæ, neque aperiantur ianuæ, & submissa voce recitentur officia diuina exclusis excommunicatis, & interdictis, vt diuina secretò celebrentur nemine præsente, & audiente. Quare si Clericus prouideat, vt nemo ingrediatur Ecclesiam tempore celebrationis, quamuis pulsatæ sint campanæ, & ianuæ maneant apertè, & recitentur officia alta voce, non videtur dignus pœna, neque irregularitatis nota affectus.

Nihilominus communis sententia Doctorum est irregularitatem contrahi à Clerico, si celebrat in loco interdicto non seruatis omnibus conditionibus cap. Alma etiamsi vnica tantùm conditio negligatur, alijs omnibus seruatis, siue ob dictam transgressionem vnius conditionis sequatur, vt diuina officia audiantur à Laicis præsentibus, & interessentibus, siue recitentur, nemine in Ecclesia præsente, & audiente, dummodò tamen verè, & de facto officia diuina celebrata fuerint.

Hæc conclusio habet duas partes. Prima est Clericum celebrantem tempore interdicti fieri irregularem, quamuis vnicam tantùm ex illis quatuor conditionibus requisitis prætermittat: qua in re conueniūt omnes Doctores citati, & probatur ex Calder. nu. 76. Primò quoniam in dicto cap. Alma, §. Adijcimus, quodlibet illorum quatuor per se prohibetur. Secundò quoniam lex præcipit, vt illæ quatuor conditiones adhiberentur ad eum finem, ne officia diuina tempore interdicti audiri possent, sed quælibet ex illis conditionibus si omittatur, præbet causam, & occasionem, vt diuina audiri possint, ergo ex tali transgressione violatur interdictum, & consequenter incurritur irregularitas. Tertiò ad idem facit Clem. Ex frequentibus de sent. excommu. Vbi declaratur violari interdictum ab eis, qui celebrant in Ecclesijs, ianuis perforatis, vel fenestris in eis factis, ita vt existentes extra Ecclesiam audire valeant celebrantes in Ecclesia, & Corpus Christi conspicere, ergo multò magis videntur violare, qui ianuas ipsas Ecclesiæ aperirent.

Et eadem ratio militat, si aliæ conditiones negligantur, & licèt hoc videatur clarum, vt inquit Calder. tamen sufficit ita scriptum reperiri in Iure.

Contra opponere quis posset cap. Is, qui de senten. excom. lib. 6. vbi quis, *Præsentibus maiori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumit, licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in Iure, laqueum non incurrit.* Quare si celebrat coram excommunicato, non induit irregularitatem, multò minus irregularis erit, qui celebrat in loco interdicto omittens aliquam ex illis quatuor conditionibus.

Respondeo primò cum Calder. in Tractatu de interdicto par. t. nu. 77. Textum in dicto cap. Is qui non intelligendum esse de eo, qui scienter admittit excommunicatum tempore interdicti, sed alio tempore patet id ex cap. Alma § Adijcimus de sent. excom. lib. 6. Vbi permittitur celebrare tempore interdicti, sed exclusis excommunicatis & interdictis.

Respondeo secundò conclusionem firmatam desumi manifestè ex eodem c. Is qui, in §. Is verò, *Is verò, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super*

A *hoc priuilegiatus existat, aut à Iure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit, &c.* A iure autem conceditur in dicto cap. Alma, celebratio cum moderatione ibi expressa illarum quatuor conditionum, vt notat ibi Glos. Igitur si quis celebrat non adhibitis omnibus illis conditionibus, vel aliqua illarum prætermissa, erit irregularis.

Secundò obijci potest cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. Vbi non imponitur illis, qui celebrant in locis interdictis, pœna irregularitatis, sed interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ.

Respondet Calder. in Tract. de interdicto par. t. n. 77. tales violantes interdictum celebrando in loco interdicto, *Nisi quatenus eis à Iure conceditur*, vt di-
B citur in dicto cap. Episcoporum, interdici ab ingressu Ecclesiæ præter alias pœnas à iure statutas quas incurrunt, vt habetur in eodem cap. Episcoporum, inter quas est irregularitas, idcirco quamuis eis imponatur pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, non propterea liberantur ab irregularitate.

Quare ex dictis duo sequuntur, quæ clarissimè desumuntur ex dicto cap. Is qui de sentent. excom. lib. 6. Primum est, quòd is, qui scienter celebrat in Ecclesia vel Cœmeterio seminis vel sanguinis effusione polluto, vel alium actum proprium ordinis exercet, non est suspensus, neque irregularis, & ita tradit Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 3. conclus. 5. Riccard. distin. 13. art. 4. q. 1. Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 83. Tabie.
C Interdictum 6. nu. 2. Vers. Primo in fi. Henriquez lib. 13. cap. 51. num. 5. & lib. 14. cap. 7. num. 3.

Secundò colligitur, quòd qui scienter celebrat coram publicè interdictus à Iure, vel ab homine vel admittit nominatim interdictos ad diuina officia, vel Ecclesiasticam sepulturam, vel ad Sacramenta, dummodo hæc in loco non interdicto faciat, irregularitatis notam minimè incurrit, licèt remaneat interdictus ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciat ad arbitrium, cuius sententiam contempsit, ex cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. ita Palud. vbi supra Conclus. 2. & 3. & Riccar. loco citato, B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 4. Angel. interdictum 7. nu. 5. Sylue. Interdictum 6. §. 2. Vers. Tertium si Clericus, Tabie. Interdi-
D ctum 6. nu. 2. Vers. Primo.

Secunda pars conclusionis est irregularitatem incurri, si diuina officia celebrentur tempore interdicti non seruatis illis conditionibus, vel aliqua illarum, quæ habentur in cap. Alma, siue occurrat, vt diuina officia audiantur à Laicis, siue recitentur nemine præsente & audiente.

Est contra sententiam quorundam, qui putant non præcipi à Summo Pontifice obseruationem illarum conditionum simpliciter, quatenus sunt tales conditiones, sed tantum ad eum finem, ne diuina officia audiantur à Laicis. Quare si nullus sit, qui audiat, putante non violari interdictum, neque irregularita-
E tem, aut aliam pœnam locum habere etiamsi ianuæ maneant apertæ, & pulsentur Campanæ, & alta voce pronuncientur officia; quod tamen videtur omnino falsum, quoniam Summus Pontifex non solùm prohibet Clericis, ne diuina officia celebrent coram Laicis præsentibus & audientibus, sed simpliciter, ne diuina faciant contra formam præscriptam, in dicto capitulo Alma, ne audiri possint, vt habetur in capitulo Quod in te, de pœniten. & remiss. ibi, *Et voce ita demissa, quòd exteriùs audiri non possint.* Quamobrem ex his verbis apparet manifestè vetitum esse non solùm celebrare diuina officia, vt audiantur à

Laicis, sed neque taliter, vt audiri possint; Et quamuis sola pulsatio Campanæ, vel sola apertio ianuarum non sint actus alicuius ordinis, ex quibus actibus solum incurritur irregularitas, vt aliàs probaui, tamen violatio illarum conditionum coniuncta cum celebratione diuini officij inducit irregularitatem.

Sed hic merito dubitabit quis, an si Clericus tantum ianuas Ecclesiæ aperiat, vel aliam ex quatuor illis conditionibus non seruet ea intentione & fine, vt celebrentur diuina officia, sed mutato proposito re vera non sequatur celebratio, irregularitatem incurrat.

Nonnulli censent huiusmodi Clericum irregularē fieri, sed oppositum videtur probabilius, vt tenet Philip. Franc. in cap. Alma §. Adijcimus n. 4. de sent. excom. lib. 6 & ibi Anchar. nu. 6. paulo post princ. Vers. Sed fateor, qui affirmant non licere quidem Clericis campanas pulsare, quamuis diuina non celebrentur; tenet tamen propter hunc actum non incurrere irregularitatem. Et ratio est, tum quia irregularitas, vt sæpe dictum est, non incurritur, nisi exerceatur actus proprius alicuius ordinis, tum etiam quia irregularitas requirit actum perfectum & consummatum cap fin. 15. q. 1. & idem sentit B. Antonin. 3. par. tit. 26. cap. 4. post princip. Vers. Item si Clericus, & Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 78. Sylue. Interdictum 5. §. 7.

Secundò dubitari potest, num Clericus incidat in irregularitatē, qui tempore interdicti campanas pulsat, vel ianuas Ecclesiæ aperiat, vel admittit in Ecclesia excōmunicatos aut interdictos, quando Missæ, vel alia officia diuina ab alio Sacerdote celebrantur.

Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num 78. putat talem Clericum transgrediendo illas conditiones celebrante alio effici irregularem, quia cooperatur peccato ipsius celebrantis, & est particeps, vt dicitur in crimine criminoso, idest in crimine, propter quod imposita est ab ipso iure pœna irregularitatis cap. Nuper, & c. Si Concubinæ de sent. excom. Idem ait B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26 cap. 4. post princ. Io. And. in c. Alma, Sylue. Ver. Interdictum 5. §. 7. & citat Archid. Henriquez lib. 14 de irregularitate cap. 3. nu. 4. & Couar. in cap. Alma part 2 §. 4 nu. 6. Vers. De illo autem citat Villadiego in Tract. de interdicto, & Dom. in cap. Is cui, §. vlt. de sent. excom. lib. 6. Fundamentum huius sententiæ illud est, quòd tantum is fit irregularis, qui tempore interdicti excommunicationis, vel suspensionis actum egerit certo conuenientē ordini Ecclesiastico, Archid. 11. q. 3. cap. Excommunicatos, Felin. in cap. Ad audientiam in fi. de homic. Simon Maiol. lib. 1. c. 2. nu. 2. Vers. Sexta de irregular. At pulsare Campanas tempore interdicti ad officia diuina, vel aperire ianuas, non sunt actus peculiares certi ordinis Ecclesiastici, cum possint per Laicos agi, & quotidie agantur, quāobrem minimè contrahitur irregularitas ex his, neque fit irregularis ex eo, quod participet in crimine, ob quod alter celebrās fit irregularis, nam qui causa est alienæ irregularitatis, vt qui debilitat alterius membrum, aut generat illegitimū, non ideo fit irregularis ea participatione.

Fallit hoc, vt inquit Couar. quando quis auctoritate publica, vel etiam priuata pulsauerit campanas, aut ianuas aperierit, vt auctoritatem ipse præberet diuinorum celebrationi, tunc enim esset irregularis, vt tradunt etiam Innoc. & Abb. num. 6. de excess. Prælat. quorum sententia communior est, vt docet Villadiego, vbi supra, Tabie. Ver. Interdictum 6. nu. 1. ante fi. Hęc opinio videtur probabilior, & mihi magis placet, quamuis oppositum teneat Henriquez lib. 14. suæ summæ de irregular. cap. 7. num 4. ob eam rationem, quoniam præbere auctoritatem celebrationi diuinorum pulsando campanas, vel aperiendo ianuas Ecclesiæ, non est actus alicuius ordinis, quod requiritur ad contrahendum irregularitatem, neque alibi in Iure exprimitur ob talem actum quempiam fieri irregularem. Verùm non est discedendum à sententia Couar. & aliorum, nam primò falsum est aperire ianuas Ecclesiæ non esse actum alicuius ordinis, pertinet enim ad ostiarum, secundò quamuis pulsare Campanas & aperire ianuas Ecclesię non essent actus proprij alicuius ordinis, & ex hoc capite iuxta regulam Innocentij non oriretur irregularitas, tamen sufficit ita expressum esse in Iure. Et quamuis id non exprimatur de interdicto in specie, satis est ita fuisse statutum de excommunicatione, quoniam quantum spectat ad incurrendam irregularitatem ratione censuræ, qua quis sit obstrictus, eadem prorsus est ratio omnium trium Censurarum, vt alias probatum est, & in specie, quòd excommunicatio & interdictum paribus passibus ambulare videantur, probat Glo. in cap. Præsenti Ver. Declaramus de sent. excom. lib. 6. Quare cum idem Henriquez in eod. cap. 7. num. 3. fateatur excommunicatum incurrere irregularitatem, qui facit, auctoritate sua vt alius coram ipso diuina officia celebret, quamuis tunc excommunicatum nullum exerceat actum ordinis, de qua difficultate tractaui in materia de excommunicatione, pari ratione tenetur concedere contrahi irregularitatem in casu proposito.

Postremò, vt hoc caput concludam, non est prætereundum ea, quæ hactenus dixi de Irregularitate, quæ contrahitur, si tempore interdicti non seruentur conditiones præscriptæ in cap. Alma §. Adijcimus, diuina officia celebrantur intelligenda esse de interdicto generali loci, vt insinuaui initio Capitis, nam quando impositum est interdictum speciale loci, prohibitum est, vt in loco ita interdicto nullo modo celebrētur diuina, ita quidem vt seruatis etiam illis quatuor conditionibus diuina fieri nequeant. Ita tenet Glo. in dicto c. Alma §. Adijcimus Ver. Ecclesijs, dicens illam permissionem celebrandi cum illis conditionibus tempore interdicti non esse accipiendam de Ecclesijs interdictis, sed de illis, quæ existunt in loco interdicto, vt probat ex verbis eiusdem cap. in princ. *Terris seu locis*, quibus verbis significatur interdictum generale. Ad idem cap. Cum in partibus de verb. signif. ibi, *Cum autem in priuilegijs de Regno, & Prouincia nil expressè dicatur, nempe Terræ non solùm Regnum, vel Prouinciam intelligi volumus, verùm etiam Villam, & Castrum, vt & in his locum habeat, quod de generali dicitur interdicto*, igitur interdictum Terræ aut loci est interdictum generale, tale est illud, de quo agitur in cap. Alma. Simile habetur in capitulo Quod in te, de pœnit. & remiss. in cap. Quod nonnullis, de priuileg. ibi, *Cum communis Terra fuerit interdictum*. Quare permissio celebrandi cum illis conditionibus tempore interdicti locum habet solùm in interdicto generali loci, si celebrentur diuina in Ecclesia specialiter interdicta etiam cum illis conditionibus, vtique interdictum violatur, & ita sentit Franc. in dicto cap. Alma §. Adijcimus numero primo, Nauar. in Manua. capitulo vigesimoseptimo, numero 173. Vers. Dixi in loco, Syluest. Interdictum 5. §. 1. Vers. Similiter secundum Glossam, qui

tenet

tenet etiam prædictam moderationem locum non habere in interdicto populi seu Vniuersitatis non expresso loco in sententia, quia cap. Alma par. 2. §. 4. loquitur simul de interdicto generali loci, & Vniuersitatis, Villæ, Castri, Regni, & ita de similibus Couar. in d. c. Alma par. 2. §. 4. Vers. Primum, vbi plures alios citat in eandem sententiam, & in §. 5. num. 2. Vers. 3. Paul. Fusc. lib. 2. cap. 32. no. 4. de visit. Eccles.

Quamobrem si quis in Ecclesia specialiter interdicta etiam seruatis omnibus prædictis conditionibus celebrat, aut actum proprium ordinis exercet contra prohibitionem interdicti, nisi in casibus à Iure permissis, verè violat interdictum, & irregularitatis notam contrahit. Immo in Ecclesia ita interdicta, vt notat Couar. in dicto §. 5. n. 2. Tertiò non poterunt publicè nec secretò diuina officia celebrari, etiam in illis festiuitatibus enumeratis in dicto cap. Alma, in quibus ob illarum solennitatem permittitur publica celebratio diuinorum in locis generaliter interdictis.

CAPVT IV.

De aliis pœnis ab ipso iure impositis aduersus violantes interdictum quoad singulos eius effectus.

PRæcipua pœna violantium interdictum & alias Censuras, est irregularitas, de qua tractatum est quoad omnes effectus. Verùm præter irregularitatem sunt multæ aliæ graues pœnæ, quæ sunt modò explicandæ. Videndum est igitur, quæ sunt huiusmodi pœnæ, & quomodo incurrantur.

In primis violans interdictum in materia Sacramentorum, quia admittat personam interdictam ad ad sacraméta ab ingressu Ecclesię interdicitur, donec arbitrium eius, cuius sententia violatur satisfecerit competenter. Sumitur hæc pœna ex cap. Episcoporum de priuileg. lib 6.

De hac pœna quæritur, an generaliter sit lata in omnes, qui violant interdictum contra dispositionem dicti c. Episcoporũ, incurrant dictam pœnam, idest si scienter excommunicatos vel interdictos publicè ad diuina officia, Sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam admiserint.

Aliqui censent hanc pœnam latam fuisse in Regulares & seculares exemptos tantum, vt Io. Mona. in c. Is cui de sent. excom. lib. 6. Facit, quia multò maiori pœna videntur digni exempti, quibus cum plus honoris est delatum, reperiuntur in crimine l. Presbyteri, C. de episc. & Cleri. & est confirmata c. Presbyteri 5. q. vlt. & ideo videtur Ius voluisse statuere contra Episcopos tantum, ne priuilegiorum prætextu flagitiorum crescat auctoritas, l. 2. C. de priuileg. Schol. lib. 12. Sed oppositum tenet Glo. in dicto c. Episcoporum Ver. Ingressum, putans hanc pœnam locum habere etiam in non exemptis, & probat ex verbis textus, *quantumcunq; exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicę priuilegiis communitis*. Dictio illa, *Quantumcunque*, quæ est amplificatiua, significat intentionem esse Summi Pontificis velle comprehendere omnes, idest nedum non exemptos, sed etiam exemptos, facit c. 1. de pœn. lib. 6.

Eandem sententiam subscripserunt Palud. 4. sent. dist. 18. q. 8. §. Quantum ad principale conclus. 2. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 2. §. 2. & cap. 4 §. 1. Astr. lib. 7. tit. 11. art. 1. q 4. Syluc. Ver. Interdictum 6. §. 2. Dicto 3. & §. 4. & in Ver. Suspensio §. 23. Angel. Interdictum 4. num. 1. & Interdictum 6. nu. 5. & Ver. Suspensio num. 23. Idem tenent alij Summistæ.

Sed potest hic quæri de quibusdam casibus, & primò vtrum Sacerdos peragens rem diuinam præsente aliquo, de quo dubitat, an fuerit ei ab Episcopo Ecclesiæ ingressus interdictus, censeatur violasse interdictum, & ob eam ipsam causam in censuram aliquam, vel pœnam prolapsus sit.

Aliqui excusant talem Sacerdotem à culpa & à pœnis ob bonam fidem quæ fuit, qui potiùs credebat illum non fuisse interdictum ab ingressu Ecclesiæ, præsertim quia cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. Eos duntaxat coerceat qui præsumunt, cui opinioni opitulatur Nauar. in Manua. cap. 25. num. 94.

Mihi oppositum videtur probabilius, quia bona fides, rectaq; conscientia nihil agit, cum ancipiti cogitatione recti vel æqui, quod cognouerint, etiam Philosophi, quorum sententiam M. Cicero his verbis lib. 1. offic. explanauit, *Quo circa bene præcipiunt, qui negant quidquam agere, quod dubites, æquum sit an iniquum: æquitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat iniurię*. Quare dubitatio cum bona fide non potest consistere, itaque talis Sacerdos cum animo fluctuarit, bona fide caruit.

Secundò dubitari potest de alio casu, vtrùm Sacerdos, qui in quodam Sacello auctoritate Episcopi erecto, & in quo sacrum fieri solet, confessionem cuiusdam audiuit, cui ingressus Ecclesiæ à Iudice nominatim interdictus erat, licèt absolutionem non impertitus fuerit, interdictum violauerit, atque ob eam causam censuram aliquam incurrerit, & an ob celebrationem affectus sit irregularis.

Pro parte negatiua facit, quoniam nemo censuris illaqueatur Ecclesiasticis, qui non perficit actionem, quæ censura mulctatur. At hic Sacerdos confessionem hominis interdicti audiuit, sed non absoluit, sicque prætermisit præcipuam partem, quæ in absolutione consistit, ergo laqueum censuræ vitauit. Deinde quoniam tempore interdicti non solum ægris, sed etiam valentibus Sacramentum conceditur pœnitentiæ ex cap. Alma de sent. excom. lib. 6. tum quia nominatim excommunicati & interdicti possunt extra diuinorum officiorum tempus templa ingredi ad concionem audiendam, & ad orandum priuatim, cur ergo non poterit ingredi interdictus post diuina officia petendi consilij causa à Sacerdote in ipsa Confessione peccatorum.

Oppositum tamen est probabilius, nempe talem Sacerdotem remanere interdicto obstrictum, & celebrando irregularitatem contrahere.

Probatur ei, qui ad diuina officia interdictum admitit, ingressus Ecclesiæ est interdictus ex c. Episcoporum de priuileg. lib. 6. Qui verò ab ingressu Ecclesiæ est interdictus, si in ea celebret, fit irregularis ex c. Is cui de sent. excom. lib. 6. sed Sacerdos ad diuina officia admisit nominatim à Iudice interdictum, ergo in pœnam incidit interdicti, & post celebrationem irregularitatem incurrit, nam functio certò ordini siue minori siue maiori attributa, propriè diuinum officium esse dicitur, vt patet ex Innoc. in cap. Tanta de excess. Prælat. & Abb. in cap. 2. & in cap Illud num. 8. de Cleri. excom. Mini. sed audire Sacramentalem confessionem à pœnitente est functio diuina ordini Sacerdotali assignata, & hãc exercuit Sacerdos cum pœnitente interdicto intra Ecclesiam, ergo interdicti poena irretitus est, & irregularis effectus, cum postea rem diuinam peregit.

Ad ea, quę contra obijciebantur responderi potest, nam licèt Sacramentum pœnitentiæ inchoatum,

& imperfectum fuerit, quia ei absolutio defuit, tamen auditio Sacramentalis confessionis perfecta fuit; in qua auditione tota spectatur diuini officij vis atque natura. Item tempore interdicti conceditur quidem sanis Sacramentum pœnitentiæ ex cap. Alma Mater. Verùm in eodem cap. disponitur, vt hoc beneficio nō gaudeant ij, quorum fraude, culpa, vel dolo pronunciata est sententia interdicti, huius generis fuit Sacerdos recipiens intra Sacellum ad diuina illum interdictum. Tandem quamuis possint excommunicati, vt aliquibus placet, & interdicti ex communi sententia Doctorum extra tempora diuinorum officiorum orandi gratia ingredi Templum, & illic consistere, tamen ab hac permissione excipiuntur illi, quibus ingressus in Ecclesiam primò & per se est interdictus, B licèt hæc exceptio non admittatur à Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. num 3. Sed de hoc dixi superiùs verum etiam si daremus omnibus interdictis orandi causa permissum esse in Ecclesiam extra diuina officia ingredi, non idcirco sequitur, vt cum interdicto Sacerdos ingredi possit ad diuinum officium exequendum eo modo quo exercuit ille Sacerdos cum interdicto.

Secundò Clericus violans interdictum, idest si ipse sit interdictus, vel in loco interdicto exerceat actus ei prohibitos vt prius, est suspensus ab officio & iurisdictione, vt inquit Sylue, Interdictum 6. §. 3. ex capit. Tanta in fin. de excess. Prælat. *Tam præsumptores eosdem, quàm omnes alios, qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, suspendas auctoritate Apostolica ab officio & beneficio*. Et hoc inquit Sylue. communiori sensu & probabiliori Glossæ & Doctorum tenendum esse, nam, vt notat Glo. ibi Ver. Irritas in fine, quamuis textus dicat, *Ab officio & beneficio suspendas*, tamen hoc ad factum illud particulare illius tex. est referendum, quia mandatur Archiepiscopo Braccaren, vt illos declaret suspensos, verùm etiam antea erant suspensi violando interdictum.

Tertiò violator interdicti simpliciter circa quamcunque materiam fit inhabilis, ne possit eligi, habetur expresè hæc pœna in cap. Is qui §. Is vero de sentent. excom lib. 6. *Et adeo efficitur irregularis, quòd nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.* Vbi Glo. penult. & vlt. notam huiusmodi violatorem amittere potestatem eligendi actiuam & passiuam, & non possit eligi, neque cum alijs eligere. Item vt non tantum sit ineligibilis, sed etiam inpostulabilis, vt statuit Innoc. Tertius in cap. 1. de postul. Prælat. ibi, *Postulationem huiusmodi, non propter postulantem Ecclesiam, sed propter postulatam personam*, scilicet quia non seruauerat interdictum, *repulimus vt indignam*. Ille eligi potest, qui est capax electionis, nec potest ab Ordinario refutari, sed est necessario confirmandus aliàs deuoluitur ad Superiorem, Sed quando, qui eligitur, non erat eligibilis propter aliquem defectum, puta natalium, vel ætatis, aut simili, tunc postulatur. Quare postulatio dependet ex mera gratia Superioris, quæ postulatio fit à solo Romano Pontifice, qui dispensabit circa defectus. Quòd si Episcopus dispensare potest, tunc ab Episcopo postulari potest. Ita docet Innoc. in cap. 1, num. 3, de postulat. Prælat. & in c. fin. nu. 5. de excess. Prælat, B. Antoni. 3. part. summæ tit. 26. capitulo 4. ante fi. Sylue. Interdictum 6. §. 2. Vers. Secundum Angel. interdictum 7. num 2. Tabien. Interdictum 6. nu. 1. in princ. Domin. Sot. lib. 4 sent. distinct. 22. q. 3. art. 1. Henriquez lib. 13. de excom. & interdict. cap. 46. nu. 3. Nauar. in Manua. cap. 27. numero 187. Vers.

A Decimo nono. Abb. in cap. Postulastis numero 5. de Cleric. excom. Ministr. Gemin. in cap. Is qui. §. Is verò num. 4. Anchar. n. 3. qui addit, quòd si non admittitur ad eligendum, multò minus ad conferendum actiuè vel passiuè.

Vt autem hæc pœna incurratur, opus est, vt scienter violetur interdictum. Dicitur autem scienter violari, quando postquam publicè promulgatum fuerit, non seruatur, etiam si peculiariter ad eos non fuerat intimatum, qui illud seruare negligunt, vt dicitur in c. 1. & ibi Glo. Ver. Publicè promulgauerit de postul. Prælat. quo casu non sufficit allegare ignorantiam, nisi probetur, vt dicit Glo. Ideo autem talis violator interdicti non potest eligere, quoniam vt ibi notat Glo. Ver. Personam, est irregularis & suspensus, & B idcirco neque eligere debet, nec excommunicare, nec beneficium conferre, quia claues Ecclesiæ contemnit, vt expresè habetur in c. fin. de excess. Prælat.

Quare talis Clericus, qui violauit interdictum, & consequenter factus est irregularis, si eligatur electione Ecclesiastica, debet eligi aliquo modo ad vsum Ordinum à quorum perceptione est prohibitus, & ideo talis electio quoq; est prohibita. Specialiter verò ex vi huius tex. videtur iste irregularis ita ineligibilis fieri, vt eius electio sit irrita, vt colligitur ex c. 1. de postul. Prælat. Vbi postulatio personæ, quæ interdictum violauerat, repellitur vt indigna quod indicat nullitatem actus, sicut electio indigna est nulla. C Sed quoniam irregularitas per se non priuat potestate eligendi, quia non priuat vsu iurisdictionis, ideo dum in dicto cap. Is qui §. Is verò de sent. excom. lib. 6. dicitur huiusmodi irregularem non esse admittendum ad eligendum, noua pœna adiungitur, quæ est suspensio quædam, vt indicat Glo. in dicto c. 1. Verb. Personam de postul. Prælat. dicens talem esse suspensum, & ideo eligere non posse, & subiungit Glo. non posse etiam beneficium conferre, nec excommunicare, & desumitur ex c. fin. de excess. Prælat. Vbi declarantur irritæ & nullæ omnes institutiones, destitutiones & collationes beneficiorum, atq. excommunicationes, seu interdicti sententiæ à quondam Episcopo post interdicti violationem latæ Quam suspensionem D dicit Domin. Sot. in 4 sent. dist 22. q. 3. art 1. conclus. 5. intelligendam esse ab officio & beneficio. Idem inquit Caiet. in Summa Ver Interdicti violatio, sed in Iure sit tantum mentio de suspensione ab officio, ex qua non infertur necessariò suspensio à beneficio, vt probatum est in Tract. de suspensione.

Ex dictis sequitur hanc pœnam, qua priuatur Clericus, qui violauit interdictum, potestate eligēdi actiuè & passiuè non pendere ab irregularitate, quæ contrahitur ob celebrationem, sed per se impositam esse ab ipso Iure, cum illam incurrat, qui irregularis fieri nequit, vt de monialibus probat Nauar in Man. cap. 22. num. 187. Vers. Decimonono dico.

E Quartò violans interdictum dignus est, vt priuetur beneficijs, quæ possidet, vt ab Innocentio Tertio statutum fuit in cap. Postulastis §. Quæsiuistis in fin. de Cleri. excom. Mini. Vbi de Clericis & Monachis violantibus interdictum ita dicit, *Ad hoc breuiter respondemus, quòd Clerici, qui talia præsumpserint, sunt ecclesiasticis beneficiis priuandi, Monachi verò vel Moniales in arctioribus Monasteriis ad peragendam pœnitentiam detrudendi*. Ita tenet Palud. in 4. sentent. distinct. 18. quæst 8. artic. 4. princip Vers. Quintum ad decimum octauum, B. Antoni. 3. par. tit. 26. capitulo 4. ante fin. Ang. Interdictum, 7. numer. 4. Sylue.

Inter-

Interdictum 6. §. 3. Henriq. lib. 13. cap. 46. num. 3. in fi. Abb. in dicto cap. Postulastis num. 1. & 5. de Cleri. excomm. mini. & in cap. fin. num. 2. de excess. Prælat. vbi ait, quòd Clericus violans interdictum, etiam si sit latum à Papa, non est ipso facto priuatus beneficijs, sed priuandus per sententiam, licèt sit suspēsus, quoniam neque homicida, neque irregularis est priuatus ipso facto beneficijs. Et in eodem §. Qua fiuistis, de Monachis, & Monialibus violantibus interdictum dicitur, quia carent beneficijs, in arctiora Monasteria ad agēdam pœnitentiam detrudendos esse. Neque de omnibus violatoribus generaliter id videtur intelligendū, vt ex verbis textus colligitur, sed de his, qui adeo pertinaces sunt in hoc delicto, vt etiam ob hanc causam excommunicati ab homine in eadem contumacia cū interdicti contemptu perdurant. Et ita verum erit id, quod ibi Glo. notat Ver. Spoliandi ex illo cap. non fore spoliandos beneficijs ante huiusmodi contumaciā, licet oppositum innuat Nauar. in Manua. cap. 27. numе. 187. & alij, qui vniuersaliter dicunt Violatores interdicti hac pœna esse afficiendos ex Abb. ibi num. 5. & Couar. in c. Alma par. 2. §. 2. num. 2.

Quartò talis Clericus meretur pœnam depositionis perpetuam, vt habetur in c. Clerici, de Cleri. excom. mini. *Clerici autem si qui à suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis interdicti, vel excommunicati, ante absolutionem diuina officia celebrauerint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetua depositionis sententiam tantæ temeritatis incurrant.* Et in cap. sequenti latores, de excommunicatis, & interdictis celebrantibus ita statuitur, *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si quadraginta solummodo, vel pauciores in his deliquisse constiterit, perpetua depositione condemnes &c.*

Hæc depositio intelligitur ab officio, & beneficio, vt inquit Abb. in dicto c. Clerici num. 1. & idem innuit Glo. ibi, & Ver. Moniti.

Sed quæri potest, an hæc depositio fieri possit per Iudicem statim habita notitia de celebratione, vel ante sic monendus ille, qui celebrando violauit interdictum. Ratio difficultatis sumitur ex dicto cap. Clerici, vbi Alexander Tertius præcipit, vt tales Clerici interdicti celebrantes perpetuę depositionis sententiam incurrant, *Nisi moniti sine dilatione redierint.* Ex quibus verbis colligitur mens Summi Pontificis, vt inquit Glo. Ver. Monachi, quòd si se emendare voluerint, non deponantur, & sic videtur consequi necessariam esse monitionem.

Oppositum tamen ibi concludit Glo. & tenet Abb. nimirum suspensum, interdictum, & excommunicatū celebrantem diuina officia statim deponi debere, quātumuis vellet se corrigere: neque ex necessitate præmittendam esse monitionem, & quod dicitur de monitione, inquit Glo. intelligendum esse de dispensatione; sicut non est necessaria monitio, quando quis suspenditur ob aliquod crimen commissum, vt inquit Abb. in cap. Si quis Presbyter nu. 2. de Cleri. excomm. mini. Depositio autem est perpetua, suspensio secus, si imponeretur suspensio propter contumaciam, vt notat Innoc. in c. 1. de excess. Prælat. Qua in re præter alias differentias, de quibus suis locis dictum fuit, distinguitur suspensio ab interdicto, depositio, & aliæ pœnæ ab excommunicatione, quia excommunicatio nunquā fertur, nisi propter contumaciam, sed aliæ pœnæ possunt infligi absque contumacia ob crimina commissa, quamuis qui deliquerunt, sint parati velle se corrigere, sed ad imponendam pœnam non requiritur necessariò monitio præcedens, quæ tantum necessaria est

A propter dispensationem iuxta mētem Glo. quoniam, vt inquit Abb. in c. Clerici num. 2. eodem tit. ex sententia Host. quia quando Sacerdos interdictus, qui celebrauit, vult se corrigere, & desistere à celebratione, Episcopus potest cum eo dispensare, secus si in contumacia velit obstinatè persistere, tunc enim solus Papa dispensat; Ideo monitio requiritur ad facultatem dispensandi. Sed Glo. in dicto cap. Clerici Ver. Moniti, concludit quod solus Papa dispensare potest. Vnde Abb. ibi distinguendo nititur vtrunque concordare, vel enim quæritur, vtrum talis celebrans per inferiorem à Papa liberari possit ab irregularitate iam contracta, & negatiuè respondendum est iuxta cap. 1. de sent. & re iudi. lib. 6. & cap. 1. de senten. excomm. lib. 6.

B quibus locis hæc potestas simpliciter Papæ reseruatur, aut quæritur de pœna depositionis imponenda per Iudicem, in qua dispensare potest Episcopus cum eo qui paratus est ad se corrigendum, maximè quia celebrando efficitur irregularis ipso iure, meritò facilius debet admitti dispensatio circa dispositionem alterius pœnæ, ne duplici pœna conteratur contra cap. At si Clerici de iudi. Vnde duo casus colligi possunt, in quibus hæc pœna depositionis videtur posse mitigari, vt Clerici interdicti, qui celebrauerint, non sint perpetuò deponendi. Primus desumitur ex eodem ca. Clerici, nempe quando tales Clerici moniti, vt desistant à celebratione, statim omni dilatione postposita parent desistentes a celebratione, tunc enim non de-

C ponuntur, sed alia mitiori corriguntur. Secundus casus colligitur ex c. Latores, vbi cum magnus esset numerus Clericorum, qui celebrando deliquissent, vt sine scandalo, & magno detrimento, & incommodo Ciuitatis, aut Prouinciæ, vel loci vbi factum accidisset, omnes non essent deponendi, sed ad euitandum scandalum, vel quid simile, multitudini parcendum esset, ideo Summus Pontifex in dicto cap. Latores mādat Archiepiscopo Toletano, vt si quadraginta tantū, vel pauciores fuerint, qui celebrando deliquerint, omnes imperpetuum deponantur ab officio Sacerdotali, si verò magnam multitudinem in hoc peccasse constiterit illos, quos causam delicti dedisse cognouerit, deponat; Alios, quorum non adeo grauis fuit culpa,

D ab officio ad tempus suspendat. Omnibus verò, sicut ei videbitur, poenitentiam iniungat. Licèt enim omne crimen irregularitatem inducens, sit dignum depositione, vt inquit Abbas in eodem cap. Latores num. 2. tamen nonnunquam ex causa hæc poena mitigari potest, vt Ciuitas detrimentum patiatur, sicut contingeret, si omnes Sacerdotes deponerentur. Et hic casus occurrere potest non rarò, vt inquit Abb. nu. 5. quando Ciuitate interdicta Clerici compelluntur à Domino Temporali ad celebrandum.

Suspensio autem, qua suspenduntur Clerici, qui celebrando deliquerunt, sed non adeo grauiter, quia nō fuerunt auctores, & impulsores ad celebrādum intel-

E ligitur ab officio, & beneficio ex sententia Glosæ in dicto cap. Latores Ver. Ab officio, quia inquit, quando vnum est propter alterum, ibi vtrobique est vnum c. Eos dist. 86. quia remoto principali remouetur etiam accessorium, & huic opinioni adhæret Host. vt refert Abb. nu. 7. qui tamen concludit, quod vbi constat de mente suspendentis, illa seruanda est, si autem non apparet, tutius esse abstinere ab vtroque officio scilicet & beneficio, verum, si suspensus non abstineat, non fieri irregularem.

An verò Clericus iam depositus per sententiam restitui possit per inferiorem à Papa. Quæstio est perplessa

plexa apud Doctores, de qua plura, & varia dicuntur à Glo. & Doctoribus in locis, quæ citantur ab Abb. in cod. c. Clerici num. 3. de Cleri. Excomm. mini. eamq; fusius pertractaui in tit. de suspensione Disp. 2. Cap 9, quare non opus est hoc in loco aliud addere.

Sextò contra Religiosos Interdictum non seruantes, vbi Ecclesia Cathedralis, vel quæ in loco est Matrix, fertur Excommunicatio, quæ ipso iure incurritur, vt habetur in Clem. 1. de sent. excom. ibi, *Alioquin non seruantes*, scilicet Interdictum, de quo antea habetur sermo, *Excommunicationis sententiæ hoc ipso volumus subiacere.*

Notat ibi Glos. Ver. Subiacere, addi hanc pœnam excommunicationis ad alias pœnas latas in iure contra huiusmodi violatores, nempè in cap. fin. de excess. Prælat. c. Auctoritate, de priuileg. cap. Episcoporum eod. tit. lib. 6. cap. Is qui, de sent. excom. & posse contingere casum, in quo pœna hæc excommunicationis liget dictos Religiosos, non autem aliæ pœnæ iuris, & è contra explicat hoc dictum Glo. Vel in casu, quo sententia interdicti verè non ligat; vel quia lata fuit post legitimam appellationem, vel ob aliam nullitatem, & tamen Matrix Ecclesia illam seruet, tunc Religiosi violantes huiusmodi interdictum obstringuntur excommunicatione dictæ Clement. sed non alijs poenis iuris. E contra si sententia fit valida, quia legitimè est prolata, si Matrix Ecclesia illam non seruat, Religiosi violantes tale interdictum ligantur alijs pœnis iuris, non autem hac pœna Excommunicationis Quã do sententia interdicti valida est, & tenet, & seruatur ab Ecclesia Matrice, Religiosi violantes vtrisque pœnis alligantur. Si autem sententia interdicti nõ tenet, neque seruatur ab Ecclesia Matrice, tunc Religiosi neutris poenis obstringuntur. ita tenet Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 3. princ. conclus. 4. Angel. interdictum 7. num. 8. Tabie. interdictum 3. num. 2. Vers. Primò ante fi. Syluc. Interdictum 6. num. 3. Vers. Secundum.

Ad declarationem huius excommunicationis nonnulla sunt notanda, & primò vinculo huius excommunicationis non remanere innodatos Clericos seculares, seu laicos violantes interdictum, sed tantum Religiosos, & ex genere Regularium omnes siue Mendicantes, siue non Mendicantes, vt notat Glo in dicta Clem. Ver. Religiosi, vbi recenset omnes casus sigillatim, in quibus ligantur Religiosi tantum. Idem ait Nauar. in Manuali c. 27. nu. 146. Card. io dicta Clem. num. 18. in fi.

Secundò notandum est excommunicationem hanc incurri, si violetur interdictum generale loci à Religioso, secus est de interdicto speciali, vt notat Card. in dicta Clem. 1. nu. 5. Vers. Nono nota, & Nauar. dicto nu. 146. Vers. Secunda.

Tertio hæc excommunicatio habet locum etiam, quando interdictum, quod violatur, fuerit nullũ, quia latum fuit post præcedentem appellationem, vel ob aliam causam, Glos. fingul. Ver. Appellationibus, & probat ex tex. ibi, *Non obstantibus quibuscumque appellationibus.* Non vult Summus Pontifex, inquit Glos. præcedentem appellationem legitimè interpositam non impedire vim interdicti ferendi iuxta c. Ad hæc quoniam, & cap. Dilectis, cum similibus de appell. sed intelligit, quòd quamuis fit nullum ex aliqua causa, tamen si Ecclesia Matrix illud seruat, Religiosi violantes sunt excommunicati, Nauar. dicto num. 146. Vers. Tertia, Card. num. 13. In hoc tamen casu, quando interdictum non tenet, vt notat Card. quamuis Religiosi non seruantes interdictum sint excommunicati, non sunt tamen irregulares eo ipso, quòd violant interdictum exercendo actum aliquem proprium Ordinis, sed efficiuntur irregulares, si postquam innodati sunt, excommunicationis vinculo adhuc celebrare præsumunt.

Quartò notandum est hanc excommunicationem locum habere, si Religiosi non seruent interdictum, quod seruatur ab Ecclesia Matrice, quamuis dicta Ecclesia subesset eisdem Religiosis, Card. num. 21.

Quintò notandum est, vt inquit Nauar. dicto num. 146. Vers. Quarta, non satis esse interdictum seruari à nonnullis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, seu Matricis, vt Religiosi sub poena excommunicationis huius Clem. teneantur ad illud seruandum, si beneficiati, & Clerici, atque alij Cappellani Ecclesiæ illud non seruarent, sed publicè celebrarẽt, sed opus esse, vt ab omnibus seruetur. Dicitur autem seruari, quando Clerici animo abstinendi seruant, sicut & violare censentur, quandiu propositum violandi habent, etiam si non celebrent qualibet hora diei, vt inquit Card. nu. 23. Quare si semel violarunt, præsumuntur semper violare, nisi aliquo signo externo appareat, quòd velint illud seruare, vt quia ita dixerint, vel se obligauerint. Neque quoad interdictum Prouinciæ sufficit, quòd Ecclesia Metropolitana seruet Interdictum, vt omnes Religiosi in ea Prouincia teneantur vinculo excommunicationis, si illud violauerint, vt concludit Glos. in dicta Clem. Ver. Matricem, Card. num. 24. & ratio est, quia Ecclesia Metropolitana non dicitur Matrix singularium Ciuitatum, quæ sunt in Prouincia, sed tantum Ciuitatis Metropolitanæ. Si verò sit interdicta aliqua Terra, vbi non adsit Ecclesia Cathedralis, vel plures Parochiales, tunc, vt dicunt Nauar. dicto num. 146. Vers. Quinta, & Card. num. 25. ex sententia Glo. in dicta Clem. Ver. Matricem, si vnica sit Ecclesia Parochialis in illo Oppido, illa dicitur, in eo Matrix. Si multæ diuisæ, necesse est, vt ab omnibus seruetur Interdictum, vt Religiosi incidant in excommunicationem illud violantes, quia Ecclesia illa vnica Parochialis, vel plures illi iunctæ æquiparantur in illo Oppido Ecclesiæ Matricis, si nulla adsit principalior Ecclesia.

Sextò notandum est hanc excommunicationem incurri à Religioso, si violetur quodcumque interdictum positum à iure, vel ab homine quacunque aucto. ritate, quod annotatum fuisse à Bonif. in dicta Clem. contra Card. & Imol. tradit Nauar. dicto num. 146. Vers. Septima.

Septimò si Episcopus mandat, vt seruetur interdictum, & nihilominus Ecclesia Cathedralis, seu Matrix illud non seruat, Religiosi non seruantes non incidunt in poenam excommunicationis, vt tanquam probabilius tenet Card. nu. 28. quoniam Summus Pontifex ad incurrendam hanc excommunicationem postulat obseruantiam Ecclesiæ Matricis, nam cum sit lex poenalis, non debet trahi ad casus non expressos, vt ibi Card. asserit num. 26. in casu, quo in loco interdicto nulla esset Ecclesia Religiosorum, tunc enim non haberet locum hæc poena.

Octauo licèt Tex. dicat obstringi excõmunicatione Religiosos, qui non seruant interdictum, scientes illud seruari à Matrice Ecclesia, tamen, vt inquit Card. num. 29. ex sententia Glos. ab hac poena non excusat qualibet ignorantia, sed probabilis tantum, vt si degant in loco remoto à Ciuitate, & loco interdicto, & pauci sint, qui ad eos accedant, & consequenter ad aliquod

aliquod breue tempus, probabili ignorantia laborare possunt de obseruantia interdicti. In dubio autem semper censenda erit ignorantia crassa, & affectata cum obseruatio interdicti sit res publica, quæ omnibus patet c. 1. de postul. Prælat.

Postremò notat Nauar. dicto nu. 146. Vers. Octaua ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 12. de regul. quòd Regulares teneantur ex mandato Episcopi in eorum Ecclesijs promulgare, & seruare omnes Censuras, & interdicta, nedum à Sede Apostolica promulgata, sed etiã ab Ordinarijs locorum imposita. Hæc de excommunicatione lata contra Religiosos non seruantes interdictum, quod seruatur ab Ecclesia Matrice modo prædicto.

Rursus fertur excommunicatio ab ipso iure contra Fratres Minores, si tempore interdicti recipiũt in suis Ecclesijs ad diuina Fratres, & Sorores Tertij Ordinis Sancti Francisci in Clement. 3. in fi. de sent. excom. ibi. *Quod si fecerint*, scilicet prædictos admiserint, *eo ipso excommunicationis sententia se nouerint subiacere, à qua per alium, quàm Romanum Pontificem, vel satisfactione præmissa per locorum Episcopos, quos auctoritate Apostolica fungi volumus, in hac parte absolutionis beneficium nequeant obtinere.*

Hæc excommunicatio peculiariter lata est contra Fratres Minores, & non concernit alios mendicantes, Minores verò excommunicantur, si recipiant ad diuinum officium illos, qui sunt Tertij Ordinis, qui licet institutus sit à B. Francisco, vt dicitur in dicta Clem. & ibi Glo. & sit aliqua communio cum primo, & secundo Ordine, tamen non est propriè verus ordo, quia eius professores non vouent tria vota necessaria, & ideo prohibentur admitti ad diuina officia, ac si essent extranei, sub poena excommunicationis, non obstantibus priuilegijs. Quare isti Fratres Minores du plici excommunicatione erunt obstricti, nempe quando non seruant interdictum, quod seruatur ab Ecclesia Matrice, & simul admittant Fratres, & Sorores Tertij Ordinis in suis Ecclesijs ad diuina, & aliquando incidere possunt in excommunicationem latam in Clem. 3. tantum si seruauerint interdictum, sed admittant dictos fratres, & sorores ad diuina cum nec de ratione cap. Alma Mater, vt notat Glo. in ead. Clement. Ver. Subiacere, & ibi Anchar. & Card.

Item excommunicatio ob violationem interdicti reperitur in iure lata contra Dominos Terrarum, qui in locis interdicto suppositis cogunt aliquem ad celebrandum diuina in Clem. 2. de sent. excom. vbi tales Temporales Domini, ne publicè excommunicati, vel interdicti moniti exeant ab Ecclesijs impediunt, & ipsi nominatim moniti, qui non exeunt, omnes illos inquit Summus Pontifex, *Excommunicationis sententia, à qua per Sedem duntaxat Apostolicam possint absolui, Sacro approbante Concilio innodamus*, Quia sæpe Domini Temporales, nempe Reges, Principes, Barones, & alij nobiles consueuerunt in contemptum Ecclesiæ varijs modis violare interdictum, Idcirco Clemens V. in Concilio Viennensi volens huic incommodo occurrere, ne Censuræ Ecclesiasticæ negligerentur cum dedecore dignitatis Ecclesiæ. Et huiusmodi Dominos Temporales, qui modis prædictis interdictum violare præsumerent, gladio excommunicationis ferire, vt ab hac temeritate saltem seuioris poenæ formidine retraherentur.

Notandum est primò ad explicationem huius excommunicationis, quòd hæc excommunicatio afficit personas Ecclesiasticas, si sint Domini Temporales, & in præmissis deliquerint, etiam si sint Episcopi, & Ecclesiarum Prælati, vt notat Glos. Ver. Temporales.

Objiciunt aliqui contra primò quoniam cum hæc Constitutio sit poenalis, non est extendenda, præsertim quoniam contra huiusmodi Prælatos transgressores interdicti aliæ poenæ latæ fuerunt, Secundò quia minus verisimile videtur, vt Prælati, qui à Summo Pontifice hanc Constitutionem promulgari procurarunt, suppliciter petere voluerint à Summo Pontifice, vt ferret Constitutionem cum poena, in qua ipsimet includerentur; Tamen Card. in dicta Clem. num. 11. oppositum censet verius, sicut tenet ipsa Glo. Neque in hoc casu dicitur extendi Constitutio, quia Prælati habentes iurisdictionem temporalem, sub ea ratione propriè vocantur Domini Temporales.

Secundò notandum est hanc excommunicationem locum habere, siue interdictum sit latum ab homine, vel à iure, vt inquit Glo. Ver. Suppositis, & Card. nu. 11. quia tex. loquitur generaliter.

Sed difficultas est, quam ibi proponit Glo. de eo, qui scit interdictum latum esse à iure, vel ab homine, tamen eius denunciatio adhuc non est promulgata, an illud seruare teneatur. Et pro parte affirmatiua facit, quia sufficere videtur scire locum esse suppositum interdicto, licèt non sit publicatum, arg. c. Cum non ab homine, de sent. ibi, *Quod à communione illius, qui pro sacrilega manuum iniectione in Clericum in edictam excommunicationis incidit, licèt denunciatus non sit, debes abstinere*, Vbi Glo. Ver. Denunciatus, reddit rationem, quoniam, qui scit, certiori non debet l. 1. in fi. ff de act. empt. & vendit. ex c. Si inimicus dist. 93. quia excommunicatio executionem secum trahit, & denunciatio fit propter ignorantes. Similiter in cap. Cum desideres in fi. primi responsi, de sent. excomm. ibi, *Quia quis cum Excommunicato scienter communicauerit, excommunicationis pœnam contrahit*. Secundò quoniam, vt inquit Archid. in cap. Is qui de sent. excomm. lib. 6. quia celebrare est actio voluntaria, vnde reus est culpæ, qui agit rem illicitam propter Superioris prohibitionem, & loci inhabilitatem, nisi factum esset occultum. Pro parte negatiua facit 11. q. 3. § Euidenter, *Eorum communionem vitare non cogimur, qui sententia notati non sunt*. Vnde inquit Glo. in dicta Clement. Grauis Ver. Suppositis, quòd fortasse expediens foret, vt Summus Pontifex statueret Clericos non teneri ad obseruationem interdicti à iure, nisi prius fieret illius declaratio. simile habetur in c. Cum secundum in fi. de hæret. lib. 6. cap. Quamquam de Censi. lib. 6. vbi, qui transgrediuntur illam constitutionem, non incurrunt poenas ibi latas, scilicet excommunicationis, & interdicti, nisi per Dioecesanum publicati fuerint.

Ad hanc difficultatem respondeo primò poenam excommunicationis incurri, si non obseruetur Interdictum, quod est per sententiam Superioris publicè promulgatum, quamuis ad singulorum notitiam non peruenerit. quia ille, qui nouit interdictum esse solenniter editum, aut publicè promulgatum, vt ad eius obseruantiam teneatur, vt habetur in c. 1. de postul. Prælat. & probat Card. in dicta Clem. 2. & in Clem. 1. Ver. Alioquin num. 3. eod. titu. quoniam qui scit, non opus est, vt certior reddatur Reg. Eum qui certus, de reg. iur. lib. 6. Card. vbi supra.

Dico secundò hanc regulam pati exceptionem, quando ab ipsa lege requiritur tanquam conditio ad incurrendam excommunicationem, vt transgrediens interdictum nõ solum sciat interdictum legitimè promulgatum esse, sed à Clero, & populo obseruari, tunc

enim,

enim, qui violaret interdictum sciens illud fuisse per sententiam Iudicis publicè promulgatum, & ignoraret eius obseruantiam, non remaneret excommunicatus, sicut in casu Clem. 1. de sen. excom. Vbi excōmunicatio fertur contra Religiosos, qui scientes aut vidētes Ecclesiam Matricē obseruare interdictum, ipsi tamen illud contemnunt, tales enim Religiosi, quamuis notitiam habuerint de sententia interdicti solenniter lata per Superiorem, si tamen ignorant tale interdictum non obseruari ab Ecclesia Matrice, non obstringuntur excommunicatione, vt ibi dicit Card. nu. 29 dummodo tamen ignorantia sit probabilis.

Præterea pœna etiam excommunicationis innodantur ipso iure omnes, qui cadauera defunctorum tempore interdicti localis in casibus à iure non permissis ecclesiasticæ tradunt sepulturæ, à qua absolui nequeunt, nisi antea arbitrio Ordinarij illis, quibus ob hanc causam iniuria est irrogata, penitus satisfecerint, vt statutum fuit in Clem. 1. de sepult. his verbis, *Decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere, à qua nullatenus absoluantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.* Excommunicantur per hanc Clement. à Clemente Quinto in Concilio Viennensi omnes etiam exempti, vt inquit Glo. Ver. Eos qui, sepelientes in loco sacro defunctos tempore interdicti, vel publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel manifestos Vsurarios. Et cum dicat Summus Pontifex generaliter *Eos qui*, vt notat Glo. in dicto Ver. Eos, comprehendit cuiuscunque professionis viros Clericos, & Laicos, & etiam Mulieres cap. In generali de elect. lib. 6, & cum ait, *In casibus non concessis à iure*, excipiuntur vt notat Glo. Ver. Sicut Clerici, qui seruauerunt interdictum, quibus conceditur tempore interdicti sepultura cum silentio absque Campanarum pulsatione cap. Quod in te de pœnit. & remiss. & etiam priuilegiati circa confratres, de quibus in cap. Vt priuilegia de priuileg. Notat etiam ibi Glo. huius excommunicationis pœnam locum habere, si contra dispositionē huius Clem. sepeliuntur defuncti tempore interdicti in quatuor illis festiuitatibus, in quibus permissa est celebratio diuinorum alta voce, licèt sæpe oppositum obseruatum fuerit, quia in illis festiuitatibus conceditur celebratio diuinorum officiorum tantum, & nō extenditur ad participationem Sacramentorum, neque ad Ecclesiasticam sepulturam, ita etiam tenet Card. nu. 14. Anchar. num. 5.

Notandum est etiam, cum dicitur, prohibitam esse sepulturam, *tempore interdicti*, intelligendam esse de quocunque interdicto siue generali siue speciali loci à iure, vel ab homine, Card. num. 13. Similiter cum prohibetur, ne nominatim interdictus simpliciter, explicandum est de eo, qui in sententia nominatim est expressus, vel cuius culpa, & fraude latum est interdictum, vel præstitum est auxilium, & fauor, Card. num. 20. Quare vt idem Card. notat num. 22. Si quis sepeliat interdictum, non nominatim, quem etiam sciat esse interdictum, licèt peccet, non obstringitur tamen vinculo huius excommunicationis, quæ in specie lata est contra sepelientem nominatim interdictum.

Sed quærunt Doctores, cum in dicta Clem. excommunicentur omnes, qui prædictos *scienter sepelire præsumunt*, an sub hac Constitutione includantur omnes, qui quouis modo cooperantur ad Ecclesiasticam sepulturam, ita vt & portantes cadauer, comitantes, aperientes sepulchrum, Clerici vel laici portantes

A Crucem, & similes omnes vinculo excommunicationis obstricti remaneant.

Glo. Ver. Sepelire proponit hanc difficultatem ad vtranque partem, sed non soluit, Anchar. num. 10. ex sent. Steph. tenet omnes prædictos incidere in hanc excommunicationem, sed Card. num. 28. ex sententia Pauli censet sententiam excommunicationis dictæ Clem. 1. de sepult. afficere tantum sepelientes defunctos in loco sacro tempore interdicti. Quare putat dicentes officium diuinum in funere, & alios non incidere in hanc excommunicationem, quia verè non sepeliunt, cum Clem. loquatur tantum de sepelientibus. Quòd si obijcias alios prædictos, vt portantes cadauer, comitantes, fodientes tumulum, & similes innodari

B excommunicatione, quia participant cum ipsis actu sepelientibus, & sic in crimine damnato iuxta c. Nuper, & c. Si concubinæ, de sent. excomm. sic etiam Prælati, qui, cum possent prohibere, sepulturam illam permittunt c. Quanta de sent. excomm. Respondet ad hanc obiectionem Card. quòd in cap. Nuper, & in c. Si concubinæ agitur de communicantibus excommunicato in crimine damnato post excommunicationē contractam, & redditur ratio in dicto c. Nuper, quia talis communicans delinquit in ipsum excommunicantem, locus est, quando quis communicat alicui in actu, per quem ille incidit in excommunicationem, vt in terminis, in quibus loquimur, quando quis concurrit, & cooperatur cum sepelientibus ad sepulturam,

C quo casu non loquuntur cap. Nuper, & cap. Si concubinæ, de sent. excom. quare, inquit Card. si hoc modo interpretamur Clem. dicendum erit solos sepelientes verè, & mandantes esse excommunicatos. Nomine autem sepelientes intelligit eos, qui actu defunctum tumulo condunt. De Mandantibus verò idem probatur ex c. Mulieres, de sent. excomm. Nec hinc sequitur, vt veretur Glo. hanc constitutionem futuram esse ludibrio, nam satis videtur prouisum huic delicto ferendo excommunicationem contra ipsos sepelientes, & auctoritatem præstantes. Idem repetit idem Card. in Clem. vni. num. 4 de Baptismo, & hanc interpretationem inquit esse æquitati magis consentaneam, ne ex vno funere multi ligentur.

D Potest etiam ad prædictas pœnas addi alia, nimirū quod Clericus interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si in ea diuinis se ingerat in suo officio agens, sicut prius, decedens ante absolutionem non debet in Ecclesia vel Cœmeterio sepeliri. Colligitur hæc pœna ex cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. ibi, *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.* Hæc verba possunt duobus modis interpretari, Primò vt relatiuum *Talis* referatur simpliciter ad hominem, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, de quo ibi sermo habetur, ita vt sit sensus, interdictum ab ingressu Ecclesiæ duos parere effectus, nempe reddere Clericum irregularem, si celebret in ipsa Ecclesia, & priuare illum ecclesiastica

E sepultura, si decesserit durante interdicto. & secundū hanc explicationem, quæ videtur Gemin. Anchar. & Franc. Priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, non esset effectus violationis interdicti, sed ipsiusmet interdicti ab ingressu Ecclesiæ. De quo effectu tractatum est superius suo loco. Secundò potest intelligi illud relatiuum *Talis*, vt non referatur ad personam simpliciter interdictam, sed ad illam, de qua immediatè sermo præcesserat, scilicet quæ celebrando in Ecclesia violauerat interdictum, & si explicetur hoc modo, dicendum erit priuationem sepulturæ non esse effectum intrinsecum

intrinsecum illius interdicti, quod priuat ingressu Ecclesiæ, sed esse pœnam nouam impositam ob violationem interdicti. Quæ expositio est probabilis, & commodè aptari potest verbis illius textus, iuxta quam explicationē sequitur in illo textu esse sermonem non tantum de persona interdicta propter propriam culpam, quia ibi dicatur, quòd sequuta pœnitentia poterit sepeliri. Pœnitentia enim illa, quę requiritur, non tam est de culpa, propter quam latū est interdictum, quàm de culpa commissa ob violationem interdicti, nam sine pœnitentia, vel satisfactione pro illa non est talis persona ab interdicto, vel pœna priuationis sepulturæ Ecclesiasticæ, quam propter illam incurrit, liberandi. Hæc pœna priuationis sepulturæ non solum incurritur à Clericis violantibus interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sicut habetur in dicto cap. Is cui, iuxta hanc interpretationem, sed contra transgressores cuiuslibet interdicti, qui celebrando excommunicationem incurrunt, de quibus modò dixi. Excommunicatio enim inter alios effectus, quos parit, priuat excommunicatum, ne, cum decesserit, eius cadauer Ecclesiasticæ sepulturæ tradi possit. A

Præter pœnas enumeratas, quæ ipso iure feruntur, sunt aliæ, quæ ferendæ sunt iuxta modum in iure præscriptum, nam in c. Authoritate, de priuileg. lib. 6. Illi, qui tempore interdicti præsumpserint celebrare, vel celebrari facere diuina casibus expressis in iure duntaxat exceptis, per locorum Ordinarios compesci debent. Et hæc dicta sint de pœnis, quas incurrunt violantes interdictum.

DISPVTATIO DECIMA.

DE CAVSIS INTERDICTI.



XPEDITIS iis, quæ pertinent ad intrinsecam rationē, & quiditatem interdicti, & ad effectus, qui ex eo oriuntur, nec non ad peccatum, & pœnas eorum, qui illud violare præsumunt, sequitur, vt de causis interdicti agamus. Possunt enim omnia quatuor causarum genera in prohibitione interdicti considerari, sicut in excommunicatione, & Suspensione, vt suis locis vidimus, & de singulis suo ordine agendum erit in hac Disputatione, initium sumentes à causis internis, idest à causa materiali, seu dispositiua, propter C quam interdictum imponi licitè possit, & de forma in eo ferendo seruanda, postea tractabimus de causa efficiente, scilicet de eo, qui potest interdicere, & de subiecto, hoc est de illo, qui interdici potest. De causa verò finali interdicti nihil opus est dicere, nam ex dictis satis constat, qui sit finis [illegible] dicti, cum enim vnaquæque res sit propter suum effectum, & de omnibus effectibus interdicti pertractatum sit, satis erit declaratum qui sit finis interdicti. Omnes enim effectus interdicti possunt vocari eius fines, sunt tamen effectus poenales instituti ab Ecclesia ad puniendum & vindicandum delictum, & est finis communis omnibus Censuris; Ideo inquirendum est de causa dispositiua, & D materiali Interdicti.

CAPVT I.

Quam ob causam iustè, & licitè poni possit à Iudice interdictum.

CVm diuersæ sint species interdicti, vt superius probatum est, non eadem erit causa sufficiens cuiuslibet interdicti, sed diuersa, & multiplex; Ac distinctius, & clarius respondentes propositæ difficultati, discutiemus causam legitimam imponendi interdictum in quacunque specie interdicti, primo loco de interdicto personali, deinde de locali agentes. C

Et primò interdictum personale speciale non potest in aliquem ferri, nisi propter peccatum propriū eiusdem, & illud mortale, Si simpliciter feratur interdictum. Posset autem sufficere culpa venialis, si interdictum esset valde limitatum, & coarctatum.

Prima pars huius conclusionis probatur, nam cum quis specialiter, seu particulariter interdicitur propter culpam propriam, interdicitur propter culpam enim alienam quis particulariter, puniri non debet, arg. l. Sancimus, C. de poen. & toto tit. C. Ne filius pro patre. Quare si is, qui interdicitur verè coram Deo sit innocens, non ligatur huiusmodi sententia corā Deo, Riccard. in 4. sent. dist. 18. art. 3. q. 3. ad 1. Henriquez lib. 13. de excomm. & interdicto cap. 50. num. 2. & si aliquando feratur propter culpam alterius, id rarò accidit vt in vxorem pro culpa, & debitu mariti, vt inquit Henriquez, quamuis id fieri non debeat, vt inquit B.A. tom. 3. par. tit. 26. cap. 3. col. 2. Armil. Ver. Interdictum nu. 5. & 27. in fi. D

Verùm non ita necessarium est peccatum mortale tan-

tanquam causa materialis, vt legitimè feratur interdictum, vt nunquam imponi debeat pro culpa veniali, vt affirmat secunda pars conclusionis, nam licèt regulariter, & vt plurimum interdictum speciale personale ferri non possit, nisi pro culpa mortali, vt probatum est ex dictis, nonnunquam tamen imponitur pro culpa veniali, vt affirmat Caiet. in Summa Ver. Interdicti violatio, Vers. Et propterea, & probat, nam sicut excommunicatio minor incurritur absque culpa mortali, & tamen priuat hominem maximis bonis, & necessarijs singulis hominibus, scilicet perceptione Sacramentorum, ita incurritur irregularitas, & suspensio absque mortali culpa, quantum est ex parte poenarum, sed aliunde potest peccatū dici mortale ex parte contemptus, aut praecepti adiuncti, si contingat aliquid tale adiungi. Idem ait in cap. De Suspensione in princ. & confirmat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 151. in fi. Henriquez lib. 13. cap. 30. num. 2. Idque maximè locum habet, quando interdictum non simpliciter fertur, vt habeat omnes effectus, qui ab eo prouenire possunt, sed interdicitur alicui peculiariter vel ingressus Ecclesiæ, vel receptio aliquorum Sacramētorum, vel celebratio Missæ, vel diuinorum officiorum, vel quid simile. Talia enim interdicta non possunt vocari integra, & totalia, sed partialia, & limitata ad breue tempus, quæ possunt ferri pro veniali culpa, & sunt vera interdicta, sed rarò huiusmodi interdicta sic limitata ponuntur.

Dico secundò interdictum personale generale longè grauiorem causam, & culpam requirere, quàm speciale, licèt non necessaria sit culpa sit culpa in singulis, qui interdicuntur, vt cum interdicitur populus, Collegium, Vniuersitas, vel specialiter quando interdicitur familia, immo rarò contingere singulos esse culpabiles, sed satis esse culpam requiri in aliquibus, idest vel in ipso corpore morali, vt tale est, vel in magna parte personarum eius, vel in capite.

In hac conclusione conueniunt omnes Doctores, & illius ratio assignari potest, quoniam poena commensurari debet culpæ, sed interdictum generale, seu multorū grauior est pœna, quàm si interdicatur vna persona, ergo ad illud imponendum oportet, vt grauior causa intercedat, Causa verò propria est culpa, ideo grauius delictum requiritur. Quare non conuenit, vt ob vnius priuati crimen totus populus interdicatur, & eadem ratio est de delicto generali loci, cū neque ob singulare delictum personæ tota Ciuitas sit interdicenda. Ita tenet Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. num. 4. Vers. Sed ob vnius, & citat Io. Monach. in c. 1. De Vsur. lib. 6. Henriquez in c. In quibusdam de poen. Chosm. in Pragmat. Sanct. tit. de interd. indifferenter non ponendis Vers. Priuatæ, nisi id fiat ex speciali cōmissione Papæ, quæ magna cum difficultate solet concedi. Debetque modus, & ordo seruari, quem ibi refert Couar. idest vt primò interdictum decernatur in Ecclesiam Parochialem Aduersarij, & simul in alteram Ecclesiam Parochialem, vel Collegiatam, deinde crescente malitia, & contumacia in duas Ecclesias collegiatas, vel Monasteria, Tertiò demum non resipiscente Contum.... tota Dioecesis supponatur interdicto, & adhuc illius corde indurato Cathedralis Ecclesia interdicitur, sicut testatur Io. Staph. de literis gratiæ. & inst. fol. 156. qui tenet nunquam censeri interdictam Ecclesiam Cathedralem, etiam si in totam Dioecesim, & in omnes Ciuitatis Ecclesias sit latum interdictum, vt probat ex c. Quamuis, §. Quamquam, de præben. lib. 6. Vbi textus probat in literis ad beneficia non contineri Ecclesiam Cathedralem appellatione Ecclesiarum Ciuitatis, aut Dioecesis, quæ declaratio locum obtinet in qualibet odiosa dispositione, vt ibi notant Doctores cum alijs, qui referuntur à Couar. loco citato. Quare culpa singularis personæ non sufficit regulariter, vt licitè feratur interdictum generale, sed requiritur vt culpa multorum, & ita videtur definitū in cap. Si beneficia, de sent. excom. lib. 6. quia cum interdictum generale sit poena communis, non esset rationabiliter latum ob culpam priuatam, quia poena longè excederet culpam, ergo necesse est, vt delictum aliquo modo sit commune, vt rationabiliter feratur interdictum generale.

Tribus autem modis delictum dici potest commune. Primus est, si Dominus, vel Rector, aut Conseruator Ciuitatis causam dedit interdicto, vt habetur in cap. Si sententia, de sent. excomm. lib. 6. Ratio est, quia delictum capitis est quodammodo commune, nam redundat in Communitatem propter coniunctionem, quia potestas Superioris est quodammodo totius Communitatis, & consequenter poena totius corporis redundat in caput, & auget afflictionem eius, quia subditi pertinent tanquam pars ad ipsum Rectorem. Secundus modus est, quando crimen oritur à Communitate, vt talis est, idest à Capitulo, Collegio, Vniuersitate, tunc enim delictum est publicum, neque necesse est, vt singuli illius Vniuersitatis conueniant simul ad illud delictum committendum, sed satis est, quòd maior pars, quæ Vniuersitatem repræsentat, consentiat in executionem delicti, vt quando interdicitur tota Respublica propter crimen commissum in publico Concilio Senatorum, quia illud decretum, quod statuitur in Concilio, vel est ipsius capitis, vel totius corporis, à quo talis potestas commissa est illi Congregationi, Vnde in illa dicitur esse totum Corpus repræsentatiuè, seu virtualiter. Tertius modus, si aliquod delictum committatur à pluribus, non tamen nomine Communitatis, vel ex aliqua publica potestate, sed tanquam à priuatis personis, tunc etiam dari potest casus, vt liceat interdictum generale ferre in Communitatem, & populum, quoniam quamuis tale delictum propriè non debeat vocari commune, & specialiter interdici possint personæ particulares, quæ deliquerunt, tamen quando tale delictum potest aliquo modo referri saltem indirectè in ipsum Principem, aut Gubernatorem, vel in ipsos Senatores, aut Consiliarios, penes quos Reipublicæ regimen, & cura residet, qui, cum possent punire particulares delinquentes, & impedire delictum, & tamen non faciunt, sed negligunt, & ita se gerunt, vt inobedientes sine vlla formidine præceptum Superioris, & Prælati liberè transgrediantur, itaque videatur tacitè consentire, & permittere delictum, ideo sufficiens causa videtur, vt Prælatus interdictum generale ferre possit, vt hac ratione Princeps, seu Gubernator, & alij, qui præsident, Censuræ seueritate excitati particularium personarum delictum impedire curent, & his tribus modis, qui in Conclusione exprimuntur, iustè, & legitimè potest ferri interdictum generale in Communitatem, Populū, vel quamcunque Vniuersitatem. Sed vt clarius, & distinctius intelligamus, quoties causa sufficiens suppetat pronunciandi huiusmodi interdictum, opus erit casus aliquos speciales proponere, & erunt tanquam regulæ, ad quas respicientes Prælati, & Iudices Ecclesiastici intelligere poterunt, quando sit ferendum, & quando abstinendum ab interdicto generali personali.

Primus

Primus casus est, si delinquat Princeps, vel Rector Ciuitatis habens iurisdictionem temporalem, rectè interdicitur populus, sic propter delictum Regis interdicitur Regnum in cap. Non est vobis de sponsal. & in cap. Sanè de off. Deleg. Vbi propter crimen Episcopi tota Terra supponitur interdicto, vbi Felin. nu. 2. disputat hanc quæstionem, & concludit, quòd licèt propter delictũ vnius priuati alius interdici nequeat, tamen propter delictum Rectoris, qui habet iurisdictionem temporalem in populum, posse interdici totum populum, & eandem rationem esse de Episcopo, cui competat iurisdictio temporalis, nam propter delictum Episcopi in hoc casu poterit à Delegato interdici totus populus aut Ciuitas, & citat Calder. in Tract. de interdicto, & alios. Idem habetur in cap. In periculum §. Præterea in fi. de elect. lib. 6. c. Si sententia, de sentent. excommun. eodem lib. & Extrau. 22. Super gentes de consuet. inter commun. c. Miror 17. quæst. 9. vbi narratur interdictam fuisse totam domũ & familiam cuiusdam Bonifacij propter delictum Domini. ita tenet Ang. Interdictum 2. num. 3. Tabie. num 1. Sylue. Interdictum 3. §. 5. Vers. Primum, Dom. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. Conclu. 3. qui ad hoc citat Innoc. & Host. in cap. Quæsiuit de his quæ fi. à maio. par. cap. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. nu. 4. Vers. Est siquidem receptum, Henriquez lib 13. de excom. & interd. cap. 50 num. 1. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 52. Vers. Materialis. Quare communis est sententia, in qua omnes conueniunt absque discrepantia, quòd quamuis interdictum generale decerni nequeat ob delictum priuatæ personæ, tamen aiunt rectè poni posse ob inobedientiam & crimen Principis, vel Gubernatoris, aut alterius iurisdictionem tẽporalem in populum habentis, quoniam tale crimen aliqua ratione publicum & commune vocari potest.

Quodque id conueniens sit & rationi consonum, quibusdam mediis persuaderi potest, primo quoniam vt innuit Tolet. Interdictum signum quoddam est mœstitiæ, & doloris, quem Ecclesia ob crimen aut inobedientiam Rectoris temporalis patitur, vultque vt eiusdem doloris & mœroris filij eius etiam innocentes sint participes. Secũdo quia si interdicitur populus ob inobedientiam sui Principis, grauius quotidie punitur Princeps, qui nõ solùm in persona propria incommoda interdicti patitur, verùm etiam in populis sibi subiectis, vt dicitur in cap. Ecclesia, c. Item peccato ciuium 1. q. 4. Glo. in Extrauag. 1. prope fin. Ver. Quomodolibet de pœn. vbi probans filium puniti aliquando ob crimen Patris inquit, *Sic est videre de sententia interdicti, quæ ob culpam Domini temporalis fertur in subditos, vt ne dum in se, sed in subditis, ad quos tenetur affici sentiat se punitum*. Tertiò quoniam si pronunciatur interdictum generale in Vniuersitatem, magis excitantur omnes aduersus eum, qui causam dedit interdicti, cum videant pœnam ipsis inflictam esse absque culpa, vnde conueniunt in Ecclesiæ defensionem, vt ex hoc delinquens in sua contumacia confundatur, & ad obedientiam facilius reuocetur, ita dicit Glos. in dicta Extrauag. 1. Ver. Quomodolibet in fi. de pœn. in cit. cap. 52.

Secundò delictum Episcopi sufficiens est, vt interdicto subiiciatur Ecclesia Cathedralis, vel aliæ ecclesiæ ei suppositæ. Similiter ad interdicendum Clerum, aut Capitulum, immo si delictum sit graue ad interdicendum populum, vel Ciuitatem, aut etiam totam Diœcesim. Probatur ob similitudinem rationis, si enim sufficit delictum Rectoris temporalis, ita quoq; sufficiens erit crimen Prælati & Superioris Ecclesiastici, vt habetur in cap. Sanè 2. in fi. de off. Deleg Vbi Delegatus Papæ ob Episcopi crimen Terram sub eius iurisdictione interdicto supponere potest, & id locum habet non solùm si in dicta Terra Episcopus iurisdictionem temporalem habeat, sed etiam si in eo loco iurisdictionem spiritualem & Ecclesiasticam tantùm habeat, vt tenet Archid. in c. Si sententia, de sent. excom. in fi. lib. 6. Domin. & Gemin. §. Cæterum n. 8. Felin. in dicto c. Sanè nu. 2. quamuis Card. & Abb. quos citat Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. n. 4. oppositum sentiant, nempe dictum c. Sanè interpretandũ esse, quoties Episcopus est Dominus temporalis illius loci, qui interdicitur, & in eo secularem iurisdictionem habet, & idem videtur sentire Henriq. lib. 13. de excomm. & interd. c. 50. nu. 3. citat. Innoc. & Host sed mihi probabilior videtur contraria opinio, quia nulla diuersitatis ratio assignari potest, cur potiùs decernatur licitè interdictum ob crimen Episcopi iurisdictionem temporalem habentis in loco, qui interdicto supponitur, quàm si solam spiritualem habeat, quæ propria est Episcopi Quare Couar tenet hanc sententiam esse magis communem. & ita sentit Decius in eod. cap. Sanè 2. notab. 7. de off. Deleg.

Tertiò sufficiens causa ad interdicendum totũ populum vel Vniuersitatem, aut Cõmunitatem, est crimen, & inobedientia Officialiũ, Consiliariorũ, Consulũ, & aliorum membrorum principalium repræsentantium totũ Corpus Vniuersitatis & Cõmunitatis, quomodocunq; appellẽtur. Itaq; non solũ delictũ Gubernatoris & Rectoris, qui constituitur à Principe, & iurisdictionẽ exercet in populum nomine Principis & Domini, est causa iusta & legitima ad interdicendum populũ generaliter, verùm etiam ad idem interdictũ ferendũ sufficit, si delinqnãt officiales deputati ab ipsa Vniuersitate, à quibus Vniuersitas repræsentatur, & ratio est, quoniam in his militat eadem ratio, quia horum delictum dici potest delictum Communitatis, quoniam ipsam referunt, & quidquid iubent, vim habet ab ipsa Communitate, à qua auctoritatem & iurisdictionẽ accipiũt; & propter eandẽ rationẽ idẽ asserendũ erit, si magna pars plebis & multitudinis delinquat. Tunc. n. vniuersus populus interdici potest, quód n. à maiori parte Vniuersitatis agitur, ab ipsa Vniuersitate fieri dicitur, sicut si fieret à Magistratu & Officialibus. Et hæc de causa, ob quã iustè & legitimè imponi potest interdictũ personale tam generale, quàm speciale. Modò agamus de interdicto locali.

Tertia Conclusio interdictũ generale locale, vt iustè feratur, requirit causam grauissimã, vt non solum peccatũ mortale annexum habeat, sed vt illud aliqua ratione publicum sit & cõmune, vt dicunt Sylue. Ver. Interdictum 3. §. 5. Ang. eod. Ver. num. 5. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 168. Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. n. 4. & 5. Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. cõcl. 3. Probatur hæc conclusio eadem ratione, qua præcedens, nam cum interdictum locale sit quoq; censura & pœna grauissima, requirit necessariò culpam mortalem & grauem, immo Doctores citati affirmant ad hoc interdictum ferendum necessarium esse delictum grauius, quàm ad infligẽdam excommunicationem, quia est pœna, quæ dirigitur in totã Communitatem, quæ ex causa interdicti priuatur cultu publico, quo fideles plurimùm ad deuotionem excitar. solent. Vnde alia multa incommoda sequuntur, quæ enumerantur in c. Alma de sent. excom. lib. 6. & in Extrauag. Prouide eod. tit. Hæc causa, quæ præcedere debet, vt iusta

sit pronunciatio interdicti, non reperitur in re, quę im mediatè subijcitur interdicto. Est enim res inanimata, nempe locus non capax culpæ & peccati, igitur opus est, vt culpa, quæ supponenda est tanquam causa huius interdicti, consideretur in aliquo homine, ad quem locus ille, qui interdicitur aliqua ratione pertineat. Neque enim potest interdictum ferri in locum ob delictum personæ, quæ sit omnino extraneà ab illo loco, tūc enim pœna nullo modo attingeret auctorem criminis, sed afficeret eos, qui non esset delicti participes, quod absurdum & ab omni iure alienum videtur. Neque satis est, quòd talis delinquens sit persona priuata, vt iustè decernatur interdictum generale loci, quia pœna ordinatur ad totam Vniuersitatem, quæ non debet puniri propter crimen vnius priuatæ personæ, & ideo necesse est, vt tale crimen debeat esse aliquo modo commune, nempe si sit delictum Principis, Gubernatoris, vel Magistratus, sicut probatum est de interdicto vniuersali personali, in hoc enim non differt interdictum personale à locali, quoniam vtrunque eodem modo afficit Communitatem, vt complectatur quoque innocentes, qui nullam causam dederunt interdicti, vt superiùs suo loco declaraui, vnde in cap. Non est vobis de sponsal. propter delictum Regis Regnū ipsius interdicto supponitur, & in c. Si sententia de sent. exco. lib. 6. statuitur posse interdici Ciuitatē propter crimen Domini, vel Rectoris.

Animaduertendum quoque est in genere causam sufficientem ad ferendum quodcunque interdictum esse posse vel peccatum præteritum, cui nulla sit annexa contumacia, vel peccatum futurum, idest peccatū, in quo delinquens post debitam monitionem vult perseuerare, sicque contumacia est delictum respiciēs futurum.

Duplex autem esse potest peccatum contumaciæ, Alterum, quod non habet coniunctum aliquod genus peccati, sed est sola inobedientia non parendo præcepto Superioris, vt quando à Superiore aliquid præcipitur, aut prohibetur, quod ex suo genere non est bonum aut malum, sed indifferens, alterum verò est peccatum contumaciæ coniunctum cum peccato alterius generis, vt quando materia, quæ præcipitur aut prohibetur à Prælato, est per se bona vel mala sequēda aut fugienda, & vtrunque peccatum, si sit graue, est sufficiens causa ad decernendum interdictum, siue grauitas attendatur ex parte contumaciæ, quia contēnatur omnino præceptum Superioris cum dedecore, & scandalo, siue ex parte rei, quæ præcipitur aut prohibetur, quia ex suo genere obiectū sit magni pōderis & ęstimationis; & id verum est tam in ordine ad interdictum personale, quàm locale, exempla desumi possunt ex ipso iure in c. Felicis de pœn. lib. 6. pronunciatur interdictum generale personale in Vniuersitatem quæ quouis malo adiumento fuerit persecutoribus Cardinalium, & in cap. Quamquam de censi. eod. lib. quando è Clericis portoria, & vectigalia exiguntur, & in cap. 1. de vsu. eod. lib. si permittantur Vsurarij manifesti in Clem. Si quis suadente de pœn. si grauiter in suum Episcopum deliquerit. Similiter de interdicto locali c. Vbi periculum §. Præterea de elect. lib. 6. Vbi interdicitur Ciuitas ob non seruatam debitam formam in electione Summi Pontificis, in cap. Non est vobis de sponsal. imponitur interdictum locale generale, quia Rex non restituit suis filijs vxores suas, in cap. Sane 2. de off. deleg. quia Delegato Papæ non obtemperabat. In Extranag. Super gentes, de consuet. quia Legatus Sedis Apostolicæ non recipie-

A batur, & similia exempla plurima leguntur in corpore Iuris. Quare sicut lex non decernit interdictum personale aut locale, nisi ob grauem delictum aut cōtumaciam, ita neque homo vt Iudex & Superior, qui est lex animata, debet, *illud ferre, nisi ad coercendum graue delictum commissum aut contumaciam*.

Quarta Conclusio, interdictum locale speciale postulat etiam culpam grauem, & aliqua ratione communem, quamuis minorem, quàm interdictum generale, quia non est pœna adeo atrox & seuera, sicut interdictum generale. Quòd autem grauis causa requiratur, probari potest, quia hoc interdictum est maior pœna ex suo genere, quàm interdictum particulare personale, quia eius vi afficiuntur plures personæ etiā

B Innocentes, quàm per interdictum personale particulare, ergo causam maiorem postulat, hinc sequitur huiusmodi interdictum imponi non posse propter culpam venialem regulariter, neque etiam propter delictum priuatum vnius personæ singularis, cum pęna sit aliqua ratione communis. Sed seruanda est ratio propositionis inter hoc interdictum & culpam, quæ ad illud pręrequiritur tanquam iusta & sufficiens eius causa, sicut in alijs interdictis arbitrio prudentis Pręlati est relinquendum.

Animaduertunt Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 1. & 3. & Henriques lib. 13. cap. 50. nu. 2. interdictū locale non esse decernendum ad longū tēpus, quia cedit damno populi & quorundā, innocen-

C tiū, ac in detrimētū cultus diuini, diminuitq; deuotionē fideliū, & Clerici redduntur segniores ad celebrāda diuina, vt indicat cap. Alma de sent. excom. lib. 6.

CAPVT II.

Explicantur dubia quædam de eadem causa materiali interdicti.

PRimò dubitari potest, an dari possit casus, in quo iustè imponi possit interdictum generale personale vel locale propter singulare peccatum alicuius priuatæ personæ, itaut tale crimen possit esse causa sufficiens ad interdictum ferendum in Ciuitatem vel Vniuersitatem.

D Respondeo dari posse vnicum casum, in quo priuata persona delinquat, quæ non sit Princeps, neq; Gubernator, aut Rector Ciuitatis, neque alia publica iurisdictione fungatur, & propter tale crimen poterit iustè interdici Ciuitas vel Vniuersitas Casus habetur expressus in Conc Basiliensi sess. 20 Anno Dom 1435. Vbi statutum fuit propter culpam priuatam non posse quacunque auctoritate ordinaria vel delegata interdici Ciuitatem, Oppidum, Castrū, Villam, nisi tribus conditionibus cōcurrentibus. Prima, vt talis persona priuata propter delictum, quod coniunctam habeat cōtumaciam, excommunicetur, & excōmunicatio sit in Ecclesia denūciata. Secunda, quòd Rector, & Gubernator Episcopus & alij iurisdictionē habentes

E requisiti sint, vt talem personā excōmunicatā ex Ciuitate vel ex loco expellant. Tertia conditio, vt post huiusmodi requisitionē infra biduū verè & cum effectu illū excommunicatū non expulerint, neq; ad dandā Superiori debitā satisfactionē cogerint, tunc. n. potest Ciuitas vel Vniuersitas supponi interdicto, quoniā crimē priuatæ personæ iā imputatur Principi, vel Rectori Ciuitatis, aut Magistratui, qui, cū possint, negligūt delinquentē è Ciuitate eijcere Et dictum Cōcilium quoad ea, quæ statuit circa cēsuras ecclesiasticas, dogmata fidei, & causas beneficiales approbatū

fuit

fuit & confirmatum à Nicolao Quinto in sua Bulla, & idem ad verbum decretum fuit à Leone Decimo in Constitutione 16. Incipit: In eminenti, Anno 1516. 15. Cal. Septembris post med. Bullæ, quæ habetur in Bullario.

Secundò dubitant Doctores, an propter debitum temporale Episcopi aut Principis, si sint contumaces in eo soluendo, poni possit interdictum generale.

Respondeo decretum fuisse à Bonifacio Octano in Extrau. Prouidè attendentes de sent. excom. inter cōmunes, ne pro contumacia Domini aut Episcopi loci alicuius in detinendo æs alienum, & debito pecuniario non soluendo interdici possit Prouincia, Ciuitas, Castrum Locus, Territorium à quocunque Superiore quacunq; auctoritate ordinaria vel delegata absq; speciali licentia Sedis Apostolicæ literis patentibus expressa, quæ non nisi rarò & cum difficultate id alijs committit, & aliter latum interdictum irritum, & inane est, quocunque pacto vel conditione non obstāte. Quam Bonifacij Constitutionem confirmauit postea Clemens Septimus in Constitutione, quæ incipit; Licèt ea quæ; & habetur in Bullario inter Constitutiones Clementis num. 35. & ita sentiunt Abb. in cap. Cùm in partibus num. 1. de verb. signif. Gemin. in cap. Præsenti nu. 2. prope med. de sent. excom. lib. 6. & ibidem Ioannes And. Domin. Franc. Calder. in Tract. de Ecclesiastico interdicto par. 1. num. 21. Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 4. in princ. §. Quintum ad quartum, B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 3. col. 2. Vers. Item & si pro pecuniario debito, Ang. Interdictum 3. nu. 3. Tabie. eodem verb. num. 1. in fin. Syluc. Interdictum 3. §. 5. Vers. Secundum, Felin. in cap. Sane 2. nu. 3. de off. deleg. Domin. Sot. in 4. sent. distinct. 22. q. 3. art. 1. conclus. 3. Nauar. in Manua. capitulo 27. numero 168. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. numero quinto, Henriq. lib 13. de excom. & interd. cap. 50. nu. 5. Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 52. Vers. Materialis propinqua.

Difficultas tamen aliqua est inter Doctores, an dicta Extrauag. Prouide intelligenda sit tantum de interdicto locali generali, itaut Bonifacius Octauus prohibere voluerit, ne pro debito pecuniario Principis, vel Episcopi & consequenter cuiuscunque alterius priuatæ personæ, an verò sit extendenda hæc prohibitio etiam ad interdictum locale speciale.

Quòd dicta prohibitio sit interpretanda de interdicto generali tantùm, persuadere possunt verba dictæ Extrau ibi, *Præsentis Constitutionis prouidemus edicto, vt nulla Prouincia, Ciuitas, Castrum, Villa, locus, Territorium, vel Districtus auctoritate ordinaria vel delegata supponatur Ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito*, singula enim verba sunt generalia, quibus significatur generale interdictum, & quamuis illa vox, *locus*, conuenire possit certæ parti & determinatæ alicuius loci, vt notat Glo. in dicta Extrauag. Ver. Locus, vbi refert, quot modis accipi possit locus, tamen magis congrua interpretatio est, vt ibi sumatur generaliter pro Congregatione habitantium intra metas vnius loci, vt Glo. ibi notat, sicque sumetur pro paruo Oppido, & idcirco sermo erit de interdicto generali tantum, atque hæc videtur communior interpretatio Doctorum, quos paulò ante attulimus, qui existimant ex vi dictæ Extrau. prohiberi tantum, ne quicunque Iudex Ordinarius aut Delegatus absque expressa licentia Papæ in scriptis obtenta possit pro huiusmodi debito pecuniario imponere interdictum generale loci, non tamen vetitum esse, vt non possit

A ferre interdictum speciale loci, nempe supponere Ecclesiam aliquam ex pluribus vnius Ciuitatis & Oppidi, vel etiam plures Ecclesias specialiter.

Ab hac tamen communi interpretationi solus Couar. loco citato dissentit, qui interpretatur illam Extrau. vniuersaliter de quocunque interdicto locali tā generali, quàm speciali, & putat non licere Iudici pro tali debito pecuniario pronunciare interdictū quodcunque generale aut speciale. Ad id affirmandum mouetur ex eo, quoniam in quacunque Ciuitate, & loco adsunt Iudices seculares, quorum ministerio facillime quilibet Reus cogi poterit ad soluendum æs alienum absque innocentium periculo & damno, quæ ex interdicto sequuntur, quorum plura enarrantur in

B dicta Extrauag. & in cap. Alma de sent. excom.

Ad hanc difficultatem putarem probabiliter responderi posse propositis duabus conclusionibus. Prima erit. Non est conuenens, vt Iudex Ecclesiasticus imponat interdictum speciale pro debito pecuniario priuatæ personæ, vt tenet Couar. Ratio est, quoniam non desunt aliæ viæ, quibus cogi potest debitor ad soluendum, ideo non est necesse recurrere ad Censuram interdicti. Altera conclusio est, si tamen tale interdictum speciale imponatur pro huiusmodi causa, non erit nullum, & irritum iuxta dispositionem dictæ Extrauag. sed valebit, & erit seruandum, & id videtur probabilius contra Couar. quoniam re vera in

C dicta Extrauag. nullum verbum legitur, quod referri possit ad interdictum speciale, sed agitur tantum de interdicto generali, vt omnes Doctores fatentur, ideo prohibitio facta de interdicto generali non est voluntariè extendenda ad interdictum speciale. Vnde Nauar & Tolet. locis citatis affirmant, neque pro debito pecuniario ferri posse interdictum Parochiæ, quod verum videtur, nam interdictum Parochiæ generale vocandum est, vt patet ex his, quæ dicta sunt suo loco, in Extrauag. autem Prouide attendentes, omne interdictum generale prohibetur.

Quæri potest, an ex dispositione eiusdem Extrauag. Prouide vetitum sit non solùm ne pro debito pecuniario feratur interdictum locale generale, sed neque etiam personale similiter generale.

D Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 22. asserit dictam Extrauag. locum habere etiam in interdicto generali personali, cum interdicitur populus, Communitas, Ciues, Incolæ sub his vel similibus verbis. Et licèt id non exprimant verba Extrauag. colligi tamē potest ex mente, & intentione legislatoris, citat pro hac sententia cap. Intelligentia de verb. signif. l. scire, ff. de leg. & l. Item veniunt §. Aptanda ff. de petit. hæred. Hæc opinio mihi videtur valde probabilis, quia ratio, propter quam Bonifacius Octauus in dicta Extrauag. voluit prohibere, ne pro debito pecuniario feratur interdictum locale generale, nempe, vt euitentur tot pericula & damna, quæ ex dicto interdicto proueniunt populo Christiano, militat etiam pa-

E riter absq; vllo discrimine in interdicto generali personali, ex quo eadem damna sequuntur, ergo propter identitatem rationis euidenter colligitur mentem Summi Pontificis fuisse velle prohibere vtrunque interdictum ex iuribus citatis, quamuis opposita etiā sententia sit probabilis, quam tenent aliqui Doctores, quoniam in Extrauag. nulla fit mentio de interdicto personali, & verba sunt limitata ad interdictum locale, & in pœnis non fit extensio de casu ad casum ob similitudinem rationis, quia potius sunt restringendæ, quàm extendendæ.

Qq 2 Ter-

Tertiò dubitatur, quoniam cum ea Censura interdicti plurima mala, & incommoda spiritualia oriantur, vt dixi in fi. superioris Capitis, & recensentur in c. Alma, & in dicta Extrauag. Prouide, non videtur iustitiæ ordini consonum, vt illud pronuncietur ad coercendum peccatum priuatæ personæ, præsertim quando non habet annexam contumaciam, sed est præteritum, cum præualere debeat bonum commune cuicumque particulari, nec expedire videatur priuare aliquē spiritualibus bonis in vindictam peccati commissi, quando recessit contumacia, & paratus est obedire, & multò minus totam Vniuersitatem in vindictam peccati alieni.

Respondeo, quando interdictum fertur, vt à contumacia recedatur, licet, & expedit, si iusta & legitima causa subsit iuxta ea, quæ hactenus disputata sunt in primo Capite, & prudenter fiat, vt euitentur scandala, illud pronunciare; quamuis damna plurima etiam spiritualia proueniant inde populo Christiano, & assignari possunt rationes huius dicti, primò quoniam Ecclesia ferre solet hanc censuram, ad illum finem præcipue ad auctoritatem, dignitatemque, & iurisdictionem tuendam, & conseruandam, ideo permittit interdum priuata incommoda propter hoc bonum commune, quod maius est, secundo quia illa mala, quæ sequūtur ex interdicto, non sunt substantialia, sed accidentalia, quę permitti possunt supposita culpa, immo si est pœna quamuis medicinalis, debet necessario inferre damna, aliàs non esset pœna. Nulla est etiam medicina, quæ non afferat aliqua incommoda, quæ tolerantur ob vtilitatem communem corporis. Tertiò quoniam in potestate est ipsius delinquentis recedere à contumacia & parere Superiori, vel in potestate ipsius Principis, aut Gubernatoris, seu Magistratus cōpellere ipsum delinquentem, vt pareat, atque ita eximere populum ab incommodis, & malis, quæ patitur propter interdictum, quod si contemnatur, non est imputandum Superiori, qui interdictum decernit neque refert, quod puniantur aliqui Innocentes absque eorum culpa, id enim non est absurdum, nam vt iuste puniantur, satis est, quòd sunt partes, & membra illius Vniuersitatis, cui aliqua tatio ne tribuitur delictum, propter quod latum est interdictum.

Quòd si interdictum imponatur pro delicto præterito commisso cessante contumacia adhuc legitimè fertur ob alienam culpam aduersus innocentes, & in eorum damnum & præiudicium, nā vt notat Couar. in c. Alma par. 2. §. 1. nu. 4. licèt interdictum sit poena Ecclesiastica, non est tamen propriè spiritualis, quæ afficiat, & priuet communione suffragiorum Ecclesiæ directè sicut excommunicatio. Vel si dicamus interdictum poenam esse spiritualem quatenus censura est, cum omnis censura sit poena spiritualis priuans bonis quibusdam, quæ maximè conferunt ad salutem animæ, qualia sunt Sacramenta, & alia diuina officia, respondere possumus cum Glo. in c. Si sententia Ver. Interdicti de sent. excom. lib. 6. non esse inconueniens aliquando posse aliquem puniri pœna spirituali propter delictum alterius, & potest reddi ratio, quoniam omne interdictum non est propriè pœna innocentis, qui illā patitur, sed ipsius rei delinquētes. qui propter aliquam communionem, quā habet cum ipso innocente, in illo etiā punitur, pręsertim, quia bona, quæ auferuntur per interdictū, non sunt simpliciter necessaria.

Sed quamuis hæc vera sint, tamen non videtur expediens, vt interdictum generale pronuncietur in vindictā peccati præteriti commissi, quando contumacia

A cessat propter mala, quæ inde sequūtur, maximè cum id non videatur necessarium ad Ecclesiæ auctoritatem, & dignitatem tuendam, Vnde in iure non reperitur impositum interdictum generale personale, vel locale pro peccato præterito sine contumacia, vt constabit inferius in propria Disputatione, vbi agemus de singulis interdictis iuris. Interdictum autem particulare personale facilius concedi potest pro tali delicto præterito sine contumacia, quia nō infert damnum alicui innocenti, & potest plurimum conferre ad confundendum ipsum reum, eumq; monendum, vt in futurum sit cautior, ne prolabatur in simili delicto.

Quartò dubitari potest, an sententia interdicti lata absque legitima causa, sed ea causa iniusta sit inualida

B defectu causæ, vel potius teneat, sed habeatur iniusta, & iniqua, Et modò non disputamus de sentētia interdicti iniusta, quia in ea ferenda non sit adhibita omnis illa conditio, quæ vel in re naturæ, vel in re positiua est requisita, de qua tractabitur, cum explicabitur forma seruanda in pronunciando interdicto, sed dubitatur de sententia interdicti iniusta contra iustitiam commutatiuam ex defectu legitimæ causæ.

Respondeo interdictum, sicut excommunicationē, & suspensionem posse ferri iniustè ex parte causæ duobus modis. Primò si feratur sub titulo sufficientis causæ, non tamen veræ, sed præsumptæ. Secundò si feratur absolutè sine titulo causę sufficientis, sed causa iniqua, seu leui. Primus modus, quòd causa præsumatur suffi-

C ciens & iusta, potest tribus modis accidere, nempe quia re vera talis non sit in facto, neque etiam in iudicio probata. Item quòd quamuis secundum rei veritatem talis non sit, tamen secundū allegata, & probata talis habetur, ita vt Iudex secundū allegata, & probata legitime pronunciauerit. Tertiò quando iusta causa in re subest, sed in iudicio non est probata. Modò si loquamur de sententia interdicti ex defectu causæ, tamen præsumatur, tunc si neque vera sit in facto, neque satis sufficienter in iudicio probata, certum est hanc sententiam esse nullam ex defectu substantialis ordinis iudiciarij, quia Iudex non potest de iis, quæ ei vt iudici occulta sunt, iudicare, & occulta dicuntur, quando iuridicè non sunt probata, etiam si aliàs nota sit illi

D homini, qui iudex est, vt colligitur ex c. 1. cum seq 6. q. 2. & tradunt Glo. Inn. c. Abb. & alij in c. Sacro, de sent. excom. & Nauar in c. Cum contingat cau. nullit. 8. de rescript. & in Manua. c. 27. n. 11. Si verò causa secundū allegata in iudicio probetur iusta, quamuis re vera non sit, & erat secundus modus, tunc interdictū iustè, & legitimè pronunciatur, quantum spectat ad cōscientiam Iudicis, qui de occultis non iudicat, vt dixi.

Sed contra obijci potest ex cap. Nemo 1. q. 1. & c. De illicita 24 q. 3. in quibus locis prohibetur, ne censura pronuncietur, antequam causa fuerit probata, & tamen de facto secus fiat, additur ibi, *Qui si excommunicatus est maioris Sacerdotis auctoritate, ad gratiam sanctæ communionis redeat*, si indiget absolutione, vt re-

E stituatur sanctæ communioni, ergo excommunicatio reputatur valida, quæ fertur causa non probata, quamuis iniusta, & idem asserendum erit de sententia interdicti.

Respondeo primum illa verba, *Maioris Sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ cōmunionis redeat*, Nō semper indicare priorē sententiam fuisse validā, vt patet ex c. Audiuimus 24 q. 1. ibi, *Quia excō municatus te excommunicare non potuit, apostolica auctoritate te tuosque absoluendo mandamus*, tamen excommunicatio antea fuerat nulla. Vnde Glo. ibi explicans verbum illud

Absol-

Absoluendo, declarat hoc modo, idest, *Non ligatos esse declarando*, & affert similia iura in c. Excellentissimus 11.q.3. & c. Auctoritatem 15.q.6. affert aliam expositionem Glo. scilicet, *Absoluendo*, de facto idest curando, vt ad communionem redeant, qui de facto ab illa separati fuerant, sicut è contra in cap. Si quis confugerit 1.q.1. Hæretici quidam, qui verè Sacerdotes non erant, deponi dicuntur, idest repelli ab eo munere, quod de facto exercebant. Sic illi, qui causa non probata censuræ vinculo innodati existunt, ad gratiam sanctæ communionis redire dicuntur, qua de facto priuati erant. Hanc autem restitutionem iura fieri debere præcipiunt auctoritate Superioris seruatis cæremonijs ab ipso iure institutis.

B Tota difficultas est de tertio modo, quando fertur sententia interdicti ex causa falsa in re, & de falsitate constet ex notitia priuata, tamen in iudicio sit sufficienter probata, an in hoc casu sit valida. De qua difficultate plura dixi in materia de excommunicatione lib.3. Disp.2. Cap.1. & quæ ibi firmata de excommunicatione sunt, aptari debent ad sententiam interdicti, quoad hoc enim eadem est ratio omnium Censurarum, & quod spectat ad interdictum, dico per sententiam interdicti latam modo prædicto non inferri effectus & detrimenta, quæ sequuntur per se ex hac Censura quoad executionem, sed inferuntur præceptiuè, quantum scilicet necesse est ad obediendum præcepto Ecclesiæ in publico, seu in exteriori foro. Itaque licèt vbi quis hoc modo sit interdictus poterit audire Missam in conscientia vel secreto, vel in loco, vbi ignoratur interdictum, sicut si eodem modo Sacerdos esset suspensus, posset sacrum facere cum eadem circumspectione, & similiter excommunicatus Eucharistiam sumere. Tenentur verò ab his actibus publicè abstinere, quia oppositum cederet in contemptum Ecclesiæ, cum in publico eius præceptum sit iustum, & excusatio sit occulta. Idcirco oritur obligatio in conscientia ad seruandum censuram eodem modo, quæ obligatio prouenit propter scandalum vitandum, accipiendo scandalum non solum quatenus est contra charitatem, & ex præcepto charitatis tenemur illud vitare, sed vt est contra obedientiam Ecclesiæ, cui plurimum derogaretur, si censura publicè contemneretur. atque hæc est differentia inter sententiam hoc modo latam, & illam, quæ est absolutè inualida, quod ex sententia omnino nulla per se non oritur aliqua obligatio etiam in exteriori foro, & in ordine ad publicas actiones, nisi per accidens, & ex generali obligatione tantum charitatis ad vitandum scandalum, secus verò est de alia sententia, vt dixi. Et hinc sequitur Superiorem non posse iustè punire transgressorem Censuræ, quæ nulla fuit, nisi per accidens, quia Superior auctoritatem habet puniendi eum, qui alijs scandalum infert. at verò per se & sua directa potestate animaduertere potest in eum, qui censuram in foro exteriori iustam transgreditur. Ideo vt quamnis occultè, & licitè in foro conscientiæ illam transgressus sit, si de hoc ipso actu accusetur, & iuridicè conuincatur, à Iudice puniri poterit.

Sed quæret quis & meritò, an transgressor censuræ Interdicti, quod iustum sit in foro exteriori, licèt re vera iniustum, si publicè & cum scandalo illud contemnit, pœnas de iure impositas contra violantes interdictum ipso facto incurrat, Vt v.g. si quis tempore talis interdicti publicè celebret Missam, vel exerceat alium actum proprium ordinis, efficiatur irregularis.

Crederem respondendum esse in tali casu celebrantem non effici irregularem, quia sicut illud interdictum est valde imperfectè interdictum, ita quoque eius transgressio est valde imperfecta violatio Censuræ. Sed per actum imperfectum non incurritur pœna ipso iure imposita, atque ita per illam violationem interdicti non incurritur verè irregularitas, vel alia pœna ipso iure imposita contra violatores interdicti, licèt in foro exteriori, & in hominum existimatione talis irregularis haberetur, & vt talis in iudicio condemnaretur.

CAPVT III.

De forma & modo seruando in pronuncianda sententia Interdicti.

Absoluta declaratione causæ materialis, nunc ad formalem causam ipsius interdicti transeundū est, quæ duplex est. Altera substantialis, altera, quæ accidentalis quodam modo dici potest. Substantialis, quæ requiritur vt Censura interdicti sit valida, & teneat. altera verò quasi accidentalis, quæ seruari debet, vt interdictum iustè, & legitimè sit latum, & euitentur pœnæ latæ ab ipso iure contra Iudices præsumentes interdictum imponere non seruata dicta forma.

C Quod spectat ad ea, quę sunt necessaria ad formam substantialem interdicti, dicendum est verba esse tantum de substantia formæ interdicti, quibus sufficienter, & determinatè significetur ferri interdictum in personas, seu loca, & an in Vniuersitatem, vel in particulares homines; Similiter an in locum vniuersalem, vt in Prouinciam, Ciuitatem, Oppidum, Castrum, Villam, & similes, vel in particularem, vt in hanc vel illam Ecclesiam, cap. Si sententia, cap. Si Ciuitas, de sent. excom. lib. 6 Quare quibuscunque verbis denotetur actus interdicendi personam aut locum, sententia erit valida. Verba autem sunt necessaria, quia non potest Iudex aliquid operari sine verbis, per illa verò efficienter operatur, si sint determinata, vt dixi, inferendo interdicto circa locum, vel personam. Si enim essent incerta, & æquiuoca, nullum parerent effectum. Nomine autem verborum intelligimus quoque scripturam, quæ sufficeret etiam, si Iudex nihil proferret ore, quia scriptura est etiam instituta per se primò ad exprimendum conceptum mentis, quæ certò, & clarè significat illam, non minus quàm verba. Qua in re discrimen magnum est inter forum contentiosum, & forum conscientiæ, in quo necesse est sententiam proprijs verbis proferri, vt valida sit, quia credimus Christum ita instituisse. & nullo iure statutum reperitur, vt sententia, qua fertur censura, ore proferri debeat.

E Non sunt autem præscripta certa quædam verba ad interdictum ferendum, sed tantum oportet, vt sint sufficientia ad declarandam voluntatem Superioris de censura ferenda. Solent autem Doctores communiter præscribere sequentem formam verborum ad pronunciandum interdictum, vel similem, idest, Nos &c. talem Vniuersitatem, vel personam, puta Bartolū, si est singulare interdictum, quod si sit locale interdictum, talem Ciuitatem, aut Ecclesiam propter talem causam, quæ exprimenda est, Ecclesiastico interdicto supponimus arg. c. Cum in partibus, de Verb. signif. Hæc forma verborum ad pronunciandum interdictū describitur à B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. c. 5. in princ. Angel.

Angel. Interdictum 3. num. 5. Tabie. Interdictum 3. nu. 1. Sylue. Interdictum 3. §. 7. Armil. Interdictum nu. 64. Palud. in 4 sent. dist. 18. q. 8. art. 4. in princ. Vers. Quantum ad octauum Domin. Sot distinc. 22. quæst. 3. ar. 1. conclus. 3. Vers. Debet præterea, Henriquez lib. 13. de excom. & interdic. cap 50. num. 4. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 52. Vers. Forma non est certa. Et idem tradunt alij omnes. Additur autem in dicta forma vox illa, *Ecclesiastico* interdicto supponimus ex sententia Innoc. quem refert Sylue. loco citato ad differentiam interdicti legalis, cuius variæ sunt species, vt monui initio huius Tractatus de interdicto.

Quæritur etiam à Doctoribus, an spectet ad formã essentialem interdicti vti verbo *Interdico*. Quidam enim censent necessarium esse apponere in sententia hoc verbum *Interdico*, ita videtur tenere Simon Maiol. lib. 3. cap. 20. nu. 10 de irregular. & ad id citat Specul. dicens, vt interdictum effectum suum sortiatur, debere habere certam verborum formam, quia præcepta de non administrando non inducunt interdictum, debent enim hæc vel similia verba exprimi Interdico, Interdicimus, Interdictum declaramus, maximè in publico, & generali interdicto, nam in particulari certæ alicui personæ facto qualibet etiam extraiudicialis à Superiore facta inhibitio inducit interdictum, suspensionem, & administrandi impedimentum, vt nulla cuiusuis Superioris licentia possit suffragari inuito ipso, qui inhibuit ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. de refor. & Petru. A char. in cap. Si Canonici in fi. de off. ordin. lib. 6. post Io. And ibi. hæc Maiolus.

Verùm hæc opinio Maioli non nititur solido fundamento. ponit enim discrimen inter particulare interdictum singularis personæ, & reliqua interdicta, quod in interdicto particulari pronunciando non sit necessaria præscripta verborum forma, sicut in alijs interdictis, sed nulla in iure reperitur talis differentia inter hæc interdicta quoad ea, quæ requirũtur seruãda circa formã. Quare sicut in interdicto particulari ferẽdo non est necessarium verbum interdico, ita neque in interdicto generali, sicut neque in ferenda excommunicatione, aut suspensione necesse est exprimere verbum Excommunico, vel suspendo, immo aliquando fertur censura interdicti per verbum Suspendo, vel Separo, aut Prohibeo, dummodo ex alijs adiunctis, & ex subiecta materia appareat sententiam intelligendum esse de interdicto huius vel illius speciei limitato ad hos vel illos effectus, & ad tale tempus, nam si simpliciter, & absolutè feratur, & nulla addatur limitatio quoad effectus, & tempus, quantum erit ex vi sententiæ, producit omnes effectus iuris, & semper durabit donec fuerit per relaxationem sublatum, sicut in simili dictum est suo loco de suspensione.

Quod verò possit iudex, si ita iudicauerit conuenire, limitare interdictum, & quoad effectus, & quoad tempus, puta interdicere alicui ingressum Ecclesiæ tantum, vel ab Ecclesiastica sepultura, vel ab horis canonicis, aut à Missa cum cantu, vel ab alijs similibus, & ita etiam de tempore, vt si interdicitur Ciuitas, quamdiu Princeps ibi fuerit, & huiusmodi arg. c. non est vobis. de sponsal docent omnes, B. Antoni. in sum. 3. par. tit. 26. cap. 5. in princ. Tabie. Interdictum num. 5. Sylue. Interdictum 3 §. 7. Henriquez lib. 13. c. 50. nu. 4. Ratione quoque ibi persuadetur, quoniam sicut ab ipso iure feruntur huiusmodi interdicta cum limitatione effectuum, & ad certum tempus, ita quoque licebit Iudici adhærendo iuri sub eadem forma iustè interdictum imponere. & hæc de forma substantia.

A li requisita ad validitatem interdicti, Glo. fin. in cap. cum, & plantare Ver. Tenorem priuilegiorum, de priuileg. explicans verba illa tex. in fi. *Si contra institutionem hoc venerint, & Ecclesiæ in quibus ista præsumpserint, subiaceant interdicto*, putat his verbis non ferri interdictũ ipso facto, sed ferri debere per Episcopum, vbi Abb. nu. 7. asserit idem communiter teneri, sed oppositum sentit Glos. fin. in c. 1. Ver. Mensem in fi. de iniur. lib. 6. vbi explicans verba postrema illius tex. *Si verò Vniuersitas Ecclesiastico subiaceat interdicto*, inquit pœnam illam *esse latæ sententiæ, vt patet ex verbo subiaceat*. Idem videtur probari posse ex cap. Si quis suadente 17. q. 4. ibi, *Anathematis vinculo subiaceat*, Vbi Glo. Ver. Subiaceat notat Canonem illum esse latæ sententiæ, & ad
B hoc citat alia testimonia iuris, & in hanc partem videtur inclinare Abb. in dicto c. Cum & plantare num. 7. de priuileg. & in cap. Ad Falsariorum num. 3. De Crim. fal.

Quod spectat ad formam accidentalem, nempe ad solennitates requisitas ab ipso iure, vt legitimè pronunctetur interdictum, primo loco inquiri potest, an requiratur aliqua monitio, antequam pronuncietur sententia interdicti.

In hac difficultate, aliqua videntur certa, quæ ab omnibus admittuntur; Primum est nullam admonitionem esse necessariam, quando interdictum fertur ab ipso iure per legem, vel ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, sicut dictum est de
C excommunicatione, & suspensione. Ratio est, quoniã præcipua causa, propter quam requiritur ab ipso iure admonitio, antequam ferantur Censuræ, illa videtur esse, quoniam cum Censuræ ferantur propter contumaciam, & contumax dici verè non possit, qui antea non fuerit admonitus, an velit obedire, ideo, vt cõstet de inobedientia, & contumacia, necesse est, vt prius admoneatur. Verùm cum Censura fertur ab ipsa lege, vel ab homine per præceptum generale non est opus alia admonitione noua, cum ipsa lex, & præceptũ non semel, iterum, & tertio, sed semper & quolibet tẽporis momento assiduè moneat, vt latius declaraui lib. 3. de excommunicatione. Disp. 3.

Secundò conueniunt Doctores talem admonitio-
D nem non requiri, quando interdictum absolutè fertur pro delicto commisso sine aliquo ordine ad futurum. In eo enim casu admonitio non habet locum, quia admonitio non est de re facta, sed facienda, tum etiã quia admonitio fit, vt appareat, an Monitus resipiscat & pareat, vel potius velit in sua contumacia obstinatè perdurare. Sed quando interdictum fertur in pœnam peccati commissi, non expectatur noua contumacia, sed pro delicto iam commisso imponitur; ideo reus etiam correctus & emendatus pœnam subire debet. Ita sentiunt Innoc. in c. 1. de excess. Prælat. Abb. in ca. Reprehensibilis nu. 4. de Appell. & ibi A ij, B. Antoni. in Sum. 3. par. tit. 26. cap. 5. in princ. Tabie. interdictũ 3. num. 5. Syluester interdictum 3. §. 6. In hoc enim ca-
E su inquit Sylue. probata culpa, vel notoria existente imponi potest interdictum sine monitione pœnitenti, & correcto, & impugnat sententiam supplem, qui limitat hanc doctrinam ad pœnam statutam per Canonem, quæ incurritur ipso facto, secus verò si imponatur ab homine, antequam præcedere debet monitio. At contra argumentatur Syluest. illud esse impossibile, nam monitio locum non habet in ordine ad præteritum, vt præteritum est, nisi propter aliquam connexionem cum futuro, & ita est interpretandum cap. Sicut de cohab. Cler. & mulie. Idem confirmat Cal-

dér.

der. in Tract. de interdic. par. 1. nu. 57. Verſ. Ad quartum membrum.

Hæc tamen ſententia locum non habet in excommunicatione, vt probaui in dicta Diſp 3. & communi co. ſenſu Innoc. & Abb. & alij Doctores citati aſſerũt, nam excommunicatio non poteſt vllo modo ferri pro peccato præterito tanquam pura & ſimplex pœna, ſed ſemper eſt medicinalis inata cap. 1. de ſenten. excom. lib. 6 & probari poteſt ex c. Qua fronte de appel. Vbi habetur, quòd Eccleſia ſemper eſt parata excommunicato abſolutionem impertire, ſi cum debita ſubiectione & diſpoſitione illam petat, ergo multò promptius & liberalius parata erit ad non excommunicandum, ſi peccator reſipiſcere velit & obedire, ideo ſemper ante excommunicationem neceſſaria eſt admonitio.

Quamobrem dicta concluſio eſt intelligenda de ſuſpenſione & interdicto, & de ſuſpenſione probatum eſt ſuo loco & confirmari poteſt ex cap. Eos, & c. vlt. de Temp. ordin. lib. 6. & cap. Tam literis de Teſti in quibus locis agitur de ſuſpenſione, & tradit Abb. in cap. Si quis Presbyter num. 2. de Cleri. excom. Mini. & in c. Reprehenſibilis nu. 3. de appell. Quare clarum eſt ſuſpenſionem ferri poſſe in pœnam tantum ſine vllo ordine ad futurum. Quòd ſi in dicto cap. Reprehenſibilis, & in cap. Sicut de cohab. Cleri. videatur vetitum poſſe ferri ſuſpenſionem nõ præmiſſa monitione, iura illa interpretari debent de ſuſpenſione, quæ fertur per modum Cenſuræ, non quando imponitur ſimpliciter in vindictam & pœnam peccati.

De interdicto idem affirmat Abb. locis citatis ex cap. Romana de ſent. excom. lib 6 vbi prohibetur de ſola excommunicatione, ne infligatur non præcedente admonitione, cum tamen antea ſermo in eod. cap. de omnibus tribus cenſuris quoad alia confirmatur ex cap. Reprehenſibilis de appell. Vbi eadem prohibitio extenditur ad ſuſpenſionem, ne poſſit ferri abſq; monitione, & nihil dicitur de interdicto. Quare ſi aliunde probari poteſt non obſtãte dicta prohibitione adhuc ſuſpenſionem ferri poſſe ad modum pœnæ abſque alia monitione, multò magis id erit aſſerendũ de interdicto. De ſuſpenſione verò nihil probant iura citata. Quòd ſi in cap. Statutum, de ſent. excom. lib. 6. illa prohibitio etiam ad interdictum extendi videatur, tamen ibi non ſumitur generaliter, ſed in quadam materia particulari, vel dici poteſt ibi ſermonem eſſe de interdicto, quod fertur propriè ſub ratione cenſuræ non ad modum ſimplicis pœnæ.

Sed contra objiciet quis, nam ante omnem ſententiam requiritur citatio, & ſententia lata abſque citatione eſt nulla, vt inquit Card. in Clement. Paſtoralis §. Denique de re iudi. Glo. cap. Inter quatuor de maio. & obed. Abb. in c. Eccleſia num. 8. de Conſtit. & in cap. Cum olim num. 22. & ſeq. de re iudi. qui tenet non valere ſententiam abſque citatione, etiamſi lata ſit à Principe, cum citatio ſit de iure diuino, idem Abb. in cap. Veſtra num. 18. de cohab. Cleri. & Mulie. Quare ſi neceſſaria eſt citatio ad validitatem cuiuſcunque ſententiæ, ſequitur minimè eſſe admittendum id, quod firmatum eſt in ſecunda concluſione, nempe non requiri monitionem, quando fertur interdictum ſub ratione ſimplicis pœnæ in vindictam peccati præteriti, non autem ad modum Cenſuræ.

Reſpondeo negari non poſſe ſententiam latam in cauſis ciuilibus, & multò magis in criminalibus, in quibus apponitur pœna, nullam eſſe & inualidam, niſi præmittatur citatio, quæ eſt vocatio iuridica ad A Iudicem, & poteſt fieri per Nuncium, vel literis citatoriis, ſecundò per Præconem, tertiò per edictũ, quartò ex iuris diſpoſitione, & ob eundem defectum citationis aſſerendum eſt ſententiam interdicti dicendam fore inualidam quamuis ſub ratione ſolius pœnæ pronuncietur. Sed aliud eſt, ſi loquamur de monitione, quæ longe differt à citatione, monitorio, fit ad finem explorandi voluntatem ipſius delinquentis, an velit recedere à contumacia, & parere præcepto & voluntati Superioris, & ſatisfacere iniuriæ & offenſæ, & ſi paratus ſit obedire, non poteſt contra eum ferri cenſura aliqua ſub ratione cenſuræ, vt dictum eſt, & magis declarabo infra. Verùm citatio fit, vt pars notitiam habeat cauſæ, quæ in iudicio diſcutitur, & poſſit coram Iudice comparere ad ſe defendendum, Abb B in dicto cap Eccleſiæ num. 8. de Conſtit. & in c. Cum olim num. 25 de re iudi. Sylue. Ver. Citatio, hinc ſequitur quòd quando interdictum fertur ad modum ſimplicis pœnæ, etiamſi reus ſit citatus & compareat & velit corrigi, nihilominus interdictum legitimè fertur, quia imponitur in vindictam peccati commiſſi abſque vllo ordine ad futurum. Accedit etiam, quòd quando interdictum, vel alia Cenſura fertur ſub ratione cenſuræ, quamuis factum ſit notorium & manifeſtum, admonitio omitti non poteſt, quæ inſtituta eſt ab Eccleſia, vt appareat de voluntate ipſius Rei, quæ conſtare non poteſt, niſi moneatur, niſi alio modo cognita & manifeſta eſſet Iudici contumacia par- C tis, quia antea palam dixiſſet ſe non fore pariturum. At quando pronunciatur interdictum ſub ratione ſimplicis pœnæ pro peccatis præteritis, licèt regulariter ſit neceſſaria citatio propter finem explicatum, tamen ab hac regula excipitur, quando factum eſt notorium, & manifeſtum ex ſententia plurium Doctorum, vt inquit Abb. in cap. Eccleſia num. 8. Verſ. Quod tamen fallit de Conſtit. & licèt communis ſit opinio, quòd etiam in notorijs requiratur citatio, vt idem Abb. docet in cap. Veſtra nu. 18 de cohab. Cleri. & Mulie. & in cap. Cum olim num. 20. de re iudi. tamen vt tradit Abb. in dicto nu. 20. ſaltem verum eſt in notoriis non requiri citationem, quando expreſsè conſtat abſque alia indagine nullam competere ipſo D Reo defenſionem ſeu excuſationem quoad peccatum commiſſum, cum ad hunc finem neceſſaria ſit citatio.

Tertia concluſio certa quoque, quæ abſque diſcrepantia recepta eſt ab omnibus, & ex præcedenti ſequitur, quoties interdictũ imponitur ab homine per ſententiam, ſeu ratione Cenſuræ pro contumacia præuiam admonitionem poſtulet, ſine qua contumax quis vocari nequit.

Et quamuis de neceſſitate admonitionis ante Cenſuram expreſsiùs & clariùs ſtatutũ reperiamus à Iure in ordine ad excommunicationem, vt patet ex cap. Sacro De Sent. Excom. & cap. Romana eod. tit. lib. 6. cap. Cum ſpeciali De Appella. & alibi, tamen eadem Iuris diſpoſitio extenditur ad alias duas ſpecies Cen- E ſuræ, vt de Suſpenſione habetur in cap. Reprehenſibilis De Appell. & de Interdicto in cap. Statutum De Sent Excom lib. 6. & in cap. Indignè 11 q 3. generaliter traditur, *Debet eſſe processum, vt vindictam admonitio precedat*. Ita ſentit Palud. in 4. ſent. diſt. 18. q. 8. art. 4 principali Verſ. Quantum ad ſeptimum, Angel. Interdictum 3. nu. 4. B. Antoni. Tabie. Sotus, Henriquez locis proximè citatis.

Animaduertendum eſt autem, quando ob vnius culpam toti Vniuerſitati imponitur interdictum, tũc admonitionem non eſſe ſingulis ipſius Vniuerſitatis facien-

faciendam, sed illi, ob cuius culpam Censura fertur iuxta cap. Si sententia, de sent. excom. lib 6. Nam ille admonendus est, qui contumax est, ut à contumacia recedat, Vniuersitas ipsa non est contumax, ideo non est admonenda.

Modus verò seruandus in facienda admonitione praescribitur ab ipso Iure, nam in cap. Sacro, de sent. excom. statuitur, ut haec admonitio debet esse competens, vbi Glo. competentem vocat trinam monitionem, & ita declaratum habetur in cap. Constitutionem §. statuimus de sent. excom. lib 6. & patet etiam ex cap. De illicita 24. q. 3. & cap De Presbyterorum 17. q. 4. Dicitur autem trina, non quia necessariò semper tribus temporibus distinctè fieri debeat, sed quia continere debeat aliquorum dierum competentia intervalla, quamuis vnica sit admonitio, sed quae valeat pro tribus, ut dicitur in dicto c. Constitutionem, & hic modus solet frequentius obseruari. Quantum verò temporis pro vnaquaque admonitione assignari debeat, non videtur satis in iure expressum, ut latiùs dixi in materia de excommunicatione. Nam in dicto cap. Constitutionem dicitur solùm, *Dummodo aliquorum dierum competentia interualla concedantur*. Hinc Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 11. infert, ut minimum duorum dierum spatium continere debere, sed addit limitationem, nisi periculum sit in mora. Nam si Iudex iudicauerit propter aliquam facti necessitatem non esse tale temporis spatium concedendum, poterit ea rationabili causa prudenter coarctare, & etiam ad vnicam diem, vel breuius tempus coarctare, cum ita videatur permitti in fi. dicti cap. Constitutionem illis verbis, *Nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda*. Quare temporis concedendum pro qualibet monitione relinquitur prudentiae ipsius Praelati. Illud debet esse certum nunquam ferendum esse interdictū, nisi praecedat aliqua admonitio. Vnde Gratian. 2. q. 1. §. vlt. Quod autem, inquit posse secundam & tertiam admonitionem omitti, si post primam peccator incorrigibilis appareat, vbi Glos. notat citans ad hoc iura admonitionem aliquam debere praecedere, & esse necessariam etiam in notoriis, & idem docet Abb. in cap. Cum sit Romana nu. 32. de appell. & Couar. in cap Alma par. 1. § 9. num. 6. Quare licèt propter omissam trinam monitionem, quae in iure propriè appellatur canonica, & competens, sententia interdicti lata non sit dicenda nulla, sed tantum iniusta, tamen si omnis admonitio simpliciter excludatur, interdictum erit nullum sub ratione Censurae. Ab hac tamen conclusione excipiuntur casus in Iure expressi irritantes censuram latam sine canonica monitione, ut de excommunicatione habetur in capit. Statuimus de sent. excom. lib. 6 vbi excommunicatio inflicta contra participantes cum excommunicatis in locutione, & alijs actibus decernitur irrita praetermissa canonica monitione, & haec dispositio extenditur ad suspensionem & interdictum, quantum ad participantes cum ipsis in capit. Statutum de sent. excom. lib. 6. Et haec dicta sint de admonitione necessaria, antequam pronuncietur interdictum, praeterea, quae de eadem admonitione disputaui in materia de excommunicatione, & accomodari possunt in ordine ad interdictū.

Praeter admonitionem praemittendam, antequam feratur interdictum, requiruntur quoque aliquae solennitates in ipso actu pronunciandi interdictum attinentes ad formam interdicti. Et primò, ut interdictum imponatur à Iudice in scriptis, ut statuitur de omnibus Censuris in cap. 1, de sent. excom. lib. 6. &

A testantur idem omnes Doctores citati, secundò. ut in hac scriptura annotetur causa, propter quam profertur interdictum, tertiò Iudex, si infra mensem requisitus fuerit, tenetur parti petenti tradere exemplum scripturae continentis sententiam Censurae latae ex eodem cap. 1. de sent. excom. lib. 6. Et tandem ad hanc partem reuocari possunt ea, quae spectant ad ordinem iudiciarium seruandum, antequam feratur sententia. Ex quibus aliqua sunt de substantia ad validitatem sententiae requisita ex Iuris dispositione, aut quoniam ex illis iurisdictio Iudicis pendet, puta ut sententia interdicti non feratur post appellationem legitimè interpositam.

Postremò pertinet ad perficiendas solennitates,
B quae requiruntur ad formam interdicti, ut post pronunciatam sentētiam, illa parte intimetur & promulgetur, & est denunciatio quaedam interdicti, & veluti caeremonia, quae consequitur interdictum, sicut ab ipso, Iure etiam praecipitur post suspensionem & excommunicationē, sed magis hoc videtur in Iure expressum quoad excommunicationem, quàm quoad alias censuras, quia in excommunicatione apparet maior necessitas huius denunciationis, quia effectus excommunicationis pendent maximè ex aliorum notitia, praesertim post Concilium Constantiense, ex cuius priuilegio non obligantur fideles ad vitandum excommunicatum, antequam sit publicè declaratus, & denunciatus talis excepto manifesto Clerici percus-
C sore. Quare non habetur peculiare praeceptum in iure denunciandi Censuras. Vnde Praelati possunt promulgare interdictum, si ita expedire iudicauerint, seruata forma & modo, qui magis illis conuenire videatur. Aliquando verò ad denunciandum interdictum erunt obligati, ut in casibus à iure expressis, vel si iudicetur necessarium ob delicti grauitatem, & contumaciam, vel ob alias similes causas. Verùm quoniam peculiaris difficultas videtur esse de interdicto, quomodo illius denunciatio necessaria sit ad hoc, ut obligeet personam, cōtra quam imponitur, vel alias; Ideo, ut clariùs intelligatur haec obligatio, commodiùs de illa agemus in sequenti Capite.

D

CAPVT IV.

Vtrum interdictum obliget, antequam legitimè denunciatum & promulgatum fuerit.

DEclaraui superiori capite, quae necessariò requirantur ad essentialem formam imponendi interdictum, & quae sint solennitates accidentariae; Reliquum erat tantum explicare, an intimatio vel denūciatio interdicti sit necessaria, ut interdictum vim habeat obligandi, vel etiam ante denunciationem & promulgationem afficiat. Cum autem interdictum ferri possit, & ab ipso Iure & ab homine, sicut aliae Censurae, de vtroque dicendum erit.

E Si tractetur de interdicto Iuris, vel loquimur ex dispositione iuris antiqui, vel post Extrau. Ad euitanda Conc. Constantiensis. Ex Iure communi omnes fatētur interdictum latum à lege statim obligare omnes ipso facto, nulla praemissa denunciatione, quia haec est vis & facultas omnis Censurae latae à lege ipso facto, non sub comminatione ferendae in futurum, ut sequuta transgressione legis, statim eo ipso incurratur Censura. Sed hoc tempore post dictam Extrauag. Ad euitanda, tenent aliqui interdictum legis non obligare ante denunciationem, ita sentit Maiol. lib. 3. de irregul.

A regul. cap. 20. num. 11. dicens non esse interdictos illos, qui agunt contra Canonem, etiam cum clausula, quòd transgressores sint ipso facto sint interdicti, licet peccent non obediendo, sed interdictum afficiet post denunciationem, idest quando Superior cognita inobedientia declarauerit interdictum, & illud affigi iusserit, & ante hanc affixionem censet Celebrantes diuina nullam incurrere irregularitatem, excepto casu, si quis iniecerit manus violentas in Clericum, ita tenet etiam Armilla Ver. Interdictum nu. 21. & alij, & hæc denunciatio non est facienda singulis personis, si interdictum feratur in populum aut Ciuitatem, sed sufficit, vt fiat promulgatio in locis publicis consuetis arg. c. Quod dicitis dist. 16. Quare si Metropolis & tota Prouincia interdicatur, promulgatio facta B in Ciuitate Metropolitana erit sufficiens, vt maneant obligati omnes comprouinciales ad illius obseruationem, nec habebunt iustam causam excusationis, quòd denunciatio non fuerit facta in singulis cas. 1. de postul. Prælat. Armill. Ver. interdictum nu. 26.

2 Hæc, quæ dicuntur ab his Doctoribus, vera sunt, si rectè intelligantur. Vt igitur hæc doctrina dilucidior & clarior reddatur, quibusdam propositionibus rem totam explicabimus.

Prima propositio erit, si interdictum latum à iure sit particulare personale, illud statim post transgressionem ligat personam, sed alij non tenentur illam vitare, antequam fuerit denunciata. Hæc propositio patet ex his, quæ explicata sunt in materia de excommunicatione, nam extrauag. Ad euitanda nullum confert priuilegium ipsis delinquentibus, sed alijs, qui cum eis communicare debent. Igitur non obstat, quominus ipsi contumaces & transgressores statim afficiantur interdicto. Quare ipsi interdicti, quantum est ex parte ipsorum, tenentur abstinere, alijs verò permittitur ex priuilegio dictæ Extrauag. communicare cum illis, antequam fuerint declarati & denunciati tales.

Secunda propositio sit, si interdictum Iuris sit latum in personas generaliter, certum etiam esse, quòd alij non tenentur vitare Collegium, vel Vniuersitatem illam interdictam, antequam facta sit legitima denunciatio interdicti propter priuilegium dictæ Extrauag.

3 Petet aliquis, an hæc denunciatio in hoc casu fieri debeat contra omnes, & singulas personas Communitatis, an verò sufficiat, vt fiat contra ipsam Communitatem in genere; Respondeo satis esse, si denuncietur ipsa Communitas in genere, scilicet per intimationem factam officialibus, qui representant Vniuersitatem, & ipsam regunt, vel per affixionem in loco publico consueto, vel per edictum. Ratio est, quia alias talis denunciatio esset impossibilis moraliter, & ita interdictum redderetur inutile. Quare postquam interdictum denunciatum est nominatim, & in particulari ipsi Vniuersitati, omnes personæ, quæ sunt membra Vniuersitatis sunt interdictæ, & tanquam tales ab alijs sunt vitandæ.

Tertia propositio, si loquamur de ipsis personis interdictis ab ipso Iure interdicto generali, probabilius est statim post transgressionem debere se existimare interdictos ante omnem denunciationem, quia extran. Martini Quinti, ad euitanda, nullum priuilegium concedit ipsis personis, quæ innodatæ sunt censura aliqua, siue ob propriam culpam sint obstrictæ censura siue ob alienam, & sufficit, vt habeatur publica notitia Censuræ latæ in Communitatem, & hæc A publica notitia haberi potest absque denunciatione per euidentiam facti.

Hinc inferri potest, quando delictum, cuius gratia latum est interdictum à Iure in Vniuersitatem fuerit occultum, tunc populum non esse interdictum, quia factum non sit manifestum, & ideo quamuis aliqui ipsius Communitatis priuatam & secretam notitiam haberent illius interdicti, tamen non tenerentur se gerere tanquam interdictos, quoniam illi alligantur interdicto per se, vt tales sunt, sed vt membra Vniuersitatis, cum sit interdictum generale, ergo, donec interdictum innotescat eis, vt sunt membra Communitatis, non potest eos afficere; hæc autem notitia non adest, nisi interdictum sit publicum & manifestum.

Sed dubitari potest, an id etiam locum habeat B quoad eam personam singularem, quæ deliquit, vt non maneat interdicta non supposita notitia publica interdicti, quamuis priuatam & occultam notitiam illius habeat.

Respondeo probabile esse non ligari interdicto generali personam etiam illam, quæ dedit causam interdicto, si interdictum non sit publicum; quia cum talis persona ligetur tantum Interdicto generali Iuris, sicque vt membrum ipsius Vniuersitatis, sequitur talem personam non manere interdictam, nisi postquam Communitas censetur interdicta, sic enim est membrum & pars illius. Hoc autem contingit, quando interdictum est manifestum. Nihilominus tutius C est, vt persona particularis, quæ deliquit, seruet interdictum, & abstineat à diuinis, quia quoad ipsum huiusmodi interdictum vim habet interdicti specialis, vt superius suo loco dixi.

Quarta propositio, si loquamur de interdicto locali, dicendum est ex dispositione Iuris antiqui interdictum locale tam speciale, quàm generale obligare ante denunciationem publicam & expressam factam à Iudice iuxta formam dictæ Extrauag. sed post illam esse necessariam denunciationem, vt oriatur obligatio interdicti.

Prima pars patet ex ijs, quæ dicta sunt de interdicto personali, sed licet non requiratur denunciatio ex iure antiquo, tamen semper fuit necessaria publi- D ca notitia delicti seu facti sicut de interdicto personali generali probatum est. Potest quoque hoc idem confirmari arg. sumpto à pollutione Ecclesiæ, quæ nō violatur ex facto seu delicto occulto, sed oportet, vt crimen sit publicum, vt est communis sententia Doctorum ex Nauar. in Manuà. cap. 27. nu. 251. & Domin. Sot. in 4. sent. dist. 13. q. 2. art. 3. ad 2. & dist. 32. art. 3. & propter eandem rationem idem sentiendum est de interdicto.

Secunda pars conclusionis, quòd post decretum Concilij Constantiensis interdictum locale non obliget, nisi post iuridicam denunciationem, vt cōstat ex dicta extrauag. quam ad verbum refert Sylu. Excommunicatio 5. §. 7. & patet, quia tota ratio huius inter- E dicti consistit in separandis fidelibus à tali loco interdicto circa diuina, nam locus non potest separare se à diuinis, in quo differt locale interdictum à personali, & hæc denunciatio debet fieri de loco in particulari & nominatim, qui interdicto supponatur.

Quantum verò spectat ad interdictum latum ab homine si sit personale particulare, certum est non obligare, nisi intimatum fuerit parti, & antea non tenetur abstinere, ipsa verò non comparente promulgari debet in Iudicio, vel in Ecclesia iuxta cōsuetudinem loci, & præmissa tali publicatione non præsumi-

tur

tur in foro exteriori probabilis ignorantia, nisi concludenter probetur. Quod si Interdictum fuerit generale personale, vel locale, denunciatio necessaria est, non vt singulis intimetur Interdictum, sed vt promulgetur in locis publicis consuetis. Similiter si sit Interdictum locale, non est intimandum singulis locis, sed principali loco, puta Ciuitati respectu totius Dioecesis, sicut diximus de Interdicto Iuris. Ita sentiunt B. Antoni. 3. par. summ. tit. 26. cap. 5. in princ. Tabie. Interdictum 3. nu. 2. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 52. Et hæc promulgatio sententiæ adeo necessaria est, vt quamuis certissimè sciat Iudicem conscripsisse sententiam, antequam legitimè promulgetur, non teneatur ad illam seruandam, vt est communis sententia Doctorum, & secuta tali denunciatione, licet illi, qui inuincibiliter, & absque culpa ignorant Interdictum, excusentur in foro interiori à peccato, & à pœna irregularitatis, & aliis pœnis, non tamen in foro exteriori, nisi probata ignorantia, vt dixi; Immo postquam habuerint notitiam Interdicti, tenentur à diuinis cessare, quia etiamsi non certò sciant latum esse Interdictum, sed audierint ex relatione aliquorũ, quia extet talis rumor & fama, tutius est, si cessent à diuinis, quousque certiores reddantur de veritate rei. Quamobrẽ facta promulgatione Interdicti, omnes ad illud seruandum obligantur etiam Religiosi, licèt exempti, siue Interdictum impositum sit à Papa, siue ab Ordinario loci, sicut dictum est supra, & ea violatione incurritur Excommunicatio Clem. 1. De Sent. Excom. Conc. Trid. Sess. 25. De Regul. cap. 12. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 146.

Si quis contra obiiciat, Episcopus nullam habet iurisdictionem in exemptos, igitur non potest illos obligare ad seruandum Interdictum; Respondeo Episcopum non posse ferre sententiã specialem in exemptos, sed posse ferre sententiam generalem Interdicti, quam exempti seruare debent. hæc enim obligatio non prouenit ab Episcopo, sed ab ipso Iure, à quo talis vis tributa est Interdicto, sicut dicemus de Excommunicato ab Episcopo, quem tamen etiam exempti vitare tenentur.

CAPVT V.

A quo ferri possit Interdictum.

SEquitur, vt de causa efficiente Interdicti tractemus, de eo scilicet, qui potestatem habet imponendi interdictum, & ante omnia supponendum est interdictum ferri posse à Iure & ab homine, sicut alias duas censuras, quod certum est ex perpetua consuetudine Ecclesiæ, & ex pluribus Iuribus, in quibus habetur pœna Interdicti, vt videbimus.

Deinde statuendum est etiam, vt indubitatum omnes illos posse Censuram Interdicti ferre, qui excommunicare, & suspendere possunt, vt colligitur ex cap. Cum ab Ecclesiarum De Off. Ordin. vbi quoad partẽ æquiparantur Excommunicatio & Interdictum, & ita sentit Sylue. Interdictum 3. §. 3. Domin. Sot. in 4. Sent. dist. 22. q. 3. art. 1. Conclus. 2. & reddit rationem, quia interdicere minus est, quàm excommunicare; Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 168. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. & 6. vbi citat plures textus Iuris ad hoc confirmandum. & probatur etiam ratione, quia vnica est potestas iurisdictionis ordinaria sufficiens ad ferendas Censuras, quæ residet in Episcopis & aliis, qui iurisdictionem quasi Episcopalem obtinent, quæ

A prouenit ex officio ab ipso iure, nam cum omnes censuræ ordinentur ad eundem finem, & se mutuò adiuuare optimè institutum fuit, vt qui potestate gauderet ad excommunicandum, posset quoque suspendere & interdicere. Et licet iurisdictio delegata possit ad vnum actum & non ad alium committi, quia non sũt ita essentialiter coniuncti, vt separari nequeant, tamẽ regulariter hæc iurisdictio non solet separari, neque id fieri expedit ad finem delegationis.

Hæc autem conclusio intelligenda est de potestate ferendi Interdictum in genere & absolute, non deueniendo ad species Interdicti, quoniam aliqui Prælati videntur habere potestatem ferendi Interdictum personale, non locale, vt Prælati Religionum ex sententia B Dom. Sot. loco citato. & saltem certum est non esse in vsu, vt tales ferant Interdictum locale, nisi fortasse in illis locis, in quibus habent iurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi, & quasi Episcopalem. Nam iurisdictio horum Prælatorum magis est in personas, quàm in loca, & licet hæc ratio magis militet in interdictum loci generale, quàm speciale, quia Ecclesiæ propriæ & loca propria Regularium videntur subiecta eorum Prælato, tamen communi consuetudine oppositum seruatur, vt non soleant imponere interdictum in Ecclesiis eorum propriis.

His præmissis in genere de causa efficiente Interdicti, modò peculiariter & distinctè discutiendum est, quibus personis competat potestas interdicendi. Et C quidem si loquamur de Interdicto Iuris, potest ab iis omnibus ferri, qui concedere legem possunt, & sub pœnis Censurarum ad illius obseruationem obligare. De hac potestate tractaui in materia de Excommunicatione.

Quoad interdictum verò hominis duobus modis potest alicui inesse potestas ad interdicendum, idest ordinaria, & delegata; sicut etiam dictum est de excommunicatione, & suspensione, & probari potest ex cap. Sanè 2. de off. deleg. Vbi delegatus Papæ in causa sibi commissa habet iurisdictionem ad interdicendum, & in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. vbi mentio fit de locis interdictis ab Ordinarius. Et ratio est, quia hæc iurisdictio non potest esse in hominibus, D nisi in aliquo sit tanquam propria, & ex officio, & hoc est habere iurisdictionem ordinariam; vnde & delegari potest, quia nulla est repugnantia, neque ex parte ipsius iurisdictionis ordinariæ, neque ex parte ipsius Iudicis.

Et primò hæc potestas summa quoad omnes personas, & omnia loca residet in Pontifice Romano, vt colligitur ex cap. Tanta de excess. Prælat. Vbi Summus Pontifex graues pœnas infert in Episcopum, & alios, qui interdictum per ipsum latum violauerint, & docet Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 4. princ. §. quantum ad quintum Sylue. interdictum 3. §. 3. Tabie. interdictum 2. num. 3. Henriquez lib. 13. de excom. & interdic. cap. 51. num. 1.

E Secundò Legatus, & Nuncius Sedis Apostolicæ interdicere possunt cap. Nouit de off. deleg. & affirmant Doctores citati, & omnes, quod intelligitur de personis. & locis suæ legationi subiectis, non de aliis, siue in literis commissionis apposita sit clausula *Contradictores per Censuras Ecclesiasticas compescendo*, arg. cap. Quærenti de verb. signif. sed etiam si simpliciter constituatur Legatus absque tali clausula, vt iidem Doctores testantur. Similiter Delegatus eiusdem Sedis Apostolicæ potest interdicere personas, & loca, quorum causæ ei delegatæ sunt cap. Sanè 2. de

off.

off. Deleg. Et codē modo idem possunt Delegati aliorum Prælatorum iuata formam eorum delegationis; Neque tantum Delegatus, sed etiam Subdelegatus, idest Delegatus à Delegato potest interdicere cap. Ex literis De Off. Deleg.

Tertiò Episcopus potest interdicere iure ordinario ratione sui officij, vt constat ea dicto cap. Episcoporum, & ea cap. Cum & plantare §. Excommunicatos De Priuileg. Et ratio est, quia Episcopus habet ordinariam, & principalem iurisdictionem fori exterioris contentiosi, & Doctores affirmant hanc iurisdictionem competere Episcopo, quamuis non sit consecratus, dummodo sit electus, & confirmatus, quia interdicere non est actus ordinis, sed iurisdictionis, cap. Transmissam de elect. ibi, *Respondemus igitur, quòd ex quo electionis tuæ confirmationem accepisti de talibus &c. statuendi liberam habeas facultatem*. Et ita sentit Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 4. princ. vers. Quantum ad quintum. B. Antoni. 3 par. sum. tit. 26. cap. 2. in fi. Sylue. Interdictum 3. §. 3. Tabie. Interdictum 2. num. 2. Henriquez lib. 13. cap. 51. num. 1. Potest autem Episcopus interdicere personas, & loca suæ Diœcesis, immo potest etiam interdicere personas priuilegiatas à Sede Apostolica, ne possint interdici, si priuilegium sit concessum tantum ratione personæ, nisi fuerint Reges, Reginæ, aut eorum filij, ne priuilegiati aut nisi recepti sint in filios speciales à Papa cap. 1. De Verb. Signif. lib. 6. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 164. Vers. Octauo. Sed non potest Episcopus interdicere personas priuilegiatas ratione Ordinis.

Sed hic dubitari solet à Doctoribus, an Episcopus interdicere possit Clericos & Ecclesiam sine consensu Capituli, & ratio dubitandi desumi potest ea cap. 1. De Eacess. Prælat. Vbi prohibentur Episcopi, & Prælati, *Ne sine iudicio Capituli suspendere, vel eorum Ecclesias Interdicto subiicere attentent*. Vbi Glo. in ver. Capituli notat Episcopum ferre non posse sententiam Eacommunicationis aut suspensionis sine Capituli consensu arg. c. Episcopus nullius 15. q. 7. Sed eadem est ratio de Interdicto, cum sit etiam censura & grauis pœna. Ad idem facit c. Nou t. & c. Quanto De his quæ fi. à Prælat. sine consen. cap. Vbi mandat Summus Pontifea, ne Prælatus sine consilio Capituli instituere, vel destituere, vel alia negocia Ecclesiæ tractare non debeat.

Propter has auctoritates ex iure desumptas; Aliqui negant posse Episcopum ferre generaliter omne Interdictum vniuersaliter quocūque modo ferri potest, sed quoniam diuersimodè interpretantur iura citata, & præsertim cap. 1. De Exce's. Prælat. ideo variæ oriuntur opiniones. Aliqui putant Episcopum non posse, aut non debere sine consensu Capituli ferre Interdictum imperpetuum, aut ad longum tempus, & de hoc Interdicto intelligunt cap. 1. de Excess. Prælat. Innoc. ibi & Abb. nu. 2. Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. princip. Vers. Quantum ad sextum, B. Antoni. 3. par. tit. 26. de Interdic. cap. 2. in fi. Sylue. Ver. Interdictum 3. §. 3. qui tamen limitat hanc sententiam, nimirum vetitum esse Episcopo interdicere absque consensu Capituli suos Clericos aut eorum Ecclesias in perpetuum, vel ad longum tempus, maximè quando procedit ea officio. Sed regulariter sententiam solius Pastoris tam iure, quam ex consuetudine timendam esse & tremendam; Tabie. Interdictum 2. Vers. secundo, Henriquez lib. 13. cap. 51. nu. 1.

Calder. in Tract. de Interdicto par. 1. nu. 54. refert A Host. exposuisse dictum c. 1. de excess. Prælat. vt Episcopus scilicet non possit interdicere sine cōsensu Capituli, quando agitur ad correctionem Canonicorum vel Clericorum iurisdictioni Capituli subiectorum, iuata formam c. Irrefragabili, §. Eacessus, de off. ordin. & cap. Cum contingat de fo compet. Vel quando Prælatus & Capitulum omnia communia habent, & communiter instituunt & destituunt, c. Edoceri, de rescript. & cap. Ad hoc §. vlt. de off. Archid. c. Ea noscitur de his quæ fi. à Prælat. alias secundum Host. solius proprij Pastoris sententia timenda est tam ex Iure communi, quàm ea generali consuetudine. Ipse tamen Calderinus putat Prælatum habentem Capitulum de iure communi non posse interdicere sine Capitulo, vt in dicto cap. 1. de excess. Prælat. & in c. Epi- B scopus nullius 15. q. 7. fatetur tamen contrarium vsu, & consuetudine inductum fuisse, vt solus Episcopus valeat interdicere, quæ consuetudo valet etiā quoad Prælatum inferiorem, cap. Non est, de consuet. lib. 6. Hoc idem videtur sentire Abb. in dicto cap. 1. num. 2. de eacess. Prælat. qui eadem distinctione vtitur, nempe Episcopum iure communi non debere sine consensu Capituli causam alicuius eapedire, præsertim in arduis, vt in cap. Nouit, & in c. Quanto de his quæ fi. à Prælat. sed hodie Episcopos præscripsisse iurisdictionalia contra Capitulum, & talem consuetudinem & prescriptionem valere, cap. Non est, de consuet. lib. 6. In quibusdam tamen casibus hæc consuetudo non est C valida, vt notatur in Clem. 2. de reb. Eccles. non alienan. & in cap. Pastoralis de Donat. & hæc opinio mihi videtur probabilior. Quare modò Episcopus poterit interdicere Clericos ratione consuetudinis, nam quantum ad Laicos absque vlla controuersia potestat interdicendi inest Episcopo non solum ex consuetudine, sed etiam iure communi, quia nullibi id reperitur prohibitum.

Quartò Prælati inferiores Episcopis habentes iurisdictionem spiritualem ordinariam fori eaterioris interdicere possunt sibi subditos c. Cum ab Ecclesiarum de off. ordin. vbi Glo. Ver. Ecclesiasticæ sententiæ declarat, qui nam sint isti Prælati, & inquit esse Abbates & Prælatos Ecclesiarum Collegiatarum, qui D licèt subijciantur Episcopo, sunt tamen Iudices ordinarij suorum subditorū, & ita docet Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 4. princip. Vers. Quantum ad quintū, & Vers. Quantum ad Seatum, B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26. cap. 2. in fi. Sylue Ver. Interdictum 3. §. 3. Tabie. Ver. Interdictum 2. Vers. Secundò, Domin. Sot. in 4. sent. dist. 22 q. 3. art. 1. conclus. 2. Henriq. lib. 13. cap. 51. num. 1. qui addit his Prælatis potestatem conuenire interdicendi in suo Territorio, vel ex iure, siue ex consuetudine, aut ex priuilegio, quod etiam intelligitur de Abbatibus secularibus, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, & Innoc. in c. Cum inter, de consuet. hoc extendit ad Decanos ex cap. Dilectis de Appella.

E Quæret quis, an isti Prælati interdicere possint Clerum, & Ecclesiam sine consensu Capituli, & respondendum est, vt supra dictum est de Episcopis, non posse ea dispositione iuris communis, si non extet cōtraria consuetudo, qua sibi hanc potestatem legitimè præscripserint.

Sed animaduertendum est, cum dicimus potestatem interdicendi conuenire Ordinarijs, vel Delegatis, aut Subdelegatis, hoc esse intelligendum præterquā pro pecuniariu debito, vt dictum est in cap. . . pro quo nullus Iudex potest generale interdictum

indi-

indicere sine licentia Sedis Apostolicæ, & si secus fiat, irritum habetur. Calder.in tract.de Interdicto par. 1. num.56.

Sed dubitatur à Doctoribus, an sicut Episcopus, & Prælatus Inferior interdicere potest, ita quoque hæc iurisdictio conueniat Capitulo & Canonicis. Ratio difficultatis sumitur ex cap. Cum inter De Consuet. ibi, *Super eo quod dicti Canonici generale Interdictum ab Episcopo vestro, vel à vobis,* idest à Decano, & Capitulo, *in Ciuitate Cenomanensi positum non seruabant &c.* Quę verba supponunt non solum ab Episcopo, sed etiã à Capitulo solere ferri Interdictum, & ex eodem tex. constat tale Interdictum fuisse validum, nam Papa præcipit illud obseruari debere non obstante contraria consuetudine.

Respondendum est ad hanc difficultatem, & primò dicendum est singulares Canonicos separatim neque plures simul posse iure ordinario interdicere Ecclesias sine consensu Episcopi, & aliorum Canonicorum, vt habetur in cap Quæsiuit De his quæ fi. à maio.par. Cap. *Quod Interdictum in aliqua Ecclesia per aliquem vel aliquos de Canonicis, tu sine tuo, & aliorum fratrum assensu positum obseruare non debes, nec etiam sustinere, vt ab aliis obseruetur,* tradit Abb. in cap. Cum inter De Consuet. num. 1. dicens Capitulum de iure communi non habere potestatem promulgandi Interdictum. idem confirmat in dicto cap. Quæsiuit num. 1. 3. & 7. vbi ait non solum non posse singulares Canonicos interdicere Ecclesiam Interdicto, sed neque Capitulum de iure communi sine Episcopo, neque etiam indicere cessationem à diuinis. Idem ait Io. de Ligna. in Tract. De Interdi. Palud. in 4. sent. dist. 18. q. 8. art. 4. princip. §. Quantum ad sextum, Angel. Interdictum 3. num. 2. Tabie. Interdictum 2. Vers. secundo, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 6. quod etiam ratione confirmatur, quia viuente Episcopo Capitulum non habet ordinariam iurisdictionem fori contentiosi in Territorium & Ciuitatem Episcopalem.

Dico secundò Capitulum ex consuetudine vel priuilegio posse consequi hanc potestatem interdicendi, vt Doctores communiter sentiunt, Abb. in dicto cap. Quæsiuit nu. 3. De his, quæ fi. à maio. par. cap. Calder, in Tract. De Interd. par. 1. nu. 56. Innoc in dicto cap. Quæsiuit, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. nu. 6. qui addit hoc esse intelligendum de Canonicis, si seruẽt formam præscriptam in cap. si Canonici, & cap. Quamuis De Off. Ordin. lib. 6. & cap. Irrefragabilis §. Cæterum eod. tit. Extra, vbi agitur de Cessationibus à diuinis, & præscribitur modus & forma seruanda in Cessatione indicenda.

Potest autem aliqua differentia assignari inter Episcopum, & Capitulum etiam quando vtrique competit potestas interdicendi, & colligitur ex cap. Cum inter De Consuet. nam Episcopus ferre potest Interdictum in vniuersam Diœcesim, Capitulum autem in solam Ciuitatem, vt patet ex verbis dicti cap. & ratio est, quia nec Consuetudo nec priuilegium verisimile est vlterius posse extendi. Hoc autem, quod dicimus de consuetudine interdicendi, intelligit Abb. dicto nu. 3. De Capitulo.

Sed vtrùm hæc potestas interdicendi possit conuenire singularibus Canonicis, Glo. in dicto cap Quæsiuit Ver. Ecclesiam De his quę fi. à maio. par. cap. notat Canonicum interdicendi ius non habere, sed quando habet iurisdictionem Episcopalem in ipsa Ecclesia, & ei denegetur pensio vel aliqua offensa digna excommunicatione committatur, tunc posse supponere Ecclesiam interdicto, sed magis honestum esse, vt interdicat personas, eodem modo dicit Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 55. Quòd si Præbenda seu Canonicatus habeat Ecclesiam annexam, in qua ex cõsuetudine exerceat iurisdictionem spiritualem fori exterioris, illam poterit interdicere Canonicus c. Super eo de præben. lib. 6. Item si Canonicus haberet ex consuetudine iurisdictionem in Territorio Præbendæ suæ, & in personas ibi habitantes, posset interdicere personas & Terram ex sententia Innoc. vt refert Calder. num. 56. sed consuetudine induci non potest, vt inquit Innoc. in eodem c. Quæsiuit, Calder. dicto nu. 56. Palud. in 4. sent. dist. 18. q 8. art. 4. princ. Vers. Quãtum ad sextum, vt pro rebus communibus Ecclesiæ, aut Canonicorum quilibet Canonicus interdicat aut excommunicet. Host tamen tenet generaliter consuetudine non posse priuatam personam iurisdictionem acquirere ad interdicendum, tum propter periculum imminens, tum quia hæc pœna vnus pro altero punitur. Calder. dicto nu. 56. distinguit, vt Canonicus non valeat ex vi cõsuetudinis interdicere nomine suo iuxta sententiam Host. posse tamen interdicere nomine Præbendæ, vt tenet Innoc.

Dico tertiò, Sede Episcopali vacante Capitulo ex dispositione iuris communis competere potestatem interdicendi, quia eo tempore tota iurisdictio Episcopi deuoluitur ad Capitulum, exceptis quibusdam casibus, vt inquit Glo. in cap. His quæ Ver. Pro bono pacis de maio. & obed. vbi enumerat ea, quæ ad Capitulum deuoluuntur, nempe iudicare, absoluere, excommunicare. E contra Capitulum non poterit ea exercere, quę ministerium consecrationis desiderant, neque etiam Præbendas aut dignitates, aut Ecclesias cum cura animarum conferre. Similiter Glo. in c. Cum olim, Ver. Capitula, eod. tit. recenset etiam, quæ deuoluuntur ad Capitulum Sede vacante. Item Glo. cap. Ad abolendam, in princ. Ver. Sede vacante de hæret. notat ex illo tex. argumentum sumi. quòd Sede vacante iurisdictio remanet penes Capitulum, cap. Si Episcopus de suppl. neglig. Prælat. lib. 6. Vbi Bonifacius VIII. respondet, si Episcopus capiatur ab hostibus administrationem pertinere ad Capitulũ, sicut si Sedes per obitum Episcopi vacaret. Idem confirmatur in cap. seq. Item cap. Cum nullus de Temp. ordin. lib 6. Bonifacius Octauus ita loquitur. *Episcopo autem in remotis agente ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sede vacante Capitulum &c.* Et ibi Glo. Ver. Capitulum, addit, *Quod tunc in spiritualibus administrat,* scilicet Capitulum, & ita sentiunt Doctores, Palud. in 4. sent. dist 18. q. 8. art. 4. princip Vers. Quantum ad quintum, B. Antoni. 3. par. sum. tit. 26 c. 2 in fi. Host. in cap. Ad abolendam, de hæret. Tabie. Ver. Interdictum 2. Vers. Secundò, Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 56. Henriquez lib. 13. cap. 24. num. 1. in fi. & cap. 51. num. 2. qui dicit hanc potestatem interdicendi conuenire Capitulo per Vicarium, & modò ita asserendum est ab omnibus, quoniam extat Concil. Trident. decretum sess. 24. de reform. cap. 16. quo statuitur, vt infra octo dies post obitum Episcopi à Capitulo eligatur Vicarius, qui iurisdictionem exerceat.

Quintò eandem iurisdictionem interdicendi exercent Concilia generalia congregata & Prouincialia, & Episcopalia, Henriq. cap 24. n. 1. & cap. 5. n. 2.

Tandem hæc potestas interdicendi non potest cõpetere fœminæ, quamuis sit Prælata, vt Abbatissa, & ratio est, quia hæc potestas interdicendi, sicut etiã excõmunicandi & suspẽdendi est spiritualis pertinẽs ad pote-

A potestatem Clauium in latiori significatione, quia est iurisdictio, quod in specie de potestate interdicendi probatur ex cap. fin De Excess. Prælat. Vbi vt notat Glo. Ver. Petri Claues, vocantur quidem Clauium Ecclesiæ contemptores, qui sententiam Interdicti violauerant, Mulier verò non est capax potestatis Clauium, vt habetur, in cap. Noua De Pœnit. & Remiss. vbi hæc leguntur: *Quia licèt Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed illis Dominus Claues Regni Cælorum commisit*. Ita sentiunt omnes, Calder. in Tract. De Interdic. par. 1. nu. 54. Sylue. Interdictum 3. §. 3. in fi. B. Antoni. 3. par. tit. 26. cap. 2. in fi Henriq. lib. 13. cap. 24. num. 1 & cap. 51. & omnes, quos citaui in Tract. De Excom- B municatione, militat enim eadem ratio quoad omnes Censuras.

Sed contra potest quis obiicere cap. Dilecta De Maio. & Obed. Vbi narratur de quadam Abbatissa, quæ plerumque solebat suas Canonicas & Clericos suæ iurisdictioni subiectos propter inobedientias, & culpas eorum officio & beneficio suspendere. & talem consuetudinem Papa non improbat, immo mandat cuidam Abbati, vt compellat dictas Canonicas & Clericos obedire Abbatissæ, compescendo eos etiam per Censuras. Quare si Abbatissa potest suspendere ab officio & beneficio, poterit quoq; interdicere, nam eadem ratio est omnium Censurarum, vt dixi.

Glo. in eod. cap. Dilectu Ver. Iurisdictioni, duobus C modis respondet, Primo concedit Abbatissam posse suspendere ab Officio, & beneficio suas Moniales, vel Clericos suæ iurisdictioni subiectos, quia habet administrationem temporalem, & spiritualem, non posse autem excommunicare, vel absoluere. sicut dicitur in cap. De Monialibus de sent. excom. Sed hæc responsio non placet. quia si Abbatissa non potest excommunicare, ergo neque suspendere ab officio, cum ab eadem potestate prouentant omnes censuræ, & quibus conuenit facultas ad vnam, competit ad omnes. Secundò respondet Glos. negando Abbatissam posse suspendere ab officio & beneficio, vel interdicere, quia vtrum que pertinet ad Claues, quarũ incapax est fœmina. neque oppositum inquit Papa in eod. cap. Sed solũ præcipit, D quòd Clerici & Moniales, qui contemnant suspensionem Abbatissæ, compellantur per Censuras ab Abbate ad seruandam suspensionem, & salubria mandata Abbatissę. si sunt compellendi per censuras ab Abbate, signum est non potuisse cogi ab Abbatissa, & hoc voluisse indicate Summum Pontificem, quæ responsio est probabilior.

Vtrùm verò Abbatissa ex priuilegio Papæ possit habere vsum quendam Clauium, quem Summus Pontifex delegare possit laico, pertractaui in materia de excommunicatione lib. 3. Disp. 7. cap. 5. & tradit Henriq. lib. 13. cap. 24. nu. 1. lit. B C.

Dubitari quoque potest de Parocho, vtrum ei competere possit potestas ad interdicendum.

E Certum est vnum, quòd omnes fatẽtur, nempe iure ordinario non inesse Parochis facultatem ad interdicendum. Et ratio est, quia sicut non possunt excommunicare, ita neque interdicere nõ enim est diuersa ratio de vna Censura, quã de alia, vt sæpe monui. Non posse autem excommunicare probaui in materia de excommunicatione, & docẽt S. Tho. in 4. Sent. dist 18 q. 2. art. 2. ad quęstiuncul. 1. D. Bonau. in eadem dist. par. 2. q. 3. Palud. q. 2 art. 1. Riccard. art. 4. q. 1. Gabr. q. 2. art. 2. conclus. 3. Sot. dist. 22. q. 2. ar. 1. conclus. 2. & omnes Summistæ, ergo neque interdicere possunt.

Excipitur autem casus, vbi consuetudo legitimè præscripta viget, vt Parochi soleant excommunicare, vel suspendere, aut interdicere nam cõsuetudo iurisdictionem largitur ex cap. Dilecti de arbitr. & ex cap. Conquestus 9. q. 3 & l. vlt. C. de emancip. libe. quãuis hæc consuetudo nullibi vigeat, vt arbitror, & de causa efficiente seu Ministro interdicti hæc sufficiant.

CAPVT VI.

De eo, qui interdici potest.

Restat, vt de subiecto seu causa materiali interdicti tractetur, idest de iis, qui supponi possunt sententiæ interdicti & primò tractabitur de locis, quę interdici possunt deinde de personis.

Quantum ad locum, certum est omne locum posse Interdicto quocunque ille sit, siue vniuersalis, vt Regnum. Prouincia, Ciuitas, & alij similes, siue particularis vt hæc Ecclesia

Sed quæri potest, an totus Orbis Christianus interdici possit, & respondendum est posse interdici, sed à solo Romano Pontifice, nõ ab alio, neque à Concilio generali sine cõsensu & approbatione Sũmi Pontificis ipso viuente. Ratio est, quoniã nullus iurisdictionẽ habet in vniuersam Ecclesiã præter Romanũ Pontificẽ. Interdictum autem sine iurisdictione ferri nequit, sed vacante Sede Apostolica residet hæc potestas penes Conciliũ generale legitimè congregatũ Quare Sum. Pontifex potest in vniuersam Ecclesiã interdictũ ferre diuisiue seu distributiuè. idest in quamcunq; Ecclesiæ partem, quia & iurisdictionem habet in vniuersum orbem, & non est impossibile, ne subsit causa sufficiẽs & legitima exercendi hanc auctoritatem in omnem partem orbis Christiani. Collectiuè autem loquendo de vniuersa Ecclesia coniunctim, quamuis speculatiuè & in abstracto nulla considerari possit repugnantia, neque ex parte potestatis, neq; ex parte locorum, vt tale interdictum vniuersale ferri non possit in vniuersum orbem, quia potestas Papæ est amplissima, & omnis locus est eius iurisdictioni subiectus, tamen tale interdictum moraliter est impossibile, & ferri nõ potest, quia non potest occurrere causa legitima ad illud imponendum, neque esset in Ecclesiæ ædificationem, sed magis in destructionem cum scandalo.

Potestas autẽ Episcopi est limitata quoad locũ, nõ vt talis iurisdictio sit mensurata quantitatiuè, & mathematicè per terminos locales, quoniã ex parte loci nihil obstat, quominus Episcopus interdicere possit quemcunque locum etiam amplissimum, sed talis potestas limitata est ex parte iurisdictionis, quæ non extẽditur ad loca posita extra Diœcesim, quæ suæ iurisdictioni non subijciuntur, intra fines autem Diœcesis propriæ potest à suo Episcopo interdici quicunq; locus. Quare Episcopus potestatem habet interdicendi totam Diœcesim, non solùm hoc, vel illud oppidum, seu hanc, vel illam Ecclesiam diuisim, sed etiam collectiuè Dięcesim vniuersam absq; vlla exceptione, quia eius iurisdictio tã latè patet. Et si occurrat causa sufficiẽs & generalis, licitè tale interdictum generale imponeret, quamuis rarò talis causa accidere possit; & ab interdicto generali Episcopi nullus locus positus intra Diœcesim excipitur non obstante quacunque consuetudine, quoniam consuetudo non valet, per quam interdicti sententia violatur, vt dicitur in cap. Cum inter de consuet.

Animaduertendũ tamen est, quòd licèt Epus ratione sui officij ex vi ordinariæ iurisdictionis non possit

extendere sententiam interdicti vniuersalis localis extra fines Dioecesis, vt dictum est, nã de iurisdictione delegata non controuertitur, quæ maior, vel minor est, vt à superiore delegatur, indirectè tamen sententia interdicti lata ab Episcopo extenditur ad loca immediatè contigua, nec contemptui & vilipendio habeatur sententia interdicti, & id institutum fuit à iure communi, ne interdictum suo effectu careret, vt disponitur in cap. Si Ciuitas De Sent. Excom. lib. 6. *Si Ciuitas, Castrum, aut Villa subiiciantur Ecclesiastico Interdicto, illorum suburbia, & continentia ædificia eo ipso intelligi volumus interdicta; Nam licet prædicta videantur aliàs murorum ambitu terminari, tamen hoc casu ne vilipendi videatur sententia interdicti, quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licitè celebrari, vt prius, expedit interpretationem fieri latiorem.*

Sed contra conclusionem firmatam posset quis opponere; Nam sicut Episcopus subditum suum existentem in aliena Dioecesi interdicere potest, ita poterit interdicere locum extra suam Dioecesim. Item sicut potest interdicto supponere subditum alterius Dioecesis, si in sua versetur, & in ea delinquat, ita poterit locum alterius Dioecesis, si suus subditus ibi commoretur, & in eo delinquat.

Ad primam rationem neganda est consequentia; non enim eadem est ratio de persona sicut de loco, quia persona potest mutare locum, etiam si maneat sub iurisdictione sui Episcopi, si non intendat mutare domicilium. Et in hoc casu poterit Episcopus subditum suum in aliena Dioecesi manentem interdicere, quia retinet potestatem & iurisdictionem in illum. Secus autem est de loco, quia in locum positum extra fines suæ Dioecesis nullam habet iurisdictionem. Ad secundam rationem similiter neganda est consequentia, quia persona delinquens in alterius Dioecesi fit subdita Episcopo loci ratione delicti commissi, sed locus, in quo alienus subditus peccat, non idcirco subiicitur Episcopo ipsius delinquentis, sed è contra, vt dixi, delinquens subiicitur Episcopo loci, in quo delinquit, quia ipse, non locus delinquit. Accedit, quòd Interdictum non fertur in pœnam ipsius loci, sed personæ, quæ in loco degit. Vnde non potest Episcopus propter delictum sui subditi grauare personas alterius iurisdictionis, interdicendo locum in aliena Dioecesi positum, quamuis in eo proprius subditus deliquerit. Atque ex hac ratione illud quoque obiter inferri potest, quòd licèt Episcopus iurisdictionem habeat imponendi personale interdictum speciale extra propriam Dioecesim interdicendo suum subditum, vel etiam plures subditos, non tamen posse ferre generale Interdictum, tunc enim interdiceret personas etiam sibi non subiectas, quod facere nequit.

Tandem posset quis quærere, an interdici possint loca non sacra, idest functionibus spiritualibus & Ecclesiasticis minime deputata, quæ vocantur loca profana. Et quidem de interdicto generali nulla est dubitatio. ex vi enim illius omnia loca particularia, quæ continentur intra fines loci generalis, censentur Interdicto supposita, quæcunque illa sint etiam non sacra, vt dixi in Disp. . . . De speciali verò Interdicto est aliqua difficultas, quoniam ex consuetudine, & vsu communi nunquam solet interdici, nisi Ecclesia, Oratoriũ vel similis locus.

Respondendum tamen est nihil obstare, quominus, locus non sacer possit interdici per se, & separatim, si-

A cut interdicitur vt pars loci vniuersalis per interdictũ generale, vt dictum est. Ratio est, quia potestas interdicendi non limitatur ad loca sacra tantùm, sed simpliciter Iura loquuntur de quocunque loco absque vlla exceptione. Regulariter tamen ex communi vsu solent interdici loca sacra tantùm, non autem communia & profana, quoniam inutile esset interdicere locum communem, in quo non celebrantur diuina officia, neque administrantur sacramenta, nec cadauera sepeliuntur. cum enim per hæc tria suspendantur, quæ in Ecclesia exercentur; Interdictum loci communis non sacri nihil operaretur, & superuacaneum esset: nõ ita accidit in interdicto generali, quo interdicuntur omnia loca, & multò magis Ecclesiæ. quare diuina tunc cessant in omni loco.

B Si loquamur de interdicto personali conclusio est certa omnium Doctorum consensu probata, omnes illos, qui excõmunicari possunt, posse etiam interdici, & idem asserendum est de suspensione; E contra qui possunt interdici, excommunicari quoque posse, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 168. Nam vniuersitas interdici potest, vt dictum est supra, quæ tamen nõ potest excommunicari cap. Romana §. In Vniuersitatem De Sent. Excom. lib. 6. & locus potest interdici c. Si Ciuitas, & cap Si sententia De Sent. Excom. eod. lib. qui neque excommunicari, neque suspẽdi potest. Sunt enim tres censuræ Ecclesiasticæ contra inobedientes institutæ ad tuendam auctoritatem Ecclesiæ, Ang. In-
C terdictum 3. in princ. Sylue. Interdictum 3. §. 3. Tabie. Interdictum 2. num. 3. Vers. secundò; Nauar. in Manua. cap. 27, num. 168. Henriq. lib. 13 cap. 50. num. 1. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 52. & Calder. De Interdicto par. 1. num. 58. qui sententia interdicti asserunt posse vniuersaliter ligari quoscunque sine vlla exceptione, siue sint Clerici, siue Laici, Religiosi vel seculares.

Animaduertendũ autẽ est duobus modis posse accipi interdictum, vel duobus modis quempiã interdici posse. Vno modo, vt significet priuationẽ diuinorũ, & hoc modo non solùm personæ, sed etiam loca interdici possunt, vt cõstat ex his, quæ hactenus disputata sunt. Alio modo dicitur quis interdicti, idest affici hac cen-
D sura, & obligari ad illius obseruationem, itaut si illam violauerit, incurrat pœnas iuris, & hoc modo solæ personæ interdici possunt, & id contingit duobus modis, primo in se ipsis per interdictum personale generale aut speciale, secundo in ordine ad locum. Et quidem quando interdicuntur in se ipsis secum ferunt suum interdictum, quocunque vadant, & si celebrant in quocunq; loco fiunt irregulares. Si interdicuntur verò in ordine ad locum, quod fit per interdictum locale obligantur solùm ad illud obseruandum in loco interdicto, & extra illum locum absque peccato & irregularitate celebrare possunt. Hæc in genere vera sunt de subiecto interdicti, seu de ijs, qui interdici possunt, sed vt clariora reddantur, specialius & distin-
E ctius eadem explicare non est inutile.

Primò omnis Christianus etiam nullius culpę reus interdici potest arg. c. Si sententia de sent. exc. lib. 6. Domin. Sot. lib. 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. ad 1. & 2 arg. Nau. in Man. c. 27. n. 168. Cou. in c. Alma Mater par. 2. §. 1. n. 4. & lib. 2. Var. Resol. c. 8. n. 10. Henriq. lib. 13. de excom. & interd. c. 50. n. 1. licèt enim ad imponẽdum interdictũ requiratur culpa & delictũ, cum. n. sit pęna & censura, necessariò supponit culpã, nõ semper tamẽ in eo, qui interdicitur, sed vel in ipso, vel in alio. Quare multi propter delictum vnius interdici possunt, sic

pro-

propter crimen Domini, & Rectoris interdici solet aliquando tota Ciuitas & populus, & propter peccatum Regis totum Regnum, vt probatur ex c. Non est vobis de Spons. & c. Si sententia de sent. excom. lib. 6.

Ab hac tamen regula, & conclusione generali primò excipitur Romanus Pontifex, qui non est subiectus interdictis à iure positis; Lex enim non obligit Legislatorem quantum ad vim coactiuam, sed solum quantum ad vim directiuam. Censuræ autem pertinent ad coactiuam, & de hoc latius in materia de legibus.

Deinde Episcopus non potest interdici per sententiam generalem, aut per legem, qua interdicuntur omnes, qui hoc vel illud delictum commiserint: ita enim statutum fuit in cap. Quia periculosum De Sent. Excom. lib. 6. quoad suspensionem & interdictum, fuerunt enim hoc priuilegio decorati ab Innoc. Quarto in Concilio Lugdunensi; Secus est de excommunicatione in dicto cap. Quia periculosum Ver. Suspensionis.

Dubitatur de Amentibus à natiuitate, & de infantibus non habentibus vsum rationis completum, vel incompletum & imperfectum, puta ante quinquennium vel septennium, an sub generali interdicto populi contineantur. De speciali enim interdicto non potest controuerti, nam cum tale interdictum non feratur, nisi propter propriam culpam, cuius nõ sunt capaces amentes, & huiusmodi infantes certum est illos non posse ligari per personale interdictum particulare. De generali autem interdicto contingit dubitare, quo ligari possunt aliqui sine propria culpa. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 168. in fi. censet huiusmodi homines capaces esse interdicti, & reuera comprehendi sub generali interdicto populi, & probat ea ratione, quoniam tale interdictum generale ligat etiã innocentes; Infantes autem, & Amentes non videntur posse excusari, nisi ex capite innocentiæ, ideo si interdictum generale afficit innocentes, cessat in amentibus & pueris omnis causa excusationis.

Contraria tamen opinio videtur probabilior, nempe huiusmodi personas minimè ligari interdicto generali personalis. Probatur primò ex iis, quæ superius dixi, vt probarem Infantes & Amentes carentes vsu rationis non esse expellendos à loco interdicto, quando celebrantur diuina officia. Secundò hæc censura est quædam priuatio moralis diuinorum. Priuatio autem supponit capacitatẽ in subiecto, quod actu aliquo priuatur; sed infantes & amentes non sunt capaces diuinorum, ergo priuari non possunt, vel ligari Interdicto. Tertiò vel tales personæ ligantur interdicto, quia directè obligentur ad illos vitandos in diuinis officiis, & hoc dici non potest, quia Ministri Ecclesiæ non tenentur ad vitandum aliquem, nisi sit ligatus censura, ita sentit Ang. Ver. Interdictum 1. nu. 9. Sylue. Ver. Interdictum 2. §. 18. Vers. Decimum septimum, qui ait Interdicto populo censeri quoque interdictos impuberes, si sint doli capaces; ergo è contra si non sunt doli capaces, putat nõ esse interdictos, Couar. in cap. Alma par. 2. §. 4. num. 5. Vers. Duodecimo, Henriquez lib. 13. cap. 42. nu. 3.

Sed quęret quis, vtrum, si infans durante interdicto ad vsum rationis perueniat, quo carebat tunc cum primum latum fuit interdictũ, statim innodetur vinculo interdicti: & idem dubitari potest de persona, quæ tempore, quo lata est sententia, non dũ erat pars Cõmunitatis, sed durante interdicto ascribitur inter Ciues, & euadit membrũ illius populi. Similiter suo modo idem quęri potest de interdicto locali, si noua Cappella, aut nouũ Cœmeterium extruatur postquã Ecclesia supposita est interdicto. Respondendum est in eo caso puerum statim ligari interdicto, ac incipit vti ratione, & idẽ affirmandũ est de Infantibus, qui in lucẽ prodeunt durãte interdicto per plures annos, Glo. in cap. Si sententia Ver. Non compareant de sent. excom. lib. 6. Abb. in c. Quoniam nu. 1. de off. ordin. & in c. Cũ in partibus in princ. de verb. sign. & idem est asserendũ de eo, qui durante interdicto de nouo fit mẽbrum Communitatis interdictæ, Sylue. Interdictũ 2. §. 10 Vers. Nonum. Ratio est, quia puer iã supponitur factus capax interdicti. Item qui supponitur de nouo aggregari populo interdicto, statim fit particeps vinculi, quo tota illa Vniuersitas est alligata, quamuis ab initio ligatus non fuerit, quando latũ fuit interdictũ, quia sententia illa cõtinuè influit in totam illam Vniuersitatẽ. Quare differentia est inter generale interdictum & speciale, quamuis speciale comprehẽdat plures personas, quòd generale interdictum extenditur ad personas, quæ postea aggregantur Communitati, vt dixi, speciale vero minimè, sed afficit tantum illos singulares, contra quos latum est interdictum, non alios, qui postea in locum dictorum subrogãtur.

Propter eãdem rationẽ idem asserendũ est de interdicto locali quoad partẽ loci, quæ postea additur priori loco interdicto, nimirũ locũ additum remanere interdictum, quia resultat vnus locus totalis ex priori & posteriori addito, ideo totus est interdictus quod verũ est non solum in interdicto locali generali, sicut dictum est de personali, sed etiam in interdicto locali particulari, licet secus sit de personali, vt dictum est. Et ratio est, quia vterque locus tam generalis, quàm specialis est quoddam totum, & vtrique fieri potest additio alicuius partis, qua facta nihilominus semper idem locus manet, in quem per se ac directè latum est interdictum, & ideo semper totus ille locus manet interdictus, vnde Bart. in l. Si conuerterit §. Nulli de pignor. actio. inquit locum adiectum alteri, si vnus cum eo efficiatur, legibus eius, cui additus est gubernari. Oportet autem ad efficiendum vnum locum ex priori & posteriori addito, vt locus addatur loco, non personæ, sicut e. g. additum est Regnum Lusitaniæ Regi Hispaniarum, sic enim interdictum latum in Regnum Hispaniarum non extenderetur ad Regnum Lusitaniæ, quoniam ex illis duobus Regnis non fit vnum Regnum, licèt vtrunque subijciatur eidem Regi. Quare necesse est, vt locus additus loco interdicto remaneat etiam interdictus, vt ex vtrisque fiat vnus locus totalis, morali & humano modo loquendo. Ideo si tantæ magnitudinis sit locus additus, vt longè superet locum interdictum, vel ita mutetur locus, & renouetur, vt neuter locus manere censeatur, sed reputetur locus nouus, tunc non solùm dicendus non erit interdictus locus additus, sed potius indicari debet interdictum cessasse, quia sit destructum subiectum, idest locus, in quo fundatus erat.

Secundo dico non solùm simpliciter omnem Christianum interdici posse, sed etiam personas priuilegiatas à Sede Apostolica, sic interdici, excommunicari, aut suspendi à quolibet possint, quæ tamen à suis Ordinarijs validè interdicũtur, & interdictum afficit eos nõ obstante huiusmodi priuilegio, nisi sint Reges, vel Reginæ, aut eorum filij. Ita statutum fuit à Clemente Quarto in c. Ne aliqui de priuil. lib. 6. Qui videns tales priuilegiatos Indultis Apostolicis suffultos sententias Ordinariorũ contẽnere, reuocauit omnea

Indulgentias & priuilegia quibuscunque singularibus personis Ecclesiasticis, vel secularibus, cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status existerent, prohibens ne illa extenderentur ad sententias Ordinariorum, nisi, vt ibi notat Glo. in priuilegio facta fuerit expressa mentio Ordinariorum, idest, nisi in eo apposita fuerit clausula; Vt non possit Priuilegiatus excommunicari, vel interdici à quocunque etiam Diœcesano suo, sed simpliciter dictum sit, ne possit excommunicari aut interdici à quocunque, quia tale priuilegium non extenditur ad Ordinarium, sed ad alios Iudices. Excipiuntur tamen ab hac Constitutione primò Reges, Reginæ, & eorum filij, qui si fuerint hoc modo priuilegiati, non poterunt excommunicari aut interdici etiam ab ipso Ordinario: Et priuilegium concessum filiis Regum durat etiam Rege mortuo, vt notat Io. And. in dicto cap. Ne aliqui, Franc. num. 3. Anchar. nu. 1. Gemin. num. 5. Quamuis ante hanc Constitutionem Clementis Quarti non afferatur à Doctoribus locus specialis in ipso iure, quo eximatur Rex à iurisdictione Ordinarij. Immo desumitur oppositum ex cap. Nos si, §. Cum Balnum 2. q. 7. cap. Valentinianus dist. 63. Ita dicit B. Antoni. 3. par. sum. tit. 25. cap. 75. ad fi. Sylue. Excommunicatio 1. §. 10. post med. qui tenet regulariter excommunicari posse Imperatorem post monitionem, & Regem solùm pro notoriis criminibus, Armill. Excommunicatio num 28. Tabie. Excommunicatio 4. post quæst. 1. in fi. Sic S. Ambrosius interdixit ingressum Ecclesiæ Theodosio Imperatori, & excommunicauit, nisi satisfaceret cum publica pœnitentia; Theodor. lib. 5. Histor. cap. 18. Niceph. lib. 12. cap. 41. cap. Duo sunt 96. dist. Couar. in cap. Alma initio num. 9. & lib. 2. Variar. Resol. cap. 8. num. 1. Secundò excipiuntur priuilegia, quæ non sunt concessa singularibus personis, sed Ordinibus Religionum, vel locis piis, puta tali Monasterio, ex vi enim talium priuilegiorum Religiosi illorum Ordinum, aut Monasteriorum non poterunt excommunicari, vel interdici à quocunque Iudice etiam ab Ordinario. Ita sentiunt Anchar. Gemin. & Franc. supra citati, & B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 24. cap. 25. in fi. Sylue. Interdictum 3. § 4. Henriquez lib. 13. cap. 25. nu 5.

Quærit Io. And. in dicto cap. Ne aliqui De Priuileg. lib. 6. si priuilegium à Papa alicui concessum; Ne à quouis excommunicari aut interdici possit non extenditur ad sententias sui Ordinarij, quas sententias cōprehendere debeat. Respondet Anchar. in fi. Franc. num. 2. in fi. Gemin. num. 5. in fi. Vers. Quæro an talia priuilegia, huiusmodi priuilegia habere locū & operari suos effectus quoad sententias Legatorum, Conseruatorum, & Executorum, nisi in rescriptis adesset clausula, quibus expresse huiusmodi priuilegiis derogatum esset. De quibus clausulis plenè agit Anchar. in Repet. cap. Si propter De Rescript. Et ratio est, quia textus in cap. Ne aliqui, reuocat hæc priuilegia tantummodo quoad sententias Ordinariorum.

Secundò excipiuntur priuilegiati virtute priuilegij concessi ordini aut loco pio, sicque Religiosus alicuius Ordinis aut Monasterij, cui indultum est à Sede Apostolica, ne excommunicari aut interdici possit à quocunque, non poterit interdici ab Ordinario, quia priuilegium est concessum Ordini aut loco, non personæ. Si enim priuilegium datum esset personæ religiosæ, eo non obstante interdici posset ab Ordinario. Huiusmodi priuilegium concessum ordini habent Religiosi Mendicantes. Eodem priuilegio gaudet Societas Iesu, Ordo S. Benedicti, & quidam alij, & de hoc legi potest B. Antoni. 3. par. sum. tit. 24. cap. 75. Henriquez lib. 7. De Indulgentijs cap. 24. nu. 2. & lib. 13. cap. 25. nu. 5. Compend. Priuileg. Ord. Minor. Ver. Exemptio.

Neque solum loca pia & Ordines Religiosorum ex priuilegio Sedis Apostolicæ exempta à iurisdictione Ordinariorum, & Religiosi omnes eodem modo exempti ratione Religionis, vt non possint excommunicari aut interdici ab Ordinariis, gaudent hac immunitate & priuilegio vt directè neque ipsi, neque eorum loca excommunicari aut interdici possint ab Ordinariis, sed neque indirectè, quia non possunt interdici alij ratione ipsorum; Vt si interdicerentur illi, qui negocia tractant, qui molunt in molendinis eorum frumentum, qui panem coquunt, seu qui vendendo quidquid, vel emendo, vel alio modo cum ipsis communicant. ita statutum fuit in cap. Quanto De Priuileg. ibi, *Mandamus, quatenus huiusmodi sententias in fraudem priuilegiorum nostrorum de cætero non feratis*, scilicet indirectè; Quod si nihilominus Ordinarij de facto audeant huiusmodi priuilegiatos hoc modo indirectè excommunicare, vel interdicere, sententia sit nulla, arg. cap. Cum dilectus De Relig. Domi. & Clem. frequens De Excess. Prælat.

Nihilominus ex dispositione Concil. Triden. multi sunt casus, in quibus Religiosi, quantumuis exempti & priuilegiati non obstantibus suis priuilegijs subijciuntur iurisdictioni & potestati Ordinarij, qui in eos iurisdictionem exercere poterit tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, vt sess. 5. capit. 2. prope fin. Vers. Si vero, quod absit, loquitur de Prædicatore, qui errores aut scandala disseminauerit in populum, & ait, *Episcopus ei prædicationem interdicat, quòd si hæreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generali, vel speciali priuilegio se exemptum esse prætenderet. Quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Delegatus procedat*, & sess. 24. De Reform. capit. 4. vbi prohibentur Regulares prædicare absque Episcopi approbatione, & sess. 6. De Reform. cap. 3. Religiosus degens extra Monasterium, si delinquat, ab Ordinario puniri potest, & sess. 7. De Reform. cap. 7. 14. & 15. Confirmatur Clement. Quia contingit, de Relig. Domin. Vbi etiam exempti in quibusdam casibus coram Locorum Ordinarijs conueniri possunt, Henriquez lib. 13. de Indulgentijs, cap. 24. n. 2. & in Annot. litt. O. citat ad idem alia loca Concilij.

Tandem licèt Papa possit aliquos ex priuilegio eximere à iurisdictione & potestate Ordinarij, vt non possit ab illo interdici, a sua tamen potestate neminem excludere potest, nam sicut Summus Pontifex non potest aliquem liberare à Dei potestate, ita neque à se, qui ipsius Christi in terris personam gerit, vt habetur in capit. 2. de Translat. Prælat. & docet Io. Andr. quem refert Abb. in cap. Cum instantia, numero sexto, de Censi. Rebuff. in Praxi Benef. Vers. Seu si venerabili fratri form. nou. prouic. declar. Henriquez libro 13. de excomm. & interd. cap. 24. num. 1. lit. D. in fin. & capit. 25. numero quinto, lit. G. Similiter tales exempti, & priuilegiati non sunt immunes ab interdictis latis in Bulla Cœnæ Domini, vt expresse habetur in Bullis, quæ hoc tempore promulgantur paulo ante fin.

Ter-

Tertiò dicendum est, non tantum singulares personas, sed etiam Vniuersitates, Collegia, Capitula, Conuentus, & populum interdici posse, immo magis propriè tales Vniuersitates & Collegia interdicûtur, quàm singulares personæ. Qua in re valde differt interdictum ab excommunicatione, cum Vniuersitas generaliter excommunicari nequeat cap. Romana, §. In Vniuersitatem, & cap. Si sententia De Sent. Excom. lib. 6. Henriquez lib. 13. De Excom. & Interd. cap. 25. num. 4. & cap. 50. num. 1. & omnes alij Doct.

Sed occurrit dubitatio, vtrùm per interdictum generale personale possit quis se ipsum interdicere, quæ difficultas locum non habere videtur in interdicto speciali, quia nemo potest se ipsum censura ligare. Quod maximè verum est de censura directè in se ipsum lata, qualis est omnis censura personalis. At non videtur repugnare rationi, vt mediatè, & quasi reflexè quis in se ipsum censuram ferat, sicut accideret in interdicto generali, quoniam qui immediatè interdicitur, est quid distinctum à persona ferente interdictum saltem vt totum à parte, ergo hoc videtur sufficere, vt possit quis ferre interdictum in Communitatem à qua distinguitur, vt Episcopus in totum Clerum, & simul possit ligari interdicto illo tanquā pars illius Communitatis, sicut Rex suis legibus obligat Regnum, & ex consequenti se ipsum, & Papa concedendo Indulgentias alijs, concedit sibi quoque.

Respondeo, neminem posse interdicere se ipsum, neque æqualem, aut Superiorem auctoritate propria, & eadem ratio est de alijs censuris: & id verum est non solùm si loquamur de interdicto speciali, sed neque generali, quia interdicere est actus iudicialis habens vim coactiuam. Nemo autem nisi sibi subditum cogere potest: nullus verò sibimet subditus esse potest nec directè, nec indirectè quia actui talis iurisdictionis, qui, vt talis est, includit coactionem. Et quamuis ipse Superior interdicens sub aliqua ratione sit pars Vniuersitatis, quæ interdicitur, vt Episcopus respectu Cleri, qui supponitur interdicto, tamen non interdicit sub hac ratione, quatenus ipse comprehenditur, vt Caput Cleri, sed sub alia ratione magis speciali, idest considerando Clerum, vt Corpus distinctum à suo capite, & eadem proportione dicendum erit de alijs Vniuersitatibus, quæ interdicuntur. Neque aliud dici potest, aliàs enim sequeretur, vt Papa interdicendo generale Concilium, ex consequenti se ipsum interdiceret, quod est omnino absurdum, & falsum. Confirmatur, quia qui interdicit, debet esse Superior. Nemo autem habet superioritatem in se ipsum, etiam quatenus est pars Communitatis, ergo neque hoc modo potest se ipsum interdicere, arg. c. A nobis de sent. excom. ita dicit Dom. Sot. in 4. sent. dist. 21. q. 2. art. 2. Sylue. excommunicatio 1. §. 8. & 9. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 6. Henriquez lib. 13. cap. 25. num. 3. Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 58.

Sed quid sit de illa quæstione, An sententia quæuis liget ipsum proferentem, & eius Superiorem, quam plenè disputauit Io. And in Nouel. super regula; Cui licet De Reg. Iur. lib. 6. & eam prosequitur in cap. 1. in quæst. 7. De Rapto. Quæret quis, vtrùm in terminis sententiæ interdicti, de quo tractamus. Proferens, vel superior violantes interdictum incurrant irregularitatem & alias pœnas latas à iure contra violantes illud.

Respondet Calder. dicto num. 58. affirmatiuè, & reddit rationem, quia hac irregularitate alligantur à Canone, cui subiiciuntur & proferens, & Superior cap. Is qui De Sent. Excom. lib. 6. cap. 1. & vlt. De Constit.

Rursus quæret quis, si proferens non seruet interdictum, alij tamen teneantur illud seruare arg. cap. Petistis De Priuileg. Vbi respondens Papa petitioni ei propositæ, si is, propter cuius delictum positum fuit interdictum, illud non seruat, verùm alij seruare teneantur, & inquit teneri ad obseruationem, secus si ille non seruat, in cuius fauorem latum est interdictum. Verùm ille textus non potest trahi ad casum nostrum, qui loquimur de proferente; Illud enim erat priuilegium Hospitalarijs, vel Templarijs concessum. Priuilegium autem non excedit fines suos, cap. Sanè De Priuileg. quamuis sit in corpore iuris clausum, vt notant Innoc. & Sot. in dicto cap. Petistis. Quare vt inquit Calder. Si Proferens interdictum illud non seruat, celebrando, fit irregularis, & ex consequenti alij non excusantur, licet enim delicta Superiorum frequenter à subditis trahantur in Exemplum cap. Magnæ De Voto, non idcirco subditi excusantur à pœnis iuris, cap. In canonibus 16. q. 1. Et de alijs Censuris hæc sint dicta.



DISPVTATIO VNDECIMA.

DE RELAXATIONE SEV ABSOLVTIONE INTERDICTI.



VM Interdictum sit Ecclesiastica Censura priuãs hominem nonnullis bonis spiritualibus ordinatis ad commodum spirituale fidelium, expedit, vt non sit perpetuum, sicut & aliæ Censuræ, alioquin magis esset in destructionem, quàm in ædificationem animarum; Ideo si Interdictum ferri contingat à Superiore non adiecta aliqua conditione, quæ pendeat ex voluntate eius, qui interdicitur, & absque vlla temporis limitatione, tunc tale Interdictum auferri nequit, nisi per relaxationem superioris habentis potestatem. Quare de hac absolutione & relaxatione Interdicti tractandum est præsenti Disputatione, & explicandum, quando, & quomodo necessaria sit relaxatio ad tollendum Interdictum, & à quo fieri debeat.

Caput Primum, De necessitate absolutionis, seu relaxationis ad tollendum Interdictum.
Caput Secundum, Vtrum ad tollendum Interdictum locale necessaria semper sit relaxatio.
Caput Tertium, Quomodo tollatur Interdictum personale, generale, & particulare.
Caput Quartum, Quibus competat potestas tollendi & relaxandi Interdictum, & de iis, qui interdici possunt.
Caput Quintum, Vtrum Interdictum suspendi possit.
Caput Sextum, Vtrum Interdictum possit relaxari ad cautelam.
Caput Septimum, Vtrum sint alii modi, quibus Interdictum relaxari possit, & de forma seruanda in relaxatione.

CAPVT I.

De necessitate absolutionis, seu relaxationis ad tollendum Interdictum.

CVm Interdictum non sit perpetuum, vt dixi, sed auferri possit & relaxari, inquiremus, quomodo tolli debeat. non esse autem perpetuum, & posse auferri patet ex vsu perpetuò Ecclesiæ, tum quia semper consueuit suo tempore, quando expedire putauit illud tollere, tum etiam quia vel Interdictum fertur per modum censuræ, vt recedatur à cõtumacia, tunc verò ex generali ratione censuræ non potest esse perpetuũ, sed quamprimum Reus à contumacia cessat, remitti

A debet interdictum, vel imponitur vt pœna pro delicto commisso, & id contingit vel ad tempus definitum, quo elapso non extenditur vltra, vel fertur indefinitè & sine vlla temporis limitatione, & hoc modo non reperitur in iure latum, nisi cum aliqua conditione, donec restituat, vel satisfaciat, vel alia simili. Sicque magis constat non ferri interdictum, vt perpetuò duret, sed vt auferatur impleta conditione. Quòd si talis conditio expressè non apponeretur, vel in interdicto lato à iure, vel per sententiã hominis implicite & vir-
B tualiter, esset subintelligenda, si causa interdicti esset capax similium conditionum, nempe si habeat, vt loquuntur Doctores tractum successiuum, idest si respiciat futurum. Quòd si causa interdicti sit actio omnino præterita, tunc saltem interdictum includit conditionem, donec auferatur ab habente potestatem, quia nunquam imponitur in intentione, vt perpetuo durare debeat.

His præmissis respondendum est quæstioni, an semper necessaria sit absolutio seu relaxatio Superioris
C ad tollendum interdictum.

In hac quæstione primò indubitatum est, & absque controuersia interdictum latum absq; vlla conditione, quæ pendeat ex voluntate eius, qui interdicitur & absq; temporis limitatione tolli non posse, nisi per relaxationem Superioris habentis potestatem. Probatur quia huiusmodi interdictum est pura pœna non limitata ad certum tempus, ergo ex sui natura est indefinita, siue perpetua negatiuè non habens certum tempus, igitur nihil includit, à quo finem accipere
D possit, aut terminum itaut tollatur, nisi ex voluntate Superioris. Quare non continet aliam conditionem, nisi donec auferatur à Superiore. Hic autem modus ferendi interdictum simpliciter ob præteritum actum neque à Iure neque ab homine solet ferri.

Secundò manifestum est quoque, vbi interdictum fertur vt pura pœna pro peccato præterito, & ad tempus definitum, sicut cum interdicitur quis ab ingressu Ecclesiæ per mensem tunc non esse necessariam elapso illo tempore interdicti relaxationem, sed ipso facto
E cessare. Probatur, quia lex vel sententia non plus operatur, quàm verba eius, arg. l. Hos accusare §. omnibus. ff. de accusat. l. Ita autem in princ. & ibi Bart. ff. de adminift. Tutor. ergo quando verba interdicti sunt limitata ad certum tempus, vsque ad finem illius protenditur, & nõ extenditur vlterius. Quare dicto tempore præterito, non est necessaria absolutio pro futuro tempore, quia vbi non extat interdictum, non est necessaria absolutio; Sed pro illo futuro tempore non fuit latum interdictum, igitur absolutio non est necessaria.

tioris, sicut in simili casu dixi de suspensione. Est enim ratio vtriusque censuræ, sicut tradit Sylue. interdictum 3. §. 13. Vers. Secundum, dicens, quòd interdictum siue Iuris siue hominis latum ad certum tempus, puta ad annum, elapso anno remoueri ipso facto nulla præcedente absolutione, & licitè celebrari posse, absque irregularitatis periculo, & idem dicendum est de suspensione. Secus est in excommunicatione, sicut notauit etiam Abb. in cap. Non est vobis, num 7 de sponsal. Glos. notab. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. Innoc. in c Cum bonæ de Aeta & qualit.

Tertiò certum est, antequam decurrat tempus determinatum in interdicto positum, vel adueniat conditio, interdictum tolli non posse, nisi per absolutionem Superioris, quam non potest Episcopus impendere, si attendatur Ius antiquum, sed tantum conditor Canonis, siue tale interdictum sit impositum pro delicto, siue pro contumacia, Henriquez lib. 13. cap. 35. num. 2. Armill. Ver. Interdictum nu. 33. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 35. Et ratio est, quoniam qui absolueret, antequam tempus decurreret, vel adueniret conditio, dispensaret in lege, quod non conuenit Episcopo, sed tantum Summo Pontifici. Dixi de Iure antiquo, quoniam post Concilium Trident potest Episcopus absoluere, si fuit impositum propter delictum occultum, vt notat Henriquez dicto cap. 35. nu. 2. in Glos. lit. S, Nam Concilium Trident. sess. 24. de reform. cap. 6. concessit facultatem Episcopis dispensandi in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus præterquam ex homicidio voluntario.

Remanet igitur controuersia & dubitatio, quando interdictum nō imponitur simpliciter & absolutè neque ad certum tempus & determinatum, sed sub conditione tacita, vel expressa indefinitè, donec satisfaciat, vel restituat, aut veniat, vtrùm in hoc casu sit necessaria absolutio, & relaxatio interdicti.

Qua in re duæ sunt Doctorum sententię, aliqui censent in his casibus non esse necessariam absolutionē, nam si conditio non est impleta, interdictum non est tollendum, neque relaxari potest, quia contumacia durat, nisi simpliciter ita velit ex spontanea voluntate Superior, qui talem sententiam tulit, illam reuocare, aut in lege dispensare. Si autem conditio sit impleta, ipso facto cessat interdictum, quia conditio est terminus positus in lege aut in sententia, ergo conditione impleta lex aut sententia non operatur, sicut dicitur, quando lex certam temporis durationem præscribat, nam videtur eodem modo effectum censuræ terminum & finem habere debere, siue limitetur duratio censuræ exprimendo tempus limitatum, vel per conditionem quamcumuis æquiualentem, & ita sentit Glo. in cap. Non est vobis Ver. Donec ibi fuerint de sponsal. Vbi de interdicto posito ab Alexandro Tertio sub illa conditione quærit Glo. an postquam recessissent illi, de quibus agitur in tex. liceret Sacerdotibus celebrare diuina officia, *Dico quod hęc est suspensio iuris, & cum temporis definitione, & ideo tempore elapso non indiget absolutione, & illa illis recedentibus celebrabunt.* Idem tradit ibi Abb. nu. 7. Glo. in c. si Ver. Donec separentur de Matrim. contra. con. Interd. Eccles. Idem videtur asserere de excommunicatione lata sub eadem conditione, nam ibi ab eodem Alexandro Tertio præcipitur excommunicādos esse consanguineos, qui contra interdictum Ecclesiæ contraxerint matrimonium sub conditione, donec separentur, & Glo. ita notat, *Hæc sententia est ad tempus, vnde ex tempore tollitur sine aliqua absolutione, arg. Si qui sunt Presbyteri dist. 81.* quamuis addat, *sed tutius est, quòd etiam post separationem absoluantur saltem ad cautelam, licèt videantur excommunicati tantum, dum simul maneant*, sed in postilla marginali corripitur hæc Glo. & absolutio à sentētia excommunicationis dicitur necessaria, & est Io. Andr. idem inquit Abb. nu. 4. de excommunicatione, sed quoad suspensionem & interdictum sentit cum Glos. illas Censuras tolli transacto tempore absque alia absolutione, idem ait Sylue. Interdictum 3. §. 13. Vers. Secundum, Couar. in c. Alma par. 1. §. 11. num. 7. in fi. Vers. Hinc denique, Tabie. Interdictum 3. nu. 4. Vers. Tertio, Burghus. in tit. de sent. interdicti nu. 57. de irregular. & dispens. par. 6. Henriquez lib 13 cap. 47. nu. 1. & cap 50. nu. 4.

Alia sententia est aliorum oppositum sententium, nempe interdictum latum sub illa conditione indefiniti temporis, donec satisfeceris, vel hoc vel illud feceris, non potest, nisi per relaxationem & absolutionem Superioris tolli, tunc enim propriè habet rationem censuræ, quia imponitur pro contumacia. Commune autē est omnibus Censuris, vt auferri nequeāt, nisi per absolutionem, & relaxationem Superioris, qui iurisdictionem habet, & ita inquit Innoc. in c. Cū bonæ de Aeta. & Qualit. Et probatur, nam sicut excommunicatio, quæ semper fertur ob contumaciam, & ideo sub sententia excommunicationis includatur vel expressè vel tacitè, donec excommunicatus recesserit à contumacia, & tamen impleta conditione non dissoluitur vinculum excommunicationis, sed semper necessaria est absolutio, idem ergo dicendum est de interdicto & suspensione, quando feruntur vt Censuræ, vt subditi recedant à contumacia. Quòd autem nunquam tollatur excommunicatio sine absolutione patet ex cap. Cum desideres, ex cap. A nobis 2. & ex cap. Quòd in dubiis de sent. excom. & ratio redditur in cap. Cum desideres, *Quia licèt ei, quem læsit, satisfecisse taliter videatur, Ecclesia tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur*, quæ ratio communis est etiam interdicto & suspensioni. Similiter in cap. A nobis 2. dicitur, *Vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum in culpa remissione dissoluitur, vinculum autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur.* Et hæc ratio generalis est ad omnes Censuras, nam omnes æquiparantur in iis, in quibus apparet discrimen in iure cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. & ita tradit Abb. in eod. cap. Cum bonæ nu. 5. de Aeta. & qualitate, loquens de suspensione, dicens, quando quis est suspensus ad limites certæ causæ, quæ pendeat ex facto suspensi; vt quia suspendatur, donec satisfaciat, tunc impleta causa non cessare suspensionem sine absolutione, sicque videtur Abb. sibi ipsi aduersari, cum oppositum affirmet locis paulò ante citatis, scilicet in cap. Non est vobis nu. 7. de sponsal. & in cap. fin. n. 4 de Matrim. contrac. contra interd. Eccles. similiter Innoc. videtur sibi contrarius, vt etiam notauit Abb. in dicto cap. Cum bonæ num. 5. quia ibi ait etiam secuta satisfactione, necessariam esse absolutionem, vt dixi, & in cap. Sicut de cohab. Cleri. & Mulie. Hæc secunda opinio est probabilior, & rationi magis consentanea, sicut dixi agens de absolutione suspensionis, quamuis prima sententia non sit improbabilis propter auctoritatem grauium Doctorum, qui illam tuentur.

Sed quæret quis rationem differentiæ, propter quā in suspensione lata ad certum tempus, elapso tempore tollitur suspensio ipso facto non præmissa absolutione,

tione. Si verò feratur sub conditione de futuro necessaria est absolutio etiam secuta satisfactione. Respondet Abb. in dicto cap. Cum bonæ nu. 5. de Aeta & Qualit. quòd in suspensione ad certum tempus ad tollendam suspensionem aliud expectari non debet, quã quòd tempus definitum pertranseat, id autem declarat cursus temporis, cap. 1. de Cleric. venat. Vbi autem est suspensio cum conditione, donec satisfeceris, nõ potest parere cessatio causæ sententiæ. Multę enim dubitationes occurrere possunt, an causa sit finita, & Reus plenè satisfecerit, ideo expectatur absolutio arg. c. Sicut de cohab. Cleri. & mulie cap. 1 de iudi. & ita inquit Glo. notab. in Clem. 1. Ver. Donec de deci. Vbi explicans verba textus, ibi, *Tandiu maneant ab officiis, administrationibus, & beneficiis suis suspensi, donec destiterint, & satisfecerint, vt superius est expressum*, inquit, *Sic suspensi indigent absolutione, quia de satisfactione dubitari posset, non sic in suspensis ad tempus determinatum*.

Sed Io. And. citatus ab Abbate obijeit contra ex c. Presbyter 2. q. 5. Vbi Presbyter infamatus de crimine, & ob hanc causam suspensus vsque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur præstita satisfactione, non expectata alia absolutione liberè officium suum exequi potest, sic enim habet tex. in fi. *Et hac satisfactione purgatus securè deinceps suum exequatur officium*. Vnde Io. And. distinguit satisfactionem. Alia enim esse potest Iudicialis, vt si Iudex suspendat aliquem, donec compareat in Iudicio coram eo, vel donec respondeat libello, aut positionibus. Et hac satisfactione secuta, de qua dubitari nequit, quia in Iudicio exhibetur, & Iudici nota est, suspensus censetur absolutus, nec expectanda est alia absolutio, vt in dicto cap. Presbyter, nisi causa, propter quam lata est suspensio, indigeret alia dispensatione. Si autem satisfactio est extraiudicialis, quia de ea dubitari potest, an plenè sit exhibita, ideo, vt tollatur Censura, requiritur absolutio. Addit tamen sufficere declarationem Iudicis super satisfactione absque alia absolutione, licèt secus sit de excommunicatione. Qua in re consentit cum Glo. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. & hoc dictum non est ita interpretandum, vt intelligamus Io. Andr. per declarationem Iudicis velle significare solùm censuram esse sublatam per satisfactionem præmissam, idque ad aliorum notitiam deducere, qui illud ignorarent; ita vt Iudex non verè auferat censuram, nam idem dici posset de excommunicatione, cum nulla appareat ratio diuersitatis, & tamen hoc ipse negat, sed Io. Andr. per declarationem Iudicis intelligit approbationem, quæ includit relaxationem Censuræ saltem tacitam & implicitam, cuius vi tollitur vinculum censura, nam aliàs talis declaratio non esset necessaria ad relaxandam censuram, sed solùm vt in aliorum notitiam deueniret.

Hæc sententia ad hunc modum explicata confirmari potest, primò ex cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. ordin. vbi in genere agitur de sententijs à Prælato Ecclesiarum in malefactores prolatis, & statim loquitur de sententia interdicti & excommunicationis à quodam Plebano pronunciata, & canon est Alexandri Tertij scribens ad Episcopum Florentinum, *Ipsam facias inuiolabiliter obseruari, & eam sine congrua satisfactione, & absque eiusdem Plebani conscientia non relaxes*. Ex quibus patet Summum Pontificem sensisse non posse relaxari sententiam interdicti sine relaxatione Iudicis, qui illam tulit, vel Superioris requisito

A consensu eius, qui censuram tulit. Et quamuis in illa sententia non esset apposita conditio, donec satisfaceret, vel similes de futuro, hoc tamen nihil refert, quia includebatur implicitè, quia lata erat, vt recederet à contumacia, & patet ex illis verbis, *sine congrua satisfactione*. Secundò probatur ex tex. in cap. Quamquam, de censi. lib. 6. vbi feruntur censuræ, & interdicta contra exigentes iniusta tributa à personis Ecclesiasticis, & in fi. ita habetur, *Qui verò contrafecerint, si personæ fuerint singulares excommunicationis, si autem Collegium, Uniuersitas &c interdicti sententias ipso facto incurrant, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter*. Quibus verbis Summus Pontifex comparat interdictum cum

B excommunicatione absque vllo discrimine, & ad tollendam vtramque censuram saltem plenariam restitutionem & congruam satisfactionem postulat absolutionem vel relaxationem, ergo sola satisfactio non sufficit. Tertiò probatur, quoniam si ad tollendum interdictum impositum pro contumacia sub conditione de futuro ad aliquid faciendum non esset necessaria relaxatio Superioris, sed sufficeret purificatio conditionis, nũquam esset necessaria talis relaxatio, quod videtur absurdum, & contra vsum Ecclesiæ. Consequentia probatur, nam interdictum, quod fertur in pœnam pro peccato præterito, non in contumaciã, non indiget absolutione, quia regulariter nũquam fertur simpliciter, & absolutè, sed semper ad

C tempus certum, & determinatum, quod elapso tempore dissoluitur eo ipso, vt probatum est sine alia absolutione, ergo superest, vt absolutio solùm requiratur ad tollendum interdictum positum sub conditione de futuro. Quartò hæc opinio est magis rationi consentanea, quoniam maximè expedire videtur, & auctoritati atque dignitati Ecclesiæ conuenire, vt interdictum non auferatur absq; auctoritate Prælati Ecclesiastici, vt possit, quando Reus paratus est obedire, & petit relaxationem volens conuenientem pœnitentiam, iuxta grauitatem & durationem contumaciæ, aliaque exigere, quę iudicauerit vtilia, & opportuna, vt in futurum sit magis cautus, ne præceptũ Prælati contemnat, sicut dictum est de absolutione

D ab excommunicatione, ideo meritò Ecclesia voluit sibi reseruare hanc relaxationem. Cessat hæc ratio, quando interdictum fertur in pœnam pro peccato præterito, tunc enim tota culpa est commissa sicque constare potest Superiori, qua pœna dignus sit delinquens, idcirco illa persoluta nihil est amplius, quòd Prælatus ab eo exigere velit. Sed quando imponitur Interdictum pro contumacia, quandiu durat contumacia, augetur culpa, quæ est in consona successione, ideo maiori satisfactione & pœna est digna, quousq; absolutionem obtineat contumax interdictus à Superiore.

E

CAPVT II.

Vtrùm ad tollendum Interdictum locale necessaria semper sit relaxatio.

SVperiori Capite firmata fuit conclusio generalis, nempe ad tollendum interdictum necessariam esse relaxationem, quæ postulanda est à Superiore habente iurisdictionem, modò ad clariorem notitiam habendam de relaxatione interdicti discutiendum est de speciebus interdicti, id est de interdicto locali, & personali, an in omnibus casibus, vt tollantur, sit necessaria

cessaria relaxatio Superioris. Quia in re hoc capite disputabimus de interdicto locali, & primò quæri potest an per loci mutationem tollatur interdictum loci, & ratio difficultatis esse potest, quia destructo subiecto tollitur censura tanquã accidens illi inhærens.

Ad quæstionem dicendum est primò interdictum generale locale non posse moraliter loquendo auferri à loco, qui primò & per se fuit interdictus, per destructionem ipsius loci, quia vel non contingit moraliter, vt totus locus simul destruatur, præsertim si amplus est, vel quamuis destruatur, vt Ciuitas vel Oppidum, nihilominus remaneret solum, in quo sunt ruinæ Ciuitatis, quod manere potest interdictum. Dixi autem non posse auferri interdictum à loco, qui primò & per se fuit interdictus, per destructionem ipsius loci, quia generale interdictum primò, & per se fertur in Regnum, Prouinciam, Ciuitatem, Terram, & similia loca generalia. Secundariò verò & ex accidenti fertur in loca partialia, quæ sunt membra & partes loci generalis.

Sed dubitari potest, quando locus alienatur & venditur, sicque transit in dominium alterius, an hoc sufficiat, vt non censeatur amplius interdictus, vt si interdicta sit Terra, propter delicti n Domini, & interim durante interdicto Dominus illam vendat, tunc enim videtur cessare causam, propter quam latũ fuit interdictum, scilicet Domini delictum, cuius causa fuit Terra interdicta, quia supponitur Dominus nullam habere relationem ad illam, cum iam alienauerit & dominium sit penes alium, sicut è contrario si primus Dominus durante interdicto acquisiuisset aliquam Terram, quam antea non habuisset, illa remaneret interdicta ex vi prioris sententiæ, qua omnis Terra dicti Domini interdicto subijcitur.

Opposita tamen sententia communi sententia Doctorum est accepta, sicut probaui Disp. . . cap. . . nimirum non auferri interdictum, licèt locus interdictus transeat in potestatem & dominium alterius. Ita sentit Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. nu. 31. Vers. Quid si aliquis, & assignat rationem, quia onus rei transit cum ipsa re. cap. Pastoralis de Deci. c. Cum non sit, & cap. Ex literis de pignor. & addit alienationem non esse modum tollẽdi interdictum, quod relaxari debet à Iudice, Sylue. Interdictum 2. §. 3. in fi. Vers. Nec est iste modus, Gemin. in c. Si sententia. §. Cæterum nu. 7. de sent. excom. lib. 6. Franc. num. 5. in fi. Anchar. nu. 3. Vers. De Sexta quæst. omnea tamen fatẽtur, quòd licèt per alienationem & per quãcunque aliam amissionem dominij non tollatur interdictum, sed sit necessaria relaxatio Iudicis; nihilominus cessante fraude Iudicem debere se facilem præbere ad illud tollendum, quia sublata est causa interdicti, scilicet delictum Domini, propter quod latum fuit quamuis non sit causa totalis, vt ab ea interdictum pendeat in fieri & conseruari, sed semel latum semper durat, quandiu relaxatum non fuerit à Superiore, vnde patet responsio ad argumentum adductũ pro ratione dubitandi, nam & si illa Terra non fuit interdicta, nisi quia erat talis Domini, tamen postquam latum est interdictum, semper manet, nisi relaxetur à Superiore. Non est autem eadem ratio, si Dominus post sententiam interdicti acquirat nouã Terram, nam illa non sit interdicta, nisi addatur tanquam pars prioris loci interdicti, sed solùm transeat in dominium, & potestatem eiusdem Domini, quia talis Terra ab initio non fuit comprehensa sub sententia interdicti, nisi Iudex, vt notat Sylue. in sententia fu-

A biecisset interdicto omnem Terram eiusdem Domini tam habitam, quàm habendam, eiusmodi interdictum à Doctoribus vocatur deambulatorium.

Secundò dubitatur de partibus loci generaliter interdicti, vtrùm si aliqua pars ita separetur à loco, vt non censeatur amplius pars illius, censeatur interdicta, nam cum interd ctum primò & per se sit latum in locum generalem, & ex consequenti in partes illius loci, igitur hoc ipso quod non habetur vt pars loci generalis, non videtur interdicta, sicut dicitur de interdicto loci specialis.

Oppositum tamen est affirmandum, quoniam rationes factæ de loco totali valent ad id persuadendũ de loco partiali. Secundò vel supponitur pars loci separari quia destruatur aliquod ædificium, tamen

B manet idem solum, vel moraliter quia per alienationem aliqua pars totius loci interdicti transferatur in alium, vt si vendatur aliqua Ciuitas Regni interdicti, sed hæc alienatio non sufficit in toto loco, vt non maneat interdictum, vt probatum est, ergo multò minus erit sufficiens in parte loci interdicti propter eandem rationem, quia mutatio iurisdictionis non tollit interdictum, quia supponitur cum sit onus reale, tra sit cum ipsa re, & satis est, si locus, qui transfertur in alterius potestatem ab initio, quando pronunciatum fuit interdictum, esset pars realiter coniuncta cum loco totali interdicto. Nam si reuera fuisset omnino seiuncta, nõ comprehenderetur tanquam pars sub interdicto generale loci.

C

Dico secundò interdictum speciale loci non tolli per destructionem ædificij & renouationem partialem etiam totalem, si in eodem loco renouatio fiat, & quamuis non fiat noua constructio, ipsum solum semper remanet interdictum, si à Superiore non relaxetur eodem modo, sicut dictum est de generali interdicto.

Probatur primò, quoniam quantumuis destruantur parietes, & tectum, remanet solum, quod suo modo capax est interdicti, cum in eo possint sepeliri corpora Christianorum, erigi Altaria, in quo sacra peragantur diuina officia celebrari, quæ omnia per interdictum suspenduntur. Secundò quia interdictum non pendet ex tecto, & pariete, atque ædificijs, nam etiam viæ & plateæ interdicuntur, ideo licèt, quando interdicitur locus aliquis specialis, in eo sit ædificium erectum, non tamen solum ædificium interdicitur, sed etiam pauimentum, in quo situm est Templum, &

D

ideo destructo Templo durat interdictum in pauimẽto, immo potius ædificium interdicitur propter solum, quàm è contra, nam si Paganus ex eisdem lapidibus, & lignis, & sub eadem forma & figura extrui aliud ædificium simile priori in alio loco curaret, non esset interdictum, quia ratione soli non potest idem Templum diei, quod erat interdictum, ergo fundamentum interdicti localis est ipsum solum, quod est immobile. Tertiò idem probatur argumento ducto à contrario, sicut si Ecclesia destruatur, & alia ædificetur in eodem prorsus loco, & eiusdem figuræ & formæ, censetur noua Ecclesia erecta eodem morali modo ratione identitatis loci, & gaudet eisdem priuilegijs & Indulgentijs, quibus ornata erat Ecclesia diruta, ita è contra remanet subiecta eisdem incommodis, censuris, & pœnis, quibus grauata erat, antequam esset collapsa. Quòd autem Ecclesia renouata eiusdem figuræ in eodem loco sub eadem inuocatione eiusdem Sancti retineat eadẽ priuilegia, quę prior habebat, est communis sententia Doctorum. Ita sentit Alexand. in l. Inter stipulantem, §. Sacram in fin. ff. de

E

de verb. oblig. Vbi dicit communem esse opinionem, quòd Ecclesia diruta, quamuis non sit refecta, eadem priuilegia retinet, nisi sit destructa Superioris auctoritate animo illam amplius non reficiendi, Iason ibi num. 30. Vers. Ecclesia tamen destructa, dicens Ecclesiam destructam etiam antequam readificetur, retinere priuilegia, quæ sunt iura quasi realia, & durant arg. l. seruitutes §. sublatum ff. de serui. vrba. Præd. & l. Paulus §. Diuus ff. de pignor. nisi esset destructa auctoritate Superioris sine spe refectionis arg. l. si vsus fructus Ciuitati, ibi Bald. ff. Qui. mo. vsusfr. amitti. & l. Pater filium ff. Tusculanus de leg. 3. & ita tradit Glo. in Regul. Priuilegiũ personale, vbi latè Io. Andr. Mercurial. de reg. Iur. lib. 6. Glo. in cap. Et hæc diximus 17. q. 6. & Glo. in cap. Statutum Ver. Collegiatis de elect. lib. 6. Innoc. & Abb. in cap. 2 de oper. nou. nunciat. Felin. in cap. Cum dilecta in fi. nu. 97. Vers. Quando autem Ecclesia de rescript. & in cap. Cum accessissent in fine num. 38. ad fi. de Constit. & ratio est, quoniam si destruatur auctoritate Superioris ex causa, vt iterum non reficiatur, signum est voluisse renouare priuilegia, secus verò est, quando Ecclesia diruitur vel ab Hostibus aut a Tyranno, vel vt reparetur, aut corruit ob vetustatem, tunc enim retinet omnia sua priuilegia. Vnde hoc modo destructa non reparata conseruat pontificium priuilegium. Idem est affirmandum, si in aliqua Ecclesia sit Altare habens priuilegium, vt qui in eo Missæ sacrificium fecerit, & obtulerit, liberet animam vnam ab igne purgationis, si destruatur & reficiatur, adhuc retinet priuilegium antiquum.

Sed diceret quis priuilegia & Indulgentiæ concessæ Ecclesiæ vel Altari desinunt destructis Ecclesia vel Altare, donec readificentur, vel reparentur, Sylu. Ver. Indulgentia §. 16. Vers. Septimum in fi. Palud. in 4. sent. dist. 20. quæst. 4. art. 1. conclus. 4. Ergo idem videtur dicendum de interdicto, nempe diruta Ecclesia illud cessare.

Respondeo primò non admitti absque controuersia id, quod assumitur, nimirum priuilegia concessa Ecclesiæ amitti diruta Ecclesia, donec illa readificetur; oppositum enim tenet, vt dixi, Alex. in l. Inter stipulantem §. sacram in fi. ff de verb. oblig. dicens Ecclesiam dirutam, antequam reficiatur, retinere sua priuilegia, & testatur esse communem opinionem. Idem inquit Iason num. 30. Felin. in cap. Cum dilecta in fi. nu. 87. Vers. Quando autem Ecclesia de rescript. De priuilegio autem Altaris alia est ratio, cum enim huiusmodi priuilegium cõcedatur, vt in eo Missarum sacrificia peragantur, certum est destructo Altari desinere priuilegium, donec fuerit readificatum, vt possint super eo Missæ celebrari.

Dico secundò non militare eandem rationem in interdicto, quæ est de Indulgentia & priuilegio, nam Indulgentia & priuilegium conceduntur in bonum Ecclesiæ, cui conferuntur, vt augeatur cultus & deuotio fidelium erga illam, sicque excitetur populus ad illam assiduè frequentandam. Quare cum diruta Ecclesia cesset finis Indulgentiarum & priuilegiorum, meritò ipsa quoque desinunt. At Ecclesia subijcitur interdicto in pœnam delicti alicuius, & prohibetur, ne in ea Sacramenta administrentur, celebrentur diuina officia, & fideles sepeliantur, quæ omnia eum possint fieri in loco, vbi erat Ecclesia erecta, quæ postea diruta fuit; ideo eo etiam post destructionem Ecclesiæ non desinit interdictum, sed remanet in solo, vbi erat Ecclesia.

A Secundò obijciet quis, si parietes Ecclesiæ consecratæ paulatim per partes decidant, & paulatim reparentur, est Ecclesia denuò consecranda, & antiqua consecratio non remanet, quia non est eadem Ecclesia, sed noua, igitur simili ratione videtur asserendum de interdicto, nimirum non remanere, si Ecclesia, quæ erat interdicta decadat, & alia instauretur, antecedēs asseritur ab Innoc. in Rubr. de consecr. Eccles. Abb. in cap. Proposuisti de consecr. Eccles. quos secuti sunt teste Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 5. in fi. Vers. Sextus est, Ang. & Rosella. Et ratio est, quia tunc non manet eadem Ecclesia, quæ antea erat secundum rei veritatem, sed tantum secundum fictionem, qua nauis reparata eadem censetur, quæ antea fuit, l. Quod in
B rerum, ff. de leg. 1. At in spiritualibus attenditur rei veritas, non iuris fictio.

Respondeo primò falsum esse id, quod assumitur, nempe si parietes Ecclesiæ paulatim & successiuè destruantur, ac reparentur, amitti consecrationem, nam semper censetur manere idem numero Templum, dūmodo pars non consecrata, quæ redditur, non sit maior, id enim quod maius est, videtur ad se trahere minus. Ita Glos. & Host. in c. Proposuisti de consecr. Eccles. quam communem esse testatur Sylue. Ver. Consecratio 2. §. 5. Vers. Tertius est, & videtur vera, quidquid dixerunt Docto. citati oppositum sentientes. Et ratio est, quoniam sicut non solùm secundum Canones & leges, sed etiam secundùm rei veritatem. Na-
C uis, quæ paulatim per partes dissipatur ac soluitur, & per partes reparatur, est eadem, quæ antea l. Quod in rerum ff. de leg. 1. & Ciuitas est eadem semper, licèt aliqui nascantur & moriantur, l. Proponebatur ff. de Iudi. & Flumen manet semper idem, quamuis aqua superueniat & cursu abeat, sic etiam re ipsa est eadē Ecclesia semper, quamuis paulatim per partes decidat, & reparetur. Et ratio huius dicti est, quia partes adiunctę fiunt vna & eadem res cum partibus, quibus adduntur.

Respondeo secundò, quòd licèt Ecclesia, quæ fuit igne exusta, vel ita destructa, vt fuerint parietes combusti, aut destructi, vel abrasi ex toto vel ex maiori
D parte denuò consecranda, cap. Ecclesijs de consecr. dist. 1. quia consecratio amittitur destructa re, in qua fundatur. Consecratio autem, vt tradit Abb. in cap. Proposuisti de consecr. Eccles. consistit in parte exteriori parietum, qui Chrismate liniuntur, & in quibus Crucis signum apponitur. Vnde si tectum Ecclesię solummodo fuerit igne exustum, non est iterum consecranda Ecclesia cap. In ligneis de consecr. Eccles. Tamen hinc non infertur vt corruente Ecclesia interdicta ex toto, vel ex maiori parte non remaneat interdicta, quoniam non interdicuntur soli parietes, vt dixi, sicut accidit in Consecratione, sed interdicitur totum illud corpus constans ex pauimento, parietibus, & tecto. Idcirco si decidant parietes & tectum, rema-
E net pauimentum interdictum, immo magis videtur referri debere interdictum ad pauimentum, quàm ad parietes & tectum, quoniam officia diuina à Clericis non celebrantur super tecta, neque in parietibus, neque in illis administrantur Sacramenta, vel sepeliuntur defuncti, quæ omnia possunt fieri in pauimento & tecto solum. Verum est igitur, quod si Ecclesia interdicta corruit, semper est interdicta ratione soli, siue reficiatur in eodem loco, siue maneat destructa, nisi interdictum fuerit relaxatum à Superiore habente iurisdictionem. Et ob eandem rationem idem est affirmandum si decidat pars Ecclesiæ interdictę, pars

enim

enim collapsa remanet interdicta, etiam si denuo reparetur, quia est eadem ratione eiusdem loci.

Superest autem difficultas de interdicto deambulatorio, verùm illud tollatur per solam mutationem, & variationem rei absque alia relaxatione Superioris. Vocant Doctores interdictum deambulatorium, quando non interdicitur locus certus præcisè sed incertus, & indefinitus cum relatione ad certam personam, vt cum Prælatus pronunciat interdictum in omnem Terram, vbi manet talis persona toto illo tempore, quo illa in eodem loco commoratur, exemplum habetur in cap. Non est vobis de sponsal. Vbi Alexander Tertius ad coercendam contumaciam Regis Anglorum, qui violenter detinebat vxores filiorum suorum, & eis illas restituere recusabat, subiecit interdicto omnem Prouinciam, in qua dictæ vxores detinebantur, vel transferebantur, donec ibi fuissent.

Respondeo huiusmodi interdictum deambulatoriũ auferri per solam mutationem personæ sine relaxatione Superioris. Et ratio est, quia tale interdictum potiùs dici potest personale, quàm locale, nam mens Superioris pronunciantis huiusmodi interdictum est velle interdicere loca per se & permanenter, sed in ordine ad illam personam, ideo non vult interdicere omnia loca, sed illum, in quo persona degit; quare illa abeunte eo ipso interdictum cessat, nam præsentia illius requiritur non solùm vt oriatur interdictum, & producat suos effectus, sed etiam vt perseueret, quamprimum igitur egreditur persona ab vno loco, cessat ibi interdictum, & incipit afficere alium locum, quo permanet, quamuis non feratur noua sententia, & sic successiuè. Quando autem interdicitur locus ob contumaciam personæ independenter à præsentia eius, vel alia actione in tali loco, tunc non tollitur interdictum, nisi relaxetur.

Accedit, quod tale interdictum deambulatorium hoc modo latum est cum temporis definitione, & ideo tempore elapso non indiget absolutione, & recedente persona, propter cuius præsentiam terra supponitur interdicto, potest ibi celebrari, & notat Glo. in cap. Non est vobis Ver. Donec ibi fuerint de sponsal.

CAPVT III.

Quomodo tollatur interdictum personale, generale, & particulare.

PRimo loco disputabimus de interdicto generali personali, deinde de particulari. Et cum interdictum generale feratur in totum aliquod corpus morale & politicum constans ex pluribus personis tanquam ex membris & partibus; videndum est, an ad relaxationem talis interdicti semper sit necessaria absolutio Superioris.

Quæritur ergo, an dissoluto Collegio personæ, ex quibus conflatum & compositum erat, remaneant interdictæ, ita vt indigeant absolutione Superioris.

Conclusio est indubitata interdictum cessare destructo Collegio, vel Vniuersitate, interdicta, vel nullum effectum operari, non est autem impossibile, vt ex multis causis dissolui possit. Probatur conclusio, quoniam interdictum latum erat in Collegiũ & Vniuersitatem, quatenus corpus quoddam morale est. Quare durat superstite Collegio, quod est subiectum interdicti. Destructo enim subiecto destruuntur omnia accidentia, quæ ipsum sequuntur. Cum ergo hoc interdictum sit passio & affectio quædam illius Cor- A poris, nempe Collegij vel Vniuersitatis, vel quocunq; alio nomine vocetur, illo pereunte desinit interdictũ, idq; commune est omni interdicto tam locali quàm personali. Idcirco enim superiori capite affirmaui destructo ædificio non tolli, sed remanere interdictum, quoniam adhuc remanet subiectum, id est locus & solum, vbi ædificium constructum erat. Quare cum dicitur interdictum perseuerare semper, donec relaxetur a Superiore per absolutionem, intelligitur, dummodo permaneat subiectum interdicti vel alicuius effectus eius. Nec satis est; si remaneant homines, ex quibus erat compositum Collegium, vt interdictum, si non constituunt ampliùs illud Collegium, nam illi non erant per se interdicti vt priuatæ personæ, sed vt B membra & partes illius Collegij, & sub hac ratione non manent interdicti destructo Collegio.

Quæret aliquis, si pereant omnes, qui conficiebant Collegium, vno tantùm superstite, an dicatur Collegium remanere in illo vno, ita vt ille sit interdictus.

Respondeo, supposito, quòd Collegium remanere possit in vno, si alij sint defuncti, vt docet Glo. in cap. Gratum Ver. Saniores de postul. Prælat. quia Vniuersitas remanet in vno, siue ius Vniuersitatis vt l. sicut Municipij in fin. ff Quod cuiusque Vniuers. & ibi Glo. & Bart. c. Si fortè 65. dist. & addit Glo. in dicto cap. Gratum, quòd quamuis Collegium requireret plures personas, saltem duas aut tres, & consequenter omnibus mortuis præter vnum desinat esse Collegiũ; C nihilominus ius Collegij & Vniuersitatis remanet in illo vno per dictam l. Sicut Municipij §. vlt. & ita tradit ibi Abb. nu. 9. & in eandem sententiam citat Innoc. & Host. & asserit esse communem. Idē inquit Glo. in cap. 1. Ver. Duo de elect. & ibi Abb. nu. 6 Glo. in c. Statutum, Ver. Collegiatas eod. tit. & lib. 6. Sylue. Ver. Collegium §. 2. Hoc inquam supposito, dicendum est illum vnum, qui superest omnibus alijs defunctis spectantibus ad Collegium, manere interdictum, quoniam penes illum tunc residet Ius Collegij; sicq; remanet subiectum capax interdicti generalis.

Sed contra dicta opponi potest, nam si omnes, ex quibus constitutum est Collegium moriantur, vel expellantur ab ipso Collegio, non idcirco videtur ex- D tinctum Collegium, vel eius iura & priuilegia perijsse, ideo neque interdictum dici debet dissolutum, sed durare. Probatur, nam & si destruatur Collegium auctoritate Superioris, eo ipso extinguantur omnia Iura & priuilegia Collegij, siue sit sacrum Collegiũ, siue profanum, & seculare, vt tradit Innoc. in cap. 1. num. 2. de nou. oper. nunciat. Glo in c. Statutum Ver. Collegiatas de elect. lib. 6. Bart. in l. fin. Vers. Quæro an destructo Collegio, ff. de Colleg. Illic & in l. sicut ff. Quod cuiusque Vniuer. & in l. Inter stipulantem §. Sacram ff. de verb. oblig. Tamen aliud est, quando omnes recesserunt ex Collegio, vel expulsi fuerunt propter delictum ipsorum, vel ab Hostibus, tunc enim conseruantur omnia Iura Collegii, si est Ecclesiasti- E cum, apud ipsam Ecclesiam. De Collegio vero seculari dubitant Doctores, & aliqui putant extingui priuilegia destructo Collegio, Glo. in dicta l. Sicut, alii dicunt remanere apud Communitatem & locum, ita Abb. in cap. Gratum nu. 12. de postul. Prælat. & in c. De mulcta in fin. Vers. Quoad secundum de præben. Sylue. Ver. Ciuitas § 2. & Ver. Collegium §. 5. Igitur sicut remanent priuilegia, ita è contrario debent durare pœnæ & censuræ, & consequenter interdictum. Immo fortiori ratione id videtur affirmandum de interdicto, secus enim sequeretur, si illi, qui componũt

Col-

legiom, expellerentur propter eorum delictum, vt ex culpa & crimine reportarent commodum & beneficium, si ex tali dissolutione Collegij tolleretur interdictum antea latom in Collegium.

Respondeo hoc argumento confirmari, non impugnari conclusionem propositam, nam sicut destructo Collegio, singulares personæ, ex quibus erat compositum, non gaudent priuilegijs ipsius Collegij, quia iam non sunt amplius partes & membra illios, ita conuenit, vt non subeant onera, nec ferant pœnas latas in Collegium, & consequenter, vt non afficiantur interdicto, quod erat prooounciatum in Collegium. Et sicut si illi singulares denuo conueniant ad constituẽdum Collegium simul, quoque incipiant frui dictis priuilegijs, vt Doct. citati tradunt, sic etiam ob eandem rationem subijciuntur eidem interdicto priori, quod non tollitur, nisi per relaxationem Superioris.

Dices, saltem sequetur ex ratione adducta, quòd sicut Collegium antea dissolutum, si renouetur ex alijs omnino personis, gaudet eisdem priuilegijs, quibus antea erat ornatum, ita negare non posse Collegium interdictum, si restituatur ab alijs personis diuersis manere interdictum sicut prius.

Respondeo concedendo Collegium, quod erat interdictum, si dissoluatur, & postea renouetur ex alijs personis remanere interdictum, & indigere relaxatione Superioris, quia est idem Collegium moraliter loquando, quamuis sint aliæ personæ singulares. Quare cum interdictum sit latum in tale Collegium primò & per se non in personas singulares, nisi secundariò, & idem Collegium perseueret, interdictum etiam debet durare, sicut dixi superiori Capite de Ecclesia interdicta, quæ corruit, si renouetur ex alijs lapidibus, lignis, & cementis, manet supposita eidem interdicto. Qua in re differt interdictum ab excommunicatione, nam si in locum Canonicorum, qui sunt excommunicatione obstricti, subrogentur alij, illi non erunt excommunicati, vt inquit Iason in l. Inter stipulantem, §. Sacram num. 30. in fi. de verb. oblig. rationem assignat, quia excommunicatio est pœna personalis, quæ afficit animam delinquentis, ideo non extenditur ad alium cap. Romana §. In Vniuersitatem, & §. Caueant de sent. excom. lib. 6. & in eandem sententiam citat Diu. Raim Bald. Alexandrum, & alios in l. si Grege, ff. de leg. 1. secus est in interdicto iuxta Glo. in cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6. & ibi Gemin. quoniam in interdicto vnus potest puniri pro alio, non autem censura excommunicationis, Sylue. Ver. Pœna §. 23. in fi. Couar. lib. 2. Variar. Resol. cap. 8. nu. 10.

Ex eodem principio fit, vt Ciuibus interdictis illi etiam interdicti censeantur, qui in loco aliorum Ciuium post sententiam succeslere in eam Ciuitatem domicilium transferentes, Glo. recepta in cap. Si sententia Ver. Non competant de sent. excom. lib. 6. Et ratio est, quia per interdictum ligantur etiam innocentes, & ita ibi sentit Franc. §. Cum verò num. 5. Gemin. num 5. Anchar. num. 4. Vers. Quid è conuerso, Calder. in Tract. de interd. par. 1. num. 34. Sylue. Ver. Interdictum 2. §. 10. Vers. Si verò è contrario, Couar. lib. 2. Variar. Resol cap 8. num. 10.

Hinc etiam sequitur è contra hoc interdictum generale latum in Collegiom & Vniuersitatem cessare posse in qualibet persona singulari illius Collegij, & Vniuersitatis, si omnino dimittat societatem & habitum illius Collegij absq; alia absolutione Superioris, quia cum interdictum latum sit per se in Collegium, & ex consequenti afficiat particulares, quatenus sunt partes & membra illios Collegij, quamprimum desinit quis esse pars & membrum illius Collegij, liberatur ab interdicto, nisi fuerit causa culpæ, propter quam positum fuit interdictũ, de quo statim dicam. Cum ergo illa persona particularis, quæ eximit se à Collegio, non sit per se interdicta, sed tanquã pars totius Corporis, cui erat vnita, sublata illa vnione, sicut non gaudet priuilegiis illius Communitatis, ita neque debet onera secum ferre, quibus tenentur tantum partes illius Communitatis, cui sunt imposita, & ita affirmant omnes Doctores citati, & est communis opinio.

Sed cõtra obijciet quis ex his, quæ superiori Capite firmaui de interdictu locali, si n. subijciatur Ecclesia interdicto partes Ecclesiæ ab interdicto separari nequeãt, & idẽ est de interdicto generali, si Regnũ interdicatur, quantumuis aliqua Ciuitas, vel Terra illius Regni eximatur à potestate Regis per venditionem vel alio titulo, semper tamen erit supposita interdicto nisi relaxetur à Superiore, ergo idem dicendum videtur de partibus interdicti personalis.

Respondeo diuersam esse rationem vtriosque interdicti quoad hunc effectum, quoniam locus talis nõ interdicitur, sicut vnum corpus politicum & morale, sed tanquam totum integrale, cuius partes nõ possunt ab eo separari, sed virtute interdicti personalis generalis primò interdicitur corpus morale, cuius membra sunt singulares homines, qui possunt seiungi ab illo corpore, & ideo si separentur, cessat in illis interdictum, quod non contingit in interdicto locali. Et quãuis interdictum non tollatur absque relaxatione quãtum ad illud subiectum, quod primò & per se interdicitur, nempe Collegium vel Vniuersitas, non tamen hæc regula locum habet quoad partes ipsius corporis politici, quæ secundariò & concomitanter sunt interdictæ, si actu separentur à corpore interdicto.

Rursus dubitabit quis, an idem sit affirmandum de eo, qui discedit ab Vniuersitate vel Collegio interdicto, mutãs domicilium animo non redeundi, si causam dedit interdicto, cum enim talis esset interdictus tanquam pars Collegii, & Vniuersitatis & iam desinat esse pars, videtur immunis ab interdicto.

Respondeo illum, qui dedit causam interdicto, manere semper interdictum, nisi impetrauerit absolutionem à Superiore, quamuis non sit amplius pars aut membrum Vniuersitatis & Collegii interdicti, vt docent Doctores citati ex communi omnium senteneia. Hic enim, qui commisit delictum, propter quod latum fuit interdictum, secum illud affert, quocunque ierit. Et ratio est, quia respectu illius interdictum est speciale, non generale, quod per se afficit talem personam, quę supponitur interdicto generali non solùm tanquã pars Communitatis, sed ratione propriæ contumacię, idcirco nõ decet, vt liberetur ab interdicto per solam transmigrationem à Ciuitate, seu recessu à Communitate & Collegio, nisi constiterit paruisse Superiori, & petat absolutionem ab eo. Quamobrem conclusio proposita intelligenda est de iis, qui sunt innocentes, & causam interdicto non dederunt, tales enim si dimittant penitus Vniuersitatem & Collegium, & recedant animo non redeundi, eximuntur absque alia absolutione ab interdicto generali. Idem dicit Sylue. Interdictum 2. §. 11. & alii Doctores citati de illo, qui existente Communitate interdicta per sententiam Iudicis, perpetuo exilio condemnantur; hoc enim modo desinit esse pars, & Ciuis Communitatis, neque amplius est particeps priuilegiorum & iurium Ciuitatis.

tis. Secus est de delegato ad tempus, quoniam remanet Ciuis & pars Vniuersitatis.

Sed dubitari potest de eo, qui separantur à populo & Collegio interdicto, & ingreditur Monasterium in eo suscipiens habitum Religionis & emittens professionem.

Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 36. quem Sylue. Ver. Interdictum 2. §. 12. sequitur, putat primo, quòd qui relicta Vniuersitate interdicta, ingreditur Monasterium post professionem, potest ordinari, quia non pertinet amplius ad Vniuersitatem interdictam es rationibus adductis. Dicit secundò ante professionem tutius esse, vt nō ordinetur, antequam fuerit absolutus, & hoc est consulendum cap. Iuuenis de sponsal. nam semper potest redire ad seculum cap. Ad apostolicam, cap. Consulti de regul. Tertiò inquit, si talis ordinetur ante professionem, ordinationem esse validam & tenere arg. cap. Religioso de sent. excom. libro sexto, capit. Duo sunt 12. quæst. 1. Idem tenet Gemin. in cap. Si sententia §. Cum verò in fi. de sent. excom. lib. 6. quia per professionem transit ad alium statum, & desinit esse de populo, citat Feder. de Senis consil. 31. vbi fusè ad vtramque partem prosequitur hanc dubitationem, & tandem ita concludit, idem tenet in eodem cap. Si sententia Anchar. nu. 4 Vers. Item quæro si talis, & Franc. in fi. Addit Sylue. id quoque habere locum, si ille qui dimissa Vniuersitate interdicta, suscipit habitum Religionis, & emittit professionem, dedit causam interdicto ex sua culpa, cum Religio sit maxima pœna, & mors ciuilis. Quod tamen non videtur omnino verùm, & absque difficultate, nisi Religio illa gaudeat hoc priuilegio. Iure enim communi non soluitur quis per ingressum Religionis omni Ecclesiastica censura si in eum specialiter lata sit, sicut supponitur in hoc casu, quando suscipiens habitum Religionis fuit causa interdicti, quod habet vim specialis interdicti quoad eum, qui fuit in culpa, vt dixi. Immo licèt ingressus Religionis & professio in ea tollat irregularitatem, vt notat Glo. in cap. 2. Ver. Religionis de Aposta. non tamen aufert illam, quæ prouenit ex proprio delicto, ita vt talis irregularis promoueri possit ad ordines sine dispensatione, vt in c. 1. de fi. Presbyt. sed fauore Religionis eum eo dispensatur, sed tollitur irregularitas, quæ consurgit sine propria culpa, ita vt sine dispensatione valeat ordines recipere, non tamen promoueri ad dignitates, & prælationes sine dispensatione, vt in dicto cap. 1. de fil. Presbyt. & ita est intelligenda Auth. de Alo. in princ. coll. 1. Vbi dicitur per ingressum Religionis tolli omnem irregularitatem, & Abb. in neutro casu inquit tolli irregularitatem, nisi sit in iure expressum, in dicto cap. 2. de Apost. sed ingressum Religionis prodesse solùm, vt facilius impetretur dispensatio. Si igitur per professionem Religionis non tollitur irregularitas, saltem illa, quæ prouenit ex delicto, ergo multò minus auferri potest interdictum, quod est vera censura.

Postremò quæritur, quando interdicitur populus, propter peccatum Domini, vel Clerus ob delictum Prælati, vtrum si Dominus aut Prælatus obierit, desinat interdictum absque alia relaxatione Superioris, & difficultas oritur, quoniam non interdicitur Clerus vel Populus, nisi quatenus corpus quoddam morale ipsius Capitis, sublata igitur illa relatione ad caput, videtur cessare interdictum, sicut dicebatur de singulis hominibus, qui si discesserint ab Vniuersitate, quia non sunt ampliùs partes illius corpo-

A ris, non censentur interdicti. Immo multò magis id videtur posse affirmari de ipso Domino vel Prælato, qui propter eorum delicta dederunt causam interdicto.

Respondeo non dissolui interdictum latum in Communitatem ipso facto pereunte Domino, ob cuius delictum impositum fuit interdictum, sed necessariam esse absolutionem, quia per se primò fuit interdictus populus seu Vniuersitas, non Dominus, remanet autem idem populus, quamuis defunctus sit Dominus, ergo perseuerat interdictum, nisi relaxetur à Superiore, quod non tollitur, nisi destructo principali, & immediato subiecto, vel per absolutionem. Sed licèt hic populus non habeat illam subiectionem & relationem ad Dominum, quæ relatio fuit causa, vt B interdiceretur populus, tamen delictum Domini fuit quidem necessaria conditio, vt populus interdiceretur; non tamen requiritur ad hoc, vt interdictum conseruetur, sed semel latum absque tali conditione durat, quousque à Superiore relaxetur; sicut dicebam in Capite 2. de interdicto locali, quando Terra fuit interdicta propter crimen Domini, & durante interdicto venditur, vel alio modo alienatur, & tamen remanet interdicta. Et sicut ibi monebam, Superiorem, qui supposuit Terram interdicto propter culpam Domini, vendita Terra debere quàm citò relaxare interdictum, quia cessauit contumacia Domini, quæ fuit illius causa; ita quoque C propter eandem rationem idem affirmandum in prædicto casu interdicti personalis. Et hæc de interdicto generali.

Quantum verò ad interdictum personale particulare, quo pacto dissoluatur, primò quæri potest, vtrùm ille, qui erat interdictus particulariter, ante absolutionem moriatur pœnitens, sit liber ab interdicto vt non indigeat alia absolutione.

Couar. in cap. Alma par. 2. §. 1. num. 3. Vers. Hic autem, sentit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si pœnituerit, posse sepeliri intra Ecclesiam, probat ex tex. in cap. Is cui de sent. excom. Vbi Io. Andr. Franc. & alij fatentur posse in articulo mortis hoc interdictum remitti à quocunque Sacerdote, vel sufficere, vt quis D decesserit cum signis contritionis & pœnitentiæ, vt non obstante interdicto sepeliri possit in Ecclesia absque alia solemni interdicti reuocatione aut relaxatione. Verba dicti cap. Is cui, sunt, *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit sepeliri*, ergo sumendo argumentum à contrario, si pœnituerit, sepeliri poterit absque alia absolutione, ergo sublatum est interdictum, nam quoad alios effectus cessauit interdictum per destructionem subiecti, nam cadauer non est capax, vt possit audire diuina officia, vel recipere Sacramenta. Dicit autem Couar. id intelligendum esse de interdicto lato ob contumaciam, & censet cap. Is cui, loqui de interdicto ab ingressu E Ecclesiæ ob contumaciam, quasi qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ in pœnam criminis commissi, sepeliri possit intra Ecclesiam ex eo quòd morte finiatur pœna delicti, ipse tamen Couar. tenet etiam in pœnam criminis posse quem priuari Ecclesiastica sepultura, ita vt hæc pœna mortuo sit inferenda, etiam si pœnituerit, sicut latius probat libro secundo, Variar. Resol. capitulo primo, numero vndecimo; Sed quando hæc pœna à Iudice fertur in contumaciam, putat illam remitti per pœnitentiam, & recessum à contumacia.

Alij verò sentiunt oppositum, scilicet in eo casu requiri absolutionem ab interdicto post mortem pœnitentis, quæ absolutio necessaria est propter viuentes, qui propriè obligantur, vt non tradant sepulturæ ecclesiasticæ corpus defuncti interdicti, & eorum obligatio non tollitur ex hoc, quòd interdictus egerit pœnitentiam ante obitum, nisi fuerit absolutus arg. cap. A nobis 2. de sent. excom. vbi est sermo de excommunicatione; sed, vt dixi in primo Cap. quoad hoc æquiparatur interdictum excommunicationi, sic autem habetur in dicto cap. *Quantumcunque pœnitentiæ signa præcesserint*, scilicet in excommunicato, *Si tamen morte præuentus absolutionis non potuerit beneficium obtinere quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus, potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subueniri, vt si de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Hanc sententiam tenet Io. Andr. in dicto cap. Is cui, dicens tutius esse, vt tradatur absolutio, quam dicit in articulo mortis posse tradi à Sacerdote, sicut dicitur de excommunicato, in cap. fin. de sepult. cui, si absolutus fuerit à suo Presbytero in morte, *Non debent Cœmeterium, & alia Ecclesiastica suffragia denegari*. Idem tenet ibi Gemin. in §. Talis quoque, numero tertio, Franc. numero secundo, Anchar. numero 3. licèt non negent expressè per pœnitentiam in articulo mortis tolli interdictum, addunt tamen tutius esse, vt tradatur absolutio. Immo Io. Andr. & Gemin. addunt post mortem absolutionem esse tradendum, si signa contritionis præcesserint.

Hæc secunda opinio est probabilior & magis consentanea his, quæ hactenus firmaui, nam ex contraria sententia sequitur, quòd si interdictus per pœnitentiã in ægritudine sine absolutione liber est ab interdicto, vt eius corpus post mortem tradi possit Ecclesiasticæ sepulturæ, ita quoque ab eodem immunis esse debeat quoad alios effectus, quia non est maior ratio de vno, quàm de alijs, atque ita, dum viueret, posset Ecclesia ingredi, recipere Sacramenta, & audire diuina officia. Hoc autem aduersatur his, quæ dicta sunt, nimirum interdictum latum pro contumacia, non relaxari per recessum ab ea, & per pœnitentiam, sed requiri absolutionem. Verùm Couar. oppositum docuit in cap. Alma par. 1. §. 11. num. 7. in fin. vt declaraui in cap. 1. ideo non esse mirum, si ita senserit de Ecclesiastica sepultura, vt cohærenter sequeretur, eadem sententia confirmari potest ex regula, quam tradit Abb. in cap. A nobis 2. numero 8. de sent. excom. Vbi ait omnia, quæ principaliter pertinent ad corpus post mortem accomodari posse ipsi defuncto; sed relaxatio interdicti ad effectum sepulturæ principaliter pertinet ad corpus, cum ex signis pœnitentiæ, datis in morte præsumamus quantum ad animam, sicque tradi potest absolutio post mortem, vt sepeliatur in loco sacro.

Si dicas, oppositum videtur deduci ex illo cap. Is cui, à contrario sensu, vt ostendebam, respondeo ex verbis illius textus nihil aliud probari, nisi quòd si interdictus signa pœnitentiæ dederit in articulo mortis, posse à quolibet Sacerdote interdictum auferri, vt sepulturam obtinere possit. Cum enim iura aliquando denegent Ecclesiasticam sepulturam propter aliqua scelera, etiamsi in articulo mortis pœnitentia præcesserit, vt patet ex cap. 1. de Torneam. & cap. 1. de Raptor. & alibi, ideo peculiariter in hoc casu, quando quis est interdictus, expressum fuit in dicto capitulo Is cui, vt præmissa pœnitentia sepultura Ecclesiastica non prohibeatur, sed supposita absolutione, quæ in eo instante à quocunque Sacerdote impendi possit. Neque censeo priuilegium dicti cap. Is cui, vt interdictus post pœnitentiam possit sepeliri in loco sacro, restringendum esse ad solum interdictum positum pro contumacia, vt putat Couar. sed locum habere in omni interdicto etiam lato in pœnam delicti commissi, & ad certum & determinatum tempus, quoniam ille textus loquitur simpliciter de eo, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus & sine vlla limitatione generaliter debet intelligi, nam lex generaliter loquens generaliter debet intelligi l. de pretio ff. de public. Glos. & Bart. in l. 3. ff. de off. Præsi. c. Si Romanorum distinct. 19. capit. Quia circa de priuileg. Item sicut prior pars, vbi statuitur pœna irregularitatis aduersus eos, qui interdicti ab ingressu Ecclesiæ in eadem celebrare præsumunt, vniuersaliter exponitur ex omnium sententia, siue interdictum sit latum pro contumacia, siue in pœnam, & ad certum tempus, ergo multò magis posterior, quæ priuilegium continet de Ecclesiastica sepultura concedenda interdictis post pœnitentiam, est generaliter intelligenda, quia pœnæ sunt restringendæ, fauores amplificandi. Quare si quis propter delictum ab ingressu Ecclesiæ ad mensem vel annum prohibeatur, si antequam tempus præfixum præterierit, decesserit præmissa pœnitentia virtute facultatis concessæ in dicto c. Is cui, potest & debet absolui, qquia propter pœnitentiam solam absque absolutione non tollitur ipso facto interdictum.

CAPVT IV.

Quibus competat potestas tollendi & relaxandi interdictum, & de iis, qui interdici possunt.

IN hac quæstione primò dicendum est de interdicto imposito a Iure, quod distinguendum est, an sit latum in pœnam delicti commissi, vel pro contumacia, nam quando fertur in pœnam, regulariter solet imponi ad certum tempus, quo elapso eo ipso dissoluitur interdictum, vt dixi in primo Capite. Si autem ante tempus præfixum sit tollendum, tunc non potest, nisi ab ipso legislatore, vel eius Superiore, aut ab eo, qui potestatem habet dispensandi in tali lege, sicut dictum est de suspensione, & tradit Nauar. in Manna. capitulo vigesimosecundo, numero 162. & eadem est ratio de interdicto, quando fertur in pœnam, Quare ante aduentum temporis, vel conditionis interdictum auferri nequit ab alio, quam à Conditore Canonis, vel eius Superiore, neque etiam ab Episcopo ex dispositione Iuris antiqui, sed solùm ex concessione Concilij Tridentini, si fuit impositum propter delictum occultum, vt dixi in primo Capite.

Secundò dico, si interdictum ponatur à Iure pro pœna peccati commissi, quod non habeat tractum successiuum in futurum, vt loquuntur Canonistæ & consequenter imponatur, vt recedatur à contumacia, sed simpliciter, & absolutè in pœnam peccati commissi absq; vlla conditione vel tẽporis definitione, quo modo nullibi reperitur in Iure latum, tale inquam interdictũ similiter relaxari potest ab ipso legislatore, vel eius Superiore ob eandem rationem, atq; etiã ab Episcopo, quamuis delictum cõmissum sit grauius adulterio, si non sit reseruatũ Papæ etiã de iure antiquo ante Conc. Trident. licèt oppositum sentiat Nau. in Man. cap. 27 nu. 162. & consi. 3. de Acta. & Qualit. ordinan.

loquens

loquens de suspensione, sed militat eadem ratio, qui fatetur posse Episcopum absoluere, quando suspensio imposita est super adulterium, vel delictum leuius adulterio. Delicta minora adulterio sunt venatio, ludus aleæ, violentia, & incestus spiritualis, Henriquez libro 14. capitulo vigesimo, numero quarto, in fin. Nauar. lib. 1. Consil. 1. De in integr. restitut. At incestus carnalis maius crimen, vt Nauar. inquit, & loquitur de incestu cum Matre, & filia carnali, secus in remotiori gradu. Tamen contrariam sententiam tenet Glo. in Clement. 1. §. penult. Ver. Excommunicationis, de Hæret. & cap. Cupientes §. Cæterum, Ver. Suspensus, de elect. lib. 6. Et fundamentum sumitur ex cap. Nuper de sentent. excom. vbi dicitur, quod quia Conditor Canonis non reseruauit sibi absolutionem excommunicationis, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi, sed nullibi reperitur reseruatio huius interdicti, immo, vt Domin. Sot. inquit in 4. sentent. distinct. 22. quæstione tertia, artic. 1. in fin. 3. conclus. Interdictum Iuris non reseruatur Papæ, sicut excommunicatio, quod est intelligendum communiter de interdictis, quæ habentur in corpore Iuris.

Si verò tractemus de absolutione ab interdicto Iuris, quod fertur ob contumaciam, aut erit latum cum reseruatione, vel simpliciter sine reseruatione. Si sit impositum à Iure, & habeat reseruationem annexam, quod fieri potest, nam saltem interdictum latum in Bulla Cœnæ Domini est reseruatum Papæ, & indubitatum est posse imponi interdictum à Iure cum reseruatione, sicut possunt ferri ab homine per generalem aut particularem sententiam; tunc tale interdictum tolli non potest, nisi ab eo, cui illud est reseruatum, sicut dictum est de absolutione excommunicationis, vel ab Episcopo ex concessione Concilij Tridentini sess. 24. de reform. cap. 6. nam licèt in priori parte, vbi sermo est de dispensatione, solùm agatur de Irregularitatibus & suspensionibus, in posteriori tamen, quæ est de absolutione, tractatur de omnibus casibus etiā Sedi Apostolicæ reseruatis, ideo comprehendit etiam interdictum.

Quæret quis, an si à Iure eadem constitutione feratur excommunicatio contra certam personam, quæ dedit propter delictum suum causam, vt interdiceretur Communitas, vel Ciuitas, si excommunicatio sit reseruata, censeatur etiam reseruatum interdictum. Sylue. Ver. Interdictum 3. §. 16. Vers. Aut Conditor Canonis ex sententia Archid. putat in eo casu licèt non expressè saltem tacitè, & ex consequenti Côditorem Canonis voluisse sibi reseruare relaxationem interdicti, quia quoties vitium ex vna & eadem radice nascitur, consequens est, vt, eadem lege tollatur, l. si libertum C. de Nupt. quia interdictum & excommunicatio continentur sub nomine Censurarum, & quod de vna dicitur, de alia intelligi debet.

Sed Io. Andr. quem refert Sylue. tenuit oppositum, quoniam si è duobus alterum a iure reseruetur, alterum videtur concedi, & ita sentit Glo. in Clem. 1. §. Verum Ver. Excommunicationis de Hæret. quamuis enim excommunicatio & interdictum sint Censuræ, sunt tamen diuersæ species, & plura conueniunt vni, quæ ad aliam non pertinent. Ex disparatis autem non fit illatio ab vno ad alterū. Et quamuis interdictum, & excommunicatio infligantur pro eodem delicto, potest tamen excommunicatio reseruari, & non interdictum, præsertim quia regulariter ferè semper feruntur in diuersa subiecta; quare potiùs inferri po-

A test, quando in excommunicatione exprimatur reseruatio, non in interdicto, tacitè excludi à reseruatione interdictum iuxta cap. Non ne de præsump. & hæc secunda sententia mihi magis placet, quam sequitur Franc. in cap. Si Ciuitas nu. 6. in fi. dicens hanc sententiam esse veriorem, & Gemin. ibi num. 13. de sent. excom. lib. 6. Tabie. Ver. Interdictum 3. num. 9. Vers. Octauo, Tolet. lib. 1. cap. 55. Instruct. Sacerd.

Quòd si interdictum pronunciatur à Iure pro contumacia simpliciter, & sine reseruatione, tunc dubitari solet, an relaxari possit ab inferiori, & ante omnia statuendum non cessante causa, propter quam latum fuit interdictum, tolli non posse ab Ordinario, sed à solo Papa, Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 55. nam
B hoc est dispensare in lege Superioris, quod non conuenit inferiori. Cessante verò causa communiter asseritur interdictum locale siue generale siue speciale nūquam tolli posse, nisi auctoritate Episcopi loci illius, vel eius, qui iurisdictione gaudet Episcopali. Ab Episcopo verò, & alijs habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem tolli posse, quamuis latum sit iure pontificio, dummodo non sit reseruatum; Probatur ex c. Nuper de sent. excom. nam quòd legislator non reseruauit, alijs Ordinariis Iudicibus concessisse videtur, sed respectu loci solus Episcopus, vel qui quasi Episcopalem iurisdictionem habet, relaxare debet. Vocatur Ordinarius Iudex, qui habet iurisdictionem in foro contentioso, quæ ad huiusmodi relaxationem
C est necessaria.

Oppositum tamen sentit Henriquez cap. 51. nu. 3. Vbi citat Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. n. 4. sed Couar. tantum dicit Episcopum non posse concedere licentiam, vt durante Interdicto diuina celebrentur in loco interdicto, si non sit impositum ab Episcopo. Sed, vt dixi, contraria sententia est communior, quam cōfirmat id, quod notat Glossa in c. At si Clerici Ver. Minori de iudi. nempe Episcopum vbicunque posse dispensare, quod non inuenitur prohibitum.

Idem asserendum est de interdicto generali personali, nam respectu Communitatis ordinarius Iudex in Ecclesiastico foro externo est Episcopus, vel etiam Prælatus Ordinarius inferior Episcopo, qui habet iu-
D risdictionem fori exterioris quoad personas suæ iurisdictionis, non quoad interdictum loci, præsertim si non adsit copia Superioris, vt inquit Syluest. Interdictum 3. §. 16.

Si contra obijcias Inferior Prælatus Episcopo non potest reconciliare Ecclesiam per pollutionem violatam, quod est minus, ergo neque poterit tollere maius, nempe tollere vinculum interdicti, vnde contrahitur irregularitas ex celebratione.

Respondet Sylue. negando consequentiam, quoniā nō tenet argumentū à minori ad maius ex disparatis & diuersis genere, sicut non valet argumentū, Angelus non potest comedere, quod est minus, ergo neque poterit intelligere, quod est maius. Quare quamuis
E Prælatus inferior, qui non sit Episcopus, non gaudeat auctoritate reconciliandi Ecclesiam pollutam, non sequitur, vt non possit absoluere ab interdicto, ideo enim primum non potest, quia reconciliare Ecclesiam pollutam est actus consecrationis, absoluere verò ab interdicto est actus iurisdictionis. Accedit, quòd argumentum probat de interdicto loci, & modò agitur de interdicto personali.

Ad hoc autem interdictum Communitatis relaxandum non est sufficiens iurisdictio, quam qui habet ad absoluendum in foro interiori Sacramenti pœni-

pœnitentiæ, quia Communitas, vt talis est, non est capax Sacramenti pœnitentiæ.

Ex eodem principio inferri potest, non posse singulas personas Vniuersitatis generaliter interdictæ eximi à tali interdicto à Parocho vel Confessario iure ordinario, quod verum est, siue latum fuerit à iure, siue ab homine, Henriquez capitulo quinquagesimoprimo, numero tertio, & capitulo trigesimoquinto, numero secundo, qui alios citat, Anchar. in Clement. vnic. numero 12 de reb. Eccles. non alienan. Probatur primò nam respectu talis interdicti Parochus nullam habet iurisdictionem, quia non fertur per se in singulares personas, sed in Vniuersitatem. Secundò nam alias contingere posset, vt huiusmodi interdictum cessaret in omnibus personis illius Vniuersitatis, & remaneret in ipsa Communitate, quod repugnat, quia Communitas non subsistit, nisi adsint singulares personæ, & sic interdictum esset inutile, vt dicitur in capitulo Si sententia, de sent. excommun. libro sexto. Tandem quoniam absolutio ab interdicto non est necessaria ad absolutionem à peccatis, sicut est necessaria absolutio ab excommunicatione.

Dices, interdictum impedit receptionem Sacramentorum, ergo absolutio interdicti necessariò est præmittenda ante absolutionem à peccatis, & ex consequenti videtur affirmandum Parocho & Confessario ordinario commissam fuisse. Respondetur, quòd licèt interdictum ex dispositione Iuris antiqui priuaret receptione Sacramentorum, & consequenter Sacramenti pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo, nihilominus nouo iure ex priuilegio cap. Alma Mater non priuat Sacramento pœnitentiæ, vt probatum est supra.

Postremò si loquamur de interdicto personali speciali lato a Iure, statuendum est tale interdictum ab Episcopo relaxari posse, quod est certum, & sequitur ex dictis. Si enim Episcopus potest relaxare interdictum generale, quod est maius, multò magis poterit particulare.

Dubitari solet tantummodo, an illud tolli possit à Confessario Ordinario, vel à Parocho, & pro parte negatiua facit, quia cum interdictum particulare sit grauius respectu particularis personæ interdictæ, quàm interdictum generale Vniuersitatis in ordine ad singulares personas, quia singulare non ponitur sine propria culpa personæ interdictæ. Sed per generale potest obstringi etiam persona innocens. Quare si Parochus, vt dixi, non potest absoluere ab interdicto generali aliquem, multò minus poterit à singulari interdicto. Confirmatur, quia secus posset Parochus absoluere ab interdicto generali illum, propter cuius culpam latum est, & tamen absoluere non posset alios innocentes, quod est absurdum, nam interdictum generale quoad eum, qui dedit causam, habet vim particularis interdicti, vt aliàs dixi.

Et puto respondendum esse absolutionem interdicti personalis particularis impendi posse à proprio Parocho, & Ordinario Confessario. Probatur ex dicto capitulo Nuper, de sent. excom. vbi absolutio excommunicationis non reseruatæ conceditur non solùm ab Episcopo, sed etiam à proprio Sacerdote, ergo idem dicendum est de absolutione ab interdicto personali particulari, nam hæ duæ Censuræ quoad hoc comparantur iuxta Glo. in cap. Præsenti Ver. Generaliter, de sent. excom. lib. 6. nam sicut requiri-

A tur, vt antea quis absoluatur ab excommunicatione, si validè absolui debeat sacramentali absolutione à peccatis, ita quoque necesse est, vt antea absoluatur ab interdicto particulari, quia tale interdictum impedit absolutionem sacramentalem, sicut excommunicatio, nam quoad hoc diuersa ratio est interdicti generalis & particularis, quamuis enim generale interdictum non sit impedimentum, ne recipiatur absolutio à peccatis ex concessione, cap. Alma Mater, vt dixi, tamen id non habet locum in interdicto particulari, & id fauore Sacramenti Pœnitentiæ probabilius est asserere potestatem concessam à Summo Pontifice in cap. Nuper Parocho & Confessario ordinario, vt possint absoluere ab excommunicatione iuris non reseruata habere locum in interdicto particulari, similiter ab ipso Iure propter contumaciã positum. Ad argumentum pro contraria sententia, respondeo negando similitudinem rationis, quoniam interdictum generale comprehendit innocentes, qui non excluduntur à Sacramento Pœnitentiæ; sed interdictum particulare semper supponit culpam ipsius interdicti, ideo diuersa ratio est. Accedit, quòd interdictum generale est grauius, quàm particulare, si vtrumque simpliciter sumatur, licèt enim videatur leuius comparatum ad personas innocentes, quas includit, tamen quia per se primò non respicit singulares personas, sed ipsam Communitatem, ideo est grauius, & eius relaxatio requirit superiorem potestatem. Non potest autem à singulis personis auferri, nisi simpliciter per se relaxetur, idcirco quoad quascunque particulares personas difficilius tollitur, quàm interdictum particulare.

Si dicas saltem interdictum generale quoad eum, qui causam dedit interdicto, quia habet vim interdicti particularis, poterit absolui à Parocho & inferiori Sacerdote, respondeo illum etiam, qui dedit causam generali interdicto, absolui non posse, nisi ab eo, a quo tale interdictum generale per se & simpliciter relaxari potest. Nam & si quoad eum, qui causam dedit, habeat vim & efficaciam interdicti personalis particularis, tamen simpliciter, & formaliter est interdictum generale; & idcirco relaxari non potest ab inferiori Sacerdote, sed solùm ab Episcopo, quòd non habet locum in articulo mortis, in quo quodlibet interdictum personale, præsertim verò speciale, a quocunque Sacerdote absolui potest cum ab Ecclesia, ad spiritualem fidelium vtilitatem institutum fuerit, semperque custoditum, nec hac ipsa occasione aliquis periret, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, sicut habetur in Concilio Tridentino, sess. 14. capitulo septimo, de casuum reseruatione, *Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt*, & tradit Nauar. in Manua. capitulo 26. numero 26. & capitulo 27. numero 272. Henriquez lib. 13. de excomm. & interdic. cap. 51. numero 3. his declaratis de interdicto Iuris, aliquid dicamus de interdicto lato per sententiam hominis.

Interdictum quodcunque ab homine lato per sententiam specialem vel particularem relaxari tantum potest & debet ab eo, à quo latum est, & non ab alio, & quamuis eius Superior illud relaxare valeat, tamen non debet, nisi præuia satisfactione, & accedente consensu eius, qui interdictum posuit, ita enim statuitur ab Alexandro Tertio, in c. Cum ab Ecclesiarũ de off. ordi. Quòd si interdictũ & excommunicatio ferantur ab inferiori, Episcopus illas sententias seruare

de-

debeat, *neque eas sine congrua satisfactione, & absque eiusdem Plebani conscientia non relaxet*. Nomine Plebani generali vocantur aliqui Abbates, Archidiaconi, vel Archipresbyteri, qui non habent iurisdictionē ab Episcopo, sed ex vi sui officii. Vbi Glo. Ver. Non relaxes, dubitat, quid si Episcopus relaxet huiusmodi sententias Plebano irrequisito, teneat absolutio, & respondet affirmatiuè, quia Superior habet iurisdictionem in tota sua Diœcesi, & est ordinarius Iudex in ea cap. De persona 11. q. 1. sed male facit Superior absoluendo, Immo si subditus conqueratur, Episcopus debet illum remittere ad suum Iudicem, vt ab eo absoluatur, cap. Ad reprimendam eod tit. seruata forma illius cap. Idem tenet Abb. in dicto capit. Cum ab Ecclesiarum num. 11. Franc. in c. Si Ciuitas n. 6. Vers. Quis autem absoluat de sent. excom. lib. 6. Anchar. in Clem. vni. §. 12. de reb. Eccles. non alienan Ang. Ver. Interdictum 8. in princ. Sylue. Interdictum 3 §. 16. Tabie. Interdictum 3. n. 9. Vers. Octauo, B. Anton. 3. par. sum. tit. 26. de interdicto cap. 5. post med. Domin. Sot. in 4. sent. distinct. 22. q. 3. art. 1. conclus. 3. Vers. Atqui illud.

Addit Syluest. §. 17. non licere Archiepiscopo, vel eius officiali relaxare interdictum, neque suspensionem, aut excommunicationem latam à suis suffraganeis ipsis irrequisitis, nisi ex præscripta consuetudine ei conueniret cap. Romana de sent. excom. lib. 6. ibi, *Cæterum interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententias latas*, scilicet à subditis suorum suffraganeorum, *Demerius Archiepiscopus & eius officiales ommissis ipsis excommunicatoribus non relaxent, salua contraria super hoc consuetudine, si quam habent*.

Sed quid si Archiepiscopus de facto relaxet, an teneat absolutio. Syluester respondet validam esse absolutionem, licèt absoluendo perperā egerit, nisi aliqua consuetudo obstaret, oppositum videtur sentire Gio. in dicto c. Romana Ver. Non relaxent, quia non est Iudex ipsorum excommunicātum, neque excommunicatorum, respondeo Archiepiscopum potestatem non habere simpliciter absoluendi subditos suffraganeorum, quia non habet iurisdictionem in eos, vt dicitur in cap. Venerabilibus de sent. excom. lib. 6. nisi in tribus casibus, vt ibi dicitur, & declarat Glos. Primus est, quando fuit appellatum à suffraganeo, vel eius officiali. Secundò quando subditus suffraganei fuit à suffraganeo excommunicatus, & conqueritur de iniustitia excommunicatoris apud Metropolitanum, vt Metropolitanus illum puniat iuxta cap. Sacro eodem tit Tertius casus est, quando subditus suffraganei fuit excommunicatus ex officio Iudicis, non ad instantiam partis, tradit Henriquez lib. 13. c. 51. nu. 4 Quare cum iura dicant absolutionem ab interdicto impendendam esse ab eo, qui illud indixit, nolunt excludere Prælatum Superiorem, vt notauit S. Tho. 4. sent. dist 18. q. 2. art. 5. & ibi Palud. q. 5. & Domin. Sot. vbi supra, per Superiorem intelligendo maiorem non dignitate, sed iurisdictione in ea causa & persona, in quibus habet locum interdictum. Quod fieri nō potest sine subordinatione illius, qui tulit sententiam ad alium, quod cōtingere potest duobus modis. Primò quia tota iurisdictio vnius est quasi pendens in fieri & conseruari ab alterius iurisdictione, vt Delegatus pendet à Delegante ex c. Pastoralis §. Prçterea de off. ordin & Vicarius ab Episcopo, & quilibet Prælatus particularis, & Concilium à Summo Pontifice. Alio modo consistit hæc subordinatio, quòd Superior possit causam ab altero inchoatam ad se aduocare, quòd dupliciter contingit. Primò præmissa legitima appellatione, seu prouocatione, sicut dictum est: hoc modo potest Archiepiscopus absoluere à censura interdicti lata per suffraganeum Episcopum cap. Per tuas de sent. excom. & dicto cap. Venerabilibus, & nō alio modo nisi in aliquo casu speciali, in quo habeat directam iurisdictionem, vt notant Doctores locis citatis, & Abb. & Dec. in c. In literis de off. deleg. & quando per appellationem defertur censura interdicti ad Archiepiscopum, priusquam ipse absoluat, seruare debet formam cap. Ad reprimendam de offic. ordin. vt dixi.

Similiter quando inferior aliquem indebitè interdixit non seruata forma cap. 1. de sent. excom. lib. 6. tunc Iudex superior, ad quem recurritur, non solùm potest, sed etiā debet relaxare interdictum, nec tenetur vllo modo deferre interdicenti, vt in eod. cap. statuitur, *Si Superior verò, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans &c.* Quare omnes conueniunt in hac conclusione, nimirum, interdictum latū ab homine tolli posse tantùm ab eo, qui illud tulit, vel ab eius Superiore, nomine illius, qui interdictum posuit intelligitur præcisè persona illa singularis, quæ pronunciauit sententiam, sed eandem ex munere & officio, nam si quacunque ex causa ille, qui interdixit, iurisdictionem exercere cessauerit eius successor in officio poterit absoluere, censetur enim eadem persona; & ideo si persona decessit, vel habet iurisdictionem suspensam per excommunicationem, vel quouis alio modo, ad Superiorem recurrendum est, vel ad successorem. Hæc autem potestas absoluendi ab interdicto sicut, & ab aliis Censuris non solum immediatè per ipsummet, qui tulit exerceri potest, sed etiam per alium, si ille, qui interdixit, potest delegare alteri hanc iurisdictionem, quod conuenit Iudicibus Ordinariis.

Quæret quis, quibus possit ex delegatione cōmitti potestas & iurisdictio absoluendi ab interdicto, respondeo omnes illos & solos esse capaces huius iurisdictionis, qui possunt ex commissione ferre interdictū, de quibus egi Disp. . . .

Post disputationem absolutam de his, qui absoluere possunt, restat, vt breuiter aliquid dicamus de his, qui absolui possunt. Et primò statuendum est non esse necessariam præsentiam vel consensum eius, qui absoluitur ab interdicto, nā absens & inuitus potest absolui, quia interdictum, quod quis patitur contra voluntatem, ad illud tollendum non est necessarius consensus ipsius Rei, immo addit Henriquez cap. 51. n. 3. in fi. quòd potest absolui qui vult in contumacia perseuerare de quo postea videbimus. Deinde dicendum est obstrictum pluribus interdictis, posse ab vno, & non ab aliis interdictis absolui, itaut alia maneant in suo robore. Idem dicitur de suspensione.

CAPVT V.

Vtrùm Interdictum suspendi possit.

QVæritur, vtrùm interdictum suspēdi possit, itant durante suspensione licita sit celebratio absq. culpa, & pœna. Non dubitatur autem de Summo Pontifice, à quo absque vlla controuersia potest interdictum suspendi, cum enim ipse sit auctor Iuris humani, à quo proueniunt omnes effectus interdicti, potest impedire executionem effectuum, vel omnino, vel ex parte, sicut ei opportunum videbitur, sed tota difficultas est de Inferiori Ordinario.

In hac quæstione certum est primò per appellationem interpositam post latam sententiam interdicti illud suspendi non posse, quod est commune omnibus Censuris, sic enim habetur in cap. Is cui de sent. excom. lib. 6. vbi agitur de suspensione ab ingressu Ecclesiæ, quæ est quoddam interdictum, & quoad hoc æquiparatur excommunicationi, *Sane sicut excommunicatio sit ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspēsio, aut ipsius effectus per appellationem sequentem minimè suspenduntur*, & ibi notat Glo. Ver. Sequuntur in cap. Ad hæc quoniam de appell. vniuersaliter idem statuitur de omni interdicto, *Noueris igitur quod sicut post appellationem excommunicari non possunt, sic interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos constat suppositos, declinare*, & tradit Glo. Ver. Interdictum.

Secundò videtur etiam communiter admitti interdictum locale tam generale quàm particulare suspēdi posse ad tempus per eum, à quo est impositum, & colligitur ex cap. Dilectis filijs post med. ibi, *Proposuit, quòd priusquam Episcopus appellasset, sententiam, scilicet interdicti, cuius effectum duxerat ad tempus suspendendum*, & ibi latè Glos. Ver. Suspendendum, & Glo. in cap. Ad hæc quoniam Ver. Interdictum eod. tit. Ita tenet Sylue. Ver. Interdictum 3. §. 8. vbi primò refert opinionem Ber. qui negat Episcopum suspendere posse suum interdictum, sed hoc pertinere ad solum Papam & addit verius esse cum Innoc. & Host. sententiam interdicti localis suspendi posse, si locus est interdictus ab Episcopo, & non à Papa, & tempore, quo durat talis suspensio, licitè in tali loco celebrare, Couar. in cap. Alma, par. 2. §. 2. num. 4. citat Ioan. And. & alios Doctores, & fatetur ex Dec. esse opinionem communiter receptam, quam ipse putat veriorem contra Abb. in dicto cap. Ad hæc quoniam nu. 5. Idem sentit Calder. in Tractatu de interdicto par. 2. nu. 31. de interdicto loci, secus de interdicto personæ, probat ex cap. Non est vobis de sponsal. & cap. Vt priuilegia de Priuileg. sed ex his cap. nihil probatur, quoniam facultas, quæ in illis conceditur celebrandi tempore interdicti tribuitur à Summo Pontifice, nos autem loquimur de Episcopo, Calder. assignat rationem diuersitatis, quia locus interdicitur absq; sua culpa, cum sit res inanimata, quæ non delinquit, neque delinquere potest. Quare quando Iudex interdicit locum, interpretandum est interdictum, idest interdicit celebrantes in loco, ideo Iudex postea potest ab hac sententia excipere, quos vult, & subiicere alios iuxta eius voluntatem. Itē quòd celebrantes officia diuina in loco illo sint excommunicati, non alii, item quòd seruent certo tempore interdictum, idest cum Dominus Terræ præsens fuerit, & non aliàs, c. Sanè 2 de offic. deleg. c. Non est vobis de sponsal. sed si persona est interdicta, id fit propter eius culpam, idcirco interdictum suspendi nequit, nam si recessit à contumacia, & satisfecit, absoluendus est, aliàs ad diuina non est admittendus, c. Si qui sunt dist. 81. Dom. Sot. idem tenet dist. 22. q. 3. art. 1. post conclu. 3. Vers. Atqui illud affirmans interdictum suspendi posse ab eodē Iudice, à quo fuit impositum in tota Vrbe, vel in aliqua Ecclesia vel per diē, vel per aliud tempus causa alicuius officii celebrandi, aut defuncti sepeliendi, vel alia legitima, Henriquez lib. 13. c. 51. nu. 4 Nauar in Manua. cap. 27. nu. 165. Vers. Secundò quod, vbi idem videtur cum Decio auertere de excommunicatione, Angel. Interdictum 8. num. 3. Palud. dist. 18. q. 8. art. 2. princip. & 8.

Quamobrem hęc opinio communiter recipitur, nimirum interdictum locale tam generale, quā particu-

A lare posse ab eodem Iudice, qui illud tullit non solùm penitus auferri per relaxationem, sed etiam ad tēpus certum suspendi quoad omnes, vel aliquos effectus, & fauore harū vel illarum personarū arbitrio ipsius Iudicis, ita vt absque peccato, & irregularitate, ac aliis pœnis celebrari possit, & elapso tempore suspensionis interdictum absque noua sententia redeat cum suis effectibus.

Et idem etiam communiter asseritur de interdicto personali generali quoad eos, qui sine culpa propria interdicto ligantur, quoniam eadē ratio militat, & ita tenent Sylue. dicto § 8. Vers. Similiter si est interdicta, Nauar. Couar. Henriquez locis citatis, neque oppositum sentit Abb. nā in c. Ad hæc quoniam n. 6. negat solùm Episcopum posse suspendere interdictum, B quando persona ea causa proprii delicti est interdicta, secus verò ob delictum alterius, de quo dubitat. Idē in c. Dilectis filiis nu. 22. eodem tit. affirmat simpliciter sententiā interdicti posse suspendi ab ipso interdicēte.

Probatur hæc conclusio, quoniam cēsuræ Ecclesiasticæ ligant ad nutum, & voluntatem ipsius Iudicis eas pronunciantis, ergo sicut Iudex potest simpliciter interdictum auferre, multò magis poterit ad tempus suspendere.

Si dicas, non est minus efficax appellatio interposita post sententiā interdicti, quàm voluntas ipsius Iudicis, si ergo appellatio non suspendit interdictum, ergo neque Iudex poterit illud suspendere. Respondeo C negādo consequentiam, quia quòd appellatio sequēs non suspendat interdictum vel aliam censuram, prouenit ex dispositione iuris communis, quoniam ita expresse prohibuit. Sed quòd Iudex non possit sententiam ab ipso latam suspendere, nullibi reperitur vetitum, licet non legamus in aliquo textu id apertè concessum fuisse; ideo non est par ratio in vtroque casu.

Secundò instabis; quoniam & si pendeat ex Iudicis voluntate ferre sententiam censuræ, tamen postquam illam pronunciauit, non est in eius potestate impedire eius executionem, quia in sententiis Censurarum primus actus non potest separari à secundo, idest substantia sententiæ non potest disiungi ab eius effectu, quia sententia censuræ secum defert executionem c. D Pastoralis §. Verum de appell. consequenter remoueri non potest effectus remanente substantia sententiæ arg. l. Titius ff. de excus. Toto.

Respondeo sensum illius propositionis communiter receptæ ita esse explicandum, nempe sententiam censuræ secum ferre suam executionem, idest per se ipsam absque alio medio executore immediatè parere effectum suum. Verùm in hac executione pendet à voluntate Iudicis, ideo ab illo suspendi potest quoad actualem effectum. Non poterit autem suspendere Inferior, cum non habeat iurisdictionem in Superiorem, neque ab alio pendeat effectus sententiæ, vnde Episcopus caret iurisdictione ad suspendendum interdictum positum à Summo Pontifice, vt notat E Sylue. vbi supra, quòd est accipiendum de interdicto lato à Summo Pontifice per sententiam particularē, vel de interdicto iuris, sed reseruato, aliàs posset suspendi ab Episcopo ex legitima causa, quoniam talis potestas videtur ei concessa ab eodem Iure cōmuni in c. Nuper de sent. excom. iuxta ea, quæ superius dixi.

Tertiò obiicies, nō valet argumentū, Episcopus potest omnino tollere interdictum, quod est maius, ergo potest suspendere, quod est minus, quoniam tollēdo illud totam per relaxationem agit secundùm naturā actus iure concedente, sed suspendendo effectum, vt sentētia

lata

lata non habeat executionem agit contra naturam actus, & iuri repugnare, quoniam cum Interdictum pendeat omnino, sicut & aliæ censuræ ex voluntate ipsius proferentis, sicut totalis relaxatio pendet ex voluntate ipsius, ita & suspensio, quæ nullibi ab ipso Iure prohibita reperitur, vt dixi,

Quartò obiicies, Episcopus non potest priuilegium alicui concedere, vt in Ecclesia interdicta celebret, quia hoc pertinet ad Summum Pontificem. vt inquit Glo. in cap. Ad hæc quoniam Ver. Interdictum in fi. De Appell. ergo neque poterit Interdictum suspendere, quoniam suspensio Interdicti nihil aliud sonat, quàm facultatem celebrandi non obstante Interdicto.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, nam aliud est concedere priuilegium, vt celebretur in Ecclesia interdicta, aliud suspendere effectum Interdicti. Primum non potest Episcopus. vt ex communi sententia tradit Abb. in cap. Ad hæc quoniam nu. 4. De Appell. Nam impertiri potestatem manente Interdicto in suo robore celebrandi est dispensare super lege positiua, quæ prohibet celebrationem tempore Interdicti. Episcopus autem dispensare nequit super Constitutione canonica, sed hæc facultas reseruatur Papæ, qui est auctor sacrorum Canonum: At suspendere effectus interdicti ad tempus, ita vt interim sine peccato, & pœna celebrari possit, non est contra sacros canones, quia nullo iure prohibetur, igitur non opus est dispensatione, vt necessariò recurrendum sit ad Summum Pontificem, sed potest fieri ab ordinario ex officio, sicut ab eodem interdictum omnino relaxari potest, Henriq. lib. 13. cap. 51. nu. 4. Couar. in dicto §. 2. no. 4 in fi.

Hæc igitur opinio mihi videtur probabilior quoad interdictum locale tam generale, quàm speciale & personale generale quantum ad eos, qui non fuerunt culpabiles, nimirum hæc interdicta si imposita sint ab Episcopo, non à Papa, tanquam ab homine per eundē Episcopum suspendi posse, & ita vsu & consuetudine seruatur. Quæ sola consuetudo supposito tacito Papæ consensu potuit hanc facultatem tradere Episcopis, sicut videtur supponere Nauar. dicto nu. 165. & colligitur ex cap. Ad hæc quoniam De Appell. & est communis sententia, vt fatetur etiam ipse Abb. in dicto cap. Ad hæc quoniam nu. 5. De Appell. quam dicit in praxi esse seruandam, maximè post factum, sed ante factum contrariam esse consulendam.

De Interdicto verò personali particulari, vel de personis sub interdicto generali, quæ causam interdicto dederunt, nam hæc duo interdicta æquiparantur, vt aliàs probaui, est maior controuersia apud Doctores, an suspendi possint ab Episcopo, vel requiratur auctoritas Papæ, Sylue. Interdictum 3. §. 8. tenet Episcopum carere facultate suspendendi huiusmodi interdicta, sed id pertinere ad Papam, qui cum sit Conditor iuris humani, potest dispensare, licèt ipse interdictus perseueret in delicto, non quidem in celebratione Missæ, sed quoad alios effectus, Ca'der. in Tract. De Interd. par. 2. nu. 31 in fi. idem tenet; Nam vel persona interdicta satisfecit, vt tenebatur, & tunc penitus relaxandum est interdictum, vel adhuc perseuerat in cōtumacia, & non est admittendus ad diuina, Abb in cap. Ad hæc quoniam in fi. de appella. & in cap. Vt priuilegia de priuileg. nu. 3. prope fi. vers. Et dicit Innocentius.

Contra verò Couar. in cap. Alma par. 1. §. 2. nu. 4. sentit posse Episcopum suspendere ad tempus interdictum personæ latum ob eius propriam culpam, censet enim licèt interdictus adhuc in crimine, & contumacia perseueret, vel pro ea satisfecerit, multa posse accidere, quæ iustissimè valeant Iudicem inducere ad suspensionem hanc temporaneam interdicti constituendam potiùs quàm simplicem eius relaxationem, vel obseruationem: Eiusdem sententiæ videtur Domin. Sor. dist. xx. art. 1. post 3. conclus. vers. Atqui illud, Henriquez cap. 51. nu. 4. Tolet. lib. 1. instruct. Sacerd. cap. 55. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 165. vers. secundo, & in eandem sententiam citat Dec. & eandem tenent nonnulli recentiores.

Hæc secunda sententia est probabilior, & probatur sufficienter ex eodem principio, quo idem confirmatum est de interdicto locali, nimirum quoniam nullo iure prohibetur, ne Episcopus valeat, quando id expedire iudicauerit, suspendere interdictum personale particulare ad tempus quoad omnes, vel aliquos effectus: neque ad hoc necessaria est dispensatio Papæ, quia non agitur de priuilegio perpetuo celebrandi tempore interdicti, quæ Summo Pōtifici est reseruata, sed de Suspensione executionis sententiæ, manente ipsa in suo robore quoad actum primum, quòd pendet ex voluntate ipsius Iudicis. Neque solùm quoad alios effectus potest suspendi hoc interdictum particulare, sed etiam quoad celebrationem Missæ contra Sylue. Per hanc enim suspensionem non conceditur personæ interdictæ, vt si in contumacia & delicto perseuerat, possit sine peccato celebrare, sed tantum ne ratione interdicti, quo obstrictus est, committat peccatum contra præceptum Ecclesiæ, à qua prohibitus est celebrare; Vnde sequitur, vt celebrando non efficiatur irregularis, neque alias pœnas incurrat à Iure latas contra huiusmodi transgressores, & simul contingere potest, vt celebrando nullo modo peccet, si coram Deo iam egit pœnitentiam, & sit paratus obedire, quanuis non dum Ecclesiæ satisfacere potuerit.

Verùm hoc in loco occurrit dubitatio, quoniam hoc interdictum personale, particulare, & Excommunicatio inuicem conueniunt, supponunt enim propriā culpam in persona, quæ aliqua harum duarum censurarum obstringitur, ita vt ferri nequeant, vbi culpa non existat, ergo si tale interdictum potest suspendi, poterit quoque suspendi excommunicatio, quod videtur contra communem sententiam, vel si negemus excommunicationem posse suspendi, necesse erit quoque idem negari de interdicto particulari.

In hac difficultate Nauar. in Manua. cap. 27. n. 165. Vers. Secundo affirmat excommunicationem suspēdi posse, sicut & interdictum. Communis tamen sententia oppositum tenet de Excommunicatione etiam ex his, qui dicunt interdictum posse suspendi: ita censet Sylue. Interdictum 3. §. 9. Vers. Secus in sententia, dicens effectus Excommunicationis nunquam relaxari posse ad tempus, nisi omnino tolllatur, cap. Cum desideres De Sent. Excom. Idem tenet Couar. in cap. Alma par. 1. §. 11. nu. 6. Vers. Secundo. Henriq. lib. 13. cap. 51. num. 4. Abb. in cap. Dilectis nu. 23. De Appell. qui ait ad solum Summum Pontificem pertinere sententiam excommunicationis suspendere, neque conuenire Prælato inferiori.

Ab hac secunda sententia, quæ communis est, non videtur discedendum, præsertim in praxi, & desumitur ex citato cap. Cum desideres De Sent. Excom. Vbi decernitur, vt Excommunicatus non admittatur ad communionem aliorum, neque alij etiam Episcopus possint cum illo communicare ante absolutionem, ergo supponit textus excommunicationem suspendi nō posse quantum ad suos effectus, nam Excōmunicatio est

est poena acerbior & grauior, quàm interdictum, & quoad hanc partem magis odiosa, ideo decenter ab ipso iure dispositum fuit, vt vel omnino auferatur, vel penitus suos effectus sortiatur: & ita tenet Glo. in cap. Dilectis Ver. Suspendendum De Appell. & Glo. in cap. Præsenti Ver. Declaramus in fi. de sent. excom. lib. 6. A

Sed quamuis Excommunicatio verè suspendi nequeat, nihil tamen repugnat, quod ab ea impendatur absolutio ad certum actum vel tempus, quo finito iterum quis sit ipso iure excommunicatus, sicut antea, & hæc vocatur absolutio ad reincidentiam, quam vsus iam diu admisit, vt tradit Couar. dicto §. 11. num. 6. Vers. Secundò, de qua absolutione fusius tractaui in materia de Excommunicatione. Quare excommunicatio & Interdictum conueniunt, quoniam vtraque tolli possunt ad tempus sed diuersimode; Excommunicatio quidem per absolutionem veram, qua dissoluitur vinculū ad tempus, sed includendo tacitè elapso tempore reincidentiam in eandem excommunicationem absque noua sententia; Interdictum verò per suspensionem non sublato vinculo, sed impediendo, ne omnes vel aliqui effectus sequantur arbitrio ipsius ferentis. B

Postremò supposita suspensione Interdicti oritur non contemnenda quæstio; Vtrùm si durante huiusmodi suspensione interponatur appellatio a sententia interdicti, suspendantur effectus interdicti etiam transacto tempore suspensionis, ita vt talis appellatio vim habeat prorogandi suspensionem vsque ad finem causæ. C

Calder. in Tractatu De Interdicto par. 2. nu. 3 x. tenet non posse suspendi effectum interdicti elapso tempore suspensionis per appellationem interpositam durante tempore suspensionis, reddit rationem, quoniam suspensio respicit actum & executionem sententiæ, quæ manet in habitu, ideo per appellationem sequentem non potest suspendi, vt in cap. Ad hæc quoniam De Appell. & clarius in cap. Dilectis filiis eod. tit. vbi statutum est non tenere sententias excommunicationis, & interdicti latas post legitimam appellationem; Igitur si tales sententiæ pronunciatæ sunt ante appellationem, sicut accidit in terminis propositis, suspendi nequeunt, sed ipsemet obiicit contra ex eodem cap. Dilectis, quoniam ex verbis illius potius videtur oppositum probari posse, nam ibi Summus Pontifex declarat irritum, & inane interdictum executioni traditum post appellationem interpositam tempore, quo interdictū suspensum fuerat à Decano; Respondet, quod ibi lata fuit sententia interdicti sub conditione; Vnde Appellatio interposita ante conditionis euentum, potuit impedire, non suspendere effectum sententiæ interdicti. Idem etiam sensit Innoc. in cap. Cum inter De Consuet. qui refert Abb. in cap. Ad hæc quoniam num. 5. Vers. Quod tenet etiam De Appella. & fatetur hanc opinionem esse valde probabilem. D

Contrariam sentētiam tenet Io. Andr. in dicto cap. Ad hæc quoniam, & Host. & in hanc propendit Abb. num. 5. ibi in fi. & in cap. Dilectis filiis num. 22. eodem tit. maximè propter verba eiusdem cap. Dilectis filiis, ex quibus apertè colligitur sententiam interdicti in locum latam posse suspendi per ipsum Iudicem, & durante suspensione interponi posse appellationem, quæ vim habeat retinendi suspensam ipsam sententiam vsque ad finem causæ, & licèt aliqui interpretati sint illum textum de cessatione à diuinis, non de interdicto, tamen inquit Abb. oppositum apparere ex ipso textu, cum expressè loquatur de sententia interdicti, ibi, *Decanus non potuit post hoc sententiam ferre interdicti*, Deinde Summus Pontifex non diceret, *Ideo sententiam ipsam ab eo post appellationem legitimè promulgatam irritam decernimus & inanem*, sed potius dixisset, sententiam talem fuisse iniustam, & irrationabilem cum cessatio sit quid facti, vt notatur in cap. Si Canonici de off. ordin. lib. 6. & ita tenet Io. de Ligna. in eod. cap. Dilectis filiis, & Feder. de Senis cons. 228. & Rota Decis. 434 de sent. excom. in Nouis, Glo. in dicto cap. Ad hæc quoniam Ver. Interdictum, & in cap. Dilectis, Ver. Suspendendum de appell. est ambigua, vt minimè intelligi possit, quam partem amplectatur, & videtur dubitasse de decisione huius quæstionis, vt bene animaduertit Abb. in dicto cap. Dilectis. Hæc opinio Io. Andr. est communior, & videtur mihi probabilior, tum quia videtur clarè desumi ex dicto cap. Dilectis, vbi apertè significatur, quod interdictum locale potest suspendi per ipsum promulgantē, & durante suspensione potest appellari ad effectum suspendendi executionem sententiæ, tum etiam quoniam ideo appellatio post censuram latam non suspendit executionem, quia ipsa sententia secum trahit executionem, ergo si executio sit suspensa, locum habebit appellatio.

CAPVT VI.

Vtrùm Interdictum possit relaxari ad cautelam.

Quæstio est apud Doctores, an in interdicto locum habeat relaxatio seu absolutio ad cautelam, sicut in excommunicatione, vt explicatum est in materia de excommunicatione.

Ad maiorem declarationem eorum, quæ dicenda sunt, videndum est, quid significetur per absolutionē ad cautelam, nam Henriquez lib. 13. cap. 51 num. 4. & nonnulli alij putant relaxare ad cautelam esse absoluere sub conditione, nempe si satisfeceris, relaxo interdictum, quod videtur falsum, nam certum est apud omnes Doctores, & ex tex. in cap. Solet de sent. excom. lib. 6. Absolutionem ab excommunicatione posse dari ad cautelam, & tamen secundum communem opinionem non potest dari sub conditione de futuro, si satisfeceris, quoniam absolutio non debet manere in pendenti. Quare relaxare ad cautelam est absoluere ab excommunicatione, vel interdicto, quando prætenditur sententia nulla, exempli gratia, asserit quis fuisse post appellationem excommunicatum, vel positum interdictum, & petit ad cautelam absolui ab excommunicatione, & interdictum relaxari, vt notat Glo. in cap. Præsenti in princ & Ver. Ad cautelam de sent. excom. lib. 6. & ita dicit Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 20.

Supposita præmissa declaratione ad quæstionem dicendum est primò certum esse ex communi sententia Doctorum interdictum generale loci non posse relaxari ad cautelam, & probat ex dicto cap Præsenti de sent. excom. lib. 6. Vbi Gregorius Decimus in Cōcilio generali Lugdunensi ita decernit, *Præsenti generali declaramus edicto beneficium relaxationis ad cautelam quoad interdicti sententias in Ciuitates, Castra, vel quælibet alia loca, siue Terras aliquas generaliter promulgatas locū aliquatenus non habere*. Vbi Glo. in princ. differentiam esse inter excommunicationem & interdictum in hac parte, nam quando dicit sententiam cōtra se latam fuisse nullam, & petit absolutionem ad cau-

cautelam, est audiendus, vt dicitur in cap. Venerabilibus De Sent. Excom. lib. 6. Vbi verò quis affirmat Interdictum esse nullum, & petit relaxari ad cautelam, non est audiendus, quia talis relaxatio non habet locũ in Interdicto, sed differenda est absolutio vsque ad finem causæ. In hac conclusione conueniunt omnes; Anchar. in dicto cap. Præsenti nu. 2. Vers. Tertio quæro, Franc. nu. 2. Gemin. nu. 2. Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu. 21. Sylue. Interdictum 3. §. 14. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. nu. 5. Nauar. in cap. Cum contingit Remed. 6. nu. 3. Henriquez lib. 13. cap. 51. nu. 4. Omnes tandem ex dicto cap. Præsenti concludunt interdictum generale loci non posse relaxari ad cautelã; Ideo si quis dicit illud nullum, antea expedienda est causa, quàm relaxare interdictum. Quod si à Iudice concedatur, talis relaxatio erit nulla ex sententia Glo. vlt. Ver. Non habere in dicto cap. Præsenti, & est simile cap. vni. De his quæ vi metusuè cau. fin. lib. 6. & probatur ex verbis textus, ibi, *Locum aliquatenus non habere*.

Glos. in eodem cap. Præsenti refert varias rationes, quas diuersi Doctores inuestigarunt ad ostendendum causam, propter quam Papa statuerit, vt excommunicatio potiùs tolli possit per absolutionem ad cautelã, quàm interdictum, nam cum excommunicatio & interdictum pari gradu ambulent cap. Ad hæc quoniam De Appell. cap. Medicinalis de sent. excom. lib. 6. cum aliis citatis per Glos. Idem ius videbatur decernendũ de vtroque. Explicanda est igitur aliqua ratio discriminis; Aliqui non inuenientes rationem vllam differentiæ, reduxerunt totam in voluntatem Summi Pontificis, quia sic placuit Gregorio Decimo auctori dictę Decretalis, quæ ratio reprobatur ex textu, vbi ponitur verbum, *Declaramus*, Aliqui dixerunt hoc factum fuisse, vt magis timeretur interdictum; Alij verò ne finis huius negotij esset principium alterius. Sed cum hæc absque ratione voluntariè proponerentur, Glos. affert quartam rationem, nempe ideo statutum fuisse, vt excommunicatio tolleretur per absolutionem ad cautelam, non interdictum, quoniam propter periculum communionis maius periculum imminet in excommunicatione, quàm interdicto; Idcirco enim impenditur in excommunicatione absolutio ad cautelã, vt alij communicando non subiiciantur periculo incurrendi pœnas iuris. Secus verò est in interdicto. Participantes enim cum interdictis non subiiciuntur simili periculo, nam tempore interdicti quædam Sacramenta administrantur, & interdum celebrantur diuina officia cap. Nõ est vobis De Sponsal. cap. Quòd in te De Pœnit. & Remiss. cum aliis, sed contra obiicit Glos. quoniam, vt habetur in cap. Ad præsentiam De Appell. non datur absolutio aliis, vt possint communicare cum Excommunicato, sed absoluitur ipse Excommunicatus, ergo prædicta ratio non militat; Ideo addit aliud esse in Excõmunicatione, quàm in interdicto, quia excommunicatio est mortis æternæ damnatio, ideo decet, vt Excommunicatus quantò citius absoluatur, vt cum sit à Deo separatus per excommunicationem, redeat ad eius vnionem per absolutionem. Per interdictum autem non traditur quis Sathanæ, ideo non est necessaria tanta festinatio. In quibus autem casibus tradatur Excommunicato absolutio ad cautelam recenset eadem Glo. in cap. Præsenti. Accedit, quòd virtute interdicti vnus pro alio patitur, non sic in Excommunicatione. Et tandem, quoniam Excommunicatio non potest suspendi, nisi ex toto relaxetur, ideo in ea locum habet absolutio ad cautelã.

A Interdictum potest suspendi, idcirco non est necessaria absolutio ad cautelam. Hæ rationes Glo. sunt probabiles, & possunt admitti, & fortasse propter dictas causas decretum fuit, vt ab Excommunicatione concederetur absolutio ad cautelam, non ab interdicto; possent etiam aliæ rationes huius discriminis excogitari, sed vera ratio & sufficiens est institutio Summi Pontificis, à quo maximè omnia, quæ Censuris conueniunt, pendent.

Dico secundò huiusmodi interdictum generale loci, quando relaxandum est, antequam de nullitate, vel iustitia causæ constet, simpliciter debere tolli, vel remitti præstita cautione de parendo Iudici ad modum simplicis ab excommunicatione iuxta cap. Cum contingat de offic. Deleg. vbi exprimuntur tres casus B spectantes ad propositam difficultatem quoad censuram excommunicationis. Primi duo continent nullitatem sententiæ, vt si dicatur excommunicationẽ latam fuisse post interpositam appellationem, vel in ea contineri expressè intolerabilem errorem, vt in his casibus ante absolutionem admittitur pars ad probationem. Tertius casus est, quando quis simpliciter opponit iniustè fuisse excommunicatum, & Iudex dicat iustam esse excommunicationem, & postulet admitti ad probandum, tunc Delegatus non debet terminum concedere ad probandum, nisi prius absoluat ab excommunicatione non seruata forma Ecclesiæ, quia licèt postea probaretur fuisse iustè excommuni- C catum, tamen, si peteret absolutionem, esset absoluendus. Eodem modo dicimus tradendam esse relaxationem ab interdicto.

Hinc Nauar. in dicto cap. Cum contingat remed. 6. nu. 3. quamuis concedat generale interdictum regulariter non esse relaxandum ad cautelam, nihilominus addit pati limitationem in eo casu, quando petitur simpliciter ad instantiam partis, ob cuius culpam impositum fuit præstita cautione de parendo Iuri, tunc enim relaxari potest, antequam de nullitate, vel iustitia cognoscatur. Et id probat ex Decis. Rotæ 19. de sent. excom. Antiq. quam citat etiam Felin. in cap. Apostolicæ, num. 6. de except. & reddit rationem D Felin. per hanc absolutionem non perit iustitia partis, quæ interdictum obtinuerat, immo roboratur propter cautionem præstitam de parendo Iuri. Quæ quidem vera sunt, & puto ita seruandum esse in praxi secundùm vsum & communem sententiam Canonistarum. Non crederem tamen ex his inferri posse dictum cap. Præsenti, vbi prohibetur, ne interdictum generale absoluatur ad cautelam, pati limitationem & exceptionem, sicut putat Nauar. quoniam Canonistæ non loquuntur de propria relaxatione ad cautelam, sed de simplici absolutione, quę in eo casu concedit debet ad instantiam partis, sicut in simili casu impenditur absolutio simpliciter ab excommunicatione iuxta dictum cap. Cum contingat De Offic. Deleg.

E Quæret aliquis, an sit relaxandum interdictum generale simpliciter, vt dictum est, quando à parte petitur, si offert se paratum esse ad satisfaciendum, vel cauendum.

Respondeo, quando pars principalis, ob cuius culpam latum est interdictum, offert satisfactionem, admitti debet, & relaxandum est interdictum, quod si satisfactionem offerant alię personæ, quæ non sunt principales, sed fauorem, consilium vel auxilium dederunt, tunc accipienda est satisfactio ab illis, & iniungenda pœnitentia, non tamen relaxandum est interdictum:

ita

ita sentit Palud. in 4. Sent. dist. 18. q. 8. art. 4. princ. vers. Quātum ad decimum nonum, B. Antoni. 3. par. tit. 26. De Interdicto cap. 5. ante fi. Sylue. Interdictum 3. §. 15. Vers. Quartum, & clarius §. 19. Tabie. Interdictum 3. nu. 5. Vers. Quarto; Henriquez lib. 13. cap. 50. nu. 4. in fi. & ratio diuersitatis assignari potest, quia interdictum non debet relaxari, si principalis delinquens perseuerat in sua contumacia, nam ad omnem relaxationem interdicti hoc requiritur, vt colligitur ex cap. Alma, & notauit Sylue. Ver. Interdictum 3. §. vlt. Si autē relaxatio interdicti petatur ab illo, qui non fuit in culpa, neque tanquam principalis causa, neque vt secundaria causa tanquam Consiliarius &c. tunc neque debet relaxari interdictū, neque petetur ab eo cautio de stando iuri, & de satisfaciendo, quia hoc esset iniustum. Ita tradit Gemin. in dicto cap. Præsenti num. 6. Quare interdictum generale loci non potest relaxari ad cautelam, antequam de nullitate, vel iustitia causæ cognoscatur, sicut potest tradi absolutio ab excommunicatione, sed dari potest simplex relaxatio, si petatur à principali delinquenti, delinquenti propter cuius culpam positum fuit præmissa satisfactione, vel præstita cautione de parendo Iudici: ita Gemin. in dicto nu. 6. & Nauar. vbi supra.

Dico tertiò interdictum speciale locale posse relaxari ad cautelam ex communi Doctorum sententia; ita tenet Io. Mona. quem Io. Andr. Domin. & alij sequuntur contra Archid. in cap. Apostolicæ nu. 6. De Except. Nicolaus de Milan in suo repertorio Ver. Interdictum, vbi asserit interdictum loci speciale, si dicatur nullum, posse relaxari per Ordinarium ad cautelam, non autem interdictum generale, quod nō relaxatur, donec veritas innotescat, id est appareat iniustè positū fuisse, & tunc debet in totū relaxari, Calder. in Tract. De Interdicto par. 1. nu. 21. qui licèt primò dicat rem esse dubiam propter difficultatem rationis in assignanda differentia inter interdictum generale, & speciale loci, tamen putat probabiliorem esse opinionem Io. Mona. quòd tria interdicta, scilicet speciale loci, generale, ac speciale personæ, conueniant quoad relaxationem cum Excommunicatione, vt sicut Excommunicatus absolui potest ad cautelam, ita quoque illa tria Interdicta relaxari possunt ad cautelā, Nauar. in dicto cap. Cum contingat Remed. 6. num. 4. Couar. in cap. Alma par. 2. §. 2. num. 5. Sylue. Interdictum 3. §. 14. magis in hanc sententiam inclinare videtur, Tabie. Interdictum 3. nu. 5. Vers. Quarto, Henriquez lib. 13. cap. 29. in fi. Itaque est communis opinio, & ita seruat vsus Curiæ Romanæ, vt testatur Felin. in dicto cap. Apostolicæ nu. 6. De Except.

Probatur, quoniā in cap. Præsenti De Sent. Excom. lib. 6. prohibetur solum, ne interdictum pronunciatum in locum generaliter relaxetur ad cautelam, ibi, *Generaliter promulgatas*, ergo hæc dispositio non est extendenda ad interdictum latum in locum specialem, vt in Ecclesiam, quare cum regula sit, quod tolli possit ad cautelam censura, quæ est nulla, vt in cap. Per tuas, & cap. Venerabili, & ibi Glo. Ver. ad cautelam De Sent. Excomm. cap. Solet eod. tit. lib. 6. Igitur seruanda est semper præterquam in casibus exceptis ab ipso Iure, cap. Cum apud De Sponsal. & alibi, sed in dicto cap. Præsenti excipitur tantùm Interdictum generale loci, ergo speciale relaxari poterit ad cautelam.

Sed obiiciet quis, quoniam prohibitio Iuris, quæ vetat ne Interdictum generale locale relaxari debeat ad cautelam, quia scilicet non imminet graue periculum spirituale, sicut in Excommunicatione, propter

A eandem rationem debet comprehendere interdictum loci particularis.

Respondent Calder. & Felin. posse assignari aliquā differentiam inter vtrunque interdictum, prima est, quia particulate latum fuit ob culpam Prælati aut Capituli, ideo absolutionē petere possunt, sed interdictum generale afficit etiam Innocentes cap. Non est vobis De Sponsal. Secunda ratio est ex Rota Decis. 9. De Sent. Excom. in Nouis, quia in Interdicto generali celebratur ianuis clausis iuxta cap. Alma §. Adiicimus De Sent. Excom. lib. 6. Administrantur Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, dicto cap. Non est vobis, admittitur prædicatio, cap. Responso De Sent.

B Excom. Non sic in Interdicto certæ Ecclesiæ, in qua si prædicta exerceantur, violaretur interdictum, & exercentes efficerentur irregulares cap. Is cui De Sent. Excom. lib. 6. cap. Si Sententia eod. tit. & lib. Latè in cap. Tanta De Excess. Prælat. ergo plurimum differt generale interdictum à particulari, in quo ex consuetudine Palatij Apostolici semper datur absolutio ad cautelam dicturis de eius nullitate.

Dico quartò multò magis affirmandum esse interdictum personale tam generale, quàm particulare, posse relaxari ad cautelam.

Probatur primò quoad interdictum generale; Nam vt dixi, seclusa Iuris prohibitione quodlibet interdictum relaxari posset ad cautelam, sicut Excom-

C municatio, sed ius tantum vetat in Interdicto generali locali, ergo reliqua interdicta ad cautelam possunt relaxari.

Confirmatur, quoniam sicut Doctores solùm excipiunt locale speciale, quia textus in dicto cap. Præsenti tantùm loquitur de generali; Ita licebit excipere quodlibet personale etiam generale; Nam textus loquitur tantum de locali. Fauet etiam ratio adducta superius sicut enim propter periculum traditur absolutio ad cautelam eb excommunicatione, ita potest relaxari interdictum personale generale; Nam homines interdicto suppositi non possunt recipere Sacramenta, donec absoluantur præsertim quando fuerunt in culpa. Ita sentit Io. Andr. vt refert Franc in cap. Præsenti num. 5. Calder. De Interdicto par. 1. num. 21.

D Henriquez lib. 13. cap. 29. in fin. Idem tenet Glo. in eod. cap. Præsenti Ver. Generaliter; Vbi quærit, quid dicendum, si interdictum feratur non generaliter in locum, sed specialiter in personam, & in margine additur idem, si feratur generaliter, puta in Vniuersitatem seu Collegium, & respondet, quod bene tradi potest relaxatio ad cautelam. Idem inquiunt ibi Gemin. & Anchar.

Quantum verò ad aliam partem conclusionis de interdicto personæ particulari, quod relaxari possit ad cautelam, res est magis indubitata, cum ab omnibus admittatur, licèt enim aliqui dubitent de interdicto speciale loci, & de personali generali, omnes ta-

E men fatentur interdictum speciale personæ posse relaxari ad cautelam, quando dubitatur de nullitate, & iniustitia sententiæ, sicut eodem modo absolutio tradi potest ab Excommunicatione.

Probatur primò ex cap. Qua fronte De Appell. Vbi respondet Papa ad quæstionem ei propositam; Vtrùm si quis conqueritur fuisse irrationabiliter excommunicatum, aut interdictum, & nihilominus offerat se paratum ad id, quod iustitia dictabit, & petat absolutionem, debeat absolui, si pars aduersa appellauerit, & respondet posse in hoc casu absolutionem dari, etiam si pars aduersa duxerit appellationem; Vbi sermo est

de

de interdicto personæ speciali, & impenditur absolutio cautione recepta de parendo Iudici, antequam absoluatur causa de nullitate & iustitia sententiæ: & hæc est absolutio ad cautelam, de qua modo pertractamus, & quanuis Rota in Antiq. Decis. 16. & seq. De Sent. Excom. vt refert Felin. in dicto cap. Apostolicæ nu. 6. De Except. & Nauar. in cap. Cum contingat Remed. 6. nu 5. De Rescript. dicat non bene adduci c. Qua fronte ad probandam hanc conclusionem, quia in dicto cap. Papa interrogatur de Excommunicatione & Interdicto, & respondet solùm quantum ad excommunicationem, tamen Felin. & Nauar. ex sententia Domin. respondent decisionem Summi Pontificis referendam esse ad excommunicationem & interdictum, & probatur ex verbis textus, cum ait, *Illud idem dicimus*, quæ verba absolutè prolata referuntur ad vtranque Censuram immediate ante propositam. Et quanuis addat, *Qui huiusmodi protulerunt sententiam* in numero singulari, non exprimit tamen excommunicationem, sed indefinitè loquitur, & sic verba vniuersaliter intelligenda sunt, vt responsio consentanea sit interrogationi immediatè propositę, pręsertim posita dictione illa, *Huiusmodi sententiam*, quæ, vt notant Doct. citati, vim habet referendi dispositionem ad omnia præcedentia ex Glos. in Ver. Huiusmodi in Prohemio lib. sexti Decr. & Glo. in cap. Nemo deinceps, Ver. Huiusmodi De Elect. lib. 6. Accedit, vt inquit Nauar. quòd in dicto cap. Qua fronte quæsitum fuit de excommunicatione & interdicto. Et licèt responsio esset de sola absolutione excommunicationis, ex sufficienti rationis paritate dicendum esset voluisse Papam idē disponere de interdicto arg. cap. 2. De Transl. Prælat. & l. Illud ff. Ad leg. Aquil. Si contra obiicias, quòd qui de vno dicit, de alio negare videtur cap. Nō ne de Præsumpt. & l. Cum Prætor, ff. de Iudi. Respondeo tunc præsumi posse eum, qui de vno dicit, de alio negare, quando illud aliud est dissimile, secus si est simile secundùm Domin. in cap. Qualis dist. 25. & Glo. in cap. Si tibi absenti de Præben lib. 6.

Secundò eadem conclusio probatur in dicto cap. Præsenti Ver. Generaliter de sent. excom. lib. 6. Vbi expressè respondet interdictum speciale in personam posse absolui ad cautelam, & ad hoc citat iura & Doctores.

Tertiò ad idem facit ratio, quoniam homini specialiter interdicto denegantur omnia Sacramenta, sicque eadem militat ratio sicut in excommunicatione, sed excommunicatio relaxatur ad cautelam, igitur & tale interdictum personale.

CAPVT VII.

Vtrùm sint alii modi, quibus Interdictum relaxari possit, & de forma seruanda in relaxatione.

Dubitari potest, an præter modos explicatos dentur alij modi, quibus interdictum intelligatur sublatum, si ab eo non seruetur, qui illud tulit, & pro parte affirmatiua afferri potest cap. Dilectis De Priuileg. Vbi Innocentius Tertius declarat non teneri aliquos ad seruandum interdictum, si ille, ad cuius fauorem latum est, illud non seruat; Vtrùm si parte non seruante interdictum, intelligatur relaxatum: ob hanc enim causam alij non tenentur illud seruare, ergo multò magis id videtur asserendum, quando non seruatur ab ipso Iudice, qui illud pronunciauit, ex cuius voluntate pendet quoad omnes effectus, nam omnes Cen-

A suræ pendent ab ipso Proferente, & omnem vim accipiunt ad nutum, & voluntatem iudicis proferentis, cap. Veniens 2. De Testi. cap. Significasti, de eo qui dux. in matrim. quam pollu. per adulte.

Ad hanc difficultatem respondeo dicens primò, si Iudex, qui interdictum imposuit, illud non seruat, ex hac causa non censeri relaxatum interdictum, nisi aliud constet de voluntate iudicis; Vnde sequitur, vt celebrando neque ipse Proferens, neque alij excusentur ab irregularitate. Ita sentit Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. nu. 59. Syluе. Interdictum 3. §. 12. Vers. Sed vbi; Tabie. interdictum 3. nu. 8. Vers. Septimo, B. Antoni 3 par. Sum. tit. 26. cap. 3. in princ. Vers. Item si proferens, Henriquez lib. 13. de interdicto cap. 50. num. 4. Ratio est, quoniam sicut interdictum verbis
B latum fuit, ita & verbis tolli debet cap. 1. de sent. & re iudi. lib. 6. Quare licèt iudex mente gereret velle relaxare interdictum, hoc non sufficeret, nisi verbis hanc voluntatem expressisset, & consequenter celebrando non excusaretur ab irregularitate, quoniam hac irregularitate obstringitur à canone cap. Is qui de sent. excom. lib. 6.

Secundò dico, si iudex non seruando interdictum loci hoc modo intendit interdictum relaxare, quia id antea verbis significauit, tunc censeretur interdictum relaxatum, & consequenter ex celebratione non incurritur irregularitas, & ita tradunt Doctores citati. Et probatur, quoniam ad relaxationem interdi-
C cti non requiritur certa forma, vt inferiùs probabo. & pendet ex voluntate iudicis. Confirmatur, quoniam sublato principali tolluntur accessoria, l. Non dubium C. De Legi. cap. Accedens; Vt si non constet, subditi tamen hoc ignorantes & putantes se violare interdictum, grauiter peccarent propter contemptum cap. Homines 22. q. 2. & cap. Seq. in s ad rationem initio adductam ex cap. Petistis De Priuileg. Respondeo Summum Pontificem ibi loqui tantum in duobus casibus non seruandi interdicti, nempe cum is non seruat, propter cuius delictum latum est, vel ad cuius fauorem est impositum, quare nō est ad alium casum extendendum, cum sit concessum ad modum priuilegij, licèt sit in corpore iuris clausum, vt ibi notat
D Innoc. & Host.

Secundò dubitatur, an ex sola licentia facta alicui à Prælato celebrandi officia diuina in Ecclesia à se interdicta, censeatur relaxare interdictum.

Solutio huius dubitationis dessumi potest ex decisione præcedentis, nam Prælatus tribuens licentiam celebrandi in loco interdicto, ex hoc tantum non intelligitur interdictum relaxatum, quia absolutio interdicti debet esse verbalis, sicut eius impositio. Inferior enim Prælatus subijcitur sacris Canonibus, & debet illos seruare. Si verò Iudex explicet intentionem suam relaxandi interdictum hoc modo concedendo licentiam celebrandi, tunc censetur sublatum interdictum, quoniam ad illud relaxan-
E dum non requiritur præscripta forma verborum, sicut dixi in præcedenti dubitatione. Ita sentiunt, Sylue. Interdictum 3. §. 12. Vers. Si verò ipse, Calder. in Tract. de interdicto par. 1. numero 59. Henriq. lib. 13. cap. 50 num. 4. Diuersa tamen & peculiaris ratio est in Summo Pontifice, nam eo ipso, quòd Papa concedit licētiam alicui celebrandi in Ecclesia à se interdicta præsumitur tollere interdictum secundum Henriq. loco citato. Sed hoc verum esset, si Papa reuera ex concessione dictæ licentiæ intenderet simpliciter relaxare interdictum, quia Papa non tenetur vti verbis

bis in tradenda dicta absolutione, quia non subiacet legibus l. Deinceps ff. de legi. Ideo quando non constat de hac voluntate, non possumus simpliciter asserere ex concessione celebrandi in Ecclesia interdicta facta alicui Papam voluisse relaxare interdictum, sed potius affirmare possumus probabiliter ex sententia Host. quem refert, & sequitur Sylue. suspendere voluisse interdictum quoad illam personam priuilegiatam.

Tertio dubitari potest, an interdictum relaxetur sola intentione, & actu interiori ipsius Prælati intendentis absoluere ab interdicto, si id minimè verbis exprimat.

Quid sit dicendum ad hanc difficultatem patet ex dictis, si enim loquimur de Episcopis, & aliis Prælatis excepto Summo Pontifice, communiter omnes affirmant sola voluntate & actu interiori non posse relaxari interdictum, nisi talem voluntatem verbis exprimat ob rationem superius adductam, quoniam sicut verbis lata fuit sententia interdicti, ita & verbis relaxatio fieri debet.

Alia verò ratio militat in Summo Pontifice, qui cum legibus suis non sit subiectus, si mente gerat velle relaxare quoduis interdictum, licet id non significet verbis, censetur eo ipso relaxatum, & qui in loco interdicto postea celebrent, non essent irregulares, si tamen hanc Summi Pontificis voluntatem ignorarēt & crederent interdictum durare, certè peccarent, sed non incurrerent irregularitatem, sicut ille tenetur, qui falsò existimat se obstrictum esse vinculo excommunicationis, & ita sentit Calde. in Tract. de interdicto par. 1. num. 60. Sylue. Interdictum 3. §. 12. in fi. Henriquez cap. 50. num. 4.

Probatur conclusio, requiritur voluntas interioris Papæ ad validitatem Censuræ, ita vt non sufficiant signa exteriora, si desit voluntas interior. ergo quando Papa non vult, vt interdictum vim habeat, vtique cessabit, quamuis Papa id dicat sola locutione interiori. Vnde qui egerit contra tale interdictum, peccabit quidem, quia non constat de interiori voluntate Papæ, sed non incurret pœnam positam contra violatores interdicti.

Si obijcias potestas ferendi censuras pertinet ad forum exterius, ergo non sufficit sola voluntas, nisi expressa fuerit aliquo signo exteriori ad tollendum interdictum.

Respondeo efficaciam Censurarum oriri ex voluntate proferentis seruata forma exteriori ex dispensatione sacrorum Canonum, si proferens sit Prælatus inferior subiectus legibus canonicis, ideo quia sacri Canones decreuerunt, vt Prælatus imponens vel relaxans interdictum verbis exprimeret suam voluntatē, si solo actu interiori intendat relaxare, non censetur interdictum sublatum, secus est in Papa, qui iuri humano non est subiectus. Vnde sufficit, vt velit interdictum relaxare. Restat, vt loquamur de forma seruanda in tollendo interdicto.

Nulla est expressa in iure certa & solennis forma adhibenda in relaxatione & absolutione interdicti, sicut reperitur expressa solennis forma absolutionis ab excommunicatione, de qua dixi suo loco, & tradit Sylue. Absolutio 3. §. 3. Omnes tamen cōueniunt verba esse necessaria ad tollendum interdictum, sicut etiā ad illud imponendum existimant non sufficere cætera signa & facta, sicut patet ex dictis, quæ hactenus probauimus, quod est commune etiam aliis Censuris. Quod est intelligendum cum illa limitatione, quam

A paulò superiùs declaraui, idest vt facta & signa per se sumpta non sufficiant, nisi coniungantur aliquibus verbis, & cum illis possint complere perfectam significationem voluntatis Iudicis intendentis relaxare interdictum, vt in casu superiùs adducto, si Episcopus non seruet interdictum à se latum: hoc facto & actione exteriori non censetur auferre interdictum arg. cap. Cum desideres De Sent. Excom. quia illa absolutio nullo modo est verbalis, ideo solùm Papæ licet eo modo reuocare interdictum, quia non obstringitur ad servandum ordinarium. At si Episcopus dixisset antea velle interdictum relaxare, cum primùm ipse inciperet illud non seruare, certè actio illa exterior Episcopi celebrantis in Ecclesia interdicta præmissis illis

B verbis, quibus Episcopus interiorē relaxandi interdictum significauit, satis esset ad huiusmodi relaxationem. Similiter si Episcopus interrogaretur ab aliquo, an vellet relaxare interdictū & annueret capite, vel aliis, ex quibus indubitanter colligeretur intentio illius ad relaxandum interdictum quantum spectat ad rigorem iuris, crederem satis esse ad relaxandum interdictum & ad euitandū pœnas violationis, quamuis esset Episcopus redarguendus, vt in re graui esset adeo negligens & leuis, & vteretur ad relaxandum interdictum signis ambiguis & incertis, cum posset absque incommodo verbis voluntatem suam apertè detegere, vt tolleretur omne periculum peccati & pœnarum, præsertim irregularitatis.

C Verba igitur sunt necessaria: non præscribuntur autē peculiaria & certa verba ab ipso iure, quæ semper sint adhibenda ad hanc relaxationem faciendam, sed quæcunque verba sufficiunt, quibus euidenter declaretur voluntas Superioris relaxantis. Regulariter autem & communiter in relaxando interdicto personali Iudex solet vti verbo *Absoluo*, aut alio simili, *vt Reuoco, Remoueo.* Si verò interdictum est locale, vsurpatur verbum *Relaxo. Reuoco, aut Remoueo,* Sylue. Interdictum 3. §. 12. Vers. Sed sufficit. Calder. De Interdicto par. 2. nu. 29. Armill. Interdictum nu. 31. Henriquez lib. 13. cap. 50. nu. 4.

D Præter verba sunt alia requisita ad relaxationem & absolutionem interdicti. Primò enim si quis singulariter interdictus sit pro culpa & offensa manifesta, antequam ei impendatur absolutio, satisfacere debet conuenienter arbitrio Iudicis. Ita statutum fuit ab Innocentio Tertio in cap. Ex parte 1. de verb. signif. verba textus sunt. *Si offensa est manifesta, non credimus satisfieri congrue, vt relaxetur sententia,* loquitur de interdicto, *nisi prius sufficiens præstetur emenda.* Illa autem dicitur offensa manifesta, vt idem Summus Pontifex in cap. seq. Cum olim, *Quæ vel per confessionem, vel probationem legitimè nota fuerit aut euidentia rei, quæ nulla possit tergiuersatione celari.* Calder. de interdicto par. 2. num. 29. Sylue. interdictum 3. §. 12. Si autem

E satisfacere nequit, præstare debet idoneam cautionem, si illam reperire potest; aliàs debet iuratoriam cautionem offerre, Auth. Generaliter, C. de Episc. & Cleri. cap. Per nostras de donat. inter vi. & vxor.

Si verò interdictum non sit latum in singularem personam, sed in locum singularē, seu specialem propter culpam alicuius personæ, vel aliquarum personarum. Idem prorsus est seruandum, vt notat Calder.

Dico secundò si offensa sit dubia, & latum sit interdictum ad instantiam alterius, non debet relaxari, nisi præstita cautione pignoratitia, vel fideiussoria, vt notat Glo. notab. in cap. Quia fronte de appell. & ibi Abb. & Glo. in capit. Ex parte prima, Ver. sufficiens

cum

cum Abb. numero sexto, de verbor. signific.

Dico tertiò si interdictus quis fuit pro nuda contumacia, eo casu sufficit cautio iuratoria de stando mãdatis Ecclesiæ iuxta formam cap. Ex tenore, & c. Cum desideres de sent. excom. arg. c. Venerabili eodem tit. vbi agitur de absolutione à censura suspensionis, ita dicit Abb. in dicto cap. Ex parte 1. nu. 6. in fi. ex sent. Host. de verb. signific. Idem in cap. Ad hæc quoniam num 3. de appell. & Calder. in Tract. de interdicto, par. 2. num. 29 & expressè ita affirmat Glo. in c. Qua fronte Ver. Cautione de appell. dicens cautionem iuratoriam præstari in absolutione secundũ formam consuetam Ecclesiæ, c. Ex tenore, c. Cum desideres de sent. exc. nisi interdictum latum sit pro manifesta contumacia vel offensa; Et hęc cautio iuratoria præstatur in delictis grauioribus, vt significat Henriq. c. 50. n. 4.

Dico quartò, quando interdictũ est generale non speciale, nõ debet relaxari, nisi ante absolutionem seu relaxationem ab his, qui propter eorum delictum & culpam causam interdicto dederunt, satisfactio, vel cautio recepta fuerit iuxta regulas modò traditas, vt notat Calder. num 30. Quare si locus est interdictus, vel Vniuersitas generali interdicto, non est alicuius exigenda satisfactio, nisi illius aut illorum, quorum culpa aut delicto principaliter latum fuit interdictũ. Absurdum enim videretur & durum ab eo exigere satisfactionem, qui nullius culpæ particeps fuit, vt interdictum poneretur, cap. 2. de Constit.

Et est animaduertendum posito generali interdicto loci, vel Vniuersitatis regulariter non esse singularem personam absoluendam, vel circa ipsam interdictum relaxandum specialiter, Calder. dicto nu. 30. Addit tamen Henriquez dicto cap. 50. nu. 4. quòd si multi fuerint culpabiles & pauci ex illis satisfecerint, non manent absoluti, donec omnes satisfaciunt, & absoluantur, dignos tamen esse, vt pro eis relaxetur interdictum, atque hoc modo absoluta sit disputatio de relaxatione & absolutione interdicti.

DISPVTATIO DVODECIMA.

DE INTERDICTIS, QVAE REPERIVNTVR LATA AB IPSO IVRE.



Vperest ad perficiendã vniuersam tractationem de tribus Censuris Ecclesiasticis, quam initio pollicitus sum, vt post expeditam declarationem interdicti, nempe de eius quiditate, speciebus, effectibus, causis, & demum de eius relaxatione, pertractemus de interdictis, quę in corpore iuris habẽtur, vt intelligamus quæ & quot illa sint. Eorum enim cognitio plurimum nobis conferre poterit ad clariorem intelligentiam eorum, quę hactenus disputata sunt de interdicto, sicque prosequar eandem methodum, quam hactenus seruaui in explicandis aliis duabus Censuris. In hac igitur dispu. de omnibus, vel saltem de pluribus, & communiori vsu receptis interdictis ab ipso Iure latis agere proposui. Et primò de personalibus, deinde de localibus.

Caput Primum, De Interdictis generalibus personarum à Iure latis.
Caput secundũ, De interdictis personalibus specialibus Iuris.
Caput tertium, De Interdictis Localibus Generalibus, quæ in Iure habentur.
Caput quartũ, de interdictis localibus particularibus Iuris.

CAPVT I.
De interdictis generalibus personarum à Iure latis.

Plura sunt interdicta personalia, quę habẽtur in Iure lata cõtra Communitatẽ, Populũ, Collegium, quę sigillatim proponam & explicabo. Sed antequam id aggrediar, pręmittendum est vnum, nempe sententiam esse aliquorũ, quoties imponitur à iure interdictũ locale generale, & eadem ratio militare videtur, si imponatur ab homine propter delictũ Vniuersitatis, ferri etiã interdictum generale personale in ipsam Vniuersitatem, ita sentit Sylue. Interdictum 4. §. 2. vbi inquit duobus modis latũ esse à iure interdictũ generale personale, primo in omni casu, quo infertur generale locale propter crimen Vniuersitatis, vt reperitur impositum in multis casibus, de quibus inferius. Secũdo modo, quando ipsa Vniuersitas interdicitur, vt in casibus adductis per Sylue. Idẽ affirmat Nau. in Manua c. 27. n. 169. & vterq; addit hoc dictum verum esse solũ, quando iure interdictũ generale locale fertur propter crimen ipsius populi, aut Vniuersitatis, secus quãdo imponitur ob delictum solius Domini, si nõ exprimatur, & probant ex c. Si sententia de sent. exc. lib. 6. Vbi declaratur, quòd interdicta Ciuitate propter crimen Domini, Ciues nõ interdicti extra ipsam audire possunt diuina. Fundamentũ huius sententiæ illud esse videtur, quoniã interdictum locale vim, & efficaciam habet personalis interdicti in ordine ad eos, qui causam dederunt interdicto, & ob quorum crimẽ impositũ est interdictum. Quare si tota Vniuersitas dedit causam interdicto locali ipsa etiam personaliter remanet interdicta, quæ ratio si efficax est & valida de interdicto locali generali, locum quoque habebit in interdicto particulari, si latum sit propter delictum populi seu Vniuersitatis, sed Sylue. & Nauar. expresserunt id tantum de interdicto generali locali, quoniã ex more & cõsuetudine communi regulariter ob cri-

men totius populi non solet tãtum particularis locus interdici, & idcirco distinguunt, quando interdictum locale generale fertur ob delictum Domini tantum, vel totius Communitatis, quia primo modo non habet vim generalis interdicti personalis respectu totius populi, nisi exprimatur, vt habetur in cap. Si sententia de sent. excom. lib. 6 quia tunc populus non dedit causam interdicto, sed solus Dominus, & ideo ipse solus ex vi illius Censuræ personaliter interdicitur. Secus vero est, quando populus ipse dedit causam tali interdicto.

Hæc sententia videtur satis probabilis, sed declaranda est, vt dicamus per interdictum locale generale ferri etiam consequenter interdictum personale generale, non quidem, vt censeantur interdicti omnes & singuli, ex quibus ille populus componitur, quia contingere poterit, vt plures ex illis sint innocentes, sed erunt interdicti illi soli, qui causam dederunt interdicto, atq; ita illud interdictum personale, quod virtute comprehenditur in interdicto locali, non tantũ vocandum est generale, quàm particulare multiplicitũ seu extensum ad singulas personas, quæ causam interdicto dederunt, & ratio est, quia illud interdictum nõ fertur directè in populum, sed in locum eius, ergo ex vi & forma interdicti non extenditur ad ipsas personas iuxta c. Si sententia. Virtualis autem illa extensio solùm est ad eos, qui culpabiles extiterunt, vt ex eod. c. Si sententia patet, & ideo non comprehẽduntur innocentes; Nam licèt delictum illud dicatur totius populi, tamen à lege, vel ab homine non est latum interdictum directè in populum, sed in locum. Secundariò verò, & ex consequenti in populum, quatenus fuit causa interdicti localis, licq; comprehenduntur tantum illi, qui culpam commiserunt.

Hoc præmisso iam explicemus interdicta personalia generalia, quæ habentur in Iure lata immediatè, & directè in personas.

Primum interdictum huiusmodi desumi potest ex c. 1. de vsur. lib. 6 Vbi Gregorius X. in Concilio generali Lugdunensi, vbi præcipit, ne Collegium, aut Vniuersitas, vel singularis persona cuiuscunq; dignitatis permittat alienigenas cõducere domos in Terris suis ad exercendum vsuras, sed huiusmodi vsurarios manifestos de Terris suis infra tres menses expellant, Contrafacientes vero, puniantur his verbis, *Si personæ fuerint Ecclesiasticæ, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis, minores verò personæ singulares excommunicationis, si autem Collegium, aut alia Vniuersitas interdicti sententiam ipso facto se nouerint incursuros, quam si per mensem animo sustinuerint indurato, Terræ ipsorum, quandiu in eis ijdem vsurarij commorantur, ex tunc Ecclesiastico subiaceant interdicto.* Refert etiam hoc interdictum Calder. in Tract. de interdicto par. 1. nu 52.

Ex quibus verbis intelligimus Gregorium X. contra transgressores illius Constitutionis ferre omnes Censuras, sed non contra omnes personas, nã Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi suspenduntur, de qua suspensione pertractaui in materia de suspensione. Inferiores verò personæ Ecclesiasticæ, atq; etiam Laici excommunicantur. Vniuersitates autem & Collegia interdicũtur, quod spectat ad præsentẽ disputationem.

Notandum est primò ad declarationẽ huius interdicti, quòd delictum illud, in cuius detestationem latũ est interdictum, & aliæ Censuræ enumeratæ, esse peccatum vsuræ, non quomodocunque acceptum, sed sub illa qualitate, idest quatenus publicè exercetur, quasi per modum publicæ negociationis. Nã licèt vsuræ cri-

A men simpliciter, & omni modo sit fugiendum, tamen Summus Pontifex, vt mitius & suauius ageret, voluit pœnis & censuris cohibere publicos fœneratores, vt in dicto c. 1. de vsur. lib. 6. & in Concilio Lateranensi sub Alexandro Tertio par. 1. cap. 25.

Secundò notandũ est, id, quod in textu dicitur, *exercere aut exercere volentes*, quorum verborum ille videtur esse sensus, vt non permittantur vsurarij publici, qui iã exercerunt, & actu exercent hanc artẽ fœneratoriã, neque etiam illi, licèt antea nõ exercuerint, profitentur tamen, & declarant voluntatẽ suã, quòd intẽdũt illã exercere, & inceperũt exequi, quod intendũt.

Tertiò notandũ est non puniri ibi omnes publicos vsurarios, sed tantum alienigenas, & non oriundos in
B talibus Terris. Quare si quis locauerit domũ publico fœneratori indigenæ, non erit interdictus ex vi illius Constitutionis, neq; illius transgressor dicendus erit, quãuis peccet, & possit puniri alijs poenis, Et ratio est quia verba illius cap. expressè limitant Constitutionẽ ad prædictas personas, & non comprehendunt indigenas, licèt illi sint aliis pœnis vsurariorũ puniẽdi, vt ibi notat Glo. Ver. Alienigenas, & assignat rationem, cur Greg. X. voluerit limitare ad Alienigenas hanc legẽ.

Quarto notandũ est nomine alienigenarum cõprehendi etiã Ciues & incolas alibi notos, & alios, qui Ciues, & incolæ non sunt, nã hoc nomen alienigena, seu alienigenus idẽ significat, quòd inter alienos notus, & ideo fortasse ad id indicandum in tex. geminantur
C illa verba, *Alienigenas, & alios nõ oriundos de Terris ipsorum.* Quare etiãsi Ciues sint, sed alibi nati, locum habet Constitutio, vt notat Glo. Ver. Alienigenas, & idẽ tradit Franc. n. 3. & ille dicitur oriundos ex Ciuitate, qui natus in Ciuitate, vel in Vico Ciuitatis, vt dicit eadẽ Glo. & cum ea Franc. & Anchar. Vel cuius pater inde originem duxit, secus autem esset in Auo.

Quintò notandum ex Gloss. Verb. Ad fœnus, & ibi Frãc. Gemin. & Anchar. quod si quis locauit domum alicui Vsurario non ad exercendum fœnus, sed ad solam habitationem, vel ad alium honestum finẽ, dummodo abesset fraus, & dolus, & non intenderet hoc quæsito colore fœnus exercere, in dubio tamen semper locator præsumitur domum locasse ad eum vsum,
D quem consueuit Conductor exercere.

Sexto notandum est ex hoc capite, quod interdicta Vniuersitate aut Collegio, nõ censetur interdicta eius Terra Quare aliud est interdictũ Vniuersitatis ab interdicto, Terræ, de quo in c. Si sentẽtia de sent. excom, lib. 6. vt notat Franc. in § Qui vero n. 2 & superius sæpe dixi. Quare in d. c. 1. de vsur. lib 6. primo interdicũtur Collegia & Vniuersitates ipso facto, deinde si per mẽsem animo indurato sustinuerint, Terræ ipsorum, scilicet Vniuersitatũ & Collegiorum, idest eorum iurisdictioni subiectæ Ecclesiastico subijciuntur interdicto, quandiu in eis ijdem Vsurarij commorantur.

His prænotatis aliqua quæri possunt. Primum est, cum in tex. prohibeatur, ne domus locentur manife-
E stis vsurariis alienigenis ad exercendas vsuras, & deinde adduntur hæc verba. *Vel sub alio titulo quocunque cõcedat.* Quid his verbis intelligi debeat, Glo. Ver. Titulo respondet illa clausula significari quemcunque alium modum concessionis, puta si domus dentur pro pignore vel præcario nomine, vel ex contractu commodati, vel alio simili, immo etiam si absque vllo titulo Dominus sineret vt vsurarius in sua domo exerceret foenus, incurreret poenas dictæ constitutionis, & idem affirmant Franc. & Gemin. super eadem Glo. ex sent. Archid. & Io. Andr.

Sed

Sed dubitat Glo. an sit locus dictæ Constitutioni, si domus vendatur, aut donetur, siue permutetur, vel alio titulo, quo transfertur dominium, & proponit duos modos respondendi; Primus est, vt non comprehendantur illi tituli, quibus sequitur priuatio dominij, quia verbum, *Concedat* quo vtitur textus, videtur denotare solum vsum rei, non dominii translationem; Deinde illud relatiuum *Sub alio* titulo indicat denotari similes titulos ijs, qui expressi sunt, scilicet locationi, & aliis, quibus permittitur tantùm vsus rei. Secundus modus respondendi est, vt illa clausula vniuersaliter explicetur de omni titulo non tantùm de illis, quibus traditur solus vsus domus, sed de aliis quibuscunque etiam dominium transferentibus, si manifestè appareat domum assumi ad exercendum fœnus, quia præsumitur fraude & dolo fieri, vt non conducatur domus, sed alio titulo accipiatur ad euitandas pœnas huius Constitutionis cap. Illo De Pignot. cap. Ad nostram De Emp. & Vendit. Non obstant, quæ contra adducebantur, nam verbum *Concedo*, est generale, & accipitur secundùm naturam contractus, cui adiicitur l. Si vno ff. loca. Et quamuis dictio *Alius* referat similia, tamen in hoc loco extenditur, & amplificatur per dictionem sequentẽ; Quicunque, quæ est vniuersalis: facit, quod notatur cap. vni. De Relig. Domin. super Ver. Cæterorum. Hæc secunda responsio placet Glo. quam ibi sequuntur Franc. & Gemin. & in candẽ sententiam citant Archid. & Io. Andr.

Secundò quæritur super illis verbis, *Si autem Collegium seu alia Vniuersitas Interdicti sententiam &c.* de qua Vniuersitate voluerit significare Summus Pontifex; Verùm de Ecclesiastica vel seculari, difficultatem facit, quoniam in textu antea dicitur, *Si personæ fuerint Ecclesiasticæ*, de inde immediatè additur, *Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi* suspendũtur, minores verò excommunicantur. Item Collegium seu Vniuersitas interdicitur, cum ergo excommunicatio & suspensio referantur ad personas Ecclesiasticas, ergo etiam Interdictum, quasi textus voluerit diuidere personas Ecclesiasticas in singulares & in communes, singulares verò in Patriarchas etiam & in minores. Contra verò cum assumatur nomen *Vniuersitas* absq. vlla distinctione videtur denotari tã Vniuersitas Ecclesiastica, quàm secularis, quoniã generaliter prolata, generaliter intelligi debent, cap. Quia circa De Priuileg.

Gemin. in dicto cap. 1. §. Qui verò n. 4. & ibi Franc. nu. 2. Anchar. nu. 4. Vers. Item aduerte, referunt duas opiniones; Altera est, vt nomine Vniuersitatis significetur communitas Ecclesiastica, quia seculares comprehẽduntur sub illis verbis *Cæterum si laici fuerĩt &c.* Altera est aliorum sentientium verba illa esse intelligenda non solum de Vniuersitate Ecclesiastica, sed etiam seculari, secus enim fatendum esset in dicto c. 1. De Vsur. lib. 6. non fuisse impositam aliquam pœnam aduersus Vniuersitates seculares, si delinquant in hãc Constitutionem, cum tamen prohibitio sit generalis cum impositione pœnæ, nam in §. Cæterum si laici, nõ puniuntur Vniuersitates, sed singulares personæ. Et hæc opinio magis placet Anchar. Sed Gemin. & Frãc. tenent oppositum cum Io. Andr. ob eam rationem, quoniam licèt prohibitio sit generalis, tamen quoad impositionem pœnæ Papa distinguit genera personarum. Cum autem inter Clericos tres ordines dari possint, scilicet Prælatorum, Superiorum, Inferiorum, & Vniuersitatum, ideo de his tribus generibus primò agit, deinde tractat de laicis, siue sint singulares, siue vniuersales, quod indicat dictio Cæterum, quæ est aduersatiua, vt notat Io. Andr. in cap. Cæterum De Rescript. Quare sicut in genera Ecclesiasticorum apposita est pœna non tantùm contra singulares, sed etiam contra Vniuersitates, ita correspondenter censendum est fuisse seruatum in genere laicorum, aliàs dictio Cæterum non cohærenter iungeretur cum verbo *Laici*, nam si voluisset tantùm singulares personas comprehendere, addidisset singulares, sicut cum egit de Clericis. Sed cum Summus Pontifex dixerit simpliciter *Si Laici*, signum est voluisse includere laicos etiam vniuersos, quia indefinita æquipollet vniuersali cap. Vt circa De Elect. lib. 6. & hanc explicationem puto esse probabiliorem, & confirmari potest, quoniam textus voluit grauiorem pœnam inducere contra Clericos, vel Collegia Ecclesiastica, quàm contra Collegia Laicorum, vt patet ex textu, ergo prima pars est interpretanda de Clericis, posterior verò de Laicis, quicunque illi sint, & in quacunque dignitate constituti.

Tertiò quæritur, an pœnæ huius constitutionis extendantur ad eos, qui locant domos Iudæis ad hunc finem, vt exerceant vsuras, videtur enim pars negatiua probabilis, nam Summus Pontifex intendit vsurarum voraginem compescere, quæ animas deuorat, sed Papa non compellit Iudæos ad ea, quæ suarum animarum salutem respiciunt, ergo cum ratio legis locũ non habeat quoad Iudæos, neque etiam dispositio legis locum habebit.

Gemin. in §. Qui verò nu. 6. Vers. Vidi dubitari, plura dicit hinc inde, tandem concludit hanc Constitutionem generaliter prohibere, ne locentur domus exercentibus publicè fœnus, quicunque sint, siue Christiani, siue Iudæi ad tollendam hanc commoditatem, vt retrahantur ab hoc vitio, ne pecuniæ exauriantur per extorquentes vsuras, & quoad hoc Iudæi subiiciuntur legibus canonicis. Vnde in cap. Post miserabilem De Vsur. præcipitur Principibus Christianis, vt compellant Iudæos ad remittendas vsuras Christianis, & donec remiserint, mandatur, vt per excommunicationis sententiam eis omnimoda communio denegetur.

Quartò quærit Glos. super Ver. Quandiu; Vtrũ recedentibus vsurariis à Terris Vniuersitatis, seu Collegij cesset Interdictum Terrarum arg. c. Si qui dist. 81. Vbi de illis, quibus Ecclesiæ ingressus interdictus fuerat dicitur, *Vsque dum pœniteant & emẽdent*, & ibi Glo. Ver. Emendent, inquit, *Ex hoc videtur, quòd sicut tales ipso facto suspenduntur, sic ipso facto per contrarium restituitur eis officium*, & concludit Glos. in dicto Ver. Quandiu, quòd recedentibus Vsurariis cessat Interdictum, & ita videtur dicẽdum, sicut latiùs probaui in Disput. præcedenti cap. 2. & confirmat Gl. ex cap. si. De Matrim. contrac. cont. Interd. Eccles. Vbi Glo. in Ver. Donec separentur notat, quòd cum illa sententia sit ad tempus, tollitur absque absolutione. Sed hoc, quod dicit Glos. falsũm est, nam ibi agitur de Excommunicatione, quæ nunquam tollitur absque absolutione, sed secus est de Interdicto, vt probaui Disput. superiori, & patet ex cap Non est vobis De Sponsal.

Secũdum Interdictum generale personale habetur in cap vni. De Iniur. lib. 6. latum similiter à Gregorio Decimo in Concilio generali Lugdunensi in Vniuersitates, quæ pignorationes, quas vulgaris sermo represalias nominat, concedunt, vel concessas extendunt cõtra personas Ecclesiasticas, seu ipsorum bona etiam prætextu cuiuslis consuetudinis, quæ abusus potius vocari debet, nisi infra mensem eas reuocaue-

rint,& côtra particulares personas infligitur Excommunicatio, verba textus sunt: *Illi autem, qui contrafecerint aduersùs personas Ecclesiasticas easdem pignorationes seu represalias concedendo, vel extendendo ad eas, nisi præsumptionem huiusmodi reuocauerint à concessionis, vel extensionis tempore infra mensem, si personæ singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant, si verò Vniuersitas, Ecclesiastico subiaceat Interdicto.*

Meminit huius Interdicti Calder.par.1.nu.52. Nomine pignorationum, seu represaliarum hoc in loco significatur potestas alicui concessa, vt pro re sibi ab aliquo debita, vel damno illato, valeat auctoritate propria impune rem æquiualentem accipere ab alia tertia persona, quæ in hoc grauatur, cum non sit obligata, neque contra ipsam agatur via Iuris, sed inferatur illi vim.

In hoc igitur cap. prohibentur sub pœnis Excommunicationis, & Interdicti represaliæ contra Ecclesiasticas personas: neque oportet distinguere, an id intelligatur de iustis vel iniustis represalijs, nam cum simpliciter prohibeantur represaliæ contra personas Ecclesiasticas, omnes represaliæ censentur iniustæ, & tanquam tales interdictæ.

Animaduertendum est primò pœnas huius cap. Locum non habere, quando alicui conceditur facultas à Superiore accipiēdi à Clerico suo debitore bona æquiualentia suo debito, nam illa receptio propriè vocari nequit represalia, quæ hoc in loco damnatur, nā opus est ad incurrendum Interdictum vel excommunicationem, vt accipiatur aliqua res à Clerico, qui nihil debeat, sed grauetur pro alio debitore, talis enim modus pignorationis propriè vocatur represalia, quia ita dicitur expresse in textu, & notat Glo. Ver. Prægrauatur in fi. si enim occasione proprij debiti recipitur aliquid à Clerico, non dicitur prægrauari, saltem pro alio, sicut loquitur textus, sed pro se ipso, præsertim cum sit Constitutio pœnalis, & ideo restringenda cap. Statutum De Elect. lib. 6.

Animaduertendum est secundò tale Interdictū vel excommunicationem incurri non solùm si concedantur represaliæ contra Clericos, sed etiam si ad eos extendantur, vt in textu dicitur. Vnde Glos. Ver. Extendi, ponit differentiam inter concessionem & extensionem, nā Superior dicitur concedere; Ille verò, cui conceduntur, illas extendit. Nam Superior concedit represalias contra Ciuitatem, illa verò cui concedūtur, dicitur extendere, si executioni illas tradit contra personas Ecclesiasticas & bona ipsorum.

Tertiò animaduertendum est Censuras huius cap. non ferri simpliciter, sed sub conditione: *Nisi præsumptionem huiusmodi reuocauerint à concessionis, vel extensionis tempore infra mensem.* Quam limitationem Glo. Ver. Mensem intelligit habere locum, si infra mensem ad executionem concessionis represaliarum non procedatur, nam si infra mensem pro alio persona Ecclesiastica pignorata fuerit, iam talis executor obstrictus erit censuris l. si tamen ff. Ad Maced. cap. Ex parte Decani De Rescript. idem tenet Gemin. in fi. & Franc. Sylue. Excommunicatio 9. §. 63. & probant hanc sententiam, quoniam vbi lex punit actum & eius executionem, tunc trahitur ad actum habentem originem ante ipsam Constitutionem, si habeat executionem ad futurum, facit Glo. in Clem. Vt hi qui, Ver. In posterū De Aeta. & Qualit. & Glo. in c Licet Canon Ver. De Cætero De Elect. lib. 6. cum Franc. ibi n. 3. & alijs Doctoribus. Confirmatur, nam quando à lege imponitur pœna agenti actum, & assignatur terminus ad reuo-

A candum, vt pœna euitetur, tunc si executio actus fiat pendente termino, incurritur pœna secūdum Domin. citatum à Gemin. & Franc. Itaque in terminis nostris, si ille, qui concesserit represalias durante mense non reuocauerit, sed illas executioni mādauerit, iam est obnoxius censuris, nam assignatur terminus vnius mensis ad reuocandum re integra, antequam procedatur ad actum, & hæc sententia est communis.

Nonnulli tamen aliter sentiunt, quorum sententia est probabilis, nimirum spatium vnius mensis necessarium esse ad incurrendam excommunicationem, & interdictum aptandum suo modo ad concessionem & extensionem, nam post concessionem præfigitur tēpus vnius mēsis, vt reuocetur facultas data, & nisi reuoca- B tio sequatur, cēsuræ incurrūtur. Quare quāuis infra illud tempus ad executionem deueniatur, non censetur consumata contumacia contra hāc Constitutionem, quia illa noluit cohibere hanc concessionem represaliarum per censuras, nisi cum illa temporis conditione. Quòd si executio represaliarum facta fuerit durante spatio mēsis assignati, tunc incipit currere mensis, antequam incurrantur censuræ, qui datur non tantum ad cessandum ab executione, sed etiam ad restituendum damnum illatum, præsumptio enim executionis nō reuocatur per solam cessationē absq; reparatione damni illati. Igitur computatio mensis desumenda est in illis duabus actionibus, scilicet concessione & executione ab illarum initio respectiuè. Su- C perior enim concedendo facultatem represaliarum debet computare mensem ab eo die, quo talem licentiā concessit, & antequam dictus mensis pertrāseat facultatem represaliarum reuocare debet, & nisi id fecerit, censura obstringitur, etiamsi executio non sit inchoata. Similiter Inferior, qui iuxta facultatem habitam Superioris exequitur represalias, debet mēsem computare ab eo die, quo executionem inchoauit, quandocunq; præcesserit concessio siue immediatè siue multò ante, quoniam ipse non afficitur censura post mensem à die concessionis, si executio facta non fuerit, quia adhuc non est transgressus hanc Constitu- D tionem, neque etiam statim commissa executione incurrit censuram, sed elapso mense à die executionis, qui ei assignatur, vt interim resipiscere valeat. Hæc opinio mihi videtur valde probabilis, & textui & rationi consentanea, præsertim cum lex pœnalis non est extendenda plusquam verba in propria significatione accepta permittere videantur.

Tertiò simile interdictum, scilicet personale generale habetur in Extrauag. Saluator de præben. inter communes, contra Vniuersitates, quæ ex certa scientia præsumpserint resistere statutis decretis à Ioanne Vigesimo secundo circa diuisionem Episcopatus Tolosani, verba textus hæc sunt in fi. dictæ Extrauag. *Et nihilominus in eos, qui ex certa scientia contrarium præ-* E *sumpserint, nisi intra octo dierum spacium post publicationem præsentium resipuerint cum effectu excommunicationis in personas, & interdicti in Vniuersitates, suspensionis in Conuentus, Capitula, siue Collegia de consilio & auctoritate prædictis sententias promulgamus, à quibus non nisi per Romanum Pontificem absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo valeant obtinere.* Causa huius interdicti est valde particularis respiciens tantum Ecclesiam Tolosanam, ideo circa illud videtur annotandum breuiter primò, hoc interdictum nō esse latū simpliciter, sed sub conditione, nisi transgressores infra octo dierū spacium à promulgatione illius resipuissent cum effectu, secundò eius absolutionem

fuisse

fuisse reseruatam Papæ; Tertiò ibi distingui Vniuersitatem à Capitulo siue Collegio, nam Vniuersitas interdicitur; Collegium suspenditur. Tandem ex dicta Extrau. cognoscimus causas erigendi Ecclesias, alias aliis subiiciendi, & alias ab aliis eximendi, & similia, ad solum Summum Pontificem spectare, cui ex singulari priuilegio maiores causæ, grauioraq. negotia reseruantur, vt patet ex cap. 1. De Translat. Episcop. cum suis concordantiis.

Quartò fertur Interdictum contra Capitulum, Vniuersitatem, vel Collegium, quod non seruat Constitutionem Ioannis xxij. circa perceptionem fructuũ vacãtium beneficiorum in Extrauag vni. ne Sede vacante aliquid innouetur, vbi in fi. hæc leguntur; *Et si quidquam aliquis prædictorum vltra præmissa perceperit, illudq; his, ad quos pertinebit, intra mensem non restituerit cum effectu, eo ipso, si Episcopus vel Superior Prælatus fuerit, à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ nouerit se suspensum, si autem Capitulum, Vniuersitas, vel Collegium Ecclesiastico Interdicto se nouerit, donec præmissa cum integritate restituerit, subiacere.*

Ad declarationem huius Interdicti aliqua sunt annotanda. Primò animaduertendum est huiusmodi interdictum & alias pœnas in dicta Extrauag. expressas incurri, quantumuis modicum, ac parui valoris fuerit id, quod recipitur contra formam dictæ ordinationis Ioannis xxij. quod indicat dictio illa: *Et si quidquam.* Simile habetur in cap. Quia sæpe De Elect. lib. 6. ibi, *Quidquam de bonis perceperint*, & sic nihil excipitur, sed quantumuis modicum, & exiguum fuerit, quod vsurpatur, censuræ incurruntur atg. cap. Solitę in fi. De Maio. & Obed.

Secundò notandum est circa verba illa, *Aliquis prædictorum* significari illos, quibus ex consuetudine, priuilegio, seu statuto fructus vacantium beneficiorum competunt; Et Glo. Ver. Prædictorum, addit id esse intelligendum, siue illi vsurpauerint dictos fructus contra formam dictæ Constitutionis per se, vel per alios ex eorum mandato, vel aliàs post factum ratũ habuerint, quod eorum nomine gestum erat, seu præstiterint auxilium vel fauorem cap. Cum ad Sedem De Restit. Spoliat. & cap. Quantæ De Sent. Excom. & cap. Cum quis eod. tit. lib. 6. Quare dictæ Censuræ non extẽduntur ad extraneos prædictos fructus vsurpãtes, nisi fortè participes essent cũ prænominatis scienter in crimine criminoso, vt notat ibi Glo. cum enim sit Constitutio pœnalis, potius est coarctanda cap. Statutum De Elect. lib. 6. cap. Si Concubinæ De Sent. Excom.

Tertiò notandum est ex Glo. in Ver. Perceperit, duo necessaria esse, vt Vniuersitas subiiciatur interdicto, vel incurrantur aliæ censuræ huius Extrauag. Primum est, vt percipiantur fructus dictorum beneficiorum vacantium non seruata forma dictæ Extrauag. Secundum est, vt postquam sunt recepti, non restituantur intra mensem cum effectu. Quare si quis non acceperit, licèt aliunde ad eum peruenerint; Vel si perceperit, & restituerit infra mensem, non remanet obstrictus censuris huius Extrauag. Coniunctim enim requiruntur hæc duo, & ideo non sufficit alterum solum. Simile habetur cap. Ex parte, & cap. Olim De Rescript.

Quartò notandum est restitutionem faciendam esse eis, *ad quos pertinebit*, scilicet iuxta dispositionem, & ordinationẽ dictæ Extrauag. vel aliàs, vt inquit Glo. Ver. Ad quos, secundùm ius commune, vel speciale, de quo in cap. Cum vos plerunque in fi. De Off. Ordin. & cap. Præsenti eod. tit. lib. 6.

A Quintò quærit Glo. Ver. Eo ipso, quot dies mensis habere debeat, cui assignatur ad restituendum, vt nõ incurrantur Censuræ, respõdet computandos esse tot dies, quot habebit ille mensis, in quo contingit vsurpatio, puta si accidat mense Februarij, erunt dies 28. si in mense Martij, erunt dies 31. & ita de aliis, quòd si aliqui dies effluxerint ipsius mensis, supponendi erunt ex sequenti. Quæ responsio est satis probabilis, sed probabilius mihi videtur, si dicamus nomine mensis intelligi triginta dies, in hoc enim loco similius est Summum Pontificem voluisse assignare spacium ad restituendum, ne incurrantur censuræ semper idem & vniforme in omni casu, non autem modò longius, mo-
B dò breuius, sicut sequitur ex opinione Glos. & de hac difficultate plenius pertractaui in materia de suspensione Disp. 7. cap. 6.

Quintum interdictum habetur in cap. Clericis de Immun. Eccles. lib. 6. latũ à Bonifacio Octauo contra Vniuersitates, quæ cõtribuunt Laicis in solutione talliarum & Collectarum pro rebus suis vel Ecclesiarũ absque licentia Sedis Apostolicæ sub quocunque prætextu mutui, subuentionis, doni, vel alio quolibet.

Hæc tamen Constitutio est reuocata, nam Benedictus Vndecimus in sua Extrauag. quæ incipit, quod olim de imm. Eccles. limitauit dictam Constitutionẽ Bonifacii, & statuit, vt haberet locum tantum quoad
C Laicos tallias à Clericis exigentes, & dantes illis auxilium, & non quoad soluentes, sed postea Clemens V. in Concilio Viennensi illam penitus reuocauit, & statuit, vt pro infecta habeatur cum suis declarationibus in Extrauag. quæ incipiebat Pastoralis, & hodie habetur inter Clementi, & est c. vni. de Immu. Eccles. & mandat inuiolabiliter obseruari ea, quæ iure antiquo sancita fuerunt super huiusmodi exactionibus ab Alexandro III. in cap. Non minus, & ab Innocentio Tertio in c. Aduersus de immu. Eccles. ita notat Glo. in d. c. Clericis ex sententia Io. Andr. & ibi Anchar. Gemin. & Franc. Similiter Glo. in dicta Clem. vni. de immun. Eccles. cum Card. & Anchar. Quamobrem in explicatione dicti interdicti non immorabor.

D Sextum interdictum desumi potest ex Bulla Cœnæ Domini in Can. 2. Vbi interdicuntur Vniuersitates Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, quæ ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad futurũ Concilium appellant, de hoc interdicto dixi in explicatione dicti Canonis Bullæ, quare nõ opus est hoc in loco aliqua repetere. Illud solum est annotandum, quòd excommunicatio, quæ ibi fertur in eos, qui absoluunt transgressores contra tenorem illius Canonis, non videtur comprehendere illum, qui absoluit ab hoc interdicto. Videtur enim hæc excommunicatio limitata ad eos tantum, qui absoluunt ab excommunicatione his verbis, *Qui beneficium absolu-*
E *tionis impendunt talibus excommunicatione vel anathemate illaqueatis, vel eorum alicui.* De interdicto autem Vniuersitatis nihil dicitur.

Septimum interdictum habetur in Concilio Tridentino sess. 7. cap. 10. vbi fertur interdictum in Capitula Ecclesiarum, quæ *Sede vacante infra annum à die vacationis reuerendas, vt aliqui vocant &c. alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti siue recipiendi occasione arctatus non fuerit, concesserint.* Hæc igitur sunt interdicta generalia personalia, quæ ex iure colliguntur.

CAPVT II.

De Interdictis personalibus specialibus Iuris.

PLura sunt Interdicta personalia specialia, quæ in iure leguntur, quæ in hoc Capite enumerabo & explicabo, & primo loco poni potest illud, quod fertur in cap. Exigit De Censi. lib. 6. contra Episcopos, & Superiores Prælatos, qui ob procurationem seu ratione visitationis legitimè debitū recipiunt aliquid præter id, quod definitum fuit ab Innoc. IV. in c. Romana De Censib. lib. 6. idest, *Super non recipiendis in pecunia procurationibus, ac super receptione munerum visitantibus, eorumq; familiaribus interdicta*, Violatores enim huius constitutionis à Gregorio Decimo in Concilio Lugdunensi generali puniuntur, vt refertur in d. c. Exigit hoc modo: *Alioquin ex tunc Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi &c. ingressum sibi Ecclesiæ sentiant interdictum*. Verùm non imponitur hoc interdictum simpliciter & absolutè, sed sub conditione, nisi tales, qui dictam constitutionem violare præsumpserint: *Duplum tunc quod receperint, Ecclesiæ, à qua id receptum fuerit, reddere distulerint.* Quod temporis spacium in Extrauag. vni. de Censi. inter communes à Benedicto Duodecimo extenditur ad duos menses.

Ad intelligentiam huius interdicti primò notandum est institutum fuisse ab Innocentio IV. in c. 1. de Censi. lib. 6. vt Episcopi & alij, ad quos pertinet suas Diœceses & subditos visitare, in actu visitationis quoad procurationem eis ob huiusmodi visitationem iure debitam tria seruarent. Primum, vt procurationē reciperent tātum à locis visitatis, secundum, vt illam acciperent solum in victualibus, tertium, vt nec ipsi visitantes neque eorum familiares munera reciperent, Hæc omnia confirmantur à Gregorio Decimo in dicto c. Exigit, imposita pœna, quæ non erat adiecta ab Innocentio Quarto.

Notandum est secundò duplicem pœnam imponi contra transgressores, scilicet interdicti, & suspensionis, nam Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur. Inferiores verò ab officio & beneficio suspenduntur, de qua suspensione egi in Tractatu de suspensione.

Notandum est tertio his pœnas correctas fuisse in c. Felicis eod. tit. & lib. à Bonifacio Octauo, qui declarauit nō incurri dictas Censuras, si ij, ad quos ex officio competit visitare à Rectoribus Ecclesiarum & locorum visitatorum sponte, & voluntarie pecuniā receperint pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus diebus illis, quibus visitationis officium personaliter exercebunt, item adijciens, vt non liceat visitanti, nisi vnam procurationem recipere vnica die, siue vnū locum solū, siue plura visitauerit, sed Glo. ibi notat Prælatos hodie obtinuisse dispensationem à Sede Apostolica plura loca visitandi eadem die, & à quolibet integram procurationem recipiendi. Demum Bonifacius Octauus declarat velle, vt cætera à Gregorio statuta in suo permaneant robore.

Notandum quarto, quòd hæ censuræ non habeant locū, si à Prælatis exigātur procurationes in pecunijs ex aliu titulo debitæ, quàm ratione visitationis, puta quæ debentur ratione consuetudinis vel pacti in fundatione vel consecratione appositi, vel ex alio capite, & ratio est, quia id expressè significatur in textu, *Qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam*, & pœnæ non sunt extendendæ.

Notandum quintò ex Glo. Ver. Munera, quòd licèt recipiendo munera incurrantur censuræ prædictæ, tamen id non est intelligendum de munusculis exiguis & minimis. Ratione enim paruitatis materiæ accipiens excusaretur, quamuis decentissimum esset, vt Prælatus ab omni prorsus munere se abstineret, vt se immaculatum seruaret.

Notandum sextò, quòd si quis ob transgressionem huius Constitutionis remanet obstrictus huiusmodi interdicto, si eo durante decesserit, non potest eius cadauer tradi sepulturæ Ecclesiasticæ, & si post interdictum celebrat, irregularis efficitur, vt notat Glo. Ver. Interdictum, nec poterit ab alio, quàm à Papa absolui. Vtrum verò facta restitutione statim sint absoluti sine alia absolutione, difficultas est de qua pertractaui Disputatione præcedenti Glo. Ver. Quousque tenet partem affirmatiuam, & propter dubium satisfactionis inquit sufficere declarationem, citat cap. 1. ad fi. in Clement. de deci. in Glo. sic suspensi. Idem affirmant Gemin. Franc. & Anchar.

Secundum interdictum simile præcedenti, scilicet ab ingressu Ecclesiæ fertur in cap. Episcoporum de priuileg. lib. 6. contra omnes quantumuis exemptos, cuiuscunque ordinis, & Religionis existant, violantes interdictum locale ab homine vel à iure latum, de quo dixi in Disp. 7. cap. 1. scienter celebrando, vel efficiendo, vt alij celebrent diuina in Ciuitatibus, Castris, & Villis, nisi quatenus concessum est à iure, acque etiam contra eos, qui excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt. De hoc interdicto nihil modò occurrit dicendum, cum in dicta Disputatione tertia, satis sit explicatum. Illud solùm annotari potest, hanc prohibitionem non esse intelligendam de omnibus personis Ecclesiasticis, sed peculiariter de exemptis à iurisdictione ordinaria Episcoporum.

Tertium interdictum fertur similiter ab ingressu Ecclesiæ in cap. Præsenti de off. ordin. lib. 6. contra Episcopos, & eorum Superiores, qui vsurpant bona Ecclesiastica aut beneficiorum vacantium ad ipsorum beneficiorum vtilitatem pertinentes, vel ad successores in talibus beneficijs; & hoc interdictum non est simpliciter latum, sed cum conditione, *Quousq; restitutionem fecerint de prædictis*. Ex quibus verbis infert Glo. Ver. Quousq; facta restitutione non esse necessariam aliquam absolutionem, sicut etiam dicit in cap. Exigit de censi. lib. 6. vt notaui superiùs in explicatione primi interdicti, sed consequentia Glo. non valet, immo sequitur, vt ad relaxationem interdicti facta restitutione sit necessaria absolutio, vt probaui præcedenti disputatione, & ita notatur in c. De Muliere de matr. contrac. cont. Interd. Eccles. Facit ad hoc c. Cum desideres, & c. A nobis, 2. de sent. excom.

Et de hoc interdicto nihil aliud occurrit notandū, quoniam cum in eodem textu inferiores Prælati suspendantur ab officio, & beneficio, & de hoc pertractauerim in Tractatu de suspensione inter alias suspēsiones iuris, omnia, quæ pertractanda erant, ibi elucidata fuerunt.

Quartum interdictum simile ab ingressu Ecclesiæ in capit. Sacro de sentent. excommun. vbi per mensem interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, qui excōmunicationis sententiam in aliquem profert competenti admonitione non præmissa, neque personis idoneis præsentibus, a quibus admonitio probari possit, verba textus sunt: *Quòd si contra præsumpserit, etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem vnum sibi nouerit interdictum.*

Ad

Ad declarationem huius interdicti primò adnotandum est, quòd illud non incurrit Iudex omittens competentem admonitionem in proferendis sententiis omnium Censurarum, sed si illam omittat solùm in pronuncianda sententia excommunicationis, cum id exprimatur in tex. *Ne quis in aliquem excommunicationis sententiam.* Pœna autem non sunt extendendæ, & hac in re differt pœna huius textus ab illa, quæ infligitur in c. 1. de sent. excom. lib. 6. de qua statim dicā post explicationem huius interdicti, vbi agitur de forma seruanda in pronunciandis omnibus Censuris. Quæ verò vocetur competens admonitio requisita, alias declaraui, & facile intelligi potest ex cap. Constitutionem, & cap. Statuimus de sent. excom. lib. 6.

Notandum est secundò Iudicem omittentem admonitionem, quanuis sentētiam excommunicationis iustam proferat, manere interdictum ab ingressu Ecclesiæ, vt dicitur in tex. quia tunc dicenda erit iniusta ratione ordinis legitimi non seruari. Nam sententia excommunicationis tribus modis dici potest iniusta, idest ex causa, ex animo, & ex ordine. Quare quanuis causa subsit iusta, propter quam sit quis excommunicatus, tamen si omissus fuit ordo legitimus, sententia vocāda erit iusta ex causa, sed ex ordine iniusta, idem locus erit Interdictus.

Notandum tertiò hoc interdictum durare per mēsem, & elapso mense intelligitur restitutus ingressus Ecclesiæ. vnde differt à superiori interdicto, quia illud latum erat pro contumacia ad tempus incertum, quousque cessaret cōtumacia, qua cessante necessaria erat absolutio superioris. Interdictum autem, de quo agimus positum est ad tempus certum in pœnā peccati præteriti: quare elapso tempore definito cessat pœna absque alia relaxatione, vt probaui latiùs in superiori disputatione de absolutione ab interdicto.

Quærit Glo. ver. interdictum, Verùm talis Iudex interdictus, quoniam sententiam tulerit excommunicationis non præmissa admonitione, possit absoluere dictum excommunicatum à vinculo excommunicationis, & affert duos modos respondendi, sed posteriorem magis videtur probare, nempe talem absolutionem fore validam quoniam Iudex per mensem priuatus ingressu Ecclesiæ iurisdictionem suā retinet.

Quintum interdictum simile ab ingressu Ecclesiæ sumitur ex cap. 1. de sent. excom. lib. 6. vbi Iudex ecclesiasticus, qui in pronunciandis sententijs censurarum non seruat formam ibi præscriptam ab ingressu Ecclesię per mensem vnum, simulque à diuinis officijs suspenditur ad hunc modum, *Si quis autem Iudicum huiusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis nouerit se suspensum.*

Quantum spectat ad hoc interdictum primò animaduertendum est formam præscriptam in hoc capite in ferendis censuris, seruandam esse à quocunque Iudice, etiam si fuerit Sacerdos, vt notat Glo. Ver. Indicū cum Host. Io. Monac. & Archid. & indicant verba textus, quæ sunt indefinita simpliciter, & faciunt sensum vniuersalem, *Si quis autem Iudicum*, Episcopi tantummodo excipiuntur, cum eorum non sit expressa mentio facta iuxta cap. Quia periculosum de sent. excom. & ita notauit Glo. in dicto Ver. Iudicum.

Secundò notanda sunt illa verba, *Temerarius extiterit violator*, quæ vel significant dolum, vel, vt minimum, certam scientiam & directam voluntatem transgrediendi formam in dicto cap præscriptam, vel saltem negligentiam, seu stultitiā, vt inquit Glo. Ver.

A Temerarius, quæ moraliter æquiparetur scientiæ: neque talis transgressio contingat ex aliqua inaduertentia & incōsideratione, & id denotari videtur illis verbis, *Temerarius violator*, quæ æquipollent verbo *Præsumpserit*, quod ponitur in præcedenti interdicto: ita dicunt Gem. ibi. in §. Si quis autē n. 2. 3. & 10. Frāc. n. 3

Tertiò notandum est, quòd quanuis hæc pœna imponatur sub verbo Suspendendi, ibi, *Nouerit se suspensum*, tamen habet vim interdicti, quatenus est ab ingressu Ecclesiæ, ideo non est Censura suspensionis, sed interdicti, nam significatio verbi desumenda est ex materia, de qua agitur, & ex aliis circumstantiis, l. Si vno in princ. ff. Loca. Vbi donationis verbū accipitur pro

B transactione, & ibi Glo. Ver. Transactio, cap. Rogo iuncta Glo. quæ exponit Rogare pro præcipere 11. q. 3. Clem. 1. iuncta Glo Ver. Exhortamur De Testi. Glo. 1. post med. in l. Non videntur data ff. De Reg. Iur. quod etiam locum habet, quando, vt retineamus sensum rei, de qua agitur, opus est intelligere verba in significatione non propria, Deci. in l. Bonorum nu. 15. C Qui admitt. l. Quanquam nu. 4. C. De Milit. Testam. & alibi, ita in hoc loco ex effectu & materia colligimus verbum Suspendo accipi pro verbo Interdico.

Sed obijciet quis ex illis verbis, *Ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis nouerit se suspensum*, Nam illa particula *à diuinis officiis* videtur superuacanea, suspensus

C enim ab ingressu Ecclesiæ videtur priuatus celebratione diuinorum officiorum. Respondeo, si Summus Pontifex non addidisset verba illa *à diuinis officiis*, ille Iudex, qui incurreret hoc interdictū, posset ingredi Ecclesiā, & audire diuina officia, non tamen illa celebrare posset in Ecclesia, sed extra Ecclesiā. Verùm modò, quia est suspensus à diuinis officiis simpliciter, neq. intra Ecclesiam, neque extra eam vllo modo celebrare potest: ita dicit Gemin. in §. Si quis nu. 4. & Franc. n. 1. & ita cogimur interpretari hoc interdictum, aliàs illa clausula à diuinis officiis nihil operaretur, & frustra esset addita. Nam is, cui ingressus Ecclesiæ est interdictus, non potest celebrare in Ecclesia: quare illa particula, à diuinis officiis addita est ad extendendum hoc

D interdictum, vt intelligatur prohibita celebratio diuinorum simpliciter iam in Ecclesia, quàm extra. Et quia hæc priuatio diuinorum non tantùm accipitur actiuè, vt non possit celebrare, sed etiam passiuè, vt nō liceat assistere & audire illa, dum celebrantur. Ideo propriè hæc pœna non est vocanda suspensio, cuius effectus est priuatio ab actiua celebratione diuinorum, sed est interdictum, quod impedit non solùm celebrationem, sed etiam auditionem diuinorum officiorum.

Quartò notandū est hoc interdictū latū esse in pœnā transgressionis dictæ Cōstitutionis editę ab Innoc. IV. in qua præscribitur forma seruanda ab omni Iudice in proferendis sententiis Censurarum, idest excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & fertur ad

E determinatum tempus vnius mensis, & idcirco durante mense non est absoluendus transgressor, quanuis satisfecerit, & pœnitentiam egerit. Secus esset dicendum, si lata esset, vt quis recederet à contumacia.

Sextum Interdictum Iuris accipi potest ex c. Si quis deinceps 16. q. 7. & fertur in eos, qui Episcopatum, vel Abbatiā, aut quancunq. inferiorē Ecclesiasticā dignitatē de manu laicæ personæ receperint. Hæc sunt verba textus, quibus significatur pœna lata in huiusmodi transgressores: *Nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei sit Episcopo. seu Abbati audientia, concedatur. Insuper ei & gratiam B. Petri & introitum Ecclesiæ interdicimus.* & est Gregorij Septimi.

Ad hoc interdictum explicandum primò notandū est verbis relatis declarari actum nullum, & transgressorem non esse audiendum, deinde imponi pœnam, quæ habet duas partes, prima est, quòd delinquenti contra hanc Constitutionem interdicitur gratia B. Petri, secunda est, quòd eidem interdicitur introitus Ecclesiæ.

Secundò notandum est non imponi hanc pœnam simpliciter, sed sub conditione indefinita, *Quousq; locum, quem sub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ, quod est scelus idolatriæ, cœpit, resipiscendo non deserit.* Hinc sequitur hoc interdictum latum esse, vt à contumacia recedatur, sed etiam si quis resipuerit, & dignitatem de manu Laici susceptam dimiserit, adhuc indiget absolutione, sicut in superiori Disputatione de absolutione probatum est, quidquid dicat ibi Glo. Ver. Interdicimus.

Tertiò notandum est ex Glos. Ver. Interdicimus, quòd aliqui existimarunt pœnam huius cap. non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, at oppositum est probabilius, vt ex ipsis verbis apparet, *Introitum Ecclesiæ interdicimus*, Quæ forma verborum continet censuram latam non ferendam. Ita tenet Sylue. Interdictum 4. circa fi.

Quartò notandum est, si quis talem dignitatem Ecclesiasticam de manu Laici receptam re vera non possideat, quia illius possessionem non sit consecutus, nec officium & munus conueniens ratione dignitatis receptæ non exerceat, non subijcitur huic interdicto, sed tunc primum interdictum locum habere incipit, quando dignitatis possessionem adipiscitur, quia tūc complet, & perficit contumaciam & inobedientiam, propter quam illud interdictum latum fuit.

Quinto notandum est interdicere gratiam B. Petri non significare specialem effectum interdicti, sed demonstrare solam inclinationem Apostolicæ Sedis in huiusmodi delinquentes.

Tandem animaduertendum est huiusmodi interdictum extendi etiam ad ipsos Laicos, à quibus Clerici tales dignitates Ecclesiasticas recipiunt. De hoc tex. in cap. Si quis deinceps 16. q 7. aliqua notaui in Tractatu de suspensione cap 5. Disp. 11.

Septimum interdictum habetur in Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. inter communes, vbi Paulus Secundus, *Alienanti bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate ingressus Ecclesiæ penitus est interdictus. Et si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi animo, quod absit, perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ vel Monasterij, cui præsidet in spiritualibus & temporalibus sit eo ipso suspensus.*

Notat Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio c. 75. tria permitti, seu non prohiberi quoad distractionem rerum ecclesiasticarum. Primum est locatio & conductio ad triennium, secundum, contractus emphiteusis cum tribus conditionibus, idest in casibus à iure permissis de bonis solitis concedi, & cum euidenti Ecclesiæ vtilitate, tertium est alienatio fructuum, qui seruari nequeunt, vt frumenti, vini, olei, & similiū, in quibus casibus inquit non incurri pœnas dictæ Extrauag.

Secundò animaduertit Caiet. dictam Extrauag. nō esse vsu receptam apud omnes, & in quibus locis est recepta non æqualiter seruari quoad omnia in ea

A contenta, sed diuersimodè ab aliquibus recipi in omnibus, ab alijs in quibusdam in ea dispositis. Vnde infert obligare tantum in ijs locis & eo modo, quo solet communiter seruari, neque esse damnandam contrariam consuetudinem, quia consuetudo habet vim legis, & potest ei derogare Summo Pontifice sciente, Roch. Curt. in Tract. de consuet. in c. fin. de consuet. Idem affirmat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 150. & citat Sylue. Ver Alienatio quæst. 3. credens dictam Extrau. nullibi omnino receptam esse, quia nemo Inferior Episcopo aut Abbate, qui perseueret in dicta alienatione per sex menses, non censetur priuatus beneficijs ipso iure, vt disponit dicta Extrauag. Similiter non videtur recepta quoad tempus assignatum B locationibus faciendis, nam passim fiunt ad tempus longius; Sed Concilium Trident. sess. 25. cap. 11. de reform. decreuit nullas locationes beneficiorum anticipatis solutionibus valere in præiudicium successorum.

Tertiò notandum est, quòd etiam in illis locis, in quibus dicta Extrau. est recepta, & seruatur, dubitari solet in quibusdam casibus, præsertim locationum rerum immobilium, an incurrantur pœnæ in ea contentæ, de quibus agit Nauar. in Comment. de alienan. rer. Eccles. in princ. & Glos. Summæ 12. q. 2. nu. 15. & sequent. Vbi inter alia declarat dictam Extrauag non loqui de quocunque alienante & locante, sed de præsumente id facere; Lex autem posita con- C tra præsumentem non comprehendit eum, qui absq; dolo vel contemptu bona fide, vel ex simplicitate, & inconsideratione id facit, vt notat Card. in Clemen. 1. quæst. 39. de priuileg.

Octauū interdictum desumitur ex Extrauag. vni. Ne Sede vacante aliquid innou. & fertur contra Episcopos, qui contra dispositionem dictæ Extrauag. bona aliqua beneficiorum vacantium vsurpant, si intra mensem cum effectu non restituant his, ad quos pertinent, est Io. XXII. imponitur his verbis prope finem, *Et si quidquam aliquis prædictorum vltra præmissa perceperit, illudque his, ad quos pertinebit, intra mensem non restituerit cum effectu, eo ipso, si Episcopus vel Superior Prælatus fuerit, à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ nouerit* D *se suspensum.*

Notandum est primò in eadem Extrauag. latum esse interdictum personale generale aduersus Capitula, Vniuersitates. & Collegia delinquentia in eandem Extrauag. ob vsurpationem indebitam bonorum, & fructuum Ecclesiasticorum, donec sublata cum integritate restituerit, de quo interdicto superius dixi, & quæ supra explicata sunt, non opus est repetere. Modò addam solùm aliqua, quæ faciunt ad explicationem huius interdicti particularis.

Notandum est secundo sub illis verbis, *A pontificalibus & ingressu Ecclesiæ nouerit se suspensum*, duas censuras includi, nempe suspensionis à pontificalibus, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ. De hac suspensione E tractaui in materia de suspensione inter alias suspensiones Iuris. Qua in re illud est considerandum, quòd in hoc loco coniunguntur simul hæ duæ pœnæ suspensionis à Pontificalibus, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Cum in c. Quia pontificali de off. Iudi. Deleg. lib. 6. Alexander Quartus decernat dignitati pontificali deferendum esse ob reuerētiam sacri officij, quod exercent, & idcirco à Delegatis Sedis Apostolicæ cōtra eos in pœnis procedendum esse gradatim, vt primo ipsis Ecclesiæ vel Sacerdotale interdicatur ministerium. Sed dici potest decretum illud Alexandri

Quar-

Quarti habere locum in Iudice Delegato à Papa, qui tenere debet modum in puniendo Episcopo, vt progrediatur paulatim ob reuerentiam dignitatis, nisi fortè nimiæ contumaciæ proteruitas aliter suaserit, vt ibi dicitur. Sed alia ratio est de pœna imponenda à Summo Pontifice, qui cum sit supremus Iudex, valet, si ita expedire iudicauerit, quamcunque pœnam infligere in Episcopos.

Notandum tertiò ex vi huius suspensionis à Pontificalibus Episcopum ita ligatum non posse pontificalia exercere in Ecclesia, neque extra eam, sicut in simili notaui supra in declaratione Quinti interdicti, secus esset dicendum, si tantum incurreret interdictum ab ingressu Ecclesiæ.

Nonum interdictum fertur in cap. Si qui sunt dist. 81. contra omnes Clericos in sacris constitutos qui in crimine fornicationis iacent, *Si qui sunt Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei Omnipotentis & Sancti Petri auctoritate Ecclesiæ introitum, vsque dum pœniteant, & emendent.*

Notandum est primo, quòd istud interdictum non imponitur simpliciter, sed sub conditione. *Vsque dum pœniteant*, de qua sæpius locuti sumus, ex qua colligimus hoc interdictum non habere tantum rationem pœnæ propter delictum commissum, sed esse veram censuram latam pro contumacia, quæ eo ipso relaxanda est, quò ea alligatus à contumacia recesserit. Neque credendum per solam pœnitentiam & emendationem esse relaxatum interdictum, sicut censet Glo. Ver. Emendent, ita vt sicut tales ipso facto suspenduntur, ita ipso facto per contrarium restituatur. cis officium, sed necessaria est expressa absolutio Superioris, vt sæpe monui, vel saltem declaratio, seu approbatio, in qua tacitè continetur relaxatio, vt probaui præcedenti Disputatione c. p. 1.

Tandem potest decimo loco inter hæc interdicta specialia personalia connumerari illud, quod latum fuit à Pio Quarto in Bulla Confirmationis Concilij Tridentini in eos, qui in dictum Concilium commentarios aut interpretationes edere absque auctoritate Papæ audent. Sic enim inquit in dicta Bulla post med. Ad vitandum præterea peruersionem, *& confusionem, quæ oriri posset, si vnicuique liceret, prout ei liberet in decreta Concilii Commentarios aut interpretationes suas edere Apostolica auctoritate inhibemus omnibus tam Ecclesiasticis personis, cuiuscunque ordinis, conditionis, & gradus, quam Laicis quocunque honore ac potestate præditis Prælatis quidem sub interdicti ingressus Ecclesiæ, alijs verò &c.*

Quod interdictum latum est simpliciter absque vlla conditione ad tempus futurum, ideo habet vim pœnæ, non Censuræ, & fertur in vindictam ob transgressionem eorum quæ prohibentur in dicta Bulla.

Prohibitio autem hæc est intelligenda hoc modo, nempe vt non promulgentur Commentarij, Glosæ, seu Scholia, aut quæcunque aliæ interpretationes in ipsa decreta Concilii, alias incurruntur pœnæ in Bulla expressæ. Non est autem vetitum, quando de aliqua quæstione disputatur, & explicanda est aliqua sententia Concilij ad eliciendam veritatem, vt quotidie accidit, & patet ex vsu & consuetudine, aliàs nulla controuersia theologica posset dissolui.

Hæc sunt Interdicta personalia tam generalia, quàm specialia Iuris: alia etiam possunt reperiri, sed hæc sunt magis nota & communia, ex quibus possunt declarari alia similia.

Sequuntur etiam quædam interdicta, sed ferendæ sententiæ non latæ, vt cap. Nullus. Vbi prohibetur, ne quis Clericus in quacunque dignitate constitutus tribuere audeat beneficia cum cura animarum alicui sine auctoritate Episcopi, & contrafaciens mandatur interdici ab ingressu Ecclesiæ his verbis: *Si quis verò contra hoc facere, aut potestatem, quæ ad Episcopum pertinet sibi vendicare præsumpserit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* Non est tamen latæ sententiæ, sed ferendæ, ideo de hoc interdicto nihil erit dicendum. Glos. ibi interpretatur de Excommunicatione; sed cum verba sint clara, quæ ab ingressu Ecclesiæ iubent talem transgressorem arcendum fore, ideo nulla ratio persuadere potest esse extendenda ad excommunicationem. Item in cap. Omnis De Pœnit. & Remiss. Vbi qui iam peruenit ad annos discretionis, confiteatur saltem semel in anno peccata sua, & ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum reuerenter susceperit, & ab ingressu Ecclesiæ est arcendus, & moriens christiana carere debet sepultura. Nunc ad interdicta localia transeamus.

CAPVT III.

De Interdictis Localibus Generalibus, quæ in Iure habentur.

PRimum Interdictum locale generale sumi potest ex cap. Quanquam De Censi. lib. 6. Vbi præter Excommunicationem latam in singulares personas, subiicitur ipso facto interdicto Ciuitas, Castrum, vel locus Collegij, aut Vniuersitatis, quæ Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas compellit soluere pedagia, vel guidagia, aut exactiones pro rebus suis, quas causa negociationis non deferunt, vel pro ipsis personis, & est Canon Bonifacij Octaui, cuius tenor quoad pœnam est talis: *Qui verò contrafecerint, si personæ fuerint singulares, Excommunicationis, si autem Collegium aut vniuersitas Ciuitatis, Castri, aut loci alterius cuiuscunque, ipsa Ciuitas, Castrum, vel locus interdicti sententias ipso facto incurrant, nec ab Excommunicatione huiusmodi absolutionem vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.* Et omissa disputatione de excommunicatione, de qua modò non ago, venio ad interdictum.

De quo illud primo videtur adnotandum hoc interdictum esse locale non personale, vt putat Glos. Ver. Vniuersitas, & Calder. in Tractatu de interdicto par. 1. num. 52. Idq. clarè patet ex verbis, *Ipsa Ciuitas, Castrum, vel locus interdicti sententias ipso facto incurrant*, & ita tenet Io. And. Franc. n. 2. in fi. Vers. In Glosa prima, Gemin. nu. 9.

Secundò notandum est hoc interdictum locum habere, siue violetur hæc Constitutio ab Vniuersitate seculari, siue Ecclesiastica, vt intelligit Glo. dicto Ver. Vniuersitas, Gemin. nu. 10. & citat Io. Mona. Archid. & Io. Andr.

Tertiò notandum est has pœnas incurri solùm, cum huiusmodi exactiones recipiuntur ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, *pro rebus suis propriis, quas non causa negociandi deferunt, vel deferri faciunt &c.* Et ita tenet Glo. Ver. Negociandi, Gemin. nu. 6. ex sententia Specul. De Immun. Eccles. in fine, Franc. nu. 4. Anchar. num. 5. Ad idem facit Clement. fin. De Censi. vbi latè Glos. Ver. Negociandi, & addit Glo. quando quæstio oriretur inter publicum Ministrum exactorem, & deferentem rem, quia dubitaretur, an esset Clericus, vel

bona

bona deferrentur negociationis gratia, vel an essent propriè Clerici, vel aliorum in eo casu non esse recurrendum ad Iudicem quia hoc nimis arduum & molestum esset, sed acquiescendum esset iuramento ipsorum deferentium, vel suorum familiarium, si qualitas personarum id exigat, nisi de contrario fides haberetur, facit cap. fin. de Iure iur. Quoad Clericatum verò inquit sufficere si incedat in habitu & tonsura, cap. Si Iudex de sent. excom. lib. 6. & idem tenent Gemin. Anchar. & Franc.

Quærit quis, quando Clericus dicitur deferre bona gratia negociandi, respondent Gemin. numero decimo, Anchar. nu. 5. Franc. in fi. Illum dici propriè negociatorem, qui rem emit, & eandem prorsus integrã vendat cum lucro, Clericis autem prohibita est huiusmodi negociatio.

Notandum est quarto in dicta Clement. fin. de Censi. Clementem Quintum præcipere omnibus Diœcesanis locorum, vt dictas Censuras excommunicationis & interdicti cõtra eos, qui ab Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis gabellas exigũt, à iure latas, postquam ipsis de his constiterit, publicent, vel à suis subditis tandiu faciant publicari, donec illi sic exacta restituerint, & de transgressione huiusmodi satisfecerint competenter, & notat ibi Glo. Ver. Constiterit ad hoc vocandam esse partem, contra quam fit publicatio, vt inquit Glo. in Clem vni. Ver Repererint de offic. Deleg. Posset quoque inquiri ab eo, qui soluit, si ipse non conqueratur, quia hoc beneficium respicit fauorem ordinis Clericalis, non personæ, & agitur de periculis animarum, & præcipuè si factum esset notorium.

Notandum est quintò duo requiri in textu, vt hoc interdictum relaxari possit, idest vt trãsgressores, *exacta restituerint plenariè, & de transgressione satisfecerint competenter*. Eadem repetuntur in dicta Clement. fi. de censi. Ex his infert Gemin. nu. 8. vtrumque requiri, antequam absoluantur, idest restitutionem & satisfactionem transgressoris, nam ponuntur copulatiuè, facit cap. Quoniam in fi. de Immun. Eccles. & capit. Quicunque in princ. de hæret. Neque sufficeret cautio, vt notat Glo. in dicta Clem. Ver. Restituerint.

Quærunt Gemin. Franc. Anchar. cui sit facienda restitutio, & concludunt, si tractetur de restitutione pecuniæ exactæ pro gabella, illam restituendam esse Clerico, si ex bonis patrimonialibus persoluit, Ecclesiæ verò vel Clerico nomine Ecclesiæ, si ex rebus Ecclesiæ persoluit. Si verò tractetur de satisfactione iniuriæ, & satisfactio facienda est Prælato nomine Ecclesiæ, cui censetur facta iniuria, si iniuria illata fit etiam in personam Clerici, quia fuerit per vim detentus, tunc eidem etiam conuenienter est satisfaciendũ; Facta autem restitutione & præstita satisfactione ab hoc interdicto Inferior Prælatus absoluere poterit, quia Papa in dicto cap. Quamquam, non reseruauit sibi absolutionem iuxta regulam, cap. Nuper de sent. excom. & ita sentit Franc. nu. 2. Gemin. nu. 8. ex sent. Archid. & Io. Andr.

Notandum sextò ex Glo. in dicta Clement. fi. Ver. Donec de Censi. quod licet Collegia, & Vniuersitates, quæ exigunt à Clericis & Ecclesijs pedagia, restituant, & satisfaciant iuxta formam dictæ Constitutionis, tamen ad tollendum interdictum necessaria est relaxatio Superioris, & ita fatetur non sufficere satisfactionem, vt à me probatum fuit superiori disputatione, licèt oppositum sentiat pluribus in locis, vt frequenter monui superius, ducta ex illo principio,

A quòd sicut de facto incurritur, ita ex opposito de facto tollitur.

Remanet dubitatio explicanda, an pœnæ latę contra exigentes pedagia ex bonis Ecclesiarum, vel Clericorum, idest excommunicatio & interdictum modò obligent. Sunt enim qui putant non esse consuetudine receptas, ita censet Calder. vt refert Sylue. Interdictum 4. §. 1. Vers. Tertio, sed hæc opinio inquit Sylue. ex mente Archid. non est recepta, primo quoniam & si lex non obliget, nisi moribus vtentium fuerit cõprobata, & abrogetur per contrariam consuetudinẽ §. Leges distin 4. secus tamen est de sententia excommunicationis & interdicti, quæ subitò producunt effectum suum. Secundò quoniam in dicto cap. Quam-
B quam de Censi. lib. 6. supponitur clausula derogatoria, *Contraria consuetudine quorumcunque, quæ dicenda est corruptela &c* Et Anchar. nu. 3. inquit talem consuetudinem esse dicendam corruptelam, quia est contra Ius diuinum, iden nulla consuetudo etiam longissimi temporis valet ad præscribendum contra Clericos, vt teneantur soluere gabellas, de qua difficultate plenè dixi in explicatione Canonis Bullæ Cœnæ Domini; An verò istud Ius exigendi vectigalia præscribi possit contra Clericos est alta quæstio, quam tractat ibi Anchar.

Verùm hæc ratio non videtur efficax, nam licèt nõ possit induci consuetudo valida, vt liceat à Clericis exigere vectigalia, cum hoc repugnet Iuri diuino, ta-
C men nihil obstat, vt consuetudo induci possit, quę abroget pœnam à lege positiua impositam contra exigentes huiusmodi vectigalia, & licet in tex. dicatur nõ obstante quacunque consuetudine, hæc verba tamen referuntur ad ipsum ius exigendi huiusmodi vectigalia, quod nulla consuetudine reddi potest licitum, nec præscribi, cum sit contra Ius diuinum Et quamuis etiam intelligerentur de pœna dictæ Constitutionis, tamen vim haberent abrogandi consuetudinem inductam, antequam promulgaretur lex, non possent tamen impedire, ne in futurum induceretur consue-
D tudo contra legem, præsertim si non adsit clausula decreti irritantis, cuius effectus inter alios est impedire consuetudinem futuram, sic notant Domin. Archid. & alij in c. De beneficio de præben. lib. 6. quos refert Gabr. Commu. conclus. lib. 6. concl, 3. nu. 39.

Quamobrem non videtur dubitandum potuisse pœnas dicti cap. Quanquam abrogari contraria cõsuetudine, si rationabilis fuisset & Papa sciente, censeo tamen talem consuetudinem non vigere, & ideirco dictas censuras in suo obore manere. Et hæc est communis opinio & probabilior.

Secundum interdictum iuris locale generale desumi potest ex cap. Felcis de Pœn. lib. 6. quod pronunciatum est contra eos, qui Cardinales Ecclesię Roma-
E næ hostiliter insequuntur, tales enim excommunicationis & anathematis censura cum aliis grauissimis pęnis feriuntur, & excõmunicatio extenditur ad Principes, Gubernatores, officiales, &c. qui non fecerint prædictam Constitutionem obseruari contra dictos malefactores infra mensem, postquam res ad eorum notitiam peruenerit. Deinde locus, qui talia præsumentibus quouis modo auxilium dederit, vel saltem, sicut ei permissum fuerit, non duxerit puniendos interdicto subiicitur his verbis in fine dicti cap. *Ciuitas verò quæuis alia, præter Vrbem quæ talia facienti, vel facientibus seu præsumentibus in his auxilium, vel consilium dederit, aut fauorem, vel infra mensem saltem taliter delinquentes, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas*

cultas ei affuerit, non duxerit puniendos, pontificali, & supra sit eo ipso dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta. Hoc etiam interdictum refert Calder. de interdicto par. 2. nu. 52.

Quod spectat ad hoc interdictum, primo notandũ est eius absolutionem seu relaxationem non esse Papæ reseruatam, sicut sunt aliæ Censuræ in eodem cap. antea latæ.

Notandum secundo in hoc cap. Ciuitatem supponi interdicto ob duas causas, vt dicitur in tex. Prima est, si talis Ciuitas dederit auxilium, consilium, aut fauorem ei, qui fecerit, vel præsumpserit talia ibi prohibita. Secunda est, si intra mensem saltem taliter delinquentes, vt ei licuerit, non duxerit puniendos. Et quoad primam causam considerare oportet actiones in textu sub illis pœnis prohibitas, & sunt tres, idest insequi, capere & percutere Cardinales. Quare quæcunque Ciuitas dederit auxilium, consilium vel fauorem ad quamlibet istarum actionum, erit interdicta, vt si dederit consilium alicui, vt insequatur Cardinalem, & ille actu insequitur, licèt nõ retinuerit, neque percusserit, tamen erit supposita interdicto, præsertim quia in textu dicitur, *Talia facienti seu facientibus*. Quare hoc interdictum locum habebit si Ciuitas consulerit solum insequendum esse Cardinalem, quamuis non fuerit comprehensus, neque vllum corporale nocumentum passus sit, & hæc insecutio intelligitur de corporali solùm, quæ fit per cursum ad finem eum capiendi, non de morali, nempe per verba calumniosa, per contumelias, falsa testimonia, aut similia. Hostilis enim insecutio, de qua loquitur textus, videtur propriè significare realem insecutionem, & ita omnes interpretantur.

Quod spectat ad secundam causam de tribus, quæri potest primò, quando incipiat mensis, secundò quomodo hæc causa expediri possit spacio vnius mensis, vt qui reperti fuerint delinquentes, antequam dictum tempus decurrat, puniri possint. Tertiò quando Ciuitas dicatur in hoc negligere, vel contemnere, vt remaneat interdicto supposita. Quoad primum plures modi respondendi referuntur ab Anchar. nu. 8. Vers. Decimo octauo nota, Gemin. in §. Quapropter num. 4. Franc. num. 2. Tandem omnes concludunt, quòd hæc Cõstitutio sit pœnalis edita in odium tanti facinoris, quale est insequi hostiliter Cardinales Romanæ Ecclesiæ, hoc tempus mensis assignatum, esse coarctandum, cap. Statutum de elect. lib. 6. & ideo cum rigore computationem faciendam esse de momento ad momentum, & currit à die cuiuscunque notitiæ, etiam per famam habitæ. Quoad secundum dicitur ab Anchar. Iudicem posse coarctare numerum dilationum, vt notat Ioan. Andr. post Innoc. in cap. Vltra tertium de Testi. & tradit idem Anchar. in cap. Venerabilis, & cap. fin. de Iudi. Quoad tertium tunc dicitur Ciuitas negligere, quãdo collegialiter Communitas Ciuium & Rectores Ciuitatis negligunt, l. Iubemus. C. de sacro sanc. Eccles. l. Aliud. §. Refertur ff de Iure iur.

Rursus quæri potest, quomodo Vniuersitas delinquere possit, cum sit persona ficta, & hæc nomina Vniuersitas, Capitulum, Collegia, & similia sunt nomina iuris, non personarum. Respondet Innoc. in c. Granem de sent. excom. lib. 6. quòd Vniuersitas dicitur delinquere, quando Rectores, vel alij aliquod delictũ faciunt de mandato Vniuersitatis totius vel maioris partis, itaut etiam alijs reclamantibus sequatur factum nomine publico Vniuersitatis, quo casu puniri posse Vniuersitatem inquit Innoc. peculiariter pœna

A suspensionis & interdicti c. Non est vobis de sponsal. Vbi pro delicto vnius tota Prouincia interdicto subiicitur. Sic etiam dicit Anchar. in dicto cap. Felicis n. 9. de pœn. lib. 6. Quod delictum tam in omittendo, quam in committendo tribui potest Vniuersitati, & Franc. num. 3. Gemin. num. 5. Et ex hoc loco intelligitur propter delictum Vniuersitatis puniri Ciuitatem, quæ supponitur interdicto non solùm si Vniuersitas deliquerit, verum etiam si negligens fuerit in non puniendo delinquentes, nisi huiusmodi pœna excusaretur ratione impotentiæ, vel difficultatis, vt tradunt Doctores citati, puta si delictum puniri non posset propter potentiam & vires delinquentium, aut ipsorum multitudinem, vel si vindicta sumi non posset B sine magno scandalo, aut periculo. Et probatur ex verbis textus, quæ obligant Vniuersitatem ad sumẽdam vindictam de dictis malefactoribus, si facultas ei affuerit.

Præterea quæri potest, cum in Textu supponatur interdictu Ciuitas, & nulla mentio fiat de Territorio, An sub nomine Ciuitatis comprehendatur Diœcesis, difficultas oritur ex vtraque parte. Et primò pro parte negatiua facit, quoniam Ciuitas, & Diœcesis sunt diuersa cap. Rodulphus de rescriptis, cap. Statutum, §. Cum verò eodem, tit. lib. 6. Ergo pœnalis Constitutio loquens de Ciuitate non extenditur ad Diœcesim, nam pœna non egreditur fines legis, cap. Quæsiuit, de his quæ fiunt à maio. par. cap. Sicut prohibitus in Vr- C be manere commorari poterit in Villis Vrbi subiectis. Pro parte verò affirmatiua facit, quoniam Diœcesis est accessorium ad Ciuitatem, sed accessorium tollitur sublato principali.

Ad hanc difficultatem videtur respondendum hoc interdictum non debere extẽdi vltra verba dictæ Cõstitutionis; quare si Rectores Ciuitatis tantum deliquerunt contra hanc Constitutionem, manere solùm interdictam ipsam Ciuitatẽ, in qua ille Rectores immediatè resident, non reliquũ Territorium seu Diœcesim, quia sola interdicitur Ciuitas. Neque in pœnis & præsertim in Censuris valet argumentum à similitudine rationis; quare etiamsi Magistratus vel Rectores alicuius Terræ in ipsa Diœcesi simile deli- D ctum prohibitum in dicto textu commiserint, tamen Terra illa non remaneret interdicta. Et confirmatur, quoniam quando Summus Pontifex intendit, vt pœna lata contra Ciuitatem afficiat etiam Diœcesim id solet exprimere, vt in Clem. 1. de Pœn. Vbi decernuntur poenæ contra eos, qui corporali iniuria Episcopos offendunt. Et hac habentur ante med. *Ipsius filij per masculinam descendentes lineam &c. reddantur ipso facto inhabiles ad Ecclesiastica beneficia in Ciuitate, & Diœcesi*. Et potest assignari aliqua ratio, propter quam Summus Pontifex potiùs voluerit ratione huius delicti interdicere Ciuitatem, quàm Dioecesim, nempe quoniam verisimilius videtur, quòd ij, qui auxilium, consilium, vel fauorem præsumunt præbere E committentibus enormia scelera in dicto cap. Felicis damnata, sint Ciues & Rectores Ciuitatis potiùs quã inferiores degentes in Oppidis, & Villis Dioecesis, præterquam quod tales inferiores populi possunt alijs modis coerceri magis quàm Ciues, & potentiores.

Tertium interdictum habetur in Clem. 1. de poen quæ promulgata est contra eos, qui personam cuiuscunq; Pontificis corporali iniuria afficere gaudent in qua Clemente hæc prohibentur, percutere temere aut iniuriosè quemuis Pontificem, secundò capere seu banni-

bannire; Tertiò mandare hæc fieri, aut ab aliis facta rata habere, aut esse socium alteri in hoc crimine cõmittendo, vel consilium, aut fauorem dare, aut sciẽter defendere; Apponuntur pœnæ contra delinquentes, & inter alias poena excommunicationis & Anathematis Sedi Apostolicæ reseruatæ, & poena interdicti localis generalis, de quo modò agimus his verbis, *Terra quoque ipsius, dum tamen vltra vnam Diœcesim non contineat, vsque ad condignam satisfactionem eiusdem; nec non locus, aut loca, in quibus captus Episcopus detinebitur, quamdiù detentio ipsa in eisdem durauerit, Ecclesiastico subiaceant interdicto. Quòd si Terra eiusdem duas Diœceses vel vltra contineat, Diœcesis, domicilii principalis ipsius, & illa etiam, in qua fuerit delictum commissum, si sua sit, & duæ aliæ, quæ sub ipso sint eidem loco magis vicinæ, interdicto subiaceant supradicto &c.*

Clemens igitur Quintus subiicit Terram ipsius delinquentis, si non excedat fines huius Dioecesis, interdicto Ecclesiastico, si verò delinquens contineat Terram vltra vnam Dioecesim, tunc declarat Terram principalis domicilii, vel Communitatem esse suppositam interdicto, & illam etiam, in qua fuerit delictum commissum, si fuerit eiusdem delinquentis, & duas alias, quę sub eiusdem dominio sint eidem loco magis vicinas.

Notandum est primò quoad hoc interdictum supponi in dicta Clem. illum, qui sic delinquit in personam Episcopi, esse Dominum seu Rectorem Terræ, cum dicat, *Terra quoque ipsius*, ideo si priuata persona alicuius Terræ tale commiserit crimen, non propterea Terra ipsa remanebit interdicta, quia poenæ non sunt extendendæ, præsertim Censuræ vltra propriam significationem verborum.

Secundò notandum interdici Ciuitatem cum tota Dioecesi, si tota sit ipsius delinquentis, si verò non tota ad eius dominium pertineat, erit interdicta sola pars sub eius potestate posita. Quòd si Terræ sub eius dominio subditæ plures complectantur Dioeceses, tunc primò manebit interdicta Terra, in quo habebit principale dominium, & insuper illa, in qua delictum commissum erit, si sua fuerit, & duæ aliæ viciniores eidem loco, si sub potestate eiusdem delinquentis extiterint.

Tertiò notandum est hoc interdictum non esse simpliciter latum, sed sub conditione, idest Terra ipsius delinquentis, *vsque ad condignam satisfactionem, nec non locus, aut loca, in quibus captus Episcopus detinebitur, quandiu detentio ipsa in eisdem durauerit.* Quare hoc interdictum est ex genere eorum, quæ à Doctoribus vocantur deambulatoria, vt superius monui, quando scilicet interdicuntur plura loca successiue, non enim Episcopus detineri potest simul in pluribus locis captus, sed successiuè id contingere potest, si transferatur ex vno loco ad alterum, sicq; etiam successiuè loca plura interdicuntur. Nomine autem loci in dicta Clem. non intelligitur tota Diœcesis, neque sola domus, in qua capitur Episcopus, prior enim interpretatio esset nimis ampla, posterior autem nimis restricta, sed significatur populus ille seu Terra, in qua Episcopus detinetur.

Quærit Card. in dicta Clement. num. 5. an si Terra occupetur à Tyranno, qui nullum ius habet in ea, remaneat interdicta, cum in Textu dicatur, *Terra quoque ipsius*, & ita supponit pertinere ad iurisdictionem, & dominium ipsius delinquentis. Et respondet in hoc casu non esse interdictam, quia non est sua, nec quoad dominium, nec quoad iurisdictionem, & id probat, addit tamen, quòd si Ciuitas diu ex tacito consensu sustinuit aliquem Tyrannum, itaut videatur tacitè illũ approbasse, pro Domino, tunc teneretur Terra ex facto illius, sicque maneret interdicta, si non contradiceret, cum posset, tunc enim videretur approbare, secus esset, si Tyrannus vi occuparet Ciuitatem, nec Ciuitas resistere posset.

Item quærit Card. ibi nu. 6. an si dicta Terra non sit tantum ipsius delinquentis, sed illam habeat communem cum aliis, maneat interdicta, respondet cum Io. And. distinguendo, quòd Terra vel possidetur cum alio pro indiuiso, vel pro diuiso. Primo modo Terra non erit interdicta, quia non videtur æquum, vt innocens incommodum & damnum patiatur ob crimen alterius. Secundo modo erit interdicta pars Terræ subditæ ipsi delinquenti.

Tertiò quærit Card. nu. 3. & Anchar. nu. 12. cum subiiciatur Terra ipsius delinquentis interdicto vsque ad condignam satisfactionem, similiter Terra, in qua detinetur Episcopus, quousque relaxetur, vtrùm post relaxationem vel satisfactionem intelligatur ipso iure sublatum interdictum, satisfactio respicit læsionẽ, quam passus est Episcopus, si fuit corporali iniuria affectus, in casu verò capturæ durat, quamdiu detentus fuerit.

De hac dubitatione sæpe tractaui, & ostendi necessariam semper fore absolutionem Superioris etiam post condignam satisfactionem præstitam, vel aliam conditionem completam, vel saltem ipsius Iudicis declarationem, per quam constet de satisfactione, & conditione impleta, in qua declaratione virtualiter continetur relaxatio, & absolutio interdicti, & ita videntur post multa concludere Card. dicto numero 3. & in §. Ciuitas num. 3. Vers. Tertio quæro, & Anchar. dicto nu. 12.

Rursus ex eadem Clement. Vers. Ciuitas, desumitur aliud Interdictum, & erit quartum in hoc cap. latum in Ciuitatem, quæ aliquam ex prædictis actionibus damnatis commiserit in Episcopum suum ordinarium, quod sic exprimitur; *Ciuitas autem, quæ præmissa, vel eorum aliquod in Episcopum suum commiserit interdicto, donec satisfecerit, subiaceat memorato.* De hoc Calder. in Tract. de interdicto par. 1. num. 53.

Et primò notandum est hoc interdictum etiam latum esse sub conditione, donec satisfecerit, non simpliciter, & absolutè in pœnam præteriti delicti commissi. Vnde quamprimum condignè satisfecerit pro illata iniuria, potest relaxari interdictum Ciuitatis.

Sed Card. in §. Ciuitas in princ. & Anchar. num. 16. quærunt quomodo in textu dicatur Ciuitas posse præmissa in Episcopũ cõmittere, cũ sit res inanimata, quæ delinquere non potest, & respondent nomine Ciuitatis significari homines Ciuitatis, & inhabitantes in ea, ponitur enim continens pro contento, vt notatur in cap. Tanta de excess. Prælat. & addunt tunc demum teneri Ciuitatem, cum in ea habitantes delinquunt tanquam Vniuersitas, non tanquam singuli, idest cum communicato consilio, & habito tractatu illud faciunt, sicut corpus. Quare si singuli Ciuitatis illud crimen commisissent tanquam singuli, non vt corpus præcedente tractatu & adhibita consultatione, Ciuitas non esset supposita interdicto, quia nõ imputaretur factum Ciuitati, tunc enim Ciuitas dicitur aliquid facere, cum homines simul conuenientes sunt Rei culpæ ob rem factam ex consensu præstito ex professo vel taciturnitate, quia non reclamauerint, secus dicendum est, quando aliqui Ciues committunt, Ciuitate

uitate non consentiente cap. Ad abolendam §. statuimus, Vers. Ciuitas de Hæret.

Secundò notandum est ex eisdem Anchar. & Card. vbi supra hoc interdictum locum non habere, vbi Ciuitas committit aliquid ex his, quæ ibi prohibentur, in Episcopum alienum, quia expresse in textu dicitur, *In Episcopum suum*, & cum sit constitutio pœnalis, non est extensio facienda ab vno casu in alium licèt similem Reg. In pœnis de reg. Iur. lib. 6.

Tertiò notat Card. num. 4. satisfactionem faciendam esse de iniuriis, expensis & damnis cap. Conquestus de fo. compet. lib. 6. & singulas partes explicat, neq; opus est hoc in loco referre, quæ ipse lõgius prosequitur, cum ad materiam de interdicti, de quo agimus, nihil faciant.

Quartò idem Card. nu. 6. Vers. Octauo quæro, explicat verba illa, *subiaceat interdicto memorato*, & inquit, quòd cum tex. loquatur de Ciuitate, credendum esse solam Ciuitatem & continentia ædificia remanere supposita interdicto iuxta cap. Si Ciuitas de sent. excom. lib. 6. neque sub hoc interdicto comprehendi ipsam Diœcesim, & cum ait, *Interdicto memorato*, non vult, quòd hoc interdictum Ciuitatis tã latè pateat, sicut præcedens, in §. Terra quoque; illud enim plura vel pauciora loca continet, quatenus Dominus, qui delictum commisit, maiorem vel minorem habet iurisdictionem & dominiom; Sed verbum illud, *Memorato*, indicat solum hoc posterius interdictum esse eiusdem generis & rationis, sicut primum idest locale generale.

Tandem adnotandum est, differentia inter hoc interdictum est præcedens, illud enim propter delictũ Domini fertur, ideo explicã lum est iuxta diuisionem cap. Si sententia, de sent. excom. lib. 6. sed hoc posterius fertur propter delictum Communitatis, & interpretandum est iuxta notata in cap. 1. in princ. huius Disputationis.

Quintum interdictum habetur in cap. Vbi periculum de elect. lib. 6. vbi præscribitur modus seruandus in electione Pontificis Romani, quãdo vltimum diem clauserit in aliqua Ciuitate, in qua cum sua Curia residebat. Deinde decernũtur pœnæ contra Dominum, Rectores, & Officiales Ciuitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda, si non curauerint, vt omnia ibi statuta plenè & inuiolabiliter obseruentur. Et primò prædicti ita delinquentes excommunicationis sententia feriontur, & declarantur perpetuò infames, & priuantur feudis, quæ ab ipsa Romana Ecclesia, vel ab alijs Ecclesijs obtinuerint.

Tandem Ciuitas ipsa supponitur interdicto, verba textus hæc sunt; in §. Præterea in fi. *Ciuitas verò prædicta non solùm sit interdicto supposita, sed & Pontificali dignitate priuata.*

Hoc interdictum non fertor propter delictum Ciuitatis, sed Domini, Rectoris, & Officialium, quibus conuenit regimen Ciuitatis, & est casus, in quo propter delictum administratorum non solùm Ciuitas supponitur interdicto, sed etiam priuatur dignitate Episcopali, vt dicunt Franc. Anchar. & Gemin.

Sextum interdictum locale generale fertur in cap. 1. de vsur. lib. 6. vbi prohibitum est, ne admittantur vsurarij alienigenæ ad habitandum, & exercendum vsuras, & in eos, qui transgrediuntur, censuræ excommunicationis, suspensionis, & interdicti pronunciantur.

Et de hoc interdicto personali pertractaui in primo cap. huius Disput. & demum subiungitur aliud interdictum locale in Terras illorum, qui dictam prohibitionem non seruauerint, & per mensem cẽsuras ibi latas animo sustinuerint indurato his verbis, *Quam si per mensem animo sustinuerint indurato, Terræ ipsorum, quandiu in eis ijdem Vsurarij commorantur, ex tunc Ecclesiastico subiaceant interdicto.*

Igitur Summus Pontifex Terras illorum, qui dictã Constitutionem transgressi fuerint, idest Episcoporũ & Inferiorum Prælatorum, qui ob huiusmodi crimen suspenduntur, Inferiorum Clericorum, qui excommunicantur, Collegiorum, & Vniuersitatum, quæ interdicuntur, supponit Ecclesiastico interdicto non simpliciter, sed sub conditione, si per mensem animo sustinuerint indurato dictas Censuras. Quæ Terræ remanebunt subiectæ interdicto, quamdiu in eis dicti Vsurarij commorabuntur. Quare est interdictum ambulatorium, vt superius etiam monui, ergo illis absentibus cessabit interdictum absque vlla relaxatione Superioris. Quare hinc colligere possumus, quòd quamuis hoc interdictum locale feratur ob contumaciam eorum delinquentium, qui in prædictis Censuris per mensem indurato animo insorduerint, tamen illud non durare, quamdiu contumacia durat, sed quousque vsurarij in illis Terris degant. Alia, quæ faciunt ad declarationem huius interdicti, sunt explicata in cap. primo, huius Disput.

Septimo loco referri potest interdictum, quod legitur in Extrauag. super Gentes de consuet. inter Cõmunes, vbi Ioannes Vigesimus Secundus primum excommunicationis gladio ferit eos, qui prætextu consuetudinis impediũt, ne Legati Sedis Apostolicæ Terras alienas ingredi valeant. Deinde interdicto subijcit Terras & Regna dictorum impedientium ad hunc modum: *Regna, Terræ, & loca qualibet subiecta eisdem tandiu sint eo ipso Ecclesiastico supposita interdicto, quamdiù in huiusmodi contumacia duxerint persistendum.*

De hoc interdicto illud solùm est notandum, quòd non est latum in pœnam tantum præteriti delicti, sed propter contumaciam ideo durat tempore indefinito, quamdiu scilicet tales persistunt in contumacia impediendi Legatos & Nuncios Apostolicos, ne ingrediantur Terras, & Prouincias, & recedentes à contumacia relaxari debet interdictum auctoritate tamen Superioris iuxta ea, quæ dicta sunt cap 2. præcedentis Disputationis. Reliqua, quæ pertinent ad declarationem huius Extrauag. explicaui, cum agerem de excommunicatione, quę contra eosdem impedientes fertur in Bulla Cœnæ Domini.

CAPVT IV.

De Interdictis localibus particularibus Iuris.

PRimò in cap. Quicunque de Hæret. lib. 6. Alexander Quartus sententiam excõmonicationis pronunciat in omnes, qui scienter præsumpserint Hæreticos Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, & deinde locum illum, in quo tale cadauer sepultum erit, declarat priuatum remanere, ne imperpetuum cadauera ibi sepeliantur, ex quibus verbis inferunt aliqui latum fuisse interdictum locale, sic enim ibi legitur: *Et locus ille perpetua careat sepultura.* Sed reuera non potest vocari verè & propriè interdictum, cum nõ habeat omnes effectus interdicti, sed est potius dicenda priuatio quædam sepulturę, vel interdictum aliquo modo quoad hunc effectum solum.

De hoc interdicto illud tantum videtur notãdum, quòd,

quòd, vt hæc pœna locum habeat, requiritur scientia in ipso delinquente, vt patet ex illis verbis textus, *Scienter præsumpserint*, vnde infert Glos. Ver. Scienter, probabilem ignorantiam excusare ab hac pœna, sed quæri potest, de qua ignorantia sit hoc intelligendum, vtrùm de ignorantia facti, quòd ignoretur esse hæreticum credentem, receptatorem, defensorem, aut fautorem illum, cuius corpus traditur Ecclesiasticæ sepulturæ, vel etiam de ignorantia Iuris, quia sepeliens nesciat hanc prohibitionem; Respondeo vtramque ignorantiam, quando est probabilis, & absq; culpa excusare in foro interiori, vt aliàs probaui; verùm in foro exteriori ignorantia iuris non excusat, sed solius facti regulariter, nisi oppositum præsumatur verisimiliter ex qualitate & statu personæ, & ex alijs coniecturis. Sed de hac quæstione alias pertractaui.

Secundo loco solent afferre Summistæ aliud interdictum particulare loci ex cap. 1. & 2. de Iu. Patron. vbi statuitur, vt si dissentiones oriãtur inter patronos alicuius beneficij, itaut decẽter in Ecclesia à Presbyteris officia diuina celebrari nequeant, Episcopus prohibere debet, ne illa ibi celebrentur, & si opus fuerit tollere etiam Reliquias, & claudere ostia, textus ita loquitur in dicto cap. 2. *Episcopus si aliter non poterit ipsi consulere, tollat inde reliquias, atque eiusdem Ecclesiæ claudat ostia, vt sacrum mysterium nullus in ea celebret &c.* Sed non videtur his verbis propriè impositum interdictum locale, primò quoniam non parit effectus interdicti, sed solum prohibentur diuina officia propter decentiam loci sacri, & potius assimilari posset cessationi à diuinis, secundò licèt esset interdictum, non est à Iure, sed ab homine, idest ab Episcopo, vt patet ex verbis, Tertiò non esset latum, sed ferendum; quare de hoc nihil occurrit dicendum.

Tertiò Sylue. Interdictum 4. §. 3. Armill. eod. Ver. num. 22. & alij Summistæ enumerant inter interdicta localia particularia iuris, quando Ecclesia violatur ex homicidio vel sanguinis effusione, vel seminis humani emissione. Sed hoc impedimentum non est propriè interdictum, immo longè differt ab eo, vt patet ex his, quæ dixi in cap. 4. Disp. 3. Vnde postulat quoque diuersum modum reconciliationis.

Quartò Armilla dicto num. 22 dicit latum esse interdictum locale, vbi Ecclesia fuerit per simoniam consecrata ex cap. Ecclesia 1. q. 4. his verbis, *Ecclesia, quæ pactione consecrata fuerit, potiùs execrata, quàm consecrata dici debet.* Sed ex his verbis non potest colligi interdictum, sed potius execratio illius Ecclesiæ eo modo consecratę, ita vt necesse sit, vt illa denuo cõsecretur; quòd verum erit, si non fuit seruata vera forma consecrationis, vt inquit Gloss. Ver. Potius, sic notat etiam Turrecrem. non dicitur sic execrata, quòd verè non sit consecrata, quæ per pecuniam dedicata fuit, dummodo debita forma Ecclesiæ fuerit obseruata, sed dicitur execrata in detestationem illius, qui eam pactione alicuius rei temporalis consecrauit, nam quoad eum obest talis actus consecrationis, & transit in eum maledictio execrationis. Sic Malach. cap 2. dicit Dominus indignis Sacerdotibus, *Maledicam benedictionibus vestris*, non quia benedictiones per se maledictæ dicantur, sed quia transeunt in maledictionem benedicentis; Quare cum ex hoc textu non deducatur aliquod interdictum, neque alibi appareat in Iure tale interdictum latum esse in Ecclesiam per simoniam ab Episcopo consecratam, non videtur id certò affirmari posse.

Quintò solet etiam recenseri aliud interdictum A locale simile præcedenti, si Ecclesia non ob finem deuotionis & religionis sit ædificata, sed quæstus cupiditate, & auaritia, ex cap. Si quis Basilicam de consecr. distinct. 1. Verùm in eo textu nullum apparet impositum interdictum, sed tantum statuitur in casu, quo quis ædificauerit Ecclesiam, & quærat illam consecrari sub hac conditione, vt medietas oblationum ad ipsum perueniat, vt nullus Episcopus illam audeat consecrare. Alius casus eiusdem ferè rationis ex eadem dist. 1. de Consecr. cap. Præterea refertur ab Armilla loco citato de Ecclesia noua, quæ sine auctoritate Summi Pontificis consecrata fuit, & Episcopus illius loci interdixit, ne ibi celebrarentur diuina officia, idque Papæ significauit, à quo ob hoc factum B commendatur, quod Canonibus antiquis & nouis esset consentaneum, sed ex dicto cap. nullum sumitur interdictum Iuris, sed tantummodo approbatur factum illius Episcopi, qui prohibuerat in dicta Ecclesia Missas celebrari. Immo quamuis in Ecclesia, quæ legitimè non sit consecrata ex generali prohibitione Ecclesiæ non liceat sacrificium peragere, tamen illa prohibitio non est censura, ideo licèt grauiter peccaret, qui contemneret hanc prohibitionem, non violaret, tamen censuram, neque irregularitatem incurreret. Alius quoque casus parum differens ex eadem dist. 1. de Consecr. cap. Placuit, accipi potest, vbi prohibentur erigi altaria tanquam memoriæ Martyrum, in quibus nullæ Reliquiæ ipsorum reconditæ C probantur, & vt talia loca euertantur, si fieri potest sine scandalo postulatur; *Et omnino vt nulla memoria Martyrum recipiatur, nisi vbi corpus aut Reliquiæ certæ sunt, aut origo alicuius habitationis vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.* Quo in loco ne verbum quidem de interdicto, sed ponitur tantum prohibitio ad tollendas superstitiones, quæ oriri possent. Quamobrem ex supradictis auctoritatibus Iuris nõ possunt desumi interdicta, quibus verè & propriè conueniat ratio interdicti, sed sunt potius simplices quædam prohibitiones.

Sed verum interdictum Iuris locale speciale dici potest illud, quod habetur cap. 1. de sepult. lib. 6. Vbi Summus Pontifex prohibet Clericis omnibus & Re- D ligiosis, ne inducant aliquem ad iurandum vel promittendum, quòd debeat erigere sepulturam in suis Ecclesiis, vel de non mutanda electione alias facta, & tandem prohibetur omne pactum de sepultura eligenda. Et non obstante huiusmodi pacto sepeliendus est quis, vbi aliàs erat de iure sepeliendus, & aliàs sepultus cum omnibus sepulturę emolumentis restituẽdus est infra decem dies, si petatur; quod nisi fecerint iidem Religiosi & Clerici, qui prædictos in suis Ecclesiis, vel Cœmeteriis præsumpserint sepelire, afficiuntur poena his verbis, scilicet: *Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & Cœmeteria earundem ex tunc eo ipso sint, & tandiu maneant Ecclesiastico supposita in-* E *terdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.*

Ad explicationem huius interdicti notandum est primò ad illud incurrendum oportere, vt isti Religiosi & Clerici inducentes aliquem ad eligendum sepulturam, id faciant trahentes illum ad vouendum, iurãdum, & promittendum, Quare si simpliciter inducerent absque iuramento, voto, & promissione, non essent obstricti vigore dictæ prohibitionis, quoniam textus præcisè ita loquitur: *Districtissimè prohibemus, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant*, non enim inter hæc

tria

tria ponitur differentia, vt notat Glo. Ver. Promittendum, & ita tradunt ibi Anchar. num. 2. Gemin. num. 7. Franc. nu. 2. qui addunt non esse locum huic pœnæ, si tales Religiosi inducant aliquem ad iurandum, vel vouendum, vt eligant sibi sepulturam apud Ecclesiam aliorum, quia textus dicit: *Apud eorum Ecclesias*, idest eorumdem Religiosorum, & Clericorum inducentiū, nam in pœnis non est facienda extensio. Et ratio est secundum Io. de Ligna. quia Papa voluit coercere auaritiam inducentis. Quod confirmari potest ex Clement. Cupientes § Sanè De Pœn. vbi eadem prorsus verba repetuntur, quæ in dicto cap. 1. De Sepult. lib. 6. habentur.

Secundò notandum est, quòd hæc pœna non extenditur ad Laicos, qui inducerent aliquem ad iurandū, vel vouendum ad eundem finem eligendi sepulturam, quoniam textus expressè loquitur de Clericis & Religiosis. Deinde idem colligitur ex verbis illis *Apud eorum Ecclesias*, sicque intelligitur tantùm de illis, qui habent ius sepulturæ, non de Laicis: ita sentit Gemin. nu. 4. & Io. Andr.

Quærit Anchar. nu. 2. Vers. Sed hic quæritur, quare prohibetur quis se obligare & promittere velle eligere sepulturam in aliqua Ecclesia; Nam si libere potest eligere, cur nō potest se obligare. Quælibet enim promissio ab initio est voluntaria, & postea euadit necessaria l. Sicut C. De Actio. & Oblig. cur non hoc etiam seruari potest in eligenda sepultura, vt à principio sit actio voluntaria, & facta obligatione sit necessaria. Secundò idem probari potest ex cap. 1. De Pact. lib. 6. Vbi simile pactum circa electionem sepulturæ approbatur, & mandatur seruari.

Ad hanc dubitationem respondet Anchar. ex sententia Io. Andr. Mon. electionem sepulturæ esse partē vltimæ voluntatis, cuius libertas tolli non debet, nec pactionibus coarctari. Idem inquit Gemin. in §. Si verò nu. 3. Franc nu 4. Ad confirmationē ex cap. 1 De Pact. lib. 6. respondet Gemin. nu. 9. in fine dicti cap. approbari conuentiones factas inter duas Ecclesias quoad ius sepeliendi corpora subditorum. Sed in hoc c. 1. De Sepult. lib. 6. prohibetur pactū & cōuentio inter eum, qui eligit sibi sepulturam & alium inducentem: quare dictæ constitutiones non sunt inuicem pugnantes.

Tertiò notandum est circa verba illa: *Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & Cœmeteria earundem.* Quod licet interdicta Ecclesia censeatur interdictum etiam eius Cœmeterium De Consecr. Eccles. vel Alta. cap. 1. lib. 6. & ita videatur superfluum verbum illud *Cœmeterium*, tamen vt inquit Gemin. in §. Si verò n. 2. & Franc. eod. nu. 2 hoc est intelligendum, quando Cœmeterium est contiguum Ecclesiæ; tunc enim interdicta Ecclesia, quæ est principalis, censetur tanquam accessorium interdictum Cœmeterium; Sed secus est dicendum, quando Cœmeterium non est contiguū; tunc enim sub Interdicto Ecclesiæ non comprehenditur Cœmeterium, nisi exprimatur, vt patet ex cap. Si Ciuitas De Sent. Excom. lib. 6 In hoc igitur cap. 1. De Sepult. lib 6. meritò expressum fuit Cœmeterium, vt quodcunque Coemeterium illius Ecclesiæ interdictæ includeretur tam cōtiguum, quàm distinctum. Quod Interdictum incurritur ipso iure absque vllo hominis ministerio, vt indicat clausula illa: *Ex tunc eo ipso.*

Quartò notandum est hanc pœnam interdicti locum habere non statim ac ipsi Religiosi, & Clerici induxerint aliquem ad iurandum, vouendum, vel interposita fide ad promittendum super eligenda sepultura, sed sub conditione, idest nisi infra decem

A dies corpora sepultorum, si petantur, & omnia emolumenta occasione sepulturæ illorum quomodolibet percepta integraliter restituerint.

Quærit Glo. Ver. Decennium, quomodo incipiant currere decem dies; Et respondet respectu cadaueris restituendi numerandos esse à die petitionis, sed respectu emolumentorum statim à die receptionis, & idem confirmat Gemin. num. 4. Franc. num. 5. & computatur intra decennium dies receptionis secundùm Archid. & Ioan. Andr. qui remittit se ad notata in cap. 1. De Restit. Spoliat. lib. 6. Quare statim decem dies modo explicato non facta restitutione corporis & rerum receptarum, Ecclesia & illius Cœmete-

B rium interdicto supponuntur sine alia sententia etiam declaratoria criminis: hoc enim significant verba illa: *Ipsos obligatos esse censemus*, quæ demonstrant latam esse sententiam ab ipso iure, & pœnam impositam incurri ipso facto, præsertim quoniam vt inquit Glo. dicto Ver. Decennium, Bonifacius Octauus in dicto cap. 1. De Sepult. lib. 6. non intendit innouare aliquid ex his, quæ disponuntur de eadem promissione eligendi sepulturam ab Innocentio Tertio in cap. Ilerique De Pact. vt simpliciter præcipitur reddi Ecclesiæ Parochiali quidquid occasione huiusmodi pacti perceptum fuerit, sed tantùm Bonifacius Octauus addere voluit tempus, & pœ-

C nam.

Item quærit Glo. Ver. Faciendum, Cui sit facienda restitutio ad euitandam hanc poenam Interdicti; Respondet restituendum esse Ecclesiæ, cui illata est iniuria, nempe apud quam sepeliri debebat, nam supponitur iam redditam fuisse Ecclesiæ Parochiali suam canonicam portionem debitam iuxta cap. 2. De Sepult. lib. 6.

Tertiò quærit Glo. fin Ver. Interdicto; Vtrùm propter delictum vnius Religiosi, vel solius Clerici inducentis aliquem ad paciscendum super electione sepulturæ, & ita violantis hanc Constitutionem, tota Ecclesia, & Cœmeterium supposita Interdicto remaneant; Respondet affirmatiuè, quoniam in textu ita

D dicitur, & hoc sufficit, quamuis assignari ratio huius possit, quoniam cum alij Religiosi & Clerici scirent illa emolumenta ad eos minime pertinere, inuestigare tenebantur, quo titulo illa acquisiuissent, l. Cum quærebatur C. Vnde vi.

Rursus quæri potest, an si vnus vel alter Clericus non restituat partem suam, quam ex huiusmodi receptione emolumentorum lucratus est, alijs restituentibus sequatur Interdictum, nam ex vna parte videtur satis durum, vt propter vnius Clerici culpam Ecclesia Interdicto supponatur; Ex altera parte verba Constitutionis videntur oppositum suadere, quæ præcipiunt restitutionem *integraliter faciendam*, & iterum in fin. *Donec ab eis restitutio facta fuerit plenaria*, omnium

E prædictorum. Cum igitur ita exacta restitutio requiratur, fit, vt quælibet omissio grauis reputetur, & satis sit ad constituendum peccatum mortale.

Respondeo Interdictum hoc prouenire, licèt vnus tantùm Clericus non restituat partē suam emolumētorum receptorum, quia verba sunt clara, vt dixi, & culpa grauis sufficit ad inducendā hanc poenā, quamuis sit commissa à priuata persona, præsertim quando delictū non fuit omnino priuatæ personę, sed Rectoris, cui commissa est cura & regimen Ecclesiæ, ad quem etiam pertinet curare, vt restitutio integraliter fiat. Verùm si vnus tantùm Religiosus, aut Clericus fuisset causa, vt quis cum iuramento promitteret

velle

velle sepeliri in sua Ecclesia aliis omnino ignorantibus, si postea corpus sepulturæ tradatur ab omnibus Clericis aut Religiosis, puto non oriri Interdictum, quia probabiliter ignorantes bona fide illud sepelierunt, nam textus inquit, *Si verò iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel Cœmeteriis præsumpserint sepelire*. Ad incurrendum igitur Interdictum, necessaria est præsumptio, quæ requirit scientiam & temeritatem, Quare non erit locus Interdicto, si ex ignorantia probabili violetur hæc Constitutio.

Postremò non est prætermittendum contra violantes hanc constitutionem cap. 1. De Sepult. lib. 6. præter pœnam interdicti ibi latam, cui ipsorum Ecclesiæ subiiciuntur, ferri quoque sententiam Excommunicationis ipso facto Sedi Apostolicæ reseruatam in Clem. Cupientes §. Sanè De Pœn. ipso Interdicto nihilominus in suo robore perdurante.

Quærit ibi Card. §. Sanè Vers. Secundo quæro, an hi, qui inducuntur per Religiosos; vt promittant eligere sepulturam apud eos, vinculo excommunicationis innodentur, quando ipsi Religiosi inducentes sunt excommunicati, & respondet negando illos remanere excommunicatos, quia Censura Excommunicationis non est extendenda ad eos, qui sub verbis legis non comprehenduntur, cap. Statutum De Elect. lib. 6.

Quærit etiam Card. ibi An Clerici vel Religiosi inducentes ex sola inductione incurrant excommunicationem, Respondet non remanere Excommunicatos, nisi inductio effectum sortiatur, quia verba intelligi debent cum effectu, maximè quando agitur de pœna spirituali, qualis est Excommunicatio.

Præter hoc Interdictum locale, quod habetur in dicto cap. 1. De Sepult. lib 6. possunt etiam enumerari Interdicta localia particularia Iuris, nonnulla Interdicta, quæ recensui inter Interdicta generalia localia, quatenus indistinctè pronunciantur sine vllo discrimine in quemcunque locum, in quo illud, quod prohibetur, acciderit, siue sit locus generalis siue specialis; huius generis esse potest Interdictum latum in Clem. 1. De Pœn. in locum, in quo per vim & iniuriã Episcopus captus detinetur. Nam si contingat, vt sit locus vniuersalis, puta Ciuitas, Terra, Oppidum, Interdictum erit generale, si locus, in quo Episcopus detinetur erit particularis, vt domus, Ecclesia, vel similis, in quibus non adsit Communitas & populus, illud Interdictum erit particulare. Et hæc sufficiant de Interdictis tam personalibus, quàm localibus latis à Iure, sitque finis impositus, sit huic tractatui de Interdicto, & Deo fauente, atque adiuuante absoluta est vniuersa Disputatio de Censuris Ecclesiasticis *postrema die Nouembris.*

Sit Laus Deo, eiusque Filio Vnigenito Saluatori Nostro Iesu Christo, & Beatissimæ eius Matri Mariæ semper Virgini Amen.

INDEX RERVM OMNIVM NOTABILIVM PRIMI, ET SECVNDI TOMI.

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS.

A

Abbas.

Abbatissa.

Absolutio à peccatis.

Absolutio ab excommunicatione.

Forma seruanda in tradenda absolutione ab excommunicatione.

Qua-

Index Rerum omnium notabilium.

Basi-

Incur-

Index Rerum omnium notabilium.

Causa

Solem-

Quæ

Come.

incur-

Con-

In

In

Quo-

De-

Quod

An

cedens

Et

An

Quis

Filius

Gestor

Im-

An

Quis possit tollere Interdictum.

Suspensio Interdicti.

Cessatio interdicti.

Relaxatio Interdicti.

Le-

Lite-

mo-

N

Naufragium, & Naufragantes.

Paro-

mine,

Si

Oſſa.

P

Pallium.

Papa. Vide Abſolutio, Cardinalis, Delegatio, Derogare, Diſpenſatio.

Tem-

pecca-

Præpositus.

Præscriptio. Vide Consuetudo.

Præsidentes.

Epis.

Egre-

Mini-

Priuile-

Sigil-

Quid

Suspen-

Suspensus à Prædicatione.

Suspensus ab administratione temporalium.

De eo qui potest suspendere.

De eo qui potest suspendi.

An sen-

T

Tacens.

Vectigal.

V

Vsura-

FINIS.



PRIMI TOMI. ERRATA. CORRIGE.

pag.	col.	Lit.	ERRATA	CORRIGE
17.	1.	C.	quam incurritur	quæ incurritur
Ibidem			quæ	quam
28.	1.	B.	infectissimus	infestissimus
29.	2.	E.	omnisio	omnino
35.	2.	C.	hanc pœnarum	hanc poenam
38.	2.	E.	non loquimus	non loquimur
77.	1.	C.	ex iaduertentia	ex inaduertentia
96.	2.	A.	excommunicātur	excommunicatur
99.	1.	D.	oppobta	opposita
103.	2.	D.	Donfessarios	Confessarios
127.	2.	E.	illud	illum
175.	2.	E.	irregularitas	irregularitatis
181.	1.	C.	quartus	quarto
182.	2.	A.	ex vere	exuere
182.	2.	C.	debent	debeat
205.	2.	A.	conceptum est	concessum est
205.	2.	B.	ex commodum	in commodum
231.	1.	D.	tota	tuta
241.	1.	A.	iure permittitur	dele totum
243.			Lib.II.Cap.IV.	Lib.II. Cap. VIII.
263.	2.	A.	instar fluminis	instar fulminis
269.	1.	A.	discrimen	discrimine
306.	1.	C.	sed disciplinant	sed disciplinans
347.			possit	possint
300.	2.	E.	Eecommunico te	Excomunico te
356.	1.	E.	non redeunti	non redeundi
361.	2.	C.	vectitus	vestitus
369.	2.	A.	delinquenti	delinquit
420.	1.	D.	adhbiendam Sacer doti testificanti	adhibendam Sacerdori testificāti
Ibidem			Confessariam	Confessarium
426.	427.		lib. 4. cap. 4.	lib. 4. cap. 1.
443.	1.	A.	ipsius Dei	ipsius Rei
444.	1.	A.	Ex igitur	Exigitur
444.	1.	B.	indieabuntur	iudieabuntur
444.	1.	E.	& id cautelam	& ad cautelam
444.	1.	E.	iuriurandi.	iurisiurandi
469.	1.	D.	nemine	nemini
469.	1.	D.	authores scissi cum à plures	authores cum ad plures
472.	2.	C.	igni	igne
474.	2.	A.	Caonis	Canonis
478.	2.	D.	ne videntur	ne videatur
490.	1.	B.	inter monte	inter montem
491.	1.	B.	rem alienum	rem alienam
495.	2.	B.	incuriosa	iniuriosa
511.	1.	B.	contioent	continent
511.	1.	D.	litteras alios	litteras alias
520.	2.	E.	exdresse impositam	expresse impositam
526.	2.	C.	vbi est	ibi est
554.	2.	B.	Turcæ iuri	Turcæ iruri
561.	2.	D.	imunitur	incurritur
568.	1.	A.	funipere	surripere
568.	1.	B.	excommunicatione illas	excommunicatione illos
568.	1.	D.	ignorantiam	ignorantia
569.	1.	C.	frumea ē,& fruges	frumēta,& fruges
569.	1.	C.	tritici,eulei.	tritiei, olei
569.	2.	D.	qui Ciuitatis oppida eo terras.	qui Ciuitates, oppida,& terras.
Ibidem			aut alios	aut alio
Ibidem			Ciuitatis	Ciuitates
571.	1.	A.	deferre igitur	differre igitur
571.	1.	B.	hodie lrgatur	hodie legitur
572.	2.	A.	disponente Deos	disponente Deo
572.	2.	D.	lucraretur	vt lucraretur
575.	1.	C.	æquipollit	æquipollet
575.	1.	D.	tamen respondeo	tamen responsio
576.	1.	E.	aut interficiat	vt interficiat
576.	2.	D.	aduentos	aduentus
579.	1.	D.	probalis	probabilis
582.	1.	A.	ob easdem	ob eandem
582.	1.	B.	de abscessione mamillæ	de abscissione ma millæ
582.	2.	C.	restringendi	restringenda
582.	2.	D.	se excommunicationem	se excommunicatum
585.	1.	C.	id falit	id facit
586.	1.	E.	priuilegia	priuilegio
587.	1.	B.	se de alterutro	si de alterutro
587.	1.	B.	quia agit & operatur recipiens potestatē & iurisdictionē.	dele totum
587.	2.	A.	illam	illum
587.	2.	D.	corpis ordo	cœpit ordo
588.	1.	A.	erga	ergo
589.	1.	B.	Episcopo	Episcopi
589.	2.	D.	excommunicationem	excommunicatione
590.	1.	D.	ineulpatæ tutulæ	ineulpatæ tutelæ
592.	2.	E.	sunt explicando	sunt explicanda
Ibidem			vsus apellatum	vruo appellatum
593.	2.	E.	ad Eeclesias setas	ad Ecclesias sitas
594.	1.	B.	solium	solum
594.	1.	C.	nomen quisque	nomen quique
594.	1.	E.	Peregrinum	Peregrini
595.	2.	D.	si audiat peccet	si audiat peccat
Ibidem			opere	opera
596.	2.	B.	amissum	emissum
597.	1.	C.	voeandum esset	voeandus esset
597.	2.	B.	Ex templum	Exemplum
598.	2.	A.	Decesse	Necesse
600.	1.	B.	Canonem nouum	Canonem nonum
601.			Lib.V.cap.IV.	Lib.V. Cap. VI.
603.	2.	C.	erit excommunicatos	erit excommunicatus
605.	2.	C.	pramittit	permittit
607.	1.	B.	innumerari	immorari
607.	2.	A.	condennate	coadiuuare
608.	2.	A.	Patriarcharū.Sedes.	Dele Punctum.
610.	1.	B	tex.singuli	tex. singularis
611.	2.	E.	gaudes priuilegio	gaudēt priuilegio
611.	2.	E.	Syue	Syluef.
612.	1.	D.	& consecratus	est consecratus
612.	2.	C.	vt eue	vtque
612.	2.	D.	communi iuris	communis iuris
614.	1.	B.	postiliter	Hostiliter
614.	2.	D.	detrahitur	detruditur
618.	1.	A.	qui Sacrilegus	fit Sacrilegus
619.	1.	C.	Concitatus	Comitatus
619.	1.	D.	introductus	interdictus
619.	2.	A.	stanstum est	standum est
619.	2.	B.	non barbara	vox barbara
620.	1.	B.	quæ bina	quæ bona
Ibidem			tenet	tenter
623.	1.	B.	eodem regula	eadem regula
623.	1.	D.	Ad vero	At vero
624.	2.	D.	ad ialia	ad alia
625.	2.	E.	possent consentiat solutione	postea consentiat solutioni
626.	2.	B.	dubitationis	dubitationi

lege

	ERRATA.	CORRIGE.
628. 1. A.	lege ruſticæ	lege iuſtitiæ
Ibidem	mandantur	innodantur
628. 1. B.	rerum eſſet	verum eſſet
628. 1. B.	deſinet, obuiare	dele virgulam
629. 2. D.	facienda vt	facienda eſt
629. 2. D.	Nata habentes	Rata habentes
630. 1. B.	ad offerendum	ad offendendum
630. 1. D.	qui amatus	qui armatus
630. 1. E.	de medio	de Medico
630. 2. A.	perſonales	principales
630. 2. D.	actio acceſſoriæ	actio acceſſoria
630. 2. E.	anna Card.	contra Card.
631. 2. E.	mitiatur	meciatur
632. 1. A.	crimen Antore	crimē ab Antore
633. 2. C.	legetur	ligetur
636. 1. E.	Sede duntaxat	Sedi duntaxat
637. 1. A.	probabantur	prolabantur
637. 1. C.	ex eo argi	ex eo argum.
637. 1. D.	abſqne vilas	abſque vlla
637. 2. B.	manuum iniectio-nem	manuum iniectio-ne
638. 2. C.	ex parere	ex parte
Ibidem	collegio poſſe	colligi poſſe
Ibidem	expreſſam	expreſſum
Ibidem	ea quæ habeatur	ea quæ habentur
Ibidem	ob violentas	ob violentam
640. 1. B.	conſtitutiones ex-tra	conſtitutiones ex-tat
640. 2. A.	Terras delinquētis	Terra delinquētis
640. 2. B.	(ſen Rectorem qui infra)	dele parenthiſis lineas
641. 2. B.	inciſiere	incidere
641. 2. D.	commodum	commodius
642. 1. C.	ſpeculiaritet	ſpecialiter
Ibidem	Canone non	Canone nono
643. 1. A.	perſonis offenſes	perſonis offenſis
643. 1. C.	de loca habetur	de pœnit. habetur
643. 1. D.	irritans declaratur	irritum declara-tur
Ibidem	excommunicatio nis ſententiam	excōmunicatio-nis ſententia
644. 1. C.	eſſe his	eſſe lis
644. 1. E.	funcitur	fumitur
645. 2. B.	ſe id fiat	ſeu id fiat
645. 2. E.	poſt Nuncium	per Nuncium
646. 2. B.	homini	huiuſmodi
646. 2. C.	ſub eadem pœna	quæ ſub eadem pœna
647. 1. A.	Debita	Delicta
647. 1. B.	non ſolam	non ſolum
648. 2. B.	Religioſis	Religionis
649. 1. A.	ſi recederet	ſi accederet
Ibidem	ſub ad probandum	vel ad probandū
646. 2. A.	noua afficere	non afficere
652. 2. C.	attenrare	attentare
653. 1. A.	Romanos	Romanus
653. 1. D.	dedit	debet
653. 1. E.	qui id probare	quia id probare
654. 2. C.	emanari poſſint	emanare poſſint
654. 2. D.	An nobis	A nobis
656. 1. A.	ex Cal. Martij	Cal. Martij
656. 2. E.	Apoſtolicas ſupra-poſita	Apoſtolicas ſcri-pturas
657. 1. B.	ſalnare poteſt	ſaluari poteſt
657. 1. D.	intelligent litteras	intelligens litte-ras
660. 2. B.	Nam Laice	Nam Laici
Ibidem	pertinent ad friu-les	pertinent ad ciui-les
661. 1. B.	commiſint	commiſerint
661. 1. C.	ne proficiantur	ne præficiantur
661. 1. E.	ſolum dicis	ſolum dicit
Ibidem	Iudici	Iudice
661. 2. B.	equiparitur	ęquiparatur
662. 2. D.	ex mente Pontifi-cijs	ex mente Pontifi-cis
662. 2. E.	nullam ioris	vllam iuris
663. 2. B.	inhibitione	inhibitiones
663. 2. C.	ſeu proceſſum	ſeu proceſſuum
664. 2. B.	imperio præceptis	imperio Principis
Ibidem	expeditionum cau-ſarum	expeditioni cau-ſarum
665. 1. B.	ſubſtentationem	ad ſubſtentationē
665. 1. C.	vero canſæ	ſi vero cauſæ
665. 2. B.	excommunicatio-nem incidere	excommunicatio-nem non incidere
668. 1. B.	Regis	Reges
668. 1. C.	actionis	actiones
669. 1. C.	tamqdam	tamquam
669. 1. D.	in hoc cauſa	in hac cauſa
669. 1. E.	cohærentes	cohærentet
669. 2. B.	dixi	dici
669. 2. C.	vias intercedunt	via incedunt
669. 2. E.	quæſtionem eſt	quæſtio non eſt
672. 1. C.	pracis	praxis
672. 1. E.	viri	iuri
673. 1. B.	aliqnis ſiue	vbi quis ſiue
673. 2. B.	vſus illi	vſus ille
673. 2. C.	memorię nō extet	memoria nō extat
673.	vel adminiſtrantiā	vel ad inſtantiam
674. 2. B.	ratione laicis	ratione huius
675. 2. B.	& adminiſtrationi-bus	& adminiſtrato-ribus
675. 1. D.	vocent	vouent
676. 2. D.	ſi incidat	ſi incedat
676. 2. E.	priuileginm	priuilegio
678. 1. E.	ſecunda	ſecularia
678. 2. D.	Eremitis & dicit	Eremitis dicit
678. 2. E.	extractas	extructas
679. 2. C.	ſecurem	ſecularem
682. 1. A.	inſtantim	inſtantem
682. 1. B.	requi	requiri
683. 2. A.	Chriſtianæ religio Cſtriſti	Chriſtiana religio Chriſti
683. 2. B.	iuri	viri
687. 2. B.	rationem	ratione
688. 1. A.	Religioſus	Religioſos
688. 1. C.	legant	ligant
688. 1. E.	Cauſidicis	Cauſidici
689. 2. D.	iuſſu Principes	iuſſu Principis
690. 1. B.	infirmos	infimos
691. 2. E.	negandi	negotiandi
692. 2. E.	nullo ſuperſit	nulla ſuperſit
694. 1. C.	conſonam	conſonum
696. 1. D.	ne fate	ne forte
696. 2. B.	Principis tempora-lis	Principes tempo-les
Ibidem	quæ ad eſt	quæ non eſt
696. 2. C.	& non	& num
Ibidem	dicuntur	differitur
696. 2. E.	ſeu ſuprema	dele ſeu
698. 2. C.	penſionis	penſiones

diſpo-

			ERRATA.	CORRIGE.
699.	1.	E.	disponi	disponit
700.	1.	D.	ædes	modo ædes
704.	2.	B.	funeris	fuoeris
705.	1.	C.	suas causas	pias causas
Ibidem			promulgatione	proclamatione
705.	2.	B.	immunitatosque	immonitatesq;
707.	1.	C.	anctoritate	auctoritati
709.	1.	B.	& dicas	& duas
710.	1.	A.	cap. 2.	cap. 1.
710.	1.	B.	citantur	vtantur
711.	2.	B.	Dini Petri,	Dini, Petri
712.	2.	C.	in secunda	in duplici
712.	2.	D.	propter viam	proteruiam
712.	2.	E.	dignitatis	dignitati
725.	1.	A.	exemptum	exemptam
714.	1.	D.	& strictu	& stricta
714.	2.	C.	si exponeret	se exponeret
715.	2.	B.	Indice	Iudici
719.	2.	B.	Ecclesia	Ecclesiæ
720.	1.	B.	vsurpatio	vsucapio
Ibidem			est vsurpare	& vsurpare
720.	1.	C.	habeat	habent
720.	2.	E.	potestate	potestati
721.	2.	A.	habitu	habitá
721.	2.	B.	delata	de lata
722.	1.	B.	fructum	fructuum
722.	1.	D.	ad Clericorum	ad Clericum
723.	1.	D.	ignorantus	ignoranter
723.	1.	A.	habent	habeat
723.	2.	D.	ordinarijs	ordinarij
728.	1.	A.	debitum	debitam
730.	2.	A.	fieri	frui
731.	2.	D.	ad exigendum	ad eximendum
733.	2.	B.	lib. 8.	lib. 6.
734.	1.	A.	Doctorem	Ductorem
734.	1.	C.	victuali	virtuali
735.	2.	C.	dimittenda	dimittendo
735.	2.	D.	impositione	impositioni
738.	1.	A.	reuocaret neglexit, &	reuocare neglexit vt
738.	1.	E.	moratur	miratur
Ibidem			decretus	decretum
739.	2.	A.	onere	oneri
740.	1.	A.	fundatur	fundator
742.	1.	B.	cognosci	cognoui
743.	1.	A.	de fine quem	de fine propter quem
744.	1.	B.	inductus	indutus
744.	1.	D.	quo est	quo tot
744.	1.	D.	ad his	ab his
747.	2.	C.	seu ciuili	sed ciuili
751.	2.	D.	fore	fori
752.	2.	A.	quot fit	quo fit
753.	1.	D.	Principis	Principes
761.	2.	D.	Nunc Ducatum	Hunc Ducatum
770.	1.	A.	per alteram	per alterum
770.	1.	C.	hæreticus	hæreticum
770.	2.	B.	Legatos	Legatus
772.	2.	A.	ex dilationi	ex dilatione
772.	2.	E.	concilium	consilium
773.	1.	E.	sed instabilis	sed instabis
773.	2.	B.	non funditur	non fundetur
774.	2.	B.	vt transactu	vt transacta
777.	2.	E.	habeat	habent
778.	1.	C.	ac consuetus	ac consuetum
779.	2.	C.	Pontifici	Pontifice
780.	1.	C.	iniecta	incerta
782.	1.	E.	Quid oportetur	Quid operetur
783.	1.	A.	expressio	expresso
Ibidem			expresse	expressi
790.	2.	B.	excommunicatos	excommunicatus
794.	2.	B.	iure	inire
794.	2.	E.	auphalus	acephalus
795.	1.	D.	quod alias	quoad alias
795.	2.	D.	vitia	citra
797.	1.	E.	Boli	Poli
798.	2.	D.	alique	absque
799.	1.	A.	ob peccatum	hoc peccatum
801.	1.	B.	copulatur	copulatum
803.	1.	A.	consuetos	consuetus
803.	1.	B.	infingere	infringere
803.	2.	D.	infingere	infringere
804.	1.	A.	contrarie	contraire
804.	1.	D.	& ducitur	& dicitur
804.	2.	A.	& imitare	irritare
805.	1.	D.	computationes	computationis
805.	2.	A.	denunciatio	denumeratio

SECVNDI TOMI.

3.	2.	E.	exterum	externorum
4.	1.	C.	& effectum	& effectus
13.	2.	D.	conditione	conditiones
24.	1.	C.	quæ	qoa
45.	2.	A.	non parentis	dele oon
50.	2.	E.	ab effectus	ab effectu
51.	2.	E.	mouentur	moueatur
58.	2.	E.	ad solum	ad solam
59.	1.	E.	objiecit	obiret
60.	1.	A.	Ecclesia nō statuit ideo recte negari potest vnam	suspensionem in alia virtute non cootineri
61.	1.	A.	bone	bene
61.	1.	B.	adminiistranti	administrandi
65.	1.	E.	illam	illum
65.	2.	E.	neceffario	necessaria
76.	2.	B.	decimo qnæro	decimo quarto
97.	2.	A.	fine	fine
108.	1.	A.	subiecti	subiectæ
121.	1.	B.	Absolntio	Absolutis
121.	2.	C.	etinm	etiam
127.	1.	E.	iustaret	instaret
134.	1.	B.	qui Episcopo	cui Episcopo
134.	2.	C.	ab excommunicationem	ab excommunicatiooe
152.	2.	B.	vreretur	vteretur
156.	2.	A.	& Diœcesi	in Diœcesi
185.	2.	A.	ioterdicti	interdictis
192.	Disp. II.		ordinem	ordinum
204.	1.	E.	contra	contraria
205.	2.	B.	lata	latæ
206.	2.	B.	n,ā tu	nam vt
207.	1.	A.	testium	vestium
208.	2.	A.	proprij	proprijs
215.	1.	A.	qubcumq;	quacumque
215.	2.	D.	vezabant	vexabant
220.	2.	B.	sie qui	siquidem
230.	2.	D.	iurisdictionis	iurisdictioni
243.	1.	E.	expeosi	suspensi
247.	2.	B.	depositiones	depositionis
248.	1.	B.	in Clericis	in Clericos
249.	1.	B.	improbabilis	probabilis

249.	2.	C.	cuiusque	cuiuscumque
249.	2.	D.	collutio & immō ditia	pollutio & immū-ditia
249.	2.	E.	à crimen	atq; crimen
250.	2.	E.	eleæmosyna	eleæmosynæ
253.	1.	C.	fusceple	fuscepti
256.	1.	A.	id fingulare	ad fingulare
256.	1.	D.	punctum fuit	punitum fuit
258.	2.	D.	in penis debet fieri	adde non
262.	2.	D.	possit	possint
265.	1.	B.	obtinentis	obtentis
265.	2.	E.	necessaria	necessariæ
266.	2.	D.	honorem	honore
273.	2.	B.	Abbatem	Abbas
Ibidem			ob professionem	& professionem
274.	1.	C.	ab administratio-nem	ad administratio-nem
275.	2.	E.	fit cæteris	fint cæteris
276.	1.	B.	in alij	in alijs
277.	1.	B.	apostasia	apostasiæ
278.	1.	B.	suspensione	suspensionem
284.	2.	E.	in hanc definitione	in hac definitione
300.	1.	A.	se populi	& populi
303.	1.	A.	officij	officijs
310.	2.	C.	effusionis	effusionem
332.	2.	E.	quoniam	quominus
Ibidem			prima missa	priuata missa
333.	1.	A.	in suo rigore	in suo vigore
333.	1.	B.	cum celebrationē	cum celebratione
339.	1.	C.	fulgiatur	fulgi
340.	1.	C.	executione	adde &
343.	1.	C.	vno	vnum
343.	1.	D.	tamen	tantum
343.	2.	B.	factam	facta
343.	2.	D.	Ecclesia pariete	Ecclesiā, parietes
344.	2.	B.	dicitur non esse.	posse
345.	1.	B.	ffisucienti	sufficienti
351.	1.	E.	Chrismationem	Confirmationem

F I N I S.



REGISTRVM.

Primi Tomi. a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz,

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy.

Secundi Tomi. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt.

a b c d e f g h k l m n o.

Omnes sunt terniones, præter Indicem Capitum primi Tomi, qui est quaternio, & Yyy. qui est vnius folij; Et Indicem Capitum, & Indicem Rerum, secundi Tomi, qui sunt duerniones, & Tt. eiusdem secundi tomi, qui est quaternio.





